THOMAE DE VIO CAIETANI ... OPERA OMNIA QUOTQUOT IN SACRAE...

Tommaso De Vio, Josè Maria Fonseca de Evora, ...




NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
S
14 — F
22

R. R. D. D.

THOMÆ DE VIO

CAIETAN

TITVLI S. XISTI PRESBYTER

CARDINALIS EMINENTISSIMI

IN PSALMOS, PARABOLAS SALOMONI:

& ECCLESIASTEN, nec non in tria priora ISAIÆ Capita,

COMMENTARII

NVNC DENVO RECOGNITI, NOTI marginalibus tum rerum, tum versiculorum exornati, & Indicibus primo materiarum singulorum Psalmorum, altero Rerum & Verborum illustrati.

TOMVS TERTIVS.



LVGDVNI,

Sumptibus Iacobi & Petri Proſt.

M. DC. XXXIX.



LIBER PSALMORVM


ad verbum ex Hebræo verſorum:

PER THOMAM DE VIO CAIETANVM S. XYSTI CARDIN.

AD LITERAM ACCVRATISSIME ENARRATVS.

PROOEMIVM.

§. I.



DIVINORVM Pſalmorum Librum iuxta literalem ſenſum cùm incepiſſem exponere, comperi nullum apud nos haberi textum talem, qualis eſt in ſua origine, linguâ ſcilicet Hebræâ. Et propterea aſſumptâ illâ, quæ nomine B. Hieronymi circũfertur interpretatione iuxta Hebraïcam veritatem, & collatâ cum ea quæ circumfertur nomine LXX. Interpretum, & cum quatuor aliis modernis interpretationibus ex Hebræo immediatè, adhibui duos linguã Hebræam ſcientes (alterum Hebræum, magiſtrum linguæ illius; alterum Chriſtianum) cum pluribus vocabulariis linguæ illius: & coram me (exigente ſignificationes dictionum Hebræarum in lingua noſtra Latina vel vulgari, & eligente ſignificationẽ quæ magis quadrare contextui viſa eſt,) feci per ſingula verba vocatam Beati Hieronymi interpretationem reduci ad reſpondendum Hebræo textui de verbo ad verbum. Et ſic conflata eſt noua iſthæc interpretatio Pſalmorum de verbo ad verbum conſonans textui Hebræo; quam exponere ſtudui ſecundùm ſenſum tantummodo literalem.

Quanto ſtudio Auctor translationẽ ſuam ex Hebræo eduxerit?

Exponit Pſalmos ſolũ ſecundũ ſenſum literalem.

Fuit autem tanti laboris neceſſitas; quia niſi textus adſit talis, qualis eſt in ſua origine, iam non textus exponitur, niſi diuinando; ſed exponitur textus vt intellectus eſt ab illo interprete.

Teſtor ego quòd inter hos labores, dicebatur mihi ab interpretibus: Dictio Hebraïca ſonat hoc, ſed non apparet ſenſus niſi mutetur in hoc alterum. Reſpondebam ego auditis omnibus ſignificationibus: non ſit vobis curæ ſi ſenſus non apparet; quia non eſt veſtri officij exponere, ſed interpretari: interpretamini mihi ſicut iacet, & relinquatis expoſitoribus curam intelligendi: traducite textum vt iacet in Hebræo: & communẽ relinquatis nobis & Hebræis curam intelligendi textum ſic obſcurum: ſi ego non intellexero, alius intelliget. Sic quòd curaui vt de verbo ad verbum textum haberem Pſalterij, qualem habent Hebræi: vtinam aſſecutus ſim.

Sobriè autem intellige *de verbo ad verbum*: quia in nominibus nomen quidem nomini redditum eſt, ſed non genus generi, aut caſus caſui: quia impoſſibile eſt hæc efficere ſeruatâ cõgruitate Grammaticæ:

Hebræi carēt neutro genere.

maticæ: & tanto impossibilius quanto Hebræi carent genere neutro.

Dictiones quæ in Hebræo sunt in datiuo casu, notantur in margine, &c.

Verùm quia frequentissimus est in hoc Psalterio vsus casus datiui, curaui vt in margine annotaretur in casu datiuo dictio quæ intra textum mutata est in alterum casum, ob seruandam constructionem Verbi. Numerus autem redditus est numero: nisi quando *Deus* verus in plurali numero significatur (scilicet *Dij* aut *Domini*) interpretatum est in numero singulari: & in margine annotauimus in numero plurali: vt & mysterium non lateat, & erroris occasio in lingua Latina non detur.

Numerus 4. Versioni ex Hebræo affixum, significat nomē tetragrammaton Iehouah.

Quando autē nomen Dei tetragrammaton in textu habetur, in textu interpretatum est *Deus* aut *Dominus*: sed vel in margine dictione *tetragrammaton* vel notâ quaternarij numeri interlineari designabitur: vt mysterium palàm fit. Et licet Hebræi careant nomine tam comparatiuo quàm superlatiuo, & circumloquãtur illa: quia tamen nos habemus illa, si quandoque comparatiuũ aut superlatiuũ in hoc textu habebitur, nobis clarius redditum credimus verbum verbo: cùm nec mutatio constructionis interueniat.

In verbis quoque verbum verbo redditum est, & numerus numero, & persona personæ, & modus modo, & tempus tempori: nisi in gerundiis terminatis in *o*, quando habent subiectum, & prædicatum, hoc est personam agentem & patientem: quia Latinus sermo caret tali constructione. Et propterea consultò mutatio facta est in participium præsens casus ablatiui; Verbi gratia: *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion*, interpretatum est: *Conuertente Domino captiuitatem Sion*: sic enim seruatur etiam consignificatio temporis eiusdem per participium temporis præsentis, & congruitas constructionis.

Quibus modis & temporibus careāt Hebræi?

Et quia apud Hebræos modi verborum sunt tantum tres (Indicatiuus, Imperatiuus, & Infinitiuus) ideo nullum verbum inuenitur in hoc Psalterio Optatiui aut Subiunctiui modi. Quia quoq; apud Hebræos nullum est tempus præteritum nisi præteritum perfectum indicatiui modi, ideo nullum verbum præteriti temporis hìc habetur, nisi præteriti perfecti indicatiui. Et quia apud Hebræos nullum est præsens tempus, nisi imperatiui modi (& hoc in secunda tantùm persona) & infinitiui, & loco præsentis indicatiui participium præsentis temporis, ideo nullum verbum præsentis temporis hìc inuenitur nisi imperatiui in secunda persona & infinitiui modi.

Et si quãdoque inuenies iunctum verbum substantiuum præsentis temporis (*sum, es, est, sumus, estis, sunt*;) scito non esse posita ab interpretibus vt præsentia, sed vt partes integrantes præteritum perfectum: verbi gratia *persecutus est, consolatus sum*, & sic de aliis: & quandoque ex vi nescio cuius aduerbij significari in tertia persona præsentis, *est*. Et quia carent supinis & participiis futuri temporis, ideo nihil horum hìc inuenitur Et si quandoque offendes in participio futurum passiuum (puta *timendus*) scito illud respondere non participio, sed nomini verbali Hebræo.

Notãda circa constructionem textus.

Quæ omnia si, prudens Lector, consideraueris, scies primò omnem, exceptis aduerbiis, dictionem consignificantem tempus extra hæc sex (præteritum perfectum Indicatiui, Futurum Indicatiui, Præsens Imperatiui in secunda persona, Præsens Infinitiui, & Participium tam Præsentis quàm Præteriti temporis) ex officina esse Interpretum.

Scies secundò confusum esse apud reliquas interpretationes quid in textu Hebræo habeatur, in Præterito & quod in Futuro, quid Indicatiuè & quid aliter: dum interpretum arbitrio multa mutata sunt: & interpretationes non monstrant quæ ex quibus mutata sunt, & quæ immutata relicta sunt.

Desines tertiò mirari mutilam hanc interpretationem; & Hebraicæ linguæ paupertati id tribues. Cupies proinde mecum vniuersi Testamenti veteris interpretationem sic mutilam habere: & vtinam talis habita fuisset à priscis Patribus: quoniam iam haberemus expositum textum ipsum sacræ Scripturæ, & nõ textum confectum interpretum arbitrio.

Æquiuocatio dictionum frequens in Hebræa lingua.

Siste tamen pedem hìc: & scito cum vniuersa hac diligentia, duo superesse, quæ nulla vna interpretatio potest supplere. Alterum est æquiuocatio dictionum. Sunt enim omnes ferè dictiones Hebraicæ æquiuocæ. Quo fit vt textus Hebręus retineat suam ęquiuocationem: quælibet autem interpretatio restricta sit ad vnam significationem: si tamen vera æquiuocatio credenda est; nam rationabilius est quòd non propter æquiuocationem, sed propter extensionem contingat tam varia significatio interpretata in Hebraica lingua: quemadmodum in Latina lingua videmus extensis nominibus frequenter vocabula transferri ad alia significanda.

Alterum

Nomina apud Hebræos indeclinabilia.

Alterum est frequens inarticulatio casuum: apud Hebræos siquidem nomina omnia sunt indeclinabilia. Et licet consueuerit articulos præponere designantes cuius casus sint ibi nomina, non paucis tamen vicibus vtuntur nominibus sine aliquo articulo. Quo fit vt apud Hebręos hæc restent libera: in qualibet autem interpretatione habentur determinata ad certum casum.

Vnde tanta interpretationum varietas?

Ex his enim duobus contingit tanta interpretum varietas irreprehensibilis: quia in rei veritate dictio Hebraica capax est illius & alterius significationis, & indeterminata est ad hanc & illam constructionem. Crediderim ego linguę Hebręæ paupertatem tantam obtigisse ex ipsius antiquitate. Commune enim cùm sit omnibus artibus habere principia imperfecta, par est vt prima sermonis ars imperfecta fuerit.

Hæc de Hebræa lingua dixi expers literarum Hebræarum: vt cognoscatur ab omnibus quãtum nobis deest puri textus Hebræi in Testamenti veteris scripturis, & detur opera ad habendum textum purum. Hæc de litera.

§. II.

Duo circa sensum literalem seruanda. Vnica in quolibet Psalmo materia.

CIRCA sensum autem literalem duo (ambo rationi consentanea: alterum circa rem; alterum circa modum) seruare oportet.

Circa rem quidẽ, quòd quilibet Psalmus habet vnicam materiam, & non saltat de genere in genus: quamuis multis ad vnum & idem vtatur locis: à causis, ab effectibus, à contrariis, ab euentibus, à concomitantibus, à circumstantiis, & id genus reliquis. Exigit siquidem materiæ subiectæ vnitatem ipsa vnius cantici ratio: probat communis vsus scribentium exposcitq; diuina sapientia, *disponens omnia suauiter*: ac per hoc mouens Prophetam ad scribendum, prout homini congruit scribere vnum canticum, quod est seruare vnitatem materiæ in vno eodémque cantico.

Non omnimoda certitudo euidens hic exigenda est.

Circa modum verò, meminisse decet: quòd quemadmodum homo docilis non parem exigit certitudinem in omnibus (sed in Mathematicis certitudinem demõstratam, in Naturalibus certitudinem ex frequentibus naturæ operibus consurgentem, in Moralibus verò ex congruentibus rectæ rationi:) ita docilis nullus exiget hîc euidentem, omnimodã certitudinem: sed admittet certitudinem ex contextu partium consurgentem.

Quatuor viis materia Psalmi inquirenda. Ex titulo Psalmi.

Quibus seruatis, quatuor viis materia Psalmi inquirenda est. Primò ex titulo Psalmi, quando titulus materiam significat Psalmi. Et hæc via sufficeret si omnes Psalmi, tales haberent titulos.

Ex auctoritate Scripturæ.

Secundò ex auctoritate sacræ Scripturæ in nouo Testamento: verbi gratia: Dominus, *Matth.* 22. dicens Pharisæis quòd Dauid vocat Messiam Dominum, *Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis*: aperuit quòd Psalmus ille ad literam loquitur de Christo: & propterea clara est inde materia Psalmi illius: & sic de similibus.

Ex regula Apostolica.

Tertiò ex regula Apostolica, quâ vsi sunt principes Apostolorũ Petrus & Paulus. Petrus enim *Act.* 2. afferẽs verba Psalmi 16. & probans quòd non de seipso Dauid, sed de Messia illa dixit, vtitur hac ratione: scilicet, quia verba illa non verificantur de ipso Dauide: & hinc (supposito quòd erat Propheta, & promissus erat ei Messias, &c.) infert quòd verba illa ad literam dicit de Christo. Et rursus ibidem afferens Psalmum 110. *Dixit Dominus Domino meo*, eâdem ratione (quia scilicet non verificatur de Dauide) infert dictum de Christo. Paulus quoque *Act.* 13. probat verba Psalm. 16. dicta à Dauide de Messia eadem ratione: quia scilicet non verificantur de ipso Dauide. Quo fit vt ex horum Apostolorum vsu regulam didicerimus: quòd Psalmus quilibet Dauidis ea de ipso dicens, quæ de eo non verificantur, sed de Christo, intelligendus sit ad literam de Messia. Et per locum ab opposito, quilibet Dauidis Psalmus in prima persona ea dicẽs de ipso quæ de ipsomet verificantur, intelligendus est ad literam de ipso Dauide.

Ex contextu Psalmi.

Quartò colligendo materiam ex contextu Psalmi. Vbi enim quilibet aliarum dictarum viarum deerit, hac inquirere oportet materiam Psalmi. Quocirca per has vias sensum literalem inuestigaui, & exposui vtcunque. Suppleant quæso alij defectum meum.

Interlineares notula.

Interlinearem quoque non tam glossam quàm continuationis notulam apponere decreui: ne adeò horridus offeratur lectoribus textus purus tam mutilus.

§. III.

EXEQVENDO itaque intentum, ante omnia declarandum occurrit Psalmos dispersos fuisse & collectos sine ordine-

dine. Clarè siquidem hoc conuincitur ex notula appensa Psalmo 72. (*Deus iudicium tuum regi da*) dicente: *Finita sunt orationes Dauidis filij Isai.* Ex eo enim quòd multi Psalmi Dauidis post illum inueniuntur, clarè apparet sine ordine iunctos esse.

Psalmi sine ordine collecti.

Et si fiat vis in vocabulo *orationes*, non minus idem apparet: nam post illum Psalmum inuenitur Psalmus 86. inscriptus, *Oratio Dauid.* Sufficiens itaque testimonium inordinatæ collectionis prohibet notula illa.

Libri Psalmorũ nullus est titulus.

Deinde declarandum occurrit quòd titulus huius operis nullus est. Dominus *Luc.* 24. appellauit *Psalmos*, dicens: *Omnia quæ sunt scripta in lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me.* Petrus Apostolus *Act.* 1. appellauit librum Psalmorum, dicens: *Scriptum est in libro Psalmorum.*

Luc. 24.44.

Act. 1.20.

Quis Auctor Psalmorum?

Nullo autem extante titulo, nullus hic apparere potest auctor libri Psalmorum. Propter quod certant Doctores an Dauid fuerit auctor libri Psalmorum: & adhuc sub iudice lis est. Dicta autem notula appendix Psalmi 72. inscripti *Salomoni*, testatur Dauidem esse auctorem libri Psalmorum. Dicendo enim *finita sunt orationes Dauid filij Isai*, testatur primò Dauidis esse omnes Psalmos, quorum vltimus erat ille, *Deus iudicium tuum regi da.* Testatur secundò Psalmum illum quamuis Salomoni inscriptum esse Dauidis. Testatur tertiò Psalmum illum fuisse vltimum Psalmorum. Nam si non fuisset vltimus Psalmorum omnium, sed Psalmorum aliquorum quos fecisset Dauid, fuisset appensa hæc notula alicui Psalmo inscripto *Dauidi*, & non inscripto alteri. Ita quòd ex hoc quòd appendix est Psalmi inscripti alteri (scilicet Salomoni) habetur quòd Psalmus ille erat vltimus Psalmorum.

Et confirmatur hoc ex eo quòd si aliquorum tantùm Psalmorum finem denotaret, pari ratione in aliquo Psalmorum inscriptorum *Asaph*, debuisset appendi: *finiti sunt Psalmi Asaph.* Cum autem nulla finis inueniatur notula, nisi ista Dauidis, signum est quòd Psalmus iste vltimus Psalmorum fuerit, & Dauid auctor libri Psalmorum.

Et confirmatur adhuc: quia si alicui Psalmo inscripto alteri inuenta fuisset præposita huiusmodi inscriptio, *Incipiunt orationes Dauid filij Isai*, vnanimes asseuerassemus Dauidem auctorem libri Psalmorum. Pari ergo ratione idem asserendum videtur ex hoc quòd inuenitur in calce. Neque enim maior est auctoritas tituli in principio quàm in fine. Imò ex hac notula titulus libri confici potest, scilicet, *Incipiunt orationes Dauid filij Isai.* Vbi orationis nomen non vt distinguitur contra Psalmum seu Canticum, sed vt commune orationibus propriè dictis & canticis sumi testatur ipse Psalmus cui appensa est hæc notula: quoniam constat ipsum Canticum esse sicut & alios Psalmos, & non esse inscriptum orationis nomine, aut stylum orationis habere plus quàm alios Psalmos.

Accedit ad hæc, quòd Psalmi multi sine titulo probantur esse Dauidis: vt patet de Psalmo 2. *Act.* 4. & de Psalmo 95. *ad Hebr.* 4.

Psalmi multi sine titulo probãtur esse Dauidis.

Ex dictis quoque apparet responsio ad argumentum in contrarium ex nominatis aliis in titulis Psalmorum. Ex eo enim quòd sæpe dicta notula Psalmum inscriptum Salomoni (qui vnus inter decem auctores Psalmorum computatur) testatur esse Dauidis, clarè patet eâdem ratione Psalmos aliis inscriptos, Dauidis quoque esse: nam si Salomonem non saluant auctorem, quomodo alios saluabunt?

Superest tamen magnum argumentum ex auctoritate 2. *Paralip.* 29. Vbi clarè narrantur duo auctores Psalmorum; Dauid, scilicet & Asaph, Præcepitque Ezechias & principes Leuitis, vt laudarent Dominum sermonibus Dauid & Asaph videntis.

Quomodo tribuantur Dauidi & Asaph. 2. Paralip. 29.

Sed conciliari cum antedicta conclusione potest, distinguẽdo inter materiam Psalmi & Psalmum ipsum: & intelligendo quòd multorum Psalmorum materias ministrabant Dauidi, Asaph & filij Core & alij Prophetæ, Dauid autem formabat eas sub forma Cantici. Ipse enim egregius Psaltes in arte hac peritus, non solùm reuelata sibi, sed etiam reuelata aliis, in Psalmos redigebat: & propterea illorum quibus facta fuit reuelatio nominibus inscripti sunt. Et sic consonant scripturæ attribuentes Asaph & Dauidi.

Dauid egregius Psaltes.

Rationi autem consentanea apparet hæc conciliatio, ex eo quòd in eodem 29. cap. scribitur de Ezechia, Constituit quoque Leuitas in domo Domini cum cymbalis & psalteriis & citharis, secundùm dispositionem Dauid Regis, & Gad videntis, & Nathan Prophetæ: siquidem Domini præceptum fuit per manum Prophetarum eius. Hinc enim habetur quòd dispositio ordinis in solemnitate diuini cultus statuta à rege Dauide, fuit reuelata Prophetis: ita quòd Prophetæ suggerebant regi, & rex statuebat. Simili siquidem modo intelligendum est de multis Psalmis,

mis, quòd illi suggerebant materias, & Dauid condebat Psalmos. Et sicut dispositio solemnitatis cultus Dauidi regi vt auctori attribuitur, ita liber Psalmorum eidem attribuitur.

Cum his tamen omnibus stat quod aliquis Psalmus etiam secundùm formam in hoc libro contineatur qui non sit editus à Dauide: vt fortè est Psalmus 90. *(Domine refugium)* inscriptus Moysi: hoc enim non tollit quin Dauid sit auctor libri Psalmorum: modicum siquidem pro nihilo habetur.

§. IV.

Ordo in singulis Psalmis seruandus.

ORdo in quolibet Psalmo seruandus hic erit. Primùm titulus cum Psalmi materia: deinde Summarium Psalmi: postea personæ loquentes: & demum in partes duas (scilicet Propositiuam materiæ & Executiuam) quilibet distinguetur Psalmus. Animaduerti siquidem consueuisse Auctorem Psalmorum, in principio cuiusque Psalmi proponere materiam illius velut argumentum totius Psalmi.

VVLGATA EDITIO.

Psalmvs Primvs.

Vers. 1. *BEATVS vir qui non abijt in consilio impiorum: & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.*

2 *Sed in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte.*

3 *Et erit tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tempore suo.*
Et folium eius non defluet: & omnia quæcunque faciet prosperabuntur.

4 *Non sic impij, non sic: sed tanquam puluis quem proijcit ventus à facie terræ.*

5 *Ideo non resurgent impij in iudicio: neque peccatores in concilio iustorum.*

6 *Quoniam nouit Dominus viam iustorum: & iter impiorum peribit.*

IVXTA HEBRÆVM.

I.

Propheta. BEATITVDINES (sunt) viri qui non ambulauit in consilio impiorum: & in via peccatorum non stetit, & in sede derisorũ non sedit.

2 Sed in doctrina Domini [4] voluntas eius: & in doctrina eius meditabitur die ac nocte.

4 Nomen Dei quatuor literarum (Græcè tetragrãmaton, hoc signo 4 in interlineari denotabitur.

3 Et erit tanquam arbor plantata super riuos aquarum, quę fructum suum dabit in tempore suo: & frons eius non arescet, & omne quod faciet proficiet.

4 Non sic impij: sed verè tanquam (quum) gluma, quòd propellet ipsam ventus.

5 Propterea non permanebunt impij in iudicio: & peccatores in congregatione iustorum.

6 Quoniam noscens (est) Dominus [4] viam iustorum: & via impiorum peribit.

COMMENTARIVS.

Materia Psalmi.

TItulus nullus est. Materia Psalmi (vt ex decursu colligitur Palmi) est beatitudo iustorum innocentum. Testatur enim primus versiculus quod de innocentibus tractat; non infantibus, sed illis qui in lege Domini meditantur: & eorum prosperitatem prosequitur progressus Psalmi. Et aptè initium canticorum inchoat à beatitudine supremorum iustorum.

SVMMARIVM EST.

VIri declinantis à malo & adhærentis legi Domini, beatitudo est: quòd ipse quidem hic erit tanquam arbor plantata secus riuos aquarum, &c. Impij verò tanquam gluma propulsa à vento: in futura autem vita congregatis iustis, succumbent impij in iudicio: quia prædestinauit Dominus iustos, impij autem ex seipsis peribunt.

Persona loquens Propheta est.

Beatitudines duæ, præsentis vitæ, & futuræ.

BEATITVDINES. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Et erit.*

Circa literam aduerte quòd dictio propria pluralis numeri est, ita quòd caret singulari: sicut apud nos *nuptiæ* & *nundinæ*. Vnde sequitur quòd potest intelligi per plurale singulare. scilicet *beatitudo*, quæ hîc habetur in spe, & in patria habebitur in re: & possunt intelligi multæ beatitudines: altera in præsenti vita, altera in futura. Et est sensus: *Beatitudines* sunt *viri* seu beatitudo est viri, non cuiuscunque sed *qui non ambulauit*, &c. Intendit ergo Propheta in hac prima parte Psalmi proponere innocentum iustorum & præ-

Initio Psalmi.

mium (dicendo *beatitudines*) & meritum, in ſubſequentibus tribus negationibus ſpectantibus ad primam iuſtitiæ partem quæ eſt, declinare à malo; & duabus affirmationibus ſpectantibus ad alteram iuſtitiæ partem, quæ eſt facere bonum.

VIRI. Non excludit mulierem, ſed hominem à perfectiori ſexu (in quo rationis mentiſque vis præcipuè viget) ſignificat: vt viri nomine intelligas hominem ſecundùm illam partem, in qua ſpes eſt æternæ beatitudinis: hoc eſt, ſecundùm mentem. Et ſic nec mulier excluditur, nec homo ſecundùm partem ſenſitiuam: ſed ſecundùm mentem beatus in ſpe proponitur, futurus etiam ſecundùm hanc partem primò beatus in re.

Impÿ quinã propriè dicantur?

QVI NON AMBVLAVIT IN CONSILIO IMPIORVM. *Impÿ* propriè dicuntur omnes qui affectu vel opere contrariantur cœleſti patri vel patriæ: nam cùm *pietas* ſit quæ patri ac patriæ cultum officiúmque exhibet, *impietas* pietati contraria, affectu quidem ſolos ex intentione tendentes contra cœleſtem patrem aut patriam afficit: opere verò omnes exiſtentes in peccato mortali comprehendit: vtpote inimicos Dei. *Ambulare in conſilio impiorum*, eſt adhærere & operari ſecundùm impiorum conſilia abducentia à cœleſti patre aut patria.

Peccatores quinam?

ET IN VIA PECCATORVM NON STETIT. *Peccatorum* nomine intellige omnes declinantes à rectitudine legis, ſiue diuinæ, ſiue naturalis, ſiue ſcriptæ: *peccatum* enim communiſſimè ſumptum in declinatione à rectitudine conſiſtit: vnde & in naturalibus, *monſtra* dicuntur peccata naturæ: & in artificialibus, *errores* dicuntur peccata artis. Quo fit vt in moralibus (de quibus loquimur) *peccatores* dicantur qui à rectitudine legis declinant. *Via* itaque *peccatorum*, mos conſuetudóque eorum eſt: ac per hoc ſtare in via eorum, eſt hominem aſſueſcere moribus peccatorum.

Deriſores qui?

ET IN SEDE DERISORVM NON SEDIT. Appellatione *deriſorum* intellige eos qui ex intentione vel opere irrident bona opera, bene operantes, imitatores Chriſti & alia huiuſmodi. In quorum numero ſunt Philoſophi deridentes eos qui ſperant beatitudinem cœleſtis patriæ. Sunt & illi qui poſt hanc vitam dicent de Sanctis, vt habetur Sap. 5. *Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum*, &c. *Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore.* Sunt & illi qui æſtimauerunt luſum eſſe vitam noſtram: vt dicitur Sap. 15. Nec longè ſunt iÿ à quibus *deridetur iuſti ſimplicitas:* vt dicitur Iob 12.

Sap. 5. 3.

Iob 12. 4.

Sedes deriſorum quæ?

Et quia deriſores deſpiciendo & in riſum ſeu ludum ducendo ea quæ ſunt diuinæ gratiæ, inficiunt humanum genus peſte infidelitatis & auerſionis à bono, ideo meritò *ſedes deriſorum* appellata eſt ab effectu cathedra peſtilentiæ. Sedes deriſorum, auctoritas, doctrina, quies eſt eorúdem. In qua *ſedere*, eſt iudicare, quieſcere iudicando, ſiue docendo, ſiue diſcendo, &c.

Tria peccatorum genera generaliſſima.

Aduerte circa iſtas tres negationes. Et vide primò omnia genera generaliſſima peccatorum in his tribus comprehenſa, ſcilicet, peccatum *in Deum*, peccatum *in ſeipſum*, & peccatum *in proximum*. Et peccatũ quidem in Deum, percipe in impÿs cœleſtem offendentibus patrem: peccatum verò in ſeipſum, in peccatoribus turpes ſeipſos reddentibus actibus irrationabilibus: peccatum autem in proximum, in deriſoribus proximos contemnentibus.

Et eorũ tres cauſæ.

Vide ſecundò tres generales cauſas peccatorum, ſcilicet ſuaſionem in *conſilio*, exemplum in *via*, doctrinã ſeu auctoritatem in *ſede*. Vel etiam ſecundùm tres animæ partes, ſcilicet, fomitem ad malum, in *via*; intellectum practicum, in *conſilio*; intellectum ſpeculatiuum, in *ſede*. Ac ſi diceret: Quòd nec pronitate ſenſuum, nec conſilio, nec doctrinâ declinauit ad malum.

Tres peccatorum ſtatus.

Vide tertiò tres generales modos ſeu ſtatus peccandi, ſcil. mobiliter in hoc quòd *ambulauit:* firmiter, in eo quòd *ſtetit:* & quietè in eo quòd *ſedit*.

Vide quartò congruè reſpondere ſingula ſingulis: dum impiorum conſilium euitatur *non ambulando*; peccatorum via euitatur *non ſtando*; & ſedes deluſorum euitatur *non ſedendo:* quia mala *conſilia* quamuis euitare non poſſimus quin audiamus, criminoſum tamen eſt illa ſequi. Per vias quoque peccatorum non tranſire, impoſſibile nobis eſt: ſed in *via* peccatorum ſtare (hoc eſt firmare ſe) criminoſum eſt. Sedes demum irriſorum cognoſcere nos oportet (vt aduerſus hæreſes & hoſtes Chriſti conſurgamus) ſed in eorum *ſede* ſedere docendo aut diſcendo peſſimum eſt.

Vide quintò nihil horum ſuperfluere: nam ſunt multi qui etſi malis *conſilÿs* non acquieſcũt, *viâ* tamen (hoc eſt conuerſatione) peccatorum inficiuntur. Et ſunt qui licet conſilia & conuerſationem peccatorum vitent, à doctrina tamen Hæreticorum ſeu Philoſophorum corrumpuntur, dum putant illos vera docere.

Progreſſus malorum.

Vide ſextò progreſſum malorum eſſe, malum, peius, peſſimum, & iuxta hunc ordinem orationem progredi: quia malum eſt *ambulare in conſilio impiorum*, peius *ſtare*, &c. peſſimum *ſedere*. Ideo tali progreſſu omnium horum negatiuo, innocentiam deſcripſit à crimine quocunque.

Verſ. 2. SED IN DOCTRINA DOMINI VOLVNTAS EIVS. Secunda iuſtitiæ pars viri iſtius hîc incipit deſcribi. Vbi ſcito ſemel pro ſemper, quòd dictio Hebraica interpretata *doctrina*, verè ſignificat doctrinam, quia ad docendum ſpectat: ſed apud Hebræos appropriatur ad ſignificandum diuinam legem, cùm dicitur doctrina Domini. Ita quòd legem non ab actu ligandi aut legendi ſed ab actu docendi ſignificant. Et bene ad differentiam humanarum legum, quæ non docent ſed ligant: lex enim diuina non ad obligandum, ſed ad docendum humanum genus à diuino proceſſit lumine.

Doctrina quid apud Hebræos?

Leges humanæ ligant: diuinæ docent.

Lex Domini variè accipitur.

Doctrina itaque ſiue *lex Domini*, poteſt dupliciter accipi: primò pro ea quæ ſimpliciter & abſolutè eſt lex Domini. Et hæc eſt duplex ſcilicet lex naturalis & lex gratiæ; illa indita eſt nobis: iſta infuſa per Spiritum ſanctum intus in anima noſtra: vt ex Hierem. 31. Apoſtolus ad Hebr. 8. dicit. Ad illam ſpectant præcepta iuris naturæ: ad iſtam præcepta fidei, ſpei, & charitatis. Secundò pro ea lege Domini quæ ad tempus data à Domino eſt. Et hæc eſt etiam duplex, ſcilicet lex veteris Teſtamenti ſcripta à Moyſe & Prophetis, & lex ſcripta noui Teſtamenti, per Apoſtolos & Euangeliſtas ad nos deriuata. Ad quam ſpectant præcepta de Baptiſmo, de Eucharistia, &c. ſicut ad legem veteris Teſtamenti ſpectabant præcepta cerimonialia, &c. pro illo tempore.

Cur hic voluntatis meminit, non intellectus?

Meminit autem propheta non intellectus ſed *voluntatis:* eo quòd non ſumus boni quia bonum intellectum habemus, ſed quia bonam habemus voluntatem. Et quia voluntas noſtra ad hoc vt recta & bona ſit, regulanda eſt *lege Domini*, propterea propheta bonitatem viri ponit in conformitate

mitate voluntatis ad legem Domini. Et hoc denotat illa præpositio *in*, quum dicitur *in lege Domini voluntas eius*. Debet enim voluntas nostra esse in lege Domini,& non solùm sub lege: quoniam sub lege est, velit nolit: quia subiecta est etiam inuita legi Domini. Sed debet esse in lege tanquam *amans* in lege amata, tanquam *concupiscens* in lege desiderata, tanquam *gaudens* in lege de qua delectatur,& demum tanquam liberè *regulata* in regulante: hoc est, amplectens ipsam pro sua regula.

Voluntas in lege, quomodo.

Et in doctrina eius meditabitvr die ac nocte. Non sufficit ad beatè agere voluntas lege Domini, sed oportet in lege Domini meditari nocte & die: hoc est, quòd in lege Domini voluntatem habeat sic quòd die & nocte non satietur meditatione doctrinæ diuinæ.

Descriptio Beati.

Ex quibus omnibus habes descriptionem viri qui dicitur *beatus*. Descriptus enim est ex eo quòd non ambulauit in consilio impiorum, quòd non stetit in via peccatorum, quòd non sedit in sede derisorum, sed in lege Domini sic habet voluntatem quòd die ac nocte meditatur quæ sunt legis Dei. Hic inquam est beatus, huius sunt beatitudines.

Pars executiua.

Vers. 3. Et erit tanqvam arbor. Hîc incipit pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula *beatitudines* in hac vita, à statu. Secundò à contrariis negatis, ibi *non sic*. Deinde tractatur eadem particula in futura vita similiter, ibi *propterea*. Et quartò tractatur tota illa particula *qui non ambulauit* &c. ibi *quoniam noscens*.

Quatuor arboris conditiones.

Assimilatur beatitudo viri iusti in præsenti vita arbori habenti quatuor cōditiones. Prima est plātationis *super riuos aquarū*. Et hoc quoad radices vnde vegetetur. Secunda est quoad folia: de quibus dicitur, *& frons eius nō arescet*. Vbi scito quòd dictio Hebraica sonat initium arendi, quod apparet in frondibus arborum quum non irrigantur: huiusmodi enim initium ariditatis significatum est per inchoatiuum *arescet*. Tertia conditio est in fructu, continens & productionem fructus proprii (ne putaretur sicut *vitis expectata vt faceret vuas & fecit labruscas*, apud Isa. 5.) & tempore debito, ad excludendum fructus abortiuos. Quarta est vniuersalis profectus omnium concurrentium: hoc est, tàm præuiorum ad fructus productionem (vt sunt flores & huiusmodi,) quàm gummarum & similium. Intendit enim quòd omnia quæ facit arbor ad profectum ducet: vt ex his intelligas quòd sicut arbor ista est beata inter arbores, ita vir hic est beatus inter homines: vtpote qui licet natus in carne, natus in mundo, plantatus est à Deo in spiritu charitatis iuxta riuos à Spiritu sancto fluentium aquarum spiritualium gratiarum, diuinorum eloquiorum ac sacramentorum. ex quibus alitur & vegetatur qui non in solo pane viuit. Et quia (vt Hierem. declarauit) ad huiusmodi humorem mittit radices affectuum & meditationum, non timebit cùm superuenerit æstus concupiscentiarum aut persecutionum: sed *dabit* & verè dabit spontaneus *fructum* boni operis *suum*, non alienum (vt Scribæ Iudæorum dederunt fructum alieni boni operis, Magorum scilicet qui adorauerunt Christum) *in tempore suo*, alioquin prudens non esset: & *frondes* verborum eius *non arescent* terrenis vanitatibus aut minis: & quid per singula moror? *omne quod faciet ad perfectionem progredietur*, continuum profectum faciens: quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*: vt dicitur, ad Roman. 8.

Isai. 5. 4.

Vir beatus arbori comparatur.

Rom. 8. 28.

Vers. 4. Non sic impii. Non sufficit Prophetæ declarare beatitudinem iustorum in hac vita ex concursu tot bonorum ad similitudinem arboris, sed magnificat eam ex contraria dispositione impiorum, dicendo *non sic impij*: vt ex ista negatione intelligas quòd non vanè vir declinauit ab impiis, à peccatoribus, à derisoribus. Hæc enim differentia (scilicet quòd impii non sic sunt sicut arbor talis, cui similis est iustus) monstrat quàm vtiliter iusti declinant ab impiis.

Sed vere tanqvam glvma. Circa litteram aduerte quòd dictio Hebraica significat purgamentum grani leuissimum, quod in ventilatione à vento propellitur: quod est folliculus ille qui immediatè tegit granum: qui est leuior palea,& appellatur *gluma*.

Qvod propellet ipsam ventvs. Gluma habet duplicem statum: alterum cùm tegit granum; alterum cùm propellitur à vento. Et dum tegit quidem granum, vtilis est: dum autem propellitur, pro nihilo habetur. Vt ergo intelligeres quòd impij in hac vita assimilantur & *glumæ vtili*, non sibi sed alij (quia reprobi in hac vita sunt non propter se sed propter electos:)& *gluma vento exposita*, quia secundùm seipsos ferè nihil sunt,& *circumferuntur à vento doctrinæ in nequitia hominum*, vt dicitur ad Ephes. 4. ideo adiunxit quòd *propellet ipsam ventus*: vt vel sic intelligeres quantùm distat impius à iusto comparato arbori radicatæ, fructuosæ, proficienti &c. dum impij comparantur rei propter aliud,& quæ pro nihilo habetur vento commissa.

Gluma quid?

Impij glumæ similes.

Ephes. 4. 14.

Vers. 5. Propterea non permanebvnt. Tractatur hîc consequenter beatitudo viri iusti in futura vita. Tractatur autem simul cum miseria impiorum: vt quemadmodum vtrorumque status in hac vita prætractatus est, illorum beatus, istorum miser (tum ex negatione bonæ dispositionis arboris, tum ex affirmata similitudine ad glumam propulsam à vento:) ita nunc futura miseria impiorum describitur ex negatione permanendi in iudicio & congregatione iustorum.

Vbi Propheta prosequitur metaphoram inductam de assimilatione impiorum ad glumam. Et intendit ad literam, quòd sicut nec in ventilatione tritici, nec in congregatione eiusdem in horreum permanet gluma; ita nec in iudicio separationis bonorum à malis, nec in congregatione iustorum quasi in diuina horrea, in cœlestem patriam, permanebunt impij. Et ad hoc directè tendit *propterea*, ad hoc tendit *iudicium* consequenter introductum, ad hoc tendit *permanere*, ad hoc tendit *congregatio iustorum*. Vsus siquidem est Luc. 3. Ioannes Baptista, hoc loquendi modo dicens: *cuius ventilabrum in manu eius, & mundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum* &c. Ac si apertè Propheta ex similitudine inducta induceret: Propterea quia impij sunt tanquam gluma quæ vento exponitur, consequens est quòd *in iudicio* tanquam in ventilatione *non permanebunt impij*: & similiter *in congregatione iustorum* tanquam in congregatione tritici in horreum non permanebunt impij. Vbi clarè describitur simùl iustorum electio & impiorum reprobatio. Spectat autem sententia hæc ad iudicium futuræ vitæ, cui reseruatur separatio iustorum ab impiis: interim enim permixti sunt; & in iudicio præsenti impij sæpe permanent

Luc. 3. 17.

In iudicio nō permanebunt impij tanquā gluma.

nent indemnati & absoluti, imò & victores. Vnde ex eo etiam quòd negatur impios permansuros in iudicio apparet quòd de iudicio futuræ vitæ (in quo solo constat impios non permanere, sed damnari) sermo est. Et nota quòd Propheta transit à singulari in pluralem numerum iustorum: vt intelligas quòd appellatione viri beati non significauit singularem aliquem virum, sed genus iustorum

Vers. 6. QVONIAM NOSCENS DOMINVS. Vide prudentiam Prophetæ: redit ad principium Psalmi, reddens simul rationem & separationis iustorum ab impiis conclusam ex metaphora glumæ, & assertæ beatitudinis iustorum ex merito declinationis à viis iniustorum. Totum illud, *ambulare in consilio impiorum, stare in via peccatorum, sedere in sede derisorum,* via impiorum est: totum verò illud, *voluntas in lege Domini, meditari die ac nocte in doctrina Dei*, via iustorum est. Vtraque hîc tractatur, & ex meritis viarum reddit Propheta rationem terminorum & præmiorum. De illa dicitur *peribit*, & non additur *à Domino:* quia suapte natura via impiorum interitus est: Oseæ 13. *Perditio tua Israel ex te.* (Oseæ 13.9.)

Econtrà via iustorum Deo attribuitur, *noscens Dominus viam iustorum.* Ex hoc namque quòd è regione notitia opponitur ad interitum, apparet quòd non de notitia simplici (quippe quâ Deus nouit vtrorumque vias) sed de notitia salutari imò beatrice est sermo: qua Dominus insipientibus virginibus dicet Matth. 25. *Amen dico vobis: nescio vos.* Dico autem *beatrice:* ne plus mali impiorum interitus, quàm boni iustorum diuina notitia significet. (*Notitia Dei beatr.*) (Matt. 25. 12.)

Perspiciendo quoque quòd diuina hæc notitia refertur ad viam iustorum, & affertur per coniunctionem *quoniam*, vt ratio separationis iustorum ab iniustis, apparet quòd de notitia diuinæ prædestinationis (ad quam spectat amica notitia disponere viam iustorum ad cœlestem patriam) est sermo. De qua Apostolus 2. ad Timoth. 2. *Firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc, cognouit Dominus qui sunt eius.* Ex eo namque quòd Deus prædestinauit viam iustorum, & via impiorum ex se peribit, fiet quòd impij nec in iudicio discussionis meritorum, nec in congregatione iustorum ad cœlestem patriam permanebunt. Amen. (2. Tim. 2. 19.)

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

II.

VERS. 1. *QVARE fremuerunt gentes: & populi meditati sunt inania?*

2 *Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum: aduersus Dominum & aduersus Christum eius?*

3 *Dirumpamus vincula eorum: & proijciamus à nobis iugum ipsorum.*

4 *Qui habitat in cœlis irridebit eos: & Dominus subsannabit eos.*

5 *Tunc loquetur ad eos in ira sua: & in furore suo conturbabit eos.*

6 *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius: prædicans præceptum eius.*

7 *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

8 *Postula à me: & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

9 *Reges eos in virga ferrea: & tanquam vas figuli confringes eos.*

10 *Et nunc reges intelligite: erudimini qui iudicatis terram.*

11 *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.*

IVXTA HEBRÆVM.

II.

Propheta. QVARE conuenerunt gentes: & populi loquentur inane?

2 Erexerunt se reges terræ, & principes consiliati sunt simul: super Dominum * & super Christum eius.

3 *Reges, &c.* Dirumpamus vincula eorum: & proiiciamus à nobis funes eorum.

4 *Propheta* Sedens in cœlis ridebit: Dominus † deridebit * eos.

5 Tunc loquetur ad eos in indignatione sua: & in ira sua terrebit eos.

6 *Deus.* Et ego præfeci regem meum: super Sion montem sanctitatis meæ.

7 Narrabo ad promulgandum præceptum. *Messias.* Dominus * dixit ad me. *Vox Dei recitata à Messia.* Filius meus tu, ego hodie genui te.

8 Postula à me: & dabo gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.

9 Confringes eos in virga ferri: vt vas figuli franges eos.

10 *Propheta.* Et nunc reges intelligite: castigamini iudices terræ.

11 Seruite Domino * in timore: & lætamini in tremore.

† *Domini mei.*
* *eis.*

12 Oscula

12 *Apprehendite disciplinam nequando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.*

13 *Cum exarserit in breui ira eius: beati omnes qui confidunt in eo.*

12 Osculamini filium, nequando irascetur & peribitis a via: quoniam ardebit velut parum abest furor eius: beatitudines erunt omnium sperantium in eo.

COMMENTARIVS.

Dauid auctor huius Psalmi, ex Scriptura. Act. 4. 25.

TItulus nullus est. Auctor eius fuit Dauid: vt Domini discipuli Act. 4. attestati sunt orantes: *Domine qui Spiritu sancto per os patris nostri Dauid dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania: astiterunt reges terræ, principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius.*

Materia. Act. 4. 27. Act. 13. 33. Hebr. 1. 5.

Materia de qua tractat Psalmus hîc, determinata est primò auctoritate eorundem discipulorum, cùm subdunt: *Conuenerunt enim verè in ciuitate ista aduersus sanctum puerum tuum Iesum quem vnxisti, Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israël.* Deinde auctoritate Pauli Apostoli Act. 13. ad probandum Deum adimplere promissionem suam resuscitando Iesum, allegantis hunc Psalmum & dicentis: *Sicut & in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et rursus ad Hebr. 1. ad probandum Christum esse supra Angelos inquit: *Cui aliquando dixit Angelorum, filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ex quibus omnibus collatis cum litera Psalmi, habetur materiam huius Psalmi esse regnum Christi: hoc est, Christum esse verè Dei Filium datum à Deo in regem totius mundi.

SVMMARIVM EST.

P*Ropheta introducit mundum insurgentem contra fidem Messiæ, Deúmque ac Messiam Dei filium contestantes veritatem fidei Christianæ: ac deinde monet reges & principes vt ex amore subeant iugum Dei ac Messiæ, tum metu æterni interitus, tum spe beatitudinis æternæ.*

Personæ loquentes in hoc Psalmo sunt quatuor: Propheta, Reges ac populi simul, Deus & Christus.

Vers. 1. Quatuor pugnantes in hoc Psalmo: duo impugnati, &c.

QVARE. Diuiditur Psalmus iste in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi: *sedens in cœlis.* In propositione materiæ collige quatuor pugnantes: scilicet gentes, populos, reges, & principes: duos impugnatos; scilicet Dominum & Christum: quatuor præparationes; scilicet, *conuenerunt, consiliati sunt, erexerunt se, locuti sunt inane:* duo ad quæ conuenerunt: scilicet ad *dirumpendum vincula*, & *proijciendum à se funes* Dei & Christi.

Quare, causam quærit finalem: non eâ ratione quòd Propheta nesciens seu dubitans quærat, sed arguendo & damnando: ponens per huiusmodi verba ante populorum regúmque oculos suum errorem: significans per hoc quòd frustra pugnant nitentes contra Dominum & Christum eius agere. Simili siquidem modo consueuimus arguere infimos pugnare tentantes contra magnates: Quare pugnas contra eum contra quem præualere non potes?

Cur Prophetæ vtantur Præterito pro Futuro.

CONVENERVNT. Quamuis inter se dissiderent gentes, in hoc tamen conuenerunt. Et vtitur Propheta præterito pro futuro propter certitudinem prophetiæ: apud quam ita sunt certa futura ac si essent præterita. Et huius regulæ memento in similibus: ne sæpe oporteat replicare.

GENTES. Nationes extra legem Mosaïcam.

ET POPVLI. Iudæorum. LOQVENTVR INANE. Obiectiones tum Iudæorum, tum Gentilium contra fidem Christi inanes meritò dicuntur: tum secundùm seipsas; quia contra veritatem: tum secundùm effectum; quia *portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Mat. 16. 18.

Vers. 2. EREXERVNT SE REGES TERRÆ. Quantum erexerint se reges terræ contra fidem Christi, innumera Martyrum multitudo testatur.

ET PRINCIPES CONSILIATI SVNT SIMVL. Non solùm gentes & populi conuenerunt, sed etiam principes in vnam conclusionem definitis consiliis coierunt.

Deus in veteri Testamento frequentissimè vocatur Dominus.

SVPER DOMINVM. Materia conuentus & consilij significatur *Dominus.* Sic enim in veteri Testamento ab Hebræis frequentissimo vsu nuncupabatur Deus. Et hoc sufficiat semel pro semper. Verè namque non super humanum regem aut regnum, consilium inierunt, sed super Deum verum: dum ad hoc nitebantur vt Deus non haberetur Dominus, sed quasi non curã habens rerum humanarum. ET SVPER CHRISTVM EIVS. Iesum *vnctum Spiritu sancto & virtute:* iuxta verbum Petri Apostoli Act. 10. & *oleo exultationis præ participibus suis:* iuxta Psalmum 45. Intelligitur enim *Christi* nomine Messias, ab vnctione, quâ reges vngebantur, nominatus. Signanter autem dicitur *eius*, id est, Domini: quia singularissimè Christus est Domini per gratiam vnionis personalis. Et verè *aduersus Christum* pugnauit mundus; primò occidendo ipsum: & postea persequendo ipsum in discipulis eius. Vnde & ipso Saulo persequenti discipulos ait: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Act. 9. Act. 10. 38. Psalm. 44. 8. Act. 9. 4.

Præcepta fidei vocantur à gentibus vincula & funes.

Vers. 3. DIRVMPAMVS VINCVLA EORVM. Scilicet Domini, & Christi eius. Vox hæc est regum, principum, gentium, & populorum, velut conclusio in qua pari consilio ex inanibus rationibus conuenerunt. Vbi nota ex regum populorúmque fastidio ac contumelia in Christum, appellari præcepta fidei & religionis Christianæ *vincula & funes:* tanquam sint animorum humanorum ligamina, tollentia libertatem humani animi. Aptè autẽ prosequendo metaphoram vinculorum, dicunt reges & populi: *Dirumpamus vincula & funes proijciamus à nobis*, procul pellamus à nobis, ab animis nostris.

Pars executiua.

Vers. 4. SEDENS IN CÆLIS. Vox ista Prophetæ est: & hîc incipit pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *quare*, &c. Secundò illa

illa *super Dominum*, ibi: *& ego*. Tertiò illa *super Christum*, ibi: *Dominus dixit*. Quartò illa *reges*, &c. ibi: *& nunc reges*.

Circa literam aduerte quòd dictiones Hebraicè sonant paruipendere rem, deducendo in iocum seu in risum: quod Interpretes variis nominibus explicant. Sed parum refert: quoniam metaphoricè assumuntur: Deo enim nihil horum conuenit nihil metaphoricè. Vbi aduerte in hominibus pugnantibus aduersus Christi regnum duo inueniri: scilicet offensam Dei & conatum seu pugnam contra ipsum. Et iuxta hæc duo duas Dei dispositiones Propheta inducit. Respectu quidem pugnæ & conatus paruipensionem: quam describit per metaphoram actus ridendi & irridendi. Et pulchrè causas irrisionis apponit duas ex parte Dei: alteram ex loco, dicens: *sedens* seu *habitans in cælis*. Si quis enim contra Solem aut Lunam pugnaret, irridendus meritò esset: multo autem magis irridendi inducuntur reges & populi, contra habitantem in cælis pugnantes. Alteram ex immensitate potestatis, dicens: *& Dominus*, non horum aut illorum, sed simpliciter & absolutè *Dominus*: quo significatur Dominus vniuersorum. Irridendi siquidem inducuntur à Domino: vtpote sciente & potente omnia impedire. Vnde & in Actibus Apostolorum cap. 4 orantes discipuli dicunt quòd *Conuenerunt Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israël facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri*. *Eos* in Hebræo est datiui casus.

Deus irridet rebelles dupliciter.

Act. 4. 28.

Vers 5. Quoad offensam verò Dei subiungit Propheta non esse ducendam in risum, sed puniendam dicens: TVNC LOQVETVR. Vbi prius *indignatio*, & deinde *ira* ponitur: vt duplex punitio significetur. Altera verborum in indignatione. Et hæc erit sententia indignati iudicis: *Ite maledicti in ignem æternum*. Altera effectus in eis: cùm ira (hoc est iustitia vindicatiua) puniet eos. Et vocatur effectus, iste terror, seu conturbatio, seu stupefactio: quoniam (vt dicitur Sap. 5.) *videntes impij* tempore iudicij iudicium Messiæ & iustos, *turbabuntur & stupebunt in subitatione insperatæ salutis*, &c. Quòd autem dicitur *tunc*, significat quòd non nunc (hoc est in præsenti vita) sed tunc in alia vita habitator cæli vindictam faciet. Ex his duobus habes à Propheta monstratum quòd & vanè, & cum damno proprio *conuenerunt gentes*, &c. *aduersus Dominum*, &c. & meritò fuisse omnes reprehensos, quare conuenerunt, &c.

Duplex punitio.

Mat. 25. 41.

Sap. 5. 2.

Vers 6. ET EGO PRÆFECI. In litera ista, commutata est à LXX. persona loquens: nam in Hebræo introducitur Deus loquens actiuè, *& ego præfeci*. LXX. autem introducunt Messiam loquentem: & mutarunt actiuam in passiuam, *Ego autem constitutus sum rex*.

Tractatur itaque hîc illa particula, *super Dominum*, dum introducitur Dominus alloquens mundũ, attestans mundo pugnanti contra Christum tria de Christo: scilicet quòd ipse Deus constituit eum regem: & quòd constituit eum super omnia, & quòd cõsummatus omnino est per Messiam præcepta Euangelica. Primum horum significatur dicendo, *& ego præfeci regem meum*. Ac si apertè diceret: non homines, non sidera, non aliqua creata causa, sed *ego* præfeci, constitui, orditus sum, *regem*, Messiam, *meum*. Non dixit, secundùm cor meum, sed *meum*: vt intelligas de illo ipsum rege loqui qui solus est rex eius: tum ob gratiam vnionis personalis: tum ob regni & regiminis proprietatem. Solus namque Christus in vniuerso regimine suo quæsiuit ea quæ solius Dei sunt: ac per hoc appellatur à Deo *rex meus*: vtpote quæ mea sunt, solummodò quærens.

Tria de Christo Deus asserit.

SVPER SION MONTEM SANCTITATIS MEÆ. Attestatur Deus consequenter quòd constituit regem suum super omnia: non enim dicit *in Sion*, sed *super Sion*: vt intelligas non locum in quo constituit eum regem, sed locum subiectum regi. Et quia non absolutè dicitur *super montem Sion*, sed apponitur *sanctitatis meæ*, significatur quòd de monte Sion quatenus sanctus Deo (hoc est sanctificatus ipsi Deo) est, loquitur. Mons autem Sion sanctus Deo est propter templum Dei in eo, propter sacrificia Deo ibi oblata, propter legem quæ ibi prædicabatur. Vnde montem Sion sanctitatis esse sub rege Christo, est, diuinum cultum diuinámque legem subesse regi Christo: iuxta verbum Domini in Euangelio Matth. 12. *Etiam sabbati Dominus est filius hominis*. Et per hoc respondet Deus Iudæis impugnantibus Christum quòd tollat Sabbatum, cultum templi & cerimonialia veteris Testamenti: *Ego*, inquit Dominus, *præfeci regem meum super Sion montem sanctitatis meæ*: in quo includuntur omnia legalia. Vnde & statim de Euangelica lege adiungit, *narrabo*, &c. Nec vacat mysterio etiam simplex nominatio montis Sion: quoniam hinc significatur thronus Dauidis, qui sedem regiam constituit in monte Sion: vt intelligas de Messia super solio Dauidis promisso sermonem hunc haberi.

Mons Sion sanctus propter templũ.

Matth. 12. 8.

Mons Sion, thronus Dauidis.

NARRABO, seu annunciabo, AD PRÆCEPTVM. Tanquam dicens Deus mundo: Vos quidem contra me & Christum pugnatis, & extinguere nitimini præcepta Euangelica: quantumcunque frematis & pugnetis, nihilominus velit nolit mundus, narrabo seu annunciabo per Christum ad præceptum: hoc est promulgabo Euangelicam legem: *narrare* enim *ad præceptum*, est manifestare vim præcepti. Et aptè non dixit: imponam præceptum, apponam iugum præcepti, sed dixit, *narrabo ad præceptum*: vt non præcepti impositio (quæ velut onerosa abiecta est à dicentibus, *dirumpamus vincula eorum, & proyciamus à nobis iugum ipsorum*) sed manifestatio quæ beneficium est, significetur. Euangelica prædicatio est narratio non hominis, sed Dei, ad præceptum salutiferum humano generi.

Vbi nota Euangelica præcepta narrari non ab homine sed à Deo: vt non putet mundus præcepta fidei, & de Baptismo & Eucharistia, &c. esse admonitiones humanas aut mandata hominum, sed Dei: loquitur enim Deus in prima persona, dicens *narrabo*.

Præcepta Euangelica nõ ab homine, sed à Deo.

Vers. 7. DOMINVS DIXIT AD ME. Tractatur illa particula *super Christum eius*. Introducitur siquidem Christus ipse testificans mundo de seipso triplicem veritatem, scilicet se esse verum Deum, se esse verum Dominum super omnes homines, & se esse iudicem vniuersorum: ita tamen quòd hæc omnia fatetur se habere à Deo.

Triplex veritas de Christo.

Circa attestationem autem deitatis eius plura sunt mysteria quàm verba: & nisi vt discussa & prolixis sermonibus declarata à sacris Doctoribus sciremus, longo esset opus tractatu. A quo abstinentes, notandum summariè duximus quòd

in

in his verbis *Dominus dixit ad me*, duo significantur, alterum in superficie, hoc est, Dominus locutus est mihi: alterum in profundo latens: hoc est, Dominus protulit me Verbum: *dicere* enim est proferre verbum. Et sicut *dicere* sensibiliter est proferre verbum sensibile, ita *dicere* intellectualiter est proferre verbum intelligibile. Ita quòd verbum est ad quod terminatur *dicere*, & quod producitur per actum dicendi. Et propterea significanter adiuncta est propositio *ad*: ita quòd non ait, *Dominus dixit mihi*, (per quod significaretur persona Christi audiens Dominum dicentem) sed ait: *Dominus dixit ad me*, producendum simul & productum per ipsum dicendi actum. Et per pronomen *me* (cùm demonstretur substantia Messiæ) significatur subsistentia Verbi producti: ita quòd non est verbum illud accidens aliquod, quale est verbum intelligibile in mente nostra, quod scilicet nostrâ intelligentiâ formamus in nobis: quod constat esse accidens & non subsistens, quod intelligitur & non intelligit: Verbum autem diuinum demonstratum per pronomen *me*, ex hoc ipso significatur per se subsistens & intelligens Dominum dicentem. Aduerte quoque quòd persona Messiæ quæ introducitur alloquens mundum recitando ea quæ habet à Deo, est secundùm veritatem duarum naturarum: diuinæ scilicet & humanæ, & secundùm diuinam naturam terminat istud *dicere*, latens in profundo huius literæ: *Dominus dixit me*, suum *dicere* terminauit ad me: secundùm autem humanam naturam terminat alterum *dicere* quod in superficie intelligitur: nam & ab initio conceptionis Christi in vtero matris locutus est Deus animæ Christi per visionem beatam: ita quòd Verbum caro factũ ex tunc audiuit Deum dicentem sibi: *Filius meus es tu*. Et hoc *dicere* superficiali vsus videtur Apostolus ad Hebr. 1. dicens: *Cui aliquando dixit Angelorum, filius meus es tu?* Et hoc vtuntur legentes, *Dominus dixit mihi*. Et hoc non vacat mysterio: quia huiusmodi *dicere* diuinum non solùm est dicere, sed facere: & ideo per hoc ad literam significatur quòd Deus non solùm verè appellauit me filium, sed effecit: pro quanto effecit vt ego homo essem filius Dei: *dixit* enim, hoc est, effecit mihi homini: Tu Messia es filius meus naturalis ratione diuinæ naturæ. Simul siquidem fecit Deus filium suum esse hominem & hominem esse filiũ suum, quando Verbum caro factum est.

Dicere diuinum quid?

Hebr. 1. 5.

FILIVS MEVS ES TV. Vbi nota quòd in istis sensibilibus *filius* appellatur & est *qui vitali actione à viuente ex propria substantia in similitudinem propriæ naturæ viuens productus est*. Et licet hæ conditiones in substantiis spiritualibus creatis inueniri non possint, & propterea nulla earum habet filiũ aut patrem (quia nulla earum ex propria substantia potest generare sibi similem) in diuina tamen natura Verbum quod à Deo dicitur est etiam verè & propriè filius: quoniam viuens persona est, & à viuente producitur ex Dei substantia per vitalem generationis actum in eandem naturam, ita quòd ex vi suæ productionis est similis producenti. Et propterea huiusmodi productio actiuè vocatur *generatio*: passiuè vero vocatur *natiuitas*. Et propterea ad probandam filiationem verè & propriè, adiungitur: *Ego genui te*: hinc enim non solùm persona Messiæ distinguitur à persona patris (quia nullus generat seipsum, & diuersitas personarum significatur per pronomina *ego* & *te*: constat enim pronomina hæc personas demonstrare) sed etiam significatur distinctio illius & à Spiritu sancto & ab vniuersis creaturis: quia nec Spiritus sanctus est genitus à Deo, nec creaturæ sunt propriè loquendo genitæ à Deo, sed factæ: iuxta illud: *dixit & facta sunt*: Psal. 148. 5.
& *per ipsum omnia facta sunt*. Per hoc ergo quòd Ioan. 1. 3.
dicitur *filius meus*, naturalis filius significatur; & propterea probatur vera naturalitas, quia *ego hodie genui te*.

Filius quid?

Verbũ diuinũ est verè & propriè filius.

Et vide quàm subtiliter multiplex perfectio illius generationis significatur: generatio siquidem illa quatenus spiritualis & intellectualis, significatur per *dicere*, *Dominus dixit*: quatenus verò naturalis ac substantialis, significatur per *generare*, *ego genui*: quatenus verò in similitudinem perfectam, significatur per filiationem, *filius meus*: quatenus completa est, per verbum præteriti temporis, *dixi*, *genui*: quatenus æterna est, per aduerbium præsentis *hodie*: quod non tempus præsens, sed præsens stans semper absque quacunque successione denotat: dicendo enim *Ego hodie genui te*, significat quòd non heri (hoc est in præterito) sed *hodie*, hoc est in æternitate nesciente præteritum aut futurum, *genui te*, perfeci generationem tui. Oportuit autem miscere *genui* cum *hodie*: quia quæ apud nos sunt generationes si sunt in præsenti, non sunt adhuc perfectæ; & si sunt perfectæ, non sunt præsentes, sed præteritæ: Christi autem filij Dei natiuitas est semper perfecta, & semper præsens: & propterea significatur per *genui hodie*.

Quàm subtiliter Verbi diuini generatio hic significatur.

Directè ergo respondet Messias mundo meditanti inania de ipsius deitate, quòd non seipsum fecit Deum, quòd non hominum opiniones faciunt ipsum Deum, sed quòd Dominus *dixit ad me*, *filius meus* naturalis *es tu* quia *ego hodie genui te*.

Vers. 8. POSTVLA A ME. Prosequens Messias verba Dei ad se, narrat dispositionem diuinam de dominio suo super gentes & vniuersum orbem. Et per petitionẽ seu postulationem intellige orationem & meritũ Christi, secundùm quòd homo. Ita quòd dicere *postula à me*, est dicere, oratione & merito obedientiæ, passionis, &c. recurre ad me. Vbi considera diuinæ prouidentiæ ordinem: quòd licet prædestinauerit ab æterno daturum se Christo gentes, vult tamen rogari ab ipso Christo, vult vt Christus per obedientiam & passionem, &c. assequatur dominium gentium. Et ratio est: quia Deus vult per media congrua disponere & conducere res ad finem. Et ad literam Christus hoc adimpleuit, & rogando patrem vt clarificaret ipsum, & obediendo vsque ad mortem: *propter quod*, inquit Apostolus ad Philip. 2. Philip 2. 9.
Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, &c. *vt in nomine Iesu omne genu flectatur*, &c.

Voluit Pater vt Christus per obedientiã & passionem suã assequeretur dominium gentium.

ET DABO GENTES. Dicitur *postula* in præsenti & *dabo* in futuro: vt intelligas petitionem spectare ad tempus viæ, quo Christus in hoc mundo præsens fuit viator: *dare* autem *gentes*, spectare ad tempus futuræ immortalitatis quã Christus resurgendo consecutus est. Promittuntur autem nunc gentes Christo qui prius descriptus est Rex super Sion: vt intelligas tam eos qui sub lege sunt Moysi, quàm eos qui extra legem sunt, subiectos esse Christo à Deo.

HÆREDITATEM TVAM. Duplex insinuatur mysterium. Alterum spectans ad dignitatem gentium, quòd non quomodolibet sunt datæ Christo,

Duplex hic insinuatur mysterium.

Christo, sed æstimatæ per modum hæreditatis: ita quòd sunt electæ in hæreditatem Christi sicut populus Israël fuit quondam electus in hæreditatem Dei: dicente Moyse Deuteronom. 4. *vos tulit Dominus vt haberet populum hæreditarium.* Alterum spectans ad dignitatem Christi: vt non vno tantùm modo (scilicet per orationem & meritum) sed alio etiam modo, scilicet iure hæreditario, gentes habeat subiectas: *est* enim (vt ad Hebr. 1. dicitur) *constitutus a Deo heres vniuersorum.* Et hoc quadrat præmissis: quia appellatus est filius, non adoptiuus, sed naturalis ipsius Dei: *quod si filius, & hæres*: vt dicitur ad Galat. 4.

Deuter. 4. 20. Hebr. 1. 2. Galat. 4. 7.

Et possessionem tuam. Licet Christo resurgenti totius vniuersi dominium collatum sit (dicente ipso, Matth vltimo: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*) possessio tamen non tunc, sed postea conferenda relicta est. Et possessionem quidem cæli accepit ascendendo super omnes cælos: possessionem verò totius terræ accepturus est veniens in potestate ad iudicandum: tunc enim dabit Deus illi terminos angulos, latera, confines terræ in possessionem eius. Sunt autem termini terræ, Oriens, Occidens, Auster, & Septentrio.

Mat. 28. 18. *Possessionem cæli & terræ quando acceperit Christus?*

Vers. 9. Confringes eos. Iudicem se institutum esse à Deo subiungit, ab actione punitiua regum & populorum qui conuenerunt contra eum. Et iudicium per virgam ferream aptissimè significatur: quoniam iuxta Psalm. 45. *virga regni Christi, est virga directionis*: virgam autem directionis oportet esse inflexibilem: alioquin quãtùm flecteretur, tantùm declinaret à recta directione. Et propterea dicitur *virga ferri.* Et significatur ad literam iudicium Christi inflexibile, quia nullum malum impunitum relinquit: cùm de omni verbo ocioso reddituri simus rationem. Hac ergo excellentissimâ rectitudine, quâ pascuntur animi electorum à Christo, hac eadem conterentur mali, pro omnibus suis culpis pœnas daturi. Et quoniam pronomen *eos* demonstrat superiùs nominatos (populos scilicet, reges, &c.) ideo duo significantur: Primò nullius culpæ eorum impunitas, per confractionem eorum in virga ferri inflexibilis. Secundò facillima facultas puniendi illos, per fractionem eorum tanquam vasorum testeorum. Hæc sunt quæ Deus & Christus attestantur mundo de veritate deitatis Christi & regni eius.

Psalm. 44. 7. *Virga ferrea significat Iudicium Christi.*

Vers. 10. Et nunc reges. Monet Propheta gentes, populos, principes & reges in principio Psalmi introductos: sed gentes & populos monendos censet in suis capitibus, & propterea sermonem dirigit ad reges & iudices tanquam ad capita, quoniam alij sequuntur vestigia maiorum. Dixerat superius, *tunc loquetur in ira sua*: & propterea contra illud *tunc*, ait, *& nunc*, hoc est in præsenti vita non expectando illud *tunc*, *intelligite*, interius penetrate, *castigamini*, passiones animi castigate vt intelligatis monitionem Euangelicam, subiicite vos reprehensioni diuini Verbi, Iudices terræ.

Vers. 11. Servite Domino. Ad tres actus vult Propheta, reges & iudices instrui & intelligere. Primus est *seruite Domino in timore.* Aptè autem monet Domino seruiendum: quoniam Domino directè debetur seruitus. Et seruituti exteriori adiungitur timor internus: ad excludendum fictionem, quâ mundi huius sapientes & principes pro cerimonia colunt Deum, non interno timore Domini vniuersalis exigentis se timeri ab homine: iuxta illud Malach. 1. *Si Dominus ego sum, vbi est timor meus?* Et Dominus in Euangelio, Matth 10. *Timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.*

Ad tres actus iudices instruuntur. Malach. 1. 6. Mat. 10. 28.

Et lætamini in tremore. Lætitia tam necessaria est, quàm charitas: cùm sine ea vita spiritualis non sit. Et huic adiungitur tremor pro moderamine, ne sit lætitia dissoluta. Vnde & Paulus cùm dixisset Philippensibus cap. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete*, addidit moderamen, *modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Significatur autem per huiusmodi lætitiam seu exultationem quòd spontaneum requirit Deus animum humanum ad exhibendum sibi quæ religionis sunt, tam intùs quàm extrà: ita quòd timor non excludat lætitiam animi, nec lætitia excludat timorem.

Lætitia vitæ spirituali necessaria. Phil. 4. v. 4. 5. *Lætitia iungatur timori.*

Vers. 12. Osculamini filium. Quia in principio Psalmi propositi sunt duo (scilicet Dominus & Christus eius) & postea vterque allocutus est mundum; consequenter nũc Propheta postquam inuitauit ad seruiendum Domino, inuitat ad adorandum seu osculandum Messiam filium. *Osculum* itaque *filij* amoris signum, manifestè significat impendendum amorem filio Dei communicanti in natura cum genere humano.

Osculũ amoris signum.

Ne quando irascatur. Assignat Propheta rationem suæ monitionis tum ex metu æternæ damnationis, tum ex spe æternæ beatitudinis. Circa metum damnationis tangitur primò tempus, dicendo: *ne quando irascetur.* Periculum itaque describitur damnationis pro tempore quando irascetur filius: hoc est, quando iustitiam vindicatiuam exercebit, quod fit in morte vniuscuiusque reprobi. Describitur & demeritum, subiungendo *& peribitis de via.* Præsens siquidem tempus pro via ad cœlestem patriam concessum est humano generi. Vnde & *viatores* vocamur: & electi vtentes huius viæ beneficio, saluantur hac via: reprobi autem beneficium huius viæ contemnentes, hac via pereunt: dum in fine eius in æterno se inueniunt interitu: & propterea hic dicitur periculum esse quòd quando erit tempus iræ reges peribunt: hoc est, demerito viæ.

Metus gehẽnæ, & spes beatitudinis. *Præsens tempus pro via ad cœlestem patriã nobis datur, vnde viatores dicimur.*

Quoniam ardebit. Affirmat Propheta futurum quandoque & paulò pòst vt furor Christi ardeat: ne putetur valde distare illud *quando irascetur*: propterea enim dicit: *quoniam ardebit furor eius* (metaphorica locutio est) ad similitudinem ardentis iustitia eius exercebitur: & hoc *velut parum.* Quod si referatur ad tempus Iudicij vniuersalis, appellatur totum tempus *velut parum* respectu æternitatis: sicut & in Apocal. dicitur: *oportet fieri citò.* Si verò referatur ad singulorum reproborum punitiones, verè *valde parum* est: vtpote exiguum tempus vitæ vniuscuiusque. Hæc de metu æternæ pœnæ. De spe autem beatitudinis subiungitur.

Tempus totũ est velut parũ præ æternitate. Apoc. 1. 1.

Beatitudines omnium sperantium in eo. Nec aliud determinatur tempus beatitudinis: quia vnum & idem est tempus vindictæ reproborum & beatitudinis electorum: tunc beati in re omnes (nullo excepto) sperantes in eo in hac vita. Et sic ante oculos regum & principum ac mundi proposuit Propheta & pœnas & præmia futuræ vitæ. In primo Psalmo dictum est quare in plurali dicit *beatitudines.* Amen.

PSAL

INDEX MATERIÆ
VNIVSCVIVSQVE PSALMI.

Psal.I. DE beatitudine iustorũ innocentum.
2. De adorando Messia, filio Dei, Rege impugnato à mundo.
3 De gratiarum actione Dauidis, adiuti à Deo in fuga à facie Absalon.
4 De Dauidis à facie Saulis profugi exhortatione ad suos vt confidant in diuina promissione.
5 De Saulis iniqui deiectione à regno, & Dauidis iusti promotione ad regnum à Deo.
6 De recursu ad Deum Dauidis pœnitentis in persecutione ab Absalon.
7 De innocentia dauidis & iniquitate Saulis in causa regni inter eos, coram Deo iudice.
8 De exaltatione Messiæ super totum vniuersum, ad diuini nominis gloriam.
9 De diuino iudicio cõtra Ammonitas, qui ignominiosè tractauerant legatos Dauidis.
10 De dilatione vniuersalis iudicij: tot interim malis interuenientibus, &c.
11 De iustitiæ vtilitate ad aliam vitam.
12 De generis humani falsitatum pleni salute, ex vera, mũda, publicaq; Dei notitia per Messiã.
13 De anxietate Dauidis illuminari petentis, ne incidat in manus Saulis.
14 De vniuersi generis humani corruptione ex negatione Dei, curanda per Messiam.
15 De qualitate populi perseueraturi in terra promissionis.
16 De Resurrectione Christi.
17 Oratio Dauidis pro liberatione à Saule.
18 Laus Dei pro liberatione Dauidis ab omnibus inimicis suis, terminata ad Messiam.
19 De excellentia legis diuinæ supra notitiam naturalem.
20 De salute ac exaltatione Messiæ.
21 De regno Messiæ.
22 De passione Messiæ.
23 De diuinæ curæ erga Dauidem sufficientia efficacissima.
24 De vniuersæ terræ salute per aduentum Messiæ.
25 De deuoto recursu Dauidis ad Deum, tempore persecutionis ab Absalon.
26 De iustificatione Dauidis circa assecutionem regni.
27 De fiducia Dauidis in Deo absque timore hominis, ad manendum in domo Domini, &c.
28 De recursu Dauidis ad Deum, ne priuetur diuina responsione ob crimen nepotum suorum.
29 De inuitatione populi Israël, ad diuinum in templo Dei cultum.
30 De redintegratione domus Dauidis ad regnum & Messiam.
31 De spe Dauidis in Deo in persecutione à Saule.
32 De diuina gratia condonatiua peccatorum.
33 De beatitudine gentis electæ ad cultum & hæreditatem Dei.
34 De exhortatione Dauidis habita in nouo conuentu militum, ad timorem Dei.
35 De Passione & Resurrectione Messiæ.
36 Contra libertatem peccandi quia Deus omnes saluabit.
37 De exhortatione Iudæorum ad diuina, & ad non imitandum iniquos propter temporalia bona.
38 De recursu Dauidis ad Deum ne puniat ipsum secundùm peccata eius, quando fugit à facie Absalon.
39 De humanorum studiorum attentatorum & expertorum vanitate.
40 De aduentu Messiæ.
41 De aduentu Messiæ.
42 De affectu populi Israël dispersi, ad veniendum in terram promissionis ad cultum Dei.
43 De eodem.
44 De afflictione populi Christiani non propter culpam sed propter Deum in primitiua Ecclesia.
45 De Messiæ aduentu.
46 De Messiæ aduentu.
47 De messiæ aduentu, &c.
48 De messiæ aduentu.
49 De futura vita, contra immortalitatem famæ.
50 De Messiæ aduentu.
51 De pœnitentia Dauidis post crimina adulterij & homicidij.
52 De crimine Doeg Idumæi pœnaque illius, ac prosperitate Dauidis prophetata.
53 De vniuersi generis humani ob ignorantiam Dei corruptione, sananda per Messiam.
54 De liberatione Dauidis à manu Saulis, annunciantibus Ziphæis vbi maneret Dauid.
55 De liberatione Dauidis fugientis à manu Saul, & quomodo circundatus est domi & quomodo mansit in Naioth.
56 De liberatione Dauidis comprehensi à Philistæis in Gath.
57 De liberatione Dauidis, latentis in spelunca à facie Saul.
58 De liberatione Dauidis ab vltima Saulis persecutione.
59 De liberatione Dauidis ab obsidione domi.
60 De recursu Dauidis ad Deum, pro populo derelicto à Deo in Idumæa.
61 De Messia rege immortali.
62 De Dauidis profugi à Saule, exhortatione ad suum populum ad expectandum Deum.
63 De religione sancta Dauidis in deserto profugi à facie Saulis, cum fructu.
64 De recursu Dauidis ad Deum, ob timorem occultarum machinationũ Saulis contra ipsum.
65 De debito cultu in Sion Deo, ob beneficia tam spiritualia quàm corporalia.
66 De mundo inuitato ad cultum Dei à populo veteris testamenti, ab exemplo diuinorum operum erga ipsos.
67 De aduentu Messiæ, ad miserendum, illuminandum & benedicendum mundo.
68 De efficacia diuina circa debellationem inimicorum & felicitatem populi Israël.
69 De passione Messiæ.
70 De recursu Dauidis ad Deum in persecutione ab absalon.

Index Materiæ Pſalmorum.

71 De ſpe Dauidis in Deo in perſecutione ab Abſalon.
72 De regno Meſſiæ.
73 De prouidentia diuina circa præſentem proſperitatem iniquorum & afflictionē iuſtorum.
74 De excidio Hieroſolymitano per Babylonios.
75 De aduentu Meſſiæ.
76 De proſtratione exercitus Sennacherib.
77 De afflictione populi Iſrael priuati diuino cultu, cum ſpe reditus ad illum.
78 De doctrina populi Iſrael ab exemplo vitando fratrum & patrum, &c.
79 De vaſtatione Hieruſalem & pollutione templi, &c. ſub Antiocho.
80 De reuerſione petita ex captiuitate Babylonica.
81 De inuitatione ad cantandū Deo in feſto tubarum, ad cōmemorādum diuina præcepta, &c.
83 De reprehenſione & monitione Iudicum populi Dei, ex futuro diuino iudicio, veluti per Meſſiam.
83 De recurſu ad Deum, contra decem nationes confœderatas ad delendum populum Iſrael tempore Dauidis.
84 De templo Dei amabili, atque deſiderabili.
85 De aduentu Meſſiæ.
86 De recurſu Dauidis ad Deum in perſecutione ab Abſalon.
87 De aduentu Meſſiæ.
88 De aduentu Meſſiæ.
89 De promiſſione facta Dauidi de Meſſia.
90 De miſeria humanæ vitæ reparanda per Meſſiā.
91 De aduentu Meſſiæ.
92 De bonitate tam cultus diuini quàm doctrinæ diuinæ in diebus feſtis.
93 De aduentu Meſſiæ.
94 De retributione repoſita impiis, & ſpecialiter negantibus diuinam prouidentiam in futuro iudicio.
95 De monitione Iudæorum, vt non obdurent corda ſua quacunque die audierint vocē Dei.
96 De aduentu Meſſiæ.
97 De aduentu Meſſiæ.
98 De aduentu Meſſiæ.
99 De regno Dei in veteri Teſtamento, ab egreſſu populi de Ægypto.
100 De inuitatione omnium ad laudandum Deum in templo ſuo.
101 De diſpoſitione perſonæ ac familiæ regis Dauidis.
102 De aduentu Meſſiæ.
103 De laude Dei ob beneficia Dauidi, populo & vniuerſis collata.
104 De laude Dei ob beneficia vniuerſorum operum eius.
105 De laude Dei ob beneficia collata à tempore Abrahæ vſque ad terrā promiſſionis poſſeſsā.
106 De laude Dei ob beneficia collata veniæ, &c. ab egreſſu Ægypti vſque ad tempus Dauidis.
107 De laude Dei ob prouidentiam eius, ſuccurrendo neceſſitatibus, &c.
108 De victoria obtinenda contra Idumæos & Ammonitas.
109 De Meſſiæ paſſione, &c.
110 De intermedio tempore Meſſiæ ſedentis ad dexteram Dei.
111 De magnis Dei operibus prius in ſtatu patrum & poſt in congregatione populi Iſrael.
112 De beatitudine timentium Deum, & miſericordium, iuſtorum ac miſeratorum.
113 De excellentia diuini dominij, prouidentis omnibus etiā quæ vidētur fortuita & caſualia.
114 De miraculis in egreſſu ex Ægypto.
115 De conſeruatione diuini cultus.
116 De gratiarum actione pro liberatione Dauidis, quando cinctus fuerat à Saule in modum coronæ.
117 De aduentu Meſſiæ.
118 De reſurrectione Meſſiæ.
119 De homine tendente ad Deum, formando ſeu formato in actibus ſuis diuinâ tam gratiâ quàm lege.
110 De recurſu ad Deum, Dauidis profugi à Saule.
121 De diuino auxilio erga populum Iſrael exiſtentem cum Deo.
112 De excellentia Hieruſalem ex domo Domini ibidem.
123 De recurſu ad Deum, populi Iſrael multum afflicti.
124 De liberatione populi Iſrael à periculo vlterius ſeruiendi gentibus circumuicinis.
125 De ſecuritate totius populi Sion & Hieruſalem, modò confidat in Domino.
126 De reductione captiuitatis Babylonicæ.
127 De cura diuina quoad omnia opportuna reſpectu populi Iſrael, ſi mundus fuerit ab iniquitate.
128 De felicitate præſenti promiſſa populo Iſrael.
129 De libertate populi Iſrael ex tempore regni Dauidis.
130 De aduentu Meſſiæ.
131 De humilitate Dauidis in exemplum.
132 De adimplenda diuina largitate promiſſa Dauidi de Meſſia & Sion, &c.
133 De vnitate populi Iſrael ſub vno Rege.
134 De inuitatione morantium in domo Domini ad orandum in nocte.
135 De ratione laudādi Deum in tēplo ab Iſraelitis.
136 De recognitione diuinæ gratiæ vt rationis omnium quæ ſunt à Deo.
137 De ſtatu populi captiui in Babylonia.
138 De ratione templi conſtruendi.
139 De omniſciētia Dei applicata ad Dauidem, &c.
140 De recurſu Dauidis ad Deum, in perſecutione à Saule.
141 De tranſitu Dauidis ad Philiſtæos.
141 De Dauide in ſpelunca Odollam derelicto recurrente ad Deum.
143 De recurſu Dauidis ad Deum in fuga à facie Abſalon.
144 De proſperitate populi Iſrael tēpore Dauidis.
145 De regno Dei.
146 De confidentia in ſolo Deo, quia ab eo pendet felicitas, &c.
147 De laude Dei in Hieruſalem, ob ſpecialia dona Dei ibidem.
148 De laude Deo debita à cæleſtibus & terreſtrib.
149 De aduentu Meſſiæ.
150 De laude Deo debita voce & muſicis inſtrumentis, ratione ſanctitatis & operum magnorum ac multorum.

LIBER

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus Dauid cùm fugeret à facie Absalom filij sui.*

III.

2 *DOMINE quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt aduersum me.*

3 *Multi dicunt animæ meæ: non est salus ipsi in Deo eius.*

4 *Tu autem Domine susceptor meus es: gloria mea & exaltans caput meum.*

5 *Voce mea ad Dominum clamaui: & exaudiuit me de monte sancto suo.*

6 *Ego dormiui & soporatus sum: & exurrexi, quia Dominus suscepit me.*

7 *Non timebo millia populi circumdantis me: exurge Domine, saluum me fac Deus meus.*

8 *Quoniam tu percussisti omnes aduersantes mihi sine causa: dentes peccatorum contriuisti.*

9 *Domini est salus: & super populum tuum benedictio tua.*

IVXTA HEBRÆVM.

Psalmus Dauidi in fugere suo à faciebus Absalom filij sui.

III.

Propheta. DOMINE † quàm multiplicati sunt angustatores sunt mei? multi insurgentes super me.

2 Multi sunt dicentes animæ meæ. *Vox erit multorum.* Non salus ipsi in Deo†. *Selah.* † *Dijs.*

3 *Propheta.* Et tu Domine † fuisti clypeus pro me: honor meus & eleuans caput meum.

4 Voce mea ad Dominum † vocabo: & respondit mihi de monte sanctitatis suæ. *Selah.*

5 Ego iacui & dormiui: euigilaui, quia Dominus † sustentabit me.

6 Non timebo à myriadibus populi: qui circumquaque positi sunt super me.

7 Surge Domine †, saluum me fac Deus meus: quia percussisti omnes inimicos meos in maxilla, dentes impiorum confregisti.

Ideo

8 Domino † attribuitur salus: verò super populum tuum benedictio tua adsit. *Selah.*

COMMENTARIVS.

Psalmus est dictio Græca. TItulus est *Psalmus Dauidi in fugere suo à faciebus Absalom filij sui. Psalmus* Græcum nomen est à cantu dictum: & respondet dictioni Hebraicæ etiam à cantando deriuatæ: quia Latinè dicimus canticum. Et est dictio hæc appropriata omnibus Hymnis huius libri: nam appellantur Psalmi Luc. vltim. *quæ scripta sunt in lege Moysi & Prophetis & Psalmis de me*: & Act. 1. Petrus Apostolus appellat hunc librum, librum Psalmorum. Et hoc habeatur pro regula in omnibus sequentibus titulis vbi dicetur *Psalmus*. *Luc.24.44.*

Dauid est datiui casus, & designat non solùm auctorem Psalmi, sed materiam inchoat: quam prosequitur subiungendo, *in fugere suo à faciebus Absalom filij sui.* Historia clara est in secundo libro Regum. Dicitur *à faciebus* Hebraico idiomate in numero plurali, aiunt enim semper in Hebræo legi in plurali numero *facies*: quia caret numero singulari hæc dictio. Et hoc sufficiat semel pro semper: quia infinities hæc dictio in hoc libro repetitur. Vnde constat significari faciem, & non esse faciendam vim in plurali numero: sed vt translatio reddat numerum numero, transfertur in plurali numero. *Facies non habetur in singulari numero apud Hebræos.*

Materia Psalmi. Materia Psalmi ex titulo constat: est enim gratiarum actio Dauidis ad Deum pro beneficiis sibi collatis in persecutione quam passus est ab Absalom: de qua scribitur diffusè 2. Regum à cap. 15. vsque ad 19. Et est iste primus Psalmus Historialis.

Psalmi Historiales. Vbi pro regula generali omnium Psalmorum historialium aduerte: quòd quemadmodum in iure conduntur leges recitando rem gestam ab aliquo, non vt res illa gesta historiæ commendetur, sed vt ex dispositione quam princeps in illa re gesta promulgat, habeatur iudicium legitimum de omnibus similibus; ita Spiritus sanctus redegit multas res gestas à patribus veteris Testamenti in Psalmos per modum diuinæ laudis, non vt sciantur illæ res gestæ (quoniam iam scriptæ erant in libris historialibus: puta in Genesi, Exodo, libris Regum, &c.) sed vt hinc discamus qualiter Spiri

Spiritus sanctus mouit iustorum animos in illis rebus gestis, & qualiter nos in similibus positi meditationes affectúsque nostros regulare debemus. Ita quòd in huiusmodi Historialibus Psalmis pascit Spiritus sanctus ex sensu literali tam intellectum quàm affectum vacantium diuinis laudibus, formátque nostros animos quasi personarum loquentiū per ipsos Psalmos: hoc enim operatur redactio rerum gestarum in Psalmos quasi in corpus iuris. Et si mihi non credis, cerne hoc in Psalmo *Miserere mei Deus*: qui Historialis cùm sit (vt titulus illius testatur) est in frequentissimo vsu Ecclesiæ Christianæ, ad formandos similes affectus in peccatoribus, affectibus quos habuit Dauid post commissum adulterium cum homicidio.

De tempore quo scripti sunt Psalmi Historiales. In hoc quoque primo inter Historiales Psalmo, occurrit quæstio de tempore quo Dauid condidit hos Psalmos Historiales (hoc est, tractantes de rebus gestis tempore ipsius Dauidis) an scilicet fecerit vnumquemque istorum tunc quando res illa gesta fuit, an postea, verbi gratiâ, an iste Psalmus fuerit factus tunc quando Dauid fugiebat à facie Absalom, ita quòd inter fugiendum fecit hunc Psalmum (& sic de similibus) an postquam nactus est quietem fecerit Psalmum istum, & sic de similibus. Non parui autem refert vtrum fecerit: nam si tunc cùm res gerebatur fiebat Psalmus, multa in istis Historialibus Psalmis Prophetica continentur valde digna admiratione: quoniam in ipsis describuntur in specie subsecuti euentus: putà quòd Saul fuerit sagittis percussus, quòd corpus eius fuerit combustum, & similia. Si verò postea conditi sunt, narrantur tantùm res gestæ post factum: sed describuntur cum affectibus quos habuerat Dauid quando res gerebatur: & propterea describuntur vt futuræ, vt superuenturæ illi merito, statui, affectui, gratiæ, orationi, tribulationi, colloquio, & huiusmodi quod vel quæ tractatur. Crediderim ego hoc secundò, dictum veritati inniti, testimonium perhibente sacra Scriptura de Psalmo 18. scilicet *Diligam te Domine.* Nam ille Historialis est: & multas res tempore Dauidis gestas cantat vt futuras: & constat quòd fuit factus post facta omnia illa: præter contenta in calce de Messia. Legimus enim 2. Regum 22. de illo Psalmo: *Locutus est autem Dauid Domino verba carminis huius, in die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul.* Vbi clarè patet quòd post nactam quietem non à Saule tantùm sed ab omnibus inimicis suis (Ammonitis, Moabitis, Idumæis, Syris, &c.) fecit illum Psalmum. Vnde simile videtur de aliis Historialibus Psalmis insinuatum. Cum hoc tamen exponemus nos Psalmos istos ac si essent Prophetici, ad explicandos affectus & successus: & ad commendandam auctoritatem Spiritus sancti, qui sic Psalmos scribi voluit qui per modum laudis conditi sunt. 2. Reg. 22. 1.

SVMMARIVM EST.

Dauid in fuga sua ab Absalom valde multiplicatos hostes suos tam opere quàm verbo proponens Deo, ipsum liberatorem profitetur: ita quòd clamanti respondit, iacentem erexit, àcircundantibus saluauit, obloquentes percussit, & populum benedixit.

Persona loquens in toto Psalmo Propheta est, recitans vocem multitudinis.

DOMINE QVAM MVLTIPLICATI SVNT. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Et tu Domine.* Proponit autem Dauid tria. VERS. 1. *Tria proponit Dauid.*

Primò quòd valde multiplicati sunt hostes sui cum Absalom. & hoc significatur dicendo: *quàm multiplicati sunt angustiatores* seu tribulatores *mei.* Et hoc spectat ad id quod scriptum est: *Venit nuncius ad Dauid dicens, toto corde vniuersus Israel sequitur Absalom.* Spectat & ad euentum maiorem quàm dixerat Nathan: nam Nathan suscitandum malum contra Dauidem de domo Dauidis, non de tota domo Israël prædixit. 2. Reg. 15. 13.

Secundum est multitudo insurgentium ad bellandum contra Dauidem: & hoc significatur dicendo: *multi insurgentes super me.* Et spectat ad id quod scriptum est: quòd *Absalom transiit Iordanem & omnes viri Israël cum eo.* 2. Reg 17. 24

Tertium est multitudo obloquentium specialiter contra vitam Dauidis: qui dicebant quòd Deus non saluabit vitam Dauidis. Et quamuis ista multitudo non sit in libro Regum scripta (sed Semei dicens: *Ecce premunt te mala, quoniam vir sanguinum es.* & Achitophel dicens: *Persequar hac nocte Dauid & percutiam eum: placuitque sermo eius Absalom & cunctis maioribus natu Israël*) ex verbis tamen Nathan ad Dauidem: *Non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum,* &c. multitudo videns inchoari adimpletionem verborum Nathan: *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua,* facile credere & dicere potuit quòd Deus non saluaret Dauidem in hac persecutione. Et hoc significatur dicendo: *Multi dicentes animæ meæ*, vitæ meæ, *non erit salus ipsi in Deo.* 2. Reg. 16. 8. 2. Reg. 17. v. 1. 4. 2. Reg. 12. 10 2. Reg. 12. 11

Selah. Dictio hæc Hebraica est: & tribus supra septuaginta vicibus in hoc Psalterio habetur: nec in tota sacra Scriptura alibi reperitur, nisi in cantico Habbacuc: & ter in hoc Psalmo ponitur. Est autem magna de hac dictione quæstio: an apposita sit vt significatiua dictio, ita quòd sit pars textus Psalmi sicut cæteræ dictiones significatiuæ (significat enim *semper*, seu æternitatem, seu eleuationem: propter quod multi interpretes loco *Selah* habent *semper*, alij *in sempiternum*) an non teneatur significatiuè, sed vt dictio officiosa ad denotandum vel mutationem vocis seu metri, aut pausam in cantu, aut aliquid huiusmodi. Et hanc viam amplexi videntur LXX. dum loco *Selah*, habent *diapsalma* in Græco. *Selah, dictio frequens in Psalmis, quid significet?*

Hieronymus in epistola ad Marcellam, improbat, & rationabiliter, officium huius dictionis quantùm ad quodcunque officium intermedium, ex eo quòd reperitur hæc dictio quandoque in fine Psalmorum. Verùm ex hoc non habetur quin possit habere officium quod etiam fini Psalmorum congruere potest: puta eleuationem vocis vel productionem. Hebræi putant dictionem esse officiosam: & habent argumentum, quia non reperitur nisi in metris. Hanc opinionem ego sequar: & propterea nullibi mentionem amplius faciam huius dictionis in commentariis: in textu autem curabo semper haberi rubro * scriptam. Si inuenirem aliquos scientes scandere in Hebræo metra Psalmorum, facilè appareret veritas, an dictio hæc sit pars metri an non: quia ex mensura metri discerneretur. Si vis multas opiniones videre, lege Epistolam Hieronymi ad Marcellam quæ est 64 Hæc de *Selah.* ** Scribitur in hac Editione literis vt vocant Italicis.*

Vers. 3. ET TV DOMINE. Incipit hîc pars Executiua *Pars Executiua.*

tiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *Domine*. Secundò illa, *quā multiplicati*, ibi: *Ego iacui*. Tertiò illa, *multi insurgentes*, ibi: *Non timebo*. Quartò illa, *multi dicentes*, ibi: *Quia tu percussisti*.

Tractatur hîc illa particula, *Domine*, pro quanto tractatur recognitio quā Dauid recognoscit Deum affuisse sibi in hac sua vexatione. Explicat autem primò opem triplicem allatam sibi à Deo dicens: *Et tu Domine clypeus pro me*, defendendo ne occideret ab Achitophel: *Domini* siquidem *nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile* ad occisionem Dauidis: *Honor meus*, restituendo me in regnum: *& eleuans caput meum*, quasi iacens ex casu. Et est ordo præposterus: nam prius fuit eleuatio iacentis præsidio illorum qui adiuuerunt Dauidem, quàm redintegratio regni.

2.Reg.17.14

Deinde explicat modum quo hæc tria habuit, dicens: *Voce mea*, non aliena, non sacerdotum, *ad Dominum*, non ad hominem, *vocabo*, non quòd statim non vocauerim: sed quia perseuerabo vocans, ex intimo cordis affectu recurrens. Hæc vocatio intelligitur ad literam recursus Dauidis ad Deum inchoatus in humilitate nudorum pedum, operti capitis, ac in religione veneratæ arcæ Domini, & submissione voluntatis propriæ voluntati diuinæ: & postea in adoratione in monte, ac sacrificio patientiæ & mansuetudinis, maledicente illum Semei: hæc enim omnia ad hanc concurrerunt vocationem: in qua perseueraturum se spondet, verbo futuri temporis vtens. Hic est modus ex parte Dauidis. Ex parte autem Dei subditur: *Et respondit mihi*, opere & effectu triplici memorato, non de tabernaculo, non de arca, sed *de monte sanctitatis suæ*: hoc est, de cælo in quo est sanctitas eius, vel de celsitudine sanctitatis suæ. In quo recognoscitur magna Dei dignatio, vt de tanta celsitudine dignatus sit condescendere ad respondendum homini deiecto. Vbi nota diuinæ opis celeritatem descriptam esse per *vocabo* in futuro, & *respondit* in præterito: hoc est, quòd antè Deus exaudit & succurrit quàm homo ex corde orans compleat clamorem orationis suæ.

Vocare ad Dominum, est ad eum recurrere.

Vers. 5. Ego iacui. Tractatur hîc illa particula, *quam multiplicati sunt angustiatores mei*: explicando successum rei sermone metaphorico ad similitudinem hominis iacentis, dormientis & pòst vigilantis. Multiplicatis quippe cum Absalom concurrentibus ad angendum Dauidem & deiiciendum illum à regno, statim Dauid ciuitatem regiam perdidit fugiens: & propterea dicit: *Ego iacui*, ad similitudinem iacentis imus humiliatusque se habuit. Et quia abscondit se in campestribus dicit: *Et dormiui*, tanquam non sentiens me habui. Postea congregatā aliquantā multitudine quasi euigilauit ad resistendum Absalom: & hoc totum sub spe, *quia Dominus sustentabit me*: spes enim diuini auxilij per futuram sustentationem significatur.

Vers. 6. Non timebo. Tractatur hîc illa particula, *multi insurgentes super me*: declarando securitatem ex diuino conceptam auxilio, cùm Absalom cum exercitu Israël venit contra Dauidem. *Non timebo*, inquit, *à myriadibus* (myrias numerum significat decem millium: myriades plura dena millia) hoc est, à multo exercitu Absalom: (quot enim dena millia fuerint non est scriptum: cùm tamen scriptum sit quòd *facta est plaga magna in die illa viginti millium*) *populi*, Israël, *qui circũquaque positi sunt super me*, Dauidem. Describuntur circũquaque hostes, tum quia totum ferè regnũ erat contra Dauidem: tum quia exercitus Absalom venerat ad hoc vt circundaret ciuitatem in qua erat Dauid: vt consuluerat Chusi Arachites. *Non timebo*, inquam, *surge Domine*, hoc est, surgente te Domine, ad auxilium meum, imò ad saluandum me: *saluum me fac Deus meus*, per gratiam tuam: & ita euenit.

Myrias significat decem millia.

2.Reg.18.7.

Quia percussisti. Tractatur hîc illa particula, *multi dicentes animæ meæ non salus ipsi in Deo*. Tractatur autem inducendo plagam istis obloquentibus à Deo illatam pro ratione salutis ipsius Dauidis, & (quod plus est) benedictionis populi. Quia, inquit, tu Deus, *percussisti omnes inimicos meos maxillā*. Peccauerant isti locutione quæ fit ore in quo est maxilla cum dentibus, ideo in maxilla & dentibus puniri describuntur. Et per has pœnas intellige plagam exercitus Absalom, & post illæsum Dauidem subiungi percussionem Absalom & suorum: quæ simul ratio fuit salutis Dauidis. Pœnæ fuerunt maxillarum & dentium, tum ratione feritatis Absalom contra patrem, & patrem regni, tum ratione obstrusionis ex euentu contrario: vt sic omnium inimicorum tum feritas, tum falsa vaticinatio seu imprecatio, percussā confractāque describatur.

Et propterea tibi *Domino*, non homini, attribuitur *salus* Dauidis contra illos qui dicebant *non salus ipsi in Deo*: & vltra salutem Dauidis, *super populum tuum*, Israël, *benedictio tua*, affuit redintegrato me in regnum. Vel deprecatiuè ac optatiuè pro gratiarum actione subiungit: *quia percussisti*, ideo quæso tibi *Domino* attribuatur *salus* habita, *& super populum benedictio tua* concessa: magnam enim benedictionem consecutus est populus in prostratione Absalom & redintegratione regni Dauidis. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1. *Victori in Canticis Psalmus Dauid.*	Vincenti in modulationibus Psalmus Dauidi.
IV.	IV.
2 *CVM inuocarem exaudiuit me Deus iustitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi.*	*Propheta.* IN vocare meo responde mihi Deus iustitię meę: in angustia dilatare fecisti mihi (dilatationem): miserere

Miserere mei: & exaudi orationē meam.

3 *Filij hominum vsquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?*

4 *Scitote quoniam mirificauit Dominus sanctum suum: Dominus exaudiet me cùm clamauero ad eum.*

5 *Irascimini & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus vestris,& in cubilibus vestris compungimini.*

6 *Sacrificate sacrificium iustitiæ & sperate in Domino: multi dicunt quis ostendit nobis bona?*

7 *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine: dedisti lætitiam in corde meo.*

8 *A fructu frumenti,vini & olei sui:multiplicati sunt.*

9 *In pace in idipsum dormiam, & requiescam.*

10 *Quoniam tu Domine,singulariter in spe constituisti me.*

serere mei & audi orationem meā.

est,seu erit

2 Filij viri vsquequequo honor meus ignominiæ? diligetis inane, quæretis mendacium? *Selah.*

3 Et cognoscite quoniam separare fecit Dominus ⁺ gratiosum sibi: Dominus ⁺ audiet in vocare meo ad eum.

4 Tremite & non peccate: dicite in corde vestro super cubili vestro, & tacete. *Selah.*

5 Sacrificate sacrificia iustitiæ: & fidite ad Dominum ⁺.

sunt

6 Multi dicentes. *Quæstio multorum.* Quis videre faciet nos bonum? *Propheta.* Leua super nos lucem facierum tuarum Domine ⁺.

7 Dedisti lętitiam in corde meo:à tempore frumentum eorum & mustum eorum multiplicata sunt.

Ego autem

8 In pace simul iacebo & dormiam: quia tu Domine ⁺ solus in securitate † habitare facies me. *† securitati.*

COMMENTARIVS.

Vincenti sæpissimè occurrit in titulis Psalmorum.

TItulus est: *Vincenti in modulationibus Psalmus Dauidi.* In quo aduerte semel pro semper, in titulis multis haberi hanc dictionem interpretatam *vincenti*: quia inuenitur legi *vincenti, victori, ad victoriam*: aiunt tamen propriè esse participium,scilicet *vincenti*. Et sunt diuersæ opiniones quid significet in huiusmodi titulis. Alij putant significare modum musici cantus seu soni, scilicet certatim cum conatu mutuo ad superandum. Alij putant significare præsidentem instrumento musico vel tali speciei cantus aut soni: vt scilicet denotetur præsidens,cui assignabatur canticum sic vel sic canendum, seu tali sono musico supponendum: frequenter enim in Psalmorum titulis simile inuenimus. Et videtur istis quòd semper præsidens illi cantui seu sono seu instrumento designetur.

Quid significet hæc vox?

Quod autem dicitur *in modulationibus*, non intelligas propriè exprimere dictionem Hebraicam quæ hîc habetur: quoniam de illa est quæstio,an sit nomen musici instrumēti, an sit nomen specialis modi musicæ, cuius genus est modulatio. Et quia numeri pluralis est Hebraica dictio, ideo ponendo genus pro specie dictum est *in modulationibus*. Et hoc etiam sit dictum semel pro semper in multis titulis in quibus habetur *in modulationibus*.

Auctor Dauid.

Dauidi eâdem ratione qua in titulo tertij Psalmi. Ex titulo igitur explicatur auctor Psalmi Dauid: & implicitè significatur materia, dicendo *Vincenti* & *Dauidi*.

Materia.

Vnde circa materiam nota esse hîc aliquid clarum, & aliquid inquirendum. Clarum est quòd Psalmus hic loquitur de Dauide tempore persecutionis à Saule: nam constat quòd Dauid fuit auctor Psalmi, & quòd ea quæ hîc dicuntur non excedunt ipsum, sed de ipso verificantur.& quòd loquitur de tempore quo honor eius erat in ignominia seu confusione: vt patet in secundo versiculo: *vsquequo honor meus ignominia?* Duplex autem tempus inuenitur quo honor Dauidis fuit in ignominia: scilicet tempus persecutionis ab Absalom,& tempus persecutionis à Saule: quo ex genero regis,ex summo honore (quo publicè cantatum est: *Percussit Dauid decem millia in millibus suis*, &c.) factus est profugus, habitator speluncarum & deserti, &c. Sed inter has duas passiones tantùm interest, quòd illa quam passus est ab Absalom fuit merito iniquitatis eius propter adulterium & homicidium:ista autem à Saule fuit merito iustitiæ & prudentiæ eius. Et quia in principio Psalmi expressè Dauid meminit iustitiæ suæ, excluditur ab hoc Psalmo tempus persecutionis Absalom & relinquitur intelligendum tempus persecutionis à Saule.

Duplex tempus quo honor Dauidis fuit in ignominia.

1. Reg. 18. 7.

Inquirendum autem restat quid specialiter gestum in illa persecutione hîc tractetur. Considerāti autem quòd Dauid hortatur viros quos alloquitur ad iustitiam & spem in Deo, & quòd tota vis exhortationis fundatur super hoc quòd ipse Dauid exaudietur à Deo, quia elegit eum Deus sibi,& quòd Deus habitare faciet quandoque ipsum securum in pace, apparet quòd non alloquitur hostes sed eos quibuscum causa erat communis: alioquin vana esset consolatio illorum ex futuro bono Dauidis: apparet enim in principio, in medio & in fine Psalmi nihil promitti nisi futurum bonum Dauidis. Et quoniam viri

viri quos alloquitur in secundo versiculo reprehenduntur, supponendum videtur quòd viri isti sunt viri illi qui erant in societate Dauidis profugi, dubitantes quòd nunquam Dauid fieret rex, inanémque esse sequelam Dauidis: & propterea quærunt: *quis nos faciet videre bonum:* Et licet Scriptura non meminerit alibi talis dubitationis in viris qui erant cum Dauide, consentaneum tamen est iis quæ narrantur in Scriptura, quòd habuerint multi eorum tale dubium: nam cùm vidissent quòd Dauid noluit vti opportunitate sibi à Deo tradita occidendi Saulem prosequentem ipsum in spelunca (dicentibus illis: *Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te, ego tradam tibi inimicum tuum vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis*) & similiter cùm restiterit iis qui volebant Saulem occidere (nam ibidem, scilicet 1.Reg. 24. subiungit: *Et confregit Dauid seruos suos sermonibus istis, & non permisit eos vt consurgerent in Saul*) rationabile est vt viri bellatores videntes Dauidem non vsum esse beneficio præualendi super inimicum, dubitauerint quòd Dauid nunquam perueniret ad regnum: arbitrantes occidendum fuisse Saulem omissis tot scrupulis Dauidis.

1. Reg.24.5.

ibid.v.8.

Est ergo ad literam materia psalmi, exhortatio Dauidis ad viros suos in persecutione Saulis ad expectandum diuinam promissionem, vacando interim operibus iustis.

SVMMARIVM EST.

Dauid profugus à facie Saulis, hortatur suos vt sciant quod Deus solus qui elegit eum, audiet causam iustitiæ eius & adimplebit promissionem suam: interim tamen non dubitent, sed vacent iustis operibus & sperent in Deo tacentes: quia non à tempore sed à Deo erit expectatum bonum.

Persona loquens Propheta est, recitans quæstionem suorum.

VERS. I. *Tria proponuntur. Supplicatio magna fiducia.*

IN VOCARE MEO RESPONDE MIHI. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi: *Miserere.* Proponuntur hîc tria.

Primum deprecatiuum, quòd Deus respondeat Dauidi in suo (vt ita dicam) *vocare*: quòd nihil aliud est dictu quàm, me vocante tu Deus respondeas. Et est hæc supplicatio magnæ fiduciæ, vt audeat dicere Deo quòd cùm ego voco tu respondeas. Et licet introducatur per modum supplicationis (tum pro reuerentia diuina: tum pro libertate Dei semper perseuerante ad respondendum & non respondendum) intendit tamen Propheta per hoc significare certam suam securitatem quòd vocanti Deus respondebit.

Iustificatio causæ propria.

Secundum est quasi iustificatio causæ propriæ, dicendo: *Deus iustitia mea*, actor & retributor. Et significat specialiter per hoc quòd Deus fuit & est causa iustitiæ Dauidis ad regnum, quoniam ipse vnxit eum per Samuelem. Et simul redditur ratio quare Deus respondebit ei vocanti: quia, scilicet est actor & retributor iustitiæ eius: ipsa enim responsio vocanti retributio est: quoniam *respondere* Dei est *facere* imò satisfacere petenti. Significatur quoque Deus testis iustitiæ Dauidis: cui homines imputabant quòd quæreret malum aduersus Saulem.

Collatio beneficij in executione.

Tertium est collatio beneficij in executione, dicendo: *in angustia dilatare fecisti mihi.* Et licet possit vt sonat intelligi quòd commemoratur præteritum beneficium (tum quòd de angustia priuatæ domus, & officij pascendi oues in latum amplúmque Tribunatus militum officium & in dignitatem generi regij euectus est: tum quòd de angustia obsidionis à Saule pluries ereptus est: scilicet ex domo Michol, & quando cinctus est in modum coronæ) mihi tamen videtur ad literam poni præteritum pro futuro propter certitudinem prophetiæ: & significari quòd Deus dilatabit ei amplitudinem promissi regni dando, quamuis nunc sit in angustia constitutus: vt pote coarctatus à persecutionibus Saulis. Ita quòd omnia quæ proponuntur spectant ad iustitiam causæ, ad certam Dei responsionem, & certam executionem futuri regni.

MISERERE. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *In vocare meo*, quantùm ad ipsam vocationem. Secundò illa, *in angustia*, ibi *filij viri.* Tertiò illa, *responde mihi*, ibi: *& cognoscite.* Quartò illa: *iustitia mea*, ibi: *tremite.* Quintò illa, *dilatare fecisti*, ib.: *multi dicentes.* *Pars Executiua.*

Explicatur itaque vocatio Dei proposita, quòd non vocabit vanè, sed vt audiatur oratio sua, hoc est, exaudiatur; & misereatur Deus sui; hoc est, releuet ipsum à miseria in qua est. Vbi aduerte quòd sic iustam suam prosequitur causam coram Deo, vt ad misericordiã confugiat diuinã.

Vers.2. FILII VIRI. Tractatur hîc angustia Dauidis, honestè reprehendendo viros qui erant cum eo: ad illos enim conuertit sermonem. Vnde vocat eos honorabili nomine, *filij viri*; hoc est, geniti ex virilitate: erant enim viri fortes. Simili siquidem modo, 1. Reg. 26. Dauid dixit ad Abner: *nunquidnam vir tu es?* 1.Reg.26.15.

Humanè autem loquens ad eos, manifestat defectum eorum duplicem. Alter est *diligere inane*: alter *inquirere mendacium*: & quòd hæc duo perseuerabunt in eis donec Dauid erit ignominiosè profugus. Et *diligere* quidem *inane*: significat ex parte diligentium affectum tanquam inanem, pro quanto affectum habebant ferè vacuum spe, quòd Dauid futurus esset rex Quantùm autem ad effectum explicatur quòd diligẽt inane, id est sine fructu, non semper, sed donec honor Dauidis esset in contumelia. Et quantùm ad hoc non significatur culpa, sed dilatio fructus.

Inquisitio autem *mendacij*, ad dubitationem quam habebant refertur: dubitabant enim & inquirebant, an mendacium futurum esset, an non, quòd Dauid obtineret regnum. Et hæc inquisitio similiter duratura dicitur, donec Dauid esset in illo opprobrio.

Et aduerte quòd hæc verba possunt legi assertiuè: Et tunc est sensus: filij viri, donec ego sum in hac ignominia, vos diligetis sine fructu, & inquiretis an sit mendacium de regno meo futuro. Possunt quoque legi reprehensiuè. Et tunc est sensus per modum interrogatiuum: filij viri, diligetisne inane, & quæretis mendacium quousque durabit hæc mea ignominia: Vel *filij viri vsquequo honor meus* (hoc est regni futuri) erit ad ignominiam coram vobis, dum diligetis inane & quæretis mendacium: ex hoc ipso enim quòd perseuerabant quærendo an esset mendacium, & affectum habebant spe vacuum, honorem Dauidis in ignominiam vertebant. Et per hæc patet angustia Dauidis non solùm ratione persecutionis à Saule, sed ratione eius quod patiebatur ex huiusmodi dubitatione & affectu suorum.

Vers. 3. Et cognoscite. Tractatur hîc illa particula, *responde mihi*; pro quanto admonentur dicti viri vt cognoscant quòd Dominus audiet clamorem suum. Affert autem ad hoc rationem ex præterita electione diuinâ, quâ elegit ipsum in regem per Samuelem: vt ex diuina electione qua inuenerat hominem secundùm cor suum, cognoscant quòd Deus audiet & respondebit Dauidi vocanti eum, recurrenti ad eum. Dicendò enim, *Et cognoscite*, hortatur vt affectibus suis addant cognitionem, quoniam Deus per Samuelem *separare fecit gratiosum sibi*: seipsum siquidem vocat *gratiosum*: quippe qui misericordiâ pluries vsus fuerat versus Saulem. Sibi autem (Deo) dicit iuxta verbum Dei ad Samuelem: *Prouidi mihi Regem in filijs Isai*, 1. Regum 16. & verbum Samuelis ad Saulem de Dauide, 1. Regum 13. *Quæsiuit Dominus virum sibi secundùm cor suum*. Et ex hac diuina separatione seu electione intelligite Dominum responsurum mihi: *audire* siquidem *Dei*, cum effectu responsionis intelligitur.

Dauid vocat se gratiosum.

1.Reg.16.1.

1.Reg.13.14.

Aduerte, prudens Lector, semel pro semper: quòd dictio Hebraica interpretata *gratiosus*, significat propriè *beneficum gratuitè*: & formatur à *gratia*, vt est virtus animi quâ benefici gratuitè sumus: ita quòd non ex merito illius cui benefacimus, non ex nostro debito, non ex spe remunerationis, non ex aliqua compassione, sed ex nostra voluntate gratuita benefacimus aliis. Hæc dictio infinities in libro hoc inuenitur interpretata communiter *misericordia*, à quibusdam *benignitas*: nobis visa est attentis prædictis conditionibus, interpretãda *gratia*: & sic inuenies inferiùs. Et inde cõsequenter oportuit formare adiectiuũ, significans actionem, scilicet gratiosus: non pro grato passiuè vt est in vsu: sed semivsurpato vocabulo pro conferente gratiam Et hæc pro vtraque dictione (scilicet gratia & gratioso) recole in toto textu Psalterij.

Gratiosus hic quid?

Vers. 4. Tremite et non peccate. Tractatur illa particula, *iustitiæ meæ*: non explicando propriam iustitiam, sed monendo viros suos ad sectandam iustitiam: turpe enim esset docere iustitiam nisi doctor esset iustus. Monet autem eos ad vtramque iustitiæ partem Primò ad declinandum à malo. Propter quod consequendum dat tria præcepta: Primum est *tremite*: hoc est, tanto pauore timeatis sermonem Dei vt etiam trematis. Et hoc dixit (quia isti videbantur dubitare de promissione Dei, non exhibentes diuinæ promissioni debitam reuerentiam. Secundum est meditatio diuinorum *in corde super cubili*: hoc est, vt in seipsos reuertantur in quiete mentis, & secum tractent diuinam veracitatem. Tertium est *tacete*: vt non relaxent linguam, dicendo: non erit, quando erit? & similia. Et hæc tria seruando non peccabitis: quod est declinare à malo. Ad alteram verò iustitiæ partem (quæ est facere bonum) inuitat subiungens:

Tria præcepta ad declinandum à malo.

Vers. 5. Sacrificate. Monet istos facere bonum *intùs* per confidentiam, dicendo, *fidite ad Dominum*: seu confidite in Domino, fiduciam vestram ad Deum habeatis non ad hominem Et hac monitione plurimùm indigebant qui iam ferè desperauerant. *Extrà* verò dicendo: *sacrificate sacrificia iustitiæ*. Et intendit ad literam quòd si non possunt sacrificare Deo sacrificia agnorum, vitulorum & huiusmodi, offerant Deo sacrificia operum iustitiæ: vt sic sit Deus iustitiæ vestræ, sicut est Deus iustitiæ meæ. Et dixit hæc de iustitia specialiter, vt cognoscerent opus iustitiæ fuisse non occidisse Saulem: iuxta illud verbum Dauidis, 1. Regum 26. *Quis enim extendet manum suam in Christum Domini, & innocens erit?*

1.Reg.26.9.

Vers. 6. Multi dicentes. Tractatur hîc illa particula, *dilatare fecisti mihi*, tali ordine: primò recitantur inquirentes, quis faciet hanc dilatationem? secundò ponitur responsio quòd Deus faciet illustrando: tertiò apponitur modus quo faciet. Inducuntur itaque *multi dicentes*. Per quod insinuatur quòd non omnes viri qui erant cum Dauide fluctuabant dictis phantasiis, sed aliqui eorum: quos tamen in communi Propheta & allocutus est & recitat, dicendo, *multi dicentes* (supple sunt, seu fuerunt) *quis videre faciet nos bonum?* Modus est loquendi expectantium & dubitantium: ex quo enim (vt dictum est) viderant Dauidem non vsum datâ occasione præualendi, dicebant: quis faciet videre nos bonum expectatum in sublimatione Dauidis in regem? quasi dicant, nullus amplius.

Leva super nos. Nota hîc duas similitudines. Altera est, quâ assimilatur diuina beneuolentia erga Dauidem & suos luci diuini vultus: sicut è conuerso voluntas puniendi assimilatur iræ seu indignationi diuini vultus. Et in promptu ratio est similitudinis: quoniam lucida facies, beneuola gratiosáque est: sicut iratus seu indignatus vultus vindicatiuus est. Altera similitudo est diuinæ faciei lucentis, ad solem corporeum sub hemisphærio inferiori existentem. Et prima quidem similitudo clarè significatur, dicendo, *lucem faciei tuæ Domine*: secunda autem dicendo, *leua super nos*: ad similitudinem siquidem lucis solaris cùm leuatur ad hemisphærium super nos oriente sole, petit quòd Deus leuet super se & suos lucem vultus sui. Ex quibus infertur tertia similitudo subintellecta, scilicet quòd Dauid describit se & suos esse tunc velut in nocte, & velut expectare eleuationem lucis solaris super hemisphærium. Iuxta hanc enim parabolam describit diuinam beneuolentiam erga eos esse tunc velut lucem adhuc existentem in alio hemisphærio: hoc est, non manifestam eis.

Diuina beneuolentia tanquã lux oritur Dauidi velut in nocte tenebris superfuso.

Et per modum supplicantis declarat quòd cùm Deus leuabit lucem vultus sui super nos (hoc est, apparere per beneficentiam faciet beneuolentiam suam super nos) tunc statim erit effectus: *Dedisti lætitiam in corde meo*: hoc est, lætabor ego ex corde, qui modò tristor propter vestram diffidentiam: & consequenter ij qui mecũ erunt lætabuntur. Et currit parabola: quia etiam naturaliter lætamur apparẽte luce solis super nos.

Memento hîc eius quod in titulo tertij Psalmi diximus, quòd facies apud Hebræos non habet numerum singularem: sed idem apud eos significatur per facies in numero plurali, quod apud nos per faciem seu vultum in numero singulari.

Respondit itaque Dauid quærentibus *quis faciet nos videre bonum?* quòd Deus leuans lucem vultus sui super nos, dabit lætitiam in corde meo: vt per hoc intelligas quòd de bono, hoc est, regno ipsius Dauidis expectato, quærebant: *quis faciet nos illud videre?*

A tempore. Aduerte hîc quòd nisi obstaret pronomen *suum* seu *eorum* (etiam repetitum) in promptu esset sensus literæ quòd expectandum est tempus quo Deus leuet lucem vultus sui super nos, quemadmodum *frumentum & mustum*

stum multiplicantur suo tempore: dum crescunt frumenta & vites & vuæ temporibus suis. Sed pronomen *eorum* seu *suum* (quod ex industria appositum videtur è regione contra pronomen *nos*, cùm dixit *leua super nos*) & similiter versiculus sequens totum tribuens soli Deo, obstant huic sensui. Apparet siquidem quòd Propheta intendit distinguere inter se & suos ex vna parte & alios ex alia parte: & dicere quòd alij multiplicant *frumentum & mustum à tempore*, seu (& in idem redit) aliorum frumentum & mustum multiplicantur à tempore, suum autem bonum non à tempore sed à solo Deo expectatur. Et intendit per multiplicationem frumenti & musti opulentiam. Metaphoricus siquidem sermo est: intendens quòd aliorum opes multiplicantur ex temporis beneficio. quemadmodum frumentum & mustum, hoc est, quemadmodum fructus vegetabilium: opes autem nostræ non ex beneficio temporis, sed à solo Deo expectandæ sunt. Et intendit Propheta per hoc ad literam respondere murmurationi suorum dicentium quòd ipse non est vsus beneficio temporis quo datus est Saul in manus eius: dixerunt enim tunc: *Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te: ecce ego tradam tibi inimicum tuum vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis*: ad hoc enim directè respondet quòd aliorum vtilitas ex beneficio temporis prouenit, siue iustè, siue iniustè (& propterea dixit *eorum*, seu *suum*) meum autem bonum à Deo solo subiungitur pendere, dicendo:

Multiplicatio frumenti & vini opulentia symbolum.

1. Reg. 24 5.

Vers. 8. IN PACE. Dixerat quòd alij à tempore multiplicant sua: ait nunc: Ego autem non à tempore, sed quia tu solus facies me habitare in securitate, ideo *iacebo simul & dormiam in pace*. Et totũ hoc fuit adimpletũ ad literam in regno Dauidis.

Describitur autem hîc omnimoda quies per *iacere simul & dormire in pace*: nam & iacere sine dormitione, inquietudinis est: & dormire absque cubitu, solicitudinis est: vtrumque autem habere sine pace, timentis est. Aptè autem omnimodæ quieti redditur causa secura habitatio. Hæc autem omnia futura asseruntur à Dauide: vt confidant in promissione diuini adiutorij, sicut & ipse absque hæsitatione futura prædicit.

Iacere & dormire in pace, quietem omnimodam significat.

IN SECVRITATE. Textus Hebræus habet *securitati* datiui casus: sed adiuncta est præpositio *in* propter constructionem. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori super hæreditatibus Psalmus Dauid.*

V.

2 *VERBA mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum.*

3 *Intende voci orationis meæ: Rex meus & Deus meus.*

4 *Quoniam ad te orabo Domine: manè exaudies vocem meam.*

5 *Mane astabo tibi & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.*

6 *Nec habitabit iuxta te malignus: neque permanebunt iniusti ante oculos tuos.*

7 *Odisti omnes qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium.*

8 *Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus: Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.*

Introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

9 *Domine deduc me in iustitia tua: propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.*

10 *Quoniam non est in ore eorum veritas: cor eorum vanum est.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti ad nechiloth Psalmus Dauidi.

V.

Propheta. DICTA mea ausculta Domine[4]: intellige locutionem meam.

2 Ausculta vocem † clamoris mei Rex meus & Deus meus: quoniam ad te orabo. † *voci.*

3 Domine[4] manè audies vocem meam: manè præparabor tibi & speculabor.

4 Quoniam non Deus volens iniquitatem tu: ideo non habitabit te malus.

5 Non stabunt insipientes coram oculis tuis: odisti omnes operantes iniquitatis.

6 Perdes loquentes mendacij: virum sanguinum & doli abominabitur Dominus[4].

7 Et ego in multitudine gratiæ tuæ introibo domum tuam: incuruabor ad templum sanctitatis tuæ in timore tuo.

8 Domine[4] deduc me in iustitia tua: propter inspectores meos rectam fac faciebus meis viam tuam.

9 Quoniam non est in ore eorum rectitudo, intimum eorum prauitates sunt:

11 *Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolosè agebant: iudica illos Deus*
Decidant à cogitationibus suis: secundùm multitudinem impietatum eorum expelle eos, quoniam irritauerunt te Domine.
12 *Et lætentur omnes qui sperant in te: in æternum exultabunt & habitabis in eis.*
13 *Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum: quoniam tu benedices iusto.*
Domine vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos.

sepulchrum apertum est guttur eorum, linguam suam lenificabunt.
10 Desolare fac eos Deus †, decident à consiliis suis in multitudine fallaciarum suarum: expelle eos, quoniam rebellauerunt in te. † Dij.
11 Et lætabuntur omnes sperantes in te, seculo cantabunt: & operire facies super eos, & exultabunt in te diligentes nomen tuum.
12 Quia tu benedices iustum Domine[4]: vt scuto voluntate tua coronabis eum.

COMMENTARIVS.

TItulus est *Vincenti*, quod exponitur vt supra in titulo quarti. *Ad nechiloth.* Dictio Hebraica tam multas habet significationes vt incertum sit an apposita sit in titulo ad significandum instrumentum seu aliquid musicum, an ad tangendum materiam Psalmi: nam significat instrumentum musicum, significat congregationes, vel hæreditates, vel conualles: nec ex antecedentibus & consequentibus particulis tituli, insinuatur optio significationis: prima tamen particula denotat quòd nomen Musici instrumenti, aut Musicæ modulationis nomen est. *Psalmus Dauidi*, vt suprà.

Nechiloth *quid?*

Materia Psalmi.

Circa materiam Psalmi clarè apparet quòd Dauid est auctor Psalmi, & ea quæ dicuntur in hoc Psalmo de persona loquente congruunt ipsi Dauidi: & ea quæ dicuntur de inimicis ipsius personæ loquentis, dicuntur de Iudæis: vt testatur Apostolus ad Roman. 3. inducens honum versiculum huius Psalmi: *sepulchrum patens guttur eorum, linguis suis dolosè agebant*. & dicens hoc dici de Iudæis qui sub lege erant. Quibus si adiungantur tres conditiones Dauidis loquentis (scilicet quòd erat affectus ad rectitudinem, ex versiculo 8. imò quòd erat iustus, ex versiculo vltimo: & quòd patiebatur inimicitias insidiosas, ex multis versiculis: & quòd culturus erat Deum in timore, adorando in templo, &c. ex versiculo 7.) & rursus si considerentur petitiones eiusdem (quòd scilicet petit quòd inimici *decidant à consilijs* & castigentur, & quòd *sperantes in Deo lætentur* ob benedictionem iusti) & rursus si considerentur euentus (nam describitur futurum quòd *virum sanguinum & doli abominabitur Dominus*, & ipse loquens *introibit in domum Dei*) facilè ex his omnibus collectis ante mentis oculos, apparet quòd Psalmus iste ad literam loquitur de Dauide iusto sublimando in regnum à Deo, deiecturo Saulem propter iniquitates eius. Ita quòd materia Psalmi non tam est Dauid dirigendus à Deo, & Saul deiiciendus à regno, quàm rectitudo seu iustitia Dauidis, & iniquitas Saulis & suorum, ob quas Deus Saulem deiecit, & Dauidem direxit, defendit ac benedixit: propterea enim totus Psalmus occupatur circa iustitiam & iniustitiam. Est itaque materia Psalmi ad literam deiectio Saulis à regno propter iniquitates eius, & defensio, directio atque benedictio Dauidis iusti ad regnum ob diuini cultus gloriã.

Rom. 3. 13.

SVMMARIVM EST.

PRopheta postquam Deum supplex adijt, describit seipsum ex orationis merito non solùm exaudiendum sed visurum exitum rei: scilicet quòd quia Deo displicent iniqua, deijciet Saulem & sublimabit misericorditer ipsum ad augmentum cultus diuini. Orationem autem suam subiungit: petens suiipsius directionem, hostium verò & consilia perire & iniquitates puniri: sperantium autem in Deo consolationem ob sui defensionem ac benedictionem. In quo progressu cernere potes quòd prius descripsit effectum orationis quàm orationem: ea fortè ratione quia describit effectum vt præuisum, & magis ex Deo quàm ex orationis merito.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. *Distributio Psalmi.*

DICTA MEA. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi: *Quoniam ad te.* Per hæc tria (scilicet *dicta, locutionem*, & *vocem clamoris*) quòd proponit, quantùm ad vim humani moris petit vt sua audiantur verba, & vt intelligatur quod dicit. & vt patienter auscultetur ardens desiderium suum: explicando per clamorem quòd loquitur ex ardenti desiderio.

Cur Deum cõpellat Dauid, Rex meus, & Deus meus?

Rex meus. Non sufficit proponere hæc Domino: sed multiplicat adiectiua, petendo à rege suo & Deo suo, dicens: *Rex meus & Deus meus*, duplici ratione: Altera est ad insinuandum ius suum: ac si diceret: Ad te spectat ex officio: quia es & *Deus meus*, ad quem debeo recurrere, & *Rex meus*, cuius est auscultare subditum suum. Altera est: quia desiderat & intendit loqui spectantia tum ad *Deum*: qualia sunt ea quæ sunt diuini cultus: tum ad *Regem*: qualia sunt ea quæ sunt regni proprij & deiectionis Saulis. Et propterea nominat ipsum *Deum & Regem. Deus meus*: est enim *Deus* naturâ: *meus* autem per gratiam cultus. Et commemoratur magnum beneficium per hoc quòd Deus dignatur esse & vocari *Deus meus.*

meus. Vnde & pluries in sacra Scriptura Deus promittit: *Ero vester Deus.* Et similiter Deus est rex, ex propria auctoritate regens vniuersum. Et magnum beneficium commemoratur dicendo *meus:* propter speciale regimen quo regebat populum Israël. Designatur quoque per hæc pronomina affectus ipsius Dauidis erga Deum: non per exclusionem aliorum, sed præ magnitudine amoris habentis Deum charum vt proprium: & similiter affectus proprius ad Deum vt Regem suum: pro quanto recurrebat ad eum tanquam ad proprium Regem pro iudicio & iustitia contra Regem Saulem.

Pars Executiua.

Vers. 3. QVONIAM AD TE ORABO. Incipit hîc pars Executiua, tali ordine. Primò tractantur illæ particulæ, *dicta mea ausculta*, &c. Secundò illa, *Deus meus*, ibi: *Quoniam non Deus.* Tertiò illa, *ausculta vocem clamoris mei Rex meus* ibi: *Domine deduc me.* Tractatur itaque primò recursus ad Deum propositus in primo versiculo Psalmi, declarando efficaciam orationis à tribus. *Quoniam*, inquit, *ad te Domine*, non ad hominem, non ad simulacra, *orabo:* ideo *manè audies vocem meã.*

Efficacia orationis à tribus.

Ecce primum *manè:* hoc est, hora congrua non ad vesperam. Et hoc ex parte Dei. Secundum est ex parte operis mei. *Manè*, hoc est, citò tempore congruo, *præparabor ad te*, disponam, præparabo meipsum ad te. Vera siquidem oratio quæ ex corde procedit, producit ordinationem & præparationem suiipsius ad Deum: fictè siquidem orat, qui ex vna parte orat & ex altera parte opere contradicit. Tertium est: *& speculabor.* Dictio enim Hebraica significat propriè videre expectantis: puta cùm homo expectat aliquem venturum, & attendit oculis ad videndum quando venit. Et propterea significatum est per verbum *speculabor:* quod significat videre tanquam è specula. Et describitur per hoc efficacia orationis in parte intellectiua ad videndum, sicut per præparationem describitur efficacia orationis in parte affectiua.

Vers. 4. QVONIAM NON DEVS VOLENS. Tractatur hîc illa particula, *Deus meus.* Tractatur autem describendo Deum respectu impiorum, & respectu ipsius timentis eum. Vbi aduerte quòd respectu impiorum describitur tripliciter. Primò pro radice & ratione omnium natura voluntatis diuinæ respectu impietatis seu iniquitatis: deinde respectu iniquorum: & demum in specie respectu Saulis. Aduerte autem perspicaciter quòd valde subtiliter Propheta describit diuinam voluntatem respectu iniquitatis: quia non per positiuum actum nolendi, sed per negationem actus volendi describit ipsam: non enim ait, *Deus nolens iniquitatem tu*, sed *non volens iniquitatem tu:* nam si Deus nollet iniquitatem fieri (hoc est, si vellet nullam iniquitatem fieri) nulla iniquitas fieret: quoniam *voluntati eius nullus resistere potest*, sed *omnia quæcunque voluit fecit*, & facit. Sed Deus non vult iniquitatem, cum quo *non velle* stat quòd velit permittere iniquitates. Vnde ex hoc textu Theologi fundamentum habent doctrinæ in suis libris traditæ de velle diuino circa peccata.

Diuina voluntas circa iniquitatem non per positiuum actum nolendi, sed per negationē actus volendi describitur.

Vnde ex hac prophetica litera habemus Primum quòd Deus non vult iniquitatem. Secundum quòd inter deos quos gentiles adorabant & *Deum meum*, hæc est differentia: quoniam illi dij reputantur volentes iniquitates: vtpote quibus placebant impudica, &c. *Deus* autem *meus, non Deus volens iniquitatem.* Tertium quòd hoc (scilicet non velle iniquitatem) conuenit voluntati diuinæ ex diuina natura, significata per nomen *Deus.* Et propterea non est dictum, *quoniam non volens iniquitatem tu:* sed est dictum, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu:* vt ex Dei nomine naturalitatem non volendi iniquitatem intelligeres. Pro radice itaque omnium dicendorum dicitur, *quoniam non Deus volens iniquitatem tu:* & propterea proponitur coniunctio *quoniam.* Continuatur autem sententia hæc præcedenti versiculo: quia introducitur per modum rei speculatæ. Ac si dixisset *& speculabor* hoc: scilicet *quoniam non Deus volens iniquitatem tu:* & consequenter subiungitur, *non habitabit*, &c. id est, ideo non habitabit, &c.

NON HABITABIT TE MALVS. Ex hoc quòd Deus non est volens iniquitatem, primum deducitur negatio habitationis mali apud Deum. Et quadrat voluntati non volenti iniquitatem, quòd non patiatur secum habitationem personæ malæ: quoniam malitiâ iam exclusâ per voluntatem, non est per voluntatem prædictam exclusa cohabitatio hominis iniqui: stat enim quòd homo non velit iniquitatem, & tamen compatiatur secum habitare hominem iniquum. Non sic, inquit Propheta, tu facies: quoniam ex eo quòd non vis iniquitatem, non permittes habitare tecum hominem malignum. Hic sensus obscurè in Hebræo scribitur: quoniam nulla iungitur præpositio pronomini *te*, non enim dicitur *iuxta te*, aut *tecum:* sed dicitur, *non habitabit te malus.* Et apparet metaphorico sermone dici ad Deum quòd malus non habitabit te tanquam habitaculum: hoc est, quòd tu non eris habitaculum personæ malæ: quod est dicere, tu non facies tecum habitare personam malam. Altera negatio subiungitur:

Deus non patitur habitare secum malignum.

Vers. 5. NON STABVNT INSIPIENTES. De insipientia opposita sapientiæ quæ est primum donum Spiritus sãcti loquitur Et vbi primò exclusi sunt iniqui ab habitaculo Dei, modò excluduntur à conspectu oculorum eius: ita quòd non solùm non admittuntur ad domum, sed nec admittuntur ad conspectum: intellige eo modo quo grati stant in conspectu dominorum. Deinde subiunguntur affirmationes. Prima quoad interiorem actum.

ODISTI OMNES OPERANTES INIQVITATIS. Sic habetur in Hebræo: habetur enim participium iunctum genitiuo: quod translatio Latina sufferre potest: quia transit in vim nominis. Et hoc infinities in hoc Psalterio inuenitur. Sed sensus in idem redit ac si construeretur cum casu verbi. *Altissimus* enim *odio habet peccatores.* Nec solùm odisti, sed *perdes*, actu exteriori punies, occides, *loquentes mendacij*, mendaces. Et intelligitur de mendacio pernicioso. Ex quibus colligere facilè potes duas negationes, & duas affirmationes Dei respectu impiorum consequẽtes ex hoc quòd Deus non vult impietatem.

Deus odit & perdet impios.

Sap. 12. 7.

Vers. 6. VIRVM SANGVINVM. Describitur dispositio diuinæ voluntatis in speciali respectu Saulis. *Virum*, inquit, *sanguinum*, propter cladem innocentum sacerdotum cum tanta sæuitia etiam in mulieres & paruulos, 1. Regum 22. doli, rum propter tot dolos quibus vsus est in Dauidem, & quia promisit ei filiam *in scandalum*, 1. Regum 18. & quia petiit præputia Philistinorum, & quia occultè mandauit vt occiderent Daui

Saul. vir sanguinũ propter cadem Nobæ.

1. Reg. 22. 19

1. Reg. 18. 21

Dauidem,&c. Tum in Deum: pro quanto in percussione Amalech fraudem commisit, parcendo optimis gregibus ouium & armentorum & vniuersis quæ pulchra erant, sub prætextu vt immolarentur Domino, 1 Regum 15. *Abominabitur Dominus*, tanquam abominabilem deiiciet à regno: vt ibidem dixit Samuel: *Abiecit te Dominus ne sis rex.* 1.Reg.15.26

Vers.7. Et ego in mvltitvdine. Declaratâ dispositione voluntatis diuinæ erga impietatem, impios, & Saulem, subiungit dispositionem eiusdem diuinæ voluntatis erga seipsum Dauidem: *Et ego*, abiecto Saule, *in multitudine gratiæ tuæ.* Dicendum erat hîc consequenter ad præcedentia, & ego in iustitia mea seu in voluntate tua iusta: sed neutrum subiunxit, recognoscens futurum seu bonum à gratia diuina: nec à simplici gratia sed à multitudine gratiæ. *Introibo domum tuam, incuruabor ad templum sanctitatis tuæ.* Vtrumque horum intelligitur quantum ad affectum & dispositionem Dauidis. Habebat enim voluntatem ædificandi domum Domini: & sic ingredi illam & curuus adorare in templo. Nec fuit mendax quia hoc non adimpleuit: quoniam non stetit per eum, sed Deus laudauit propositum eius, noluit autem quòd per seipsum sed per filium exequeretur: vt patet 2 Regum 7. Vnde verba hæc ad personam Dauidis in seipso relata, verificantur quantùm ad votum: quia votum habebat introeundi & adorandi. Relata autem ad Dauidem in successione eius verificantur etiam quantùm ad effectum: quoniam ipse in successione filiorum suorum introiuit in domum & adorauit in templo.

Vbi nota duo: Alterum est quòd Dauid prædicit se sublimandum in regem ad augmentum & ornamentum diuini cultus: dum describit se ingressurum domum Dei & adoraturum in templo: hoc enim nihil aliud est quàm dicere quòd Ego ædificabo templum abiecto Saule. Alterum est, contra id quod dixerat, *vir sanguinum*, &c. contraponit; *& ego*: contra id quod dixerat *odisti, perdes, abominabitur*, contraponit *in multitudine gratiæ tuæ*: contra id quod dixerat *non habitabit te malus*, contraponit, *introibo domum tuam*: contra id quod dixerat *non stabunt coram oculis tuis*, contraponit *incuruabor ad templum sanctitatis tuæ*: & demum contra id quod dixerat de impietate, contraponit *in timore tuo*: ita quòd non fictè, non exteriori tantùm incuruatione aut cerimoniâ, sed in interno timore tuo introibo & incuruabor. Hæc quoad Deum.

Varia cötrapositiones.

Vers.8. Domine dedvc me. Incipit hîc tractari illa particula, *ausculta vocem clamoris mei Rex meus.* Describit siquidem Dauid seipsum positum in periculo insidiantium sibi hostium, affectum ad gradiendum in via Dei: & propterea petentem directionem & deductionem in iustitia. Vbi diligenter nota quòd duas petitiones proponit: Altera est, *Domine deduc me*, esto mihi dux ad regnum promissum, *in iustitia tua*, quâ odisti operatios iniquitatis & abominaris virum sanguinum & doli, *propter inspectores meos*, Saulem & suos qui insidiantur mihi. Petit ergo per hoc iustitiam contra illos, deductiuam sui ad regnum quod fuit adimpletum ad literam in monte Gelboe. Aduerte quòd insidiatores ab actu inspiciendi eo modo quo obseruatores inspicere conantur, significat, & hîc & sæpe in sequentibus Psalmis. Secundò petit *rectam fac faciebus meis*

Duæ Dauidis petiones.

viam tuam. Non eget via Dei, vt dirigatur aut recta fiat (quoniam omnis via Dei est in se recta) sed egemus nos vt recta via Dei fiat ante oculos nostros. Et hoc ad differentiam postergantium rectam viam Dei propter eius ignorantiam aut passiones animi. Affectum itaque suum ad ambulandum per viam Dei, manifestat per hanc petitionem Dauid, & petit à Deo adimpleri: vt inter tot pericula rectâ gradiatur viâ, habeat semper ante oculos suos viam Dei pro via recti sui itineris.

Vers.9. Qvoniam non in ore. Prosequitur Dauid primam petitionem, afferendo rationem iustitiæ petitę à Rege suo contra insidiatores suos ex multis eorum criminibus. Et inchoat à peccato oris. *Quoniam non in ore eorum*, insidiantium scilicet, *rectitudo*: dicebant enim ea quę non recta sunt contra Dauidem. Et subiungit peccatum cordis: *Intimum eorum prauitates.* Patet vtrumque horum in historia libri Regum. Tertium crimen: *Sepulchrum apertum guttur eorum*: & per assimilationem gutturis ad sepulchrum patens seu apertum, licet possit intelligi fœtor egrediens ex corde eorum, aptius tamen intelligitur parata voracitas ad deglutiendum Dauidem: ita quòd præparatio eorum ad necem eius erat sicut præparatio sepulchri patentis ad sepeliendum: vbi nihil deest nisi proiicere hominem in sepulturam: non enim oportet laborare ad fodiendum sepulchrum, aut ad aperiendum illud. Et vt vno verbo dicatur, significatur per hanc similitudinem, quòd sola executio occisionis meæ deest.

Quartum crimen: *Linguam suam lenificabunt.* Crimen ficti sermonis significatur, blandè scilicet loquentium & ad malū tendentium: quæ patent in libro Regum, quando blandè loquebantur Dauidi super filia Saulis & præputiis Philistinorum: *Ecce places regi*, &c. 1. Regum 18. Et aduerte in his quatuor descripsisse Prophetam insidiatores suos in corde, in gutture, in lingua & in ore. 1.Reg.18.22

Vers. 10. Desolare fac eos Devs. Allegatis criminibus petit actus iustitiæ tres. Primus est *desolare fac eos Deus.* Pœna petitur præsentis vitæ, adimpleta partim per Philistæos cùm interfecerunt Saulem & filios eius, partim successiuè per alios qui desolauerunt domum Saulis.

Tres actus iustitiæ erga hostes suos à Deo exorat Dauid.

Decident a consiliis svis. Secundus actus iustitiæ est, efficere ne noceant: hoc enim significat quòd decident à consiliis suis contra Dauidem initis. Et hoc significatur adiungendo, *in multitudine fallaciarum suarum*: constat enim ex historia lib. Regum fuisse plena fallaciis consilia Saulis contra Dauidem.

Expelle eos qvoniam rebellaverunt in te. Tertius actus est, expulsio eorum à regno. Et adiungitur maior causa, *quoniam rebellauerunt in te.* Et petitur expulsio eorum à regno, quoniam rebellauerunt contra Deum. Quod fuit 1. Regum 15. cùm non acquieuerunt præcepto diuino circa anathema Amalechitarum. Vnde dixit tunc Samuel ad Saulem: *quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Et tunc Samuel prædixit quòd expellēdus esset à regno: & expressè 1 Paralip 10. dicitur quòd *propter hoc interfecit eum Dominus, & transtulit regnum eius ad Dauid filium Isai.* 1.Reg.15.23 1.Paralip.10.14.

Vers. 11. Et lætabvntvr omnes sperantes in te. Prosequitur Dauid secundam petitionem, quâ petiit dirigi coram se viam Dei.

Prose

Tres fructus. Prosequitur autem recensendo fructus qui sequentur ex huiusmodi directione. Vnde primò ponit fructus: & vltimò directionem ipsam respectu sui pro causa fructuum, ibi: *quia tu benedices.* Primus ergo fructus erit quòd *latabuntur omnes sperantes in te.* Vbi scito quòd dictio Hebraica ab interpretibus explicata per spem, dicitur significare plus quàm spem: quoniam significat committentes se sub protectione alicuius: quod est plus quàm sperare. Et de istis dicitur quòd *latabuntur:* vtpote assecuti effectum protectionis. *Latabuntur* autem *in te*, Deo.

SECVLO CANTABVNT, ET OPERIRE FACIES SVPER EOS. Secundus fructus est quòd cantabunt toto tempore vitæ suæ, hoc enim significat *seculo.* Vbi scito quòd dictio Hebraica significat *laudando cantare:* ita quòd fructus est quòd laudando cantabunt. Et huius ratio assignatur (quãuis præpostere scripta) diuina protectio, significata dicendo: *& operire facies super eos.* Directè siquidem hic diuinus actus respondet submissioni antedictæ committentium se sub protectione eius. Et intendit quòd illi Deo protegente non solùm lætabuntur, sed *laudando cantabunt*, assecuti intentum. Ordina literam sic: *& operire facies super eos, seculo cantabunt.* Textus Hebræus habet *seculo* datiui casus: sed Latina constructio vtitur pro ablatiuo. Et hoc semel pro semper intellige millies in sequentibus, vbi inuenies tempus significari *seculo*, vel *aterno*, vel *sempiterno.*

ET EXVLTABVNT IN TE DILIGENTES NOMEN TVVM. Tertius fructus est diligentium, quòd diuinum nomen sanctificetur, glorificetur, &c. qui sunt meliores quàm sperantes. Et fructus est quòd *exultabunt in te* quod plus est quàm lætari, laudare & cantare. Et intellige hos fructus ad literam dici de viris probis expectantibus regnum Dauidis à Deo. Vnde & omnium ratio subditur:

Vers. 12. QVIA TV BENEDICES IVSTVM DOMINE, VT SCVTO VOLVNTATE CORONABIS EVM. Et intendit ad literam duo beneficia conferenda Dauidi, ordine retrogrado scripta. Primum est defensionis, significatum dicendo: *vt scuto voluntate coronabis eum.* Sumitur enim hìc *coronare* pro *circundare:* vt similitudo scuti testatur. Et intendit quòd Deus voluntate suâ circumdabit Dauidem tanquam circumdaret eum scuto defensiuo. Significatur enim scutum longum quod circumdat ferè totum hominem. Et minus dixit quàm significauit: quia plus Deus circumdat voluntate quàm circumdare possit scutum. Secundum est collatio regni, significata dicendo: Tu Domine benedices iustum. *Benedicere* quippe Dei, est benefacere, & beneficium diuinum expectatum vt conferatur iusto Dauidi, regnum erat. Et propterea posuit vtrumque: & defensionem ab inimicis, & benedictionem benefaciendo Dauidi iusto: quod è regione ponitur contra eiectionem Saulis iniqui. Amen.

Coronare, pro circumdare.

Benedicere Dei, est benefacere

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori in canticis super octaua, Psalmus Dauid.*	Vincenti in modulationibus super octaua, Psalmus Dauidi.
VI.	**VI.**
2 *DOMINE ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.*	1 *Propheta.* DOMINE [4] ne in furore tuo argue me: & ne in ira tua castiga me.
3 *Miserere mei Domine quoniam infirmus sum: sana me Domine quoniam conturbata sunt ossa mea.*	2 Miserere mei Domine [4], quoniã æger sum ego: medere me Domine [4], quoniam territa sunt ossa mea.
4 *Et anima mea turbata est valde: sed tu Domine vsquequo?*	3 Et anima mea territa est valde: & tu iratus eris Domine [4] vsquequo?
5 *Conuertere Domine & eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam.*	4 Reuertere Domine [4]: erue animam meam, saluum me fac propter gratiam tuam.
6 *Quoniam non est in morte qui memor sit tui: in inferno autem quis confitebitur tibi?*	5 Quoniam non est in morte recordatio tui: in fouea quis confitebitur tibi?
7 *Laboraui in gemitu meo: lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo.*	6 Laboraui in suspirio meo: natare faciam in omni nocte lectum meũ, in lachryma mea stratum meum liquefaciam.
8 *Turbatus est à furore oculus meus: inue-*	7 Tineauit ab ira tua oculus meus: qui inueterauit

terauí inter omnes inimicos meos.
9 *Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei.*
10 *Exaudiuit Dominus deprecationem meam: Dominus orationem meam suscepit.*
11 *Erubescant & conturbentur vehementer omnes inimici mei: conuertantur & erubescant valde velociter.*

terauit in omnibus angustiis meis.
8 Recedite à me omnes operantes iniquitatem: quoniam audiuit Dominus [4] vocem fletus mei.
9 Audiuit Dominus [4] supplicationem meã: Dominus [4] orationem meam suscipiet.
10 Erubescent & terrebuntur valde omnes inimici mei: reuertentur & erubescent subitò.

COMMENTARIVS.

Titulus est. *Vincenti in modulationibus super octaua Psalmus Dauidi.* Vbi scito quòd *octaua* nomen est instrumenti musici octo chordarum. Et eadem dictio Hebraica ponitur hic pro qua dicimus *in modulationibus*, quæ posita fuit in titulo quarti Psalmi. Et hinc apparet quòd significat non instrumentum sed modulationem, ex eo quòd adiungitur super octaua, Significatur enim quòd Psalmus iste datus est præsidenti in modulationibus: hoc est in certis modis cantandi seu sonandi super octaua, super instrumento octo chordarum. Reliqua expone vt supra.

Octaua nomẽ est instrumẽti Musici octo chordarum.

Materia Psalmi.

Circa materiam Psalmi clarum est ex eo quòd Dauid est auctor Psalmi,& ea quæ hîc dicuntur congruunt personæ Dauidis multum afflictæ, quòd Psalmus ad literam loquitur de Dauide: sed de qua eius afflictione tractet, ex Psalmo accipiendum est. Legimus Dauidem quater afflictum: scilicet in persecutione à Saule: in reprehensione à Nathan simul cum morte filij: in persecutione ab Absalom: & in percussione populi ab Angelo. Et quia hîc describitur Deus iratus contra Dauidem,& Dauid promittens omni nocte lectum lauare lachrymis, quod pœnitentis est, excluditur persecutio Saulis. Et quia explicantur pluries inimici Dauidis, & Dauid petit non mori, excluditur afflictio ex persecutione populi, in qua Dauid petiit oppositum, 1. Paralip. 21. *Domine Deus vertatur obsecro manus tua in me & in domum patris mei.* Nec habuit ibi locum concursus inimicorum. Et ex hoc capite excluditur afflictio cùm reprehensus fuit à Nathan & mortuus est filius, non enim patiebatur ab inimicis sed à Deo. Et quia in persecutione quam passus est ab Absalom, Deus inuenitur iratus & Dauid territus, & interuenerunt inimici operarij iniquitatis,& defecerunt subitò, & Dauid multam tunc monstrauit humilitatem (nudis pedibus & operto capite incedendo,&c.) ideo rationi consentaneum est quòd materia huius Psalmi ad literam est recursus Dauidis ad Deum pro misericordia in persecutione ab Absalom.

Dauid quater fuit afflictus.

1. Paralip. 21.17.

SVMMARIVM EST.

Dauid patiens persecutionem ab Absalom imbecillis & territus, petit à Deo misericordiam, proferens pœnitentiæ actus assumptos, futurósque promittens: & exauditus negationem diuinæ iræ erga se prædicit, ita quòd erubescent & reuertentur retrorsum subitò inimici eius.

Persona loquens Propheta est.

Domine ne in fvrore. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi: *quoniam æger.* Proponit duo: scilicet negationem iræ & gratiam misericordiæ. Proponit autem deprecatiuè vtrumque, quia vtrumque ex diuina expectat gratia. Et primò quòd non agat secum in ira & furore: hoc est non castiget eum tanquam indignatus contra eum sed paternè: hunc enim effectum proponit: *Domine ne in furore tuo*, hoc est, non tanquam motus furore, *argue me: & non in ira tua*, hoc est, tanquam excandescens, accensus ira, *castiga me.* More siquidem humano rogat quòd neque verbo arguat, neque opere castiget ipsum Deus tanquam indignatus. Et verè sic fuit: quoniam tanquam pater & arguit & castigauit eum. Et scito quòd dictio Hebraica interpretata *furor*, significat propriè illam animi indignati passionem quæ naso sufflante seu fumante apparet. Et hoc etiam intellige semel pro semper. Dictio verò interpretata *ira*, significat illam indignati animi passionem, quæ ex calore velut excandescentia quadam apparet. Deprecatio autem gratiæ subiungitur, *miserere mei Domine*: in miseria quippe constitutus propter scelera sua misericordiam petit, non rerum suarum sed sui.

Vers. 1.

Furor hic quid significet?

Vers. 2. Qvoniam æger ego. Incipit hîc pars Executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *Miserere mei Domine.* Secũdò tractatur illa, *Domine ne in furore*, &c. ibi: *Quoniam non in morte.* Petendo autem misericordiam explicat qualis est & quid desiderat, scilicet viuere & saluari. Aduerte hîc quòd in progressu petitionum describit seipsum Dauid tripliciter, scilicet quoad animam, quoad ossa, quoad seipsum & quartò ex parte Dei prorogantis. Et quantum apparet, descriptio suiipsius est ad similitudinem *ægri*: ac si ex terrore animæ & ossium effectus impotens, petat medicinam & salutem. Et intendit per hæc significare impotentiam suam ad saluandum se ab Absalom, Deo stante auerso ab ipso Dauide & terrente ipsum tantâ persecutione. Vide singula.

Pars Executiua.

Comparat se Dauid ægro.

Quoniam æger ego, quia ad similitudinem non mortui sed ægri deueni, ideo *medere me Domine*, medici vtere officio. Rursus quoniam tam *ossa mea*, firmiores animi partes (mens & ratio considerantes diuina consilia) quàm *anima mea*, inferior pars animæ ab officio animandi corpus denominata, *territa* sunt, in hoc euentu (& anima plus territa dicitur addendo *valde*: quia multum timebat mori in illo casu. Nec solùm ex parte mea experior territam animam vsque ad ossa, sed etiam

etiam ex parte tua experior : *& tu Domine vsque-quo :* hoc est, & nescio vsquequo tu Domine iram tuam exercebis, an vsque ad consumptionem an citra, an diu, an paruo tempore :) ideo *reuertere* quæso *Domine*. Fuisti mihi beneficus, recessisti puniendo & eiiciendo me à regno, reuertere beneficus : & *erue animam meam*, vitam meam à periculo mortis : *saluum me fac*, à persecutione ista, non propter merita mea, sed *propter gratiam tuam*.

Nec obstat dictis quòd audisset Dauid à Nathan Propheta, *non morieris :* quoniam dubitauit an hoc fuerit dictum pro tunc quando mortuus est filius : ex eo enim quòd videbat impleri verbum aliud dictum à Nathan (*Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua*) timuit ne impleretur etiam illud aliud simile dictum : *non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum*.

2.Reg.12.11

2.Reg.12.10

Vers. 5. Qvoniam non in morte. Tractatur hîc illa particula, *Domine ne in furore*, &c. describendo suam pœnitentiam voluntariam & rationem pœnitendi : à qua inchoat dicendo, *quoniam non in morte*. Vbi nota quàm rectæ fuerit rationis & intentionis pœnitentia Dauidis. *Rationis* quidem : quia non distulit pœnitentiam agere vsque ad mortem. *Intentionis* autem, quia pœnituit ad offerendum Deo sacrificium memoriæ & laudis in reliqua sua vita.

Impœnitētia Dauidis quā rectæ rationis & intētionis.

Quoniam, inquit, *non in morte recordatio tui* (mortuus enim quatenus mortuus est non recordatur Dei. Quod etiam à loco explicatur : *in fouea*, sepulcri, *quis confitebitur tibi*, confessione laudis, fidei aut peccatorum ? quasi dicat, nullus) ideo ego non distuli pœnitere. Sed *laboraui in suspirio meo*, hoc est, fatigatus sum suspirando ad te. Sciebat Dauid se propter crimina adulterij & homicidij in persecutionem hanc incidisse: & ideo commemorat inchoatam iam suam pœnitentiam, qua diuturnus gemitus simul & spes significatur : gemitus enim cum spe in suspirio, diuturnitas autem in fatigatione inuenitur. Nec propterea cessabo, sed plus faciam in futurum, perseuerando in pœnitentia. Quoniam *natare faciam in omni nocte lectum meum, in lacryma mea stratum meum liquefaciam*. Et est sermo hyperbolicus promittere tantum fletum quòd natare faciet lectum, hoc est, culcitram & huiusmodi : & rursus cum tanta abundantia quòd fluet : hoc enim significat *lachrymâ meâ stratum meum liquefaciam :* hoc est, cum tanta abundantia quòd liquefaciet, hoc est liquescere, id est, fluere faciet stratum sicut fluunt niues liquescentes. Vbi cerne inchoatam pœnitentiam in eo quòd fatigatus est suspirando : & quòd promittit prosecutionem per singulas noctes cum tanta abundantia fletus. Deinde subiungit alias suas pœnas.

Hyperbole.

Vers. 7. Tineavit. Vsurpata est dictio hæc vt responderet Hebrææ. Si dixisset, corrosus est oculus meus ab ira tua, solam oculi passionem significasset : sed dicendo *tineam*, describit non solam passionem corrosi oculi, sed etiam actionem quâ ipsemet oculus protulit sibi tineam quæ corrodit eum. Ad significandum itaque quòd recognoscit se culpabilem, quòd oculus suus specialiter fuit causa quòd oportuit ipsum tantùm flere, quòd sicut corrosi sunt oculi *ab ira* Dei consideratâ, vsus est metaphorâ tineæ. Et verè *tineauit oculus* Dauidis quando *vidit mulierem lauantem se pulchram valde*, &c. hoc enim fuit causa quare velut corrosi sunt postea oculi flendo, considerando iram Dei.

2.Reg.11.2.

Inveteravit in omnibvs angvstiis meis. Ad prouocandum magis Dei misericordiam, apponit conditionem oculorum suorum : scilicet quòd inter angustias inueterauerunt : Dauid siquidem ab adolescentia sua profugus à facie Saulis, multas passus est angustias, propter quas seniles anticipauit defectus. Ac si apertè diceret : Tantò amplius miserere, quantò oculi modò corrosi iam seniles sunt propter angustias meas omnes quas tanto tempore passus sum.

Vers. 8. Recedite a me omnes operantes iniqvitatem. Effectus tam orationis quàm pœnitentiæ partim actæ, partim promissæ, congruè subiungitur : declarando primò effectum orationis in ipso Dauide : & deinde in ipsis hostibus. Exauditus siquidem Dauid, certificatus est Deum non agere secum vt indignatum, sed vt patrem. Et propterea apostrophans ad inimicos suos ait, *recedite*. Et hoc ad literam impletum fuit quando ordinauit aduersus illos bellum defensiuum: hoc est enim monere, seu imperare eis, *recedite à me omnes operantes iniquitatem* (hoc est operarij iniquitatis coniurati cum Absalom) *quoniam audiuit Dominus*, pro exaudiuit, *vocem fletus mei*. *Audiuit Dominus supplicationem meam*. Dictio Hebraica sonat *deprecationem miserabilem :* hoc est prouocatiuam ad misericordiam. Et significatur per hæc duo (scilicet preces prouocatiuas ad misericordiam, & fletum) recursus ad Deum ex intimo afflictóque corde adhibitis signis externis.

Effectus pœnitentiæ Dauidis.

Vers. 9. Dominvs orationem meam svscipiet. Describitur effectus orationis in executione facta in hostibus : Absalom scilicet & suis. Et propterea in futuro describitur respectu reuelationis factæ Dauidi : *Dominus*, inquit, *orationem meam suscipiet*, quantùm ad executionem.

Et propterea *erubescent & terrebuntur valde omnes inimici mei, reuertentur & erubescent subitò*. Manifestè hîc describitur confusio exercitus Absalom. *Erubescent*, inquit, *& terrebuntur*, non parum sed *valde omnes inimici mei*, fautores Absalom : percusso enim exercitu reliqui fuerunt territi & confusi : & ipse etiam exercitus dispersus est, mortuis viginti millibus ex eis. Et propterea subditur : *reuertentur & erubescent*, seu confundentur *subitò :* tam parum enim durauit regnum Absalom quòd dicuntur subitò defecisse : & etiam quia mortuo Absalom statim omnes inimici confusi sunt. Amen.

Momentaneū Absalonis regnum.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Ignoratio Dauid, quam cecinit Domino super verba Chusi filij Iemini.*

VII.

2 *DOMINE Deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me & libera me.*

3 *Ne quando rapiat vt leo animam meam: dum non est qui redimat, neque qui saluum faciat.*

4 *Domine Deus meus si feci istud: si est iniquitas in manibus meis.*

5 *Si reddidi retribuentibus mihi mala: decidam meritò ab inimicis meis inanis.*

6 *Persequatur inimicus animam meam: & comprehendat, & conculcet in terra vitam meam, & gloriam meam in puluerem deducat.*

7 *Exurge Domine in ira tua: & exaltare in finibus inimicorum meorum.*

8 *Et exurge Domine Deus meus in praecepto quod mandasti: & Synagoga populorum circumdabit te.*

9 *Et propter hanc in altum regredere: Dominus iudicat populos.*

Iudica me Domine secundùm iustitiam meam: & secundùm innocentiam meam super me.

10 *Consumetur nequitia peccatorum & diriges iustum: scrutans corda & renes Deus.*

11 *Iustum adiutorium meum à Domino: qui saluos facit rectos corde.*

12 *Deus iudex iustus, fortis & patiens: nunquid irascitur per singulos dies?*

13 *Nisi conuersi fueritis: gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit & parauit illum.*

14 *Et in eo parauit vasa mortis: sagittas suas ardentibus effecit.*

15 *Ecce parturijt iniustitiam: concepit dolorem & peperit iniquitatem.*

16 *Lacum aperuit & effodit eum: & incidit in foueam quam fecit.*

17 *Conuertetur dolor eius in caput eius: & in verticem ipsius iniquitas eius descendet.*

18 *Confitebor Domino secundùm iustitiam eius: & psallam nomini Dñi altissimi.*

IVXTA HEBRÆVM.

Error Dauidi quem cecinit Domino ⁴ super verba Æthiopis filij Iemini.

VII.

1 *Propheta.* DOMINE ⁴ Deus meus in te speraui: saluum fac me ab omnibus sequentibus me, & libera me.

2 Ne quando rapiet vt leo animam
erit
meam: lacerans & non liberans

3 Domine ⁴ Deus meus si feci istud: si est iniquitas in volis meis.

4 Si retribui pacifico meo malum: & erui angustatorē meum inaniter.

5 Sequetur inimicus animam meam: & apprehendet & conculcabit in terra † vitā meā, & honorem meū † terra.
in puluere † habitare faciet. *Selah.* † puluer.

6 Surge Domine ⁴ in furore tuo: eleuare in indignationibus angustatorum meorum, & expergiscere
quod
ad me iudicio mandasti.

7 Et congregatio populorum circumdabit te: & super ea in excelsum † reuertere. † excelsō.

8 Dominus ⁴ iudicabit populos: iudica me Domine ⁴ secundùm iustitiam meā, & secundùm simplicitatem meam super me.

9 Complebit nunc malum impios, & firmabis iustum: & probans corda & renes Deus † iustus. † Dij.

est
10 Clypeus meus super Deo † saluante rectos cordis. † Dij.

11 Deus † iudicans iustum: & Deus † Dij.
est
irascens in omni die.

Saul Deus
12 Si nō reuertetur, gladiū suū poliet: arcum suū tetendit & parauit illū.

appositiuè
13 Et illi parauit vasa mortis: sagittas suas persequentibus operabitur.

Saul
14 Ecce parturiet iniquitatem & concipiet dolorē: & pariet falsitatem.

15 Foueam aperuit & effodit eam: & in-
quam
cidet in foueam operabitur.

16 Reuertetur labor eius in caput eius: & super verticem eius iniquitas ipsius descendet.

17 Confitebor Dñm ⁴ secundùm iustitiā eius: & cantaui nomē Dñi ⁴ excelsi.

COM

COMMENTARIVS.

Error hic quid? Titulus est: *Error Dauidi quem cecinit Domino super verba Æthiopis filij Iemini.* Prima dictio variè exponitur: alij putant esse nomen instrumenti musici: alij nomen speciei cantus. Communis tamen sensus intelligit *errorem:* hoc est, errorem per ignorantiam: quamuis alias habeat significationes dictio hæc. Et quoniam in toto Psalmo nulla fit mentio de aliquo errore seu peccato quocunque ipsius Dauidis, imo totus Psalmus plenus est innocentiæ & iustitiæ ipsius, nec vnquam petit misericordiam sed iustitiam, ideo difficilem ingerit quæstionem error iste. Cuius solutio est quòd non describitur error Dauidis vt personæ errantis seu ignorantis, sed vt personæ quę est materia erroris circa quam est erratum. Et hoc quadrat ei quod sequitur, *quem cecinit Domino, super verba,* &c.

Materia Psalmi. Ad cuius euidentiam oportet materiam Psalmi discutere: quoniam titulus iste significatiuus est materiæ. Apparet enim ex Psalmo clarè quòd de Dauide innocente, & excusante innocentiam suam cum execrationibus, & iusto, & habente hostes est sermo, contra hostes eius, & quòd petit iustitiam. Vnde excluditur causa eius contra Absalom: quoniam constat propter crimina sua tunc passum Dauidem: vt patet 2. Regum 12. Excluditur quoque (vt dictum est) omne peccatum cuiuscunque ignorantiæ.

De Dauide profugo à Saule. Et omnibus circumspectis apparet quòd Psalmus iste ad literam loquitur de Dauide profugo à Saule: quadrat enim iustitia eius, quadrat innocentia, quadrat imputatio, qua in primis ipse Saul (vt patet 1. Regum 22.) imputauit Dauidi quòd Dauid insidiaretur aduersus Saulem: hoc est, machinaretur ad regnum. Vnde dixit: *Non est qui annunciet mihi, omnes coniurastis aduersus me: cùm & filius meus fœdus inierit cum filio Isai, & suscitauerit seruum meum aduersum me insidiantem mihi vsque hodie.* *1. Reg. 22. 8.* Hæc enim sunt verba significata in hoc titulo, dicendo: *super verba Chus filij Iemini:* Chus enim Æthiopem significat. Appellatúsque est Saul Æthiops, eo quòd nunquam potuerit mutare suam nigredinem, quam conceperat aduersus Dauidem, licet pluribus viribus expertus fuerit, & confessus innocentiam Dauidis. Et appellatur filius Iemini, quia (vt patet 1. Regum 9.) erat de stirpe Iemini. Quadrat & huic materiæ tam petitio iustitiæ quàm prophetia occasus Saulis: nam etiam species mortis eius prædicitur circa finem Psalmi, gladio & sagittis. Quia ergo verba Saulis imputantis Dauidi crimen aspirationis ad regnum soceri sui, erronea erant (ignoto animo Dauidis) ideo titulus ab errore Dauidis vt materiæ circa quam errabatur inchoat. Et propterea subiungitur: *quem cecinit Domino:* quoniam solus Deus erat testis animi eius innocentis. Significat ergo titulus iste materiam Psalmi esse erroneam imputationem significatam verbis Saulis.

Nec per hoc intelligas quòd ipse Saul ignoranter errando imputauerit hoc Dauidi (quandoquidem ex Scriptura apparet quòd ex proposito, præuidens prudentiam, fortitudinem, gratiámque coram populo, aliásque partes Dauidis, timuit quod postea euenit: scilicet regnum non esse firmandum in domo sua: & propterea persecutus est Dauidem) sed intellige errorem tum respectu ignoti animi ipsius Dauidis, tum respectu aliorum hoc putantium. Nabal enim 1. Regum 25. dixit: *Hodie increuerunt serui qui fugiunt dominos suos,* &c. *1. Reg. 25. 10* Et Semei 2. Regum 16. ait: *Inuasisti regnum pro Saule.* *2. Reg. 16. 8.* Vnde & in principio Psalmi cum tot execrationibus Dauid excusat se à tali crimine. Hæc est materia Psalmi.

SVMMARIVM EST.

Dauid falsò incusatus quòd aspiret ad regnum Saulis, vbi spem suam in Deo fuisse, nec commisisse crimen aliquod contra Saulem, magnis adhibitis execrationibus cantauit, diuina iustitiæ officium implorat, tum ad iudicium suæ innocentiæ, tum ad iudicium Saulis perseuerantis in iniquitate: prædicens illius ruinam, & concludens laudaturum se Dei iustitiam, diuinúmque nomen.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. *Diuisio Psalmi.* Domine Deus meus. Diuiditur Psalmus in partes duas: Propositiuam materiæ, & Executiuam, ibi: *nequando.* Duo proponit. Alterum est quòd fiduciam suam non posuit in homine, aut humanis viribus, sed in Deo. Et hoc directè contra imputatum ei crimen, quòd aspirabat ad regnum, confidens in prudentia, in fortitudine, in gratia populi, &c. Alterum est innixum priori: quòd Deus eum & saluet & eripiat à persecutoribus. Non sufficit ei vt eripiatur, nisi saluus: hoc est, non mutilatus, non ad nihilum redactus. Et similiter non sufficit quòd saluetur illæsus, nisi liberetur de persecutione eorum: Saulis scilicet & suorum.

Pars Executiua. *Vers.* 2. Neqvando rapiet. Incipit hîc pars executiua Psalmi tali ordine. Primò tractatur illa particula, *saluum fac me,* &c. Secundò illa: *Domine Deus meus in te speraui,* ibi: *surge Domine.* Tractatur hîc illa particula, *saluum fac me ab omnibus sequentibus me, & libera me,* dupliciter: Primò proponendo necessitatem: aperiendo periculum, *ne aliquando,* seu ne fortè Saul *tanquam leo rapiat* ipsum: nec solùm rapiat sed laceret, leonino more discerpendo: & nullus adsit liberans ipsum de manu Saulis. *Saul crudelis vt leo.* Saul siquidem erat rex: & si habuisset Dauidem in manibus, nullus erat potens liberare eum. Rursus Saul tantâ sæuitiâ in sacerdotes Nobe reputans eos amicos Dauidis vsus est, vt meritò Dauid timeret eum tanquam leonem rapientem & vorantem. Hoc est necessitatis periculum, quare petit liberari & saluari ne incidat in manus Saulis. Deinde subiungit conditionem, sub qua petit liberationem suam: intendens quòd petit saluari si est innocens, & si non est innocens, quòd tradatur in manus inimici. Et propterea subiungit:

Vers. 3. Domine Devs mevs si feci istvd. Pro iustificatione itaque petitionis suæ proponit Deo vnam conditionalem cuius antecedens habet quatuor partes, dicens: *Domine Deus meus si feci istud:* ecce prima pars antecedentis. Et intendit si feci hoc, scilicet quòd machinatus sim ad deiiciendum domum Saulis à regno: hoc enim ei imputabant verba Saulis in titulo significata.

Quatuor conditionales pro iustificatione Dauidis.

Si est iniquitas in volis meis. Ecce secunda pars antecedentis: & significantur manus à volis sicut totum à parte. Et intendit explicare quod demonstrauit dicendo: *si feci istud:* explicando, si in operibus meis est, aut fuit iniquitas, scilicet quòd iniquè egerim contra domum Saulis: fuisset enim magna iniquitas agere contra socerum & fratres vxoris.

Si retribui pacifico meo malum: ecce tertia pars antecedentis. In qua magis specificatur, dum species iniquitatis explicatur, exaggerando crimen. Intendens; *si retribui* Sauli *pacifico* (pacem secundùm carnalem cognationem habenti,) *malum:* fuisset enim maximum crimen, quòd vbi Saul exaltauit Dauidem, præficiendo ipsum mille militibus, & dando ei filiam in vxorem, ipse Dauid retribuisset ei malum pro bono, machinando ad regnum.

Et erui angustatorem meum inaniter: ecce quarta pars antecedentis. Vbi nota quòd illud aduerbium *inaniter*, seu *vacuè*, iuxta dictionem Hebraicam potest intelligi vt determinatio inimici, vel vt determinatio verbi. Et si quidem referatur ad hostem, significaretur hostis sine causa, sine offensa: & sic describeretur Saul angens sine causa Dauidem. Et tunc esset sensus istius particulæ minus quadrans aut potius extortus: quoniam in cæteris partibus huius conditionalis semper assumptum est malum aliquod (*si est iniquitas, si reddidi malum*) hîc autem assumeretur bonum, scilicet si erui hostem meum gratis: hoc enim est opus sanctum: quod bis fecit Dauid; semel in spelunca, & alia vice in tentorio. Si autem aduerbium *inaniter* determinat verbum *erui* (sicut etiam ordo Grammaticus requirit) tunc currit conditionalis, & assumitur etiam in hac quarta particula antecedentis malum, scilicet, *si liberaui inaniter* Saulem *angustatorem meum.* Quamuis enim non sit alibi scriptum, ex isto tamen textu insinuatur, quòd Saul seu complices eius posteaquam redierunt ad propria, interpretati sunt, quòd Dauid in spelunca non pepercit Sauli ex intentione bona, sed id quòd fecit, fecit ex quadam vanitate ad ostentationem suæ bonitatis. Et habebant argumentum: quia si Dauid occidisset Saulem in spelunca, fuisset ipse cum omnibus suis in spelunca latentibus occisus à tribus millibus electorum virorum Saulis qui erant extra speluncam. Propterea dicebant: abscidit oram chlamydis Saulis vt ostentaret se virum bonum, &c. ad hoc enim excludendum directè tendunt verba huius particulæ, *& erui inaniter angustatorem meum.* Significantiùs autem dicit *erui:* vt intelligas quòd non solùm abstinuit ab occisione Saulis, sed eruit eum ab iis qui occidere eum volebant: dicitur enim 1. Regum 24. quòd Dauid *confregit seruos suos sermonibus & non permisit eos vt consurgerent in Saul.* Hoc est integrum antecedens conditionalis, cuius consequens subiungitur.

Dauidis intentionem quàm malè interpretati fuerint hostes ipsius.

Vers. 5. SEQVETVR INIMICVS ANIMAM MEAM. Inchoatæ itaque conditionalis subiungitur hîc consequens habens etiam quatuor particulas. Prima est: *sequetur inimicus*, Saul, *animam meam*, vitam meam. Secunda est *& apprehendet:* non solùm persecutionem aget, sed ad comprehensionem perueniet. Tertia est: *& conculcabit in terra vitam meam*, post apprehensionem: & in hoc significatur ignominiosa occisio vtpote conculcando. Quarta est *& honorem meum in puluere habitare faciet.* Metaphorica est locutio, significans quòd honorem suum ad nihilum redigat Saul, ad similitudinem eorum quæ in pulueribus iacent, quæ pro nihilo habentur: vtpote quæ ab omnibus calcari possunt. Ex tota itaque conditionali clarè apparet quòd Dauid iustificat petitionem suam coram Deo, proponendo tanquam per execrationem, quòd si malè se habuit erga Saulem, incidat in manus eius, perdat honorem regni sibi à Deo promissi, perdat vitam, &c. Et scito quòd textus Hebræus habet in datiuo *terræ & pulueri:* sed propter constructionem mutati sunt casus adiunctis præpositionibus.

Quatuor particulæ imprecatoriæ.

Vers. 6. SVRGE DOMINE. Tractatur hîc illa particula, *Domine Deus meus in te speraui*, recurrendo ad Deum pro iustitia dupliciter: hoc est, tum pro seipso, tum contra Saulem & suos. Et propterea tria petit. Primò humano more alloquens Deum vt surgat ad iustitiam faciendam, dicens: *Surge*, à quiete iustitiæ, *Domine in furore tuo*, tanquam indignatus: hoc est, ad puniendum eos qui merentur pœnam. Et hæc petitio vt communis ei & aduersariis proponitur. Secunda petitio contra aduersarios: *eleuare in indignationibus angustatorum meorum:* hoc est, in puniendo indignationes eorum qui angunt me, eleuare tu, glorificare, appare excelsus: puniendo enim reges & magnates eleuatur, non in seipso, sed in conspectu & laude hominum Deus. Tertia petitio pro seipso est: *Et expergiscere ad me iudicio mandasti:* subauditur enim relatiuum *quod* mandasti. Petit humano quoque more, quòd quasi à somno surgat ad faciendum sibi iudicium quod mandauit fieri per alios: præceperat quippe Deus iudicibus vt facerent iudicium omnibus iniuriam patientibus. Et quia Saul rex erat, nec erat qui iudicium pro Dauide efficere posset, ideo Dauid petit à Deo vt faciat sibi iudicium quod mandauit fieri per alios. Et quia multo tempore tardare videbatur iudicium hoc, ideo dicit: *& expergiscere ad me iudicio.*

Tres petitiones.

Vers. 7. ET CONGREGATIO POPVLORVM CIRCVMDABIT TE. Prosequitur Propheta propositas tres petitiones, inchoando à prima, quâ petiit: *surge Domine in furore tuo:* reddens pro ratione petitionis huius duplicem fructum. Alter est ex parte cultus: quia, scilicet hinc fiet quòd *congregatio populorum circumdabit* cultu *te.* Et verè sic est: quia cùm Deus punit, congregamur ad cultum diuinum. Alter fructus est exaltationis diuinæ, non in seipso sed in mentibus hominum: quæ consurgit cùm Deus exercet iustitiam suam. Et hæc significatur dicendo: *& super ea*, congregatione, vel propter eam congregationem, *in excelsum reuertere:* Deus enim quiescens à punitione, non æstimatur excelsus: dum autem punit, quasi reuertitur in celsitudinem. Et propterea Propheta dicit Deo, quòd super congregatione populorum quæ fit Deo puniente, in excelsum reuertere. Et explanans quæ sit ista celsitudo, subiungit: *Dominus iudicabit populos.* Homines enim videntes Deum exercere iustitiam, credunt hanc de Deo celsitudinem, scilicet quòd Dominus iudicabit populos. Textus Hebræus habet in datiuo, *excelso:* sed constructio adiunctâ præpositione mutauit.

Cùm punit Deus, ad eius cultum reuocamur.

Dum punit Deus in excelsum redit.

Vers. 8. IVDICA ME DOMINE. Prosequitur hîc tertiam personam: quâ pro seipso petiit: *Expergiscere*

giscere ad me iudicio quod mandasti. Vbi tria prosequitur: nam primò petit iudicari secundùm iustitiam suam, dicens: *Iudica me Domine secundùm iustitiam meam, & secundum simplicitatem meam super me.* Vbi & se iustum & simplicem absque duplicitate erga Saulem fuisse & esse proponit coram diuino iudicio.

Vers. 9. COMPLEBIT NVNC MALVM IMPIOS ET FIRMABIS IVSTVM: ET PROBANS CORDA ET RENES DEVS IVSTVS. Petito iudicio subiungit desideratum fructum sententiæ ferendæ, scilicet quòd *nunc*, hoc est, in hoc iudicio, *complebit*, hoc est, terminabit, *malum* pœnæ per sententiam ferendam, *impios*. Aduerte primò vocabulum, quòd *complere* non sumitur hîc pro *perficere* (eo modo quo dicimus domum completam) sed pro *terminare*: eo modo quo successiua dicimus completa quando desinunt: dicendo diem aut mensem completum quando iam desinit. Ad hunc enim sensum dicitur quòd malum pœnæ complebit impios: hoc est, terminabit eorum vitam, faciet illos non esse. Secundò modum loquendi: Loquitur enim Dauid more expectantium cum desiderio sententiam iudicis & confidentium in bono iure causæ suæ. Soliti quippe sunt dicere: nunc videbuntur habentes rationem, & punientur iniustitiam fouentes. Sic enim ait Propheta: *Complebit nunc malum impios & firmabis* tu Deus *iustum*: tu, inquam, *Deus iustus & probans corda*, hoc est, voluntatem, *& renes*, hoc est, intima affectionum penetralia. Et addit hoc ad excludendum omnem ignorantiam aut incuriam iudicis, & quamcunque occultationem meritorum tam suorum quàm hostium apud iudicem.

Confidit Dauid in bonitate sua causa.

Et quoniam Dauid non humano sed diuino iudicio se submittit iustificandum, & Deus non semper in hac vita iustificat iustos, sed impios permittit florere tanquam si essent iusti, ideo subiungit quòd ipse adhibet defensorem suum Deum, non quatenus permittit mala, sed quatenus saluat rectos corde: hoc enim significat subiungendo:

Vers. 10. CLYPEVS MEVS SVPER DEO SALVANTE RECTOS CORDIS. Et totum (vt dictum est) tendit ad hoc quòd defensio sua innititur Deo, non vt permittenti, sed vt saluanti rectos corde.

Defensio Dauidis Deo innititur.

Vers. 11. DEVS IVDICANS IVSTVM, ET DEVS IRASCENS IN OMNI DIE. Et quia multi obiiciunt implorantibus diuinum iudicium ad suam iustificationem quòd Deus non semper iudicat, ideo respondendo hîc tacitę obiectioni subiungit Propheta quòd Deus in omni tempore & iudicat iustum & irascitur, id est, punit: hoc enim significat dicendo: *Deus iudicans iustum, & Deus irascens in omni die.* Quod est verum, non solùm quantùm ad potestatē (quia potest quotidie punire & iustificare) sed est verum quantùm ad actum: quoniam nullus est dies in quo Deus non exerceat iustitiam suam & puniendo & iustificando. Vbi cautè aduerte non dici quòd Deus omni die puniat omnes, aut iustificet omnes, sed quòd omni die hoc facit. Et hoc non videtur vertendum in dubium respectu aliquorum: quamuis nos non discernamus iudicia Dei quibus punit & iustificat.

Secunda petitio.

Vers. 12. SI NON REVERTETVR. Prosequitur hîc secundam petitionem, quâ petiit contra aduersarios: *eleuare in indignationibus angustiatorum meorum.* Prosequitur autem prædicendo punitionem Saulis multipliciter; inchoando à conditione perseuerantiæ Saulis in malo: huiusmodi enim impœnitētia significatur dicendo: *si non reuertetur*, scilicet Saul, ad cor. Vbi & significantur futuræ pœnæ nisi Saul reuertatur ad Deum.

GLADIVM SVVM POLIET. Subiungitur futura punitio Saulis: & prædicitur modus mortis quo occisus fuit. Tum quantū ad gladium: Saul enim occidit seipsum irruens super proprium gladium. Et hoc significatur dicendo de Deo quòd Deus *gladium suum poliet*, ad occidendum Saulem. Tum quantùm ad sagittas: nam Saul à sagittariis Philistinorum, antequam irrueret super proprium gladium, percussus fuit: vt patet 1. Paralip. 10. Et huiusmodi sagittatio ordinata à Deo contra Saulem, significatur subiungendo de Deo: *arcum suum tetendit, & parauit illum: & illi*, arcui, *parauit vasa mortis*, hoc est, tanquam vasa ferentia mortem. Quæ vasa exponit: *sagittas suas persequentibus operabitur:* hoc est, mediantibus Philistæis exercebit: datiuum pro ablatiuo construendo.

Prædicitur mors Saulis.

Vers. 14. ECCE PARTVRIET INIQVITATEM. Descriptâ morte Saulis, describitur perseuerans malitia ipsius Saulis contra Dauidem ob quam meruit puniri. Describitur autem ex similitudine progressus naturalis in generatione humana: in qua primò mulier concipit, deinde parturit, & & tandem parit: vt per hoc intelligas perfectionem malitiæ habentis omnia requisita. Et ad literam Saul *concepit* (1. Regum 18.) inuidiam contra Dauidem, cùm audisset cantari: *Saul percussit mille, & Dauid decem millia:* ex tunc enim incepit timere nè post mortem suam Dauid eligeretur in regem. *Parturiit* autem cùm variis viis procurauit vt occideretur Dauid vel à Philistæis vel à suis: vt patet 1. Reg. 18. & 19. *Peperit* verò cùm manifestè eum persecutus est, imponens ei quòd quæreret sibi malum. Et propterea dicitur quamuis non ordinatè: *Ecce parturiet iniquitatem*, desiderans iniquam mortem Dauidis: *concipiet laborem:* concepit enim quodammodo fatigationem animi inuidens gloriæ Dauidis: *& pariet falsitatem:* imponens Dauidi falsum crimen. Et quamuis hæc tunc non erant futura, describuntur tamen in futuro ad denotandam perseuerantiam Saulis in huiusmodi malis affectibus.

Malitia comparatur mulieri parturienti.

Vers. 15. FOVEAM APERVIT ET EFFODIT EAM, ET INCIDET IN FOVEAM OPERABITVR. Alterâ hîc vtitur metaphorâ. Propheta circa culpam & pœnam ipsius Saulis, ad similitudinem fodientis foueam ad casum alterius, & tamen ipse ruit in illam. Vbi quantum ad literam dictio Hebraica significat locum effossum siccum ad similitudinem putei: & proptereà variè ab interpretibus significatus est. Et describitur quòd non solùm aperuit inchoando, sed effodit: hoc est altiùs fodit vt casus esset irreparabilis.

Qui fodit alteri foueam, cadit in eam.

Possunt autem per hanc metaphoram duo intelligi. Primò ruina Saulis sub Philistæis: vt quia Saul adhuc quasi parturiendo procurabat quòd Dauid occideretur à Philistæis (vt patet in locis allegatis) iusto Dei iudicio ipse Saul rueret sub Philistæis. Et huic sensui consonat quod subiungit de illius capite: nam illius caput abscissum à Philistæis, miserunt Philistæi vt ostenderetur idolorum templis & populis. Et sic super caput Saulis conuersum est malum.

Saulis caput fuit ludibrio Philistæis.

Secundò quòd Saul mouendo persecutionem in Dauidem vt Dauid rueret, fodit sibiipsi occasionem ruinæ: quoniam posuit Dauidem in reputationem, & dedit illi occasionem congregandi viros ad se contra Saulem: & sic Saul perdidit regnum. Si enim Saul non mouisset persecutionem contra Dauidem, mansisset Dauid cum Saule, habens milites sub se pro Saule & domo regia, nec vllam habuisset occasionem insurgendi contra domum Saulis: sed ipsa persecutio Dauidis fecit Dauidem regem. Et propterea hîc dicitur quòd Saul aperuit foueam & fodit eam, magnam persecutionem mouendo vt Dauid non succederet in regno, & incidit in foueam quam operabitur: quia inde perdidit regnum. Et describitur in futuro *operabitur*, propter perseuerantiam Saulis in hac persecutione. Et huic expositioni etiam consonat quod de capite subiungitur: intelligendo tamen per caput quod est primum membrum corporis, primum successorem Saulis tanquam primum illius membrum: mortuo siquidem Saule, mox Dauid effectus est rex super tribum Iuda: & post septennium effectus est rex totius regni interueniente longa concertatione inter ipsum & domum Saulis: ita quòd in primo successore deiectum est regnum Saulis. Quamuis quod dicitur de capite potiùs quàm de aliis membris, possit ad metaphoram referri: vt quia fecerat foueam in quam Dauid rueret pedibus, huiusmodi ruina parata alienis pedibus, conuertenda dicatur non super pedes, sed super caput eius, tanquam casuri capite præcedente. Et propterea dicitur: *reuertetur labor eius*, quo laborauit fodiendo, *in caput eius: & super verticem eius iniquitas ipsius*, inducens eum ad fodiendum, *descendet*. Ad literam quoque verum fuit quòd super caput Saulis descendit & reuersa est iniquitas eius: eo quòd etiam hanc pœnam incurrit quòd abscissum caput eius fuit per circuitum portatum à Philistæis: vt patet 1. Paralip. 10. & 1. Regum vlt.

Vers. 17. CONFITEBOR DOMINVM SECVNDVM IVSTITIAM EIVS. Concludit Dauid gratiarum actiones, præuidens se exauditũ: & promittit duo. Alterum est: *Confitebor Dominum*, confessione laudis, *secundùm iustitiam*, non meam, sed eius, qua exercuit iudicium inter Saulem & me. Alterum est: *& cantaui nomen Domini excelsi*: hoc est, pro mea exaltatione non magnificaui nomen meũ, sed nomen Dñi excelsi super omnes. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1. *Victori pro torcularibus, Psalmus Dauid.*	Vincenti super haghithith, Psalmus Dauidi.
VIII.	VIII.
2 *DOMINE Dominus noster: quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* *Quoniam eleuata est magnificentia tua super cælos.*	1 *Propheta.* DOMINE [4] Domine noster, quàm forte nomen tuum in omni terra: quòd da (dante te) gloriam tuam super cælos.
3 *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: vt destruas inimicum & vltorem.*	2 (Etiam) Ex ore infantium & lactentium fundasti fortitudinem propter angustatores tuos: ad faciendum cessare inimicum & vltorem.
4 *Quoniam videbo cælos tuos opera digitorum tuorum: lunam & stellas quæ tu fundasti.*	3 Quoniam videbo cælos tuos opus digitorum tuorum: lunam & stellas quas parasti.
5 *Quid est homo quod memor es eius: aut filius hominis quoniam visitas eum?*	4 Quid (est) homo quoniam recordaberis eius: & filius Adæ quoniam visitabis eum?
6 *Minuisti eum paulominus ab Angelis: gloria* 7 *& honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.*	5 Et deficere fecisti eum modicum à diis: & honore & decore coronabis eum. 6 Dominari facies eum in operibus manuum tuarum: omnia posuisti sub pedibus eius.
8 *Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues & boues vniuersas, insuper & pecora campi.*	7 Ouem & boues: omnes ipsos, & etiam bestias agri.
9 *Volucres cæli & pisces maris: qui perambulant semitas maris.*	8 Auem cælorum & pisces maris: transeuntem semitas marium.
10 *Domine Dominus noster: quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!*	9 Domine [4] Domine noster, quàm forte nomen tuum in omni terra!

COM

COMMENTARIVS.

Titulus eſt, *Vincenti*, vt in præcedentibus: & ſimiliter *Pſalmus Dauidi*, vt in præcedentibus. Quod autem dicitur *ſuper haghithith*, alij inſtrumentum muſicum intellexerunt, ab vrbe Gath (quam nuncupamus Geth) denominatum: ſeu quòd inſtrumentum muſicum erat fabricatum ad ſimilitudinem torcularis: aiunt enim *gath* interpretari *torcular*. Alij interpretationem nominis ſecuti, *torcular* Latinè dixerunt. Verùm ex his nulla poteſt certitudo materiæ trahi: & propterea (præſertim cùm materia vindemiarum & huiuſmodi in Pſalmo non appareat) rationabilis videtur opinio intelligentium inſtrumentum muſicum.

Haghithith. quid?

Materia Pſalmi.

Materia autem Pſalmi ex auctoritate ſacræ Scripturæ habetur: Nam Matth. 21. à Domino affertur hic Pſalmus quantum ad illum verſiculum, *Ex ore infantium & lactentium*, & 1. ad Cor. 15. amplius affert de Chriſto illum verſiculum, *omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*. & ad Hebr. 2. affert hunc de Chriſto: *Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarū: Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*. Ex quibus patet Pſalmum hunc ad litteram tractare de Meſſia: hoc eſt, de regno eius, quo omnia ei ſubiecit Deus: vt Apoſtolus diffusè ibi declarat: imò per hunc Pſalmum probat. Et propterea Pſalmum hunc propheticum eſſe apparet.

Matth. 21. 16

1. Corint. 15. 26.

Hebr. 2.

SVMMARIVM EST.

Propheta laudat Deum quod mediante futurâ ſublimatione hominis in perſona Meſſiæ ſuper omnia opera Dei, diuinum nomen vbique glorioſum præualebit ad deſtructionem omnium aduerſariorum.

Perſona loquens Propheta eſt.

Vers. 1. Domine Domine noster. Diuiditur Pſalmus in partes duas: propoſitiuam materiæ, & executiuam, ibi: *quòd da gloriam tuam*. Proponit Propheta laudando cum admiratione fortitudinem diuini nominis in omni terra. Conſiſtit autem fortitudo diuini nominis tum in debellando & ſuperando inimicos diuini nominis: tum in ſuperando nomina omnium qui coluntur. Præuidet enim Propheta magnificandum nomen diuinum in vniuerſo mundo, ſuperatis inimicis diuini nominis, Dæmonibus, Iudæis & Gentilibus. Quod ex parte cœpit impleri: ſed non erit perfectè conſummatum vſquequo adueniat regnum Chriſti. Appellat autem Propheta Deum prius Dominum abſolutè: deinde Dominum noſtrum, propter ſpecialem curam quam de populo Iſrael Deus habebat.

Fortitudo diuini nominis.

Et da gloriam tuam super coelos. Incipit hîc pars executiua tali ordine: primò tractatur illa particula, *quàm forte nomen tuum*: ſecundò illa, *in omni terra*, ibi: *& honore & decore*.

Pars Executiua.

Circa literam aduerte obſcuritatem constructionis ſi ſumatur hic verſiculus vt principium alicuius ſententiæ: ſed conſiderando hunc verſiculum vt continuantem primum verſiculum ſecundo, ſaluatur proprietas tam coniunctionis quàm modi imperatiui. Dicimus enim quandoque: tam fortis eſt vox tua, quòd loquere in platea, audietur in extremo ciuitatis: & ſimiliter tam forte eſt imperium tuum, quòd præcipe in Oriente & obedietur in Occidente. Simili namque loquendi modo vtitur hîc Propheta, laudans Deum: *quàm forte eſt nomen tuum in omni terra: quòd da gloriam tuam ſuper cœlos*, etiam *ex ore infantium & lactentium fundaſti fortitudinem*: hoc eſt, dante te gloriam tuam in cœlis, etiam in terra paruuli & lactentes fortitudinem nominis tui ſonabunt. Hæc pro conſtructione litteræ.

Incipit itaque hîc Propheta declarare fortitudinem diuini nominis quantùm ad fructum; & deinde quantùm ad media, ibi: *Quoniam videbo*. Fructus fortitudinis diuini nominis eſt gloria diuini nominis, & laus eius in cœlo & in terra: qui eſt fructus Incarnationis Verbi Dei: dicentibus Angelis in eius natiuitate: *Gloria in excelſis Deo*, &c. Hic ergo fructus hîc deſcribitur. In cœlo quidem per gloriam. Quod ad litteram executiuè quidem adimpleri incepit in die Aſcenſionis Chriſti: tunc enim dedit gloriam ſuam ſuper cœlos: tum quia locauit Meſſiam ſuum glorioſum ſuper cœlos: tum quia in cœlis clarè glorificatus eſt Deus ob myſterium Meſſiæ: & non per fidem, vt laudamus in terra. Meritoriè autem in ſancta vita Chriſti. *Luc. 2.*

Gloriam autem cœleſtem non ſolùm in executione poſſeſſam ſed etiam merito comparatam, comitata deſcribitur confeſſio laudis diuinæ in terris, ſubiungendo:

Verſ. 2. Ex ore infantium et lactentium fundasti fortitudinem. *Fundare fortitudinem ex ore infantium & lactentium*, eſt efficere quòd confitendo & laudando infantes & lactentes firment fortitudinem diuini nominis: officium ſiquidem infantilis oris non aliter fundat quàm confitendo & laudando. Nec intelligas diuinam laudem fundatam tantùm ſuper ora paruulorum, ſed intellige extenſam vſque ad ora infantium & lactentium: hoc eſt, quòd etiam ex ore infantium & lactentium fundauit Deus fortitudinem diuini nominis. Nam ad litteram ſuper confeſſione fidei populorum vſque ad infantes & paruulos fundauit Deus fortitudinem nominis ſui: pro quanto mediante confeſſione fidei magnificauit nomen ſuum. Et hoc ad literam quoad ætatem puerilem, adimpletum dicit Dominus in die Palmarum: clamantibus pueris Meſſiam ipſum eſſe. Quod quia non potuit niſi diuina operatione fieri, ideo nō dicitur hîc quòd infantes fundauerunt, ſed quòd Deus ex ore infantium fundauit. Et verè magnum fundamentum fuit, vt pueri tam inopinatè teſtificarentur regnum Chriſti, quem Iudæi quærebant occidere. Nec alienum à vero, aut hyperbolem putes, etiam lactentes proprio ore interfuiſſe tunc diuinæ laudi: cùm lac vſque ad triennium apud Iudæos ſugeretur (vt mater Machabæorum teſtatur, 2. Mach. 7.) qua ætate infantes ambulant, & cum aliis maioribus infantibus ad Chriſti laudem Deo operante concurrerunt, dicentes: *Oſanna filio Dauid.*

Ex ore infantium fundatur fortitudo diuini nominis.

Infantes apud Iudæos vſque ad triennium lac ſugebant.

PROPTER ANGVSTATORES TVOS, AD FACIENDVM CESSARE INIMICVM ET VLTOREM. Explicatur hîc finis seu fructus diuinæ laudis; tum in ordine ad Dæmones significatos dicendo, *propter angustatores tuos:* Dæmones enim sunt præcipui angustatores Dei, non in seipso, sed in eius nomine. Vnde vbique colebantur Dæmones:& diuinum nomen angustauerant in vno paruulo locello vbi erant Iudæi. Et nihilominus angebant Christum: qui de illis dixit: *Nunc princeps huius mundi eijcietur foras.* Ioann. 12. Tum in ordine ad Iudæos, significatos nomine inimici: quia & cor eorum longe erat à Deo: & quia futuri erant aperti inimici Messiæ. Tum in ordine ad populum gentilem, significatum nomine *vltoris:* eò quòd vltor fuerit mortis Christi pessundando Iudæos. Ita quòd vltoris officium intelligatur non propriâ Romanorum intentione sed diuinâ: attestante hoc Domino Luc. 19. vbi causam destructionis Hierosolymitanæ reddit, *eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Vtriusque itaque (Iudaici, scilicet & Gentilis) cultus cessatio futura describitur dicendo: *ad faciendum cessare inimicum & vltorem:* cessauit enim Iudaicum templum, cessauerunt & templa Gentilium.

Ioan. 12.

Luc. 19.

Vers. 3. QVONIAM VIDEBO CÆLOS TVOS. Describitur hîc fortitudo diuini nominis quantùm ad media quibus superauit diuinum nomen & hostes & omnia. Et quia media consistunt in Messia,ideo Propheta exaltationẽ humani generis tantam,quantam in persona Messiæ assecuturum erat,admirans describit: spectans ad vilitatẽ hominis relatiuè ad cœlos. Mirum quippe ei videtur quòd posthabitis cœlestibus corporibus longè nobilioribus homine, Deus hominem super omnia exaltauerit. Et propterea incipit à coniunctione *quoniam* causali, reddente rationem vilitatis humanæ: dum post, *quoniam videbo cœlos tuos*, subditur *quid est homo?* Ac si apertè diceret: Cùm intueor cœlos, admiror quòd memor es hominis exaltandi super omnia. Hæc quoad ordinationem litteræ.

Nobilitas cœlorum.

Pro intellectu autem aduerte quòd licet corpora cœlestia (vt in *primo Ethic.* dicitur,) manifestè pateat esse ignobiliora homine, Propheta tamen ex propinquitate ad Deum eorum nobilitatem tangit, appellans *cœlos tuos:* tanquam proprios Dei ad habitandum: est enim cœlum secundùm omnium opinionem tanquam propria Dei sedes: vtpote in quo maximè diuina relucet operatio ordinatissimi motus, &c. Vnde & in oratione Dominica dicitur: *Pater noster qui es in cœlis.* Appellantur quoque *opus digitorum Dei*, ad similitudinem artificialium quæ artificis digitis fiunt: ignobiliora siquidem sunt quæ per manus ministrorum artifex facit, quàm quæ manu propriâ: & rursus nobiliora & exactiora sunt quæ propriis distinguit, limitat, perficitque digitis artifex, quàm ad quæ solius propriæ manus applicatio sufficit: ipsa quippe digitorum distinctio maiorem in opere exactionem monstrat. Nobilitantur tertiò ex astris, *Luna, scilicet & stellis:* ex astris enim nobilitas cœlorum valde percipitur & constat: quoniam astra nobiliores partes sunt cœlorum.

Cœlum sedes Dei.
Opus digitorum Dei.

Nobilitantur quartò ex ordine seruato: dum dicitur *quas tu parasti*, seu disposuisti. Seruant enim astra omnia dispositionem quam Deus à principio ordinauit: vt etiam hinc appareat cœlorum nobilitas in non transgrediendo dispositionem à Deo factam.

Quoniam, inquit, hæc *videbo*, ideo admirando dico: *Quid est homo aut filius hominis?* Homo nomen est naturæ: filius autem hominis nomen est generis. Primus etenim homo Adam, fuit homo, non autem filius hominis: quilibet autem ab eo genitus,& homo & filius hominis est. Ne ergo putares quòd de dignitate primi hominis Propheta loquatur, vtrumque apposuit: vt intelligeres quòd de vilitate & consequenter exaltatione humani generis loquitur. Messias enim non solùm homo, sed filius hominis futurus erat: & propterea non solùm natura sed generatio humana exaltanda significatur. In futuro quoque dicitur: *Quoniam recordaberis eius, quoniam visitabis eum:* hinc enim manifestè patet propheticum esse hunc sermonem. futurumque prædicere quòd Deus recordabitur hominis & visitabit filium hominis Quod ad litteram significat futurum Incarnationis mysterium: quo Deus recordatus est humani generis ad exaltandum ipsum, & visitauit filium hominis, dum Verbum factum est filius Adæ, id est, hominis. *Adam* apud Hebræos nomen est naturæ humanæ sicut apud nos homo: & ex hac industria intranslatum sæpe dimisimus: & caret numero plurali.

Adam apud Hebraos, quid?

Vers. 5. ET DEFICERE FECISTI EVM MODICVM A DIIS. Dictio Hebraica est *Elohim*, quæ ponitur in principio Genesis, dicendo: *In principio creauit Deus cœlum & terram.* Quæ cùm sit numeri pluralis, & communiter in Scriptura significet Deum, & quandoque dicatur poni pro Angelis, peperit tot diuersas interpretationes. Si haberemus Epistolam Pauli ad Hebræos in lingua Hebræa, fortè ibi appareret si Apostolus intellexit hunc textum de Angelis vtendo nomine Angelorum. an vsus fuerit nomine *Elohim*. Quicquid sit de hac quæstione, dicendum videtur quòd particula hæc potest dupliciter exponi. Primò vt significet conformiter ad præcedentia & subsequentia exaltationem hominis in persona Messiæ: & sic proculdubio legendum est *à Deo:* significatur enim per hoc tanta hominis exaltatio quòd parum deficit à Deo. Et hoc verificatur in mysterio Incarnationis: quoniam quando *Verbum caro factum est*, homo factus est Deus per gratiam vnionis personalis: & sic parum deficit à Deo per naturam: Verbum quippe est Deus per naturam, homo autem in Christo Iesu est Deus per gratiam vnionis personalis. Et hoc est illud *parum* quo deficit à Deo Messias homo. Hic sensus valde quadrat textui: quia vtitur *Elohim* pro Deo vt communiter Scriptura vtitur: & valde quadrat contextui: quia tam præcedentia quàm sequentia, ea quæ exaltationis sunt significant: & propterea par est, vt etiã hæc media clausula exaltationem significet, & explicet quid est recordatio hominis & visitatio filij hominis, scilicet facere eum deficere parum à Deo.

Genes. 1. 1.
Elohim quid?

Nec obstat huic sensui quòd ad Hebr. 2. Apostolus refert huiusmodi minorationem ad Christi passionem, dicens: *Eum autem qui modico quam Angeli minoratus est videmus Iesum, propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum*, &c. Tum quoniam littera Apostoli potest sic punctari: *eum autem qui modico quàm Angeli minoratus est, videmus Iesum:* & ibi fiat punctum: & postea

Hebr. 2.

postea subiungitur. *Propter passionem mortis gloria & honore coronatum.* Ita quòd propter passionem mortis, non determinat minorationem sed meritum coronationis: nam corona propter meritum passionis Christo debetur: dicente eodem ad Philipp. 2. *Propter quod & Deus exaltauit illum,* &c. Et hoc intellige supposità inscitià an Apostolus vtatur in Hebræo *Angelorum* an *Elohim* nomine. Tum quoniam non inconueniit Apostolum vsum fuisse ad alterum sensum: capax enim est sacra Scriptura plurium sensuum etiam literalium.

Philipp. 2.

Alter autem sensus est, vt in hac particula significetur modus quo Messias vicit ad glorificandum diuinum nomen & exaltari meruit. Et sic legendum est *ab Angelis:* quoniam significatur per illud *parum* totus status viæ: in hoc enim modico quòd futurus erat Messias passibilis viator minor fuit Angelis. Hic sensus quadrat literæ Epistolæ ad Hebr. vt apud Græcos & nos habetur. Et verus inuenitur: quia Messias exceptis iis quæ ad passibilem eius viam spectant, maior futurus erat Angelis: vtpote adorandus ab Angelis: & hic viatoris status *parum* quid est: vtpote ad minimum hominis (corpus scilicet) spectans, & minimo tempore (scilicet 33. annis.) durans: vt meritò dicatur: *& deficere fecisti eum modicum*, hoc est, secundùm id quòd modicum est, *ab Angelis.*

Et honore et decore tu coronabis eum. Tractatur hîc illa particula *in omni terra:* describendo Messiæ dignitatem, potestatem & possessionem. Prophetat itaque ea quæ dignitatis erant tunc futura in Messia: describens quòd *tu* Deus *coronabis eum.* Corona victori debetur: *Non* enim *coronabitur nisi qui legitimè certauerit:* & ideò implicitè hîc insinuatur victoria quà Christus vicit Mundum & Diabolum. Corona ergo est primum dignitatis insigne: accedit & honor quo honorabitur ab vniuerso: & decor immortalitatis.

2. Tim. 2. 5.

Vers. 6. Et dominari eum facies in operibus manuum tuarum: Post ea quæ sunt dignitatis subiunguntur ea quæ sunt potestatis: prophetando quòd Messiæ dominium erit super omnia opera Dei: quod est esse supra totum vniuersum. Et hoc adimpletum fuit in die Resurrectionis Dominicæ: dicente Christo: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.*

Matth. 28. 18

Omnia posuisti sub pedibus eius. Adiungitur tertiò id quod est possessionis: significatur enim per hoc quòd omnia non solum sub dominio & potestate, sed etiam possessa erunt à Messia: vt Paulus Apostolus vtrobique exponit: dicens hoc adhuc non esse impletum, sed implendum in aduentu glorioso Christi: tunc enim omnia subiecta erunt Christo: nondum siquidem sunt ei omnia subiecta: vt ad sensum patet. Et describitur futurum in præterito propter certitudinem prophetiæ.

Vers. 7. Ouem et boues, omnes ipsos et etiam bestias agri. *Ouem:* hoc est genus seu multitudinem ouium. *Auem cœlorum:* hoc est, aëris: appellant enim Hebræi inferiores cœlos regiones aëris: & aiunt Hebræos non habere *cœlum* in singulari numero: & propterea semper in plurali nominare: & propterea hîc dici *auem cœlorum.* Et hoc habeto pro regula in toto Psalterio. Meminit Propheta specialiter ouium, boum, volucrum & piscium: non quòd hæc exempta essent ab omnibus, sed ad significandum regnum Christi extendi etiam ad minima sensibilia, per hæc animalia denotata: ne intelligeres regnum Christi ita in spiritualibus consistere, quòd de sensibilibus non se impediret.

Cœlum pro aere.
Cœlum non habetur in singulari apud Hebræos.

Vers. 8. Transeuntem semitas marium. Particula hæc obscura est: quia textus Hebræus sonat participium singularis numeri absque determinatione casus: & propterea non potest construi cum piscibus, qui in plurali numero significantur: & ambiguum restat cum quo construatur. Nec desunt construentes cum pronomine *eum.* Ita quòd est sensus: dominari facies eum *transeuntem semitas marium:* potest enim legi *transiens, transeuntis,* & *transeuntem:* & sic significaretur penetratio potestatis Christi etiam sub mari: tanquam per hoc declaratum fuerit quòd nomine omnis terræ non intelligitur superficies terræ, sed etiam quod est sub aquis. Fortè melius est dicere quòd numerus singularis ponitur pro plurali causa metri: vt dictum sit *transeuntem* pro *transeuntes:* & sic construitur cum eo quod dictum est *pisces maris.* Et consonat hæc constructio frequenti vsui huius textus, nam sæpe similem constructionem inueniemus inferiùs: & exponitur ab Hebræis sic: *pisces transeuntem,* hoc est, quemlibet transeuntem.

Vers. 9. Domine Domine noster. Repetitur hîc de verbo ad verbum principium primi versiculi: vt hinc intelligas materiam Psalm consistere in hoc versiculo, fructumque Messiæ esse magnificationem diuini nominis in omni terra. Et verè ad hoc Verbum caro factum est, vt glorificetur nomen Dei in toto vniuerso. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	*IVXTA HEBRÆVM.*
1 *Victori super morte filij canticum Dauid,*	Vincenti super morte filio, Psalmus Dauidi.
IX.	IX.
2 C*ONFITEBOR tibi Domine in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua.*	*Propheta.* CONFITEBOR Dominum in toto corde meo: narrabo omnia separata tua.

3 *Lætabor & exultabo in te: psallam nomini tuo Altissime.*
4 *In conuertendo inimicum meum retrorsum: infirmabuntur & peribunt à facie tua.*
5 *Quoniam fecisti iudicium meum & causam meam: sedisti super thronum qui iudicas iustitiam.*
6 *Increpasti gentes & periit impius: nomen eorum delesti in æternum & in seculum seculi.*
7 *Inimici defecerunt frameæ in finem: & ciuitates eorum destruxisti.*
8 *Periit memoria eorum cum sonitu: & Dominus in æternum permanet.*
9 *Parauit in iudicio thronum suum: & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia.*
10 *Et factus est Dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus in tribulatione.*
11 *Et sperent in te qui nouerunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te Domine.*
12 *Psallite Domino qui habitat in Sion: annunciate inter gentes studia eius.*
13 *Quoniam requirens sanguinem, eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum.*
14 *Miserere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis.*
15 *Qui exaltas me de portis mortis: vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion.*
16 *Exultabo in salutari tuo: infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt.*
In laqueo isto quem absconderunt: comprehensus est pes eorum.
17 *Cognoscetur Dominus iudicia faciens: in operibus manuum suarum comprehensus est peccator.*
18 *Conuertantur peccatores in infernum: omnes gentes quæ obliuiscuntur Deum.*
19 *Quoniam non in finem obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem.*
20 *Exurge Domine, non confortetur homo: iudicentur gentes in conspectu tuo.*

2 Lætabor & exultabo in te: canam nomen tuum excelsum.
3 Reuertentibus inimicis meis retrò: cespitabunt & peribunt à faciebus tuis.
4 Quoniam fecisti iudicium meum & causam meam: sedisti in sede † iudex iustitiæ. † *sedi.*
Ideo
5 Increpasti gentes, perdidisti impium: nomen eorum delesti seculo & semper.
ó quas
6 Inimice finitæ sunt desolationes
fecisti quas
æterno: & ciuitates destruxisti,
non Deo
periit memoria earum ipsis.
pro sed
7 Et Dominus [+] semper sedebit: parans iudicio sedem suam.
8 Et ipse iudicabit orbem in iustitia: iudicabit populos in rectitudinibus.
9 Et erit Dominus [+] eleuatio contrito:
quibus fuerunt
eleuatio temporibus in angustia.
Deo
10 Et confident in te scientes nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te Domine [+].
11 Cantate Domino [+] sedenti Sion: annunciate in populis opera eius.
est
12 Quoniam requirens sanguines, eos recordatus: non oblitus est clamorem humilium.
13 Miserere mei Domine [+]: vide afflictionem meam ab osoribus meis, exaltans me de portis mortis.
14 Propterea narrabo omnes laudes tuas in portis filiæ Sion: exultabo in salute tua.
quam
15 Demersæ sunt gentes in foueam fe-
quod
cerunt: in reti hoc absconderunt captus est pes eorum.
16 Agnitum Dominus [+] iudicium fe-
dum
cit: in opere volarum suarum impacta est impij meditatio. *Selah.*
17 Reuertentur impij in foueam †: omnes gentes immemores Dei †. † *fouea.* † *Deorum.*
18 Quoniam non æterno obliuioni erit
non
pauper: spes humilium peribit in perpetuum.
& sic
19 Surge Domine [+]: non roborabitur
& sic
homo, iudicabuntur gentes super facies tuas.

20 Pone

21 *Constitue Domine legislatorem super eos: vt sciant gentes quoniam homines sunt.*

20 Pone Domine [4] dominium eis: scient gentes, hominem se. *Selah.*
(& sic ... esse)

COMMENTARIVS.

TItulus est, *Vincenti, super morte filio, Psalmus Dauidi.* Et est sensus quòd Psalmus iste attribuitur Dauidi loquenti vt auctori Psalmi, & dicanti ipsum Deo ob subsecuta ex nunciis cõsolatoriis super morte Naas regis Ammonitarum filio eius Anon regi Ammonitarum. Vt enim patet 2. Reg. 10. mortuo Naas Ammonitarum Rege, Dauid misit legatos ad Anon filium eius consolatorios super morte patris. Et quia hanc legationem misit ratione beneficiorum receptorum à patre Anon, ideo non nominat eum nomine proprio, sed filium: quia misit ad eum quatenus erat filius Naas mortui. Et quoniam Anon ignominiosè tractauit legatos Dauidis (radendo dimidiam partem barbæ eorum & præcidendo vestes medias vsque ad nates) & hinc miserunt & conduxerunt Syros contra Dauidem, & secuta sunt prælia multa, ideo Psalmus hic ad literam tractans pessundationem Ammonitarum iusto Dei iudicio, radicem Dauidicæ iustitiæ tangit dicendo: *super morte filio*: hoc est, ob legatos consolatorios super morte Naas destinatos filio eius.

Materia. Gratiarum actio de victoria contra Ammonitas. Huic materiæ quadrat totus Psalmus: nam & in principio & in medio & in fine mentio fit diuini iudicij: & aperitur quod iudicium hoc inter Dauidem & gentes vertebatur: vt patet in quarto & quinto versiculis. Aperitur quoque quòd hoc fuit tempore quo iam arca Domini erat in Sion: dum in vndecimo versiculo dicitur: *Cantate Domino sedenti Sion.* Vnde ad literam materia Psalmi est gratiarum actio Deo quia fecit vindictam contra Ammonitas qui tam turpiter tractauerant legatos Dauidis.

SVMMARIVM EST.

P*Ropheta promittit laudes Deo, & ad idem alios inuitat; tum quia Deus iusto iudicio puniuit Ammonitas cum sociis, vlciscendo oppressos olim ab eis & eleuando seruos suos: tum quia manifestum effecit iudicium, & in proprio opere illos puniendo, & subijciendo eos Dauidico Dominio.*

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. *Distributio Psalmi.* CONFITEBOR DOMINVM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi: *Quoniam fecisti.* Proponit duo, scilicet diuinam laudem, & materiam laudis ruinam inimicorum à facie Dei. Et laudem quidem proponit vtrinque scilicet ex parte sui, & ex parte Dei.

Ex parte quidem sui tangit quatuor. Primum spectans ad cor, *confitebor in toto corde meo*: secundum ad linguam, *narrabo*: tertium ad affectum, *lætabor*: quartum ad musicam, *canam.*

Ex parte verò Dei tangit tria, scilicet Dominum, *confitebor Dominum*, & rursus *exultabo in te*: & opera eius excellentia, *omnia separata tua*: & nomen Dei, *nomen tuum excelsum.* Vbi scito excellentia opera Dei quæ excedunt vires creaturarum nominari à *separatione*: quia verè segregata & seorsum sunt non solùm ab operibus sed etiam à comprehensione nostra: quæ consueuimus appellare *mirabilia Dei.* *Opera Dei excellentia dicuntur separata.*

Et promittit Propheta se narraturum hæc omnia: non quòd omnia arbitretur se scire aut narrare (cùm incomprehensibilia sint) sed quia commemorare intendit omnia genera mirabilium diuinorum. Nec hoc intelligas promitti adimplendum in hoc Psalmo, sed in hoc & in aliis: sicut etiam inferiùs in versiculo quartodecimo dicit, *propterea narrabo omnes laudes tuas.* Hîc enim promittit pro gratiarum actione commemorare omnia mirabilia Dei, & similiter inferiùs omnes laudes Dei in genere: quoniam descendere ad singulas esset impossibile. Verumtamen accommodando distributionem ad præsens negocium, promittit *narrare omnia separata Dei*: quia vtrumque genus diuini operis narraturus est, scilicet gratiæ & iustitiæ: & rursus iustitiæ pro ipso Dauide, & populo Dei, & contra immemores Dei: & rursus non solùm opera Dei in istis, sed etiam modum operandi.

Materia verò laudis proponitur dicendo: *reuertentibus inimicis.* Vbi nota sermone metaphorico ad similitudinem fugientium à facie persequentis, & in ipsa reuersione fugiendo inuenientium offendicula in quæ impingunt, nec solùm impingunt sed pereunt, describi hostes. Et significatur ad literam quòd Ammonitæ qui egressi cum Syris fuerant ad pugnandum contra Dauidem, terga verterunt fugientes, & ceciderunt fugati & perierunt: & totum hoc à facie Dei: non enim suis militibus sed Deo totum Dauid attribuit, recognoscens Diuinum beneficium. Historiam habes summariè scriptam, 2. Reg. 10. & in fine cap. 12. & 1. Paralip. cap. 19. & 20.

Vers. 4. QVONIAM FECISTI. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *reuertentibus inimicis meis retro*: secundò illa, *cespitabunt & peribunt*, ibi *miserere mei.* Vbi nota quòd ambæ particulæ tractantur vt sunt materiæ diuinæ laudis promissæ, *confitebor*, &c. Et ne multiplicatæ distinctiones obscuriorem reddant textum, abstinuimus à singulis: non prætereundo quòd Propheta dupliciter tractat hæc: Primò quantùm ad substantiam operum diuinorum hinc & inde: & secundò quantùm ad modum eorundem similiter hinc & inde: sicut etiam proposuit primò inimicorum confusionem, in fuga retro; & secundò modum ruinæ, in cespitatione & interitu. *Pars Executiua.*

Inchoans itaque diuinæ attribuit auctoritati iustitiæ, vt primæ causæ opus vtrumque, scilicet ruinam Ammonitarum & eleuationem Dauidis. *Quoniam sedisti in sede iudex iustitiæ*, hoc est, velut pro tribunali sedisti ad fungendum officio iudicis dicentis iustitiam, *fecisti iudicium meum*, vindictam exercendo in Ammonitas, & *causam meam*, *Ruina Ammonitarum à Deo, vt & eleuatio Dauidis.*

meam, retribuendo sublimationem loco ignominiæ acceptæ. Textus Hebræus habet in datiuo *sedi*: congruitas mutauit addendo præpositionem *in*.

VERS. 5. *Increpasti gentes* (ecce prima pars iudicij & iustitiæ) ad similitudinem increpantis in fugam vertisti gentes Syrorum & Ammonitarum *perdidisti impium*, multitudinem impiorum non solùm increpasti, sed occidisti: &, quod plus est, *nomen eorum delesti seculo* (datiuum pro ablatiuo) & nostro seculo *& semper*. Deleti quippe sunt ita Ammonitæ tunc, vt ex natura facti nunquam essent amplius dominaturi: & propterea describitur deletum etiam nomen eorum.

VERS. 6. *Inimice*. Apostrophat Dauid ad hostes populi Israël. Vbi recole quòd (vt patet in libro Iudicum & in 1. Reg.) populus Israël fuit valde humiliatus, & à Syris, & à Moabitis & Ammonitis & aliis finitimis quos Dauid humiliauit. Et ad omnes ita humiliatos potest dirigi sermo iste: quamuis etiam de solis Ammonitis verificetur: quoniam de ipsis dicit Iosephus lib. 6. cap. 6. quòd *vrbes Iudæorum seruituti subegerunt*, *& quòd dextros oculos Hebræis subditis eruebant*: quòd etiam tangitur Iudicum 10 & 1. Reg. 11. Et 1. Reg. 12. dicit Samuël populo: *Videntes quòd Naas Rex filiorum Ammon venisset aduersus vos*, &c. Apostrophans itaque ad Ammonitam seu vniuersum hostem intendit dicere quòd licet ciuitates & populi oppressi olim ab ipsis, non sint, nec possint se vindicare, Deus tamen iudex orbis totius, semper est, & nunc fecit vindictam, &c. *O inimice finitæ sunt desolationes*, hoc est, desolati & vastati Hebræi, *æterno*, quas fecisti irreparabiles in æternum: *& ciuitates* Hebræorum (supple quas) *destruxisti*, similiter finitæ sunt, non sunt amplius: *periit memoria earum ipsis*. Significanter apposuit *ipsis*: vt significaret quòd periit ipsis desolatis & destructis memoria vindicandi, & etiam memoria dominandi quantùm est ex ipsis, sed non periit memoria earum Deo Iudici. Et propterea subdit:

Ammonitæ dextros oculos Hebræis subditis eruebant.

1. Reg. 12. 12

Et Dominus semper sedebit. Ac si apertè diceret: O inimice verum est quòd ciuitates & populi à te destructi non sunt, nec possunt se vindicare, sed est Dominus communis qui semper sedebit: *parans iudicio*, iuri dicendo vnicuique, *sedem suam*: *& ipse* non solùm nos sed vniuersum *orbem iudicabit*, ne credatis vos exemptos ab illius iudicio, *in iustitia*, reddendo vnicuique secundùm opera sua: *iudicabit populos in rectitudinibus*: non iudicabit in iustitia secundùm allegata & probata, sed *in rectitudinibus*, hoc est, secundùm ipsas rectitudines animorum & operum: ac per hoc iudicabit ipsas obliquitates: quia rectitudo est iudex sui & obliqui. *Et erit*, & propterea *Dominus erit eleuatio* populo suo *contrito*, à vobis: *eleuatio* inquam *temporibus*, hoc est, loco temporum, *in angustia*, quibus fuerunt in angustia oppressi à vobis. Describuntur hæc in futuro ad significandum perseuerantiam ac firmitatem diuini iudicij ad eleuationem populi Israël in tempore regni Dauidici.

Iudicabit Dominus in rectitudinibus.

Vers. 10. ET CONFIDENT IN TE. Redit Propheta ad alloquendum Deum. Fructui iudicij & iustitiæ annectitur confidentia populorum, *scientium* per fidem *nomen Domini*. *Quia non dereliquisti*, inultos, *quærentes te Domine*. Noluit dicere ob modestiam, quia non reliquisti, me quærentem te Domine, sed in genere significauit se cum aliis.

Vers. 11. CANTATE DOMINO. Promisit in principio, *confitebor*, *canam*, &c. inuitat modò alios ad hoc ob magnitudinem & communitatem beneficij. *Sedenti*, velut specialiter præsidenti & regnanti in *Sion*: quia ibi speciali cultu venerabatur. *Opera eius*: hæc sunt quæ in principio appellauit *separata*. *Quoniam requirens sanguines*, hoc est, tempore quo iustitiam exercere decreuit requirendo sanguinem humanum iniustè effusum, *non est oblitus clamorem humilium*, abiectarum personarum, quæ fuerunt oppressæ: sed *recordatus* est *eos* ad vindicandum sanguinem eorum. Ex quibus patet quòd Deus puniuit Ammonitas cum suis fautoribus non solùm propter ignominiam illatam legatis Dauidis, sed etiam propter iniurias & oppressiones quas intulerant temporibus retroactis populis multarum ciuitatum Hebræorum.

Requirit Deus sanguinem iniustè effusum.

Vers. 13. MISERERE. Narratis operibus diuini iudicij, subiungitur modus, tractando illam particulã, *cessitabunt & peribũt*. Vnde & aptè inchoat à modo supplici ex parte sui. Introducit enim se supplicem qualis fuerat tempore acceptæ iniuriæ ab Ammonitis & conductorum Syrorum ab eisdem contra Dauidem: vt hinc significet quòd tunc recurrit ad Deum; & exauditus meritò omnia imputat diuinæ opi. *Miserere mei*. Oratio Dauidis recitatur. Misericordiam non iustitiam petiit, quamuis causam iustam foueret: quia licet respectu Ammonitarum iustitiam haberet, respectu tamen Dei misericordiã indigebat, ne in miseriam sibi paratam ab hostibus incideret. Vnde & subdit rationem miseriæ: *vide afflictionem meam ab osoribus meis*, illatam & imminentem: *exaltans me de portis mortis*. Potest hoc referri & ad præterita beneficia: vt sit commemoratio præteritorum beneficiorum tempore Saulis. Et iuxta hũc sensum litera ordinãda est sic: *Domine exaltans me de portis mortis*, *miserere mei*, &c. verè etenim Deus de portis mortis multoties, de periculis mortis eripuit Dauidem tempore Saulis & euexit ad regnum: consueuimus enim petentes futura commemorare præterita recognoscendo illa.

Orat io Dauidis.

Potest referri & ad futurum quod petebat beneficium. Et sic est sensus: *Miserere*, *vide exaltans*, *exaltando me de portis mortis*. Portas mortis appellat exercitus tot Ammonitarum & Syrorum contra ipsum. *Propterea narrabo*: non habeo quod retribuam tibi pro tanto beneficio, & ideo promitto quòd propter hoc beneficium *narrabo omnes laudes tuas*: commemorabo omnes laudes tuas ab initio mundi gestorum tuorum: *in portis filiæ Sion*: hoc est, in portis Hierusalem ciuitatis regiæ. Locus portæ tunc temporis erat locus ciuitatis celebrior: & propterea meminit portarum Ierusalem: quæ vocatur *filia Sion*: quia erat sub monte Sion, quia dignitas, opes & gloria eius erant ex Sion, vbi erat sedes regia & arca Domini. *Exultabo in salute tua*: non in brachio meo, non in milite meo, sed in salute tua, à te collata, à te recognita exultabo. Hæc fuit Oratio Dauidis.

Ad portam Ciuitatis tũc erat locus vrbis celebrior.

Vers. 15. DEMERSÆ SVNT. Modus diuini operis describitur, primò quoad ruinam Ammonitarum: & deinde quoad subiectionem. Modus quo ruerunt diuino iudicio, describitur per assimilationem ad cadentes in foueam quàm fecerunt,

Ruina Ammonitarũ ex diuino iudicio.

runt,& incidentes in rete quod aliis parauerunt: ad significandum per hanc metaphoram quòd Deus puniuit eos ex opere proprio : hoc est, quòd volens Deus punire eos ob antiqua scelera, permisit eos iniustum mouere bellum contra Dauidem vt in ipso bello ruerent : huc enim tendunt huiusmodi metaphoræ. *Demersæ sunt gentes in foueam*(supple quam)*fecerunt*, aliis : & similiter *in rete hoc* (supple quod) *absconderunt* aliis, *captus est pes eorum*. Et propterea *agnitum*, manifestum, *fecit Dominus iudicium* suum, destruendo eos in bello quo ipsi volebant destruere alios : *in opere volarum suarum impacta est impij meditatio :* hoc est, in bello manuum suarum corruit meditatio impij Ammonitæ quâ machinabatur aduersus Dauidem. *Reuertentur impij in foueam*, sepulcri,hoc est morientur *omnes gentes immemores Dei*. Auxiliares copiæ hîc describuntur simul cum Ammonitis debellatæ: Et ex eo quòd hæc cum cæteris sequentibus describuntur futura, insinuatur quòd dicta Dauidis oratio fuit tempore medio inter primam debellationem qua Ammonitæ & Syri fugerunt à facie Ioab & Abisai, & sequentes in quibus ab Euphrate alij conuenerunt : vt patet in historia. Et constructio mutauit *in foueam*,datiuum *foueæ*.

*Vers.*18. QVONIAM IN ÆTERNO OBLIVIONI ERIT PAVPER. Ratio tangitur ruinæ respectu istarum gentium, similis rationi superius tactæ respectu Ammonitarum, scilicet quoniam apud Deum vindicta pauperum est in memoria,quamuis ad tempus appareat Deum obliuisci pauperum. Et aduerte in litera quòd illa negatio *non*, determinat vtrumque verbum, scilicet *erit*, & *peribit :* est enim sensus:non erit obliuioni, non peribit.

*Vers.*19. SVRGE DOMINE. Descripto modo diuini iudicij quoad ruinam, describitur nunc modus diuini iudicij quoad subiectionem. Secundùm enim historiam non solùm Ammonitæ & Syri ruerunt, sed etiam ciuitates eorum subiectæ fuerunt Dauidi : ita quòd Deus puniuit eos non solùm in proprio bello, sed etiam subiiciendo ciuitates eorum Dauidi. Seruiuit enim tunc Syria Dauidi sub tributo:& dominatus est Dauid ex illis præliis, omnibus regionibus vsque ad Euphraten. Describit autem hoc deprecatiuè : tum recognoscendo hoc pendere ex singulari gratia Dei : tum supplicando pro amplitudine dominij. *Surge Domine*,tanquam hactenus sederis seu iacueris, modò ad modum surgentis assiste : *non roborabit homo*, ad hoc surge vt non roboretur homo, id est, vis humana contra nos: vel quia surgente te non roborabitur homo contra nos. *Iudicabuntur gentes super facies tuas*, ad hoc surge vt perseueret iudicium quod inchoasti in gentibus tanquam iudicium innixum faciei tuæ (hoc enim significat super facies suas) & non sit hoc tanquam iudicium humanum.

Syria seruiuit Dauid sub tributo.

*Vers.*24. PONE DOMINE DOMINIVM EIS. Fac eos Domine subiici dominio regis tui:*scient gentes hominem se :* hoc est ideo da dominium super eas vt gentes sciant seipsas esse hominem, vt recognoscant seipsas & non audeant contra populum Dei sicut hactenus ausæ sunt, recognoscant te Dominum nostrum,esse Deum & seipsas esse non potentes contra Deum, sed esse hominem subditum Deo.

Et scito quòd hæc omnia, (scilicet *indicabuntur gentes*, & *scient gentes*) quæ exposita sunt optatiuè, possunt ad literam quoque exponi indicatiuè vt sonat litera, vt fructus surgentis Domini. *Surge Domine:*quia te surgente *non roborabitur homo,& indicabuntur gentes:*& similiter *pone dominium eis:*quia ponente te illis dominium, *scient gentes* seipsas *esse hominem*. Amen.

PSALMVS

IVXTA HEBRÆVM.

X.

1 *Vt quid Domine recessisti longè : despicis in opportunitatibus in tribulatione.*	1 *Propheta.* QVARE Domine † stabis in lõginquo:abscondes te tẽporibus (quæ sunt) in angustia?
2 *Dum superbit impius incenditur pauper : comprehenduntur in consilijs quibus cogitant.*	2 In superbia impij : persequetur pauperem, capientur in cogitationibus istis cogitauerunt.
3 *Quoniam laudatur peccator in desiderijs animæ suæ : & iniquus benedicitur.*	3 Quia laudauit impius super desiderium animæ suæ, & auarus benedixit (desiderium ideo) : spreuit Dominum †.
4 *Exacerbauit Dominum peccator : secundum multitudinem iræ suæ non quæret.*	4 Impius in celsitudine sua furoris sui non quæret (scire) : non Deus † (sunt) omnes cogitationes eius. † *Dij.*
5 *Non est Deus in conspectu eius : inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur iudicia tua à facie eius : omnium inimicorum suorum dominabitur.*	5 Parturient viæ eius in omni tempore: ab excelso (sunt) iudicia tua à conspectu eius : omnes angustatores eius (quòd) sufflabit in ipsos.

6	*Dixit enim in corde suo : non mouebor à generatione in generationem sine malo.*	6	Dixit in corde suo. *Vox impij.* Non labar generationi & generationi, quòd non [ero] in malo.
7	*Cuius maledictione os plenum est & amaritudine & dolo : sub lingua eius labor & dolor.*	7	*Propheta.* Maledictione os eius plenum & dolis & fraude : sub lingua eius labor & iniquitas.
8	*Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis : vt interficiat innocentem.*	8	Sedebit in insidiis villarum : in absconditis interficiet innocentem, oculi eius ad pauperẽ † spectabũt. († pauperi.)
9	*Oculi eius in pauperem respiciunt : insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. Insidiatur vt rapiat pauperem : rapere pauperem dum attrahit eum.*	9	Insidiabitur in abscondito quasi leo in cubili suo, insidiabitur ad rapiendum pauperem : rapiet pauperem in trahendo ipsum in rete suum.
10	*In laqueo suo humiliabit eum : inclinabit se & cadet cum dominatus fuerit pauperum.*	10	Et conteretur, humiliabitur : & cadet [multitudo contritorum] in fortibus eius contriti.
11	*Dixit enim in corde suo : oblitus est Deus, auertit faciem suam ne videat in finem.*	11	Dixit in corde suo. *Vox impij.* Oblitus est Deus, abscondit facies suas, non vidit æterno.
12	*Exurge Domine Deus & exaltetur manus tua : ne obliuiscaris pauperum.*	12	*Propheta.* Surge Domine [4] Deus : leua manum tuam, noli obliuisci humilium.
13	*Propter quid irritauit impius Deum? dixit enim in corde suo, non requiret.*	13	Super quid spreuit impius Deũm †? dixit in corde suo. *Vox impij.* Non requires. († Deus.)
14	*Vides quoniam tu laborem & dolorem consideras : vt tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus est pauper : orphano tu eris adiutor.*	14	*Propheta.* Vidisti quia tu laborem & indignationem respicies ad dan[eos]dum in manibus tuis : super te [se] derelinquet pauper, pupillo tu fuisti adiutor.
15	*Contere brachium peccatoris & maligni : quæretur peccatum illius & non inuenietur.*	15	Frange brachium impij : & malum quæres, impietatem eius non inuenies.
16	*Dominus regnabit in æternum & in seculũ seculi : peribitis gẽtes de terra illius.*	16	Dominus [4] rex seculi & æterni : [ideo] perierunt gentes de terra sua.
17	*Desiderium pauperum exaudiuit Dominus : præparationem cordis eorum audiuit auris tua.*	17	Desiderium humilium audisti Domine [4] : præparabis cor eorum, auscultabis aure tua.
18	*Iudicare pupillo & humili : vt non apponat vltrà magnificare se homo super terram.*	18	Ad iudicandum pupillum & contritum : non adiiciet [impius] vltra ad frangendum hominem à terra.

COMMENTARIVS.

Materia Psalmi.

Titulus nullus est. Circa materiam Psalmi cognoscendam aduerte tria in Psalmo clara. Primum quòd querula proponitur vox ad Deum tanquam ad manentem longè & abscondentem se, impio cum tot criminibus superbiente & persequente pauperem tot modis. Secundum quòd Propheta excitat Deum ad exaltandum diuinam manum, &c. Tertium quòd Deus rex seculi & æterni, & perierunt gentes, &c. His tribus clarè patentibus in Psalmo, adiunge quartum rationabile : quòd appellatione *impij* in hoc Psalmo non intelligitur aliqua singularis persona (nisi fortè Antichristus) sed genus impiorum viatorum vt vna persona significatur. Quod ex quatuor apparet. Primò ex eo quòd statim transit de singulari in plurale & reuertitur in singulare, & iterum in fine redit ad plurale. Postquam enim dixit *in superbia impij*, subiungit *capientur in cogitationibus istis cogitauerũt*, & statim *quia laudauit impius:* & circa calcem Psalmi, *perierunt gentes de terra sua.* Secundò ex eo quòd hæc crimina quæ huic impio attribuuntur, nescio si alicui singulari homini

mini etiam Antichristo conuenient: sed dubium non est quin de genere iniquorum verificentur. Tertiò ex eo quòd Apostolus ad Rom. 3. afferendo ex hoc Psalmo versiculum illum, *quorum os maledictione & amaritudine plenum est*, mutauit singulare in plurale: nam in Hebræo legitur *cuius*, seu *eius*, & Apostolus allegauit *quorum*, quod non fecisset Apostolus si de vno singulari homine Propheta loqueretur: quoniam affert hunc versiculum ad testificádum omnes etiam Iudæos esse sub peccato. Quartò ex eo quòd appellatione *pauperis* quem persequitur impius, non intelligitur aliquis vnus pauper, sed genus pauperum, præcipuè spiritu. In cuius signum appellantur innocentes, cótriti, mansueti seu humiles & pupilli.

De dilatione iudicij vniuersalis. Ex his siquidem omnibus apparet quòd Psalmus iste ad literam tractat per modum querelæ de dilatione vniuersalis iudicij, quo terminus ponetur iniquis operibus: quia interim impij superbiunt, &c. & pij affliguntur. Hæc est materia.

SVMMARIVM EST.

Propheta vbi questus est apud Deum de promissione tanta superbia impiorum cum tot criminibus, cumque vehementi persecutione piorum tum verbis tum factis, supplex excitat Deum ad exaltandum diuinam manum, ad rationem habendam pauperum: describitque perinde ac completum futurum regnum Dei in consolationem humilium, in interitum gentium ac terminum humanæ superbiæ.

Persona loquens, propriè Propheta est: recitans tamen ter impiorum vocem.

VERS. I. QVARE DOMINE. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi: *quia laudauit.* Proponit per modum queruli, *quare Domine:* non enim vt sciat causam, sed vt exprimat tristitiæ admirationisque affectum ad similitudinem queruli, dicit *quare Domine.* Proponit autem quatuor. *Quatuor proponit Dauid. Primum.* Primò diuinam permissionem sub metaphora duplici. Altera ad similitudinem manentis longè ab iis quæ fiunt: qui enim manet longè minorem se monstrat habere curam eorum à quibus eligit distare. Altera ad similitudinem abscondentis se tempore alienæ angustiæ: talis enim paruifacere videtur alienas angustias.

Quare, inquit, *Domine*, quem nullus potest cogere, *stabis*, diutius, *in longinquo*, tanquam manens à longè: *abscondes te*, tanquam abscondés te eris, in *temporibus*, non in vno tantùm tempore, *in angustia*, hominum. *Secundum.* *In superbia impij.* Ecce secundum, quo proponuntur crimina superbiæ & impietatis. *Tertium.* *Persequitur pauperem.* Ecce tertium quo proponitur persecutio pauperum: qua scilicet impius in sua superbia persequetur pauperem. *Quartum.* *Capientur in cogitationibus istis cogitauerunt.* Ecce quartum: prophetans futurum quandoque quòd impij non solùm dabunt pœnas factorum sed cogitationum, quòd apud Deum tam manifestæ sunt etiam cogitationes eorum, quòd in ipsis cogitationibus confundentur in diuino iudicio. Et dixit hoc ad exaggerationem querelæ; perinde ac diceret: cur tandiu tardas superbiente impio persequente pauperem, cùm tandem damnandi sint impij non solùm ob facta sed ob cogitationes suas?

Pars Executiua. *Vers.* 3. QVIA LAVDAVIT. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *in superbia impij:* secundò illa, *persequetur pauperem*, ibi: *maledictione:* tertiò illa, *quare Domine*, &c. ibi: *surge Domine:* quartò illa. *capientur in cogitationibus*, ibi: *Dominus rex.* Circa superbiam impij describit superbum animum quadrupliciter. *Superbia quadruplex. Secundum partem concupiscibilem.* Primò *secundùm partem concupiscibilem*, tum gloriæ, tum temporalium bonorum, dicens: *Quia impius laudauit super desiderium animæ suæ*, hoc est, non solùm adimpleuit desiderium suum, sed laudauit (& est sermo de impio quatenus impius est) *& auarus* similiter *benedixit* similiter super desiderium animæ suæ, ideo *spreuit Dominum* Vbi videre potes quò ducit laudare mala desideria & auaras actiones: ducit enim vsque ad contemptum Dei. Significatur enim ad literam quòd quia iniquorum multitudo laudat appetitus iniustorum & auarorum (quod quotidie videmus) ideo spernitur Deus.

Vers. 4. IMPIVS IN CELSITVDINE. *Secundùm irascibilem.* Describitur secundò *secundùm partem irascibilem*, posthabendo tum veritatem, tum Deum *Impius*, inquit, *in celsitudine sua furoris sui*, hoc est, ex celsitudine quâ indignatur (naturale est enim impiæ celsitudinis indignari, imò furere) & hinc nascitur quòd *non requiret*, veritatem: ira enim naturaliter vltra hoc quòd impedit discretionem veri, iuncta superbiæ efficit vt non curet inquirere veritatem. Et vsque adeò superbia (quæ in irascibili animi parte locatur) procedit quòd *non Deus omnes cogitationes eius*, hoc est, sine Deo sunt omnes cogitationes eius: minùs dixi, quicquid cogitat est non Deus.

Vers. 5. PARTVRIENT VIÆ EIVS. *Secundùm rationalem.* Tertiò *secundùm partem rationalem.* Tum machinando ad malum: *Parturient viæ eius in omni tempore.* hoc est, nunquam exhaustæ erunt, in omni tempore sic parient malum aliquod quòd etiam parturient aliud: semper enim superba studia & pariunt & parturiunt malum. Et est locutio metaphorica, sumpta à contraria natura animalium non omni tempore scilicet quandoque parientium. Tum falsâ opinione diuinorum iudiciorum. *Ab excelso iudicia tua*, sunt, *à conspectu eius.* Reputat enim diuina iudicia in excelso sistere: iuxta illud, *nubes latibulum eius*, tanquam Deus non disponat nisi de supernis. Et propterea conspicere dicitur diuina iudicia tanquá excelsa.

OMNES ANGVSTATORES EIVS. *Secundùm ipsam voluntatem.* Quartò *secundùm ipsam voluntatem.* Tum respectu inimicorum: *Omnes*, inquit, *angustatores eius:* similiter habebuntur in conspectu eius, sic quòd *sufflabit in ipsos:* hoc est, tanquam flatu exterminandos æstimabit: superbi enim est despicere & pro nihilo habere infestatores suos. Tum respectu proprij status: *dixit in corde suo: Non labar generationi & generationi.* Superbus animus promittit sibi immutabilitatem, propterea quòd tanti se facit tanquam exemptus sit ab euentu malo. Et propterea subditur: *quòd*, pro *quia non in malo:* supple *ero.* Superbia quippe proponit superbo animo seipsum tam celsum vt appareat sibi, quòd malum nequeat ei euenire. Et propter hanc apparentiam internam describit Propheta superbum quòd dixit in corde suo hoc: *non labar à generatione & generatione* (hoc est, nunquam) à statu meo, *quia non in malo*, supple, ero.

Persecutio pauperum. *Vers.* 7. MALEDICTIONE Tractatis criminibus superbiæ & impietatis, tractatur hîc illa particula *persequentur pauperem*, prosequendo multa persecutionum genera. Et primò incipit à ver-

In verbis.

bis. Tum expressis trifariam. *Maledictione*, inquit, (sub qua comprehenditur contumelia, imprecatio, detractio, susurratio,) &c. *os eius*, (supralcripti impij superbi, *plenum*, supple est, *& dolo*, mendacibus & astutis verbis ad fallendum, *& fraude*, ad impetandum fraudes. Tum tacitis: *sub lingua eius*, tacitè, *labor & iniquitas*: hoc est, ad hoc pressa sub lingua verba tendunt vt laborent pauperes, & iniqui fiant sicut ipse est iniquus: seu vt iniquè fatigent homines.

In factis.

Deinde prosequitur persecutionem pauperum quæ fit *factis* triplici insidiarum genere: & postea hypocrisi. Primum insidiarum genus est more lationis morari *in insidijs villarum* ad occultè interficiendum innocentem. Vbi aduerte quòd dictio Hebraica significat atria, & significat villas: & propterea potest legi *in insidijs vestibulorum, & in insidijs villarum*. Verùm magis quadrat vsui vt locus insidiarum ad occultè occidendum potiùs describatur in villis, quàm atriis. *Sedebit*, inquit, quietè morabitur, *in insidijs villarum*, seu atriorum: *& in absconditis interficiet innocentem*, prætereuntem. Secundum genus insidiarum est leonino more ad pauperem: *Oculi eius ad pauperem*, vorandum, *spectabunt*: & ad hoc *insidiabitur in abscondito*, vi & dolo, *quasi leo in cubiculo suo*. Leo enim in spelunca sua insidias agit, dolo, pro quanto latet: vi autem, insurgendo ad vorandum eum qui putat transire securus. Tertium genus est venatorio more insidiari ad rapiendum pauperem velut trahendo ipsum ad suum rete: *Insidiabitur ad rapiendum pauperem*: sic, scilicet *rapiet pauperem in trahendo ipsum in rete suum*, sicut venatores trahunt animalia in retia sua. At si legitur cum reti suo, insidiæ describuntur piscatorio more: aut etiam illo venantli modo quo retiaculo vtuntur tractorio.

Triplices insidiæ.

Hypocrisis.

Persecutio demum quæ hypocrisi fit subiungitur: *& conteretur, humiliabitur*. Hypocrisis actus sunt, hominem ex vna parte (hoc est, *signis*) gerere se tanquam contritum atque infirmum: ex altera autem parte, hoc est, *factis*, efficere vt mediante operâ fortium suorum prosternatur ac ruat multitudo contritorum: hoc enim significatur subdendo, *& cadet in fortibus eius contriti*: hoc est, pugnantibus fortibus eius. *Cadet*, pro cadent, *contritis*, multi: id est, cadet & conteretur multitudo.

Frequens in Psalmis verbũ singulare cum numero plurali.

Non mireris verbum singularis numeri *cadet*, cum nomine pluralis numeri *contritis*: frequens enim est in libro hoc: denotans vnitatem, hoc est, vnam multitudinem, vnum exercitum contritorum.

Aduerte hìc quòd in hoc vltimo versiculo Propheta inducere videtur similitudinem hominis gestu corporis agentis seipsum deorsum tanquam occultantis se, & ex altera parte nutibus annuentis aliis vt pugnent. Vnde apparet quòd omnia insidiarum genera metaphoricè inducta sint, ad significandum omne genus insidiosæ persecutionis aduersus pios; quos à multis impiis exerceri videmus: & si quid superest, Antichristus exercebit. Possunt enim hæc ad multa applicari: quæ studiosis relinquimus lectoribus.

Impunitatem scelerũ credit impius.

Vers. 11. Dixit in corde svo. Ratio tot malorum assignatur: quia impius *dixit*, definiuit, intus *in corde suo*, hæc, scilicet, *oblitus est Deus, abscondit facies suas, non vidit æterno*. Perspice diligenter has sententias, & inuenies confusionem: minus enim cohærent adinuicem hæ sententiæ si exactè intelligantur. Verùm quia intentio impij est (vt vnico verbo Propheta repetendo dicet) quòd Deus non requiret post hanc vitam facta hìc, ideo possunt hæ sententiæ secundùm intentionem impiorum cohærere sic: vt primò dicatur, *oblitus est Deus*, hoc est, non habet singularium materialium notitiam: memoria enim est singularium præteritorum: & propterea negatione memoriæ significat negationem notitiæ singularium prætereuntium. Et huic consonat: *abscondit faciem suam*: hoc est, intellectum suum, quo cognoscit, abscondit in supernis: iuxta illud: *nubes latibulum eius*, &c. & consequenter quadrat: *non vidit æterno*: hoc est, nunquam vidit hæc nostra ad æternum iudicium. Impunitas itaque credita in corde impij ratio dicitur tot criminum.

Vers. 12. Svrge Domine. Tractatur hìc illa particula, *quare Domine stabis*, &c. Narratis siquidem tam criminibus impietatis & superbiæ, quàm persecutionibus, supplex Propheta tanquam excitans: *Surge Domine Deus*, à quo ere punitionis ad duo. Primum *leua*, exalta, *manum tuam*, potentiam tuam, opus tuum. Secundum: *noli obliuisci humilium*, abiectorum, oppressorum.

Et prosequendo primum: *Super quod spreuit impius Deum*, impunè, ac per hoc depressa est manus tua in conspectu hominum: hoc est, super quo fundatur tanta patientia tua quòd spreuit hactenus impunè impius Deum? Nec solùm spreuit Deum, sed *dixit in corde suo*, in intimo suo: *non requires*, tu Deus facta hominum ad iudicandum. Ex his enim duabus rationibus *leua manum tuam*.

Prosequendo verò secundum (scilicet *noli obliuisci humilium*) ait: *Vidisti quia tu laborem & indignationem respicies ad dandum in manibus tuis, super te derelinquet pauper*.

Vbi scito quòd intenta sententia est quòd Deus vidit ideo impios derelinquere curam sui Deo, quia Deus tum laborem piorum, tum indignationem impiorum non posthabebit, sed respiciet ad dandum in futura vita vnicuique iuxta merita sua. Et hæc est directè ratio propositæ petitionis, *noli obliuisci humilium*. Vnde ait: *vidisti*, contra impium dicentem in corde suo, quòd non vidisti, quòd abscondisti faciem tuam: *Vidisti*, inquam, *quia tu laborem*, humilium, *& indignationem*, impiorum, *respicies*, quoad pœnam & præmium, *ad dandum*, vtrosque, *in manibus tuis*, in altera vita: ideo *super te derelinquet*, seipsum, *pauper*. Et similiter ideo *pupillo tu fuisti*, electus, *adiutor*.

Et adiungitur rationibus his vtilitas cessationis impiorum. *Frange*, inquit, *brachium impij*, potentiam impij. Et ecce vtilitas. *Et malum quæres*: hoc est, non occurret malus sicut modò, sed oportebit quærere si est aliquis malus. Et quod plus est, *impietatem eius non inuenies*, imitatam ab aliquo. Et ad literam hoc implebitur post iudicium: in hac enim vita quamuis castigatis malis minuatur impiorum multitudo, non tamen cessat, vt hìc describitur non inuenienda impietas.

Vers. 16. Dominvs Rex. Vltima est hæc particula Psalmi: in qua tractatur illa particula, *capientur in cogitationibus istis cogitauerunt*: declarando

clarando primùm futurum Dei regnum æternum. *Dominus*, inquit, *rex*, à regendo & regnando, *sæculi & æterni* (hoc est, veræ æternitatis) supple apparebit. Deinde partes regni. Et quoad impios, *perierunt gentes* : & tunc verificabitur *perierunt gentes de terra sua* : verè *suâ* affectu: sancti enim non habent hîc manentem ciuitatem. At si legitur *de terra eius*, terra Dei intelligitur, quæ est terra viuentium : de qua perierunt omnes damnati : quia ad eam assequendam fuerant creati. Et quoad pios : *desiderium humilium audisti Domine*. Et sumitur hîc humilitas pro virtute. Quorum desiderium fuit auditum, cùm dedit eis desideratam beatitudinem. Et vltra hoc *præparabis cor eorum* : hoc est, amatum tam vehementer, vt in illo posuerit cor suum : sumitur enim iuxta communem loquendi vsum cor pro re multum amata. Et minùs dicit quàm significat : nam non solùm præparauit Deus cor humilium, id est, amatum corde humilium, sed in cor hominis non ascendit quod præparauit diligentibus se.

Dominus rex æternitatis.

Terra Dei, terra viuentium.

Cor pro re multum amata.

Auscultabis aure tua. Narratis fructibus regni Dei tam respectu piorum quàm impiorum in altera vita, subiungit modum quo pij ad hæc peruenient, scilicet mediante desiderato iudicio vniuersali. *Auscultabis* tūc, *aure tua*, præsens, non vt in hac vita differendo; sed *ad iudicandum pupillum & contritum*: carentes iudicio & iustitia in hac vita, cum sempiterno fructu cessationis malorum. *Non adijciet vltra*, post iudicium, *ad frangendum hominem à terra*. Vsque ad tempus iudicij quantumcunque impij castigentur, semper succedit homo adiiciens insurgere *ad frangendum hominem a terra*: sed peracto iudicio vniuersali, non adiiciet quisquam ad frangendum, integritatem hominis tollendam, à terra: hoc est, desinent persecutores hominum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori Dauid Psalmus.*	Vincenti Dauidi.
X.	XI.
2 *IN Domino confido : quomodo dicitis animæ meæ : transmigra in montem sicut passer?*	1 *Propheta.* IN Domino ⁴ speraui: quomodo dicetis animæ meæ. *Vox hominum recitata.* vagare montem vestrum auis?
3 *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum : parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde.*	2 Quia ecce impij tendent arcum, parauerunt sagittam suā super chordam : ad sagittandum in obscuro rectos † cordis. † *rectis.*
4 *Quoniam quem perfecisti destruxerunt : iustus autem quid fecit?*	3 Quia fundamenta destruentur : iustus verò quid operatus est?
5 *Dominus in templo sancto suo : Dominus in cælo sedes eius. Oculi eius in pauperem respiciunt : palpebræ eius interrogant filios hominum.*	4 *Propheta.* Dominus ⁴ in templo sanctitatis suæ, Dominus ⁴ in cælis thronus eius: oculi eius videbunt, palpebræ eius probabunt filios Adæ.
6 *Dominus interrogat iustum & impium : qui autem diligit iniquitatem, odit animam suam.*	5 Dominus ⁴ iustum probabit & impium : & diligentem iniquitatem odiuit anima eius.
7 *Pluet super peccatores laqueos : ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.*	6 Pluere faciet super impios laqueos : ignis & sulphur & spiritus combustionum erit pars calicis eorum.
8 *Quoniam iustus Dominus & iustitias dilexit : æquitatem vidit vultus eius.*	7 Quoniam iustus Dominus ⁴ iustitias dilexit : rectum videbunt facies eius.

COMMENTARIVS.

TItulus est, *Vincenti Dauidi.* Vbi aduerte quòd nisi in titulis Psalmorum *vincenti* esset nomen officij aut modi musici, titulus iste significaret Dauidem vt vincentem, proculdubio victoriâ spirituali, confidendo in Deo (iuxta illud 1. Ioan. 5. *Hæc est victoria quæ vincit mundum fides nostra*) aut Psalmum dicatum Deo pro victoria spirituali. Sequendo autem vsum titulorū, significari videtur quòd Psalmus iste assignatus sit ipsi Dauidi tanquā præsidenti in illo actu musico. 1. Ioan. 5. 4.

Materia Materiam Psalmus ipse sonat. Clarè enim loquitur de seipso quoad hoc quòd tractat moralem disputationem de vtilitate iustitiæ. *De fructu iustitiæ.* Clarè siquidem patet in secundo & tertio versiculis opponi opera impiorum aduersus iustitiam: & in quinto ac reliquis versiculis nihil aliud tractari nisi disparitatem iustorum & impiorum respectu diuinæ prouidentiæ & iustitiæ. In principio quoque Psalmi apparet quòd non de motu corporali est sermo (cùm dicitur *vagare*) ex hoc ipso quòd ad animam dirigitur sermo: vagatio quippe animæ, spiritualis est. Ex his enim facilè patere potest disceptationem hîc tractari de fructu iustitiæ: solutio enim quæstionis in fine manifesta, clarificat id de quo est quæstio.

Est itaque materia Psalmi ad literam; præsentis iustitiæ formatæ diuinâ spe, vtilitas ad alteram vitam.

SVMMARIVM EST.

INtroducuntur homines obijcientes cum argumentis præsentem iustitiam esse inutilem nisi ad pastum & delectationem animi in quadam animi celsitudine. Et respondet Propheta, ex diuina spe præsentem iustitiam esse vtilem ad præmium æternum, & ad euasionem æternarum pœnarum.

Personæ loquentes sunt hinc Propheta, inde homines.

VERS. 1. IN DOMINO SPERAVI. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi: *quia ecce.* Proponendo materiam, tria dicit. *Iustitia formata fiduciâ in Deo valet ad vitam æternam.* Primò formam iustitiæ, *in Domino speraui.* Non dixit, iustus sum, aut fui, quoniam iustitia non formata fide, nihil valet: sed formata fiduciâ in Deo, valet ad vitam æternam. Et hoc assumit pro basi & fundamento sequentis disputationis.

Secundò admirando seu potiùs reprehendendo, alloquitur homines ratione naturali arguentes: *quomodo dicetis animæ meæ.* Et propriè sumitur hîc *anima* pro animo. Tanquam diceret: Falsò dicetis animæ meæ hoc quod sequitur: *vagare montem vestrum auis.* Sermo est metaphoricus. *Iustus aui comparatur.* Et intendit quòd homines depingunt animum hominis iusti ad similitudinem auis vagantis in monte suo: hoc est, quòd sicut aues in monte natæ pascuntur in illo, delectantur vagando in illo, & sic finiunt vitam suam: ita iusti pascuntur in animo suo celsitudine virtutis & delectantur in illa celsitudine virtutis, & sic finient vitam suam absque alio fructu, scilicet in alia vita. Et hoc est tertium.

Vbi quantùm ad literam pronomen *vestrum*, insinuat quòd *auis* singulari numero non ponitur pro vna aue, sed pro genere auis: soli enim vni aui non diceretur, *vagare montem vestrum.* Sed sicut Propheta animam suam in persona omnium animarum iustarum, ita auem in persona auium introducit: reprehendens: *quomodo dicetis animæ meæ*, id est, quomodo applicabitis ad animam meam hanc similitudinem, *vagare montem vestrum auis:* alloquentes animam meam tanquam auem vagantem montem suum: hoc est, ad nihil aliud vtilem nisi ad pascendum & delectandum seipsam in monte virtutis. Hæc enim est obiectio imò doctrina paganorũ Philosophorum, tam negantium diuinam prouidentiam respectu actuum humanorum, quàm negantium immortalitatem animæ: putant enim iustitiam hominis ad pastum & delectationem animi esse, non ad præmium æternum. In hoc tamen Psalmo tractatur vt procedit à negantibus diuinam prouidentiam: vt patet ex responsione Prophetæ, nihil aliud sonante quàm Deum curam nostri habere, rectos diligere, iniustos odio habere & puniturum, &c.

Vers. 2. QVIA ECCE IMPII. Incipit hîc pars executiua tali ordine. *Pars Executiua.* Primò inducuntur argumenta hominum firmantium, *vagare montẽ vestrum auis.* Secundò affertur responsio fundata super illud, *in Domino speraui*, ibi: *Dominus in templo.* Argumentum hominum consistit in hoc: Si iustitia hominis esset fructuosa, tueretur in hac vita & rectos & sanctiones: sed videmus tam iustos quàm leges opprimi, iustitiâ hominis non tuente: multò ergo minùs fructuosa erit iustitia post hanc vitam. Et tendit argumentum directè contra sanctos, affirmantes vim efficaciámque iustitiæ tantam esse vt mediante diuinâ ope omnia superet. Huius argumentationis conclusio proposita intelligitur dicendo, *vagare montem vestrum auis:* & illius probatio subiungitur cum coniunctione causali *quia*, reddente rationem. *Ecce*, in præsenti vita, *impij tendent*, perseuerabunt tendendo, *arcum: parauerunt sagittam suam super chorda*, expeditissimi non ad defensionem sed *ad sagittandum in obscuro*, occultè, insidiosè, non iniquos sed *rectos cordis*, non signorum, aut oris. In Hebræo habetur *rectis* in datiuo: sed constructio mutat, &c. Rursus quia *fundamenta* rectitudinis, diuinæ naturalésque leges, *destruentur* ab impiis, & inter hæc omnia *iustus quid operatus est?* quasi dicat, nihil: quid remedij attulit? quid contulit? nihil.

In hac argumentatione nota tres doctrinas. Prima est, quòd personæ significantur propriè, (scilicet *impij* & *rectos cordis*) reliqua metaphoricè: vt intelligas quòd tractatur quæstio inter impios & rectos. Secunda est quòd vterque modus vexandi rectos scribitur, scilicet occultè & publicè: nam destructio fundamentorum manifestè fit: sagittatio *in obscuro*, occultè. Tertia est, quòd vniuersum malum rectorum describitur in personis rectorum & in fundamentis: nam per fundamenta seu retia (vtrumque siquidem Hebraica dictio significat) leges significantur: *Leges sunt fundamenta, seu retia.* super quibus verè fundatur vita iustorum: & quæ ab hominibus reputantur tanquam retia, imò telæ aranearum: vtpote inutiles nisi contra impotentes.

DOMINVS IN TEMPLO. Respondet Propheta hominibus dicentibus animæ suę, &c. Et respondendo, VERS. 4. primò dicit ad fundamenta argumentationis: tum de præsentia, tum de prouidentia Dei.

De præsentia quidem: *Dominus in templo sanctitatis suæ*, in quo colitur sanctitas eius: *Dominus in cælis thronus eius:* vt ex præsentia Dei in templo simul & in cœlo, vbique Deum præsentem significet: contra putantes Deum à nobis distare, vtpote habitantem in cœlis. Et nota quòd meminit specialiter præsentiæ Dei in templo: tum vt à manifestioribus significaret Dei præsentiam: totus enim populus confitetur Deum esse in templo suo. Tum magis ad literam vt ostendat religionem (quæ magna pars est bonitatis animi humani) non esse ad solam hominis consolationem, sed gratam Deo: hoc enim significatur per præsentiam Dei in templo sanctitatis

ditatis suæ. hoc siquidem directè respondet hominibus arguentibus.

Palpebra, symbolum diuinæ prouidentia.

De prouidentia verò : *Oculi eius videbunt*, hoc est, indefessè videt ea quæ fiunt: contra dicentes quòd Deus non videt ista : *palpebra eius probabunt filios Adæ*. Metaphoricus est sermo, ad similitudinem hominis claudentis oculos vt experiatur quid se non vidente alij faciant. Iuxta hanc siquidem similitudinem describit Propheta diuinam prouidentiam. Quoad actum quidem videndi, quòd semper videt : & propterea dicit *oculi eius videbunt*, perseuerabunt videndo. Quoad actum verò cauendi, obuiandi, puniendi, dicit quòd se habet tanquam habens oculos clausos ad experimento probandum homines. Hoc enim significatur dicendo *palpebra eius*, tegentes oculos, *probabunt filios Adæ*, id est, hominis. Et explicat filios Adæ qui sic probantur à Deo, esse & iustos & impios, subdens : *Dominus iustum probabit & impium.*

Vbi nota dici hæc à Propheta tum vt diuinam prouidentiam & illius modum explicet, contra homines negantes illam : tum vt ostendat id quod se tenet ex parte Dei commune esse bonis & malis. Ac per hæc intelligant arguentes quòd Deus permittit sagittari rectos corde, dissipari leges, ad hoc vt probet homines, vt probet qui sunt iusti & qui sunt impij : & hinc appareat quanta sit vis iusti animi. Vnde & subdit: *Et diligentem iniquitatem odiuit anima eius.*

Abhinc vsque ad finem Psalmi respondet Propheta, directè monstrando quæ sit iusti animi vtilitas apud Deum ex disparitate iusti & impij relatorum ad actiones Dei. Et inchoans ab impio ait : *& diligentem iniquitatem odiuit anima eius*, scilicet Dei. Ecce iniquus est obiectum odij Dei. Et hoc ex parte ipsius iniqui significatur prouenire, ex hoc ipso quòd describitur diligens iniquitatem. Nec solùm est materia odij, sed etiã erit materia punitionis diuinæ. Et propterea subditur : *Pluere faciet*, post hanc vitam, *super impios laqueos*, ligantes intellectum & voluntatem & memoriam ad ea quæ sunt pœnæ : non enim poterunt damnati auertere cogitationes aut affectiones suas à suis pœnis : sed semper & sentient & detestabuntur eas sicut à prima hora damnationis. *Ignis, sulphur & spiritus combustionum pars* id est, sors, *calicis eorum.* Et intellige per ignem, sulphur & ventum comburentem, omnes pœnas sensus quibus affligentur damnati. De iustis autem subdit quòd sunt obiectum diuinæ dilectionis. Et ad hoc affertur ratio naturalis, qua vnumquodque diligit simile. *Quoniam*, inquit, *iustus Dominus* (supple est) ideo *iustitias dilexit*, supple habentium eas. Et propterea *rectum*, hominem seu animum, *videbunt facies eius* : hoc est, videbit facies Dei. Quia enim Deus diligit iustos, ideo locabit eos ante faciem suam. Et per hæc patet fructus vtilitasque iusti animi humani apud Deum : quia in tantum diligitur à Deo vt in futura vita dignus sit diuinâ facie. Amen.

Disparitas iusti & impij.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori pro octaua Psalmus Dauid.*	Vincenti super octaua Psalmus Dauidi.
XI.	XII.
2 *SALVVM me fac Domine : quoniam defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filiis hominum.*	1 *Propheta.* SALVA Domine [4] : quoniam completus (defecit) est gratiosus, quoniam finiti sunt fideles à filiis Adæ.
3 *Vana locuti sunt vnusquisque ad proximum suum : labia dolosa in corde & corde locuti sunt.*	2 Mendacium loquentur, homo cum socio suo (erit in illis) : labium lenitatum, in corde & corde loquentur.
4 *Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa : & linguam magniloquam.*	3 Succidere faciet Dominus [4] omnia labia lenitatum : linguam loquentem grandia.
5 *Qui dixerunt : linguam nostram magnificabimus, labia nostra à nobis sunt : quis noster Dominus est?*	4 Qui dixerunt. *Vox infidelium.* Linguam nostram † roborabimus, labia nostra (sunt) nobiscum : quis Dominus nobis (est)? † linguæ nostræ.
6 *Propter miseriam inopum & gemitum pauperum nunc exurgam : dicit Dominus.* *Ponam in salutari : fiducialiter agam in eo.*	5 *Vox Dei recitata.* A deuastatione pauperum, à suspirio mendicorum nunc consurgam. *Propheta.* dicet Dominus [4]. *Vox Dei continuata.* Ponam in salute : sufflabit (Messias) ipsi.

7 *Eloquia Domini eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum septuplum.*

8 *Tu Domine seruabis nos: & custodies nos à generatione hac in æternum.*

9 *In circuitu impij ambulant: secundum altitudinem tuam multiplicasti filios hominum.*

6 Eloquia Domini [4] eloquia munda: argentum purificatum, in detecto terræ †, purgatum septies. † Dandi casus.

7 *Propheta.* Tu Domine [4] custodies eos: seruabis eum à generatione hac æterno.

8 Circumcirca impij ambulabunt: velut eleuando vilitates filiis Adæ.

COMMENTARIVS.

TItulus est, *Vincenti super octaua Psalmus Dauidi.* Octaua nomen est instrumenti musici, ab octo chordis nominati. Et significatur Psalmum istum super illo instrumento cantandum.

Materia Psalmi. Materiam Psalmi ex ipso Psalmo accipere oporter. In quo tria clarè patent. Primum quòd de defectu iustorum, de defectu veracium non in vna natione, sed in filiis Adæ agitur. Secundum quòd afferuntur crimina duplicitatis, mendacij, &c. cum negatione diuini dominij. Tertium quòd prædicitur Deus misserturus pauperum, missurus salutem cum eloquiis Domini, &c. Ex primo horum habetur quòd de vniuersi generis humani defectu agitur. Ex secundo quòd de falsa doctrina circa diuinum dominium super homines conqueritur. Ex tertio (cùm clarè constet illud tertium esse diuinam responsionem ad petita, & prouisionem contra narratos defectus narratáque crimina generis humani) habetur quòd Psalmus iste ad literam tractat de aduentu Messiæ, pro quanto mediante doctrinâ diuinorum eloquiorum mundum saluabit: solus enim Messias promissus est doctor vniuersi generis humani secundùm diuina eloquia. Et confirmatur hanc esse materiam Psalmi ex petitionibus: in principio siquidem non petit Dauid *salua me*, sed petit absolutè *salua*, sine aliqua limitatione: per hoc significans quòd petit salutem mundi. Rursus effectum petitionis in versiculo octauo describens Propheta, nullam sui mentionem facit, sed pauperum: vt patet ibidem.

De aduentu Messiæ mundum saluaturi.

SVMMARIVM EST.

P*Etit Propheta à Deo vt saluet mundum, deficientibus iustis ex falsa doctrina de diuino dominio super homines: prophetátque Deum prouisurum per Messiam docturum diuina eloquia: vnde pauperes seruabuntur, impij vero circumibunt, &c.*

Persona loquentes sunt Propheta & recitatus Deus.

VERS. I. SALVA DOMINE. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi *Mendacium.* Proponit petitionem. *Salua Domine.* Non dicit, salua me aut illum: vt intelligas quòd communem petit salutem. Necessitatem salutis subiungit sub alternatis causis: Prima est, *quoniam completus est gratiosus.* Et quia est sermo de completione eo modo quo complentur successiua (puta mensis, dies, hora) quorum complementum est desinere, ideo significatur *quoniam desiit gratiosus*: hoc est, homo gratuitò benefaciens. Et huic defectui adiungitur alter: *quoniam finiti sunt fideles à filiis Adæ.* Siue per fideles intelligas credentes in Deum, siue intelligas veraces. Vtrumque verum est, & ad propositum. Et vtroque modo est locutio hyperbolica: describuntur siquidem vtrique finiti propter paucitatem eorum qui remanserunt, modicum pro nihilo computando. Præuidebat siquidem Propheta ex vniuerso genere humano valde paucos vsque ad Messiæ aduentum remansuros gratiosos: & quòd in paucis futura esset fides Dei, seu veritas doctrinæ de diuinis seu iustitiæ diuinæ. Et hæc est causa quare petit *salua Domine*, filios Adæ: in quibus videt tam magnum defectum gratiæ & veritatis. Vbi aduerte vtrumque virtutum genus describi defecisse: scilicet & earum ad quas tenemur, finitâ veritate, & earum ad quas non tenemur, finitâ gratiâ.

Petit Dauid communem salutem.

Defectus gratiæ & veritatis.

Vers. 2. MENDACIVM. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *finiti sunt fideles à filiis Adam.* Secundò illa, *salua Domine*, ibi, *à deuastatione.* Tertiò illa, *completus est gratiosus*, ibi, *tu Domine.* Explicando autem non inueniri fideles seu veraces in notitia Dei inter filios hominum, inducit quinque crimina, scilicet duplicitatem in corde, mendacium in locutione. blanditias in modo suadendi, fiduciam in vi dicendi, blasphemiam in re dicta: quæ tamen non sic ordinatè scribuntur in litera. Et dicuntur hæc vt intelligas doctrinas hominum de diuinis his machinationibus & artibus traditas generi humano à sapientibus huius mundi inchoatiuè, sed inde diffusas per omnes. Et verè sic esse, ipsimet sapientes testantur: dum aliud intus credebant, aliud foris ad religionem popularem.

Pars Executiua.

Quinque peccata.

Inchoat ergo à communi vitio. *Mendacium loquentur homo cum socio suo.* Et intendit per mendacium seu vanum, falsum Deum quem quilibet cum socio suo colebat: iuxta Esai. 44. *Mendacium est in dextera mea.* Et *labium lenitatum*, in modo loquendi ad fallendum, *in corde & corde* (hoc est duplici corde: altero ad seipsos, altero ad popularem cultum) *loquentur.* In quo intentio fallendi describitur. Potest & hoc aliter exponi: vt primum explicetur communis error colendi falsos Deos: per hoc quòd *mendacium*, idolum, falsum Deum, *loquentur homo cum socio suo*: deinde modus blandus quo hæc dicebant: & tertiò vel duplicitas cordis in sapientibus, vel firmitas cordis in vulgo, descripta per

Isai. 44. 20.

per repetitionem *cordis*: Ac si diceret, corde & verè ex corde loquentur hæc deorum mendacia.

Succidere faciet. Hactenus patienter narrauit: sed descripturus blasphemiam Dei, cum ardore futuræ vindictæ proponit. *Succidere faciet Dominus omnia labia lenitatum*, blandè docentia falsa de Deo. Et ad hoc designandum subdit appositiuè: *linguam loquentem grandia*, vtpote contra Deum. Et declarat: *Qui dixerunt*, quantùm ad auctoritatem, *linguam nostram roborabimus*, vi dicendi: *labia nostra* quantùm ad dicendi artem, *nobiscum*, adiuuantia nos. Ecce materia grandis: *quis Dominus nobis?* quasi dicat, nullus: hoc est, quò tendunt lenitas, mendacia, robur linguæ, duplicitas cordis, &c. ad negandū, scilicet diuinum dominiū super nos. Quod intellige secundùm veritatem: omnes enim traditiones hominum de cultu deorum, negant veritatem diuini dominij super homines, fingentes Deos, &c. Et scito quòd in Hebræo habetur in datiuo *linguæ nostræ*: sed constructio mutauit.

Responsio Dei. *Vers.* 5. A DEVASTATIONE PAVPERVM. Tractatur hîc illa particula, *salua Domine*: prophetando responsionem ad propositam petitionem. Vnde sententia istius particulæ inchoat ibi: *dicet Dominus*, respondendo. Et ecce responsio diuina, continens tria. Tria continet.

Primum. Primò rationem mouentem animum diuinum: *à deuastatione pauperum, & à suspirio mendicorum.* Significatur enim amor diuinus ad releuandos pauperes à desolatione: & similiter ad satisfaciendum desiderio mendicorum. Vbi quantùm ad literam, dicitur quòd dictio Hebraïca non significat mendicos, sed eos qui à diuitiis venerunt in paupertatem & cupiunt opportuna commoda: tales propter penuriam nominum interpretes vocant mendicos, ab affectu habendi necessaria. Significatur autem per *deuastationem pauperum* status humani generis ante Messiam, deuastatus quoad bona animæ: per *suspirium* autem *mendicorum*, naturale desiderium ad beatitudinem insitum humano generi quod cecidit à statu innocentiæ, in illis apparens per suspirium, qui recognoscebant casum suum: quales erant illi pauci viri iusti qui fuerunt ante Messiam: hi enim suspirabant ad Messiæ aduentum.

Secundum. Secundò prouisionem: *Nunc consurgam, ponam in salute.* Tanquam hactenus sederit quiescendo à prouisione, dicit, *consurgam*, ad similitudinem surgentis ad prouisionem faciendam. Et quoniam non diutius differenda erat prouisio, ait, *nunc*, non in fine mundi. Et ecce prouisio: *ponam in salute.* Appellauit Messiam *salutem*, quia salus est mundi: directè respondens petenti *salua Domine*: *Ponam*, humanum genus, *in salute* in Messia afferente salutem.

Tertium. Tertiò officium Messiæ quo saluabit genus humanum falsis doctrinis deceptum. *Sufflabit ipsi*, vniuersitati pauperum & mendicorum, *argentum* (hoc est tanquam argentum) *purificatum purgatum septies in detecto terra, eloquia Domini eloquia munda.* Metaphorico sermone describit officium Messiæ ad similitudinem argentarij purificantis argentum follibus, igne, colatione, &c. sicut etiam Malachias eadem similitudine fortè hinc acceptâ describit officium Messiæ, cap. 3. dicens: *Sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui & colabit eos quasi aurum & quasi argentum*, &c. Similitudo ab aurifice. Malach. 3. 3.

Vbi nota quòd non otiosè Propheta inducit hanc metaphoram, sed ad notificandum rationem falsæ doctrinæ de Deo per humanum genus diffusæ, & manifestandum remedium per Messiam conferendum. Ad literam enim significatur quod adimpletum videmus, quòd diuina eloquia insita humanæ menti immixta erant tot prauis moribus, tot erroribus humanorum ingeniorum, vt essent quasi argentum minerale mixtum terræ & aliis impuritatibus: Christus autem doctrinâ suâ, miraculis, igne passionis ac Spiritus sancti purificauit eloquia Dei in mentibus humanis; docendo veritatem & credendorum & agendorum mundam tanquam argentum purificatum, septies colatum, positum in manifesto terræ, publicè expositum: non enim docuit in angulo aut fecit conuenticula, sed publicè exposuit eloquia diuina, manifesta coram vniuersa terra. Et scito quòd si exposueris *eloquia Domini*, hoc est de Domino, non errabis: sed directè remedium contra principale vulnus prærecitatum explicas, & præcipuam materiam eloquiorum Christi tangis: aperitúrque quòd eloquia Christi de Deo, sunt munda tanquam argentum colatum, &c. non mixta fabellis & figmentis vt doctrinæ hominum de Deo: quod in hoc Psalmo principaliter tractatur. Quàm apta.

Vers. 7. TV DOMINE. Tractatur hîc illa particula, *cōpletus est gratiosus*. Vbi aduerte quòd defectus gratiosorum inductus fuit vt coniunctus falsæ doctrinæ. Et propterea congruè hîc tractando effectum veræ doctrinæ eloquiorum Domini, respondetur illi effectui: prophetando quòd Deus custodiet suscipientes doctrinam diuinorum eloquiorum. Vbi aduerte significari in masculino genere, primò custodiendos in plurali (dicendo: *tu Domine custodies eos*, proculdubio sequaces Messiæ suscipientes eloquia Domini) & postea in singulari: *seruabis eum*, scilicet Messiam in suis sequacibus. Seruatio enim Christianæ fidei est seruatio Christi, sicut persecutio Christianæ fidei est persecutio Christi: iuxta illud: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Act. 9. 4.

A generatione hac in æternum. Duplex potest esse sensus. Alter vt pronomen demonstret generationem à qua timetur in principio Psalmi depictam falsorum doctorum. Ac si dixisset: custodies Christianum genus in æternum ab hac pessima generatione. Alter quòd demonstretur initium custodiæ generatio Christiana. Et prophetatur quòd ab hac Christi generatione quâ generantur filij Dei, vsque in æternum Deus custodiet sequaces Christi, & seruabit Christum in ipsis: ita quòd non deficient sequaces Christi vsque in æternum: iuxta illud: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Et hic sensus magis congruere videtur contextui: vt explicetur fructus officij Christi per generationem hanc in æternum. Duplex sensus. Matt. 28. 20.

Contra quam subiungitur perseuerantia impiorum, subdendo: *Circumcirca impij ambulabunt.* Adiungitur enim hoc ad manifestandum quòd aduentus Messiæ non saluabit omnes, sed erunt etiam post illius aduentum impij qui circumcirca ambulabunt. Spiritualiter quidem, pro quanto elongati à centro veritatis & virtutis, ambulabunt in circumferentia: hoc est in remotis à veritate & virtute: Et assimilantur isti monstrantibus pudenda coram hominibus: pro quanto manifesta erunt vitia eorum quorum deberet In circuitu ambulare, quid?

deberet eos pudere. Mihi autem videtur quòd ad literam significantur Iudæi increduli Messiæ, quòd in circuitu orbis ambulabunt: quod ad literam impletum videmus. Et competit eis similitudo, velut eleuando vilitates filiis Adæ: quoniam ambulant tanquam ostendentes turpitudinem suam humano generi, dum ex libris suis monstrant turpitudinem infidelitatis suæ quâ obsistunt fidei Christi. Et scito quòd *eleuando*, passiuè hic sumitur iuxta Hebraïcum textum: & quòd dictio Hebraica quam diximus *vilitates*, nullibi in tota sacra Scriptura inuenitur nisi hîc, & propterea magna est licentia interpretum. Et (vt diximus) circumloquitur pudenda: ambulabunt siquidem velut eleuando, ac si ab eis eleuarentur, *vilitates*, hoc est, pudenda, *filiis Adæ*, coram hominibus. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	*IVXTA HEBRÆVM.*
1 *Victori Psalmus Dauid.*	Vincenti Psalmus Dauidi.
XII.	XIII.
VSQVEQVO Domine obliuisceris me in finem: vsquequo auertes faciem tuam à me?	1 *Propheta.* VSQVEQVO Domine + obliuisceris mei, semper? vsquequo abscondes facies tuas à me?
2 *Quamdiu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem?*	2 Vsquequo ponam consilia in anima mea, tristitiam in corde meo die? vsquequò exaltabitur inimicus meus super me?
3 *Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me?* 4 *respice & exaudi me Domine Deus meus.*	3 Despice, responde mihi Domine + Deus meus: illumina oculos meos, nequando obdormiam morte.
5 *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus præualui aduersus eum.*	4 Nequando dicet inimicus meus. *Vox inimici formidata.* Potui in eum. *Propheta.* Angustatores mei exultabunt quum labar.
6 *Qui tribulant me exultabunt si motus fuero: ego autem in misericordia tua speraui.*	5 Et ego in gratia tua confisus sum: exultabit cor meum in salute tua, cantabo Domino + quoniam retribuit super me.
Exultauit cor meum in salutari tuo: cantabo Domino qui bona tribuit mihi, & psallam nomini Domini altissimi.	

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Vincenti Psalmus Dauidi.* Et patet titulus ex dictis in aliis titulis.

Materia. Circa materiam Psalmi, quia nec ex titulo, nec ex auctoritate Scripturæ alibi determinatur, intelligere eam oportet ex claris. Primò constat ex titulo auctorem Psalmi esse Dauidem. Secundò ex contentis in Psalmo clarè constat personam loquentem, voce admiratiuâ seu querulâ proponere Deo prorogationem tot consiliorum in seipsa cum tristitia: hinc inimico perseuerante exaltato super ipsam, inde Deo perseuerante in obliuione ipsius: vt patet in primis tribus versiculis. Tertiò constat eandem personam petere illuminationem ne fortè moriatur, &c. Quartò similiter constat eâdem gratiarum actiones promittere seu prophetare, in vltimo versiculo. Et cum his omnibus constat quæcumque dicuntur in Psalmo hoc, non excedere gesta circa Dauidem, sed congruere anxietatibus Dauidis constituti in persecutione à Saule: quando (vt dicitur 1. Reg. 27.) *ait D. uid in corde suo: aliquando incidam vna die in manus Saul, nonne melius est vt fugiam*, &c. Si conferamus statum Dauidis tunc, cum iis quæ dicuntur in hoc Psalmo, videmus quadrare Psalmum statui illi: nam tanta dilatio quæ in Psalmo proponitur, clarè respondet lógo tempori persecutionis: fuit enim hoc per paucos menses ante mortem Saulis: vt ibidem dicitur. Anxietas consiliorum quæ hîc proponitur, ibi manifestè narratur cum periculo mortis. Exaltationi inimici finiendæ, manifestè consonat gratiarum actio, siue promissa siue prophetata, paulò post subsecuta mortuo Saule. Est itaque materia Psalmi ad literam vltima anxietas Dauidis timentis incidere in manus Saulis: quæ in dicto capitulo scribitur.

1. Reg 27. 1.

Vltima anxietas Dauid Saülem timentis.

SVM

SVMMARIVM EST.

David voce ferè querulâ exponit Deo statum periculi sui à Saule: petitque vt sibi succurrat, illuminando, &c. Et promittit seu prophetat gratiarum actiones.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. VSQVEQVO DOMINE OBLIVISCERIS MEI, SEMPER? Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ,& executiuam,ibi, *vsquequo abscondes.* Proponit affectu celeris termini duo. Alterum protogatæ obliuionis. *Vsquequo*, quamdiu, quousque, *obliuisceris*, ad similitudinem obliti te habebis respectu mei: tanto enim tempore non liberasti me ab hac persecutione. Alterum est, *semper*, hoc est,sempèrne? Et subintelligendum est, certus sum quòd non: fuerat enim reuelatum Dauidi quòd futurus esset rex. Et propterea sciens quòd non semper duratura esset diuina obliuio respectu sui, nesciens tamen quantùm duratura esset,suspirat ad Deum: *Vsquequo obliuisceris mei Domine*, ex quo non semper.

Pars Executiua. VSQVEQVO ABSCONDES? Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *vsquequo Domine obliuisceris mei*: secundò illa *semper*, ibi, *despice.* Aduerte hîc quòd Dauid declarat materiam prorogatæ obliuionis diuinæ ex tribus capitibus: ex parte Dei, ex parte sui, & ex parte Saulis. *Obliuionem sui ex tribus capitibus declarat Dauid.*

Ex parte quidem Dei: *Vsquequo abscondes faciem tuas à me*, ad similitudinem abscondentis faciem te habebis. Et est sermo de abscondente faciem ne misereatur, ne requiratur,& significat negationem gratiæ succursiuæ. In idémque redit cum eo quod dixit: *Vsquequo obliuisceris mei.* Et hæc absconsio faciei, tanquam prima causa subsequentium proponitur.

Ex parte verò sui duo dicit: Alterum in parte intellectiua: *Vsquequo ponam consilia in anima mea.* Mutauit siquidem multa consilia Dauid in persecutione illa: nam primùm fugit in Geth: inde venit ád speluncam Odollam, vbi congregauit viros quadringentos: inde iuit ad Moabitas: & postea venit in terram Iuda, vagus nunc hîc, nunc ibi. Vbi demum anxius in corde suo & timens incidere in manus Saulis, post tot mutata consilia dicit hæc verba: *Vsquequo ponam consilia tot in anima mea.* Quod non ad explicandum locum consilij sed materiam consilij intellige: quia consilia erant de anima, de vita eius seruanda. Alterum in affectu: *Tristitiam in corde meo die.* Et dixit *in corde meo*, ad differentiam tristitiæ nocturnæ. Die siquidem dolorem premebat corde, hilari vultu alios confortans: nocte autem solus tristitiam habebat intùs & extrà: aiunt enim Hebræi dictionem Hebraïcam hîc interpretatam *die*, significare apud eos diem artificialem.

Ex parte demum Saulis. *Vsquequo exaltabitur*, in exaltatione perseuerabit, *inimicus meus*, Saul, super me, innocentem?

VERS. 3. DESPICE, RESPICE. Tractatur hîc illa particula, *semper*, primò supplicando: deinde promittendo seu prophetando, ibi *exultabit.* Vbi aduerte quòd quemadmodum explicauit ex tribus capitibus statum periculi sui, ita nunc sciens quòd non semper durabit hæc persecutio, petit succursum secundùm eadem tria capita. Vnde supplex recurrens ad Deum tanquam in sublimi constitutum, supplicat: *Despice*, de supernis respice,& *responde*, succursu, *mihi Domine Deus meus.* Et ex parte sui petit: *Illumina oculos meos*, ad optimum consilium capiendum: dixerat enim, *quamdiu ponam consilia.* Et periculum explicat: *Ne aliquando obdormiam morte*, incidendo in manus Saulis. Et dixit hoc, non diffidens de diuina promissione, sed secundùm humanas rationes & causas loquens, ac petens illuminatum consilium: alioquin videretur tentare Deum, non faciens quod in se est. Ex parte verò Saulis subiungit: *Nequando dicet inimicus meus*, Saul capiens me: *Potui eum*: hoc est potentiâ meâ obtinui eum, Dauidem, attribuens viribus suis quod oppresserit me. Ex parte autem Dei subditur: *Angustatores mei*, Saul & complices, *exultabunt cum labar*, in manus eorum incidens: *Et ego in gratia tua confisus sum.* Nota locum. Sicut Moyses placauit Deum, allegans: *Ne quæso Ægyptij dicant*, &c. vt patet Exod. 32. & ipse Deus affirmat se rationem habuisse, *ne fortè superbirent hostes eorum & dicerent: manus nostra excelsa*, &c. Deuteron. 32. Ita Dauid à Deo petit vt se illuminet ne moriatur, ne incidat in manus Saulis, ne inimici glorientur quòd præualuerint, &c. attento quòd ipse Dauid spem fiduciámque suam posuerit in Deo, inimici autem in viribus & persecutionibus suis. *Secundum eadem tria capita petit auxilium.* Exod. 32. 11. Deuter. 32. 27.

VERS. 5. EXVLTABIT. Prophetat futuram exauditionem diuinam, prædicens tum suam salutem, tum retributionem: *Exultabit cor meum in salute tua*, à periculis & persecutionibus: *Cantabo*, gratias agendo, *Domino: Quoniam retribuit super me*, exaltando me in regem. Et præteritum *retribuit*, refert non tempus Psalmi, sed tempus futuræ exultationis & cantus; est enim sensus: Exultabo & cantabo præteritam tunc retributionem diuinam. Nec intellige retributionem tanquam ex iustitia debitam, sed ex diuina gratia, velut mercedem tot laborum & angustiarum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori Psalmus Dauid.*	Vincenti Dauidi.
XIII.	XIV.
DIXIT *insipiens in corde suo: non est Deus.*	1 *Propheta.* DIXIT stultus in corde suo. *Vox stulti.* Non est Deus

Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.

2 *Dominus de cælo prospexit super filios hominum: vt videat si est intelligens aut requirens Deum.*

3 *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.*

Sepulchrum patens est guttur eorum: linguis suis dolosè agebant, venenum aspidum sub labiis eorum.

Quorum os maledictione & amaritudine plenum est: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem.

Contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non est timor Dei ante oculos eorum.

4 *Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem: qui deuorant plebem meam sicut escam panis.*

5 *Dominum non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore vbi non erat timor.*

6 *Quoniam Dominus in generatione iusta est: consilium inopis confudistis, quoniam Dominus spes eius est.*

7 *Quis dabit ex Sion salutare Israël? cum auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob & lætabitur Israël.*

inde mores est

Deus †. *Propheta.* corruperunt, abominabile fecerunt opus, non faciens bonum. † *Dij.*

2 Dominus [4] de cœlis prospexit super filios Adæ: ad videndum si est intelligens requirens Deum †. † *Deos.*

Vidit quòd est est

3 Omne declinauit, simul fœtuerunt: non faciens bonum, non etiam vnus.

qui

4 Nonne cognouerunt omnes operantes iniquitatis: comedentes populum meum, comederunt panem, Dominum [4] non vocauerunt?

est

5 Ibi timuerunt timore: quoniam Deus † in generatione iusti. † *Dij.*

Et tamen proponitur

6 Consilium pauperis confundetis: quoniam Dominus [4] protectio eius.

optantis est auctore salutis

7 Quis dabit de Sion salutem Israël? reducente Domino [4] captiuitatem populi sui, exultabit Iacob, lætabitur Israël.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti Dauidi.* Patet ex superioribus.

Circa materiam Psalmi aduerte quòd Apostolus ad Rom. 3. affert ex hoc Psalmo: *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum*, ad manifestandum vniuersos homines esse sub peccato: vt ibi patet. Et ex hoc Psalmo clarè patet tractari illud, scilicet omnes homines esse sub peccato: nam expresse dicitur: *Dominus de cælo prospexit super filios Adæ, ad videndum si est intelligens requirens Deum,* & subditur quòd *Omnes declinauerunt vsque ad vnum.* Hoc est itaque vnum clarè constans circa materiam Psalmi. Aliud quòd hæc vniuersalis corruptio originem habuit ex Dei negatione: hoc enim significatur in principio: *Dixit stultus in corde suo: non Deus:* subiungendo *corruperunt*, &c. Tertium quoque in fine Psalmi clarè apparet, quòd redemptio vniuersalis expectata, ex Sion speratur. Ex quibus apparere facilè potest quòd Psalmus iste ad literam tractat de totius generis humani infectione ex negatione Dei, reparanda per salutem prodituram ex Sion: hoc est per Messiam.

Rom. 3. 12.

Materia. Omnes homines esse sub peccato.

SVMMARIVM EST.

Propheta describit ex negatione Dei totum genus humanum sub peccato, Deo teste & inexcusabiliter, & reparandum per Messiam.

Persona loquens Propheta est.

In hoc Psalmo aduerte inueniri multa adiectitia: nam in secundo versiculo iuxta communem quotationem superfluit illa particula, non est vsque ad vnum. *Quintus quoque versiculus (incipiens,* sepulchrum patens) *& sextus, & septimus, superflui sunt: & incerto auctore leguntur in Editione vulgata: nam nec in Hebræo nec apud LXX. nec apud Græcos aut Latinos interpretes ex Hebræo, inueniuntur. Et videntur appositi*

Multa in hoc Psalmo adiectitia.

appositi in hoc Psalmo ex ignorantia: ex eo siquidem quòd ab Apostolo ad Rom. 3. vnico contextu subiunguntur verba quæ habentur in his versiculis, creditum est ab ignorantibus quòd Apostolus attulerit illa omnia ex hoc Psalmo: & consequenter æstimatum est quòd Psalmus in quo isti versus non erant, esset mancus: & sic confidenter adiecti sunt versiculi isti huic Psalmo. Quod tamen non fuisse faciendum, testantur Expositores Epistolæ Pauli: dicentes verba illa partim ex Dauide, partim ex Esaia ab Apostolo citata. Et verè ex Esa. 59. cap. attulit Apostolus: veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem,*&c. Et ex Psalmo* 5. sepulchrum patens: *ex Psalm. 9.* quorum os: *ex Psalm.* 139. venenum aspidum sub labiis eorum: *& ex Psalm.* 35. non est timor Dei, *&c. Vnde & Apostolus non dixit sicut in Psalmo scriptum est: sed* sicut scriptum est. *Hæc ideo dicta sint, ne aliquis miretur, quòd non exponemus hos versiculos: intendimus enim exponere Psalterium, & non adiecta.*

VERS. 1. DIXIT STVLTVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi: *Dominus de cælis.* Proponit tria: Primò errorem intellectus: *dixit stultus in corde suo, non* (supple, est) *Deus.* Deinde prauitatem operum: *corruperunt,* naturam, mores, mundum, & *abominabile* (idololatriæ) *opus fecerunt.* Tertiò vniuersalem defectum: *non* (supple est) *faciens bonum,* sufficiens ad salutem. Vbi nota Prophetam describere omnium scelerum radicem esse sentire malè de Deo, inchoans scelera mundi ab eo, quòd dixit stultus in corde suo: non est Deus.

Malè sentire de Deo radix omnium scelerum.

Et scito *dicere* internum distingui in speculatiuum vel practicum. Et loquendo de *dicere* speculatiuo, duplex est sensus literæ: Primus est; *dixit* speculatiuè & explicitè, *Deus non est.* Et sic propter quæstiones inter Theologos an hoc sit dicibile, distingue & dicito quòd hoc (scilicet *Deus non est*) ex parte rei dictæ non est dicibile: quia implicat contradictoria: quoniam significat, *qui est non est.* Sicut non est dicibile; qui currit non currit, qui legit non legit. & sic de similibus. Quòd enim nomine Dei significetur *qui est*, testatur ipse Deus Exod. 3. Ex parte autem dicentis (scilicet intellectus nostri) est dicibile: quoniam intellectus noster intelligit etiam Deum per modum naturarum materialium abstrahentium ab *esse*, & *non esse*: ac per hoc coniungit & cum *esse*, & cum *non esse*, formando interiores propositiones de secundo adiacente: *Deus est,* vel *Deus non est.* Et sic multi insipientes esse possunt, dicentes in corde suo, *Deus non est*, imaginantes omnia casu euenire & esse.

Dicere internum. duplex. Speculatiuũ.

An possit dici: Deus non est?

Alter autem sensus est quòd *dixit* speculatiuè implicitè, *Deus non est*: hoc est, dixit aliquid ad quod sequitur Deum non esse, quamuis dicens non intendat hoc. Et hoc modo dicentium Deum non esse, infinitus est numerus: nam quicunque errat circa aliquam naturalem Dei conditionem, negat implicitè Deum esse: quoniam id quod arbitratur Deum, non est in veritate Deus: tam enim simplicissima res est Deus, vt quocumque ei naturaliter conueniente negato non remaneat Deus. Et sic dicens Deum non esse omnipotentem, dicit Deum non esse. Si autem de practico *dicere* sit sermo, cùm *dicere* practicum circa actiones morum sit præcipere sibiipsi vel alij executionem operis talis, nunc, hic, sic, &c. consequens est quòd practicè dicere *non est Deus*, est definire atque iubere operandum esse posthabito Deo. Qui enim non curat diuinâ vti regulâ in suis operibus, dicit practicè *non est Deus*: quoniam non esse Deum apud dicere practicum, est non haberi Deum pro regula. Sic autem dicentium *non est Deus*, plus quàm infinitus est numerus.

Practicum.

Ex effectibus autem idololatriæ & tantæ corruptionis apparet quòd in hac litera est sermo de *dicere* speculatiuo explicitè. Ad quod sequitur verificatio & dicendi implicitè, & dicendi practicè *non est Deus*: Idololatra quippe negat ex intentione Deum verum, fingendo multos deos. Quantum autem hæc stultitia affecerit etiam Iudæos, apparet ez Historialibus libris sacræ scripturæ.

Stultus autem non à fatuitate sed à defectu iudicij de diuinis, nominatur genus hominum negantium vnum verum Deum. *Dixit*, definiuit, *in corde suo* intùs, vt errorem intellectus intelligas, *non Deus*, in singulari numero, non est Deus vnus. Et intellige negari eum qui in veritate est Deus. Et hinc tres effectus subiunguntur huiusmodi stultitiæ: corruptionis morum, idololatriæ, & vniuersalis defectus. In quo nota dici: *non est faciens bonum*, quamuis enim aliquis eorum fecerit quandoque aliquem actum bonum ex suo genere (puta honorare parentes) tot tamen mala commisit vt non possit simpliciter & absolutè verificari quòd iste est faciens bonum, sed quòd est faciens bonum in hoc actu. Qui enim absolutè est faciens bonum, denominatur absolutè bonus: quod de committente innumerabilia mala, faciente autem aliquod bonum, non verificatur. Et propterea Propheta dicit: non est faciens bonum, loquens de bono morali simpliciter & absolutè.

Tres effectus negationis Christi.

Faciens bonũ non dicitur absolutè, qui cum aliquo bono facit multa mala.

Vers. 2. DOMINVS DE CÆLIS. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *corruperunt*, &c. Secundò illa, *dixit stultus*, ibi: *nonne cognouerunt.* Tertiò vtraque simul, ibi: *quis dabit.* Circa primum, quia temerarium videtur quòd Dauid vnus homo censorem se exhibuerit omnium & singulorum hominum, extendendo sermonem suum vsque ad hoc quòd nullus est faciens bonum; ideo Deum inducit inquisitorem & testem. *Inquisitorem* quidem: *Dominus de cælis prospexit*, tanquam de loco vnde vniuersos possit videre, *super filios Adæ*, non super hos, aut illos, sed super omnes homines: *ad videndum si est intelligens* aliquis, non geometrica, sed *requirens Deum*, hoc est, intelligentiâ vtens ad requirendum Deum. *Testem* autem subiungendo quid vidit. *Omnes*, totum genus humanum, *declinauit*, à recto: nec solùm reliquit rectitudinem, sed *simul fœtuerunt*, tantâ morum putredine: & vsque adeò singulos inuenit deficientes quòd *non* (supple est) *faciens bonum, non etiam vnus.* Vbi plus explicatur inuentum esse à Deo, quàm Propheta dixerat: dum explicauit, *non etiam vnus.* Et per hoc intellige describi vites naturæ & status mundi ante aduentum Messiæ. Et sic proculdubio verum dicitur: quoniam nec ex viribus naturæ, nec ex viribus legis Moysi quisquam inueniebatur faciens bonum. Et hic sensus directè quadrat intentioni Apostoli ad Rom. 3. Nec obstat quòd multi sancti viri fuerint ante aduentum Messiæ: quoniam gratia

quocunque tempore data, ad tempus Messiæ refertur, iuxta illud: *lex per Moysen data est, gratia per Iesum Christum facta est*, Ioan. 1.

Ioan. 1. 17.

Vers. 4. NONNE COGNOVERVNT. Tractatur hîc illa particula, *dixit stultus in corde suo non est Deus*. Et quoniam litera est valde obscura, scito declarari hîc inexcusabilitatem & pertinaciam humani generis in hoc quòd negant Deum. *Inexcusabilitas* quidem declaratur ex hoc quòd tam Gentiles quàm Iudæi mali cognouerunt quòd Deus est in generatione iustorum. *Pertinacia* autem ex hoc, quòd non obstante prædictâ cognitione confundent consilium confidentis in Deo.

Inexcusabilitas & pertinacia negãtium Deum.

Vbi aduerte quòd per *omnes operantes iniquitatis* intelliguntur tam Gentiles quàm Iudæi. Per *deuorantes* autem *populum meum*, intelliguntur Gentiles. Per tres autem sequentes conditiones describuntur Iudæi mali. Prima conditio est, *comederunt panem*: hoc est, perceperunt fructus terræ promissionis. Secunda est: *Dominum non vocauerunt*, in qua ingratitudo eorum & recessus à Deo significatur. Tertia *ibi* (scilicet vbi comederunt panem, vbi Deum non vocauerunt) *timuerunt timore*, ab inimicis suis valde frequenter: qui timor eis non euenisset si Deum inuocassent. Vtrique comprehenduntur sub operantibus iniquitatem. Et de vtrisque dicitur: *Nonne cognouerunt quoniam Deus in generatione iusti?* supple, fuit. Ac si apertè diceret quòd cognouerunt: ac per hoc quòd sunt inexcusabiles sequentes stultitiam negantium Deum.

Et intendit ad literam per *generationem iusti*, generationem Abrahæ: iuxta illud Esa. 41. *Quis suscitauit ab Oriente iustum?* loquens ad literam de Abraham. A quo meritò describitur generatio iustorum: quia ipse inchoante idololatriâ segregatus est vocatione diuina, vt esset pater colentium vnum verum Deum: propterea enim vocatur iustus, diuertente mundo ad idololatriam. Cognouerunt siquidem Gentiles in exitu Israël de Ægypto in tot miraculis, & deinde in transitu Iordanis, & postea, &c. Deum curam habere generationis iustæ: cùm nunquam oppressus fuerit populus nisi quando fuit iniustus. Et hæc eadem multo magis cognouit ipse populus ingratus recedens à Deo, & propterea timens hostes.

Isai. 41. 2.

Cur generatio iustorum ab Abraham incipere dicitur?

Ait ergo: *Nonne cognouerunt*, cognoscere potuerunt, *omnes operantes iniquitatis*, siue Iudæi, siue Gentiles. Et primùm *comedentes populum meum*, gentiles diuersarum nationum qui vorauerunt populum meum gentem Iudæorum: deinde Iudæi *comederunt panem*, subaudi, *qui* comederunt panem terræ promissionis, *Dominum non vocauerunt*, postergantes eum: *ibi*, in terra promissionis in qua comederunt & posthabuerunt Deum, *timuerunt timore*: inuasi ab hostibus. Isti, inquam, nonne cognouerunt *quoniam Deus in generatione iusti* Abrahæ fuit, protegens, ducens, &c. Et tamen *consilium pauperis confundetis*, confundere studebitis pertinaces, *quoniam Dominus protectio eius*, ideo confundere studebitis, quia credit quòd Dominus sit protectio sua.

Vers. 7. QVIS DABIT. Tractatur hîc tota materia proposita quantùm ad illius remediũ, suspirante Propheta: *quis dabit?* non quòd dubitet de datore Deo, sed vsitato loquendi modo explicans cupientis affectum, dicit: *quis dabit*, *salutem* expectatam *de Sion*, contra tot mala. Et explicando qualis futura sit salus hæc, affirmat: *reducente Domino captiuitatem populi sui, exultabit Iacob, lætabitur Israël.* Vbi clarè patet salutem de Sion fore reductiuam populi Dei de captiuitate. Et ex eo quòd geminata describitur lætitia non vnius tribus, aut duarum, sed Iacob & Israël (hoc est, totius populi) apparet quòd de redemptione vniuersali per Messiam est sermo. Quæ secundùm veritatem est primùm redemptio de captiuitate à seruitute peccati & diaboli, deinde ab omni malo: quæ adhuc non est facta, sed in secundo aduentu consummabitur. Et explicauit lætitiam Hebræi populi tantùm, non quòd ipsius tantùm sit salus expectata de Sion: sed ad explicandum quòd nullus esset particeps salutis per Messiam faciendæ, nisi fidem habens, quam populus ex Iacob descendens, qui & Israël vocatur, professus fuit: imò quòd nec ipse populus Iacob nisi simul fuerit Israël (hoc est, gratiâ visionis Dei per fidem donatus) exultabit aut lætabitur: propterea namque cùm dixisset, *exultabit Iacob*, appositiuè & declaratiuè adiunxit sine aliqua coniunctione, *lætabitur Israël.* Ac si apertè dixisset: *exultabit Iacob, lætabitur*, inquam existens *Israël.* Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus Dauid.*

XIV.

DOMINE quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?

2 *Qui ingreditur sine macula: & operatur iustitiam.*

IVXTA HEBRÆVM.

Psalmus Dauidi.

XV.

1 *Propheta.* DOMINE * quis peregrinabitur in tentorio tuo? quis habitabit in monte sanctitatis tuæ?

2 *Deus.* Ingrediens perfectus & operans iustitiam: & loquens veritatem in corde suo.

3 Non

3 *Qui loquitur veritatem in corde suo: qui non egit dolum in lingua sua.*
Nec fecit proximo suo malũ:& opprobriũ non accepit aduersus proximos suos.
4 *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus: timentes autem Dominum glorificat.*
5 *Qui iurat proximo suo & non decipit: qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, & munera super innocentem non accepit.*
Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

3 Non explorauit super lingua sua: non fecit socio suo malum, & opprobrium non sustinuit super propinquo suo.
4 Spretus in oculis suis, abominabilis, & timentes Dominum [4] honorabit: iurauit ad malefaciendum sibi & non mutabit.
5 Argentum suum non dedit in vsuram, & munus super innocente non accepit: faciens hæc non labetur æterno.

COMMENTARIVS.

Materia. Qualis debeat esse populus in terra promissionis.

Titulus est *Psalmus Dauidi*, qui patet ex supradictis. Materia Psalmi quantùm ex Psalmo apparet, est qualitas populi permansuri in terra promissionis. Ita quòd intendit Propheta describere conditiones requisitas ad filios Israël ad hoc vt populus permaneat in æternum in terra promissionis. Ex primo siquidem versiculo apparet quòd sit quæstio de peregrinatione in tentorio Dei in monte sanctitatis eius. Per quæ terram promissionis significari à monte Moria, apparet Exod. 15. vbi Moyses in cantico dicit: *Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ (firmissimo habitaculo tuo quod operatus es Domine) sanctuarium tuum Domine*, &c. Et in Psalm. 78. *Et induxit eos in montem sanctitatis suæ, montem quem acquisiuit dextera eius: Et eiecit à facie eorum gentes, & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.* Apparet quoque in progressu Psalmi, virtutes requisitas ad rectitudinem animi commemorari iuxta præcepta Domini in Deuteron. Apparet demum in fine Psalmi concludi quòd *faciens hæc non labetur in æternum*, proculdubio ab habitatione & peregrinatione in principio proposita. Et confirmatur totum ex consonantia ad ea quæ in fine Deuteron. dicuntur populo, promittendo & comminando: promittitur siquidem populo æterna mansio in terra promissionis.

Exod. 15. 17.

Psal. 77. 54.

SVMMARIVM EST.

Petenti Prophetæ quis habitabit in monte Dei, respondet Deus quòd gradiens perfectus, cogitatione, locutione, operatione, & omissione; & iustus, in honoribus, promissionibus, contractibus & indicijs, non labetur in æternum.

Personæ loquentes sunt Propheta & Deus.

VERS. 1. DOMINE QVIS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi: *Ingrediens*. Proponit vnam quæstionem (scilicet de permansione populi in terra promissionis) sub duplici forma. Primò sub ratione peregrinationis in tentorio Dei: & deinde exponit eandem sub ratione habitationis in monte sanctitatis Dei. Vbi aduerte quòd in textu Hebræo nulla habetur coniunctio ante secundum interrogatiuum: ad denotandum quòd expositiuè subiungitur secunda interrogatio.

Quæstio de permansione populi in terra promissionis.

Domine. Quærit à Domino, vt diuinâ auctoritate intelligas non humanâ adinuentione conditam responsionem sequentem. *Quis.* Quamuis intendat quærere de populo, proponit tamen quæstionem de singularibus hominibus: tum quoniam ex ipsis integratur populus: tum quia de conditionibus populi non secundùm quòd vniuersitas quædam est, sed secundùm conditiones hominum ex quibus constat inquirit. *Peregrinabitur.* Terra promissionis non erat populi, sed Dei vt propria: ac per hoc populus habitabat ibi tanquam incola in terra aliena: iuxta illud Leuit. 25. *Terra hæc mea est, & vos aduenæ & coloni estis.* Rursus trahens paruam alicubi moram, peregrinum se ibi agit: iusti autem viri recognoscentes modicum vitæ humanæ tempus, etiam hac ratione peregrinos se profitebantur in terra. Vnde Dauid 1. Paralip. 29. ex vtraque ratione peregrinum se & sui similes profitetur, dicens Deo: *Tua sunt omnia, & quæ de manu tua accepimus dedimus tibi: peregrini enim sumus coram te & aduenæ, sicut omnes patres nostri.* Et subdens alteram rationem ait: *Dies nostri quasi vmbra super terram, & nulla est mora*, &c. Quærit ergo sub forma incolatus, vt intelligas quòd quærit de mansuro recognoscente terram esse Dei & se incolam.

Leuit. 25. 23.

Viri iusti peregrini in terra.

1. Paralip. 29. 14.

In tentorio tuo. Tabernaculum quod Moyses ordinauit ad diuinum cultum, tentorium Dei appellatur: tum quia in veritate erat tentorium, mobile, coopertum pellibus, &c. Vnde & Hierem. 10. dicitur: *Non est qui extendat vltra tentorium & erigat pelles meas*, &c. Tum ad significandum quòd locus diuini cultus refertur ad Deum non vt domus Dei sed vt tentorium: hoc est, non vt propria habitatio, sed vt habitatio in itinere seu in exercitu.

Ierem. c. 10.

Quis habitabit. Quod dixerat *peregrinabitur*, modò exponit *habitabit*: vt hinc intelligas permanentiam diuturnam populi, illinc intelligas recognitionem & affectum peregrinationis singulorum. *In monte sanctitatis tuæ*, in monte Moria electo ad cultum sanctitatis tuæ: in quo ædificatum est postea templum, in quo vidit Iacob scalam, &c Et intellige *habitare in monte*, non in ipso monte habitaculum habere, sed in terra promissionis, à monte & templo diuini cultus tanquam à capite denominata.

Mons Moria.

Vers. 2. INGREDIENS PERFECTVS ET OPERANS IVSTITIAM. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primum proponit Deus responsionem summariè in duobus capitibus. Alterum est: *ingrediens perfectus*: hoc est, ambulans, in seipso

Pars Executiua.

seipso omni ex parte integer. Alterum est: *& operans iustitiam:* hoc est reddens vnicuique ius suum. Secundò declarat vtrumque responsionis caput per singula. Et quantùm ad primum caput (de ambulatione perfecta) tangit integritatem hominis. Tum in cogitatione: *& loquens veritatem in corde suo.* Nemo in corde suo mentitur, nisi falsitatem aliquam eligat aut incurrat: qui enim in corde suo veritatem tantùm sonat, perfectus est in cogitationibus suis. Tum in locutione: *non explorauit super lingua sua.* Ab exploratoris officio vniuersa linguæ vitia negat. Exploratoris quippe est aliena inspicere, referréque ad nocendum. Et propterea negando exploratoris officium à lingua hominis, negat detractionem & similia. Tum in operatione: *non fecit socio suo malum.* Tum in omissione: *& opprobrium non sustinuit super propinquo suo.* Peccat siquidem omissionis peccato, audiens vituperari propinquum suum & non obuians sed sustinens. Et propterea huius criminis vitatio describitur per non sustinere opprobrium super propinquo suo. Et aiunt Hebræi dictionem Hebraicam sonare propinquitatem sanguinis.

Responsio Dei.

Integritas hominis à quatuor descripta.

Vers. 4. SPRETVS IN OCVLIS SVIS. Quantùm vero ad secundum caput (scilicet *operans iustitiam*) declaratur similiter per singula: Tum in iis quæ sunt honoris & gloriæ. Et hoc respectu suiipsius spernendo seipsum. *Spretus* (supple est & erit) *in oculis suis*, hoc est, intùs in oculis mentis suæ: nec solùm spretus, sed *abominabilis*, propriis oculis internis: & respectu aliorum, reddendo honorem cui verè debetur: *& timentes Dominum honorabit.* Vbi aduerte radicem, affectum partésque virtutis illius quam humilitatem appellamus, plenissimè hîc describi. Radix siquidem humilitatis est reuerentia ad Deum. Affectus humilis in duas secatur partes. Altera spernit quicquid suum est, recognoscens nihil suum esse nisi malum. Et propterea non solùm spernit sed abominabitur seipsum ex parte sui. Vnde & ad Saulem elatum dicitur 1. Regum 15. *Nonne cùm esses paruulus in oculis tuis*, &c. Altera magnificat, honorat, glorificat quicquid Dei est: *& timentes Dominum honorabit.*

Iustus describitur.

Humilitatis radix est reuerentia ad Deum.

1.Reg.15.

Tum in promissionibus: *Iurauit ad malefaciendum & non mutabit.* Aduerte hîc quòd dictio Hebraica apud omnes interpretes sonat malum facere: & intelligunt de malo pœnæ: hoc est, malum inferre seu nocere. Et quia actum virtutis constat describi, & non apparet actus virtutis iuramentum ad inferendum malum non mutare (imò laudatur ipse Dauid quòd mutauit iuramentum de disperdendo Nabal 1. Regum 25.) ideo & Thargum & expositores Hebræi & interpretes multi apposuerunt pronomen *se*, intelligentes laudari non mutantem iuramentum affligendi se, malefaciendi sibi in bonis seu in corpore, ieiuniis, eleemosynis, damna sustinendo, &c. Et sine dubio hic est sensus literalis. Et in hac iuramenti seruatione intelligitur omnis iuramenti obseruatio: qui enim iuramentum circa proprium malum non mutat, multò minùs mutabit iuramentum circa alia sibi non nociua.

Tum in contractibus. *Argentum suum non dedit in vsuram.* In quo reliquos iniquos contractus intellige. Vbi & perspice inter conditiones requisitas ad habitandum in monte Dei, numerari quòd non dederit ad vsuram. Nec distinguitur huic vel illi: vt intelligas vsuram respectu extraneorum permissam non concessam Iudæis, Deuteron. 23.

Tum in iudiciis, *Et munus super innocente non accepit*, ad subuersionem iudicij.

Vers. 5. FACIENS HÆC. Post propositam & explanatam responsionem per singula, concludit Deus: *Faciens hæc non labetur æterno*, datiuum pro ablatiuo: hoc est, populus faciens hæc nunquam labetur ab habitatione terræ promissionis. De singularibus siquidem personis non potest hoc intelligi vt sonat: cùm constet Hieremiam sanctum ex vtero matris, ex terra promissionis defecisse. Nec putandum est quòd fuerit solus iustus eiectus de terra promissionis: cùm scriptum sit: *Ecce reliqui mihi septem millia qui non curuauerunt genua sua ante Baal*, 3. Regum 19. Verificatur tamen sententia hæc de singularibus personis, subintelligendo quantum est ex earum meritis: sancti enim viri eiecti sunt non propter sua, sed propter populi peccata. Amen.

3.Reg.19.18

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Humilis & simplicis Dauid.*	Michtham Dauidi.
XV.	XVI.
2 *CONSERVA me Domine quoniam speraui in te: dixi Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.*	1 *Vox Bonitatis.* CVSTODI me Deus: quoniam speraui in te. 2 *Vox Christi.* Dixisti Domino †. *Vox continuata Bonitatis.* Dominus es ô meus tu: bonitas mea, non est super te. († *Domini mei.*)
3 *Sanctis qui sunt in terra eius: mirificauit omnes voluntates meas in eis.*	3 *Vox Christi.* Sanctis qui in terra ipsis & fortibus: omnis voluntas mea est in eis.

4 Multi

4 *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt. Non congregabo conuenticula eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea.*	4 Multiplicabuntur idola eorum, postea accelerauerunt venire ad cultum Dei: non libabo libamina eorum de sanguine animalium, & non assumam nomina eorum super labiis meis.
5 *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei: tu es qui restitues hæreditatem meam mihi.*	5 Dominus † pars portionis meæ & calicis mei: tu sustentans sortem meam.
6 *Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi.*	6 Funes ceciderunt mihi in iucundis: etiã hæreditas speciosa cecidit super me.
7 *Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellectum: insuper & vsque ad noctem increpuerunt me renes mei.*	7 Benedicam Dominum † qui consuluit mihi: etiam noctibus castigauerunt me renes mei.
8 *Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commouear.*	8 Posui Dominum † conspectui meo continuè: quia à dextera mea est, non labar.
9 *Propter hoc lætatum est cor meum & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe.*	9 Ideo lætatum est cor meum & exultauit honor meus: etiam caro mea habitabit ad confidentiam †. (*† confidẽtia.*)
10 *Quoniam nõ derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.*	10 Quoniam non derelinques animam meam in fouea†: non dabis gratiosum tuũ ad videndũ corruptionẽ. (*† fouea.*)
11 *Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vsque in finem.*	11 Scire facies me semitã vitarum: satietatem lætitiarũ cum faciebus tuis, iucunditates in dextera tua sẽper.

COMMENTARIVS.

TItulus est, *Michtham Dauidi*, hoc est, obrizum, id est, aurum defæcatissimum Dauidi. Et significatur per hoc, Psalmum hunc ratione materię haberi à Dauide tanquam aurum perfectissimum: cuius ratio, cùm clarificata erit materia, patebit.

Michtham quid? Aduerte tamen circa titulum hunc, dictionem *michtham* multipliciter exponi. Primò vt diximus obrizum: secundò pro instrumento musico: tertiò pro specie cantici, puta tertiæ rimæ, vel talis modulationis: quartò accipiendo *michtham* pro *michthab*: & sic interpretatur Scriptura: quintò diuidendo hanc dictionem in duas, scilicet, *mich & tham*: & sic interpretatur à Hieronymo, *humilis & simplicis*. *Varij tituli huius Psalmi.* Est siquidem titulus Psalmi apud Hieronymum, *humilis & simplicis Dauid*. Apud LXX. autem, tituli inscriptio, *ipsi Dauid*: apud alios, *aureus Dauidi*: apud alios, *insignia Dauid*: apud alios, *corona Dauidi*. Et hæc dicta sint tam pro hoc titulo quàm pro titulis Psalmorum à 56. vsque ad 60. in quibus eadem dictio repetitur, sed non sola.

Materia. De materia Psalmi certiores nos fecerũt Principes Apostolorum Petrus & Paulus. Petrus enim Actorum 2. inducit multos versus huius Psalmi ad manifestandam resurrectionem Christi, probans quòd Dauid non loquitur de seipso, sed de Christo, cùm dixit: *Non derelinques animam meam in inferno, nec caro mea videbit corruptionem*, quia corpus Dauidis fuit tot annis in sepulchro. Similiter Paulus Actor. 13. eadem verba affert: & eâdem ratione probat de Christo non de corpore suo dixisse non videre corruptionem.

Duæ regulæ notandæ. Vnde habemus, non solùm materiam Psalmi huius esse resurrectionem Christi, &c. sed colligimus regulam generalem intelligendi Psalmos loquentes de Dauide: quòd scilicet quando ea quæ dicuntur non conueniunt ipsi Dauidi, intelliguntur de Christo: hac enim ratione contentus vterque Apostolus, exclusâ verificatione illorum verborum (*non dabis sanctum suum videre corruptionem*) de Dauide, intulit quòd de Christo promissa Dauidi dicta erant. Et potest etiam hinc haberi altera regula per oppositum: scilicet quòd omnis Psalmus Dauidis de seipso loquens, si totus verificatur de ipso, non est exponendus ad literam de Christo. Et hæc nota: quia has regulas sequimur in expositione literali Psalmorũ, fundatas super Apostolica auctoritate.

SVMMARIVM EST.

Christus manifestat tum meritum suum, tum fructum proprij meriti cum præmio: tum propriæ resurrectionis, tum speciosissimi mundi.

Persona loquentes sunt Christus, & bonitas eius.

Vers. 1. Tria notantur. CVSTODI ME. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi: *Sanctis*. Aduerte propter obscuritatem literæ tria iuxta textum Hebręum. Primum quòd dictio *dixisti* in hoc loco denotat genus fœmininum: ita quòd alloquitur personam seu rem fœminini generis. Secundum quòd *bonitas mea* est fœminini generis: ita quòd non dicitur *bonum meum*, aut *bonus meus*, sed substantiuũ fœminini generis *bonitas mea*. Tertium quòd pronomen *te* in calce situatum (dicendo *non super te*) signat masculinum

num genus in hoc loco. Hæc ideo dixerim; vt intelligas verbum *dixisti*, non habere ad quem referatur, nisi referatur ad illud, scilicet *bonitas mea*: cùm de nulla alia re fœminini generis hîc mentio fiat. Et propterea *bonitas mea* vocatiui est casus: & hinc quantùm ad sententiam incipit Psalmus: *O bonitas mea dixisti Domino*, hæc tria. Primum, *Dominus meus tu, non* (supple est,) *super te*, aliquis: secundum, *custodi me Deus*: tertium, *quoniam speraui in te*. Vbi quatuor Propheta in persona Christi proponit. Primò merita sua, dicendo *bonitas mea*, bonitas enim propria Christi in via, fuit meritum ipsius: nam merita consistunt in actibus bonis. Secundò confessionẽ fidei, dicendo: *Dixisti Domino, Dominus meus tu*: hæc enim est recognitio propriæ seruitutis ad Deum. Nec solùm tu es Dominus meus: sed es absolutè supremus: hoc enim significat: *non super te*, supple, est aliquis. Tertiò petitionem: *custodi me Deus*. Petit enim custodiri corpus à corruptione, seruarique animam ab habitatione in inferno, quod est petere celerem resurrectionem. Quartò spem suam quam in hac via habuit: *quoniam speraui in te*. Quamuis enim in Christo non fuerit spes respectu beatitudinis essentialis (quia fuit beatus à principio conceptionis suæ) fuit tamen in illo spes tum respectu beatitudinis corporis proprij, quâ carebat, tum respectu exaltationis suæ futuræ, regni acquirendi, & similium, & salutis suorum fidelium: hæc enim omnia & sperauit, & meritis propriis acquisiuit. Et propterea hîc dicitur, *quoniam in te speraui*. Vbi etiam aduerte quòd non describitur fides in Christo, sed fidei confessio: *dixisti Domino*. Quamuis enim dignitati Christi derogeret habuisse fidem, illi tamen maximè conuenit profiteri ea quæ sunt fidei. Et propterea ait: *Dixisti Domino, Dominus meus tu*.

Quatuor proponit Dauid.

Christus quamuis non habuerit fidem, professus est ea quæ sunt fidei.

Vers. 3. SANCTIS QVI IN TERRA IPSIS ET FORTIBVS. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *bonitas mea*. Secundò illa, *dixisti, Dominus meus*, ibi: *multiplicabuntur*. Tertiò illa, *quoniam speraui in te*, ibi: *tu sustentans*. Quartò illa, *custodi me*, ibi: *quia à dextera*. Declarat itaque Christus bonitatem meritorum suorum ex adimpletione *omnis voluntatis* suæ in sanctis & fortibus existentibus in terra. *Sancti* vocantur & sunt, qui perfecti, mundi ac liberi ab immunditiis & seruitutibus peccatorum & passionum, Deo addicti à seipsis sunt. *Fortes* autem qui intrepidi prælia Dei exercent, non timentes occidi à Tyrannis, &c. Appellatione *omnis voluntatis* Christi, si de ipsa potentia volitiua est sermo, intellige voluntatem vtramque: diuinam scilicet & humanam. Si autem voluntas pro actu voluntatis sumitur, intellige omne quod vult Christus impleri per sanctos & fortes. Ex quo clarè habetur quòd omnis voluntas Christi est bona: ex hoc enim quòd omnis voluntas eius exercetur & adimpletur per sanctos & fortes, consequens est quòd nulla voluntas eius est dissonans à sanctitate & fortitudine. Imò plus sequitur, quòd omnes sancti & fortes sunt fructus voluntatis eius: vnde non dixit quòd omnis voluntas sanctorum & fortium est in me, sed è conuerso, *omnis voluntas mea* est in sanctis & fortibus. Signanter autem meminit sanctorum qui sunt in terra; vt ab iis quæ nobis manifestata sunt declaret bonitatem suam. Si enim dixisset quòd omnis voluntas sua est in sanctis qui sunt in cælo, cùm illos non viderimus, minus idonea esset declaratio: sed sanctos ac fortes in terra videmus, in quibus perspicimus, bonitatem Christi relucentem.

Pars Executiua.

Sancti quinam?

Quinam fortes?

Vers. 5. MVLTIPLICABVNTVR. Tractatur hîc illa particula, *dixisti Domine*, &c. aperiendo quòd Christus nihil aliud instituit in Ecclesia sua nisi quæ Domini sunt, nihil aliud quæsiuit, nisi Deum.

Vnde primò destructionem idololatriæ ad cultum Dei vnius trahendo, describit à supremo augmento. *Multiplicabuntur*, inquit, ad summum augmentum peruenient, *idola eorum*, gentilium: tanquam permittendo crescere idololatriam vsque ad satietatem: & postea cùm ad summam peruenerunt multitudinem, *accelerauerunt*, festinè venerunt ad cultum vnius Dei.

Idololatriæ destructio.

Secundò remotionem sacrificiorum tam Iudæorum quàm Gentilium subiungit: *Non libabo*, gustabo, *libamina eorum*, sacrificiorum, *de sanguine*, hoc est, de occisione animalium. Primum siquidem locum in sacrificiis tenet oblatio animalium: & propterea excludendo sacrificia quibus occidebantur animalia, intelliguntur exclusa omnia sacrificia tam Iudæorum quàm Gentilium: vtrique enim ea offerebant. Christus autem (vt hîc promittit) non libat in Ecclesia sua sacrificia de sanguine.

Tertiò auferendam diuersitatem ab Ecclesia sua describit: *& non assumam nomina eorum super labijs meis*. In Christo siquidem *non est distinctio Iudæi & Græci, non est barbarus aut Scytha, non masculus aut fœmina*: vt Apostolus ait ad Galat. 3. & ad Coloss. 3. neque est Paulus aut Apollo, &c. 1. ad Corinth. 1. sed omnes vnum corpus sumus in Christo. Et propterea ait: *Et non assumam nomina eorum*, quibus significantur diuersitates eorum, *super labijs meis*, Ecclesiæ meæ: sed vnum erit nomen omnium quòd *os Domini nominauit*.

Galat. 3. 28. Coloss. 3. 11

Quartò prædictis tribus exclusis, asseritur *Dominus pars portionis meæ, & calicis mei*. Hæc est professio meritorum & bonitatis Christi. *Dominus*, solus, *pars*, ad similitudinem sortis. More diuidentium id quod alicui obtigit vocatur pars: diuisis siquidem rebus, hinc delectabilibus mundi, inde Domino cum beneplacitis ei, non quæ sunt mundi, sed Dominus tanquam pars Christi est. *Portionis meæ*, Ecclesiæ meæ quæ est velut portio Christi, reliquâ parte humani generis damnatâ. *Et calicis mei*. Qui tripliciter exponitur. Vel passionis: iuxta illud: *potestis bibere calicem quem bibiturus sum?* Vel delectationis electorum: iuxta illud: *calix meus inebrians quàm præclarus est*. Vel sacrificij Eucharistiæ: iuxta illud: *hic est calix noui Testamenti*. Congruitque contextui vt de calice Eucharistiæ sit sermo: vt exclusis sacrificiis tam Gentilibus quàm Iudaicis, commemoraretur sacrificium eius in Ecclesia quòd non esset sicut cætera sacrificia, sed tale quòd Deus est pars eius: hoc est, quicquid est, Deus est: in sacrificio namque altaris non est panis aut vinum, sed Christus ipse verus Deus. Et propterea dicitur: *pars calicis mei*: hoc est, id quod est in calice meo.

Calix triplex.
Mat. 20. 22. Psalm. 22. 5. Luc. 22. 20.

TV SVSTENTANS SORTEM MEAM. Tractatur hîc illa particula, *quoniam speraui in te*. Primò quoad rem speratam, scilicet nouum mundum glorificatis corporibus sanctorum, &c. Hoc est

VERS. 5.

est vnum quod Christus sperauit ac meruit. Vbi aduerte quòd mundus futurus appellatur & sors & hæreditas Christi. *Sors* quidem ad similitudinem diuidentium: pro quanto diuisis statibus mundi in præsentem & futurum, Christo decretus est orbis futurus in possessionem. *Hæreditas* autem tanquam Deus pater hæredem fecerit orbis in illo statu:iuxta illud:*quem constituit hæredem vniuersorum.* Ad hæc enim tendens, ait: *Tu sustentans sortem meam*, à me speratam. Et declarando sortem ipsam ad similitudinem diuidentium,subdit, *Funes*,diuisorij,*ceciderunt mihi*, tanquam sorte obtigerit,*in iucundis:* orbis enim ille plenus erit iucunditatis: *etiam hæreditas*,paterna,*speciosa super me.* Ipse felix mundus speciosa dicitur hæreditas super me,diuino beneficio.

Mundus futurus,sors & hæreditas Christi.

Hebr.1.2.

Secundò quantùm ad actus sperantis tres Primus est rectè consiliari. Et quoad hoc gratias agendo ait: *Benedicam Dominum qui consuluit mihi.* Secundus est rectè pati. Et de hoc subdit: *Etiam noctibus castigauerunt me renes mei.* Appellatione renum intellige carnem: quæ ad similitudinem castigantis se habet cùm patiendo instruit: didicit siquidem Christus per ea quæ passus est: vt Apostolus inquit ad Hebr. 5. Et propterea *castigatum*(hoc est eruditum)*à renibus suis* se dicit *noctibus*, in tenebris huius mundi. Tertius est continuus respectus ad Deum, *Posui Dominum in conspectu meo*, rationem omnium mearum actionum & passionum continuè.

VERS. 8. QVIA A DEXTERA MEA, NON LABAR. Tractatur hìc illa particula, *custodi me Deus.* Tractatur autem petitio hæc vt exaudita,describendo effectus huiusmodi custodiæ seu conseruationis petitæ: tum quoad adeptionem gloriæ: tum quoad liberationem à malo. Adeptus siquidem est felicem immortalis vitæ statum resurgendo: & liberatus est quoad animam ex loco inferni; quoad corpus, ne putresceret in sepulchro. Vnde inchoans à diuina ope in optimis bonis (qualia sunt bona immortalis vitæ) ait: *Quia à dextera mea*, ad optima bona seruanda supple assistit Deus, *non labar*, non ad modum labentis me habebo tam secundùm animam, quàm secundùm corpus. *Ideo lætatum*(supple est) *cor meum*, intùs, *& exultauit honor meus*, extrà in resurrectione. Præpostero siquidem ordine decribuntur gesta: *Etiam caro mea habitabit*, in sepulchro *ad confidentiam*, secura quòd intra triduum resurget. In Hebræo habetur *confidentia* in datiuo: sed congruitas constructionis mutauit adiunctâ præpositione *ad*. *Quoniam non derelinques animam meam in fouea*, inferni quò descendit vltra triduum: *Non dabis gratiosum tuum*, meipsum hominem verè gratiosum,*ad videndum*, hoc est, ad experiendum, *corruptionem*, quantùm ad corpus in sepulchro positum. Sed *scire facies me*,experimento,*semitam*,resurrectionem, *vitarum*,quæ verè est vita immortalis:scire quoque facies me *satietatem lætitiarum cum faciebus tuis*, hoc est satietatem omnium internorum appetituum coram te Deo: & scire quoque facies me *iucunditates in dextera tua semper:* hoc est, corporeas glorias, *in dextera tua*,in optimis bonis, non ad tempus sed *semper*. Vbi vides resurrectionem, gloriam animæ, & dotes corporis gloriosi, Christum resurgendo expertum fuisse describi.

Sepulchrum & Resurrectio Christi.

Aduerte hìc semel pro semper quòd quia apud Hebræos *vita* caret numero singulari,ideo tam hìc quàm inferiùs sæpe inuenitur in plurali numero *vita*,*vitarum*. Et propterea non oportet vim facere in numero plurali: quia vita significatur. Si tamen librare vis numerum, facilè potes dilatare:quia resurrectio est vitarum omnium felicissima restitutio. Amen.

Vita non inuenitur in singulari apud Hebræos.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Oratio Dauid.*	Oratio Dauidi.
XVI.	XVII.
EXAVDI Domine iustitiam meam: intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam: non in labiis dolosis.	1 *Propheta.* AVDI Domine iustitiam, ausculta clamorem meum: ausculta orationem meam sine labiis doli.
2 *De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitates.*	2 De faciebus tuis iudicium meum egredietur: oculi tui videbunt à rectitudinibus.
3 *Probasti cor meum & visitasti nocte: igne me examinasti,& non est inuenta in me iniquitas.*	3 Probasti cor meum, visitasti nocte, purificasti me, non inuenies: [malum in me] cogitaui: [hoc scilicet] non transibit os meum.
4 *Vt non loquatur os meum opera hominum: propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras.*	4 Ad opera † hominis: in verbo labiorum tuorum [à meis militibus] ego custodiui vias dissipatoris. † *operibus.*
5 *Perfice gressus meos in semitis tuis: vt non moueantur vestigia mea.*	5 Sustentare gressus meos in viis tuis: non lapsi sunt gressus mei.

6 *Ego clamaui quoniam exaudisti me Deus: inclina aurem tuam mihi & exaudi verba mea.*
7 *Mirifica misericordias tuas: qui saluos facis sperantes in te.*
8 *A resistentibus dextera tua, custodi me vt pupillam oculi.*
9 *Sub vmbra alarum tuarum protege me: à facie impiorum qui me afflixerunt.*
10 *Inimici mei animam meam circumdederunt: adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam.*
11 *Proijcientes me nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram.*
12 *Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam: & sicut catulus leonis habitans in abditis.*
13 *Exurge Domine præueni eum & supplanta eum: eripe animam meam ab impio, frameam tuam ab inimicis manus tuæ.*
14 *Domine à paucis de terra diuide eos in vita eorum: de absconditis tuis adimpletus est venter eorum.*

Saturati sunt filiis: & dimiserunt reliquias suas paruulis suis.

15 *Ego autem in iustitia apparebo in conspectu tuo: satiabor cùm apparuerit gloria tua.*

6 Ego vocaui te, quia respondebis mihi: Deus inclina aurem tuam mihi, audi dictum meum.
7 Segrega gratias tuas: saluans sperantes ab insurgentibus in dextera tua.
8 Custodi me quasi pupillam filiam oculi: in vmbra alarum tuarum abscondes me.
9 A faciebus impiorum horum [qui] desolauerunt me: inimici mei in anima circumdabunt super me.
10 Adipe suo concluserunt: ore suo locuti sunt in superbia.
11 Gressibus nostris nunc circumdederunt me: oculos suos ponent ad declinandum in terra.
12 Similitudo eius quasi leonis [qui] desiderabit ad rapiendum: & quasi catuli leonis sedentis in absconditis.
13 Surge Domine [4], præueni facies eius, incuruare fac eum: libera animam meam ab impio [appositiuè] ense tuo.
14 A viris [appositiuè] manu tua Domine [4] à viris de mundo, pars eorum [est] in vitis, & absconditis tuis implebis ventrem eorum; saturabuntur filij, [eorum] & dimittent residuum suum paruulis suis.
15 Ego in iustitia videbo facies tuas: satiabor in expergiscendo imaginem tuam.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Oratio Dauidi.* Ex quo nihil aliud apparet nisi auctor, & quòd per modum orationis institutus est Psalmus iste. Materia autem eius ex ipso Psalmo intelligenda est: In quo clarè apparet personam orantem, persecutionibus multis vexatam iniustè: petereque custodiri à Deo, ac constituere satietatem suam in bonis animi coram Deo. Ex quibus (cùm constet orationem hanc esse Dauidis, & nihil eorum quæ in Psalmo continentur excedere conuenientia Dauidi) concludendum ex regulis in præcedenti Psalmo habitis est, orationem hanc ad literam tractare ea quæ sunt Dauidis. Et quoniam multa sunt illius gesta, ex hoc ipso quòd dicit se à Deo non punitum sed probatum, & describendo inimicos suos, narrat gesta quæ inueniuntur verificari in persecutione quam passus est à Saule. consequens est vt non tractentur hîc mala quæ passus est in persecutione ab Absalom (quoniam constat illã in pœnam adulterij & homicidij commissi sustinuisse: vt patet 2. Reg. 12.) sed mala quæ perpessus est in persecutione à Saule, non ad punitionem sed ad probationem. Nec obstat quòd apparet se innocentem profiteri in quarto versiculo: quoniam verè innocens fuit quantùm ad illam persecutionem: sicut etiam in Psalmo septimo hoc idẽ dixit Sed aduerte quòd licèt oratio tractet has vexationes corporales, & petat custodiri à Saule, hæc tamen omnia manifestat se in oratione tractare & petere in ordine ad bonum spirituale: vt vltima pars Psalmi testatur. Et meritò: quoniam in actu orandi mens debet eleuari in Deum, cuncta quæ considerantur aut petuntur referendo in Deum & spiritualia bona, quæ sola sunt secundùm se bona.

Materia.

Narrat Dauid se probatum in persecutionibus Saulis.

SVMMARIVM EST.

D*auid proponit coram diuino iudicio seipsum probatum persistere in obseruatione verborum Dei: ac proinde petit & vitam suam saluari ab inimicis,*

inimicis, Saule, &c. & segregandas diuinas ab illis misericordias: attento quod pars illorum est in temporalium bonorum satietate, pars autem sua est in bonis animæ coram Deo.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. AVDI DOMINE IVSTITIAM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *de faciebus tuis.* Tria proponit: Primò audiri iustitiam causæ proponendæ: *Audi Domine iustitiam.* Secundò auscultari intimum desiderium: *Ausculta clamorem meum:* ipse enim clamor ad significandum magnitudinem desiderij in oratione exprimitur. Tertiò veracitatem sermonis, more humano Deum alloquens: *Ausculta orationem meam sine labiis doli*, sine vlla fictione aut fraude.

VERS. 2. *Pars Executiua.* DE FACIEBVS TVIS IVDICIVM MEVM EGREDIETVR. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *sine labiis doli.* Secundò illa, *ausculta clamorem meum*, ibi, *Ego vocaui.* Tertiò illa, *audi Domine iustitiam*, ibi, *pars eorum.* Circa primum inchoat à ratione quare vult à Deo iudicari: quia *de facie tua*, de notitia tua (facie enim videmus) *iudicium meum*, ius pro me, *egredietur.* Et ratio est, quia *oculi tui videbunt*, non acti passione aliqua sed *à rectitudinibus:* solæ enim rectitudines tanquam rationes videndi sunt diuinis oculis. Deinde exponit modum quo cognitus est à Deo, ad similitudinem auri seu argenti quod cognoscitur conflatione in igne, &c. *Probasti cor meum*, affligendo me, *visitasti nocte* obscuritatis ex tanta claritate, in qua eram, deiiciendo, *purificasti me*, more argenti: *non inuenies*, quicquam culpæ propterea incurrisse me.

Oratio hæc similis est orationi Ezechiæ. Isai. 38. 3. Aduerte hîc quòd oratio ista est sicut oratio Ezechiæ apud Isai. 38. *Memento quæso quomodo ambulauerim coram te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim.* Recenset namque Dauid suam constantiam in bono, non iactando, sed vt ea quæ grata sunt Deo in seipso commemoret & crescant.

Postea explanat hanc suam innocentiam perseuerantem. Et primò in corde (dixerat enim *probasti cor meum*) *cogitaui:* hoc est deliberaui in corde meo, hoc, scilicet, *non transibit os meum* ad opera hominis: hoc est, sermo meus non abibit à diuina regula ad operationes hominis imperandas aut concedendas, solitas exerceri à militaribus hominibus, vagis & pauperibus. Ac si apertè diceret quòd quantumcunque vexatus deliberaui, ne ore quidem opera hominis non secundùm Deum approbare, sed firmiter in diuina regula persistere. Et in Hebræo habetur *operibus* in datiuo, sed constructio mutauit adiuncta præpositione *ad.* Secundò quantùm ad executionem deliberationis factæ. *In verbo labiorum tuorum ego custodiui vias dissipatoris:* hoc est, ratione legis tuæ ego curam habui, ne milites qui mecum affliguntur, exerceant opera prædonum. Vnde & 1. Reg. 25. mandauit dici Dauid ad Nabal: Ex multis annis saluos faciens tuos & omnia tua, audiui, &c. Et vnus famulorum Nabal dixit ad Abigail de Dauide & suis: *Homines isti boni satis fuerunt nobis & non molesti, nec quicquam aliquando periit omni tempore quo fuimus conuersati cum eis in deserto: pro muro erant nobis*, &c. Et similiter *custodiui*, curam habui, *sustentare gressus meos in viis tuis:* & sic *non*

Dauid continebat milites suos, nec eos sinebat prædari.

1. Reg. 25. 15.

sunt lapsi gressus mei, opera mea non declinauerunt à lege tua.

Vers. 6. EGO VOCAVI. Tractatur hîc illa particula, *ausculta clamorem meum.* Et quoniam disparitatem meritorum hinc sperantium in Deo, inde insurgentium contra sperantes in Deo, intendit proponere & exponere ad sui defensionem & illorum desertionem, tanquam captans beneuolentiam humano more, præmittit duo: Alterum propriæ fiduciæ in Deo: *Ego vocaui*, scilicet *te, quoniam respondebis mihi*, quia scio te responsurum desiderio meo intimo. Alterum defectus proprij meriti: *inclina aurem tuam mihi.* In quo profitetur vocem suam non tanti esse vt perueniat ad aures Dei, nisi Deus (velut supplendo defectum vocis) inclinet aurem suam. Et sic *audi dictum meum*, subiungendum.

Vers. 7. SEGREGA GRATIAS TVAS. Aduerte hîc sequens dictum distingui in quatuor partes. In prima petit quòd Deus non misereatur insurgentium contra sperantes in dextera ipsius. Vbi simul ponitur petitio & ratio iustæ petitionis. Petitio est: *Segrega gratias tuas ab insurgentibus.* Ratio interponitur: *Saluans sperantes in dextera tua:* ex eo enim quòd tu *saluas sperantes in dextera tua*, sequitur iustitiâ exigente quòd ab insurgentibus contra sperantes in dextera tua, segreges gratias tuas saluatrices. Nec est crudelis ista petitio, sed iusta & quæ quotidie adimpletur: quoniam non dicit, ab iis qui insurrexerunt, sed *ab insurgentibus*, qui insurgunt, in peccato insurgendi perseuerant.

In secunda petit se custodiri: vtpote de numero sperantium in dextera Dei. Vnde & præmisit: *Ego vocaui te, quia respondebis mihi.* Et dixit se probatum perstitisse. *Custodi*, inquit, *me*, curam mei habe, *quasi pupillam filiam oculi.* Hebraïco more appellatur *filia oculi* interior pupilla quâ videmus: eo quòd de genere oculi sic est quòd tota oculi plenitudo ad ipsam ordinatur seruandam. Et declarans similitudinem per aliam similitudinem, subdit: *In vmbra alarum tuarum abscondes me à faciebus impiorum horum*, ad similitudinem pulli qui absconditur sub vmbra maternarum alarum à facie auium rapacium. Et intendit per hæc omnia diuinam protectionem.

Pupilla dicitur Hebraïcè filia oculi.

In tertia describuntur isti impij à quibus petit se custodiri. Et quatuor actiones eorum tangit: Prima, *desolauerunt me.* Et hoc ad literam fuit adimpletum: cùm etiam vxor ei ablata fuerit à Saule, & consanguinei ad ipsum profugi venerint. Secunda, *inimici mei in animam*, in vitam, *circumdabunt super me.* Et hoc pluries adimpletum fuisse constat. Tertia, *adipe suo concluserunt.* Abundantem militem vocat *adipem.* Quòd etiam constat adimpletum, specialiter in domo quando Michol liberauit eum. Quarta, *ore suo locuti sunt in superbia.* Quòd constat impletum pluries. Deinde modos exploratorios subiungit: *Gressibus nostris nunc circumdederunt me.* Saul enim & sui obseruabant gressus Dauidis & suorum: & iuxta itinera eorum circumdabant eum. Vnde Saul dixit ad Ziphæos, 1. Reg. 23. *Considerate locum vbi sit pes eius, Considerate & videte omnia latibula eius in quibus absconditur: quòd si etiam in terram se obtruserit, perscrutabor eum.* Vnde & subditur: *oculos suos ponent ad declinandum in terra:* hoc est, ad videndum cuncta latibula terræ. Vbi aduerte quòd aptè dicit *gressibus nostris*, & subdit *circumdederunt*

1. Reg. 23. v. 22. 23.

runt me: quoniam exploratio itinerum ex cōmuni gressu habebatur, circūdatio autem tota ad perditionem vnius hominis (scilicet Dauidis) tendebat.

Aduerte hic quòd ex aduerbio temporis *nunc*, insinuatur quòd oratio ista tempore illo habita est à Dauide quo exploratis gressibus eius, à Saule circumdatus est. Cum qua oratione stat quòd de illa circumdatione tractet alter Psalmus: ibi per modum cantici, hîc per modum orationis: imò hîc ipsa oratio tunc habita ponitur. Adiungitur quoque descriptio ipsius

Saul vt leo. Saulis, vtpote capitis *Similitudo eius quasi leonis desiderabit ad rapiendum*, hoc est, perseuerantis in desiderio rapiendi. *& quasi catuli leonis sedentis in absconditis.* Per quas similitudines denotatur quòd tam occultè quàm manifestè Saul anhelabat ad necem eius.

In quarta complentur petitiones. *Surge Domine*, more humano, *praueni facies eius*, scilicet Saulis vt leonis ad prædam currentis, *incuruare fac eum*, hoc est, fac eum ad similitudinem cadentis in itinere impediri: *Libera animam meam*, vitam meam, *ab impio*, Saule, *ense tuo*: appositiuè legendum est: erat enim rex: & propterea appel-

Quilibet impius oppressor, gladius Dei est. latur gladius Dei. Vel potiùs, quia quilibet impius potens ad opprimendum, gladius Dei est: quia Deus vtitur eo ad punitionem malorum &

Isai. 10. 5. probationem bonorum: iuxta illud Isai. 10. *Assur virga furoris mei.* Nec solùm à Saule sed à suis petit saluari vitam, subiungens. *A viris* (appositiuè) *manu tua*: eâdem quippe ratione quâ

Et manus Dei. dicuntur *gladius Dei*, dicuntur etiam *manus Dei*; quia Deus vtitur tyrannis & similibus vt manu suâ ad vindictam malorum & probationem iustorum: immò *manu tua* non inconuenit intelligere *à viris* qui sunt plaga tua Domine. Et rursus magis explicando eosdem, *à viris de mundo*: hoc est, à viris quorum affectus totus est de mundanis, de temporalibus rebus. Et dixit hoc: quoniam totus affectus Saulis & suorum erat circa successionem regni temporalis.

Vers. 14. PARS EORVM IN VITIS. Tractatur hîc illa particula, *audi Domine iustitiam*, proponendo iustitiam partium secundùm iustam diuisionem: quia scilicet in impiorum parte sunt bona mundi huius; iustorum autem & ipsius vera animi bona, iustitia scilicet, &c. vt hinc intelligas totam hanc orationem tendere ad spirituale bonum. Continuando itaque ac explanando quod dixerat *à viris de mundo*, describit felicitatem eorum. *Pars eorum*, hoc est, totum bonum eorum, *in vitis*, hoc est, in vita præsenti constitutum est. Et dicitur *pars eorum*, tanquam ipsi elegerint pro parte sua, ea quæ spectant ad hanc vitam, volentes partem suam in hac vita: vt vulgò dici solet.

Et absconditis tuis ventrem eorum implebis: hoc est, ipsi quidem elegerunt pro parte sua bona huius vitæ, & tu satiabis eos talibus bonis. Quæ *Impios bonis terrenis satiat Deus.* appellantur *abscondita Dei* aut ratione iudiciorum (quia abscondita sunt nobis iudicia Dei, quibus satiat impios bonis temporalibus) aut ratione conditionis ipsorum bonorum temporalium: pro quanto sunt velut res absconditæ, hoc est, conditionibus obscuris & tenebrosis constantes: ad differentiam bonorum spiritualiū, quæ sunt clara in seipsis. Propter quod significantius additum est pronomen *tuis*. Nec solum ipsi replentur bonis temporalibus, sed *saturabuntur* etiam *filij* eorum: & vltra hoc *& dimittent residuum suum*, in hæreditatem *paruulis suis*, qui sunt nepotes primorum. In quo descriptam vides abundantiam temporalium vsque ad nepotes. De seipso autem subiungit: *Ego in iustitia videbo facies tuas*, in animo iusto apparebo coram te: *Satiabor*, non in bonis temporalibus, non in absconditis tuis, sed *in expergiscendo imaginem tuam.* Vbi nota quòd *expergiscendo*, seu *expergiscere*, est actiuæ significationis. Et intendit quòd cùm expergiscet imaginem Dei quam habet in propria anima, tunc satiabitur: factus est enim homo ad imaginem Dei: & est tanquam dormiens imago Dei in nobis quando non vtimur illâ: quando verò vtimur illa, tunc imago Dei est tanquam vigilans. Vtimur autem imagine Dei, cùm per illam intelligimus Deum qui repræsentatur per illam, amamus Deum, speramus in illo, colimus illum, conformamus mores actionésque nostras illi. Expergefacimus itaque Dei imaginem, in *Expergefacere imaginem Dei quid?* hac quidem vita studio & conatu ad vtendum illa: respectu verò vitæ futuræ, cùm pleni tali studio à corporis somno per mortem ad Deum migramus. Neuterque sensus alienus est à litera: nam contra partem hominum de mundo, è regione locari intelligitur satietas iustorum in futura vita, per iustitiam & exercitationem imaginis diuinæ in nobis hîc paranda. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori seruo Domini Dauid: qui locutus est Domino verba cantici huius in die qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius & de manu Saul: & dixit:*

XVII.

2 *DILIGAM te Domine fortitudo mea: Dominus firma-*
3 *mentum meum, & refugium meum, & liberator meus.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti seruo Domini [4] Dauidi, qui locutus est Domino [4] verba cantici huius in die (qua) liberauit eum Dominus [4] de vola omnium inimicorum eius: & (specialiter) de manu Saul.

XVIII.

1 *Propheta.* ET dixit: Diligā te Domine [4] fortitudo mea.
2 Dominus [4] petra mea & arx mea, & saluator meus: Deus meus fortis meus,

Deus meus adiutor meus: & ſperabo in eum.
Protector meus & cornu ſalutis meæ: & ſuſceptor meus.
4 *Laudans inuocabo Dominum: & ab inimicis meis ſaluus ero.*
5 *Circumdederunt me dolores mortis: & torrentes iniquitatis conturbauerunt me.*
6 *Dolores inferni circumdederunt me: præoccupauerunt me laquei mortis.*
7 *In tribulatione mea inuocaui Dominum: & ad Deum meum clamaui.*
Et exaudiuit de templo ſancto ſuo vocem meam: & clamor meus in conſpectu eius introiuit in aures eius.
8 *Commota eſt & contremuit terra: fundamenta montium conturbata ſunt & commota ſunt, quoniam iratus eſt eis.*
9 *Aſcendit fumus in ira eius & ignis à facie eius exarſit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.*
10 *Inclinauit cœlos & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius.*
11 *Et aſcendit ſuper Cherubim & volauit: volauit ſuper pennas ventorum.*
12 *Et poſuit tenebras latibulum ſuum: in circuitu eius tabernaculum eius, tenebroſa aqua in nubibus aëris.*
13 *Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt: grando & carbones ignis.*
14 *Et intonuit de cœlo Dominus: & altiſſimus dedit vocem ſuam, grando & carbones ignis.*
15 *Et miſit ſagittas ſuas & diſſipauit eos: fulgura multiplicauit & conturbauit eos.*
16 *Et apparuerunt fontes aquarum: & reuelata ſunt fundamenta orbis terrarum.*
Ab increpatione tua Domine: ab inſpiratione ſpiritus iræ tuæ.
17 *Miſit de ſummo & accepit me: & aſſumpſit me de aquis multis.*
18 *Eripuit me de inimicis meis fortiſſimis & ab iis qui oderunt me: quoniam confortati ſunt ſuper me.*
19 *Præuenerunt me in die afflictionis meæ: & factus eſt Dominus protector meus.*
20 *Et eduxit me in latitudinem: ſaluum me fecit quoniam voluit me.*
21 *Et retribuet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam: & ſecundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.*

meus, ſperabo in eo: ſcutum meum, & cornu ſalutis meæ, celſitudo mea.
3 Laudatum vocabo Dominum [4]: & ab inimicis meis ſaluabor.
4 Circumdederunt me funes mortis: & torrentes malignitatis terruerunt me.
5 Funes foueæ circumdederunt me: præuenerunt me offendicula mortis.
6 In anguſtia mihi vocabo Dominũ [4], & ad Deum meum clamabo: audiet de templo ſuo vocem meam, & clamor meus coram faciebus eius, veniet in aures eius.
7 Et commota eſt & contremuit terra, & fundamenta montium trement & mota ſunt: quoniam iratus eſt ei. terræ
8 Aſcendit fumus in furore eius, & ignis ex ore eius deuorabit: carbones exarſerunt ab eo.
9 Et inclinauit cœlos & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius.
10 Et equitauit ſuper Cherub & volauit: & volauit ſuper alas ſpiritus.
11 Ponet obſcuritatem latibulum ſuum: circuitus ſuos tabernaculũ ſuum, obſcuritatem aquarum nubes cœlorum.
12 A ſplendore coram eo nubes eius tranſierunt: grando & carbones ignis.
13 Et intonuit in cœlis Dominus [4]: & excelſus dabit vocem ſuam, grandinem & carbones ignis.
14 Et miſit ſagittas ſuas & diſperſit eos: & fulgura iecit, & attonuit illos.
15 Et apparuerunt profunditates aquarum & reuelata ſunt fundamenta orbis: ab increpatione tua Domine [4], à flatu ſpiritus furoris tui.
16 Mittet de excelſo & accipiet me: extrahet me de aquis multis.
17 Liberabit me ab inimico meo forti, & ab odientibus me: quoniam roborati ſunt plus me.
18 Præuenient me in die interitus mei: & fuit Dominus [4] ſuſtentaculo mihi.
19 Et eduxit me in latitudinem †: eruet me, quia complacuit in me. † *latitudini.*
20 Retribuet mihi Dominus [4] ſecundùm iuſtitiam meam: ſecundùm mũdiciã manus meæ reddet mihi.

21 Quia

22 *Quia custodiui vias Domini; nec impiè gessi à Deo meo.*

23 *Quoniam omnia iudicia eius in conspectu meo: & iustitias eius non repuli à me.*

24 *Et ero immaculatus cum eo: & obseruabo me ab iniquitate mea.*

25 *Et retribuet mihi Dominus secundùm iustitiam meam: & secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum eius.*

26 *Cum sancto sanctus eris: & cum viro innocente innocens eris.*

27 *Et cum electo electus eris: & cum peruerso peruerteris.*

28 *Quoniam tu populum humilem saluum facies: & oculos superborum humiliabis.*

29 *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus illumina tenebras meas.*

30 *Quoniam in te eripiar à tentatione: & in Deo meo transgrediar murum.*

31 *Deus meus impolluta via eius, eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperantium in se.*

32 *Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis Deus præter Deum nostrum?*

33 *Deus qui præcinxit me virtute: & posuit immaculatam viam meam.*

34 *Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum: & super excelsa statuens me.*

35 *Qui docet manus meas ad prælium: & posuisti vt arcum æreum brachia mea.*

36 *Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: & dextera tua suscepit me.*
Et disciplina tua correxit me in finem: & disciplina tua ipsa me docebit.

37 *Dilatasti gressus meos subtus me: & non sunt infirmata vestigia mea.*

38 *Persequar inimicos meos & comprehendam illos: & non conuertar donec deficiant.*

39 *Confringam illos: nec poterunt stare, cadent subtus pedes meos.*

40 *Et præcinxisti me virtute ad bellum: & supplantasti insurgentes in me subtus me.*

41 *Et inimicos meos dedisti mihi dorsum: & odientes me disperdidisti.*

21 Quia custodiui vias Domini [4]: & non malignatus sum à Deo meo.

22 Quoniam omnia iudicia eius conspe-
sunt
ctui meo: & statuta eius nō amouebo à me.

23 Et fui perfectus cum eo: & custodiui me ab iniquitate mea.

24 Et reddidit Dominus [4] mihi secundum iustitiam meam: secundum munditiam manuum mearum coram oculis eius.

25 Cum gratioso gratiosum ages: cum viro perfecto perfectum ages.

26 Cum mundo mundum ages: & cum tortuoso tortuosum ages.

27 Quoniam tu populum humilem saluabis: & oculos excelsos humiliabis.

28 Quia tu illuminabis lucernam meam Domine [4]: Deus meus illustrabis obscuritatem meam.

29 Quoniam in te frangam exercitum: & in Deo meo transiliam murum.

30 Ipse Deus, perfecta via eius, eloquium Domini [4] purificatum: scutum ipse omnibus sperantibus in eo.

31 Quoniam quis Deus præter Dominum [4]? & quis fortis præter Deum nostrum?

32 Ipse Deus ipse accingens me fortitudine: & dedit perfectam viam meam.

33 Coæquans pedes meos sicut ceruarum: super excelsa mea stare faciet me.

34 Docens manus meas ad prælium †: † prælio.
inimicus
& contritus est, arcus æneus brachia mea.

35 Et dedisti mihi clypeum salutis tuæ: & dextera tua sustentabis me, &
secundùm te
mansuetudine tua multiplicabis me.

36 Dilatabis gressus meos subtus me: & non labentur tali mei.

37 Sequar inimicos meos & apprehen-
ad
dam eos: & non reuertar vsque consumere eos.

38 Feriam eos & non poterunt surgere; cadent sub pedibus meis.

39 Et accinxisti me fortitudine prælio: incuruabis insurgentes meos sub me.

40 Et inimicorum meorum dedisti mihi ceruicem: & odientes me concidam eos

41 Clama

42 *Clamauerunt nec erat qui saluos faceret: ad Dominum, nec exaudiuit eos.*	41 Clamabunt, & non [erit] saluans: super [clamabunt] Dominum [4], & non respondit eis.
43 *Et comminuam eos vt puluerem ante faciem venti: vt lutum platearum delebo eos.*	42 Conteram eos vt puluerem super facies venti: vt lutum platearum euacuabo eos.
44 *Eripies me de contradictionibus populi: constitues me in caput gentium.*	43 Liberabis me à litibus populi: pones me in caput † gentium, populus [quem] non noui, seruient mihi. † *capiti.*
45 *Populus quem non cognoui seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi.*	44 Ad auditum † auris congregabuntur [patris] mihi: filij alieni negabunt me. † *auditui.*
46 *Filij alieni mentiti sunt mihi: filij alieni inueterati sunt, & claudicauerunt à semitis suis.*	45 Filij alieni [patris] arescent: & [etiam] timebunt à clausuris suis.
47 *Viuit Dominus & benedictus Deus meus: & exaltetur Deus salutis meæ.*	46 Viuus [sit] Dominus [4], & benedictus [sit] fortis meus: & exaltabitur Deus salutis meæ.
48 *Deus qui das vindictas mihi & subdis populos sub me: liberator meus de inimicis meis iracundis.*	47 Ipse Deus, ipse dans vindictas mihi: & duxit populos mihi.
49 *Et ab insurgentibus in me exaltabis me: à viro iniquo eripies me.*	48 Liberans me ab inimicis meis: etiam [in futuro] ab insurgentibus meis exaltabis me, à viro iniquo liberabis me.
50 *Propterea confitebor tibi in nationibus Domine: & nomini tuo Psalmum dicam.*	49 Propterea confitebor te in gentibus Domine [4]: & nomini tuo can-[hoc scilicet]tabo.
51 *Magnificans salutes regis eius: & faciens misericordiam christo suo Dauid, & semini eius vsque in seculum.*	50 Magnificans [est] salutes regis sui [Dauidis]: & faciens misericordiam vncto suo [dando Messiam] Dauidi, & semini eius vsque æternum.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti, seruo Domini Dauidi, qui locutus est Domino verba cantici huius in die liberauit eum Dominus de vola omnium inimicorum eius, & de manu Saul.* Ex quo titulo apparet non solùm auctor, sed etiam materia Psalmi. Vbi aduerte quòd prima dictio (scilicet *vincenti*) licet exponatur hîc sicut in cæteris Psalmis, & sic appareat ex titulo quòd ipse Dauid vincentis officio in hoc Psalmo functus fuerit, (vnde & *seruus Domini* nuncupatur: vtpote eius seruitio vacans) verumtamen potest præsidens, seu modus musicæ seorsum significari per dictionem *vincenti*: & auctor ac materia Psalmi inchoari dicendo postea *seruo Domini*, &c.

Materia. Aduerte quoque quòd cùm non fuerit vna dies liberationis Dauidis de omnibus inimicis suis & de manu Saulis, aut hîc ponitur numerus singularis pro plurali (& est sensus: pro diebus liberationis eius, &c.) aut *dies liberationis* ab omnibus, appellatur tempus quo Dauid requiem sortitus est subactis omnibus inimicis suis. Et hic sensus quadrat textui: edidit siquidem Dauid tunc temporis hoc canticum ad gratias agendum

Deo generaliter pro salute sua ex omnibus inimicis, & specialiter Saule: quoniam illa fuit ex multis & maximis periculis.

Aduerte quoque quòd Paulus ad Roman. 15. affert ex hoc Psalmo salutem gentium ex diuina misericordia per Messiam, dicens: *Gentes autem super misericordia honorare Deum: sicut scriptum est: propterea confitebor tibi in gentibus Domine & nomini tuo cantabo:* quod est penultimus versus istius Psalmi. Quod ideo dixerim: vt intelligas materiam Psalmi sic esse laudem Dei super salute & victoriis Dauidis, vt tamen terminetur ad diuinam laudem futuram in gentibus propter Messiam promissum ex semine Dauidis. Rom. 15. 9.

SVMMARIVM EST.

Dauid promissis Deo, dilectione, spe, laude & inuocatione, relaturus euasionem ab inimicis, laudat Deum efficientem ex intentione opera naturalia quæ in elementis & cælis apparent, & liberantem se ab inimicis ac retribuentem sibi secundum

dùm mundiciam iustitiámque suam suauissimo regimine. Proinde ex diuina dispositione tam communi circa pauperes & sublimes quàm speciali circa ipsum Dauidem, laudat Deum donantem sibi tum perfectionē via, tum opportuna ad prælium ac victoriam & contra inimicos, & contra insurgentes; tum principatum super gentes. Et demum gratias agendo prophetat laudem Dei in gentibus, cantando promissum ex suo semine Messiam.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. ET DIXIT: DILIGAM TE DOMINE. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi: *circumdederunt me.* Circa hanc partem propositiuam aduerte in Hebræo textu inchoare Psalmum sic: *Et dixit, diligam te*, &c quamuis Hieronymus secutus LXX. inchoauerit Psalmum *diligam te.* Significat autem per hoc præteritum, *& dixit*, ea quæ hîc dicuntur dicta olim fuisse à Dauide: tempore scilicet quo persecutionibus subiacebat & præliis occupabatur. Ita quòd per hoc significantur affectus quos tempore persecutionum & præliorum habuit. Et hinc apparet ratio, quare ea quæ tempore quo condebatur Psalmus gesta iam erant, vt futura describuntur: hoc enim ideo fit, quia recitatiuè hîc referuntur, sicut olim cùm futura erant. Ad significandum enim quòd recensendo procedit hic Psalmus, inchoat: *& dixit*, supple olim.

Cur à coniunctione Et, incipit? At si miraris incongruum principium à coniunctione copulatiua, recole coniunctionem referri ad internam cogitationem: hoc est, non solùm cogitauit hæc olim Dauid, sed *& dixit.* Vel quia non simul hæc fuerunt dicta, sed diuersis temporibus diuersæ particulæ quoad sententias prout pericula occurrerunt, ideo inchoauit à coniunctione: vt intelligas, dixit & dixit, hoc est, pluries dixit. Proponit itaque se dixisse quatuor: scilicet diligam, sperabo, laudatum vocabo: quæ tamen duo vltima (vt apparebit) sunt explicatiua primæ particulæ: scilicet *& dixit.*

DILIGAM TE. Amor amicitiæ significatur ex termino, *te Domine. Fortitudo mea.* Laudat beneficia & simul excitat amorem suum erga Deum in hoc & sequentibus beneficiis. *Fortitudo mea*, ratio mihi sustinendi & fortiter pugnandi. *Dominus petra mea & arx mea*: hoc est, firma securitas mea, ratio tam firmitatis quàm securitatis meæ: arces enim securos reddunt, si tamen sint super petram. Et propterea propter firmitatem ponitur similitudo petræ, & propter securitatem similitudo arcis: vt intelligas Deum non solùm intùs fuisse rationem fortitudinis, sed extrà quasi rupem & arcem ædificatam super rupem. *Et Saluator meus.* Effectus tam fortitudinis quàm arcis & petræ est salus. Et sonat dictio Hebraica salutem euasionis: ita quòd si licuisset, interpretandum erat *Euasor meus. Deus meus*, per specialem gratiam qua dignatur à me coli. *Fortis meus.* Ambigua est interpretatio, an dicendum sit *fortis meus*, an iterum *petra mea.* Dicitur autem Deus non solùm *fortitudo mea* (hoc est, ratio fortitudinis meæ) sed etiam *fortis meus*, hoc est, pugnans pro me, vel etiam potens pro me. *Sperabo in eo.* Ecce secunda promissio, tribus comitata beneficiis. *Scutum meum*, defendendo: *& cornu salutis mea*, pugnando, *celsitudo mea*, locando me in excelso. *Laudatum vocabo Dominum.* Simul & semel explicatur ratio eius quod dictum est in principio *& dixit*, & proponuntur dicenda. Ratio siquidem quare Dauid dixit, *diligam te Domine*, &c. est laus Dei & inuocatio eius ordine quodam naturali: vt scilicet laudatus Deus inuocetur. Et propterea ait: *laudatum vocabo Dominum.* Et ecce fructus: *& ab inimicis meis saluus ero*: vt intelligas dixisse quòd laudatum Deum vocare non est vanum, sed fructuosum: quia inde ab inimicis meis saluus ero. Et per hæc omnia intellige, & ea quæ tractanda sunt in Psalmo & modum tractandi, & vtilitatem perceptam ab ipso Dauide.

Vers. 4. CIRCVMDEDERVNT ME. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *vocabo Dominum*, & ab inimicis meis saluus ero. *Pars Executiua.* Secundò illa, *laudatum*, ibi: *& commota est & contremuit terra.* Tertiò illa, *diligam te Domine*, ibi: *mittet de excelso.* Et sub hac tractantur simul illæ duæ particulæ, *petra mea & arx mea.* Quartò illa, *Deus meus*, ibi: *quoniam tu populum.* Et cum hac illæ particulæ, *fortis meus sperabo in eo.* Quintò illa, *fortitudo mea*, ibi: *docens manus meas*: & cum hac illa, *scutum meum.* Sextò illa, *Saluator meus*, ibi: *incuruabis insurgentes.* Septimò illa, *cornu salutis mea*, ibi: *pones me in caput.* Octauò illa, *celsitudo mea*, ibi: *viuus Dominus.*

Circa primum, explanando illam particulam, *vocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero*, commemorat rem gestam circa se, describens seipsum in periculo quo fuit quando Saul nisus est configere Dauidem in pariete, & Dauid in domo propria à satellitibus obsessus est vt manè interficeretur: vt dicitur 1. Regum 19. *Circumdederunt*, inquit, *me funes mortis.* Satellites Saulis ad custodiendum domum ne exiret Dauid ad hoc vt manè interficeretur, *funes mortis* appellantur. *Satellites Saulis dicuntur funes mortis.* *Et torrentes malignitatis terruerunt me.* Impetus Saulis maligni pluries impetentis lanceâ Dauidem, *torrentes malignitatis*, terrorem incutientes appellati sunt. *Funes foueæ*, hoc est, sepulchri, *circumdederunt me.* Iidem funes relati ad mortem, modò referuntur ad sepulchrum: ad denotandam certam definitionem mortis eius iam institutam à Saule. *Præuenerunt me offendicula mortis.* Quia enim ante lucem custodes missi sunt à Saule in quos impingeret Dauid si exisset domum, ideo præuenerunt inquit me offendicula mortis: satellites enim assimilati officio funium in custodiendo, modò officio offendiculorum in casu exeuntis describuntur. Quoniam sic euenit, ideo *in angustia mihi* (verè enim in angustia tunc constitutus erat) *vocabo Dominum & ad Deum meum clamabo*: hoc est, perseuerabo vocando & clamando ex intimo corde. Et ecce effectus certâ spe conceptus. *Audiet de templo suo*, hoc est, de seipso (iuxta illud Apocal. 21. *Dominus Deus omnipotens templum illius est*) vel de cælo, ideo templo quia domus Dei, *vocem meam*, qua ipsum vocabo: *& clamor meus faciebus eius*, non post tergum (hoc est dignus facie eius) *veniet in aures eius*, hoc est, exaudietur. *Apoc. 21. 22.*

Vers. 7. ET COMMOTA EST ET CONTREMVIT TERRA. Tractatur hîc illa particula, *laudatum*, longo tractatu laudando Deum in mirabilibus operibus naturalibus quæ videntur in vniuersis corporibus ex quibus integratur substantia vniuersi corporei, tali ordine, scilicet in terra, in igne, in cælo, in aëre, in aqua.

Vbi

Laudatur Deus in operibus naturalibus elementorum.

Vbi prænota quatuor. Primum quòd Psalmus iste laudans Deum pro beneficiis collatis Dauidi, inchoat à laude diuinæ prouidentiæ circa opera naturæ; vt ex prouidentia diuina circa naturalia, procedat ad prouidentiam diuinam circa humana, & specialiter circa ipsum Dauidem.

Secundum quòd non meminit omnium operum naturalium, sed eorum quæ circa cælum & elementa apparent tanquam ex necessitate materiæ prouenientia: puta de terræmotu, de tonitruis, de grandine, &c. Et hoc ideo vt laudata diuina prouidentia circa hæc, facillimè intelligas maximè laudandam circa cætera.

Tertium quòd explicando diuinam laudem circa hæc naturæ opera, apponit Propheta iuxta singula elementa metaphoras: secutus antiquorum morem, diuina sub metaphoris cantantium.

Quartum quòd quælibet metaphora sumitur ab aliqua rationali operatione, quæ attributa Deo monstret Deum esse auctorem operum naturæ, non per modum naturalis agentis, sed per modum agentis à proposito: quod est principale intentum Prophetæ. Quod tamen non intelligas sic quòd describatur Deus faciens hæc opera naturæ exclusis causis secundis (non enim hoc intendit Propheta) sed quòd mediantibus causis secundis naturaliter agentibus ipse agit ex intentione, à proposito, liberè.

Terræmotum describit, metaphoricè.

His prælibatis describit Propheta Deum causantem terræmotum sub metaphora Domini irati in seruum trementem ex ira Domini. Et propterea dicit: ***Et commota est & contremuit terra, & fundamenta montium trement & mota sunt: quoniam iratus est ei***, scilicet terræ. Veritas autem significata per hanc metaphoram, ex parte quidem Dei est quòd Deus est auctor terræmotus, & quòd est auctor terræmotus vt agens à proposito, potens disponere de terræmotu vt vult: propterea enim ponitur Deus iratus causa terræmotus: ira namque in Deo voluntas est, non passio. Ex parte autem terræ est subiectio totalis diuinæ voluntati tam extensiuè (& propterea fundamenta montium mota & conturbata describuntur) quàm intensiuè: pro quanto ex ira hoc est voluntate Dei, describitur & commotio & tremor tam terræ quàm fundamentorum montium: & ex hoc quòd terræmotus naturæ opus diuinæ voluntati subditur, consequens est vt natura ipsa opus hoc exequens, voluntati quoque diuinæ subiecta sit. Et cùm voluntas diuina agat propter finem, consequens quoque est quòd terræmotus ex parte Dei ordinatur ad finem, quamuis ex parte terræ sit ex necessitate materiæ. Et hæc eadem (ne pluries repetantur) intellige in sequentibus.

Aduerte hîc omnia describi in præterito, excepto tremore fundamentorum in futuro: ad denotandum tremorem fundamentorum esse vltimum consequens in terræmotu. Futurum enim *trement*, respicit præterita reliqua, ad significandam sequelam huius ad reliqua vt vltimi.

Quæ in igne fiunt describuntur.

Vers. 8. Ascendit fumus in furore eius. Describitur opus naturæ apparens in igne. Et consistit metaphora in similitudine hominis vehementer irati, in quo spiritus tanquam fumus descendunt ad partes superiores, & accensus spirat tanquam emittens ignem. Veritas autem significata per hanc metaphoram, ex parte Dei, est, quòd indignatio Dei (hoc est, voluntas eius) causat ignem. Ex parte verò ignis significatur subiectio duarum materiarum ad accensionem igneam: fumi scilicet & carbonis. Et appellatione fumi significatur materia subtilior in qua ignis accenditur. Vnde & describitur ascendens, quia est materia leuis: nam fumus ascendens (hoc est, exhalatio calida & sicca) inflammatur, & est ignis: vt patet in impressionibus igneis quas videmus in aëre: vt sunt cometæ, sydera volantia, & huiusmodi: hæc enim omnia fiunt ex fumo ascendente. Et ad denotandum ordinem generationis (quòd scilicet prior est ascensus fumi, id est, exhalationum, & inde sequitur generatio ignis) proponitur in litera, *ascendit fumus*, & postea subditur, *& ignis ex ore eius deuorabit*. Appellatione verò carbonum, grossior materia ignis significatur: vt contingit in conflagratione alicuius partis terræ. Ita quòd fumo ascendente significatur generatio & elementi ignis & ignearum impressionum in superioribus partibus: per carbones verò denotatur generatio ignis in partibus terræ. Vtraque est opus naturæ, & attribuitur diuinæ voluntati. Describitur autem deuoraturus ignis in partibus superioribus: quoniam inde prouenit maxima consumptio, cùm superiora (significata per *os eius*) ad ignem disponunt.

Quid significet hic fumus?

Quid carbones?

Laudat Deũ in cælis.

Vers. 9. Et inclinavit cælos. Post terram & ignem, cælum inducitur quoad duo, scilicet quoad alterationem inferiorum, & quoad motum localem ipsius cæli. Vbi nota metaphoram circa actionem in inferiora. Describitur siquidem Deus habitator cæli velut existens in excelso loco: puta lignea turre, ex qua absque gradibus descendere volens, inclinat turrim ligneam vt descendat: descendens autem ponit pedes super locum paululum à terra eleuatum: loco cuius ponitur hic caligo. Ita quòd describitur Deus velut homo existens in cælo, inclinans cælos ad hoc vt descendat, non vsque ad terram, sed ponendo pedes super caliginem ambientem terram. Veritas autem significata per hanc metaphoram ex parte Dei est, quòd Deus est auctor & ordinator virtutis cœlestis ad producendos effectus in istis inferioribus (nam *inclinare cælos*, nihil aliud est quàm ordinare cælos ad agendum in hæc inferiora: cùm sint naturæ longè excellentioris) & quòd ipsa virtus diuina per ea quæ facit mediantibus cœlestibus corporibus, descendit in hæc inferiora: & quòd tanquam agens à proposito hæc efficit: inclinare namque cælos vt descendat, operatio est agentis à proposito. Ex parte autem cælorum describitur subiectio corporis cœlestis respectu diuinæ voluntatis: vtpote obediens inclinationi ad descensum. Significatur quoque per caliginem suppedaneam, tum ipsam esse cæli effectum infimum, non simpliciter sed inter manifestè apparentes fieri ex necessitate materiæ: de his enim (vt prædictum est) Propheta loquitur. Tum ipsam subiectam esse diuinæ voluntati. Et propterea ait: *Inclinauit*, ad similitudinem inclinantis ordinauit *cælos*, ad inferiora, *& descendit*, per opera cælorum ad hæc inferiora; *& caligo*, sterilis nubes proxima terræ, *sub pedibus eius*, tanquam infimum cælorum opus inter manifesta inde fieri ex necessitate materiæ.

Vers. 10. Et ascendit super Cherub.

In motu cæli. Ecce metaphora circa motum localem cæli. Describitur Deus velut equitans super Angelum motorem primi mobilis tanquam habentem alas: (eo quòd in veteri Testamento Angeli figurabantur alati: vt patet Exod 36.)& sic velocissimè moueri, imò volare. Veritas autem significata per hanc metaphoram, ex parte quidem Dei est quòd Deus præsidet cælo & motori illius sicut equitator præsidet equo, ita quòd est causa & motus & velocitatis illius, & vtriusque vt agens à proposito: equitare enim actio est agentis à proposito. Ex parte autem cæli & motoris eius, est quòd Angelus motor etiam supremi cæli subiectus est diuinæ voluntati: & similiter motus cæli & velocitas eius summa(qualis est velocitas primi motus) quamuis ex necessitate naturæ determinatum sit cælum ad suam velocitatem, vt Philosophi tradunt. Propterea enim Propheta motum cæli & eius velocitatem inter necessaria ex parte naturæ computauit: intendens laudare Deum quòd etiam motus cæli & velocitatis eius est auctor voluntarius, dicendo: *Et equitauit super Cherub*, hoc est, præsedit à principio mundi motori primi mobilis ad similitudinem equitatis, *& volauit*, velocissimo motu motus est. Et vt intelligas modum volandi, adiunxit explicando: *& volauit super alas spiritus.*

Deus nō mouetur. Aduerte hîc duo. Primum quòd secundùm rei veritatem Deus nec per se, nec per accidens mouetur causando motum cæli, quamuis motor cæli apud Philosophos moueatur per accidens: hoc est, per suum mobile, vt dicitur 8. Physic. Quia tamen metaphora equitantis annexum habet motum per accidens equitantis, ideo Propheta reflexit motum ad Deum, describendo quòd equitans volauit. Et ne metaphoræ desit veritas significata, intellige non secundùm seipsum, sed secundùm equum suum: hoc est, cælum cum sua anima seu spiritu. Secundum quòd Dauid sumpsit hanc metaphoram volatus & alarum spiritus mouentis cælum, ex principio Genesis, vbi dicitur: *Et spiritus Domini commouens*, cubans seu volans *super aquas*: hoc est, vniuersam materiam corpoream. Ex eo enim quòd Moyses descripsit spiritum Angelicum mouentem cælum alatum, Dauid describit Deum equitantem Cherub volare: explicando quòd volat super alas spiritus, quem appellarat Cherub. *Genes.1.2.*

Vers. 11. Ponet obscvritatem latibvlvm svvm. Post terram, ignem & cælum, inducitur aër secundùm vicissitudines serenitatis & nubium. Et quantùm ad metaphoram describitur Deus velut homo nunc se locans in secreto tabernaculo, nunc verò apparens in splendore suo: ita quòd facit de nubibus quasi suum latibulum supra quod manet, & velut cribrans nubes pluit, &c. & postea velut volens apparere, pellit fulgore vultus sui nubes, fugat grandinem, &c. Nec putes à nobis confictam metaphoram de cribro: quoniam vt patet 2. Regum 22. ab ipso Propheta apposita hîc est. Vbi dicitur: *Posuit tenebras in circuitu suo latibulum, cribrans aquas de nubibus cælorum.* Veritas autem significata ex parte Dei, est quòd Deus causat & nubes & pluuiam & serenitatem ad libitum suum: sicut homo quando vult locat se in secreto seu tabernaculo, & quando vult apparet: nam *ponere nubes in latibulum suum*, & *cribrare*, actiones sunt rationalis potentiæ, non naturalis. Ex parte autem aëris, nubium, &c. est plena eorum subiectio diuino beneplacito. *Adducit ea quæ fiunt in aëre.* *2.Reg.22.12*

Circa hæc tamen aduerte tangi naturales causas cum naturalibus effectibus. Sol enim in quo maximè virtus diuina relucet, nubibus occultatur, quas ipse facit eleuando vapores. Et quia in huiusmodi eleuatis vaporibus pluuias causat & grandinem & carbones ignis, ideo hæc omnia in metaphora commemorantur. Et aquæ quidem quia guttatim cadunt velut per cribrum, videntur spargi, cùm tamen in veritate, continua nubes in continuā conuertatur aquam: quæ descendendo ob hoc quòd refringitur vndique ab aëre obuiante, discontinuatur & descendit sine angulis, velut si guttatim seu cribro effunderetur. Vincente autem virtute solari eleuatos vapores, transeunt nubes, grandines, &c. quia cessant. *Quomodo fiat pluuia?*

Ait ergo: *Ponet*, ad beneplacitum suum, *obscuritatem*, aërem obscurum, *latibulum suum*, hoc est, velut velum vltra quod lateat. Et prosequens metaphoram: *circuitus suos tabernaculum suum*: hoc est, quocunque circuit ponet tabernaculum suum: hoc est, ad similitudinem tentorij seu vmbraculi in quo lateat. Et dixit pluraliter *circuitus suos*: quia pluuia modò in vno loco, modò in alio fit, & vbicunque fit, nubes apparent velut in circuitu. Et explanans materiam latibuli seu tentorij subdit: *obscuritatem aquarum*, de nubibus defluentium, appositiuè *nubes cælorum*. *A splendore*, manente semper, *coram eo*, supra locum generationis nubium, *nubes eius transierunt*, cessauerunt: & similiter grando & carbones ignis. Vbi non mireris quòd Propheta prius describit cessationem grandinis & carbonum ignis quàm describat generationem eorum, quam in sequenti versiculo describet: fecit enim hoc quia simul cessant cum pluuia.

Vers. 13. Et intonvit in cælis Dominvs. Prosequitur ea quæ fiunt in aëre. Et consistit metaphora in hoc quòd Deus velut Dominus puniturus, sonum emittit & vocem & minas & sagittas: ita quòd tonitruum est sonus; grando autem & ignis, vox; fulgura, minæ; fulmina autem sagittæ. Veritas significata ex parte quidem Dei est, quòd Deus est auctor tonitrui, ignis, &c & vtitur istis vt Dominus suis tubis, suâ voce, suis sagittis, &c. Ex parte autem rerum harum, est illarum subiectio nutui diuino. *Varia meteora.*

Aduerte quòd licet *carbones ignis*, rari appareant de nubibus descendentes, remotum tamen non est, quin sicut grando, ita & carbo in nubibus generetur: nam sicut vapor humidus congregatus & compactus, per antiperistasin fit grando, ita vapor siccus & calidus constrictus cum grosso, per antiperistasin fit carbo. Vnde Exod. cap. 9. dicitur quòd *grando & ignis mixta pariter ferebantur.* *Exod.9.24.*

Nota secundò fieri mentionem de effectibus tonitruorum & fulminum in hominibus: vt hinc magis elucescat Deum vti istis vt instrumentis suis. Vnde ait: *Et intonuit in cælis Dominus*, causando tonitrua, *& excelsus dabit vocem suam*, appositiuè *grandinem & carbones ignis. Et misit sagittas suas*, fulmina, *& dispersit eos*: disperguntur enim homines tempore fulminum: *fulgura*, coruscationes, *iecit*, seu multiplicauit, *& attonuit illos*, vt quotidie videmus.

Vers.

Verſ. 15. Et apparuerunt. Vltimo loco inducitur aqua Et metaphoricè deſcribitur Deus velut iratus, flatu & increpatoriis verbis efficiens vt appareant fundamenta orbis, & profunda ſeu effuſiones aquarum. Vbi non clarè patet quis effectus naturalis hic deſcribatur. Ambiguum quippe eſt an deſcribatur eruptio aquarum, an deſiccatio earundem: & textus ipſe ambiguus videtur. Et ſi quidem deſcribatur noua aquarum eruptio, tangitur apparitio nouæ aquæ ex euerſione alicuius partis terræ, quæ ex interno vento cauſatur. Videmus enim quòd euerſâ quádoque aliquâ rupe ex vi interiorum vaporum quærentium exitum, noui fontes ſeu nouus lacus apparet. Et tunc verificatur quòd apparuerunt effuſiones aquarum, & reuelantur inferiores partes terræ quæ occultabantur à ſuperioribus: & hoc à flatu venti interni.

Aquarum effuſiones.

Si autem deſcribitur exſiccatio aquarum, tangitur exſiccatio lacuum ſeu fluminum: & adiungitur ventus pro cauſa exſiccatiua, more ſcripturæ, Geneſ. 8. affertur pro cauſa exſiccationis aquarum diluuij ventus, dum dicitur: *Adduxit Dominus ſpiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ*, &c. Et Exod. 14. inducitur ventus in exſiccatione maris rubri, dum dicitur: *Cúmque extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in ſiccum.* Et iuxta hoc verificatur quòd à flatu venti exterioris *apparuerunt profunditates aquarum*: pro quanto exſiccatis aquis apparuerunt loca earum profunda: *& ſic reuelata*, diſcooperta, *ſunt fundamenta orbis*: hoc eſt, inferiores partes terræ. Hic ſenſus magis quadrare videtur verbis Hebraicis, ſonantibus apparentiam profunditatum ſeu locorum in quibus ſunt aquæ. Quocunque autem modo intelligatur, veritas ſignificata ex parte Dei eſt, quòd ipſe eſt auctor horum vt agens à propoſito: *increpare* enim actio eſt agentis à propoſito. Ex parte autem aquarum obedientia earum imperio diuino. Ait ergo: *Et apparuerunt*, viſæ ſunt *profunditates aquarum*: & ſimiliter *reuelata*, diſcooperta, *ſunt fundamenta orbis*, terræ habitabilis: *ab increpatione tua*, à verbis increpatoriis, hoc eſt, ab imperio ad ſimilitudinem increpationis, *Domine*. Et explanando medium, ſubdit: *à flatu ſpiritus*, venti, *furoris tui*.

Ventus exſiccans.

Geneſ. 8. 1.

Exod. 14. 21.

Verſ. 16. Mittet de excelso. Tractatur hîc illa particula, *Diligam te Domine*. Vbi aduerte ad clarè intelligendum ordinem Pſalmi, quòd poſtquam Propheta laudauit Deum vt auctorem & gubernatorem ordinis naturæ in primis corporibus, modò intendit laudare Deum vt auctorem & gubernatorem ordinis gratiæ, inchoando à primis radicibus ordinis gratiæ. Quarum altera quæ præcipua eſt, ſe tenet ex parte Dei: & eſt ipſius velle: Altera ex parte noſtri: & eſt noſtrum meritum. Tractat autem vtramque radicem, applicando ad ipſum Dauidem: ita quòd tractatur hîc illa particula *diligam te Domine*, primò ex parte dilectionis diuinæ præuenientis: & deinde ex parte dilectionis propriæ in propriis meritis demonſtratæ, ibi *retribuet mihi Dominus*.

Laudat modò Deum vt auctorē gratiæ.

Tractans itaque dilectionem Dei erga ſe, applicat ipſam ad rem geſtam in Naioth. 1. Regum 19. quando Dauid poſt ſuperiùs narratam euaſionem ex circumdata domo propria à ſatellitibus, fugiens venit ad Samuelem, & morati ſunt Samuel & ipſe in Naioth: quò cùm miſiſſet Saul lictores tertiò ad rapiendum Dauidem, tandem quartò ipſe Saul venit illuc, & prophetauit cum cæteris tota die illa & nocte: & ſic euaſit Dauid. In hac ſaluatione declaratur (vt diſtinguendo dictum eſt) vtraque illa particula, *Domine petra mea & arx mea*: quandoquidem locus ille fuit Dauidi velut arx fundata ſuper petram: in qua confuſi ſunt Saul & omnes lictores eius. Fuitque ſalus iſta manifeſtè de excelſo diuino brachio: quod reddidit Saulem & lictores cantantes velut extra ſe poſitos.

Dauid ſaluatur in Naioth à Saule.

Et propterea in tali loco conſtitutus dicit fiducialiter: *Mittet* Deus *de excelſo*, de ſeipſo, *& accipiet me*, fugientem, *& extrahet me de aquis multis*, lictoribus multis. *Liberabit me ab inimico meo forti*, Saule, *& ab odientibus me*, complicibus eius: *quoniam roborati ſunt plus me*. Minus dicit & plus ſignificat: nulla enim eſt comparatio inter robur Saulis regis cum ſuis, & Dauidem ac Samuelem & pauculos qui cum eis erant. *Præuenerunt me in die interitus mei*: antequam enim inde fugeret, præuentus eſt à lictoribus ad hoc vt interficeretur: *& fuit Dominus*, modo dicto, *ad ſuſtentaculum mihi*, ne inciderem in manus eorum. *Et eduxit me in latitudinem*, in locum liberum: *eruet me quia complacuit in me*: hoc eſt, quia complacuit ei locare dona ſua in me. Et hæc eſt prima ratio omnium bonorum ipſius, ſicut & cæterorum electorum.

Vbi aduerte quòd futurum *mittet*, cum reliquis futuri temporis (*extrahet*, *liberabit*, &c.) deſcribunt ſpem Dauidis in illo periculo conſtituti: ſunt enim futura reſpectu illius periculi, non reſpectu temporis quo conditus eſt Pſalmus. Et hanc regulam oportet ſæpiſſime recolere: vt ſcilicet futura multa referantur ad tempus rei geſtæ, & non ad tempus Pſalmi. In Hebræo quoque habetur *latitudini* in datiuo: ſed conſtructio mutauit adiunctâ præpoſitione *in*.

Verba futuri temporis ſæpe referūtur ad tēpus rei geſtæ, non ad tēpus Pſalmi.

Verſ. 20. Retribuet mihi Dominus. Tractatâ dilectione ex parte Dei tractatur dilectio ex parte noſtri. Et quoniam dilectio Dei in obſeruatione mandatorum ipſius conſiſtit (iuxta illud: *Si quis diligit me ſermonem meum ſeruabit*) ideo dilectio Dauidis erga Deum, deſcribitur ab vtraque iuſtitiæ parte, ſcilicet declinare à malo, & facere bonum. Et hoc etiam non qualitercunque, ſed ſic quòd grata ſint Deo: vtpote digna diuina retributione. Vnde hinc inchoans, *retribuet*, inquit, *mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam*, quam miniſtraui: *ſecundum munditiam manus meæ* à muneribus, *reddet mihi*. *Quia cuſtodiui vias Domini*, curam habui viarum Domini in communi curſu vitæ meæ: *& non malignatus ſum, à Deo meo*, declinando: ſignificanter dicit *non malignatus ſum*, non ex malitia declinaui, *à Deo meo*: quia ex paſſione ac infirmitate peccaſſe ſe ſciebat. *Quoniam omnia iudicia eius*, Dei, *conſpectui meo*, ſupple adſunt: *& ſtatuta eius non amouebo à me*, ab affectu meo. Non dicit in præterito *non amoui*, quia falſum dixiſſet: ſed dixit in futuro *non amouebo*, propter animum firmum non tranſgrediendi diuina præcepta de cætero.

Ioan. 14. 23.

Nota in his tribus verſiculis ordinem. Primò narrauit futuram retributionem iuſtitiæ & munditiæ: deinde rationem vtriuſque ab obſeruatione diuinarum viarum: & ipſius obſeruationis reddi

reddidit rationem habere iudicia & statuta Dei coram se in intellectu & affectu perseuerante: hoc enim significat futurum *non amouebo*.

Post hæc subiungitur qualitas seu modus iustitiæ & munditiæ eius: ne intelligeres quòd se fateretur iustum & mundum tanquam innocentem. *Et fui perfectus cum eo, & custodiui me ab iniquitate mea.* Vocat se perfectum cum Deo fuisse: pro quanto nunquam peccauit directè contra Deum, sed semper in iis quæ ad Deum spectant integer perseuerauit. Subiungit autem se custodisse ab iniquitate sua, sciens se iniquitatem multiplicem commisisse: commiserat enim homicidium & adulterium inter tempora præliorum, &c. sed quoniam pœnituerat, & curam habuerat ne recidiuaret, ideo dicit vtrumque, *custodi me*, quod pertinet ad curam à recidiuo, *ab iniquitate mea*, in quo significat se incurrisse iniquitatem: alioquin non diceret *mea*. Ne autem putes futuram retributionem ex sola spe affirmari, subiungit expertam retributionem. *Et reddidit Dominus mihi*, præmiando me regno, *secundum iustitiam meam*, intus in anima: *& secundum munditiam manuum mearum*: operum exteriorum, *coram oculis eius*, ipso Deo teste. Vtriusque autem retributionis (speratæ scilicet & expertæ) vna communis ratio subiungitur, scilicet suauitas diuini regiminis, subiungendo:

David nunquã peccauit contra Deũ.

Cum gratioso gratiosum ages. Aduerte hîc textum Hebraicũ in his quatuor sonare quòd Deus exhibet se talem homini qualis est homo: hoc est quòd Deus homini probo exhibet se illi similem, scilicet exercendo officium viri probi: & homini stulto & peruerso in studiis suis exhibet se similem, exercendo officium viri peruersi qui nigrum in candida vertit; & sic de similibus. Et æstimatur impossibile transferre de verbo ad verbum: & propterea interpretes tam variè ad idem tendunt. Visúmque est nobis, propinquam interpretationem esse reperendo idem nomen cum verbo *ages*: quoniam propriè significat exercere illius nominis officium. Sententia clara est quòd diuinum regimen est suaue, proportionaliter gubernans vnumquemque vt cuiusque poscunt merita. Nec mireris quòd Propheta Deo dicat, *cum tortuoso tortuosum ages*: quoniam tam hoc quàm cætera tria similitudine proportionali attribuuntur Deo in exteriori opere gubernationis: in quo Deus ad similitudinem gratiosi, ad similitudinem perfecti ac mundi, & similiter ad similitudinem tortuosi quandoque gubernat: prout nostra exigunt merita. Vnde & Hieremias 22. cap. simili metaphorâ vsus, dixit: *seduxisti me Domine & seductus sum.* Et intendit per hæc Dauid rationem reddere tum retributionis diuinæ erga se, tum reprobationis regis Saulis: qui bona Dauidis officia peruertebat in ambitionem regni contra suam stirpem.

Deus se talẽ exhibet homini, qualis est homo.

Vers. 27. QVONIAM TV POPVLVM. Incipit tractare illam particulam *Deus meus*, simul cum illa *fortis meus*, & illa *sperabo in eo.* Vbi aduerte quòd ab hoc loco Propheta incipit descendere ad particularia beneficia quibus Deus prosecutus est eum (illuminando, saluando, protegendo, roborando) tum in fuga à Saule, tum in variis præliis: vt in singulis declarabitur.

De particularibus beneficijs à Deo acceptis gratias agit.

Et propterea præmittit tres causas vniuersales beneficiorum suorum. Prima est ex disparitate diuinæ gubernationis respectu superborum & humilium. *Quoniam tu populum humilem* (spiritu) *saluabis*, hoc est, populum meum pauperem in spiritu suo saluabis: *& oculos excelsos*, superbos, Saulis, Absalom, & aliorum gentilium, *humiliabis.* Hæc est prima causa.

Secunda: *Quoniam tu humiliabis lucernam meam Domine*, hoc est, ad similitudinem accensæ à te lucernæ facies me regem (lucernâ enim significari regnum ipsius Dauidis patet 3. Regum 11. dicente Ahia Propheta: *vt remaneat lucerna Dauid seruo meo cunctis diebus coram me in Hierusalem*) *Deus meus illustrabis obscuritatem meam*, illustrabis dignitate regia obscuritatem meam, & in qua natus sum, & in qua versatus sum, & in quam deiectus sum ex persecutione Saulis.

Lucerna regni symbolũ.

3. Reg. 11. 36

Tertia causa est: *Quoniam in te frangam exercitum, & in Deo meo transiliam murum*: hoc est, te Deo efficiente & vincam exercitus in campo, & vincam ciuitates muratas: hoc enim significat transilire murum.

Narratis tribus causis vniuersalibus propriorum beneficiorum, adiungit tres conditiones generales diuinarum actionum ad iustificandum tres supradictas actiones: ne, scilicet putares Deũ quasi acceptatorem personarum effecturum supradicta Dauidi. Prima conditio: *Ipse Deus*, supple talis est, quòd *perfecta*, integra, absque omni defectu, est *via eius*, gubernatio eius. Secunda est, *eloquium Domini purificatum*, velut argentum igne probatum nihil habens immundi. Tertia est, *scutum ipse* Deus supple est *omnibus sperantibus in eo*: ex eo siquidem quòd eloquium Dei tam purum est, & gubernatio tam integra, & defensio confertur omnibus (nullo excepto) sperantibus in eo, manifestè intelligitur irreprehensibilia esse quæ præmissa sunt in tribus causis. Et quidem quòd hæ sint conditiones propriæ diuinarum actionum, probat Propheta subiungendo: *Quoniam quis Deus præter Dominum*: quasi dicat, nullus: *& quis fortis præter Deum nostrum?* nullus. Ex hoc enim quòd Dominus est solus Deus & solus fortis (hoc est simpliciter & absolutè potens) sequitur & quòd defendere omnes sperantes in eo, & eloquium omnino purum, & perfecta gubernatio solius Dei est.

Vers. 32. IPSE DEVS IPSE ACCINGENS ME FORTITVDINE. Descendit tandem ad spiritualia beneficia ex supra definitis causis. Et ante omnia consequenter ad prius narrata specialia beneficia vsque ad euasionem ex Naioth, ponit beneficium viæ: hoc est quòd Deus Dauidem custodiuit in via, fugientem atque vagum: nec solum custodiuit sed roborauit: dedit siquidem ei sexcentos viros, &c. Et propterea hîc inchoans ait: *Ipse Deus ipse accingens me fortitudine*, virorum: & ad literam accinxit eum gladio Goliath in Nobe: *& dedit perfectam viam meam*, ad perfectionem duxit, integram. *Coæquans pedes meos sicut ceruarum*, in fugiendo ad loca abdita & tuta: *& super excelsa mea stare faciet me.* Excelsa sua appellat celsitudinẽ regni sibi promissam: intendens quòd Deus curam habuit totius viæ suæ, vt tandem faciat stare ipsum super excelsa sua, hoc est, ei decreta.

Vers. 34. DOCENS MANVS MEAS. Tractatur hîc illa particula, *fortitudo mea*, simul cum illa, *scutum meum*: explicando felicia gesta Dauidis in præliis, pugnando & expugnando semper cum salute propria. *Docens*, Deus, *manus meas ad prælium.* Licet in Hebræo habeatur *prælio* datiui casus, constructio mutauit additâ propositione *ad*.

Felicitas Dauidis in bello.

Et

Et contritus est, supple, inimicus me præliante: *arcus æneus brachia mea:* hoc est, brachia mea fuerunt fortia & potentia sicut arcus æneus. Vbi habes & manuum & brachiorum donum. *Et dedisti mihi clypeum salutis tuæ*, hoc est, fuisti in omnibus velut clypeus salutis: *& dexterâ tuâ sustinebis me:* in omnibus. Hæc descripta sunt velut arma ex parte corporis. Ex parte autem animi subditur: *Et mansuetudine tua*, hoc est, dono virtutis mansuetudinis secundùm te mihi concesso, *multiplicabis me*, augendo milites, exercitum, regnum: virtus enim mansuetudinis quæ enituit in Dauide, euexit ipsum: teste ipsomet Saule bis vitâ donato à Dauide dum persequeretur eum. Et quia mansuetudo Dauidis fuit intuitu Dei & non laudata ab hominibus eius, ideo dixit, *mansuetudo tua*. Nec solùm in Saule sed in Semei apparuit etiam intuitu Dei mansuetudo Dauidis, cùm fugeret à facie Absalom. Et ecce multiplicatio: *Dilatabis gressus meos subtus me*, ampliato exercitu dilatantur gressus principis sub eo: *& non labentur tali mei*, pedes mei; hoc est, pugnando non ad modum labentium cadam. Sed *sequar inimicos meos & apprehendam eos, & non reuertar vsque consumere eos,* id est, vsquequo consumam eos. *Feriam eos & non poterunt surgere: cadent sub pedibus meis. Et accinxisti me fortitudine prælio.* Hæc clausula in fine scribitur, quæ tamen in principio secundùm ordinem sententiarum est locanda: quoniam hinc factum est vt persecutus sit inimicos & comprehenderit, &c. Describuntur autem per hæc summariè vniuersalia prælia Dauidis quæ 2. Reg. 8. scribuntur.

Mansuetudo euexit Dauidem.

Vers. 39. Incurvabis insurgentes meos sub me. Tractatur hîc illa particula, *saluator meus:* describendo salutem suam ab insurgentibus contra se cum Absalom. Apparet autem de illa rebellione hîc tractari: tum ex eo quòd dicit de hostibus, quòd clamabunt ad Dominum & non respondit eis: ex hoc enim apparet quòd erant cultores Dei isti hostes: tum ex eo quòd in calce huius particulæ subdit liberationem suam à litibus populi. *Incuruabis*, inquit, *insurgentes meos*, rebellantes contra me, Absalonem & Siba, *sub me. Et inimicorum meorum*, sequacium eorum, *dedisti mihi ceruicem*, subiugasti eos mihi ad similitudinem supponentium ceruicem: *& odientes me concidam eos.* Multi enim fuerunt occisi in illis rebellionibus. *Clamabunt*, tanquam fouentes ius, *& non saluans*, supple, apparuit. Et explicans ad quem clamabunt subiungit: *super Dominum*, tanquam agentes vindictas Domini contra me adulterum & homicidam, *& non respondit eis*, non satisfecit desiderio eorum. Sed *conteram eos vt puluerem super facies venti: & vt lutum platearum euacuabo eos*, tanquam inutiles. Quod adimpletum constat in prostratione tam Absalon quam Sibæ. Vnde & concludendo, subdit: *Liberabis me à litibus populi*, mei: exclusis enim his duabus rebellionibus liberatus est à rebellionibus populi.

Vers. 43. Pones me. Tractatur hîc illa particula, *cornu salutis meæ:* tangendo victorias eius quas habuit contra Syros & Idumæos, quos sibi subiecit: posuit enim præsidium in Damasco & in Idumæa: vt dicitur 2. Reg. 8. *Pones me in caput gentium*, multarum quæ in dicto capitulo narrantur: *Populus*, quem, *non noui*, hoc est, populus extraneus, *seruient mihi:* constructio de significato: multi enim appellatione *populi* includuntur. *Ad auditum auris*, ad præceptum meum quod audient, *congregabunt mihi*, ad seruitium meum: vtpote subditi. *Filij alieni.* Assignatur hîc causa occasionalis ex qua Dauid constitutus est à Deo caput gentium extranearum: origo enim totius belli cuius iure Dauid assecutus est dominium gentium, fuit iniuria quam fecerunt Ammonitæ legatis Dauidis missis ad consolandum regem super morte patris. Huiusmodi enim iniuria adiunctâ conductione Syrorum de qua, 2. Regum 10. appellatur *negatio Dauidis* (quia verè negauerunt fidelitatem mutuam, & ipsum amicum & officiosum) seu mendacium: quia verè mentiti sunt, & violata fide, & imposito crimine explorationis: vt patet ibidem. Meritò autem vocantur filij alienigenæ: quia non erant ex filiis Israël: immò nec ex fratribus, vt Idumæi: sed nec ab Abraham descenderant, sed à Loth. Sciendum est enim quòd *alieni* est casus genitiui singularis numeri. Et propterea litera est. *Filij alieni*, id est, alienigenæ (appellat Ammon alienum) *negabunt mihi*, fidem, beneuolentiam. Et rursus repetit: *Filij alieni arescent*, & verè aruerunt: quandoquidem contriti sunt à Danide. Vnde & meritò subditur: *& timebunt à clausuris suis:* quia nec in clausuris suis erant tuti: cepit enim Dauid etiam regiam vrbem.

Victoria Dauidis contra Syros & Idumæos.

Vers. 46. Vivus Dominus. Tractatur hîc illa particula (*celsitudo mea.* Primò gratias agit colligendo omnia beneficia ad similitudinem perorantis. *Viuus Dominus*, viuat Dominus more militari, *& benedictus fortis meus*, pugnans pro me: *& exaltabitur*, non in seipso sed in operibus suis & humanis, *Deus salutis meæ*, auctor, *Ipse Deus*, supple est, *ipse dans vindictas mihi*, multiplices de hostibus: *& duxit populos*, multos valde, *mihi*, id est, sub me. *Liberans me*, incolumem, *ab inimicis meis*, tot & tantis. Deinde prophetando adiungit futuras liberationes seminis sui ab insurgentibus & iniquis: promissum enim fuerat Dauidi hoc à Deo. Et ideò adiungit: *etiam ab insurgentibus*, non solùm liberasti, sed etiam *liberabis me:* & ab insurgentibus, velut ab internis hostibus, & *à viro iniquo*, quocunque hoste machinante, *liberabis & exaltabis me. Propterea*: quia me in meo semine liberabis & exaltabis, *confitebor*, confessione laudis & fidei, *te in gentibus* (quæ modò non colunt Deum) *Domine: & nomini tuo cantabo.* Et denotat illatiua coniunctio *propterea*, exaltationem Dauidis ordinatam diuinitus ad hoc vt ex ipsius regio semine nasceretur Messias, Saluator non solùm Iudæorum sed gentium. Ac si dixisset: propter hanc meam celsitudinem confitebor & cantabo, &c. Quid autem cantaturus est subiungit: *Magnificans salutes regis sui: & faciens misericordiã vncto suo Dauidi, & semini eius vsque æternum.* Tria continet hoc canticum. Primò quòd Deus est *magnificans salutes regis sui*, ipsius Dauidis regis ab eo constituti. Secundum est: & *faciens misericordiam vncto suo Dauidi*, per Samuelem. Et hæc misericordia tertio loco extenditur ad semen Dauidis, apponendo *vsque æternum:* vt intelligas quòd de misericordia æterna præstanda Dauidi & semini eius loquitur: quam constat non nisi per Messiam adimpleri. Amen.

Perorat colligendo omnia beneficia.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori Psalmus Dauid.*

XVIII.

2 *CAELI enarrant gloram Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum.*

3 *Dies diei eructat verbum: & nox nocti indicat scientiam.*

4 *Non sunt loquelæ neque sermones: quorum non audiantur voces eorum.*

5 *In omnem terram exiuit sonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorum.*

6 *In sole posuit tabernaculum suum: & ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo.*

7 *Exultauit vt gigas ad currendam viam: à summo cælo egressio eius.*
Et occursus eius vsque ad summum eius: nec est qui se abscondat à calore eius.

8 *Lex Domini immaculata conuertens animas: testimonium Domini fidele, sapientiam præstans paruulis.*

9 *Iustitiæ Domini rectæ lætificantes corda: præceptum Domini lucidum illuminans oculos.*

10 *Timor Domini sanctus permanet in seculum seculi: iudicia Domini vera iustificata in semetipsa.*

11 *Desiderabilia super aurum & lapidem pretiosum multum: & dulciora super mel & fauum.*

12 *Etenim seruus tuus custodit ea: in custodiendis illis retributio multa.*

13 *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo.*

14 *Si mei non fuerint dominati: tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.*

15 *Et erunt vt complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.*
Domine adiutor meus: & redẽptor meus.

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti Psalmus Dauidi.

XIX.

sunt
1 *Propheta.* COELI enarrantes honorem Dei: & opus
est
manuum eius annuncians extensio.

2 Dies diei eructabit dictum: & nox nocti annunciabit scientiam.

est sunt
3 Non dictum & non verba, sine
cælorum
intellecta voce eorum.

4 In omnem terram exiuit filum eo-
cælorum
rum, & in finem orbis verba eorum: soli posuit tabernaculũ in eis.

5 Et ipse quasi sponsus egrediens de
sol
thalamo suo: gaudebit vt fortis ad currendam viam.

6 A fine cœlorum egressus eius, & circuitus eius super fines eorum: &
est aliquis
non absconditus à calore eius.

7 Doctrina Domini + perfecta, restituens animam: testimonium Domini + fidele, sapientificans simplicem.

8 Præcepta Domini + recta; lætificantia cordis: mandatum Domini + clarum, illuminans oculos.

9 Timor Domini + mundus, manens æterno: iudicia Domini + veritas, iustificata simul.

10 Ipsa desiderabilia super aurum & super obrizum multum: & dulcia super mel & dulcedinem fauorũ.
est
11 Etiam seruus tuus solicitatus in eis:
est
in custodiendo ea merces multa.

12 Errores quis intelliget? ab occultis munda me.

13 Etiam à superbis prohibe seruum
si
tuum: non dominabuntur in me, tunc perficiar, & emundabor à rebellione magna.

Et grata tuæ
14 Erunt voluntati dicta oris mei, & cogitatio cordis mei faciebũs tuis: Domine + petra mea & redemptor meus.

COMMEN

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti Psalmus Dauidi*, qui patet ex superiùs dictis.

Materia. Ex notitia naturali eleuatur ad notitiam legis diuinæ. Materia Psalmi est comparatio notitiæ diuinorum quam habemus ex cœlis ad notitiam diuinorum ex lege diuina. Nec oportet laborare ad manifestandum hanc esse materiam Psalmi: quia clarè patet in sex primis versiculis tractari notitiam quam ex corporibus habemus cœlestibus: à septimo autem versiculo & deinceps tractari claritatem, &c. legis Domini. Ex his enim faciliè colligitur materiam Psalmi ad literam esse excellentiam diuinæ legis respectu notitiæ naturalis diuinorum, quam præcipue ex cœlis habemus. Nec obstat quòd Paulus Apostolus ad Rom. 10. vtitur quarto versiculo (scilicet *in omnem terram*, &c.) ad asserendum prædicationem Apostolorum auditam vbique terrarum: quoniam constat Apostolos vti quandoque Scripturâ in sensu mystico: vt patet Ioan 19. *Os non comminuetis ex eo.* Quando enim clarè constat *Ioan. 19. 36.* altera historia sensus literalis, indubiè affirmandum est Apostolos mystico sensu vti. Sic autem est in proposito: quoniam constat ea quæ hîc dicuntur de cœlis, verificari de ipsis corporibus cœlestibus: quemadmodum præceptum de non frangendo os, scriptum Exod. 12. constat verificari de agno qui immolabatur.

SVMMARIVM EST.

COEli enarrantes tum gloriam, tum opus Dei, pariunt notitiam successiuè, vniuersalem & imperfectam: lex autem Domini non solum perfecta, restituens animam, illuminans sapereque faciens, & obseruatio eius dulcis ac cum mercede est, sed etiam lege ipsâ non plene seruatâ, petitio veniæ ac custodiæ diuinæ vtilis est ad reddendum hominem Deo placentem.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. COELI ENARRANTES HONOREM DEI. Circa diuisionem Psalmi aduerte quòd quia Psalmus iste comparatiuus est notitiæ naturalis ad notitiam legis diuinæ, Propheta inchoauit comparationem à prima parte comparationis, declarando conditiones eius: & distulit proponere secundam partem vsque ad principium declarationis illius. Et propterea non diuiditur *Non est hic pars propositiua & executiua.* Psalmus iste in partem propositiuam & executiuam vt alij: sed inchoatio comparationis habet vim proponendi vtramque comparationis partem. Simile quid inuenitur in Psalmo 148.

Intendens itaque Propheta declarare conditiones naturalis notitiæ de diuinis quam præcipuè ex cœlestibus venamur corporibus (quoniam in eis maximè apparent diuina opera & conditiones diuinæ: hoc est, incorruptibilitas vniuersalisque causalitas) tali procedit ordine.

Ordo seruatus in hoc Psalmo. Primò proponit cœlestia corpora narrare duo; scilicet, honorem Dei & opus manuum diuinarum. *Cœli*, indistinctè, *enarrantes*, supple sunt, *honorem Dei*, id quod spectat ad Dei honorem: *& opus manuum eius annuncians*, supple est, *extensio*, hoc est, vniuersitas cœlorum astratorum ratione Solis, Lunæ & stellarum: maximè enim opus diuinum manifestatur motibus & conditionibus astrorum. Ita quòd manifestare honorẽ Dei, commune ponitur omnibus corporibus cœlestibus: manifestare autem opera, appropriatur cœlis ratione astrorum. Quadratque hoc traditioni Philosophorum, omnem motum cœli ratione alicuius astri ponentium. Aduerte hîc quòd Dauid ex principio Genesis assumpsit hæc nomina & illorum doctrinam, scilicet *celi*, & *extensio*. Legitur enim ibi: *In principio creauit Deus cœlos*: & postea in die secundo, *fit extensio in medio aquarum*: vbi communiter legitur *firmamentum*. Et quia constat ibi appellari Extensionem vniuersitatem orbium habentium astra (scilicet stellas fixas & planetas) ideò hîc *extensionis* nomine intelligitur vniuersitas astratorum orbium. Quare autem ab extensionis actu Moyses hæc nominauit, duplex redditur ratio. Prima ex similitudine extensionis vt extenduntur cortinæ, sumitur: tanquam cæli creati fuerint inuoluti, & secundo die extensi. Argumentum habet hæc expositio ex Psalmo 104. vbi dicitur, *Extendens cælum velut cortinam.* Ratio secunda ex similitudine extensionis qua extenditur argentum, seu ferrum, aut æs in amplas laminas, sumitur: tanquam cæli creati fuerint absolutè, & secundo die fuerint extensi ad terminos ac figuras quas habent. Et hic sensus consonat magis textui Genesis: quoniam *extensio* ista ibi describitur diuisiua aquarum ab aquis: constat autem quòd cœli astrati, ex concauo & cõuexo (qui sunt termini figuræ cælestis) diuidũt aquas, hoc est, cælum aqueum, ab aquis elementaris materiæ. Et tanto magis consonat, quanto officium diuidendi aquas ab aquis, minus bene assimilatur cortinæ, sed aptè extẽsioni rei solidæ: in Psalmo autem illo assimilatur cortinæ cælum non vt secundæ est dici opus, sed vt continet in se opus quartæ diei, scilicet, astra: est enim cælum sic velut cortina ornamenti, ex tot astris. Et sic intelligo etiã in hoc loco Dauidem introducere extensionem, non imperfecti operis (vt in secundo die Moyses illam ponit) sed cum complemento operis quartæ diei: hoc est, cum astris omnibus: Sole, Luna, & stellis omnibus.

Cæli vocantur Extensio.

Genes. 1. 1. v. 6.

Psalm. 103. 3 Cælum sicut cortina.

Nec intelligas cœlos narrare & annunciare loquendo, sed materiam narrationis & annunriationis præbendo: Simile quid habes Iob 12. *Iob 12. 7.* *Interroga iumenta & docebunt te, & volatilia cæli & indicabunt tibi: Loquere terræ, & respondebit tibi, & narrabunt pisces maris.*

Secundò declarat modum quantùm ad tempus quo cæli enarrant & enunciant ista: *Dies diei eructabit dictum, & nox nocti enunciabit sciẽtiam*: hoc est, in successu dierum & noctium generatur in nobis ex cœlestibus notitia: tum quia vna dies aut vna nox non sufficit: sed quod videtur vna nocte de astris, principium est ad sciendum in alia nocte: & quod visum est in vna æstate, principium est ad sciendum in alia: & quod visum est in vna eclipsi, principium est ad sciendum in alia, & sic de similibus cæli motibus, aspectibus, actionibus & effectibus. Et appropriatur specialiter diurno tempori eructatio sermonis (hoc est, locutio ex plenitudine notitiæ seu conceptus ad similitudinem eructantis ex plenitudine ventris) quia diurnum tempus commodum

modum est ad actum docendi & discendi eloquio humano. Nocti verò appropriatur annunciare scientiam: quia nox magis commoda est ad meditandum & inueniendum.

Nox commoda ad meditandum.

Tertiò declarat ab vniuersis nationibus esse perceptam vocem cælorum: dixerat enim cælos enarrantes & extensionem annunciantem. *Non dictum & non verba sine intellecta voce eorum;* hoc est, nihil dicitur seu dictum est, nulla sunt verba cuiuscunque idiomatis, sine voce cælorum intellecta; sine hoc quòd intellecta fuerit vox cælorum. Quod probat à duobus: Primò ab accepta regula seu mensura humanorum operum à cælis vbique terrarum. *In omnem terram exiuit filum eorum, & in finem orbis verba eorum.* Vtilitas describitur ex omni terra & finibus orbis: vt nihil exemptum intelligas. Regula verò ex similitudine fili significatur: describit enim cælos ad similitudinem quodammodo artificis extendentis filum pro regula operis: vt videmus maximè in fabricis, & in iis quæ ad mensuram linearem fieri debent. Et intendit per hoc quòd omnes nationes mundi accipiunt filum à cælis: pro quanto accipiunt rationes, regulas, mensuras operum suorum à cœlestibus motibus, influxibus, &c. Inde enim accipimus diuersas rationes ac mensuras operandi ex diuersitate temporum diei & noctis, & partium diei (manè & meridiei, &c.) mensium, annorum, æstatis & veris: inde rationes agriculturæ & alendorum animalium, annonæ & vestitus humani, venationum, præliorum, & breuiter omnium humanorum operum: & hoc commune est omnibus quantumcunque barbaris. Et hi fili sunt pro quanto ad sensum visus & notitiam per inuentionem ex cælestibus referuntur: & sunt verba cælorum, pro quanto ad sensum auditus & notitiam per disciplinam de cælestibus referuntur: commune siquidem omnibus quantumcumque barbaris nationibus est vtroque modo nosse cœlestia corpora: nam & visu percipiunt saltem manifestas differentias diei ac noctis, partium diei, æstatis & hyemis, &c. Et auditu discunt saltem à patribus tempus seminandi fabas aliud à tempore seminandi milium, seu alias huiusmodi differentias regionibus suis congruas, & ideo dixit filum & verba cœlorum vbique terrarum haberi. Secundò à percepto tum motu tum calore solis. Et inducit specialiter motum solis & calorem eius, quia communissimè ambo nota sunt.

Cælorum vocem omnes nationes percipiunt.

Mensura operũ à motibus cœlestibus.

VERS. 4. SOLI POSVIT TABERNACVLVM IN EIS. Declarat circa motum Solis percepta quatuor. Primò occasum: quem describit ad similitudinem tentorij seu vmbraculi: Sol enim occidens, æstimatur à vulgo quodammodo ingredi tentorium in quo pernoctet. Inducitur autem hæc æstimatio vulgaris, pro quanto habet veritatem in effectu: hoc scilicet, quòd Sol occidens occultatur nobis: & sic respectu hemisphærij nostri est velut in tabernaculo, pro quanto occultatur nobis: & vmbra illius nox nostra est.

Et aduerte hìc duo. Primò quòd Propheta inducit Deum constituentem tabernaculum soli: quia dixerat quòd Extensio annunciat opus Dei: & communis omnium animi conceptio est quòd Deus est auctor Solis simul & reliquorum. Alterum est quòd tabernaculum Solis describitur in cœlis: vt intelligas situm Solis non putari alibi quàm in cœlis. Et propterea inquit: *Soli,* astro Solis, *posuit,* Deus, *tabernaculum,* occultationem nobis, *in eis,* cœlis.

Quoad ortum verò Solis subdit: *Et ipse,* Sol, *quasi sponsus egrediens de thalamo suo,* cubiculo vtriusque coniugis. Comparatur ortus solis egredienti sponso de thalamo suo, ad significandum naturalitatem beneficam orientis Solis: sponsus enim potitus optatis nuptiis, nullâ vi aut molestiâ actus egreditur manè ex coniugali thoro: egreditur autem plenus gratiarum sicut sol manè egreditur naturalissimo motu.

Ortus Solis comparatur sponso egredienti de thalamo suo.

Quoad velocitatem verò ac perseuerantiam motus subdit: *Gaudebit vt fortis ad currendam viam.* Clarum est cur assimiletur Sol velocissimè peragrans cœlum, forti viro cum gaudio assumenti cursum. Et significatur per hoc infatigabilitas Solis: non enim laborat in tam veloci motu.

Quoad terminos denique motus Solis, subdit: *A fine cælorum egressio eius, & circuitus eius super fines eorum.* Vtriusque motus solis termini describuntur, percepti communiter ab omnibus. Tum motus raptus (quo ab Oriente mouetur in Occidens sequendo motum primi Mobilis) dicendo, *à fine,* ab extremitate *cæli,* hoc est ab Oriente, *egressio eius.* Tum motus super polos Zodiaci: quo facit differentiam æstatis & hyemis, accedendo ad Tropicos Cancri & Capricorni. Hic enim motus significatur dicendo: *& circuitus eius,* Solis, *super fines eorum,* cœlorum: hoc est, super Tropicos, quos extremis lineis sui motus peragit: Tropici enim Cancri & Capricorni sunt fines seu extremitates motus Solis à Septentrione & Austro. Hæc de iis quæ communiter percipiuntur de motu Solis.

Varij motus Solis.

De virtute autem eius vnico subditur verbo: *Et non absconditus à calore eius:* hoc est, nullus inuenitur quem calor Solis non attingat. Hoc enim vniuersi percipimus plus & minus. Hæc sunt quæ homines communiter percipiunt ex cœlestibus: & tamen ipsi cœli enarrant gloriam seu honorem Dei. Vnde apparet quam imperfecta est notitia quam genus humanum habet de diuinis ex cœlestibus corporibus.

DOCTRINA DOMINI. Hìc incipit secunda pars Psalmi, tractans secundam partem comparationis. Propositum siquidem fuit cœlos enarrare gloriam Dei & opera manuum eius: & declaratum hactenus est quòd cœlis enarrantibus gloriam Dei, parum aut nihil genus humanum notitiæ diuinæ accepit. Et propterea modò declarare intendit qualem quantamque Dei notitiam lex diuina humano generi dederit, tali ordine. Nam primò conditiones legis diuinæ, deinde conditiones obseruationis ipsius, & demum medicinam contra defectus obseruationis legis tradit.

VERS. 7. Secunda pars Psalmi.

Describit ergo diuinam legem à quinque conditionibus, adiungendo singulis conditionibus proprias actiones. *Doctrina,* hoc est, lex, *Domini perfecta:* vtpote regulans exteriores & interiores actus. Hæc est prima conditio: cuius actio est: *Restituens animam.* Et loquitur eo loquendi more quo afflictus inediâ, cibo confortatus dicit: hic cibus restituit mihi animam: & similiter perterritus, audito bono nuncio dicit, hic nuncius restituit mihi animam. Tali loquendi modo Propheta hìc vtitur, intendens quòd lex Domini tantæ est perfectionis quòd restituit animam, viuificat mentem, facit animum redire in seipsum:

Quinque conditiones diuinæ legis.

scipsum: *Non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Matth.4.4.

Secunda conditio: *Testimonium Domini fidele.* Lex ipsa pro quanto testimonium perhibet reuelatorum tum gestorum, tum promissorum, testimonium appellatur, non hominis, sed Domini, fidele, verax. Cuius actio est *sapientificare simplicem.* Magnum Dei donum est rectè iudicare secundùm supremam causam quæ Deus est, & secundùm eandem rectè disponere vitam suam: quod totum significat sapentia. Aptè testimonium Domini verax non facit sapientem nisi hominem simplicem, hoc est suasibilem: qui scilicet assensum præbet testimoniis diuinis: homo enim impersuasibilis, longè est ab huiusmodi dono. Non mireris vsurpatum esse *sapientificans*: quoniam propter verbum Hebræum factum est.

Tertia conditio: *Præcepta Domini recta.* Ipsa lex pro quanto præcipit agenda multis præceptis, præcepta Domini vocatur, plena rectitudinis: vt patet discurrendo per diuina præcepta. Eorum actio est: *Lætificantia cordis.* Rectitudo quippe animi magna cordis est lætitia: iuxta illud Prouerb. 15. *Secura mens quasi iuge conuiuium.* Iniquorum siquidem animus tristis necessariò est: vtpote contra seipsum pugnans, vt etiam Philosophi tradunt. Prouerb. 15.

Quarta conditio: *Mandatum Domini clarum.* Ipsamet lex pro quanto præcipit de agendis, non solum præceptum sed mandatum vocatur: vt altera conditio explicetur, scilicet claritas: vt intelligas præcepta Domini non solùm recta appetitui seu voluntati, sed etiam clara intellectui: vtpote non inuoluta obscuritatibus & ænigmatibus. Cuius claritatis actio subiungitur: *Illuminans oculos*, mentis ad discernendum & cauendum, &c.

Quinta: *Iudicia Domini veritas.* Continet lex diuina non solum testimonia reuelatorum & præcepta agendorum, sed iudicialia pœnalia. Et propterea de his dicuntur duo: Primò quòd sunt veritas: deinde quòd sunt iustificata simul; vt ex veritate intelligas iudicia conformia meritis & demeritis secundùm veritatem, non secundùm relationem aut opinionem: ex iustificatione autem simul, intelligas omnia ita iusta vt iustitia vnius non impediat aut confundat iustitiam alterius: vt plerumque fit in iudiciis humanis. Iudiciorum actio nulla ponitur explicitè (quoniã

Oderunt peccare mali formidine pœnæ)

sed loco eius ponitur timor quem lex Domini exigit in sibi subditis. *Timor Domini*, non hominis: *timor Domini*, simpliciter & absolutè, non secundùm quid: hoc est, vt est auctor pœnarum: qui enim timet Deum simpliciter, magis timet quod Deo magis displicet: qui autem timet Deum secundùm quid, magis timet secundùm illud temporale malum quod timet ne sibi eueniat. Lex autem Dei exigit timorem Domini absolutè, & propterea subditur: *Mundus*, à propriis iniquitatibus habentis ipsum. Et hic est timor reuerentialis: de quo scriptum est Iob 26. *Columnæ cæli contremiscunt & pauent ad nutum eius.* De quo & subditur: *Manens æterno*: quoniam erit etiam in cœlesti patria: iuxta illud quod in Præfatione dicitur, *tremunt Potestates.* Licet enim perfecta charitas foras mittat timorem quantùm ad aliquos actus, non tamen quantùm ad actum reuerentiæ. Vnde etiam de Christo

Timor Domini simpliciter; & secũdum quid.

Iob 26.11.

scriptum est quòd *in omnibus exauditus est pro sua reuerentia:* ad Hebr. 5. Hebr. 5.7.

Vers. 10. Ipsa desiderabilia. Explicatis conditionibus diuinæ legis, explicat modò Propheta conditiones obseruationis diuinæ legis tres. Prima est: *Ipsa*, præcepta, iudicia, testimonia, &c. *Desiderabilia*, supple sunt ad obseruandum, *super aurum & super obrizum* (quod est aurum preciosissimum) non modicum sed *multum.* Secunda est: *Et dulcia*, in ipsa obseruatione, *super mel & dulcedinem fauorum*, quæ scilicet ex plenitudine fauorum stillat. Vbi aduerte quòd sicut obrizum preciosius est auro communi, ita dulcedo fauorum suauior est melle quod ex fauo extrahitur: est enim quasi adeps mellis illa stillatio quæ sponte ex fauis prodit. Et si quæris, quid tu scis de huiusmodi desiderio & gustu dulcedinis? respondet tacitæ quæstioni: *Etiam seruus tuus*, supple ego, *solicitatus in eis*, supple exercitatus sum. Ac si apertè diceret: Ego solicitatus desideraui, & exercitatus in eis gustaui. Tertia conditio: *In custodiendo ea merces multa.* Parum est dulcem esse obseruationem diuinæ legis nisi etiam reddenda multa merces expectetur: *in reliquo*, inquit Apostolus, *reposita est mihi corona iustitia.* 2.Timoth. 4.8.

Adeps mellis.

Vers. 12. Errores quis intelliget? Quia impossibile est humanæ fragilitati seruare ad vnguem diuinam legem, post descriptam obseruationem subiungitur medicina humanæ infirmitatis: tum ex parte intellectus, tũ ex parte affectus. Medicina est recursus ad Deum pro *venia* & pro *custodia.* Vbi nota quòd petitio *veniæ* describitur respectu peccatorum nobis ignotorũ: vt hinc intelligas multo fortiùs petendam esse veniam de peccatis quæ scimus nos cõmisisse. *Errores*, declinationis à lege tua. *quis intelliget?* Nullus: Et propterea *ab occultis*, peccatis, *munda me:* & multò magis à notis. De *custodia* autem subditur: *Etiam à superbis prohibe seruum tuum.* Scito hîc textum Hebraïcum admittere vtramque lectionem, scilicet, *à superbiis & à superbis.* Et propterea vterque sensus exponendus est.

Si itaque legitur *à superbiis*, intellige maximam curã debere esse seruo Dei de vitanda superbia: vtpote quæ est initium omnis peccati: immò quæ etiam insidiatur bonis operibus. Vbi aduerte inde peccata occulta, hinc peccatum superbiæ Prophetam induxisse: quia vtrumque ineuitabile est humano generi. Et dixit *à superbiis*, propter multitudinem modorum superbiæ: præsumptionem, arrogantiam, singularitatem, tumorem, contemptum, & innumera alia.

Fructus autem huius medicinæ subditur: *Non dominabuntur in me. tunc perficiar & emundabor à rebellione magna:* hoc est, quando non dominium super me habebunt superbiæ (quamuis surrepant imperfecti superbiæ motus) *tunc perficiar*, in obseruatione legis tuæ, *& emundabor à rebellione magna*, continuè magis ac magis mundabor ab ipsa superbiæ ratione quæ consistit in rebellione ad Deum: vltimo siquidem loco mundatur seruus Dei à superbia, si tamen vnquam perfectè mundatur.

Vltimò loco mundatur à superbia seruus Dei.

Si verò legitur *à superbis*, intellige seruum Dei duobus subesse periculis peccatorum: altero occultorum; altero imminentium à superioribus: scriptum est enim: *Secundùm iudicem populi sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis talis & inhabitantes in ea.* Ecclesiastici 10. Sicut enim Eccli. 10.2.

occulta

occulta peccata ignorantia nobis quodammodo inuitis ingerit, ita superiorum auctoritas & exemplaritas cogit quodammodo eos imitari. Vnde & Paulus reprehendens Petrum dixit, *cogis alios iudaizare*: loquens de exemplo. Et propterea seruus Dei vtrinque timens, vbi petiit *ab occultis munda me*, diuinam quoque custodiam petit; *etiam à superbis*, imitandis, *prohibe seruum tuum*. Et meminit magis superbiæ quàm aliorum vitiorum, quia pessimum est omnium peccatorum: vtpote consistens in rebellione ad Deum: & directè contrariatur subiectioni humanæ respectu diuinæ legis. Necessitas autem cum fructu huius medicinæ subiungitur: *Non dominabuntur in me*, hoc est quando superbi non habebunt dominium in me, *tunc perficiar*, in lege tua, *& emundabor à rebellione magna*. Magna siquidem rebellio est rebellio superbiæ: quia cùm cætera vitia à Deo fugiant, sola superbia se opponit. *Magna* tamen *rebellio* hîc appellatur subtrahere se ab obseruatione legis diuinæ, tanquam non sit illi subditus. Cùm enim superbi dominantur, populus à lege Dei recedit quasi non subditus diuinæ legi: vt patuit in populo Israël regnante Ieroboam, & postea infinities. Cùm verò non dominantur superbi, tunc mundatur populus à rebellione hac magna: vel purgando contractam: vel mundus erit cauendo ne inquinetur tali immunditia.

Galat. 2. 14.

Superbia pessimum omnium peccatorum.

Alter fructus consequens est. *Erunt voluntati*, supple tuæ, *dicta oris mei, & cogitatio cordis mei faciebus tuis*, grata: *Domine petra mea & redemptor meus*. Vbi vides magnitudinem fructus in hoc quòd & cogitationes & locutiones eius erunt gratæ Deo. Appellat autem in proposito Deum *petram suam* in bonis: vtpote à quo est omnis firmitas eius in bono cum custodia à malo. *Et redemptor meus*, à malis, à seruitute peccati vtpote petens mundari ab occultis, & magis ac magis emundari à superbia. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori Psalmus Dauid.*	Vincenti Psalmus Dauidi.
XIX.	XX.
2 *EXAVDIAT te Dominus in die tribulationis: protegat te nomen Dei Iacob.*	1 *Propheta.* RESPONDEBIT tibi Dominus [4] in die angustiæ: eleuabit te nomen Dei Iacob.
3 *Mittat tibi auxilium de sancto: & de Sion tueatur te.*	2 Mittet auxilium tuum de sanctitate: & de Sion sustentabit te.
4 *Memor sit omnis sacrificij tui: & holocaustum tuum pingue fiat.*	3 Recordabitur omnium munerum tuorum: & holocaustum tuum incinerabit. *Selah.*
5 *Tribuat tibi secundum cor tuum: & omne consilium tuum confirmet.*	4 Dabit tibi secundùm cor tuum: & omne consilium tuum implebit.
6 *Lætabimur in salutari tuo: & in nomine Domini Dei nostri magnificabimur.*	5 Laudabimus in salute tua, & in nomine Dei nostri vexillo insigniemur: implebit Dominus [4] omnes petitiones tuas.
7 *Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognoui quoniam saluum fecit Dominus Christum suum. Exaudiet illum de cælo sancto suo: in potentatibus salus dexteræ eius.*	6 Nunc sciui quoniam saluum fecit Dominus [4] Christum suum: respondebit ei de cœlis sanctitatis suæ, in fortitudinibus salutis dexteræ suæ.
8 *Hi in curribus & hi in equis: nos autem in nomine Domini Dei nostri inuocabimus.*	7 Hi in curru & hi in equis: & nos in nomine Domini [4] Dei nostri recordabimur.
9 *Ipsi obligati sunt & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus.*	8 Ipsi incuruati sunt & ceciderunt: & nos surreximus & exaltati sumus.
10 *Domine saluum fac Regem: & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.*	9 Domine [4] salua: ipse rex respondebit nobis in die vocare nostri.

COMMENTARIVS.

TItulus est, *Vincenti Psalmus Dauidi*, de quo vt suprà.

Materia

Circa materiam Psalmi aduerte primum quòd in prima Psalmi parte Dauid manifestè alloquitur secundam personam: dicendo *te, tibi*, &c. Secundum quòd illa secunda persona describitur

bitur constituta in angustia: dicendo, *in die angustia*. Tertium, quòd Dauid prophetat illi personæ multa bona, scilicet quòd Deus respondebit illi, quòd exaltabit, auxiliabitur, implebit omne consilium & omnem petitionem eius: & simul quòd ipse prophetans, cum aliis exultabit erigendo vexillum in nomine Domini.

In secunda verò parte aduerte quòd describitur Saluator rex à Deo: ita quòd ruentibus iis qui *in curribus & in equis*, *nos in nomine Domini* erecti & *exaltati* inquit, *sumus*, & tandem concluditur quòd ipse rex respondebit in die clamoris nostri.

Ex his enim prudens lector perspice quòd si historia certa quæritur hîc tractata, nulla inuenitur scripta in qua hæc omnia verificentur, vt facilè patet discurrenti à tempore ex quo arca Domini fuit in Sion. Sed si propria prophetiæ veritas hîc quæritur, nullus inuenitur rex nisi Messias de quo hæc verificentur: nam clarè constat in solo Messia verificari, implebit omne consilium tuum & omnem petitionem tuam. Rursus etiam nullus est Rex nisi Messias de quo Dauid prophetet quòd ipse rex respondebit in die clamoris nostri: numerat siquidem se Dauid inter clamantes, dicendo, *vocare nostri*. Vnde cùm dicta in hoc Psalmo excedant tam Dauidem quàm cæteros Reges, imò & populum, quadrent autem Messiæ, concludendum est iuxta regulam Petri Apostoli quòd Psalmus iste ad literam tractat de Messia. Et quantùm ex progressu Psalmi apparet, tractat de exaltatione Messiæ ex merito Passionis eius, qua mundum iugo fidei subiecit.

De exaltatione Messiæ ex merito passionis eius.

SVMMARIVM PSALMI IAM
patere potest: attamen tale est.

Propheta prædicit Messiæ in angustia, quòd exaudietur, exaltabiturque à Deo: ita quòd non solùm acceptabit sacrificium eius, sed implebit omne consilium, *&c. Et tanquam canens prophetiam impletam, asserit quòd Deus saluabit per Messiam: ita quòd alijs in curribus & equis ruentibus, nos erecti & exaltati sumus.*

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. RESPONDEBIT TIBI DOMINVS IN DIE ANGVSTIÆ. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi: *mittet auxilium*. Duo proponit prophetando & alloquendo Messiam. Primum, *respondebit*, tributione, *tibi*. More amantium solo pronomine intelligi vult nomen proprium amati: tanquam omnes sciant quem amat. Sic Maria Magdalena quærens Christum dixit hortulano, *si tu sustulisti eum:* putans omnes intelligere de quo loquebatur. Hoc modo Dauid qui totum amorem suum in Messia locauerat, absque alio nomine illi dicit: *respondebit tibi Dominus in die angustiæ:* hoc est, passionis tuæ. Alterum est: *eleuabit te*, in resurrectione, *nomen*, manifestatum ac prædicatum à te, *Dei*, non cuiuscumque sed *Iacob:* hoc est, illiusmet Dei qui est Deus populi Israël.

Amantes solo pronomine nomen amati volunt intelligi.

Ioan. 20. 15.

Vers. 2. MITTET AVXILIVM TVVM. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primum tractatur vtraque particula proposita per modum prophetiæ de futuro. Secundò tractatur iterum vtraque particula per modum prophetiæ impletæ, ibi, *nunc sciui*. Tractando autem retributionem pro angustia, prius tractat meritum. *Mittet auxilium de sanctitate, & de Sion sustentabit te.* Ratio auxilij describitur cultus exhibitus Deo à Messia in templo in Sion: ad literam siquidem Christus homo coluit Deum in templo quod erat in Sion. Et propterea Propheta dicit quòd *mittet auxilium suum de sanctitate:* hoc est, de merito cultus exhibiti Deo in domo sanctitatis & in monte Sion: in eo enim Christus meruit & sustentari & adiuuari: quamuis inquantum Deus his non egeret. Et rationi meriti adiungit rationem sacrificij. *Recordabitur omnium munerum tuorum, & holocaustum tuum incinerabit.* Ad similitudinem corporalium oblationum quæ fiebant in veteri lege, & holocaustorum quæ offerebantur Deo, describit holocaustum corporis Christi in cruce, & spiritualia muneta salutis animarum Messiæ: quòd *recordabitur*, quantùm ad retributionem munerum, *& holocaustum* tunc cùm offertur, igne cœlesti non solùm incendet sed *incinerabit*, vt sicut in holocausto materiali missus quandoque de cælo ignis tam vehemens fuit, quòd in cinerem illud redegit, ita ignis Spiritus sancti totam Christi passionem gratissimam acceptauit.

Pars Executiua.

Deinde ipsas retributiones prophetat. Primò ex satietate cordis, hoc est, voluntatis: *dabit tibi secundùm cor tuum.* Secundò ex satietate consiliorum: *& omne consilium tuum implebit.* Tertiò ex satietate petitionum: *implebit Dominus omnes petitiones tuas.* Vbi aduerte quòd hoc vltimum interfecatur in litera, vno mediante versiculo: sed continuandum est vt diximus.

Prophetatâ autem retributione prophetatur & exaltatio, secundo loco proposita. Prophetatur autem in prima persona pluraliter: ita quòd Dauid annumerat seipsum in lætitia huius exaltationis, *laudabimus in salute tua.* Ipsum alloquitur: *Laudabimus*, cantando & cantabimus laudando (dictio siquidem Hebraica cantum iunctum laudi sonat) *in salute tua*, nobis exhibita: *& in nomine Dei nostri*, non alieni, non noui Dei, *vexillo insigniemur.* Dictio Hebraica significat (si dici liceret) *vexillabimur* passiuè, quod interpretes verterunt *vexillo insigniemur.* Et significat ad literam quòd in nomine Domini vexillum leuabimus victoriæ. Quod proculdubio est vexillum Crucis: ipse enim Dauid cum suis (hoc est cum Iudæis) fuerunt primi laudantes & vexillum erigentes victoriæ crucis tempore Messiæ. Hæc de prophetia.

Vexillū crucis.

Vers. 6. NVNC SCIVI. Tractat iterum ambas particulas propositas tanquam adimpletas. Et inchoans à prima inquit: *Nunc*, in eleuatione vexilli Crucis quo princeps huius mundi eiectus est, quo mors superata est quando patres ex limbo liberati sunt, *sciui*, experimento vidi: *quoniam saluum fecit Dominus*, de morte crucis resuscitando: *Christum*, Messiam *suum*, nec solùm salutem resurrectionis vidi factam: sed etiam sciui de futuro quòd *respondebit*, Deus, *ei*, Messiæ, *de cælo sanctitatis suæ*, ad conuertendum mundum, mittendo de cælo Spiritum sanctum, &c. non qualitercunque, sed *in fortitudinibus salutis dexteræ suæ.* Quod ad literam impletum videmus in Apostolis & Martyribus: dum Deus verè respondit Christo in fortitudinibus salutis quæ apparuerūt in Apostolis & Martyribus:

salutis autem non qualiscunque, sed spectantis *ad dexteram*, Dei: hoc est, ad optima bona diuina, ad felicitatem æternam. Modum autem tantæ salutis subiungit Propheta, ex vna parte mundum & ex altera seipsum simul cum fideli populo connumerans. *Hi in curru & hi in equis* (ad similitudinem pugnantium armatis curribus aut equis, describit mundanos homines pugnantes contra fidem Christi) *& nos in nomine Dei nostri recordabimmr:* solâ memoriâ nominis diuini pugnabimus. Quod ad literam impletum videmus in Apostolis & Martyribus: qui solis internis armis pugnauerunt. Significantiùs autem dicit *in nomine:* vt intelligas confessionem fidei ex nominis ratione, sicut intelligis internam fidem ex recordatione. Ecce fructus pugnæ. *Ipsi.* in curru & equis, *incuruati sunt*, & non solùm incuruati sunt, sed *& ceciderunt: & nos* è conuerso *surreximus*, contra id quod dixerat, *incuruati sunt*, & *exaltati sumus*, contra id quod dixerat, *& ceciderunt*. Et mundus quidem *incuruatus est* ad peccatum, & *cecidit* in mortem æternam: nos autem *surreximus* à peccato, & *exaltati sumus* ad vitam æternam. Vbi vides tanquam completa describi quæ proposita sunt. Vnde & subiungit: *Domine salua*, non me vel illum, sed absolutè *salua* mundum: & tunc *ipse rex*, Messias, *respondebit nobis*, retribuendo, subueniendo, &c. *in die vocare nostri*, per fidem. Quod ad literam impletum videmus. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	*IVXTA HEBRÆVM.*
1 *Victori Psalmus Dauid.*	Vincenti Psalmus Dauidi.
XX.	XXI.
2 *DOMINE in virtute tua lætabitur rex: & super salutare tuum exultabit vehementer.*	1 *Propheta.* DOMINE + in fortitudine tua lætabitur rex: & in salute tua quàm exultabit valde.
3 *Desiderium cordis eius tribuisti ei: & voluntate labiorum eius non fraudasti eum.*	2 Desiderium cordis sui dedisti ei: & prolationem labiorum eius non prohibuisti (impleti). *Selah.*
4 *Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.*	3 Quoniam præuenies eum benedictionibus boni: pones capiti eius coronam obrizi.
5 *Vitam petijt à te: & tribuisti ei longitudinem dierum in seculum & in seculum seculi.*	4 Vitas petiit à te: dedisti ei longitudinem dierum æternum & semper.
6 *Magna est gloria eius in salutari tuo: gloriam & magnum decorem impones super eum.*	5 Magnus (erit) honor eius in salute tua: gloriam & decorem pones super eum.
7 *Quoniam dabis eum in benedictionem in seculum seculi: letificabis eum in gaudio cum vultu tuo.*	6 Quoniam pones eum benedictiones æterno: lætificabis eum in lætitia cum faciebus tuis.
8 *Quoniam rex sperat in Domino: & in misericordia altissimi non commouebitur.*	7 Quia ipse rex confidens in Domino + & in gratia excelsi: non labetur.
9 *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.*	8 Sufficiet manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniet odientes te.
10 *Pones eos vt clibanum ignis in tempore vultus tui: Dominus in ira sua conturbabit eos, & deuorabit eos ignis.*	9 Pones eos vt clibanum ignis in tempore † facierum tuarum: Dominus + in furore suo deglutiet eos, & deuorabit eos ignis. († *tempori.*)
11 *Fructum eorum de terra perdes: & semen eorum à filijs hominum.*	10 Fructum eorum de terra perdes: & semen eorum de filiis Adam.
12 *Quoniam declinauerunt in te mala: cogitauerunt consilia quæ non potuerunt stabilire.*	11 Quoniam inclinauerunt super te malum: cogitauerunt cogitationem (quam) non poterunt.

12 Quo

13 *Quoniam pones eos dorsum: in reliquijs tuis praeparabis vultum eorum.*

14 *Exaltare Domine in virtute tua; cantabimus & psallemus virtutes tuas.*

12 Quoniam pones eos humerum: in funibus tuis firmabis super facies eorum. (sagittas)

13 Exaltare Domine [4] in fortitudine tua: cantabimus & psallemus fortitudinem tuam.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti Psalmus Dauidi*, de quo vt suprà.

Materia. Circa materiam Psalmi manifestè constat quòd de rege tractat. Et quoniam ea quæ de hoc rege describuntur excedunt tam Dauidē quàm quemcunque regem alium excepto Messia, ideo Psalmus iste de Messia tractat ad literam. Patet versiculum quartum soli Messiæ competere: *vitam petyt à te, dedisti ei longitudinem dierum aeternum & semper.* Versiculum quoque sextum idem firmare: *quoniam pones eum benedictiones aeterno.* Hæ enim conditiones propriæ sunt Messiæ. Vnde etiam apud Hebræos vetustiores exponebatur de Messia. Et etiam Targhum expressè hîc dicit: *Deus in fortitudine tua regnabit rex Messias.* Est itaque proculdubio materia Psalmi ad literam regnum Messiæ: seu Messias quatenus rex. (Regnū Messiæ.)

SVMMARIVM EST.

Dauid propheta Messiam regem valde exultaturum: tum in satietate omnium desideratorum quoad seipsum: tum in fortitudine diuina quoad subactos inimicos puniendos multipliciter.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. DOMINE IN FORTITVDINE TVA. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *desiderium.* Proponit duo: Alterum, *Domine in fortitudine tua*, non humana, *laetabitur rex* simpliciter & absolutè: qui erit Rex regum & Dominus dominantium. Alterum: *Et in salute tua*, similiter non humana, *quàm exultabit valde.* Vbi nota magnitudinem gaudij tot aduerbiis significari.

Pars Executiua. *Vers.* 2. DESIDERIVM CORDIS SVI. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *in salute tua quam exultabit valde.* Secundò illa, *in fortitudine tua laetabitur rex*, ibi, *quia ipse rex.* Circa exultationem in salute, prius declaratur ipsa salus, & deinde exultatio, ibi, *laetificabis eum.* Descripturus autem Propheta in quibus consistit salus diuina conferenda Messiæ, vbi in genere descripsit quòd erit adimpletio omnium tum desideriorum (*desiderium cordis sui dedisti ei*) tum omnium locutionum eius (*& prolationem labiorum eius non prohibuisti*, hoc est, quicquid dixit fecisti vt adimpleretur) enumerat in specie septem bonorum genera comprehensa sub salute diuina collata Messiæ. Primum: *Quoniam praeuenses eum benedictionibus boni.* In quo & donorum sequentium ratio per coniunctionem *quoniam*, designatur. Donum autem primum est præuentio omnis meriti: hoc est, quòd Deus antequam Messias mereretur aliquid à primo conceptionis eius instanti impleuit ipsum benedictionibus boni: pro quanto repleuit eum omni gratiâ spectante ad bonum simpliciter & absolutè. Quod dicimus propter passibilitatem & alia huiusmodi quæ tunc ei non fuerunt ablata: vtpote non derogantia bono simpliciter, quamuis tollerent bonum secundùm quid, scilicet corporis ad tempus, &c. Secundum est: *Pones capiti coronam obrizi*, hoc est, conferes ea quæ sunt dignitatis: corona enim insigne dignitatis est. Tertium: *vitam*, corporalem simpliciter & absolutè, *petyt*, actibus meritoriis, *à te: dedisti ei longitudinem dierum aeternum & semper*, hoc est, vitam immortalem. Quartum: *Magnus honor eius in salute tua.* Vbi magnitudo honoris describitur. Quintum: *Gloriam*, claram cum laude famam. Sextum: *& decorem*, hoc est, pulchritudinem, *pones super eum.* Septimum, quod etiam describitur vt ratio subiungendæ lætitiæ: *Quoniam pones eum benedictiones aeterno*, hoc est, caput sempiternarum benedictionum: in quo scilicet erunt omnium benedictiones. Et in hoc denotatur gratia & gloria Christi, pro quanto est caput aliorum. (Sept. bonorū genera in salute Messiæ.)

Declaratâ plenitudine salutis, declarat *quàm exultabit valde*, tanquam effectum resultantem: *Laetificabis eum in laetitia cum facie tua.* Vbi nota geminari nomen *laetitiae* (*laetificabis in laetitia*) ad denotandam plenitudinem lætitiæ: & adiungi *cum facie tua*: vt intelligas rationem consummatæ lætitiæ esse diuinam faciem. Vbi aduerte hæc omnia spectare ad ea quæ sunt salutis Messiæ in seipso (vt patet discurrendo) non in statu humilitatis, sed in statu regni: præter præuentionem, quæ fuit ratio omnium.

Vers. 7. QVIA IPSE REX. Tractatur hîc illa particula, *Domine in fortitudine tua laetabitur rex*: declarando actiones fortes Messiæ contra inimicos suos. Et inchoans à radice ac ratione omnis fortitudinis Messiæ inquit: *Quia rex*, Messias, *confidens in Domino*, non in seipso homine, supple erit, *& in gratia excelsi*, fiduciam suam in diuina gratia ponet: ideo *non labetur*, firmus stabilisque perseuerabit expugnans inimicos. *Sufficiet* (ecce efficacia) *manus tua*, operatio, plaga tua, *omnibus*, nullo excepto, *inimicis tuis*, debellandis tam dæmonibus quàm hominibus: *dextera tua*, percussio tua, *inueniet odientes te.*

Pœna sensus reproborum. Sequitur pœna sensus reproborum. *Pones eos vt clibanum ignis*, intus ardentes, *in tempore faciei tuae*, quo facies tua Messias apparebit iudex: *Dominus in furore suo deglutiet eos*, hoc est, deglutiendos inferno dabit, & deuorabit eos ignis. Per hæc enim omnia pœna sensus damnatorum significatur: ab inferno degluttente, ab ardore interno

interno ad similitudinem clibani, & à combustione externa ex deuoratione ignis. In Hebræo habetur *tempori* in datiuo: sed congruitas mutauit adiuncta præpositione *in*.

Status eor. Subiungitur status eorum: *Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum de filijs Adam.* Hinc clarè apparet quòd de punitione futura tempore regni Messiæ (hoc est, in aduentu glorioso) est sermo: nam tunc & non antea verificabitur pœna ista, quòd inimicorum eius semen perdetur & fructus. Vsque enim ad tempus illud remanet generatio tam malorum quàm bonorum in filiis hominum: & similiter fructus vtrorumque in terra inuenitur: Sed tunc nec fructus nec semen eorum inuenietur cessante generatione, ita quòd punientur & in seipsis, igne, &c. & in extinctione seminis eorum: vt plena sit pœna.

Crimen. Subditur crimen: *Quoniam inclinauerunt super te malum.* Aduerte hîc quòd quemadmodum dupliciter negatur Deus (scilicet errore fidei, vel malis operibus: iuxta illud: *factis autem negant*) ita dupliciter homines inclinant malum super Deum: vel falsam fidem habendo: omnes enim infideles deflectunt malum aliquod in Deum: Mahumetani siquidem attribuunt Deo quòd misit Mahumetum, quod est malum: Iudæi aliud malum, scilicet quòd non misit Messiam, & sic de aliis. Vel affectu Deum offendendo: & hi vel ex intentione inclinant super Deum, malum despectionis seu iniuriæ: vel negant Deum factis, & sic attribuunt etiam factis Deo malum: puta quòd eis non facientibus quod in se est, parcet. Inanis enim huiusmodi spes seu licentia, etsi non animo, tamen facto communis videtur omnibus qui non ex animo aspernantur Deum, & tamen perseuerant in malo. De omnibus ergo reprobis verificatur: *quoniam inclinauerunt super te malum*, errando, seu contemnendo animo vel facto, *cogitauerunt cogitationem non poterunt*: subaudi, quam non poterunt adimplere seu assequi. Communis est omnibus reprobis defectus adimplendi cogitationes suas, morte tollente non affectum adimplendi, sed facultatem exequendi: quoniam omnes hinc migrant cum suis malis affectibus ad malum.

Demum subditur pœna damni. *Quoniam pones eos humerum*, hoc est, tanquam humerum, id est, pones post terga tua, hoc est, priuatos visione faciei tuæ: *in funibus tuis firmabis super facies eorum*, hoc est, firmabis sagittas in arcubus tuis tensis: nominauit enim tensos arcus à funibus, id est, à chordis eorum. Et quia ex superiori situ describuntur arcus, ideo subditur, *super facies eorum*, ne appropinquent ad te. Locutio metaphorica est, ad similitudinem ponentis in loco eminenti sagittarios ad custodiam ne alij appropinquent. Et describuntur sagittæ paratæ in arcubus, non ad tempus sed firmiter: vt intelligas per hoc significari quod dixit Abraham ad diuitem in inferno: *inter nos & vos chaos magnum firmatum est*, &c. *Pœna damni.* *Luc. 16. 26.*

Exaltare Domine. Supplicat in calce Propheta (vt par erat) post tot prophetata bona, vt adueniat tantum bonum. *Exaltare*, inquit, *Domine in fortitudine tua*, qua vicisti mundum ac principem mundi huius: *cantabimus* enim tunc & *psallemus*, id est, canemus *fortitudinem tuam*. Ad denotandam plenitudinem cantus repetit idem: vt intelligas fortitudinem Messiæ esse materiam ac rationem cantus humani. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori pro ceruo matutino Psalmus Dauid.*	Vincenti super cerua auroræ, Psalmus Dauidi.
XXI.	XXII.
2 *DEVS Deus meus respice in me, quare me dereliquisti? longè à salute mea verba delictorum meorum.*	1 *Messias* DEvs meus, Deus meus, quare dereliquisti me? longinquus (tu es) à salute mea, verba (hæc sunt) rugitus mei.
3 *Deus meus clamabo per diem & non exaudies: & nocte & non ad insipientiam mihi.*	2 Deus meus vocabo die, & non respondebis: & nocte, & non (est) silentium mihi.
4 *Tu autem in sancto habitas: laus Israël.*	3 Et tu sanctus, sedens: (es) laudes Israel.
5 *In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt & liberasti eos.*	4 In te confisi sunt patres nostri: confisi sunt & liberasti eos.
6 *Ad te clamauerunt & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi.*	5 Ad te clamauerunt & erepti sunt: in te confisi sunt, & non sunt confusi.
7 *Ego autem sum vermis & non homo: opprobrium hominum & abiectio plebis.*	6 Et ego vermis (habeor) & non vir: opprobrium Adam, (hominis) & contemptus populi.

8 *Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labijs, & mouerunt caput.*

9 *Sperauit in Domino eripiat eum: saluum faciat eum quoniam vult eum.*

10 *Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus sum ex vtero.*

11 *De ventre matris meæ Deus meus es tu: ne discesseris à me.*

12 *Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adiuuet.*

13 *Circumdederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me.*

14 *Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens & rugiens.*

15 *Sicut aqua effusus sum: & dispersa sunt omnia ossa mea.*

Factum est cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.

16 *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in puluerem mortis deduxisti me.*

17 *Quoniam circumdederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me.*

18 *Foderunt manus meas & pedes meos: dinumerauerunt omnia ossa mea.*

19 *Ipsi verò considerauerunt & inspexerunt me: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meã miserunt sortem.*

20 *Tu autem Domine ne elongaueris auxilium tuum à me: ad defensionem meam conspice.*

21 *Erue à framea Deus animam meam: & de manu canis vnicam meam.*

22 *Salua me ex ore leonis: & à cornibus vnicornium humilitatem meam.*

23 *Narrabo nomen tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.*

24 *Qui timetis Dominum laudate eum: vniuersum semen Iacob glorificate eum.*

25 *Timeat eum omne semen Israël: quoniam non spreuit neque despexit deprecationem pauperis.*

Nec auertit faciem suam à me: & quum clamarem ad eum exaudiuit me.

7 Omnes videntes me subsannabunt
deridentes
me †: aperient in labio , mouebunt caput. † *mihi.*

est
8 *Vox irridentium recitata.* Vertens ad
pro eripiat
Dominum [4] eripiet eum: libe-
pro liberet
rabit eum, quoniam complacuit in eo. dixit enim filius Dei sum
fuisti
9 *Messias.* Quoniam tu extrahens me ex vtero: confidere faciens me super vberibus matris meæ.

10 Super te proiectus sum ex vulua: de ventre matris meæ Deus meus
es
tu .

11 Ne elongare à me: quoniam angustia
est est
proxima , quoniam non adiutor.

12 Circumdederunt me tauri multi: fortes Basan coronauerunt me.
tanquam
13 Aperuerunt super me os suum: leo rapiens & rugiens.

14 Sicut aquæ effusus sum, & separauerunt se omnia ossa mea: fuit cor meum sicut cera liquefacta in medio intestinorum meorum.
est
15 Arida velut testa vis mea, & lingua
est
mea adiuncta palato meo: & pulueri mortis pones me.

16 Quoniam circumdederunt me canes, congregatio malignantium circumdederunt me: fixerunt manus meas & pedes meos.

17 Numerabo omnia ossa mea: ipsi re-
vt victores
spicient videbunt in me .

18 Partientur vestimenta mea sibi: & super vestimentum meum proiicient sortem.

19 Et tu Domine [4] ne elongare: fortitudo mea ad auxilium meum festina.

20 Erue ab ense animam meam: de manu canis vnicam meam.

21 Salua me ex ore leonis, & de cornibus vnicornium: respondisti mihi.

22 Narrabo nomẽ tuum fratribus meis: in medio Ecclesiæ laudabo te.

23 Timentes Dominum [4] laudate eum: omne semen Iacob honorate eum, & metuite ab eo omne semẽ Israel.

24 Quoniam non despexit & non abominatus est humilitatem pauperis: & nõ abscondit facies suas ab eo, & in clamare ipsius ad Deum audiuit.

26 *Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.*

27 *Edent pauperes & saturabuntur: & laudabunt Dominum qui requirunt eum, viuent corda eorum in seculum seculi.*

28 *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum, vniuersi fines terræ.*

Et adorabunt in conspectu eius: vniuersæ familiæ gentium.

29 *Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur gentium.*

30 *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ: in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram.*

31 *Et anima mea illi viuet: & semen meum seruiet ipsi.*

32 *Annunciabitur Domino generatio ventura: & annunciabunt cæli iustitiam eius populo qui nascetur quem fecit Dominus.*

25 A te laus mea in Ecclesia multa: vota mea soluam coram timentibus
Dei
eius.

26 Comedent mites & saturabuntur: laudabunt Dominum [4] quærentes eum, viuet cor eorum sempiterno.

27 Recordabuntur & reuertentur ad Dominum [4] omnes fines terræ: & curuabuntur faciebus tuis omnes stirpes gentium.

fit
28 Quoniam Domino [4] regnum: &
est
dominans in gentibus.

29 Comederunt & curuati sunt omnes pingues terræ: faciebus eius genuflectent omnes descendentes
in puluerem qui
pulueris, & animam suam non viuificauit.

Deo
30 Semen seruiet ei: numerabitur Domino † generationi. † *Dominus meus.*

31 Venient & annunciabunt iustitiam
Dei
eius populo nato: quoniam fe-
Deus iustitiam
cit.

COMMENTARIVS.

Materia. Passio Christi.

TItulus est, *Vincenti super ceruæ auroræ Psalmus Dauidi.* Quia metaphorica est locutio, oportet prius materiam Psalmi stabilire aliunde. Apparet autem auctoritate Pauli Apostoli ad Hebr. 2. Psalmum hunc in persona Christi dici: ait enim ex hoc Psalmo de Christo: *Propter quam causam non confunditur vocare eos fratres dicens: annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* (Heb. 2. v. 11. 12.) Euangelistæ quoque Matthæus cap. 27. & Ioan. 19. afferunt impleta verba huius Psalmi: *diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* (Mat. 27. 35. Ioan. 19. 24.) Ipse denique Dominus crucifixus, principio huius Psalmi vsus est: *Eli, Eli, lammah hazabthani: quod est* (vt dicitur Matth. 27.) *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* (Mat. 27. 46.) Ex quibus omnibus adiunctâ consonantiâ omnium quæ dicuntur in Psalmo ad Christi passionem & resurrectionem, non est vertendum in dubium materiam Psalmi ad literam esse passionem Christi, magisque historiam quàm prophetiam sonare.

Vnde quod dicitur in titulo *super ceruæ auroræ*, humanitatem Christi significare videtur. Congruè autem in passione assimilatur ceruæ. Est enim adeò simplex animal vt admiretur hominem sagittam parantem contra se: est & exemptum à febre: adeo vt caro eius esa præseruet alios à febre: habet quoque specialem cum serpente inimicitiam. (*Ceruæ caro præseruat à febre.*) Quæ omnia humanitati Christi optimè congruunt: præcipuè in passione, in qua admiratur se derelictum: hinc enim incipit Psalmus. Ab *auroræ* autem tempore describitur: ad designandum tum quòd sponte dabat se in prædam: in aurora siquidem cerua non impulsa vexationibus venatorum, sed sponte procedit. Tum quòd ad diuinæ claritatis opera gradiebatur; aurora enim ad diem tendit.

SVMMARIVM EST.

M*Essias crucifixus, affectu naturali admiratus tantam suam passionem, exponit Deo illam, explicando multas conditiones illius, & orans pro celeri resurrectione, promittit manifestare quæ Dei sunt, tum Iudæis, tum nouæ Ecclesiæ diffusæ in vniuersis nationibus, &c.*

Persona loquens Messias est.

DEVS MEVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *longinquus.* Proponit: *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me?* Vbi scito verba hæc non esse ignorantis & quærentis scire causam: sed explicantis naturalem affectum tum carnalis sensus, tum rationalis naturæ, necnon & humanæ rationis modum: vt paulò pòst declarabitur: ipse enim Psalmus singula verba proposita declaraturus est. VERS. 1.

LONGINQVVS A SALVTE MEA. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *me.* Secundò, illa particula, *Deus meus,* ibi, *Deus meus.* Tertiò, altera particula, *Deus meus,* ibi, *quoniam tu extrahens me.* Quartò, illa, *dereliquisti,* ibi, *quoniam angustia.* Quintò, illa, *quare,* ibi, (*Pars Executiua.*)

ibi, *& tu Domine*. Proposuerat *dereliquisti me*. Poteras fortè intelligere derelictum eum simpliciter & absolutè: quod nec est verum nec intendit affirmare, sed derelictum se quoad aliquid, scilicet, quantùm ad præseruationem à tali passione & morte. Et propterea ad hoc explicandum dicit: *Longinquus*, supple, tu es, non à me, sed *à salute mea*, ne patiar, ne moriar. Vbi etiam aduerte quòd derelictionem talem describit non per modum desertionis, sed per modum distantiæ, dicens, *longinquus*: vt significetur Deus astans à remotis, hoc est, non præseruans à passione & morte. Rursus quia pronomen *me* demonstrat non solum personam derelictam, sed loquentem, vbi declarauit illud pronomen quatenus derelictum, modò declarat illudmet quatenus proponit querelam. Et propterea subdit: *verba rugitus mei*. Poteras credere quòd hæc admiratiua querela (*Deus meus, quare me dereliquisti*) procederet ex supremo consilio mentisque affectu: quod est falsum. Et ad hoc excludendum dicit quòd *verba* hæc sunt *rugitus mei*: hoc est, non supremi sed naturalis affectus: rugitus siquidem naturalis est vox leonis famem patientis seu tristitiâ affecti.

Rugitus leonis.

Vbi aduerte quòd ista Christi vox, *Deus meus*, &c. quatenus est querula, explicat naturalem affectum carnalis sensus, refutantis contrarios sibi clauos, flagella & huiusmodi: & similiter naturalem affectum rationalis animi, refutantis ignominias, derisiones & huiusmodi. Quatenus verò est admiratiua, explicat excessum passionis supra modum rationis humanæ, etiam habitâ ratione salutis generis humani quæ per passionem fiebat. Nam humana ratio habet vt sufficiente medio Christus saluaret genus humanum, non autem quòd medio excessiuo: Christus autem cùm potuisset vnâ guttâ sui sanguinis sufficienter saluare genus humanum, tam excessiuè passus est, vt excedat omnem humanam rationem: vnde Moyses & Helias in transfiguratione Christi *dicebant excessum eius quem completurus erat in Hierusalem*, Luc. 9. Est itaque sensus: Quia *longinquum* te exhibes non à me sed, *à salute mea*, propter huiusmodi elongationem sunt *verba*, quæ dixi, non mea secundùm supremam mentem, sed *rugitus mei*, naturalis ac rationalis affectus, humanique modi.

Excessus passionis Christi.

Luc. 9. 31.

Vers. 2. Devs mevs. Tractatur hîc illa particula prima, *Deus meus*, tum ex parte Dei; tum ex parte meriti proprij, conferendo meritum proprium meritis patrum, & euentus contrarios sibi & patribus: *Deus meus*, mihi proprius singularissimo modo: hoc est, ex parte Dei. Ex parte autem sui meriti. *Vocabo*, perseuerabo vocando, *die & nocte*: non autem per partem diei & per partem noctis, sed continuè; hoc enim significat: *& non silentium mihi*: id est, nec die nec nocte sileo, sed semper voco te. *Et* tamen (ecce effectus) *non respondebis*, opere seruando à passione & morte. Et intellige per vocationem continuam, indefessum cursum vitæ eius in sanctis operibus: his enim continuè vocatur Deus. Et propterea in futuro describitur *vocabo*, ad denotandam perseuerantiam. Quamuis si ad tempus passionis restringatur, verificetur quòd à nocte incepit pati: cùm *cœpit pauere & tædere*, *& factus est sudor eius sicut sanguinis*, &c. *Et tu sanctus, sedens, laudes Israël*. Contra id quod dixerat, *Deus meus*, è regione ponit qualiter est Deus populi Israël. Quod vt intelligas, recole quòd Deus habebatur à populo sanctus, mundus, excelsus, sedens, regnans, quiescens: & propterea in Sancto sanctorum erat locata super Cherubim tanquam sedes Dei: etiamque Deus materia laudis, imò in quo se laudabant Israëlitæ. Et propterea hîc dicitur, *& tu ipse sanctus, sedens* haberis ac *laudes Israel*: hoc est, matera multiplicis laudis populi Israël. Vbi perspice differentiam: mihi es Deus meus, aliis autem fidelibus es *sanctus, sedens ac laudes*. Longe quippe maius significatur dicendo *Deus meus*, quàm dicendo *sanctus sedens laudes*: illud proprium, hoc commune: illud intimæ notitiæ, istud per communia simul iuncta Deum circumloquitur.

Vide merita simul & effectus: *In te confisi sunt patres nostri*: ecce meritum confidentiæ in Deo. *Confisi sunt & liberasti eos*: ecce effectus. Rursus *ad te clamauerunt*, vexati, *& erepti sunt*, à vexatione: *in te confisi sunt, & non sunt confusi*, ab expectatione sua. Vbi nota disparitatem meritorum: quia non dicitur *clamauerunt die & nocte*, nec dicitur *clamauerunt sine intermissione*. Disparitatem quoque effectus: quia patres non sunt confusi, sed sunt liberati: Christus autem dixit & non respondebis. Et quia parum esset non respondere, prosequendo effectus non responsionis, narrat euenisse sibi contraria iis quæ concessa sunt patribus. Et quantùm ad ea quæ sunt confusionis. *Et ego vermis*, hoc est, habeor vt vermis, vt animal quod quilibet nititur calcare & occidere, *& non vir*, habeor: imò *opprobrium Adam*, id est, hominis, naturæ humanæ, *& contemptus populi*. *Omnes videntes me subsannabunt me, aperient in labio, mouebunt caput*. Sunt enim hæc omnia derisionis gesta. Ad quid autem aperient labium, recitat: *Vertens ad Dominum*, supple, fuit, vt dixit, *eripiet*, pro, eripiat, *eum*, Dominus: *liberabit*, pro, liberet, *eum*, Dominus, *quoniam complacuit*, Dominus, *in eo*, tanquam in filio: vt ipse dixit. Vbi aduerte quòd hæc verba sunt verba sacerdotum, quæ Euangelio testante irridentes Christo crucifixo dixerunt Matthæi 27. *Confidit in Deo liberet eum, dixit enim quia filius Dei sum*. *Mat. 27. 43.*

Vers. 9. Qvoniam tv extrahens me. Tractatur hîc altera particula, *Deus meus*: narrando quatuor & petendo vnum. Primum narratum est: *Quoniam tu extrahens me ex vtero*. Nasci siquidem ex vtero (quod in aliis opus est Dei mediante naturâ) in Christo fuit miraculosa Dei operatio: quia est egressus ex vtero saluo claustro virgineo. Et propterea hîc specialiter Deum suum dicit. Secundum est: *Confidere faciens me super vberibus matris meæ*. Ad literam Christus adhuc super vbera matris constitutus, saluatus est à persecutione Herodis cùm occidit infantes à bimatu & infrà. Et propterea hîc commemorat quòd confidere fecit, hoc est, securum reddidit, cum super vbera matris existentem. Tertium: *Super te proiectus sum ex vulua*: hoc est, ex matrice, ex opere conceptionis meæ omnis cura mei in te iactata est. Quod ad literam impletum apparet: dum Beata Virgo cùm audisset: *ecce concipies in vtero*, & quæsisset *quomodo fiet istud*, & audisset *Spiritus sanctus superueniet in te* & cætera, proiecit totum conceptionis opus in Deum: *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. Quartum: *De ventre matris meæ Deus meus tu*. Quoniam non

Nasci in Christo fuit miraculosum.

Luc. 1.

solùm modus concipiendi fuit sine virili semine, sed proles concepta fuit verbum caro factum. Et sic *de ventre matris meæ tu Deus meus*, vnione personali. Vnum quod petit est: *Ne elongare à me*. Quod directè respondet particulæ in principio Psalmi positæ, *longinquus à me*, & sic dicitur: *ne elongare à me*. Et est petitio non absolutè sed affectus naturalis: vt prius declaratum est. Et significatur à Propheta collatio tot diuinorum donorum Christo exhibitorum à principio conceptionis suæ, simul cum tanta, talique passione sua, seu non præseruatione à patiendo tot & tanta: valde quippe admirandum apparet, quòd cui tot dona concesserit, modò desit in tanta passione. Et propterea ex eodem affectu orat *ne elongare à me*, quo superiùs dixit *quare dereliquisti me*.

VERS. 11. *Varia circũstantia passionis Christi.* QVONIAM ANGVSTIA. Tractatur hîc illa particula *dereliquisti*, exponendo ea in quibus derelictus est. Vbi aduerte explicari in primis causam passionis esse ipsam derelictionem à Deo, subalternando causam causæ. *Quoniam angustia proxima*, hoc est, quoniam tempus definitum passionis meæ iam appropinquauit, iam aduenit. Hæc est enim prima causa: iuxta illud Luc.
Luc. 22. 53. 22. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*. Non enim poterat ante tempus illud pati: iuxta
Ioann. 7. 30. illud Ioan 7. *Et nemo misit in illum manus quia nondum venerat hora eius*. Et hæc causa subalternatur alteri, scilicet derelictioni: de qua subditur: *Quoniam non adiutor*, supple est. Subtractio enim diuinæ præseruationis tempus effecit passionis. Post causas subduntur ipsæ tribulationes. *Circumdederunt me*, ad similitudinem circumdantium ne sit locus euasioni inuaserunt me, *tauri multi*, Pharisæi & seniores populi: *Fortes Basan*. id est, fortiores tauri ad similitudinem taurorum pinguium ex Basan (Annas, Caïphas, Pilatus) *coronauerunt*, circumquaque cinxerunt, *me*, missâ cohorte & ministris tanquam ad latronem. *Aperuerunt super me*, vorandum, *os suum*: tanquam *leo* nocturno tempore *rapiens & rugiens*. Vnde factum est quòd *sicut aqua effusus sum*, discipulis meis à me sic recedentibus vt nec saporem aut odorem quidem reliquerint in me: ad similitudinem effusæ aquæ, quæ nec odorem relinquit in vase in quo fuit. Et hoc constat verificatum quoad communes discipulos: inter quos erant multi magnates (vt Nicodemus & Ioseph ab Arimathia) quorum nullus pro Christo tot horis tam publicè subiecto examini Pilati cupientis illum liberare, minimum verbum dixit, nullus ad plebem refrænandam mussitauit aut innuit.

Ossa. Apostoli. De Apostolis autem subiungitur: *& separauerunt se omnia ossa mea*. Ossa siquidem sustinentia carnem, pro Apostolis firmioribus quoad officium sustentandi alios descripta
Rom. 15. 1. sunt: iuxta illud: *Debemus nos qui firmiores sumus imbecillitates infirmorum sustinere*. Qui omnes fugerunt relicto illo. *Fuit cor meum sicut cera liquefacta in medio intestinorum meorum*. Hoc ad literam verificatur de inferiori parte animæ: pro quanto dimissa est pati secundùm vnamquamque virium sine redundantia consolationis ex parte superiori. Vnde scriptum est
Marc. 14. 33 quòd *cœpit pauere & tadere*, & habuit animam tristem vsque ad mortem, & factus est sudor eius constituti in agonia sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Vnde cùm pauor & tristitia maximè opponantur cordi, quod dicitur à Philosophis primum sanguinis contentiuum, ipse sanguineus sudor cordis liquefactioni assimilatur tanquam testimonium passionis internæ maximæ. Et propterea describitur *in medio intestinorum meorum*: vt vndique intelligas interna pati. Siste tamen infra partem inferiorem animæ: quoniam pars superior beata semper fuit. *Tristitia & pauor cordi maximè opponuntur.*

Arida velut testa vis mea. Quicquid virium in Christo erat (sapientiæ quâ docuerat, potentiæ quâ fecerat tot miracula, bonitatis, &c.) totum tempore passionis aridum reputatum est: non vt lignum quod quandoque fuit viride, sed vt testa, quæ nunquam fuit viridis, nunquam protulit fructum. Reputatus siquidem est tunc Christus ab Herode tanquam qui nunquam fuerit sapiens aut operator miraculorum, sed tanquam fatuus & fabulator coram plebe: cùm tamen Ioannem Baptistam reputaret virum sanctum. Similiter populus sic contra eum acclamauit *crucifige*, tanquam peiorem latrone, homicidâ, seditioso. *Et lingua mea adiuncta palato meo*. Tantum siquidem fuit eius silentium vt contra tot obiecta nihil vnquam responderit. Et propterea dicitur: *lingua mea adiuncta palato meo*. *Et ad puluerem mortis pones me*. Hæc omnia ad hoc ordinantur, non ad plagas patiendum sed ad mortem subeundam. Vnde cum Pilatus Luc. 23. 16.
vellet liberare eum aliqualiter punitum (*corripiam*, inquit, *eum & dimittam*) clamauerunt, *crucifige, crucifige*, &c. hoc enim significat, *& ad puluerem mortis pones me*. Et intendit per *puluerem mortis* (hoc est, *puluerem mortiferum*) multitudinem plebis tanquam puluerem impetentem ipsum ad mortem: cùm nullâ ratione possent satiari donec obtinerent damnationem illius ad mortem.

Quoniam circumdederunt me canes. Ceruam hîc recole circumdatam venatoriis canibus, Iudæis latrantibus, clamantibus, *crucifige, crucifige*. *Congregatio malignantium circumdedit me*. Congregatus populus ad petendum mortem eius, congregatio malignorum appellatur: à cœtu capitum suadentium plebi vt peterent mortem Christi. Vbi aduerte quòd circumdatio vtraque introducitur cum coniunctione causali, *quoniam circumdederunt me*: vt intelligas hanc circumdationem esse causam eius quod sequitur (scilicet: *fixerunt manus meas & pedes meos*) hoc est, mortis in cruce. In ea enim fixi sunt pedes & fixæ sunt manus.

Aduerte Hebræos loco *fixerunt* habere *sicut leo*, magnamque propterea litem exortam, Hebræis monstrantibus textum sonantem *sicut leo*: quibusdam verò ex nostris obiicientibus quòd Hebræi corruperunt textum, ne ex hoc textu conuincatur crucifixio Christi prophetata, ita quòd mutauerunt verba: nonnullis autem dicentibus non esse mutatam dictionem, sed ratione diuersa posse intelligi vt LXX. & Hieronymus interpretati sunt. Quid horum verius sit nescio: illud tamen constat quòd LXX. ante Messiæ aduentum transtulerunt *foderunt*: & quòd Propheta iam induxerat similitudinem leonis, dicendo, *leo rapiens & rugiens*. Hebræi tamen legentes *sicut leo* seu *instar leonis*, exponunt vel subaudiendo mordentes manus meas & pedes meos: vel prohibentes manus meas à defensione & pedes meos à fuga. *Controuersia de interpretatione huius loci.*

Numerabo

Numerabo omnia ossa mea: hoc est, numerare potero omnia ossa mea, in corpore macilento, nudo, extenso in cruce: *ipsi respicient,* me crucifixum: nec solum respicient sed *videbunt in me,* tanquam victores. Familiare est huic Prophetæ describere victores ab effectu illo quo victores soliti sunt videre in personis victis cuncta, vel ad discernendum occisos, vel expoliandum eos. Et propterea hîc inducit occisores Christi tanquam eos qui vicerint, dicendo: *videbunt in me,* occiso vt victores. Vnde & aptè subditur: *Partientur vestimenta mea sibi,* in quatuor partes: *& super vestimentum meum,* tunicam inconsutilem, *proycient sortem,* milites nolentes eam scindere.

Quatuor mala Christo morienti occurrebant. *Vers.19.* Et tv Domine. Tractatur hîc illa particula, *quare.* Tractatur autem manifestando rationem quare dereliquerit Deus Messiam quoad hoc quòd voluit ipsum pati & mori, tali modo & ordine. Modus est quòd ipse Christus inducitur orans pro celeri resurrectione sua: assignans rationem ex secuturo fructu, quem multipliciter explicat. Circa ordinem verò aduerte hîc quatuor mala esse quæ Christo occurrebant: duo quæ incurrit, & duo ne euenirent. Primum malum quod ne eueniat orat, tenet se ex parte temporis: & est dilatio resurrectionis. Et pro hoc malo vitando orat dicens: *Et tu Domine ne elongare,* quantùm ad resuscitationem meam: nec solùm peto vt non elongeris, sed *fortitudo mea* (sola enim diuina fortitudo potest resuscitare) *ad auxilium meum,* resuscitando me, *festina,* infra triduum.

Secundum malum (quod tamen incurrit & tenet se ex parte animæ) est separatio animæ à corpore. Manere enim animam separatam à corpore, pœna est tanta vt propter ipsam sancti clament: *Usquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum,* &c. Apoc. 6. Hanc pœnam Apocal.6.10 pertulit anima Christi à morte vsque ad resurrectionem. Et vt ab hac pœnalitate liberetur orat. *Erue ab ense animam meam.* Appellatione siquidem ensis (gladij seu frameæ) omnia arma offensiua intelliguntur. Anima autem Christi separata est à corpore violentiâ crucifixionis. Et propterea petens liberari animam à pœnalitate separati status, petit erui animam suam à gladio: hoc est, ab effectu illato per mortem violentam.

Tertium malum tenet se ex parte loci: & est vilis locus inferni. Fuit enim anima Christi ibi vsque ad resurrectionem, nonnihil vilitatis patiens ex hoc quòd in illo erat loco: iuxta verbum Petri Apostoli: *solutis doloribus inferni,* iuxta quòd impossibile erat teneri illum ab eo. Act.2.24. Et pro liberatione à tali pœna, orat dicens: *De manu canis vnicam meam.* De manu inquit tanquam tenente (non de morsu) canis: locus, enim, canis, id est, dæmonis detinuit animam Christi sicut & sepulchrum claudebat corpus. Appellatur autem detinens locus dæmonis manus, propter identitatem officij: dæmoniacæ quippe manus officium est detinere animas in inferno: non quòd Christus fuerit ibi detentus potestate dæmonis.

Quartum malum se tenet ex parte dæmonum: & est insultus eorum ad capiendam vorandamque Christi animam. Et ne hoc malum eueniat, orat dicens: *Salua me ex ore leonis & de cornibus vnicornium.* Vbi aduerte quòd huiusmodi petitiones non emanant à Christo tanquam timente opposita, sed ad manifestandum quòd hæc omnia Christus meruit. Ita quòd sicut actibus meritoriis fecit sibi hæc debita, ita petitionibus facit sibi eadem debita: iuxta verbum Patris ad ipsum: *Postula à me & dabo tibi.* Nec est dubium quòd Psalm.2.8. Dæmones audientes Christum dicentem, *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me,* præsumpserunt cogitare de aggrediendo animam Christi: iuxta illud: *venit princeps mundi huius.* Ioan.14.30. Quare autem appellatione leonis & vnicornium veniant Dæmones, manifestum est: Dæmon enim est rex super omnes filios superbiæ: & animal quod vocatur vnicornis (habens vnum in fronte cornu) potius occiditur quàm cedat: quod est commune omnibus dæmonibus. Petrus quoque Apostolus declarauit quòd tanquam leo rugiens quærit quem deuoret. Scito hîc quòd de vnicorni Plinius scribit asperrimam feram monocerotem, reliquo corpore equo similem, capite ceruo, pedibus elephanto, caudâ apro, mugitu graui, vno cornu nigro mediâ fronte cubitorum duorum eminente: hanc feram viuam negant capi. Hæc ille. *Monocerotis descriptio.*

Vers. 21. Respondisti mihi. Præmissâ petitione resurrectionis, subiungit se exauditum: vt hinc intelligas differentiam inter orationê procedentem ex naturali affectu (in qua dixit, *vocabo & non respondebis*) & orationem hanc procedentem ex deliberato mentis consilio: de qua dicit Apostolus quòd in omnibus exauditus est pro sua reuerentia. *Respondisti,* inquit, *mihi,* resuscitasti me intra triduum vt petij: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Ecce fructus duplex resurrectionis. Alter quoad Iudæos: *Narrabo nomen tuum,* quod cognosci potest & debet de te, *fratribus meis,* secundû carnem, Israëlitis. In quo ostendit se post resurrectionem esse eiusdem naturæ nobiscum: & quos prius vocauerat amicos, & nunc consecutus omnem potestatem in cœlo & in terra habebat seruos, appellat tamen fratres. Alter fructus est, *In medio Ecclesiæ* (quam inferiùs declarabit Ecclesiam magnam) in publico vniuersi orbis, *laudabo te.* Vbi aduerte quòd vtrumque Christus per seipsum inchoauit post resurrectionem: nam multis fratribus suis narrauit quæ Dei sunt, & etiam in multitudine congregatis manifestauit diuinam gloriam, vt patet ex Euangelio & Actibus Apostolorum, compleuit autem per suos discipulos. Aduerte quoque quòd vterque fructus promissus, ordinatè describitur in subsequentibus. Vnde primum subiungitur quod narrandum est Iudæis, dicens: *Timentes Dominum laudate eum: omne semen Iacob honorate eum, & metuite ab eo omne semen Israël. Quoniam non despexit, & non abominatus est humilitatem pauperis, mei: & non abscondit faciem suam ab eo,* paupere, scilicet meipso, *& in clamare ipsum ad eum audiuit.* Vbi manifestè cernis Christum manifestare discipulis resurrectionem suam: declarando quòd humilitas passionis suæ fuit accepta Deo, & quòd audiuit eum patientem, & quòd faciem suam ostendit ei. Hæc enim in Euangelio Christus resurgens dixit: *Hæc sunt verba quæ cùm essem vobiscum dicebam vobis,* &c. Deinde Luc.24.44. subiunguntur spectantia ad alterû fructum. *A te laus mea in Ecclesia multa.* Hîc incipit institutio vniuersalis Ecclesiæ post Christi Resurrectionem. Vbi aduerte tangi octo quæ inueniuntur in *Duplex fructus resurrectionis Christi.*

vna

Octo quæ in Christi Ecclesia inueniuntur, hic commemorantur.

vna Christi Ecclesia ab ipso Christo narrata: vtpote instituta ab ipso. Et primum est institutio laudis diuinæ & specialiter ipsius Christi: Euangelium enim quod institutum est prædicari, Christi laudibus est plenum. Et ideò ab exclusione humanæ adinuentionis inchoat. *A te*, non ab humana inuentione, *laus mea*, quia ego laudabor, *in Ecclesia multa*, vniuersali, supple est. Vel laus mea actiuè, quam ego instituo in Ecclesia multa, in Ecclesia vniuersali, dum instituo Ecclesiam vacare diuinis laudibus, non est ab adinuentione humana sed à te procedit: vt hinc intelligas non esse vanam Christi laudem: & non esse superstitiosum sed diuinâ institutione actum, vt Ecclesia vacet diuinis laudibus.

Secundum, qualitas membrorum Ecclesiæ: *vota mea soluam coram timentibus eius.* Dixerat *in Ecclesia multa*, ne putes placere ei multitudinem, declarat quales sunt coram quibus intendit laudes, desideria, oblationes &c. Deo reddere, dicendo: *coram timentibus eius*, Dei. Tanquam si diceret: quòd licet Ecclesia sit multa, grati tamen erunt soli timentes Deum. *Soluam* autem per membra mea.

Tertium, Sacramentum Eucharistiæ describitur quantùm ad manducationem spiritualem. *Comedent mites & saturabuntur*, cœlesti pane cum triplici fructu, scilicet diuinæ laudis, *laudabunt eum*; diuinæ inquisitionis, *quærentes eum:* quærunt enim non quæ sua sunt sed quæ Dei; sempiternæ vitæ, non corporis sed animæ: *viuet cor*, non corpus, *eorum semper*.

Quartum, concursus totius mundi ad Ecclesiam. *Recordabuntur*, suimet homines qui tanquam obliti sui erant, *& reuertentur ad Dominum*, pœnitendo qui peccando à Deo recesserant, *omnes fines terræ*, vt totum intelligas comprehendi mundum, nec solùm recordabuntur & reuertentur, sed *& curuabuntur*, id est, adorabunt, qui prius adorauerant idola, &c. *curuabuntur* inquam *faciebus tuis*, hoc est, non fictè sed coram te, in spiritu scilicet & veritate, *vniuersæ stirpes gentium:* vt intelligas nullam nationem exemptam. Vbi collige conuersionem mundi tribus actibus: recordatione sui; reuersione ad Deum fide & pœnitentiâ; adoratione in spiritu & veritate.

Conuersio mundi tribus actibus.

Quintum, diuina Ecclesiæ gubernatio. *Quia Domino regnum:* hoc est, quia regnum Ecclesiæ non est regnum hominis sed Dei. Vnde & Dominus Euangelium inchoauit: *quia appropinquat regnum cœlorum.* Et propterea dicit: *Quia Domino regnum*, acquiritur: & ipse, Dominus, est *dominans in gentibus.* Ratio siquidem conuersionis mundi ad Ecclesiam Christi, est quia non quæritur regnum mundi, sed regnum Dei: quia ipse Deus non homo est, qui dominatur, gubernat, non vnam Iudæorum nationem vt olim sed in gentibus.

Sextum, diuersitas meritorum in Ecclesia. Vbi triplex gradus fidelium colligitur: Primus est fidelium vacantium curis terrenis. Et de his dicitur: *Comederunt*, hoc est sacramenta perceperunt, *& curuati sunt*, cultum diuinum exhibuerunt, *omnes pingues terræ:* siue sint pingues diuitiis, siue deliciis, siue desideriis, siue curis, &c. terrenis. Secundus est pauperum spiritu & abnegantium seipsos. Pauperes quippe spiritu significantur dicendo: *Vniuersi descendentes pulueris*, hoc est, qui in animo suo descendunt in puluerem: sicut Abraham: *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis.* Ij enim propriè sunt pauperes spiritu qui intus se humiliant, sicut qui exterius prosternunt se vsque ad puluerem. Abnegantes seipsos copulantur pauperibus spiritu. Et significantur dicendo: *& animam suam non viuificauit.* Copulatio fit descendendo ad singulos vniuersorum. Ac si dixisset: *vniuersi descendentes pulueris, & qui animam suam non viuificauit.* Qui enim deliciis huius mundi vacat, qui commoditate nulla carere vult, animam suam continuè viuificat: qui autem abnegauit semetipsum, & tollit crucem suam post Christum, non viuificat animam, id est, vitam suam, sed continuè mortificat eam. Hi sunt in Ecclesia perfectiores: vt Martyres & viri perfectæ vitæ, qui vitam suam hanc non viuificarunt sed mortificarunt: vel exponendo se martyrio, vel fame, siti, frigore, nuditate, vigiliis, ieiuniis, castitate, &c. Et his perfectis attribuitur quòd *ante facies eius*, id est, ante faciem diuinam *genuflectent:* hoc est, quòd in veritate, diuinâ facie teste, ob diuinam reuerentiam se humiliabunt plus aliis: quia alij curuant se inclinando, isti autem genuflectunt. Tertius est imitantium perfectos. De quibus dicitur, *semen seruiet ei.* Sicut enim semen descendit ab animalibus & viuentibus perfectis, susceptâ eorum virtute, ita iusti incipientes & proficientes velut semina deriuantur à perfectis: Qui describuntur seruire Deo: vt in eis actum timoris magis quàm amoris apparere intelligas.

Triplex fidelium gradus.

Genes. 18. 27.

Septimum, vnitas Ecclesiæ. *Numerabitur Domino generationi*, computabuntur omnes quantumcumque diuersorum meritorum ad generationem vnam (quæ est generatio baptismalis) Domino, non homini.

Et demum octauò adiungitur modus quo fiet vna generatio omnium. *Venient*, Apostoli aliique Christi Discipuli, *& annunciabunt*, prædicabunt *iustitiam eius*, Dei, *populo nato*, ex aqua & spiritu: *quoniam fecit*, supple Dominus iustitiam suam, patiendo, moriendo, resurgendo. Hæc est enim iustitia Dei quam Deus fecit, quam Christi Discipuli prædicant. Hic est modus quo in vnitatem Ecclesiæ omnes regeneramur Domino. Amen.

PSALMVS

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	*IVXTA HEBRÆVM.*
1 *Psalmus Dauid.*	Psalmus Dauidi.
XXII.	XXIII.
2 *DOMINVS regit me & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit.*	1 *Propheta.* DOMINVS [4] pastor est meus: non deficiã.
3 *Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.*	2 In habitaculis herbæ accubare faciet me: super aquas quietum ducet me.
Deduxit me super semitas iustitiæ: propter nomen suum.	3 Animam meam restituet, ducet me in vias iustitiæ: propter nomen suum.
4 *Nam & si ambulauero in medio vmbræ mortis: non timebo mala quoniam tu mecum es.* *Virga tua & baculus tuus: ipsa me consolata sunt.*	4 Etiam quando ambulabo in valle vmbræ mortis, non timebo malum, quoniam tu mecum es: virga tua & baculus tuus ipsa consolabuntur me.
5 *Parasti in conspectu meo mensam: aduersus eos qui tribulant me.* *Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus est.*	5 Parabis faciebus meis mensam coram angustatoribus meis: impinguasti in oleo caput meum, calix est meus satians.
6 *Et misericordia tua subsequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.* *Et vt inhabitem in domo Domini: in longitudine dierum.*	6 Tantum bonitas & gratia sequentur me omnibus diebus vitarum mearum: & quiescam in domo Domini [4] in longitudine † dierum. *† longitudini.*

COMMENTARIVS.

TItulus est, *Psalmus Dauidi.* De quo vt suprà.

Materia. Materia Psalmi ex ipso apparet: nam ex eo quòd constat Dauidem auctorem Psalmi esse, & quòd nihil eorum quæ de seipso Propheta loquitur excedit personam ipsius Dauidis, sed omnia verificantur de ipso: clarè colligitur Psalmum ad literam de ipso Dauide tractare. Tractat autem quòd Deo curam habente Dauidis, omnia in temporalibus & spiritualibus bene illi successerunt & succedent, specialiter quoad templum Domini: vt clarè apparet intuenti Psalmum. Hæc est ad literam materia Psalmi.

SVMMARIVM EST.

VBi Dauid descripsit Deum velut pastorem suum (prouidentem sibi quasi oui de habitaculo, pascuis, aquis, ducatu in viis quibusque ac adiutorio) describit datam sibi abundantiam cibi ac potus, victoriam, regnum; & perseuerante bonitate ac gratiâ quietem in domo Domini diuturnam futuram.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. DOMINVS PASTOR MEVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *in habitaculis.* Proponit duo: Alterum, *Dominus pastor meus.* Alterum, *non deficiam*: hoc est, quamdiu Dominus pastor meus fuerit non deficiam: seu assertiuè & causaliter: quia Dominus pastor meus, fuit, est & erit, ideo non deficiam, tam in spiritualibus quàm in temporalibus.

VERS. 2. *Pars Executiua.* IN HABITACVLIS. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *Dominus pastor meus*: Secundò illa, *non deficiam*, ibi, *parabis.*

Quinque circa Pastoris officium describuntur. Circa officia Pastoris quinque describit. *Primò* commoditatem habitaculi iuxta pascua, ac per hoc *secundum* ipsa pascua, dicens: *in habitaculis herbæ*, hoc est, iuxta herbas, *accubare faciet me.* *Tertium* commoditatem aquarum: *super aquas quietum*, non impetuosas, *ducet me* ad potum. *Quartum* commoditatem temporis pascendi: *animam meam restituet*: hoc est, tempore indigentiæ cibi restituet pastu *animam meam*, vitam meam. Et loquitur more eorum qui exinaniti, cibo sumpto dicunt, quòd, qui pauit eos restituit eis animam, quasi fecerit reuerti animam. *Quintum*, ducatum per vias tam spatiosas quàm periculosas.

Sed aduerte hîc quòd in hoc ducatu transit à metaphora ad veritatem, & proprietate sermonis

monis metaphoram occupat: *ducet me in vias iustitiæ.* Quæ non conuenit oui, sed homini hactenus significato per ouem. *Ducet,* inquit, *me in vias iustitiæ,* non iniquitatis. Et hoc *propter nomen suum,* non propter mea merita; vel *propter nomen suum* glorificandum. Hæc quoad vias tutas. Quoad vias autem periculi plenas subdit. *Etiam quando ambulabo in valle vmbræ mortis,* hoc est, in loco periculorum mortis, siue animæ siue corporis (vmbra enim mortis periculum significat mortis) *non timebo malum,* sed securus incedam, *quoniam tu mecum:* hoc est, nihil timebo te mecum existente. Et prosequendo metaphoram pastoris, effectus Dei secum existentis describit duos: Alter est, *virga tua,* directio tua pastoralis (virga siquidem pastoralis directiua est ouium) *& baculus tuus,* hoc est, sustentaculum tuum (baculo enim vtitur pastor ad sustentationem) quo sustentaculo intellige adiutorium diuinum sustentans nos: *ipsa* directio mentis & sustentatio virium. *consolabuntur me,* tam in viis iustitiæ quàm in valle vmbræ mortis. Et fuit impletum vtrumque in Dauide deducto inter tot persecutiones Saulis ac pericula bellorum: tum sine lapsu in crimina, semper iustus: tum sine læsione corporis aut vulnere. Et describuntur beneficia præterita vt futura: tum ad significandam perseuerantiam beneficiorum diuinorum: tum ad significandum quòd simile quid in futurum faciet Deus: siue sibi, siue alteri, cuius curam geret vt pastor.

Vmbra mortis est periculum mortis.

Virga pastoralis.

Baculus.

Vers. 5. PARABIS FACIEBVS MEIS MENSAM. Tractatur hîc illa particula, *non deficiam.* Vbi aduerte hactenus dixisse metaphoram pastoris & ouis: modò verò explanare illam: Primò in bonis habitis: narrans quatuor bonorum genera ex diuina ipsius cura prouenisse sibi. Primum: *parabis faciebus meis mensam:* hoc est, prouidebis mihi abundantiam eorum quæ spectant ad cibum. Et huic annectitur secundum, scilicet præualentia in hostes: *coram angustiatoribus meis.* In quo non solùm hinc abundantia annonæ & inde depressio hostium, verùm excellentia quædam ex præsentia inimicorum significatur: pro quanto describitur mensa ei parata ad edendum, coram hostibus autem ad inuidiam. Quod ad literam impletum apparet, cùm Dauid abundauit temporalibus bonis: Saulis autem domus defecit, & coram ipsa domo Saulis domus Dauid abundauit. Potest etiam hoc extendi ad Ammonitas & auxiliares: coram quibus subactis abundauit Dauid. Describitur autem hoc in futuro respectu præteriti subiuncti, *impinguasti in oleo caput meum.* Intendit enim quòd ex quo vnxisti me in regem, *parabis mensam,* ad ostendendam sequelam mensæ ad vnctionem regiam. Tertium (quod est secundùm rerum ordinem primum) *impinguasti in oleo caput meum.* In quo pinguedinem regni quod vnctione capitis tradebatur intellige. Quartum: *Calix meus satians:* hoc est (vt dictio Hebraïca sonat) *potans semper plenus.* In quo ex abundantia potus, reliquorum delectabilium temporalium plenitudinem significauit. Quantùm vero ad perseuerantiam in bonis dicit: *tantùm bonitas & gratia.* Expertus fuerat Dauid eiectum se fuisse à Deo propter crimen adulterij & homicidij. Et propterea non audet sibi promittere absolutè perseuerantiam bonorum quæ Deus concessit & promisit, sed adiungit velut conditionalem dicendo: *tantum bonitas & gratia,* solis istis duabus rebus me comitantibus *quiescam in domo Domini.* Et æquipollet conditionali hic loquendi modus. tantùm hos habebo socios & ero securus: hoc est, si solos hos habebo comites, ero tutus. In hoc sensu declarat Dauid quòd non deficiet. *Tantum bonitas,* propria quâ bonus esse debeo, *& gratia,* diuina, *sequentur me,* comitabuntur me, non ad tempus vt olim, sed *omnibus diebus vitarum mearum,* vitæ meæ: *& sic quiescam in domo Domini,* ego cum semine meo regnans, *in longitudine dierum,* sine fine. Textus Hebræus habet in datiuo *longitudini:* sed constructio mutauit adiunctâ præpositione *in.*

Quatuor bonorū genera ex diuina cura.

Aduerte quoque quòd si parabola in principio Psalmi proposita collata fuerit cum his bonis spiritualibus & temporalibus, apparebit quòd habitaculo respondet domus Domini, herbis mensa, aquis calix semper fœcundus, restitutioni animæ bonitas & gratia, deductioni per vias vmbræ mortis pro termino subactio hostium, per alias autem vias regnum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus Dauid prima sabbati.*

XXIII.

DOMINI est terra & plenitudo eius: orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo.

2 *Quia ipse super maria fundauit eum: & super flumina præparauit eum.*

3 *Quis ascendet in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto eius?*

4 *Innocens manibus & mundo corde: qui non accepit in vano animam suam,*

IVXTA HEBRÆVM.

Dauidi Psalmus.

XXIV.

seruit

1 *Propheta.* DOMINO[4] terra & plenitudo eius: orbis & habitantes in eo.

2 Quia ipse super maria fundauit eam: & super flumina stabiliet illam.

3 *Populus.* Quis ascendet in montem Domini[4]? & quis stabit in loco sanctitatis eius?

4 *Messias.* Mundus palmis & purus corde: qui non accepit in vanum

nec iurauit in dolo proximo suo.

5 *Hic accipiet benedictionem à Domino: & misericordiam à Deo salutari suo.*

6 *Hæc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.*

7 *Attollite portas principes vestras & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.*

8 *Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.*

9 *Attollite portas principes vestras & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.*

10 *Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.*

num † animam meam, & non iurauit ad dolum †. † *vano.* † *dolo.*

5 Accipiet benedictionem à Domino⁴: & iustitiam à Deo salutis suæ. est

6 Hæc generatio quærentium eum: ô quærentium facies tuas Iacob. *Selah.*

7 *Apostoli.* Eleuate portæ capita vestra, & eleuate vos ianuæ æterni: & veniet rex honoris.

8 *Portæ.* Quis iste rex honoris? *Apostoli.* Dominus ⁴ fortis & potens, Dominus ⁴ potens belli.

9 Eleuate portæ capita vestra, & eleuate ianuæ æterni: & veniet rex honoris.

10 *Portæ.* Quis est iste rex honoris? *Apostoli.* Dominus exercituum est ipse rex honoris. *Selah.*

COMMENTARIVS.

Dauidi Psalmus, & Psalmus Dauidi, *in quo differant?*

TItulus est, *Dauidi Psalmus.* Dicunt Hebræi quòd transpositio huiusmodi in titulis Psalmorum (scilicet quòd quandoque Psalmus præponitur *Dauidi,* & quandoque *Dauid* præponitur Psalmo, vt hîc) significat diuersa tempora aduenientis Spiritus sancti in Dauidem. Quando enim Dauid præponitur, infusio spiritus sequebatur: quando verò Psalmus præponitur, infusio spiritus præueniebat.

Materia.

Circa materiam Psalmi aduerte quòd ex auctoritate Apostoli Pauli 1. ad Corinth. 10. afferentis principium huius Psalmi (*Domini est terra & plenitudo eius*) ad probandum libertatem nostram ab immunditiis ciborum, habemus quòd Psalmus iste tractat tempus Messiæ. Quod vt penetres, distingue tempora, scilicet ante Messiam & tempus Messiæ: & vtendo principio huius Psalmi ad monstrandum omni cibo licere vesci, percipies quod diximus: nam ex hac auctoritate ante tempus Messiæ non poterat inferri quòd omne quòd in macello vænit comedendum sit: in promptu siquidem erat responsio quòd licet omnia sint Domini, quia tamen ipse Dominus in lege sua prohibuit multos cibos (inter quos erant immolata idolis: vt tam in Psalm. centesimosexto dicitur, *& comederunt sacrificia mortuorum:* quàm Actuum 15. *vt abstineatis ab immolatis idolis,* inter prohibita siquidem Iudæis primo loco ibi connumerantur hæc) ideo non licet vesci huiusmodi. Vnde ex hoc ipso quòd ex vi huius auctoritatis Paulus Apostolus infert licitum esse vesci omni cibo, insinuatur quòd hoc Psalmi principium continet in se implicitè tempus Messiæ: quod est tempus libertatis à lege de immunditia ciborum. Ita quòd non significatur quòd Domini est terra absolutè, sed quòd Domini est vniuersa terra nouo modo: illo scilicet modo quo est Messiæ. Hinc enim optimè infertur libertas à lege ciborum: ex quo enim iam terra & plenitudo eius est Messiæ, liberum est vesci omnibus. Vnde & ad hoc denotandum, in Hebræo non dicitur *Domini est terra* (quamuis Paulus Apostolus vsus fuerit translatione LXX. Interpretum, scribens Græcâ linguâ) sed dicitur *Domino terra:* quòd plus importat quàm dominium: nam sonat terram ordinari ad Dominum, &c.

Tempus Messiæ.

Psalm. 106. Act. 15.

Media quoque pars Psalmi vniuersaliter describit generationem quærentium Deum, & non generationem ministrorum templi tantùm. Finis denique Psalmi manifestè tractat aduentum regis honoris: quem proculdubio intelligimus Messiam. Ex quibus omnibus apparet quòd Psalmus iste ad literam tractat de totius mundi salute per aduentum regis gloriæ: hoc est Messiæ.

SVMMARIVM EST.

VBi descripsit Propheta vniuersam terram fructificare Deo, describit & conditiones eorum qui in veritate tendunt ad beatitudinem æternam, & conditiones Messiæ saluatoris eorum.

Personæ loquentes sunt quinque: Propheta, Populus, Messias, Apostoli, & Portæ.

Vers. 1.

DOMINO TERRA ET PLENITVDO EIVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi: *quia ipse.* Proponit duo: Alterum est, *Domino terra & plenitudo eius.* Et est sensus: *Domino* seruit seu fructificat *terra,* non hæc, vel illa, sed absolutè, hoc est vniuersa: nec solùm ipsa terra sed *plenitudo* terræ, hoc est, animalia replentia terram: iuxta illud Baruch 3. *qui adimpleuit eam pecudibus.* Alterum est: *Orbis & habitantes in eo:* hoc est, homines vniuersi, qui propriè habitant orbem. Et subiunxit *orbis,* ad explicandum à figura rotunditatis terræ quòd de terra vniuersa dixerat *terra:* nam appositiuè legendum est *orbis,* &c. Et intendit per hoc ad literam differentiam temporis Messiæ, à tempore veteris legis: nam illo tempore

Baruch 3. 32.

re dicebatur, *Domino terra promissionis*, & non *terra* absolutè: & propterea non subiungebatur *orbis & habitantes in eo:* sed terra illa & filij Israël habitantes in ea: sola enim terra illa, soli habitatores illius seruiebant & fructificabant Domino. Tempore autem Messiæ, Domino vniuersa terra fructificat, & omnis plenitudo eius ordinatur ad honorem Dei, & ideo omnibus animalibus vescimur: & habitantes in vniuerso orbe, Deo fructificant per fidem diffusam vbique.

Pars Executiua.

Vers. 2. QVIA IPSE. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *Domino terra*, &c. Secundò illa, *orbis & habitantes in eo*, ibi, *quis ascendet*. Reddit Propheta rationem diuinæ curæ circa fructum ac salutem totius terræ. *Quia ipse*, Deus, *super maria fundauit eam*, cùm fecit congregari aquas in locum vnum & apparere aridam. Et verè *super maria:* quia eminentiorem maribus illam fecit, quæ prius erat sub aquis. Quod ex eo apparet, quòd maria non fluunt super terram: quia cùm naturalis aquæ motus sit in decliuiorem locum, si mare esset eminentius terrâ, moueretur ad cooperiendum terram. Vnde sicut *super maria*, ita *& super flumina stabiliet illam*, hoc est, faciet stabilem perseuerare. Fundatione & stabilitione firmitas, præterito autem & futuro actio præterita & perseuerantia significatur. Et intendit quòd quia tantam curam habuit in præparando mansionem habitatoribus terræ, ideo mirum non est si curam habet vniuersalis salutis ac fructus.

Terra super maria fundata.

Vers. 3. QVIS ASCENDET. Tractatur hîc illa particula, *& habitantes in eo*, tali ordine: Primò describuntur conditiones habitatorum orbis fructificantium Deo: deinde describitur ipse saluator. Circa primum: quia dixerat, *Domino habitatores orbis*, subiungitur per modum quæstionis, an omnes, an aliqui habitatores orbis describantur Domino? Et propterea ista quæstio introducitur in persona populi interrogantis: *quis ascendet in montem Domini, & quis stabit in loco sanctitatis eius?* Locutio est metaphorica: *Ascendere* enim sumitur non pro ascensu corporis, sed pro assecutione eminentiæ tempore Messiæ promissæ, significatæ per *montem Domini*. Stare quoque in loco sanctitatis eius, pro permanentia in loco in quo fulgebit sanctitas diuina (hoc est, in cælo) intelligitur.

Vbi aduerte quòd quærendo *quis*, non quæritur vnus aliquis singularis (sicut quæritur inquirendo: quis fecit hunc librum?) sed quæritur in genere: sicut cùm quæritur: quis saluabitur? quis promoueri potest? Quærunt enim conditiones requisitæ ad eum qui saluandus est, ad eum qui promouendus est. Et propterea respondetur, habens tales conditiones.

Quatuor conditiones ascendentiũ in montem Domini.

Introducitur autem hîc Messias respondens huic quæstioni, assignando quatuor conditiones requisitas ad ascensurum in montem & quieturum in loco sanctitatis. Prima conditio est: *mundus palmis*, hoc est, operibus. Secunda: *& purus corde*, intùs. Tertia: *qui non accepit in vanum animam meam.* Vbi siste pedem, aduertendo pronomen *meam:* quoniam hoc coëgit me ad intelligendum hæc verba in persona Messiæ. Et est sensus planus: *qui non accepit frustra animam meam*, positam pro mundo in cruce: quicumque enim non credunt Messiam posuisse animam suam (vitam suam) pro mundo, quantumcunque sint aliàs puri & mundi, nunquam ascendent in montem Domini: hi enim *frustra*, *in vanum*, accipiunt animam Messiæ positam pro mundo. Hoc est enim quod Christus prædicabat de morte sua: *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me*, Matth. 11. Nec apparet posse aliter exponi textum illum, nisi licentiâ plus quàm Poëticâ *meam* pro *suam:* potuisset Propheta dicere *animam suam*, si intendisset significare suam. Quarta. *Et non iurauit ad dolum.*

Matth. 11. 6.

Vbi aduerte hanc conditionem quartam continere in se rectitudinem respectu præceptorum primæ tabulæ, ab vno eorum cætera significando. Tertiam autem fidem Messiæ, significatam à fide mortis eius pro mundo. Secundam verò munditiam cordis. Et primam munditiam operum vniuersaliter respectu reliquorum præceptorum.

In textu Hebræo habetur *vano*, & similiter *dolo* in datiuo: sed congruitas mutauit adiunctis propositionibus, *in vanum*, *ad dolum*.

Hic inquam habens has quatuor conditiones *accipiet benedictionem a Domino*, assequendi montem celsitudinis Domini: *& iustitiam*, & iustam retributionem, *à Deo salutis suæ* auctore in loco sanctitatis eius. *Hæc generatio*: vt intelligas responsionem datam esse vniuersalem, adiungit: *hæc*, quam dixi, sola est *generatio quærentium* non quæ sua sunt, sed *eum*, Deum: *quærentium ô Iacob*, popule Israël, *faciem tuam*, pro, *faciem tuam* (iam enim dictum est quòd facies caret singulari apud Hebræos) hoc est, Messiam. Messias enim sicut dicitur & est gloria populi Israël, ita etiam dicitur & est facies populi Israël: pro quanto est præcipua res illius populi, summè desiderata & ab ipsis & ab vniuerso humano genere. Significatur enim per hoc quòd generatio electorum quærit non solùm Deum, sed etiam Messiam ex semine Israël. Nec inconuenit quòd Messias hîc loquatur de seipso tanquam de tertia persona: infinities enim in sacra scriptura inuenitur quis loquens de seipso tanquam de tertio. Ex hoc quoque quòd ad populum Iacob dirigitur sermo iste, apparet quòd populus intelligitur interrogasse quis ascendet: nam responsio dirigitur ad eum qui interrogauit.

Messias est facies populi Israël.

Vers. 7. ELEVATE PORTAS. Declaratâ generatione saluandorum, explicatur modò Saluator. Vbi aduerte quòd quia (vt iam clarè patere potest) Psalmus iste tractat de salute mundi per aduentum Messiæ, & iam in præcedenti quæstione & responsione summariè posita est doctrina Christi quàm per seipsum prædicauit Iudæis (& propterea ne prætermitteretur mysterium regenerationis baptismalis institutæ a Christo, credo *generationis* nomine vtum, dicendo, *hæc generatio*) reliquum erat vt Apostolica prædicatio quâ Christus mundo manifestatus est describeretur. Cùm enim hîc manifestè indicatur præparatio ad venientem regem gloriæ, & Messias in primo aduentu non venerit rex sed humilis & pauper, imò vsque ad resurrectionem suam (in qua dicit: *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*) non videtur ei congruere titulus regis, ideo oportet textum istum ad aduentum regis gloriæ post Christi resurrectionem applicare.

De quo Messiæ aduentu hîc tractetur.

Mat. 28. 18.

Si quis autem diligenter consideret quòd moniti ad recipiendum regem gloriæ, describuntur

bis

his interrogantes *quis est iste rex gloriæ*, rationabiliter concludet monitos istos nescire, quis est iste rex gloriæ: alioquin non interrogarent. Et propterea non consonat textus iste aduentui ad iudicium: in quo Christus ipse veniet tam manifestus rex gloriæ, vt nullus interrogationi huic restet locus. In aduentu autem Christi per fidem in mundum mediante Apostolicâ prædicatione omnia quadrant: nam & prædicabant Messiam regem gloriæ, & mundus nesciens quæsiuit *quis est iste rex gloriæ*? Igitur Apostoli introducuntur prædicantes & dicentes: *Eleuate portæ capita vestra.*

Portæ significant homines primates. Vbi aduerte appellatione *portarum* intelligi homines primates (siue potentiâ, siue sapientia, siue regimine, &c. præcellentes) pro quanto exercent officium portarum: hoc est, quòd per eos ingressus habetur vel negatur ad populos, ad sequaces, ad subditos, &c. *Portæ* quippe sunt homines, quibus credentibus alij credunt, & quibus non credentibus alij non credunt. Plena sunt gesta Martyrum his Portis. Ad primates ergo portas appellatos dicunt Apostoli: *Eleuate capita vestra*, eleuate mentes vestras ad considerationem cœlestium præmiorum, ad considerationem diuinæ prouidentiæ, gratiæ, misericordiæ, ad cogitandum de salute animæ.

Et eleuate vos ianuæ æterni. Dixerunt primò magnatibus *portæ*, explicant modò eisdem *ianuæ æterni*: hoc est, secundùm officium aperiendi vel claudendi ad id quod est perpetuitatis, non prò quanto officium habetis portarum ad bona temporalia, ad honores, ad dominia, ad dignitates, &c. Sciendum est enim quòd dictio Hebraica primo loco significat *portas*, hoc est, ipsum spatium portæ: secundo autem loco significat *portas* secundùm officium aperiendi. Et propterea interpretes ponunt *ianuas* in secundo loco. Et istis dicitur, *eleuate vos*: ad explicandum executionem eius quod dictum fuerat *eleuate capita vestra.* Ita quòd si diligenter perspectum fuerit, quod prius fuit monitum considerandum, nunc monetur exequendum. Et propterea prius dictum fuit, *Portæ eleuate capita vestra*: modò ad executionem dicitur, *ianuæ æterni eleuate vos*: nihil enim profuisset cleuasse capita, nisi subsecutum esset eleuare seipsos in cœlestes mores. Et intellige primates appellari portas & ianuas sic vt etiam singuli homines sint portæ & ianuæ respectu suimet: pro quanto cuilibet incumbit aperire vel claudere sibiipsi ingressum vitæ vel mortis æternæ.

Quare autem monitio hæc fiat subditur: *Et veniet rex honoris.* Vbi elatè apparet quòd portas eleuare capita sua, & similiter ianuas perpetuæ vitæ vel mortis eleuare seipsas, ad hoc exigitur vt veniat *rex honoris*, proculdubio in eas.

Messias Rex honoris. Appellatur autem Messias *Rex*: quia ad literam iam statum regium assecutus erat tempore quo prædicatus est ab Apostolis mundo. *Honoris* autem: vt ex celsitudine tituli intelligatur summus Rex: maior siquidem est titulus *rex honoris*, quàm rex totius vniuersi: quoniam significatur etiam possessor diuinæ gloriæ: quæ supra totum est vniuersum. Congruè quoque prædicatur mundo Christus rex honoris seu gloriæ: quoniam mundus summum bonum in gloria constituebat, appetendo transitoriam gloriam quantùm possibile esset extendere. Tanquam dictum fuerit: Veniet rex summi boni quod vos tantum affectatis. Et verè Christus est rex gloriæ: quia non solùm possessor est gloriæ, sed gubernator, distributor, largitor & Dominus. Veniet per gratiam fidei, spei ac charitatis: iuxta illud: *ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus*, Ioan. 14. Ioan. 14.23.

Vers. 8. QVIS ISTE REX HONORIS? Excitatæ portæ, excitati primates, excitati singuli circa sempiternitatem vitæ aut mortis ab Apostolis, à Prædicatoribus Messiæ, inquirunt *Quis iste rex gloriæ?* Nouum, inauditum & admirandum Euangelium audientes, meritò inquirunt *quis iste rex gloriæ?* Et respondetur eis ab Apostolis: *Dominus fortis & potens*, *Dominus potens belli.* *Dominus* dicunt, vt intelligas eius deitatem: in veteri siquidem Testamento vsitatissimâ appellatione Deus vocabatur *Dominus*. *Fortis* dicunt: significando passionem eius, quam fortissimè sustinuit: fortitudinis enim præcipuus actus cùm sit sustinere, apparuit maximè in Passione Christi. *Potens* autem, in opere & sermone dum conuersatus fuit in hac vita: vltra victoriam super mortem ac super principem mundi. De qua subditur: *Dominus potens belli*: hoc est, potens ad debellandum dæmonum potestates, ad destruendum idola, ad deiiciendum dominium dæmonum ab hominibus, ad vincendum mortem, &c. hoc est enim bellum Christi, hoc est quod prædicarunt Apostoli.

Fortitudinis actus præcipuus est, sustinere.

Eleuate portæ capita vestra. Repetitur prædicatio Apostolica, tum ad significandum magnitudinem mysterij; tum ad significandum perseuerantiam; tum ad explicandum alia: multiplicata enim prædicatio, noua explicat. *Et eleuate ianuæ æterni, & veniet rex honoris.* Totum quod dictum est, totum repetitur excepto pronomine *vos*. Prius dictum fuit, *Eleuate vos ianuæ*: modò dicitur, *eleuate ianuæ*. In quo extensa videtur monitio: vt qui prius monentur eleuare seipsos, postea moneantur eleuare indeterminatè: hoc est, & se, & alios. *Quis est iste Rex honoris*? In hac repetita interrogatoria apponitur verbum substantiuum *est*, quod in prima interrogatione non fuit appositum. Primò enim dictum est quis iste rex honoris, tanquam ab omnino rudibus: nunc autem dicitur, quis est iste rex honoris, tanquam ab aliquantum eruditis & mansuetis. Responsio autem Apostolica, à terrenis ascendit ad cœlestia. Prius de gestis à Christo in terra dixerat, *Dominus fortis & potens*, &c. modò de dominio Christi in cælis instruit: *Dominus exercituum*, etiam Angelorum, *ipse est rex honoris.* Vt intelligant elatè Messiam esse illum Deum quem adorant Iudæi, quem vocant Dominum exercituum, nec nouum introduci mundo Deum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus David.*

XXIV.

2 *AD te Domine leuaui animā meam: Deus meus in te confido non erubescam.*

3 *Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuersi qui sustinent te, non confundentur.*

4 *Confundantur omnes iniqua agentes superuacuè.*

Vias tuas Domine demonstra mihi: & semitas tuas edoce me.

5 *Dirige me in veritate tua & doce me: quia tu es Deus Saluator meus, & te sustinui tota die.*

6 *Reminiscere miserationum tuarum Domine & misericordiarum tuarum: quæ à seculo sunt.*

7 *Delicta iuuentutis meæ: & ignorantias meas ne memineris.*

Secundùm misericordiam tuam memento mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

8 *Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via.*

9 *Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites vias suas.*

10 *Vniuersæ viæ Domini misericordia & veritas: requirentibus testamentum eius & testimonia eius.*

11 *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.*

12 *Quis est homo qui timet Dominum? legem statuit ei in via quam elegit.*

13 *Anima eius in bonis demorabitur: & semen eius hæreditabit terram.*

14 *Firmamentum est Dominus timentibus eum: & testamentum ipsius vt manifestetur illis.*

IVXTA HEBRÆVM.

Dauidi.

XXV.

1 *Aleph.* *Propheta.* AD te Domine [4] animam meam leuabo.

2 *Aleph.* Deus meus in te confisus sum: non confundar, non lætabuntur inimici mei mihi.
pro de me

3 *Ghimel.* Etiam omnes sperantes tui non confundentur: confundentur fallentes inaniter.
sine causa contra me

4 *Daleth.* Vias tuas Domine [4] fac scire me: & semitas tuas doce me.

5 *He.* Induc me in veritate tua & assuefac me: quia tu Deus salutis meæ, te expectaui tota die.

6 *Zain.* Recordare misericordias tuas Domine [4] & gratias tuas: quia ex sempiterno ipsæ.
sunt

7 *Cheth.* Peccatorum adolescentiarum mearum & rebellionum mearum ne recordare: secundùm gratiam tuam recordare mihi tu propter bonitatem tuam Domine [4].
ad meum bonum

8 *Teth.* Bonus & rectus Dominus [4]: propterea docens peccatores in via.
est est

9 *Iod.* Inducet humiles in iudicio: & assuefaciet humiles viæ suæ.

10 *Caph.* Omnes semitæ Domini [4] gratia & veritas: custodientibus pactum eius & testificationes eius.

11 *Lamed.* Propter nomen tuum Domine [4] parces culpæ meæ: quoniam grandis ipsa.

12 *Mem.* Quis iste vir timens Dominum [4]: docebit eum in via eliget.
pro quisquis fuerit — quam

13 *Nun.* Anima eius in bono pernoctabit: & semen eius hæreditabit terram.

14 *Samech.* Secretum Domini timentibus eius: & pactum eius ad faciendum scire eos.
communicatur — est

15 *Hain.*

15 *Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos,*

16 *Respice in me & miserere mei: quia vnicus & pauper sum ego.*

17 *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: de necessitatibus meis erue me.*

18 *Vide humilitatem meam & laborem meum: & dimitte vniuersa delicta mea.*

19 *Respice inimicos meos: quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.*

20 *Custodi animam meam & erue me: non erubescam quoniam speraui in te.*

21 *Innocentes & recti adhæserunt mihi: quia sustinui te.*

22 *Libera Deus Israël, ex omnibus tribulationibus suis.*

15 *Hain.* Oculi mei continuè ad Dominum (suspiciunt): quia ipse educet de reti pedes meos.

16 *Pe.* Vertere ad me & miserere mei: quoniam vnicus & pauper (sum) ego.

17 *Zadi.* Angustiæ cor meum dilatare fecerunt: de angustiis meis educ me.

18 *Res.* Vide humilitatem meam & laborem meum: & ignosce omnibus peccatis meis.

19 *Res.* Vide inimicos meos: quia multiplicati sunt, & odio iniquitatis oderunt me.

20 *Scin.* Custodi animam meam & eripe me: non confundar, quia speraui in te.

21 *Thau.* Perfectio & rectitudo custodient me: quia expectaui te.

22 *Pe.* Redime Deus † Israelem, ex omnibus angustiis suis. † *Di.*

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Dauidi.* Ex quo nihil certi habetur nisi auctor Psalmi.

Materia. Circa materiam Psalmi aduerte quòd quia constat Dauidem auctorem esse Psalmi, & ea quæ in Psalmo dicuntur de persona loquentis non excedere Dauidem sed congruere gestis eius & circa ipsum, ideò concludi potest quòd Psalmus ad literam tractat de Dauide. Sed quæ Dauidis tractentur, ex decursu Psalmi accipere oportet. Manifestè autem apparet primò in Psalmo, Dauidem in tribulatione constitutum, vnicum, pauperem, multiplicatisque inimicis describi cum angustiis populi. Apparet secundò Dauidem petere à Deo veniam peccatorum ter, & doceri vias Domini atque duci per eas. Quibus simul collatis, facilè colligitur quòd Psalmus iste ad tempus tribulationis quam passus est Dauid ab Absalom spectat: nam illi tempori tantùm hæc omnia congruunt: vt patet discurrendo. Tunc enim tribulatio propria ex propriis, tunc multiplicati inimici, tunc vniuersus populus in tribulationibus fuit: tunc petiit veniam recognoscens peccata sua, tunc petiit ne recidiuaret. Ita quòd Psalmus iste opus meditationis sanctæ & contritæ habitæ à Dauide in illa persecutione, describit ad literam. *Meditatio Dauidis in persecutione Absalonis.*

SVMMARIVM EST.

Dauid propter sua scelera afflictus ab Absalom recurrit ad Deum, tum pro venia, tum pro seruatione in rectitudine, tum pro seruatione vitæ propriæ, & liberatione, tum sui, tum populi ab his angustijs.

Persona loquens Propheta est.

Aduerte quòd Psalmus iste 25. est primus inter Psalmos Alphabeticos: singuli enim versus incipiunt à singulis literis Alphabeti Hebræi: ita tamen quòd tres literæ geminantur, & tres omittuntur. Et quoniam mysterium reseruamus Spiritui sancto, ideò sic summariè pertranseo. *Psalmi Alphabetici.*

Ad te Domine. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *etiam omnes.* Proponit quatuor: duo assertiuè, & duo deprecatiuè. Prima assertio de futuro: *ad te Domine animam meam leuabo*, contemplando, precando, & offerendo. Altera de præterito: *Deus meus in te confisus sum.* Non audet dicere tibi obediui, mandata tua seruaui: sed quòd in ipso solo spem fiduciámque suam posuit fugiens Absalom. Prima petitio est: *non confundar* (pro, ne confundar) *ab expectatione mea*, à desiderio meo. Secunda: *non latabuntur*, pro, ne lætentur, *inimici mei mihi:* hoc est, de me confuso. Modus loquendi Hebraicæ linguæ videtur iste tam frequens vsus datiui. *Vers. 1.*

Vers. 3. Etiam omnes. Incipit hìc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *non latabuntur inimici mei.* Secundò illa, *ad te Domine animam meam leuabo*, ibi, *vias tuas.* Tertiò illa, *Deus meus in te confisus sum*, ibi, *oculi mei.* Quartò illa, *non confundar*, ibi, *custodiui animam meam.* Assignat itaque pro ratione petitionis suæ duplicem fructum. Alter est communibus omnibus sperantibus in Deo: *etiam omnes sperantes tui non confundentur.* Alter est iusta retributio inimicis: *confundentur fallentes inaniter.* Absalom siquidem & sui fefellerunt Dauidem sub specie sacrificij coniurantes aduersus eum Et hoc *inaniter:* hoc est, vacui causa offendendi me, sine *Pars Executiua.*

sine offensa illata eis à Dauide: & propterea merebantur confundi. Ac si apertius dixisset: Si inimici mei non lætabuntur super me, verificabitur quòd omnes qui sperant in te non confundentur, & quòd fallentes confundentur: quod est duplex bonum.

Vers. 4. VIAS TVAS DOMINE. Tractatur hìc illa particula *ad te Domine animam meam leuabo*, tripliciter. Primò ex parte petitionum. Secundò ex parte Dei, ibi, *bonus & rectus*. Tertiò ex parte vniuersalis indigentiæ, ibi, *quis iste*.

Tres petitiones. Tres porrigit petitiones.

Prima est spectantium ad intellectum: *vias tuas*, hoc est, ad te ducentes, *Domine fac scire me: & semitas*, semiuias, hoc est, arctiores, *tuas*, ad te ducentes, *doce me*.

Secunda est spectantium ad executionem. *Induc me*, ad similitudinem inducentis in principium viæ: induc me opere, *in veritate tua*, hoc est, præceptorum tuorum, *& assuefac*, non solùm induc, sed ad similitudinem manuducentis infantulum vt discat ambulare, *assuefac me* in eadem veritate præceptorum tuorum exequendo: *quia tu Deus salutis meæ*, quia ex te pendet salus mea: & ex parte mea, *te*, non alium doctorem & ducem *expectaui tota die*, sine intermissione. Non tamen propterea peto hæc innixus iustitiæ: sed *recordare misericordias tuas Domine, & gratias tuas, quia ex sempiterno ipsæ*, supple sunt.

Tertia: *peccatorum adolescentiæ meæ & rebellionum mearum ne recordare*. Vbi etiam aduerte in Hebræo haberi *adolescentiarum* seu *pueritiarum mearum*: quia numerum tantùm pluralem habet. Et intendit quòd nolit recordari ad punitionem tam peccatorum ex ignorantia seu passione humana (quæ regnant in ætate adolescentiæ) quàm peccatorum ex deliberato proposito, quæ rebelliones significantur. Vtroque siquidem modo Dauid peccauerat. Primo modo in adulterio: secundo autem in homicidio. Et huic petitioni addit: *Secundùm gratiam tuam*, non iustitiam tuam, *recordare mihi*, ad meum bonum, & non solùm ad commune bonum, *tu propter bonitatem tuam*, non merita mea, *Domine*.

Vers. 8. BONVS ET RECTVS. Postquam Dauid eleuauit animam suam ad Deum, petendo tria spiritualia, prosequitur eleuationem animi contemplando rationes ex parte Dei congruas ad concessionem petitorum, inchoans à duabus Dei conditionibus: bonitate scilicet & rectitudine. *Bonus*, ad communicandum bonitatem suam, *& rectus*, ad ea quæ rectitudinis sunt dirigendum & faciendum, *Dominus: & propterea*, quia bonus & rectus, *docens*, supple est, erit, & fuit, *peccatores in via*: hoc est, officium exercet Doctoris ad instruendum peccatores de iis quæ spectant ad viam rectam. Et hoc respondet primæ petitioni. *Inducet humiles in iudicio, & assuefaciet humiles viæ suæ*. Directè hoc respondet secundæ petitioni. Sed discerne, respectu peccatorum contemplatur Deum doctorem viæ; respectu autem humilium contemplatur Deum officiosum, velut ad faciendum ambulare & assuescere ambulantes infantes cùm primùm discunt ambulare. Et est humilitas hoc in loco nomen virtutis. In quo describitur præcipua Dei cura erga eos qui humiliter se ei submittunt. Et hoc etiam quia *bonus & rectus Dominus*. *In iudicio* autem, non in impetu sed rationis iudicio *ambulare faciet*: non secundùm vias carnis aut mundi, sed *assuefaciet ambulare viam suam*, Dei.

Humilitas sumitur pro ipsa virtute.

Amplius, *Omnes semitæ Domini gratia & veritas*: hoc intellige de viis Domini ad nos, seu creaturas. Et est sensus quòd omnia opera Dei sunt gratia & veritas: *gratia*, quia bonus, *veritas*, quia rectus Dominus. Et hoc est verum: quia in omnibus operibus Dei inuenitur rectitudo & aliquid gratuitum. Et vbi descripsit officium Dei prius respectu peccatorum (vtpote deuiorum) & postea respectu humilium, vtpote incipientium viam gradi, nunc describit officium Dei respectu iustorum: vtpote exercitatorum in Dei via. Ita quòd quia bonus & rectus, propterea *omnes semitæ Domini* (hoc est, viæ Domini arctiùs inspectæ) *gratia & veritas* sunt, non quibuscumque, non iis qui non sapiunt quæ Dei sunt: sed *custodientibus pactum eius*, legem eius, fœdus eius quo ille Deus eorum & isti populus Dei, *& testificationes eius*. Testificationes Dei appellantur quæcunque testimonium perhibent nobis de Deo: siue sint opera naturalia, siue miraculosa: iis siquidem qui curam habent & diuini pacti & diuinorum testimoniorum, omnia diuina opera sunt gratia & veritas.

Omnia Dei opera gratia, & veritas.

Hanc contemplationem non potuit finire Dauid nisi repetendo veniæ petitionem: *Propter nomen tuum Domine*, quo bonus & rectus diceris, *parces culpæ meæ*. Fiducialiter & ex magna spe affirmatum intellige quod precatur, dicendo, *parces culpæ meæ*, more quippe supplicantium, & ex confidentia magna proponentium petitionem tanquam efficiendam, ne videatur sub dubio petere ait: *parces culpæ meæ*. Et rationem subdit: *quoniam grandis ipsa*: hoc est, quoniam nomini tuo reseruatur condonatio culpæ meæ ex sui magnitudine: decet enim tuum nomen magna facere, & illud magnificari in condonatione magni sceleris Vbi nota non alleuiare peccatum suum Dauidem: sed quod prius vocauit *rebellionem*, modò grandem culpam confitetur.

Vers. 12. QVIS ISTE. Contemplatus Dauid petitiones suas ex rationibus officiorum diuinorum, contemplatur nunc easdem ex parte vniuersalis indigentiæ: quia scilicet omnes indigent illis. Et loquitur de primis duabus petitionibus: tertia enim erat ei propria vt criminoso. Et intendit quòd non solùm peccatores & humiles indigent doceri à Deo in via, sed omnes timentes Deum. Et propterea dicit: *Quis*, pro quisquis, *iste vir fuerit timens Dominum, docebit eum Dominus, in via eliget*, pro, quam eliget, timens Dominum. Sæpe enim in hoc metrico stylo vtitur Propheta manco sermone.

Omnes egent doceri à Deo.

Mancus sermo in Psalmis sæpe.

Fructus autem quem consequitur timens Dominum ex eo quòd Dominus docet ipsum in via, subditur duplicis generis. Primum genus est temporalium bonorum. *Anima eius*, scilicet timentis Deum, *in bono pernoctabit*, hoc est, quietè perseuerabit sicut dormiens: & hoc quoad se. *Et semen eius hæreditabit terram*, promissionis: & hoc quoad filios. Et spectant hi fructus bonorum temporalium ad promissiones veteris Testamenti. Secundum genus est bonorum spiritualium. *Secretum Domini timentibus eum*, communicabitur specialibus reuelationibus: & pactum eius est, *ad faciendum scire eos*. In quo signi-

Triplex fructus timentium Deum.

ficatur

ficatur magnum beneficium quo Deus efficit pactum legis suæ non ad iudicium seu damnationem, sed ad fructum sciendi, non hæc aut illa, sed absolutè: quia sola scientia salutis est scientia simpliciter & absolutè: iuxta illud Deuter. 4. *Hæc est vestra sapientia & intellectus.* Intellige autem hos fructus Prophetiæ & intellectus legis non tanquam ordinariòs quoad primum: sed tanquam sæpe ex diuina gratia collatos timentibus ipsum. Et meminit horum fructuum Dauid: quia conscius erat sibi ipsi perditionis vtrorumque: nam peccando perdiderat & pernoctationé in bono & demeruerat promissam successionem seminis, perdideratque reuelationes diuinas.

Scientia salutis. *Deuteron. 4.*

Vers. 15. OCVLI MEI. Tractatur hîc illa particula, *Deus meus in te confisus sum:* inchoando à perseuerante recursu ad Deum cum plena confidentia. *Oculi mei continuè ad Dominum,* suspiciunt & suspicient; ecce fiducia: *quia ipse euellet de reti pedes meos.* Assimilat reti coniurationem & insecutionem quam patiebatur ab Absalom, tanquam ipse inciderit in illud rete, sicut verè inciderat. Ad quod autem oculos suspensos habeat subiungit: *Vertere ad me & miserere mei.* More humano alloquitur Deum tanquam auersum à Dauide vt vertatur ad ipsum habentem pedes intra rete & compatiatur miseriæ eius. *Quoniam vnicus & pauper ego,* supple, sum. *Vnicum* se dicit in respectu ad multitudinem sequacem Absalom: & eâdem relatione appellat se *pauperem:* vt hinc maximam indigentiam diuini auxilij significet. Et hæc quoad diuitias & milites.

Quantùm ad interna verò mala subdit: *Angustiæ cor meum dilatare fecerunt, de angustiis meis educ me.* Metaphorico sermone describit angustias existentes in corde valde multiplicatas, ad similitudinem rerum quæ conduntur in sacculo ex corio: cùm enim res contentæ multiplicantur, dilatant seu ampliant corium continens. Iuxta hanc metaphoram intendit multitudinem tantam angustiarum in corde vt quodammodo amplient cor. Vnde & prosequendo mala inhærentia, subdit: *Vide humilitatem meam,* hoc est, depressionem meam, *& laborem meum,* quem sustineo: *& ignosce omnibus peccatis meis.* Ac si dixisset: sint hæc quæ patior accepta coram te ad veniam peccatorum meorum. Vbi vides tertiò petentem veniam, augere petitionem: dum extendit ad omnia peccata sua. *Vide* demum *inimicos meos,* Absalom & complices: *quia multiplicati sunt* (nam totum ferè regnum sequebatur Absalom) *& odio iniquitatis,* non iustitiæ, *oderunt me.* Aduerte hîc quòd loco suspensionis oculorum suorum ad Dominum, petit Dauid à Deo primum *respice in me,* secundum, *vide humilitatem;* tertium, *vide inimicos meos:* vt nihil prætermiserit videndum.

Vers. 20. CVSTODI ANIMAM MEAM. Tractatur hîc illa particula, *non confundar:* petendo quinque. Primum: *Custodi animam meam.* Timebat mori in illa persecutione, & ideò petit *custodi animam meam,* id est, vitam meam. Secundum: *& eripe me,* de hac persecutione. Tertium: *non confundar:* quòd deprecatiuè intelligendum est cum fiducia: vt superiùs declaratum est: ecce fiducia: *quia speraui in te.* Quartum: *Perfectio & rectitudo custodient me:* & intelligit de perfectione & rectitudine Dei: iuxta id enim quod superius dixerat *bonus & rectus Dominus,* modò petit quòd *perfectio* inchoatæ gratiæ & *rectitudo* custodiant ipsum à malis. Precatur autem vtens futuro indicatiuo ratione iam dictâ ex fiducia magna, de qua subiungit: *quia expectaui te.* Quintum: *Redime Deus Israël ex omnibus angustiis suis.* Non suffecit orare pro vita & liberatione sua, sed pro toto populo in tribulatione posito rogat. *Redime,* quasi venditum populum fraudibus Absalom: *Israëlem,* cognominauit vt meritum Patriarchæ patris populi commemoraret: *ex omnibus angustiis suis,* vt omni ex parte libertate solitâ gaudeat. Amen.

Quinque iterum petit Dauid.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Psalmus Dauid.*	Dauidi.
XXV.	XXVI.
IVDICA me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: & in Domino sperans non infirmabor.	1 *Propheta.* IVDICA me Domine [4], quoniam in perfectione mea ambulaui: & in Domino [4] confisus sum, non labar.
2 *Proba me Domine & tenta me: vre renes meos & cor meum.*	2 Proba me Domine [4] & tenta me: purifica renes meos & cor meum.
3 *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: & complacui in veritate tua.*	3 Quoniam gratia tua conspectui oculorum meorum: (adest) & ambulabo in veritate tua.
4 *Non sedi cum concilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo.*	4 Non sedi cum viris falsitatis: & cum latentibus non introibo.
5 *Odiui ecclesiam malignantium: & cum impiis non sedebo.*	5 Odiui ecclesiam malignantium: & cum impiis non sedebo.

6 *Lauabo inter innocentes manus meas: & circumdabo altare tuum Domine.*
7 *Vt audiam vocem laudis: & enarrem vniuersa mirabilia tua.*
8 *Domine dilexi decorem domus tuæ: & locum habitationis gloriæ tuæ.*
9 *Ne perdas cum impiis Deus animam meam: & cum viris sanguinum vitam meam.*
10 *In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.*
11 *Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me & miserere mei.*
12 *Pes meus stetit in directo: in ecclesiis benedicam te Domine.*

6 Lauabo in munditia palmas meas: & circuibo altare tuum Domine ✝.
7 Ad faciendum audire in voce confessionis: & ad narrandum omnia separata tua.
8 Domine ✝ dilexi habitaculum domus tuæ: & locum tabernaculi honoris tui.
9 Ne congrega cum peccatoribus animam meam: & cum hominibus sanguinum vitas meas.
10 Quòd in manibus eorum cogitatio est: & dextera eorum plena munere.
11 Et ego in perfectione mea gradiar; redime me & miserere mei.
12 Pes meus stetit in rectitudine: in cœtibus benedicam Dominum ✝.

COMMENTARIVS.

Materia. Titulus est, *Dauidi*. De quo vt suprà.

Circa materiam Psalmi aduerte quòd cùm constet de auctore ex titulo, & nihil eorum quæ loquenti in hoc Psalmo attribuuntur excedere personam Dauidis, consequens est vt de ipso Dauide ad literam Psalmus tractet. Quæ autem tractet opportet ex iis quæ clara sunt coniicere. Clarum in primis est quòd nulla de inimicis fit mentio. Clarum secundò est quòd Dauid exponit se rigoroso examini diuini iudicij. Clarum tertiò est quòd iam dilexerat locum domus Dei inter alia multa bona quæ dicit se fecisse & promittit facere.

Iustificatio regni à Dauide obtenti. Ex quibus simul collatis apparet, quòd Dauid adepto regno antequam caderet in crimen adulterij & homicidij, edidit hunc Psalmum: intendens in ipso iustificare coram Deo causam adepti regni, scilicet quòd non malis artibus, sed cum omni rectitudine tum seruatâ tum seruandâ ambulauit. Et propterea nullius meminit inimici: propterea petit à Deo rigorosi examinis censuram: propterea tot bona sua opera commemorat, & mala à quibus abstinuit: propterea deuotionem suam erga domum Domini citat. Et si diligentiùs singula collata fuerint, apparebit quòd Psalmus iste editus fuit in principio quo Dauid factus fuit rex super totum Israël, & disposuit transferre arcam Domini in montem Sion: vt dicitur 1. Paralip. 13. nam illi tempori quadrant omnia: & iustificatio causæ regni tunc adepti, & deuotio erga domum Domini, & non consensisse malis gestis, & petitio segregationis à malis. Est ergo ad literam materia Psalmi iustificatio regni habiti à Dauide.

SVMMARIVM EST.

Dauid vbi exposuit se examini diuini iudicij (citatis tum bonis operibus suis, tum munditiâ à male gestis) petit vt Deus non aggreget progressum suum impiorum consortio, sed redimat ac misereatur sui affecti ad ea quæ sunt rectitudinis.

Persona loquens Propheta est.

IVDICA ME DOMINE. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *proba me*. Quatuor proponit: Primum: *Iudica me Domine*: petens iudicio discussionis & rigorosi examinis iudicari à Deo: non simpliciter & absolutè, sed in causa regni. Et hinc soluitur quæstio obiiciens quòd alibi dicit, *non intres in iudicium cum seruo tuo Domine*: ibi namque recusat diuinum iudicium simpliciter & absolutè: hîc autem petit illud in vna particulari causa. Secundum affert pro ratione talis petitionis ex parte integritatis suæ. *Quoniam ego in perfectione*, integritate, *mea*, hoc est, qualem fragilitas mea assequi potuit (addidit enim *mea* ne præsumptuosè videretur dicere quòd in perfectione ambulauit) *ambulaui*, progressus sum in negocio regni. Tertium ex parte diuinæ electionis, quâ elegerat ipsum in regem: *& in Domino*, non in homine, non in fortitudine sequacium, *confisus sum*. Et hæ dictæ causæ sunt veræ causæ petitionis. Quartum quod demum subiungitur, securitatis est: *non labar*, non timeo succumbere sub tali examine: vel potius non labar à regno super hæc fundato. VERS. 1. Psalm. 142. 2.

PROBA ME DOMINE. Incipit pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *Iudica me*. Secundò illa, *& in Domino confisus sum*, ibi, *quoniam gratia*. Tertiò illa, *in perfectione mea ambulaui*, ibi, *non sedi*. Quartò illa, *non labar*, ibi, *ne congrega*. VERS. 2. *Pars Executiua.*

Circa primum, rigorosum proponit examen sub similitudine examinandi argenti seu auri. *Proba me Domine & tenta me*, ad modum tentantis & experimentum sumere volentis habe te circa me: *Purifica*, conflatione in igne sicut purificatur argentum, *renes meos, & cor meum*: hoc est, intima quæque mea, affectus, cogitationes. Ac si apertè dixisset: Scrutare subtilissimè me & intima quæque mea, inuenies me mundum in causa.

Vers. 3. QVONIAM GRATIA TVA. Tractatur hîc illa particula, *& in Domino confisus sum*. Vbi aduerte in præcedenti Psalmo dictum fuisse, *vniuersæ viæ Domini gratia & veritas*. Monstrat

ſtrat ergo fiduciam ſuam totam in Deo fuiſſe, ex hoc quòd tam gratiam quàm veritatem Dei ante ſe habuit: illam in intellectu, quia *gratia tua*, affuit *conſpectui oculorum meorum*. Habebat enim ſemper ante oculos ſuos gratiam Dei quâ ſine eius meritis elegerat ipſum in Regem per Samuëlem, &c. & ſemper confidebat in gratia Dei. Et ne in vanum gratiam Dei reciperet, ſubiungit de veritate in opere: *& ambulabo in veritate tua*, non ſolùm ambulaui ſed perſeuerabo ambulando, in veritate tua, in veritate ſecundùm te, etſi fortè non ſecundùm homines

Perfectionis duæ ſunt partes: declinare à malo, & facere bonum.

Verſ. 4. NON SEDI. Tractatur hîc illa particula, *quoniam ego in perfectione mea ambulaui*. Et quoniam perfectio habet duas partes (declinare à malo, & facere bonum) inchoat à prima: *Non ſedi cum viris falſitatis, & cum latentibus non introibo*; Ioab & Abiſai viri falſitatis & latentes appellantur in occiſione Abner: de qua 2. Reg. 3. vnde & tunc dixit Dauid: *Mundus ego ſum & regnum meum apud Deum vſque in ſempiternum à ſanguine Abner*. Et propterea nunc dicit: *Non ſedi*, non communicaui, *cum viris falſitatis*, Ioab & fratre eius: *& cum latentibus*, id eſt, ſimulatè & proditoriè procedentibus, *non introibo*: quia nec ratam intendebat habere huiuſmodi rem geſtam, nec aliquid ſimile. Vbi aduerte quòd vtitur vocabulis ſpectantibus ad conſultandum, ſcilicet introeundi in locum conſilij & ſedendi in conſilio: vt intelligas non eſſe conſenſu aut conſilio eius quomodolibet factum illud homicidium, quaſi expediens ad conſequendum regnum. Et vtitur præterito ad excuſationem: futuro autem ad perpetuam deteſtationem.

2.Reg.3.

Odiui eccleſiam malignantium, & cum impijs non ſedebo. Impij & malignantes appellantur duo principes latronum Bana & Rechab, qui interfecerunt regem Isboſeth, & attulerunt caput eius ad Dauidem in Hebron: vt patet 2. Reg.4. *Odiui*, etiam facto, *eccleſiam*, congregationem, *malignantium*, Banaa & Rechab principum talis Eccleſiæ: *& cum impiis*, eiſdem, *non ſedebo*, regnabo, non accipiam in magnates regni. Minùs dicit quàm fecerit: quia non ſolùm non admiſit eos ad gratiam ſeſſionis, ſed iuſſit eos occidi. Et vniuerſaliter quoad omnia, *lauabo in munditia palmas meas*. Pilatus acceptâ aquâ lauit manus coram populo in ſignum munditiæ ſuæ, ita nunc Propheta iuxta hunc morem ait: *lauabo palmas meas in munditia*, manifeſtare potero toti populo opera mea eſſe munda velut lauans manus publicè in ſignum innocentiæ. Hæc quoad declinationem à malo.

Lauare manus eſt ſignificare ſe innocuum.

Quoad operationem verò boni ſubdit: *Et circuibo altare tuum Domine*. In quo non ſolùm ſacrificij oblationem ſed frequentiam comitum ipſo circuitu denotat. Et ecce effectus intentus ex circuitu: *Ad faciendum audire in voce confeſſionis & ad narrandum omnia ſeparata*, hoc eſt, mirabilia, *tua*. Ordo præpoſterus. Prius eſt enim cantare mirabilia Dei: & inde fit quòd audiatur vox laudis. Intendit enim per hoc diuinum cultum quem ordinauit in domo Domini ad teſtificandum rectitudinem animi ſui. Et adiungit de præterito: *Domine dilexi habitaculum domus tuæ, & locum tabernaculi honoris tui*. Hinc clarè apparet Dauidem dilexiſſe locum in quo ponendum erat tabernaculum honoris Dei, in quo honorabatur Deus (qui Bethel appellatus eſt à Patriarcha Iacob) & propterea Dauidem tranſtuliſſe arcam Domini in Sion, neſcius adhuc in qua parte montis erat Bethel. Propterea enim dicit quòd dilexit *locum tabernaculi honoris tui*. Vnde & meruit diuinâ reuelatione cognoſcere illum locum 1. Paralipomen. 21. & 2. Paralipom. 3.

Bethel, locus Tabernaculi.

Verſ. 9. NE CONGREGA CVM PECCATORIBVS. Tractatur hîc illa particula, *non labar*: petendo duo valde neceſſaria regi ad ſeruandum à lapſu. Primum eſt non habere conſortium cum peccatoribus. Et quamuis omnes peccatores vitandi ſint principibus, duo tamen genera hîc ſpecialiter deſcribuntur. Alterum eſt hominum ſanguinum: Alterum hominum munerum. Illi contra vitam, iſti contra iuſtitiam ſubditorum moliuntur. Primum ergo generaliter: *Ne congrega cum peccatoribus animam meam*, congregatione vnanimitatis. Deinde ſpecialiter: *& cum hominibus ſanguinum*, effuſoribus, *vitam meam*, conuerſationem meam. Et rurſus ſpecialiter. *Quòd in manibus eorum cogitatio, & dextera eorum repleta munere*. Homines qui muneribus corrumpuntur, primùm deſcripſit *quòd in manibus eorum cogitatio*. Habent enim tales homines cogitationes non in recta ratione, ſed in manibus. Si manus ſunt vacuæ habent vnam cogitationem: ſi manus ſunt plenæ, habent aliam cogitationem. Et propterea dicitur de ipſis quòd in manibus eorum cogitatio. Et vitium eorum apertiùs deſcribitur: *Et dextera eorum repleta munere*. Vbi ſcito quòd dictio Hebraïca non ſignificat munus abſolutè, ſed *munus ſordis* ſeu *corruptionis*. *Et ego*. Ecce quorſum tendit petitio: *Et ego in perfectione mea gradiar*, ſerua me à ſocietate iſtorum, & ego in perfectione mea inchoata perſeuerabo abſque lapſu. Et quoniam cognoſcebat non omnes ſuos rectè ſemper incedere, ideo ſubdit: *Redime me*, à ſeruitute peccatorum quos oportet me ſuſtinere, *& miſerere mei*, tolerantis illos: tolerauit enim vſque ad mortem crimen Ioab impune. Et ad prouocandum diuinam miſericordiam affert rectitudinem affectus. *Pes meus*, affectus meus, greſſus meus, *ſtetit in rectitudine*, non eſt lapſus à recto hactenus: & in futurum *in cœtibus benedicam Dominum*: quia hactenus perſeueraui in bono, & publicè laudabo ea quæ ſunt Domini, non ea quæ ſunt hominum, miſerere mei, non noceant mihi iniquitates aliorum. Amen.

Duplex hominum genus maximè vitent Reges.

PSALMVS

26 *Apud te laus mea in Ecclesia magna: vota mea reddam in conspectu timentium eum.*

27 *Edent pauperes & saturabuntur: & laudabunt Dominum qui requirunt eum, viuent corda eorum in seculum seculi.*

28 *Reminiscentur & conuertentur ad Dominum, vniuersi fines terræ.*
Et adorabunt in conspectu eius: vniuersæ familiæ gentium.

29 *Quoniam Domini est regnum: & ipse dominabitur gentium.*

30 *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ: in conspectu eius cadent omnes qui descendunt in terram.*

31 *Et anima mea illi viuet: & semen meum seruiet ipsi.*

32 *Annunciabitur Domino generatio ventura: & annunciabunt cæli iustitiam eius populo qui nascetur quem fecit Dominus.*

25 A te laus mea in Ecclesia multa: vota mea soluam coram timentibus Dei eius.

26 Comedent mites & saturabuntur: laudabunt Dominum * quærentes eum, viuet cor eorum sempiterno.

27 Recordabuntur & reuertentur ad Dominum * omnes fines terræ: & curuabuntur faciebus tuis omnes stirpes gentium.

28 Quoniam Domino * fit est regnum: & dominans in gentibus.

29 Comederunt & curuati sunt omnes pingues terræ: faciebus eius genuflectent omnes descendentes in puluerem pulueris, & qui animam suam non viuificauit.

30 Semen seruiet ei Deo: numerabitur Domino † generationi.

† Dominis meis.

31 Venient & annunciabunt iustitiam Dei eius populo nato: quoniam fecit Deus iustitiam.

COMMENTARIVS.

Materia. Passio Christi.

Titulus est, *Vincenti super ceruа auroræ Psalmus Dauidi.* Quia metaphorica est locutio, oportet prius materiam Psalmi stabilire aliunde. Apparet autem auctoritate Pauli Apostoli ad Hebr. 2. Psalmum hunc in persona Christi dici: ait enim ex hoc Psalmo de Christo: *Propter quam causam non confunditur vocare eos fratres dicens: annunciabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Euangelistæ quoque Matthæus cap. 27. & Ioan. 19. afferunt impleta verba huius Psalmi: *diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* Ipse denique Dominus crucifixus, principio huius Psalmi vsus est: *Eli, Eli, lammah hazabthani: quod est* (vt dicitur Matth. 27.) *Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me?* Ex quibus omnibus adiunctâ consonantiâ omnium quæ dicuntur in Psalmo ad Christi passionem & resurrectionem, non est vertendum in dubium materiam Psalmi ad literam esse passionem Christi, magisque historiam quàm prophetiam sonare.

Heb. 2. v. 11. 12.
Mat. 27. 35.
Ioan. 19. 24.
Mat. 27. 46.

Vnde quod dicitur in titulo *super cerua auroræ*, humanitatem Christi significare videtur. Congruè autem in passione assimilatur ceruæ. Est enim adeò simplex animal vt admiretur hominem sagittam parantem contra se: est & exemptum à febre: adeo vt caro eius esa præseruet alios à febre: habet quoque specialem cum serpente inimicitiam. Quæ omnia humanitati Christi optimè congruunt: præcipuè in passione, in qua admiratur se derelictum: hinc enim incipit Psalmus. Ab *aurora* autem tempore describitur: ad designandum tum quòd sponte dabat se in prædam: in aurora siquidem cerua non impulsa vexationibus venatorum, sed sponte procedit. Tum quòd ad diuinæ claritatis opera gradiebatur; aurora enim ad diem tendit.

Cerua caro præseruat à febre.

SVMMARIVM EST.

Messias crucifixus, affectu naturali admiratus tantam suam passionem, exponit Deo illam, explicando multas conditiones illius, & orans pro celeri resurrectione, promittit manifestare quæ Dei sunt, tum Iudæis, tum noua Ecclesiæ diffusæ in vniuersis nationibus, &c.

Persona loquens Messias est.

Vers. 1.

DEVS MEVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *longinquus.* Proponit: *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me?* Vbi scito verba hæc non esse ignorantis & quærentis scire causam: sed explicantis naturalem affectum tum carnalis sensus, tum rationalis naturæ, necnon & humanæ rationis modum: vt paulò pòst declarabitur: ipse enim Psalmus singula verba proposita declaraturus est.

Pars Executiua.

LONGINQVVS A SALVTE MEA. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *me.* Secundò, illa particula, *Deus meus*, ibi, *Deus meus.* Tertiò, altera particula, *Deus meus*, ibi, *quoniam tu extrahens me.* Quartò, illa, *dereliquisti*, ibi, *quoniam angustia.* Quintò, illa, *quare*, ibi,

tibi, *& tu Domine.* Proposuerat *dereliquisti me.* Poteras fortè intelligere derelictum eum simpliciter & absolutè: quod nec est verum nec intendit affirmare, sed derelictum se quoad aliquid, scilicet, quantùm ad præseruationem à tali passione & morte. Et propterea ad hoc explicandum dicit: *Longinquus*, supple, tu es, non à me, sed *à salute mea*, ne patiar, ne moriar. Vbi etiam aduerte quòd derelictionem talem describit non per modum desertionis, sed per modum distantiæ, dicens, *longinquus*: vt significetur Deus astans à remotis, hoc est, non præseruans à passione & morte. Rursus quia pronomen *me* demonstrat non solum personam derelictam, sed loquentem, vbi declarauit illud pronomen quatenus derelictum, modò declarat illudmet quatenus proponit querelam. Et propterea subdit: *verba rugitus mei.* Poteras credere quòd hæc admiratiua querela (*Deus meus, quare me dereliquisti*) procederet ex supremo consilio mentisque affectu: quod est falsum. Et ad hoc excludendum dicit quòd *verba* hæc sunt *rugitus mei*: hoc est, non supremi sed naturalis affectus: rugitus siquidem naturalis est vox leonis famem patientis seu tristitiâ affecti. *Rugitus leonis.*

Vbi aduerte quòd ista Christi vox, *Deus meus*, &c. quatenus est querula, explicat naturalem affectum carnalis sensus, refutantis contrarios sibi clauos, flagella & huiusmodi: & similiter naturalem affectum rationalis animi, refutantis ignominias, derisiones & huiusmodi. Quatenus verò est admiratiua, explicat excessum passionis supra modum rationis humanæ, etiam habitâ ratione salutis generis humani quæ per passionem fiebat. Nam humana ratio habet vt sufficiente medio Christus saluaret genus humanum, non autem quòd medio excessiuo: Christus autem cùm potuisset vnâ guttâ sui sanguinis sufficienter saluare genus humanum, tam excessiuè passus est, vt excedat omnem humanam rationem: vnde Moyses & Helias in transfiguratione Christi *dicebant excessum eius quem completurus erat in Hierusalem*, Luc. 9. Est itaque sensus: Quia *longinquum* te exhibes non à me sed, *à salute mea*, propter huiusmodi elongationem sunt *verba*, quæ dixi, non mea secundùm supremam mentem, sed *rugitus mei*, naturalis ac rationalis affectus, humanique modi. *Excessus passionis Christi.* Luc. 9. 31.

Vers. 2. DEVS MEVS. Tractatur hîc illa particula prima, *Deus meus*, tum ex parte Dei; tum ex parte meriti proprij, conferendo meritum proprium meritis patrum, & euentus contrarios sibi & patribus: *Deus meus*, mihi proprius singularissimo modo: hoc est, ex parte Dei. Ex parte autem sui meriti. *Vocabo*, perseuerabo vocando, *die & nocte*: non autem per partem diei & per partem noctis, sed continuè; hoc enim significat: *& non silentium mihi*: id est, nec die nec nocte sileo, sed semper voco te. *Et* tamen (ecce effectus) *non respondebis*, opere seruando à passione & morte. Et intellige per vocationem continuam, indefessum cursum vitæ eius in sanctis operibus: his enim continuè vocatur Deus. Et propterea in futuro describitur *vocabo*, ad denotandam perseuerantiam. Quamuis si ad tempus passionis restringatur, verificetur quòd à nocte incepit pati: cùm *cœpit pauere & tædere*, *& factus est sudor eius sicut sanguinis*, &c. *Et tu sanctus, sedens, laudes Israël.* Contra id quod dixerat, *Deus meus*, è regione ponit qualiter est Deus populi Israël. Quod vt intelligas, recole quòd Deus habebatur à populo sanctus, mundus, excelsus, sedens, regnans, quiescens: & propterea in Sancto sanctorum erat locata super Cherubim tanquam sedes Dei: etàtque Deus materia laudis, imò in quo se laudabant Israëlitæ. Et propterea hîc dicitur, *& tu ipse sanctus, sedens* haberis ac *laudes Israël*: hoc est, materia multiplicis laudis populi Israël. Vbi perspice differentiam: mihi es Deus meus, aliis autem fidelibus es *sanctus, sedens ac laudes.* Longe quippe maius significatur dicendo *Deus meus*, quàm dicendo *sanctus sedens laudes*: illud proprium, hoc commune: illud intimæ notitiæ, istud per communia simul iuncta Deum circumloquitur.

Vide merita simul & effectus: *In te confisi sunt patres nostri*: ecce meritum confidentiæ in Deo. *Confisi sunt & liberasti eos*: ecce effectus. Rursus *ad te clamauerunt*, vexati, *& erepti sunt*, à vexatione: *in te confisi sunt, & non sunt confusi*, ab expectatione sua. Vbi nota disparitatem meritorum: quia non dicitur *clamauerunt die & nocte*, nec dicitur *clamauerunt sine intermissione.* Disparitatem quoque effectus: quia patres non sunt confusi, sed sunt liberati: Christus autem dixit & non respondebis. Et quia parum esset non respondere, prosequendo effectus non responsionis, narrat euenisse sibi contraria iis quæ concessa sunt patribus. Et quantùm ad ea quæ sunt confusionis. *Et ego vermis*, hoc est, habeor vt vermis, vt animal quod quilibet nititur calcare & occidere, *& non vir*, habeor: imò *opprobrium Adam*, id est, hominis, naturæ humanæ, *& contemptus populi. Omnes videntes me subsannabunt me, aperient in labio, mouebunt caput.* Sunt enim hæc omnia derisionis gesta. Ad quid autem aperient labium, recitat: *Vertens ad Dominum*, supple, fuit, vt dixit, *eripiet*, pro, eripiat, *eum*, Dominus: *liberabit*, pro, liberet, *eum*, Dominus, *quoniam complacuit*, Dominus, *in eo*, tanquam in filio: vt ipse dixit. Vbi aduerte quòd hæc verba sunt verba sacerdotum, quæ Euangelio testante irridentes Christo crucifixo dixerunt Matthæi 27. *Confidit in Deo liberet eum, dixit enim quia filius Dei sum.* Mat. 27. 43.

Vers. 9. QVONIAM TV EXTRAHENS ME. Tractatur hîc altera particula, *Deus meus*: narrando quatuor & petendo vnum. Primum narratum est: *Quoniam tu extrahens me ex vtero.* Nasci siquidem ex vtero (quod in aliis opus est Dei mediante naturâ) in Christo fuit miraculosa Dei operatio: quia est egressus ex vtero saluo claustro virgineo. Et propterea hîc specialiter Deum suum dicit. Secundum est: *Confidere faciens me super vberibus matris meæ.* Ad literam Christus adhuc super vbera matris constitutus, saluatus est à persecutione Herodis cùm occidit infantes à bimatu & infrà Et propterea hîc commemorat quòd confidere fecit, hoc est, securum reddidit, eum super vbera matris existentem. Tertium: *Super te proiectus sum ex vulua*: hoc est, ex matrice, ex opere conceptionis meæ omnis cura mei in te iactata est. Quod ad literam impletum apparet: dum Beata Virgo cùm audisset: *ecce concipies in vtero*, & quæsisset *quomodo fiet istud*, & audisset *Spiritus sanctus superueniet in te* & cætera, proiecit totum conceptionis opus in Deum: *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.* Quartum: *De ventre matris meæ Deus meus tu.* Quoniam non *Nasci in Christo fuit miraculosum.* Luc. 1.

solùm modus concipiendi fuit sine virili semine, sed proles concepta fuit verbum caro factum. Et sic *de ventre matris meæ tu Deus meus*, vnione personali. Vnum quod petit est: *Ne elongare à me.* Quod directè respondet particulæ in principio Psalmi positæ, *longinquus à me*, & sic dicitur: *ne elongare à me.* Et est petitio non absolutè sed affectus naturalis: vt prius declaratum est. Et significatur à Propheta collatio tot diuinorum donorum Christo exhibitorum à principio conceptionis suæ, simul cum tanta, talique passione sua, seu non præseruatione à patiendo tot & tanta: valde quippe admirandum apparet, quòd cui tot dona concesserit, modò desit in tanta passione. Et propterea ex eodem affectu orat *ne elongare à me*, quo superiùs dixit *quare dereliquisti me.*

VERS. 11. *Variæ circumstantiæ passionis Christi.* QVONIAM ANGVSTIA. Tractatur hîc illa particula *dereliquisti*, exponendo ea in quibus derelictus est. Vbi aduerte explicari in primis causam passionis esse ipsam derelictionem à Deo, subalternando causam causæ. *Quoniam angustia proxima*, hoc est, quoniam tempus definitum passionis meæ iam appropinquauit, iam aduenit. Hæc est enim prima causa: iuxta illud Luc. 22. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* Non enim poterat ante tempus illud pati: iuxta illud Ioan 7. *Et nemo misit in illum manus quia nondum venerat hora eius.* Et hæc causa subalternatur alteri, scilicet derelictioni: de qua subditur: *Quoniam non adiutor*, supple est. Subtractio enim diuinæ præseruationis tempus effecit passionis. Post causas subduntur ipsæ tribulationes. *Circumdederunt me*, ad similitudinem circumdantium ne sit locus euasioni inuaserunt me, *tauri multi*, Pharisæi & seniores populi: *Fortes Basan*, id est, fortiores tauri ad similitudinem taurorum pinguium ex Basan (Annas, Caïphas, Pilatus) *coronauerunt*, circumquaque cinxerunt, *me*, missâ cohorte & ministris tanquam ad latronem. *Aperuerunt super me*, vorandum, *os suum*: tanquam *leo* nocturno tempore *rapiens & rugiens.* Vnde factum est quòd *sicut aqua effusus sum*, discipulis meis à me sic recedentibus vt nec saporem aut odorem quidem reliquerint in me: ad similitudinem effusæ aquæ, quæ nec odorem relinquit in vase in quo fuit. Et hoc constat verificatum quoad communes discipulos: inter quos erant multi magnates (vt Nicodemus & Ioseph ab Arimathia) quorum nullus pro Christo tot horis tam publicè subiecto examini Pilati cupientis illum liberare, minimum verbum dixit, nullus ad plebem refrænandam mussitauit aut innuit.

Luc. 22. 53.

Ioann. 7. 30.

Ossa. Apostoli. De Apostolis autem subiungitur: *& separauerunt se omnia ossa mea.* Ossa siquidem sustinentia carnem, pro Apostolis firmioribus quoad officium sustentandi alios descripta sunt: iuxta illud: *Debemus nos qui firmiores sumus imbecillitates infirmorum sustinere.* Qui omnes fugerunt relicto illo. *Fuit cor meum sicut cera liquefacta in medio intestinorum meorum.* Hoc ad literam verificatur de inferiori parte animæ: pro quanto dimissa est pati secundùm vnamquamque virium sine redundantia consolationis ex parte superiori. Vnde scriptum est quòd *cœpit pauere & tædere*, & habuit animam tristem vsque ad mortem, & factus est sudor eius constituti in agonia sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Vnde cùm pauor & tristitia maximè opponantur cordi, quod dicitur à Philosophis primum sanguinis contentiuum, ipse sanguineus sudor cordis liquefactioni assimilatur tanquam testimonium passionis internæ maximæ. Et propterea describitur *in medio intestinorum meorum*: vt vndique intelligas interna pati. Siste tamen infra partem inferiorem animæ: quoniam pars superior beata semper fuit.

Rom. 15. 1.

Marc. 14. 33.

Tristitia & pauor cordi maximè opponuntur.

Aruit velut testa vis mea. Quicquid virium in Christo erat (sapientiæ quâ docuerat, potentiæ quâ fecerat tot miracula, bonitatis, &c.) totum tempore passionis aridum reputatum est: non vt lignum quod quandoque fuit viride, sed vt testa, quæ nunquam fuit viridis, nunquam protulit fructum. Reputatus siquidem est tunc Christus ab Herode tanquam qui nunquam fuerit sapiens aut operator miraculorum, sed tanquam fatuus & fabulator coram plebe: cùm tamen Ioannem Baptistam reputaret virum sanctum. Similiter populus sic contra eum acclamauit *crucifige*, tanquam peiorem latrone, homicidâ, seditioso. *Et lingua mea adhæsit palato meo.* Tantum siquidem fuit eius silentium vt contra tot obiecta nihil vnquam responderit. Et propterea dicitur: *lingua mea adhæsit palato meo. Et ad puluerem mortis pones me.* Hæc omnia ad hoc ordinantur, non ad plagas patiendum sed ad mortem subeundam. Vnde cum Pilatus vellet liberare eum aliqualiter punitum (*corripiam*, inquit, *eum & dimittam*) clamauerunt, *crucifige, crucifige*, &c. hoc enim significat, *& ad puluerem mortis pones me.* Et intendit per *puluerem mortis* (hoc est, *puluerem mortiferum*) multitudinem plebis tanquam puluerem impetentem ipsum ad mortem: cùm nullâ ratione possent satiari donec obtinerent damnationem illius ad mortem.

Luc. 23. 16.

Quoniam circumdederunt me canes. Certum hîc recole circumdatam venatoriis canibus, Iudæis latrantibus, clamantibus, *crucifige, crucifige. Congregatio malignantium circumdedit me.* Congregatus populus ad petendum mortem eius, congregatio malignorum appellatur: à cœtu capitum suadentium plebi vt peterent mortem Christi. Vbi aduerte quòd circumdatio vtraque introducitur cum coniunctione causali, *quoniam circumdederunt me*: vt intelligas hanc circumdationem esse causam eius quod sequitur (scilicet: *fixerunt manus meas & pedes meos*) hoc est, mortis in cruce. In ea enim fixi sunt pedes & fixæ sunt manus.

Aduerte Hebræos loco *fixerunt* habere *sicut leo*, magnamque propterea litem exortam, Hebræis monstrantibus textum sonantem *sicut leo*: quibusdam verò ex nostris obicientibus quòd Hebræi corruperunt textum, ne ex hoc textu conuincatur crucifixio Christi prophetata, ita quòd mutauerunt verba: nonnullis autem dicentibus non esse mutatam dictionem, sed ratione diuersâ posse intelligi vt LXX. & Hieronymus interpretati sunt. Quid horum verius sit nescio: illud tamen constat quòd LXX. ante Messiæ aduentum transtulerunt *foderunt*: & quòd Propheta iam induxerat similitudinem leonis, dicendo, *leo rapiens & rugiens.* Hebræi tamen legentes *sicut leo* seu *instar leonis*, exponunt vel subaudiendo mordentes manus meas & pedes meos: vel prohibentes manus meas à defensione & pedes meos à fuga.

Controuersia de interpretatione huius loci.

Numerabo

Numerabo omnia ossa mea: hoc est, numerare potero omnia ossa mea, in corpore macilento, nudo, extenso in cruce: *ipsi respicient,* me crucifixum: nec solum respicient sed *videbunt in me,* tanquam victores. Familiare est huic Prophetæ describere victores ab effectu illo quo victores soliti sunt videre in personis victis cuncta, vel ad discernendum occisos, vel expoliandum eos. Et propterea hîc inducit occisores Christi tanquam eos qui vicerint, dicendo: *videbunt in me,* occiso vt victores. Vnde & aptè subditur: *Partientur vestimenta mea sibi,* in quatuor partes: *& super vestimentum meum,* tunicam inconsutilem, *proycient sortem,* milites nolentes eam scindere.

Quatuor mala Christo morienti occurrebant. *Vers.* 19. Et tv Domine. Tractatur hîc illa particula, *quare.* Tractatur autem manifestando rationem quare dereliquerit Deus Messiam quoad hoc quòd voluit ipsum pati & mori, tali modo & ordine. Modus est quòd ipse Christus inducitur orans pro celeri resurrectione sua: assignans rationem ex secuturo fructu, quem multipliciter explicat. Circa ordinem verò aduerte hîc quatuor mala esse quæ Christo occurrebant: duo quæ incurrit, & duo ne euenirent. Primum malum quod ne eueniat orat, tenet se ex parte temporis: & est dilatio resurrectionis. Et pro hoc malo vitando orat dicens: *Et tu Domine ne elongare,* quantùm ad resuscitationem meam: nec solùm peto vt non elongeris, sed *fortitudo mea* (sola enim diuina fortitudo potest resuscitare) *ad auxilium meum,* resuscitando me, *festina,* infra triduum.

Secundum malum (quod tamen incurrit & tenet se ex parte animæ) est separatio animæ à corpore. Manere enim animam separatam à corpore, pœna est tanta vt propter ipsam sancti clament: *Vsquequo Domine non vindicas sanguinem nostrum,* &c. Apoc. 6. Hanc pœnam (Apocal. 6. 10) pertulit anima Christi à morte vsque ad resurrectionem. Et vt ab hac pœnalitate liberetur orat. *Erue ab ense animam meam.* Appellatione siquidem ensis (gladij seu frameæ) omnia arma offensiua intelliguntur. Anima autem Christi separata est à corpore violentiâ crucifixionis. Et propterea petens liberari animam à pœnalitate separati status, petit erui animam suam à gladio: hoc est, ab effectu illato per mortem violentam.

Tertium malum tenet se ex parte loci: & est vilis locus inferni. Fuit enim anima Christi ibi vsque ad resurrectionem, nonnihil vilitatis patiens ex hoc quòd in illo erat loco: iuxta verbum Petri Apostoli: *solutis doloribus inferni,* iuxta quòd impossibile erat teneri illum ab eo. (Act. 2. 24.) Et pro liberatione à tali pœna, orat dicens: *De manu canis vnicam meam.* De manu inquit tanquam tenente (non de morsu) canis: locus, enim, canis, id est, dæmonis detinuit animam Christi sicut & sepulchrum claudebat corpus. Appellatur autem detinens locus dæmonis manus, propter identitatem officij: dæmoniacæ quippe manus officium est detinere animas in inferno: non quòd Christus fuerit ibi detentus potestate dæmonis.

Quartum malum se tenet ex parte dæmonum: & est insultus eorum ad capiendam vorandamque Christi animam. Et ne hoc malum eueniat, orat dicens: *Salua me ex ore leonis & de cornibus vnicornium.* Vbi aduerte quòd huiusmodi petitiones non emanant à Christo tanquam timente opposita, sed ad manifestandum quòd hæc omnia Christus meruit. Ita quòd sicut actibus meritoriis fecit sibi hæc debita, ita petitionibus facit sibi eadem debita: iuxta verbum Patris ad ipsum: *Postula à me & dabo tibi.* Nec est dubium quòd (Psalm. 2. 8.) Dæmones audientes Christum dicentem, *Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me,* præsumpserunt cogitare de aggrediendo animam Christi: iuxta illud: *venit princeps mundi huius.* (Ioan. 14. 30.) Quare autem appellatione leonis & vnicornium veniant Dæmones, manifestum est: Dæmon enim est rex super omnes filios superbiæ: & animal quod vocatur vnicornis (habens vnum in fronte cornu) potius occiditur quàm cedat: quod est commune omnibus dæmonibus. Petrus quoque Apostolus declarauit quòd tanquam leo rugiens quærit quem deuoret. Scito hîc quòd de vnicorni Plinius scribit asperrimam feram monocerotem, reliquo corpore equo similem, capite ceruo, pedibus elephanto, caudâ apro, mugitu graui, vno cornu nigro mediâ fronte cubitorum duorum eminente: hanc feram viuam negant capi. Hæc ille. (Monocerotis descriptio.)

Vers. 21. Respondisti mihi. Præmissâ petitione resurrectionis, subiungit se exauditum: vt hinc intelligas differentiam inter orationē procedentem ex naturali affectu (in qua dixit, *vocabo & non respondebis*) & orationem hanc procedentem ex deliberato mentis consilio: de qua dicit Apostolus quòd in omnibus exauditus est pro sua reuerentia. *Respondisti,* inquit, *mihi.* resuscitasti me intra triduum vt petij: *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te.* Ecce fructus duplex resurrectionis. Alter quoad Iudæos: *Narrabo nomen tuum,* quod cognosci potest & debet de te. *fratribus meis,* secundū carnem, Israëlitis. In quo ostendit se post resurrectionem esse eiusdem naturæ nobiscum: & quos prius vocauerat amicos, & nunc consecutus omnem potestatem in cœlo & in terra habebat seruos, appellat tamen fratres. Alter fructus est, *In medio Ecclesiæ* (quam inferiùs declarabit Ecclesiam magnam) in publico vniuersi orbis, *laudabo te.* Vbi aduerte quòd vtrumque Christus per seipsum inchoauit post resurrectionem: nam multis fratribus suis narrauit quæ Dei sunt, & etiam in multitudine congregatis manifestauit diuinam gloriam, vt patet ex Euangelio & Actibus Apostolorum, compleuit autem per suos discipulos. Aduerte quoque quòd vterque fructus promissus, ordinatè describitur in subsequentibus. Vnde primum subiungitur quod narrandum est Iudæis, dicens: *Timentes Dominum laudate eum: omne semen Iacob honorate eum, & metuite ab eo omne semen Israël. Quoniam non despexit, & non abominatus est humilitatem pauperis, mei: & non abscondit faciem suam ab eo,* paupere, scilicet meipso, *& in clamare ipsum ad eum audiuit.* Vbi manifestè cernis Christum manifestare discipulis resurrectionem suam: declarando quòd humilitas passionis suæ fuit accepta Deo, & quòd audiuit eum patientem, & quòd faciem suam ostendit ei. Hæc enim in Euangelio Christus resurgens dixit: *Hæc sunt verba quæ cùm essem vobiscum dicebam vobis,* &c. Deinde (Luc. 24. 44.) subiunguntur spectantia ad alterū fructum. *A te laus mea in Ecclesia multa.* Hîc incipit institutio vniuersalis Ecclesiæ post Christi Resurrectionem. Vbi aduerte tangi octo quæ inueniuntur in

Duplex fructus resurrectionis Christi.

vna

Octo quæ in Christi Ecclesia inueniuntur, hic commemorantur.

vna Christi Ecclesia ab ipso Christo narrata: vtpote instituta ab ipso. Et primum est institutio laudis diuinæ & specialiter ipsius Christi: Euangelium enim quod institutum est prædicari, Christi laudibus est plenum. Et ideò ab exclusione humanæ adinuentionis inchoat. *A te*, non ab humana inuentione, *laus mea*, quia ego laudabor, *in Ecclesia multa*, vniuersali, supple est. Vel laus mea actiuè, quam ego instituo in Ecclesia multa, in Ecclesia vniuersali, dum instituo Ecclesiam vacare diuinis laudibus, non est ab adinuentione humana sed à te procedit: vt hinc intelligas non esse vanam Christi laudem: & non esse superstitiosum sed diuinâ institutione actum, vt Ecclesia vacet diuinis laudibus.

Secundum, qualitas membrorum Ecclesiæ: *vota mea soluam coram timentibus eius*. Dixerat *in Ecclesia multa*, ne putes placere ei multitudinem, declarat quales sunt coram quibus intendit laudes, desideria, oblationes &c. Deo reddere, dicendo: *coram timentibus eius*, Dei. Tanquam si diceret: quòd licet Ecclesia sit multa, grati tamen erunt soli timentes Deum. *Soluam* autem per membra mea.

Tertium, Sacramentum Eucharistiæ describitur quantùm ad manducationem spiritualem. *Comedent mites & saturabuntur*, cœlesti pane cum triplici fructu, scilicet diuinæ laudis, *laudabunt eum*; diuinæ inquisitionis, *quærentes eum:* quærunt enim non quæ sua sunt sed quæ Dei; sempiternæ vitæ, non corporis sed animæ: *viuet cor*, non corpus, *eorum semper*.

Quartum, concursus totius mundi ad Ecclesiam. *Recordabuntur*, suimet homines qui tanquam obliti sui erant, *& reuertentur ad Dominum*, pœnitendo qui peccando à Deo recesserant, *omnes fines terræ*, vt totum intelligas comprehendi mundum, nec solùm recordabuntur & reuertentur, sed *& curuabuntur*, id est, adorabunt, qui prius adorauerant idola, &c. *curuabuntur* inquam *faciebus tuis*, hoc est, non fictè sed coram te, in spiritu scilicet & veritate, *vniuersæ stirpes gentium:* vt intelligas nullam nationem exemptam. Vbi collige conuersionem mundi tribus actibus: recordatione sui; reuersione ad Deum fide & pœnitentiâ; adoratione in spiritu & veritate.

Conuersio mundi tribus actibus.

Quintum, diuina Ecclesiæ gubernatio. *Quia Domino regnum:* hoc est, quia regnum Ecclesiæ non est regnum hominis sed Dei. Vnde & Dominus Euangelium inchoauit: *quia appropinquat regnum cælorum*. Et propterea dicit: *Quia Domino regnum*, acquiritur: & ipse, Dominus, est *dominans in gentibus*. Ratio siquidem conuersionis mundi ad Ecclesiam Christi, est quia non quæritur regnum mundi, sed regnum Dei: quia ipse Deus non homo est, qui dominatur, gubernat, non vnam Iudæorum nationem vt olim sed in gentibus.

Sextum, diuersitas meritorum in Ecclesia. Vbi triplex gradus fidelium colligitur: Primus est fidelium vacantium curis terrenis. Et de his dicitur: *Comederunt*, hoc est sacramenta perceperunt, *& curuati sunt*, cultum diuinum exhibuerunt, *omnes pingues terræ:* siue sint pingues diuitiis, siue deliciis, siue desideriis, siue curis, &c. terrenis. Secundus est pauperum spiritu & abnegantium seipsos. Pauperes quippe spiritu significantur dicendo: *Vniuersi descendentes pulueris*, hoc est, qui in animo suo descendunt in puluerem: sicut Abraham: *Loquar ad Dominum meum cum sim puluis & cinis*. Ij enim propriè sunt pauperes spiritu qui intus se humiliant, sicut qui exterius prosternunt se vsque ad puluerem. Abnegantes seipsos copulantur pauperibus spiritu. Et significantur dicendo: *& animam suam non viuificauit*. Copulatio fit descendendo ad singulos vniuersorum. Ac si dixisset: *vniuersi descendentes pulueris, & qui animam suam non viuificauit*. Qui enim deliciis huius mundi vacat, qui commoditate nulla carere vult, animam suam continuè viuificat: qui autem abnegauit semetipsum, & tollit crucem suam post Christum, non viuificat animam, id est, vitam suam, sed continuè mortificat eam. Hi sunt in Ecclesia perfectiores: vt Martyres & viri perfectæ vitæ, qui vitam suam hanc non viuificarunt sed mortificarunt: vel exponendo se martyrio, vel fame, siti, frigore, nuditate, vigiliis, ieiuniis, castitate, &c. Et his perfectis attribuitur quòd *ante faciem eius*, id est, ante faciem diuinam *genuflectent:* hoc est, quòd in veritate, diuinâ facie teste, ob diuinam reuerentiam se humiliabunt plus aliis: quia alij curuant se inclinando, isti autem genuflectunt. Tertius est imitantium perfectos. De quibus dicitur, *semen seruiet ei*. Sicut enim semen descendit ab animalibus & viuentibus perfectis, susceptâ eorum virtute, ita iusti incipientes & proficientes velut semina deriuantur à perfectis: Qui describuntur seruire Deo: vt in eis actum timoris magis quàm amoris apparere intelligas.

Triplex fidelium gradus.

Genes. 18. 27.

Septimum, vnitas Ecclesiæ. *Numerabitur Domino generationi*, computabuntur omnes quantumcumque diuersorum meritorum ad generationem vnam (quæ est generatio baptismalis) Domino, non homini.

Et demum octauò adiungitur modus quo fiet vna generatio omnium. *Venient*, Apostoli aliique Christi Discipuli, *& annunciabunt*. prædicabunt *iustitiam eius*, Dei, *populo nato*, ex aqua & spiritu: *quoniam fecit*, supple Dominus iustitiam suam, patiendo, moriendo, resurgendo. Hæc est enim iustitia Dei quam Deus fecit, quam Christi Discipuli prædicant. Hic est modus quo in vnitatem Ecclesiæ omnes regeneramur Domino. Amen.

PSALMVS

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Pſalmus Dauid.*

XXII.

2 *DOMINVS regit me & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit.*

3 *Super aquam refectionis educauit me: animam meam conuertit.*

Deduxit me ſuper ſemitas iuſtitiæ: propter nomen ſuum.

4 *Nam & ſi ambulauero in medio vmbræ mortis: non timebo mala quoniam tu mecum es.*

Virga tua & baculus tuus: ipſa me conſolata ſunt.

5 *Paraſti in conſpectu meo menſam: aduerſus eos qui tribulant me.*

Impinguaſti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus eſt.

6 *Et miſericordia tua ſubſequetur me: omnibus diebus vitæ meæ.*

Et vt inhabitem in domo Domini: in longitudine dierum.

IVXTA HEBRÆVM.

Pſalmus Dauidi.

XXIII.

1 *Propheta.* DOMINVS ⁺ paſtor eſt meus: non deficiã.

2 In habitaculis herbæ accubare faciet me: ſuper aquas quietum ducet me.

3 Animam meam reſtituet, ducet me in vias iuſtitiæ: propter nomen ſuum.

4 Etiam quando ambulabo in valle vmbræ mortis, non timebo malum, quoniam tu mecum es: virga tua & baculus tuus ipſa conſolabuntur me.

5 Parabis faciebus meis menſam coram anguſtatoribus meis: impinguaſti in oleo caput meum, calix meus eſt ſatians.

6 Tantum bonitas & gratia ſequentur me omnibus diebus vitarum mearum: & quieſcam in domo Domini ⁺ in longitudine † dierum. † *longitudini.*

COMMENTARIVS.

TItulus eſt, *Pſalmus Dauidi.* De quo vt ſuprà.

Materia. Materia Pſalmi ex ipſo apparet: nam ex eo quòd conſtat Dauidem auctorem Pſalmi eſſe, & quòd nihil eorum quæ de ſeipſo Propheta loquitur excedit perſonam ipſius Dauidis, ſed omnia verificantur de ipſo: clarè colligitur Pſalmum ad literam de ipſo Dauide tractare. Tractat autem quòd Deo curam habente Dauidis, omnia in temporalibus & ſpiritualibus bene illi ſucceſſerunt & ſuccedent, ſpecialiter quoad templum Domini: vt clarè apparet intuenti Pſalmum. Hæc eſt ad literam materia Pſalmi.

SVMMARIVM EST.

VBi Dauid deſcripſit Deum velut paſtorem ſuum (prouidentem ſibi quaſi oui de habitaculo, paſcuis, aquis, ducatu in viis quibuſque ac adiutorio) deſcribit datam ſibi abundantiam cibi ac potus, victoriam, regnum; & perſeuerante bonitate ac gratiâ quietem in domo Domini diuturnam futuram.

Perſona loquens Propheta eſt.

VERS. 1. DOMINVS PASTOR MEVS. Diuiditur Pſalmus in partes duas: propoſitiuam materiæ, & executiuam, ibi, *in habitaculis.* Proponit duo: Alterum, *Dominus paſtor meus.* Alterum, *non deficiam*: hoc eſt, quamdiu Dominus paſtor meus fuerit non deficiam: ſeu aſſertiuè & cauſaliter: quia Dominus paſtor meus, fuit, eſt & erit, ideo non deficiam, tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus.

VERS. 2. *Pars Executiua.* IN HABITACVLIS. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *Dominus paſtor meus*: Secundò illa, *non deficiam*, ibi, *parabis.*

Quinque circa Paſtoris officium deſcribuntur. Circa officia Paſtoris quinque deſcribit. *Primò* commoditatem habitaculi iuxta paſcua, ac per hoc *ſecundum* ipſa paſcua, dicens: *in habitaculis herbæ*, hoc eſt, iuxta herbas, *accubare faciet me. Tertium* commoditatem aquarum: *ſuper aquas quietum*, non impetuoſas, *ducet me* ad potum. *Quartum* commoditatem temporis paſcendi: *animam meam reſtituet*: hoc eſt, tempore indigentiæ cibi reſtituet paſtu *animam meam*, vitam meam. Et loquitur more eorum qui exinaniti, cibo ſumpto dicunt, quòd, qui pauit eos reſtituit eis animam, quaſi fecerit reuerti animam. *Quintum*, ducatum per vias tam ſpatioſas quàm periculoſas.

Sed aduerte hîc quòd in hoc ducatu tranſit à metaphora ad veritatem, & proprietate ſermonis

monis metaphoram occupat: *ducet me in vias iustitia*. Quæ non conuenit oui, sed homini hactenus significato per ouem. *Ducet*, inquit, *me in vias iustitia*, non iniquitatis. Et hoc *propter nomen suum*, non propter mea merita; vel *propter nomen suum* glorificandum. Hæc quoad vias tutas. Quoad vias autem periculi plenas subdit. *Etiam quando ambulabo in valle vmbra mortis*, hoc est, in loco periculorum mortis, siue animæ siue corporis (vmbra enim mortis periculum significat mortis) *non timebo malum*, sed securus incedam, *quoniam tu mecum*: hoc est, nihil timebo te mecum existente. Et prosequendo metaphoram pastoris, effectus Dei secum existentis describit duos: Alter est, *virga tua*, directio tua pastoralis (virga siquidem pastoralis directiua est ouium) *& baculus tuus*, hoc est, sustentaculum tuum (baculo enim vtitur pastor ad sustentationem) quo sustentaculo intellige adiutorium diuinum sustentans nos: *ipsa* directio mentis & sustentatio virium, *consolabuntur me*, tam in viis iustitiæ quàm in valle vmbræ mortis. Et fuit impletum vtrumque in Dauide deducto inter tot persecutiones Saulis ac pericula bellorum: tum sine lapsu in crimina, semper iustus: tum sine læsione corporis aut vulnere. Et describuntur beneficia prætetita vt futura: tum ad significandam perseuerantiam beneficiorum diuinorum: tum ad significandum quòd simile quid in futurum faciet Deus: siue sibi, siue alteri, cuius curam geret vt pastor.

Vmbra mortis est periculum mortis.

Virga pastoralis.

Baculus.

Vers. 5. PARABIS FACIEBVS MEIS MENSAM. Tractatur hic illa particula, *non deficiam*. Vbi aduerte hactenus dixisse metaphoram pastoris & ouis: modò verò explanare illam: Primò in bonis habitis: narrans quatuor bonorum genera ex diuina ipsius cura prouenisse sibi. Primum: *parabis faciebus meis mensam*: hoc est, prouidebis mihi abundantiam eorum quæ spectant ad cibum. Et huic annectitur secundum, scilicet præualentia in hostes: *coram angustatoribus meis*. In quo non solùm hinc abundantia annonæ & inde depressio hostium, verùm excellentia quædam ex præsentia inimicorum significatur: pro quanto describitur mensa ei parata ad edendum, coram hostibus autem ad inuidiam. Quod ad literam impletum apparet, cùm Dauid abundauit temporalibus bonis: Saulis autem domus defecit, & coram ipsa domo Saulis domus Dauid abundauit. Potest etiam hoc extendi ad Ammonitas & auxiliares: coram quibus subactis abundauit Dauid. Describitur autem hoc in futuro respectu præteriti subiuncti, *impinguasti in oleo caput meum*. Intendit enim quòd ex quo vnxisti me in regem, *parabis mensam*, ad ostendendam sequelam mensæ ad vnctionem regiam. Tertium (quod est secundùm rerum ordinem primum) *impinguasti in oleo caput meum*. In quo pinguedinem regni quod vnctione capitis tradebatur intellige. Quartum: *Calix meus satians*: hoc est (vt dictio Hebraïca sonat) *potans semper plenus*. In quo ex abundantia potus, reliquorum delectabilium temporalium plenitudinem significauit. Quantùm vero ad perseuerantiam in bonis dicit: *tantùm bonitas & gratia*. Expertus fuerat Dauid eiectum se fuisse à Deo propter crimen adulterij & homicidij. Et propterea non audet sibi promittere absolutè perseuerantiam bonorum quæ Deus concessit & promisit, sed adiungit velut conditionalem dicendo: *tantùm bonitas & gratia*, solis istis duabus rebus me comitantibus *quiescam in domo Domini*. Et æquipollet conditionali hic loquendi modus, tantùm hos habebo socios & ero securus: hoc est, si solos hos habebo comites, ero tutus. In hoc sensu declarat Dauid quòd non deficiet. *Tantum bonitas*, propria quâ bonus esse debeo, *& gratia*, diuina, *sequentur me*, comitabuntur me, non ad tempus vt olim, sed *omnibus diebus vitarum mearum*, vitæ meæ: *& sic quiescam in domo Domini*, ego cum semine meo regnans, *in longitudine dierum*, sine fine. Textus Hebræus habet in datiuo *longitudini*: sed constructio mutauit adiunctâ præpositione *in*.

Quatuor bonorũ genera ex diuina cura.

Aduerte quoque quòd si parabola in principio Psalmi proposita collata fuerit cum his bonis spiritualibus & temporalibus, apparebit quòd habitaculo respondet domus Domini, herbis mensa, aquis calix semper fœcundus, restitutioni animæ bonitas & gratia, deductioni per vias vmbræ mortis pro termino subactio hostium, per alias autem vias regnum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	*IVXTA HEBRÆVM.*
1 *Psalmus Dauid prima sabbati.*	Dauidi Psalmus.
XXIII.	XXIV.
DOMINI est terra & plenitudo eius: orbis terrarum & vniuersi qui habitant in eo.	1 *Propheta.* DOMINO[a] [fecuit] terra & plenitudo eius: orbis & habitantes in eo.
2 *Quia ipse super maria fundauit eum: & super flumina præparauit eum.*	2 Quia ipse super maria fundauit eam: & super flumina stabiliet illam.
3 *Quis ascendet in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto eius?*	3 *Populus.* Quis ascendet in montem Domini[a]? & quis stabit in loco sanctitatis eius?
4 *Innocens manibus & mundo corde: qui non accepit in vano animam suam,*	4 *Messias.* Mundus palmis & purus corde: qui non accepit in vanum

nec iurauit in dolo proximo suo.	num † animam meam,& non iurauit ad dolum †. († vano. † dolo.)
5 *Hic accipiet benedictionem à Domino: & misericordiam à Deo salutari suo.*	5 Accipiet benedictionem à Domino:& iustitiam à Deo salutis suæ.
6 *Hæc est generatio quærentium eum: quærentium faciem Dei Iacob.*	6 Hæc est generatio quærentium eum: quærentium facies tuas ò Iacob. *Selah.*
7 *Attollite portas principes vestras & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.*	7 *Apostoli.* Eleuate portæ capita vestra, & eleuate vos ianuæ æterni: & veniet rex honoris.
8 *Quis est iste rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.*	8 *Portæ.* Quis iste rex honoris? *Apostoli.* Dominus fortis & potens, Dominus potens belli.
9 *Attollite portas principes vestras & eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ.*	9 Eleuate portæ capita vestra,& eleuate ianuæ æterni: & veniet rex honoris.
10 *Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.*	10 *Portæ.* Quis est iste rex honoris? *Apostoli.* Dominus exercituum ipse est rex honoris. *Selah.*

COMMENTARIVS.

Dauidi Psalmus, & Psalmus Dauidi, in quo differant?

TItulus est, *Dauidi Psalmus.* Dicunt Hebræi quòd transpositio huiusmodi in titulis Psalmorum (scilicet quòd quandoque Psalmus præponitur *Dauidi*, & quandoque *Dauid* præponitur Psalmo, vt hîc) significat diuersa tempora aduenientis Spiritus sancti in Dauidem. Quando enim Dauid præponitur, infusio spiritus sequebatur: quando verò Psalmus præponitur, infusio spiritus præueniebat.

Materia.

Circa materiam Psalmi aduerte quòd ex auctoritate Apostoli Pauli 1. ad Corinth. 10. afferentis principium huius Psalmi (*Domini est terra & plenitudo eius*) ad probandum libertatem nostram ab immunditiis ciborum, habemus quòd Psalmus iste tractat tempus Messiæ. Quod vt penetres, distingue tempora, scilicet ante Messiam & tempus Messiæ: & vtendo principio huius Psalmi ad monstrandum omni cibo licere vesci, percipies quod diximus: nam ex hac auctoritate ante tempus Messiæ non poterat inferri quòd omne quòd in macello vænit comedendum sit: in promptu siquidem erat responsio quòd licet omnia sint Domini, quia tamen ipse Dominus in lege sua prohibuit multos cibos (inter quos erant immolata idolis: vt tam in Psalm. centesimosexto dicitur, *& comederunt sacrificia mortuorum*: quàm Actuum 15. *vt abstineatis ab immolatis idolis*, inter prohibita siquidem Iudæis primo loco ibi connumerantur hæc) ideo non licet vesci huiusmodi. Vnde ex hoc ipso quòd ex vi huius auctoritatis Paulus Apostolus infert licitum esse vesci omni cibo, insinuatur quòd hoc Psalmi principium continet in se implicitè tempus Messiæ: quod est tempus libertatis à lege de immunditia ciborum. Ita quòd non significatur quòd Domini est terra absolutè, sed quòd Domini est vniuersa terra nouo modo: illo scilicet modo quo est Messiæ. Hinc enim optimè infertur libertas à lege ciborum: ex quo enim iam terra & plenitudo eius est Messiæ, liberum est vesci omnibus. Vnde & ad hoc denotandum, in Hebræo non dicitur *Domini est terra* (quamuis Paulus Apostolus vsus fuerit translatione LXX. Interpretum, scribens Græcâ linguâ) sed dicitur *Domino terra*: quòd plus importat quàm dominium: nam sonat terram ordinari ad Dominum, &c.

Tempus Messiæ. *Psalm. 106. Act. 15.*

Media quoque pars Psalmi vniuersaliter describit generationem quærentium Deum, & non generationem ministrorum templi tantùm. Finis denique Psalmi manifestè tractat aduentum regis honoris: quem proculdubio intelligimus Messiam. Ex quibus omnibus apparet quòd Psalmus iste ad literam tractat de totius mundi salute per aduentum regis gloriæ: hoc est Messiæ.

SVMMARIVM EST.

VBi descripsit Propheta vniuersam terram fructificare Deo, describit & conditiones eorum qui in veritate tendunt ad beatitudinem æternam, & conditiones Messiæ saluatoris eorum.

Personæ loquentes sunt quinque: Propheta, Populus, Messias, Apostoli, & Portæ.

DOMINO TERRA ET PLENITVDO EIVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi: *quia ipse.* Proponit duo: Alterum est, *Domino terra & plenitudo eius.* Et est sensus: *Domino* seruit seu fructificat *terra* non hæc, vel illa, sed absolutè, hoc est vniuersa: nec solùm ipsa terra sed *plenitudo* terræ, hoc est, animalia replentia terram: iuxta illud Baruch 3. *qui adimpleuit eam pecudibus.* Alterum est: *Orbis & habitantes in eo*: hoc est, homines vniuersi, qui propriè habitant orbem. Et subiunxit *orbis*, ad explicandum à figura rotunditatis terræ quòd de terra vniuersa dixerat *terra*: nam appositiuè legendum est *orbis*, &c. Et intendit per hoc ad literam differentiam temporis Messiæ, à tempore veteris legis: nam illo tempore

Vers. 1. *Baruch 3. 32.*

re dicebatur, *Domino terra promissionis*, & non *terra* absolutè: & propterea non subiungebatur *orbis & habitantes in eo*: sed terra illa & filij Israël habitantes in ea: sola enim terra illa, soli habitatores illius seruiebant & fructificabant Domino. Tempore autem Messiæ, Domino vniuersa terra fructificat, & omnis plenitudo eius ordinatur ad honorem Dei, & ideo omnibus animalibus vescimur: & habitantes in vniuerso orbe, Deo fructificant per fidem diffusam vbique.

Pars Executiua.

Vers. 2. QVIA IPSE. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *Domino terra*, &c. Secundò illa, *orbis & habitantes in eo*, ibi, *quis ascendet*. Reddit Propheta rationem diuinæ curæ circa fructum ac salutem totius terræ. *Quia ipse*, Deus, *super maria fundauit eam*, cùm fecit congregari aquas in locum vnum & apparere aridam. Et verè *super maria*: quia eminentiorem maribus illam fecit, quæ prius erat sub aquis. Quod ex eo apparet, quòd maria non fluunt super terram: quia cùm naturalis aquæ motus sit in decliuiorem locum, si mare esset eminentius terrâ, moueretur ad cooperiendum terram. Vnde sicut *super maria*, ita *& super flumina stabiliet illam*, hoc est, faciet stabilem perseuerare. Fundatione & stabilitione firmitas, præterito autem & futuro actio præterita & perseuerantia significatur. Et intendit quòd quia tantam curam habuit in præparando mansionem habitatoribus terræ, ideo mirum non est si curam habet vniuersalis salutis ac fructus.

Terra super maria fundata.

Vers. 3. QVIS ASCENDET. Tractatur hîc illa particula, *& habitantes in eo*, tali ordine: Primò describuntur conditiones habitatorum orbis fructificantium Deo: deinde describitur ipse saluator. Circa primum: quia dixerat, *Domino habitatores orbis*, subiungitur per modum quæstionis, an omnes, an aliqui habitatores orbis describantur Domino? Et propterea ista quæstio introducitur in persona populi interrogantis: *quis ascendet in montem Domini, & quis stabit in loco sanctitatis eius?* Locutio est metaphorica: *Ascendere* enim sumitur non pro ascensu corporis, sed pro assecutione eminentiæ tempore Messiæ promissæ, significatæ per *montem Domini*. Stare quoque in loco sanctitatis eius, pro permanentia in loco in quo fulgebit sanctitas diuina (hoc est, in cælo) intelligitur.

Vbi aduerte quòd quærendo *quis*, non quæritur vnus aliquis singularis (sicut quæritur inquirendo: quis fecit hunc librum?) sed quæritur in genere: sicut cùm quæritur: quis saluabitur? quis promoueri potest? Quærunt enim conditiones requisitæ ad eum qui saluandus est, ad eum qui promouendus est. Et propterea respondetur, habens tales conditiones.

Quatuor conditiones ascendentiū in mōtem Domini.

Introducitur autem hîc Messias respondens huic quæstioni, assignando quatuor conditiones requisitas ad ascensurum in montem & quieturum in loco sanctitatis. Prima conditio est: *mundus palmis*, hoc est, operibus. Secunda: *& purus corde*, intùs. Tertia: *qui non accepit in vanum animam meam*. Vbi siste pedem, aduertendo pronomen *meam*: quoniam hoc coëgit me ad intelligendum hæc verba in persona Messiæ. Et est sensus planus: *qui non accepit frustra animam meam*, positam pro mundo in cruce: quicumque enim non credunt Messiam posuisse animam suam (vitam suam) pro mundo, quantumcunque sint aliàs puri & mundi, nunquam ascendent in montem Domini: hi enim *frustra, in vanum*, accipiunt animam Messiæ positam pro mundo. Hoc est enim quod Christus prædicabat de morte sua: *Et beatus qui non fuerit scandalizatus in me*, Matth. 11. Nec apparet posse aliter exponi textum istum, nisi licentiâ plus quàm Poëticâ *meam* pro *suam*: potuisset Propheta dicere *animam suam*, si intendisset significare suam. Quarta. *Et non iurauit ad dolum.* Matth. 11. 6.

Vbi aduerte hanc conditionem quartam continere in se rectitudinem respectu præceptorum primæ tabulæ, ab vno eorum cætera significando. Tertiam autem fidem Messiæ, significatam à fide mortis eius pro mundo. Secundam verò munditiam cordis. Et primam munditiam operum vniuersaliter respectu reliquorum præceptorum.

In textu Hebræo habetur *vano*, & similiter *dolo* in datiuo: sed congruitas mutauit adiunctis propositionibus, *in vanum*, *ad dolum*.

Hic inquam habens has quatuor conditiones, *accipiet benedictionem à Domino*, assequendi montem celsitudinis Domini: *& iustitiam*, & iustam retributionem, *à Deo salutis suæ* auctore in loco sanctitatis eius. *Hæc generatio*: vt intelligas responsionem datam esse vniuersalem, adiungit: *hæc*, quam dixi, sola est *generatio quærentium* non quæ sua sunt, sed *eum*, Deum: *quærentium ô Iacob*, popule Israël, *facies tuas*, pro, *faciem tuam* (iam enim dictum est quòd facies caret singulari apud Hebræos) hoc est, Messiam. Messias enim sicut dicitur & est gloria populi Israël, ita etiam dicitur & est facies populi Israël: pro quanto est præcipua res illius populi, summè desiderata & ab ipsis & ab vniuerso humano genere. Significatur enim per hoc quòd generatio electorum quærit non solùm Deum, sed etiam Messiam ex semine Israël. Nec inconuenit quòd Messias hîc loquatur de seipso tanquam de tertia persona: infinities enim in sacra scriptura inuenitur quis loquens de seipso tanquam de tertio. Ex hoc quoque quòd ad populum Iacob dirigitur sermo iste, apparet quòd populus intelligitur interrogasse quis ascendet: nam responsio dirigitur ad eum qui interrogauit.

Messias est facies populi Israël.

Vers. 7. ELEVATE PORTÆ. Declaratâ generatione saluandorum, explicatur modò Saluator. Vbi aduerte quòd quia (vt iam clarè patere potest) Psalmus iste tractat de salute mundi per aduentum Messiæ, & iam in præcedenti quæstione & responsione summariè posita est doctrina Christi quàm per seipsum prædicauit Iudæis (& propterea ne prætermitteretur mysterium regenerationis baptismalis institutæ a Christo, credo *generationis* nomine vsum, dicendo, *hæc generatio*) reliquum erat vt Apostolica prædicatio quâ Christus mundo manifestatus est describeretur. Cùm enim hîc manifestè indicatur præparatio ad venientem regem gloriæ, & Messias in primo aduentu non venerit rex sed humilis & pauper, imò vsque ad resurrectionem suam (in qua dicit: *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*) non videtur ei congruere titulus regis, ideo oportet textum istum ad aduentum regis gloriæ post Christi resurrectionem applicare. Mat. 28. 18.

De quo Messiæ aduentu hîc tractetur.

Si quis autem diligenter consideret quòd moniti ad recipiendum regem gloriæ, describuntur bis

bis interrogantes *quis est iste rex gloriæ*, rationabiliter concludet monitos istos nescire, quis est iste rex gloriæ: alioquin non interrogarent. Et propterea non consonat textus iste aduentui ad iudicium: in quo Christus ipse veniet tam manifestus rex gloriæ, vt nullus interrogationi huic restet locus. In aduentu autem Christi per fidem in mundum mediante Apostolicâ prædicatione omnia quadrant: nam & prædicabant Messiam regem gloriæ, & mundus nesciens quæsiuit *quis est iste rex gloriæ*? Igitur Apostoli introducuntur prædicantes & dicentes: *Eleuate portæ capita vestra.*

Portæ significant homines primates. Vbi aduerte appellatione *portarum* intelligi homines primates (siue potentiâ, siue sapientia, siue regimine, &c. præcellentes) pro quanto exercent officium portarum: hoc est, quòd per eos ingressus habetur vel negatur ad populos, ad sequaces, ad subditos, &c. *Portæ* quippe sunt homines, quibus credentibus alij credunt, & quibus non credentibus alij non credunt. Plena sunt gesta Martyrum his Portis. Ad primates ergo portas appellatos dicunt Apostoli: *Eleuate capita vestra*, eleuate mentes vestras ad considerationem cœlestium præmiorum, ad considerationem diuinæ prouidentiæ, gratiæ, misericordiæ, ad cogitandum de salute animæ.

Et eleuate vos ianuæ æterni. Dixerunt primò magnatibus *portæ*, explicant modò eisdem *ianuæ æterni*: hoc est, secundùm officium aperiendi vel claudendi ad id quod est perpetuitatis, non pro quanto officium habetis portarum ad bona temporalia, ad honores, ad dominia, ad dignitates, &c. Sciendum est enim quòd dictio Hebraica primo loco significat *portas*, hoc est, ipsum spatium portæ: secundo autem loco significat *portas* secundùm officium aperiendi. Et propterea interpretes ponunt *ianuas* in secundo loco. Et istis dicitur, *eleuate vos*: ad explicandum executionem eius quod dictum fuerat *eleuate capita vestra.* Ita quòd si diligenter perspectum fuerit, quod prius fuit monitum considerandum, nunc monetur exequendum. Et propterea prius dictum fuit, *Portæ eleuate capita vestra*: modò ad executionem dicitur, *ianuæ æterni eleuate vos*: nihil enim profuisset eleuasse capita, nisi subsecutum esset eleuare seipsos in cœlestes motes. Et intellige primates appellari portas & ianuas sic vt etiam singuli homines sint portæ & ianuæ respectu suimetipsorum quanto cuilibet incumbit aperire vel claudere sibiipsi ingressum vitæ vel mortis æternæ.

Quare autem monitio hæc fiat subditur: *Et veniet rex honoris.* Vbi clarè apparet quòd portas eleuare capita sua, & similiter ianuas perpetuæ vitæ vel mortis eleuare seipsas, ad hoc exigitur vt veniat *rex honoris*, proculdubio in eas.

Messias Rex honoris. Appellatur autem Messias *Rex*: quia ad literam iam statum regium assecutus erat tempore quo prædicatus est ab Apostolis mundo. *Honoris* autem: vt ex celsitudine tituli intelligatur summus Rex: maior siquidem est titulus *rex honoris*, quàm rex totius vniuersi: quoniam significatur etiam possessor diuinæ gloriæ: quæ supra totum est vniuersum. Congruè itaque prædicatur mundo Christus rex honoris seu gloriæ: quoniam mundus summum bonum in gloria constituebat, appetendo transitoriam gloriam quantùm possibile esset extendere. Tanquam dictum fuerit: Veniet rex summi boni quod vos tantum affectatis. Et verè Christus est rex gloriæ: quia non solùm possessor est gloriæ, sed gubernator, distributor, largitor & Dominus. Veniet per gratiam fidei, spei ac charitatis: iuxta illud: *ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus*, Ioan. 14. Ioan.14.23.

Vers. 8. QVIS ISTE REX HONORIS? Excitatæ portæ, excitati primates, excitati singuli circa sempiternitatem vitæ aut mortis ab Apostolis, à Prædicatoribus Messiæ, inquirunt *Quis iste rex gloriæ?* Nouum, inauditum & admirandum Euangelium audientes, meritò inquirunt *quis iste rex gloriæ?* Et respondetur eis ab Apostolis: *Dominus fortis & potens, Dominus potens belli.* *Dominus* dicunt, vt intelligas eius deitatem: in veteri siquidem Testamento vsitatissimâ appellatione Deus vocabatur *Dominus*. *Fortis* dicunt: significando passionem eius, quam fortissimè sustinuit: fortitudinis enim præcipuus actus cùm sit sustinere, apparuit maximè in Passione Christi. *Fortitudinis actus præcipuus est, sustinere.* *Potens* autem, in opere & sermone dum conuersatus fuit in hac vita: vltra victoriam super mortem ac super principem mundi. De qua subditur: *Dominus potens belli*: hoc est, potens ad debellandum dæmonum potestates, ad destruendum idola, ad deiiciendum dominium dæmonum ab hominibus, ad vincendum mortem, &c. hoc est enim bellum Christi, hoc est quod prædicarunt Apostoli.

Eleuate portæ capita vestra. Repetitur prædicatio Apostolica, tum ad significandum magnitudinem mysterij; tum ad significandum perseuerantiam; tum ad explicandum alia: multiplicata enim prædicatio, noua explicat. *Et eleuate ianuæ æterni, & veniet rex honoris.* Totum quod dictum est, totum repetitur excepto pronomine *vos*. Prius dictum fuit *Eleuate vos ianuæ*: modò dicitur, *eleuate ianuæ*. In quo extensa videtur monitio: vt qui prius monentur eleuare seipsos, postea moneantur eleuare indeterminatè: hoc est, & se, & alios. *Quis est iste Rex honoris*? In hac repetita interrogatoria apponitur verbum substantiuum *est*, quod in prima interrogatione non fuit appositum. Primò enim dictum est quis iste rex honoris, tanquam ab omnino rudibus: nunc autem dicitur, quis est iste rex honoris, tanquam ab aliquantum eruditis & mansuetis. Responsio autem Apostolica, à terrenis ascendit ad cœlestia. Prius de gestis à Christo in terra dixerat, *Dominus fortis & potens*, &c. modò de dominio Christi in cælis instruit: *Dominus exercituum*, etiam Angelorum, *ipse est rex honoris.* Vt intelligant clarè Messiam esse illum Deum quem adorant Iudæi, quem vocant Dominum exercituum, nec nouum introduci mundo Deum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus Dauid.*

XXIV.

2 *AD te Domine leuaui animã meam:*
Deus meus in te confido non erubescam.
3 *Neque irrideant me inimici mei: etenim*
vniuersi qui sustinent te, non confundentur.
4 *Confundantur omnes iniqua agentes superuacuè.*

Vias tuas Domine demonstra mihi: &
semitas tuas edoce me.

5 *Dirige me in veritate tua & doce me:*
quia tu es Deus Saluator meus, & te
sustinui tota die.
6 *Reminiscere miserationum tuarum Domine*
& misericordiarum tuarum:
quæ à seculo sunt.
7 *Delicta iuuentutis meæ: & ignorantias*
meas ne memineris.
Secundùm misericordiam tuam memento
mei tu: propter bonitatem tuam Domine.

8 *Dulcis & rectus Dominus: propter hoc*
legem dabit delinquentibus in via.

9 *Diriget mansuetos in iudicio: docebit mites*
vias suas.
10 *Vniuersæ viæ Domini misericordia &*
veritas: requirentibus testamentum
eius & testimonia eius.
11 *Propter nomen tuum Domine propitiaberis*
peccato meo: multum est enim.

12 *Quis est homo qui timet Dominum? legem*
statuit ei in via quam elegit.

13 *Anima eius in bonis demorabitur: &*
semen eius hæreditabit terram.

14 *Firmamentum est Dominus timentibus*
eum: & testamentum ipsius vt manifestetur
illis.

IVXTA HEBRÆVM.

Dauidi.

XXV.

1 *Aleph.* *Propheta.* AD te Domine ⁴ animam meam leuabo.
2 *Aleph.* Deus meus in te confisus
sum: non confundar, non læta-
pro de me
buntur inimici mei mihi.

3 *Ghimel.* Etiam omnes sperantes tui
non confundentur: confunden-
sine causa contra me
tur fallentes inaniter.
4 *Daleth.* Vias tuas Domine ⁴ fac
scire me: & semitas tuas doce
me.
5 *He.* Induc me in veritate tua & assuefac
me: quia tu Deus salutis
meæ, te expectaui tota die.
6 *Zain.* Recordare misericordias tuas
Domine ⁴ & gratias tuas: quia ex
sunt
sempiterno ipsæ.
7 *Cheth.* Peccatorum adolescentiarum
mearum & rebellionum mearum
ne recordare: secundùm gratiam
ad meum bonum
tuam recordare mihi tu propter
bonitatem tuam Domine ⁴.
est
8 *Teth.* Bonus & rectus Dominus ⁴:
est
propterea docens peccatores in
via.
9 *Iod.* Inducet humiles in iudicio: &
assuefaciet humiles viæ suæ.
10 *Caph.* Omnes semitæ Domini ⁴ gratia
& veritas: custodientibus pactum
eius & testificationes eius.
11 *Lamed.* Propter nomen tuum Domine
⁴ parces culpæ meæ: quoniam
grandis ipsa.
pro quisquis fuerit
12 *Mem.* Quis iste vir timens Domi-
quam
num ⁴. docebit eum in via eliget.

13 *Nun.* Anima eius in bono pernoctabit:
& semen eius hæreditabit
terram.
14 *Samech.* Secretum Domini timenti-
communicatur est
bus eius: & pactum eius ad faciendum
scire eos.

15 *Hain.*

15 *Oculi mei semper ad Dominum : quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos,*

16 *Respice in me & miserere mei : quia vnicus & pauper sum ego.*

17 *Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt : de necessitatibus meis erue me.*

18 *Vide humilitatem meam & laborem meum : & dimitte vniuersa delicta mea.*

19 *Respice inimicos meos : quoniam multiplicati sunt, & odio iniquo oderunt me.*

20 *Custodi animam meam & erue me: non erubescam quoniam speraui in te.*

21 *Innocentes & recti adhæserunt mihi : quia sustinui te.*

22 *Libera Deus Israël, ex omnibus tribulationibus suis.*

15 *Hain.* Oculi mei continuè ad Dominum suspiciunt : quia ipse educet de reti pedes meos.

16 *Pe.* Vertere ad me & miserere mei : quoniam vnicus & pauper sum ego.

17 *Zadi.* Angustiæ cor meum dilatare fecerunt : de angustiis meis educ me.

18 *Res.* Vide humilitatem meam & laborem meum : & ignosce omnibus peccatis meis.

19 *Res.* Vide inimicos meos : quia multiplicati sunt, & odio iniquitatis oderunt me.

20 *Scin.* Custodi animam meam & eripe me : non confundar, quia speraui in te.

21 *Thau.* Perfectio & rectitudo custodient me : quia expectaui te.

22 *Pe.* Redime Deus † Israelem, ex omnibus angustiis suis. † Deus.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Dauidi.* Ex quo nihil certi habetur nisi auctor Psalmi.

Materia. Circa materiam Psalmi aduerte quòd quia constat Dauidem auctorem esse Psalmi, & ea quæ in Psalmo dicuntur de persona loquentis non excedere Dauidem sed congruere gestis eius & circa ipsum, ideò concludi potest quòd Psalmus ad literam tractat de Dauide. Sed quæ Dauidis tractentur, ex decursu Psalmi accipere oportet. Manifestè autem apparet primò in Psalmo, Dauidem in tribulatione constitutum, vnicum, pauperem, multiplicatisque inimicis describi cum angustiis populi. Apparet secundò Dauidem petere à Deo veniam peccatorum ter, & doceri vias Domini atque duci per eas. Quibus simul collatis, facilè colligitur quòd Psalmus iste ad tempus tribulationis quam passus est Dauid ab Absalom spectat : nam illi tempori tantùm hæc omnia congruunt : vt patet discurrendo. Tunc enim tribulatio propria ex propriis, tunc multiplicati inimici, tunc vniuersus populus in tribulationibus fuit : tunc petiit veniam recognoscens peccata sua, tunc petiit ne recidiuaret. Ita quòd Psalmus iste opus meditationis sanctæ & contritæ habitæ à Dauide in illa persecutione, describit ad literam. *Meditatio Dauidis in persecutione Absalonis.*

SVMMARIVM EST.

Dauid propter sua scelera afflictus ab Absalom recurrit ad Deum, tum pro venia, tum pro seruatione in rectitudine, tum pro seruatione vitæ propriæ, & liberatione, tum sui, tum populi ab his angustijs.

Persona loquens Propheta est.

Aduerte quòd Psalmus iste 25. est primus inter Psalmos Alphabeticos : singuli enim versus incipiunt à singulis literis Alphabeti Hebrei : ita tamen quòd tres literæ geminantur, & tres omittuntur. Et quoniam mysterium reseruamus Spiritui sancto, ideò sic summariè pertranseo. *Psalmi Alphabetici.*

Vers. 1. Ad te Domine. Diuiditur Psalmus in partes duas : propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *etiam omnes.* Proponit quatuor : duo assertiuè, & duo deprecatiuè. Prima assertio de futuro : *ad te Domine animam meam leuabo*, contemplando, precando, & offerendo. Altera de præterito : *Deus meus in te confisus sum.* Non audet dicere tibi obediui, mandata tua seruaui : sed quòd in ipso solo spem fiduciámque suam posuit fugiens Absalom. Prima petitio est : *non confundar* (pro, ne confundar) *ab expectatione mea*, à desiderio meo. Secunda : *non lætabuntur*, pro, ne lætentur, *inimici mei mihi :* hoc est, de me confuso. Modus loquendi Hebraicæ linguæ videtur iste tam frequens vsus datiui.

Vers. 3. Etiam omnes. Incipit hîc pars executiua tali ordine : Primò tractatur illa particula, *non lætabuntur inimici mei.* Secundò illa, *ad te Domine animam meam leuabo*, ibi, *vias tuas.* Tertiò illa. *Deus meus in te confisus sum*, ibi, *oculi mei.* Quartò illa, *non confundar*, ibi, *custodiui animam meam.* Assignat itaque pro ratione petitionis suæ duplicem fructum. Alter est communibus omnibus sperantibus in Deo : *etiam omnes sperantes tui non confundentur.* Alter est iusta retributio inimicis : *confundentur fallentes inaniter.* Absalom siquidem & sui fefellerunt Dauidem sub specie sacrificij coniurantes aduersus eum Et hoc *inaniter :* hoc est, vacui causa offendendi me, sine *Pars Executiua.*

sine offensa illata eis à Dauide: & propterea merebantur confundi. Ac si apertius dixisset: Si inimici mei non lætabuntur super me, verificabitur quòd omnes qui sperant in te non confundentur, & quòd fallentes confundentur: quod est duplex bonum.

Vers. 4. VIAS TVAS DOMINE. Tractatur hîc illa particula *ad te Domine animam meam leuabo*, tripliciter. Primò ex parte petitionum. Secundò ex parte Dei, ibi, *bonus & rectus*. Tertiò ex parte vniuersalis indigentiæ, ibi, *quis iste*.

Tres petitiones. Tres porrigit petitiones.

Prima est spectantium ad intellectum: *vias tuas*, hoc est, ad te ducentes, *Domine fac scire me: & semitas*, semiuias, hoc est, arctiores, *tuas*, ad te ducentes, *doce me*.

Secunda est spectantium ad executionem. *Induc me*, ad similitudinem inducentis in principium viæ: induc me opere, *in veritate tua*, hoc est, præceptorum tuorum. *& assuefac*, non solùm induc, sed ad similitudinem manuducentis infantulum vt discat ambulare, *assuefac me* in eadem veritate præceptorum tuorum exequendo: *quia tu Deus salutis meæ*, quia ex te pendet salus mea: & ex parte mea, *te*, non alium doctorem & ducem *expectaui tota die*, sine intermissione. Non tamen propterea peto hæc innixus iustitiæ: sed *recordare misericordias tuas Domine, & gratias tuas, quia ex sempiterno ipsæ*, supple sunt.

Tertia: *peccatorum adolescentiæ meæ & rebellionum mearum ne recordare*. Vbi etiam aduerte in Hebræo haberi *adolescentiarum* seu *pueritiarum mearum*: quia numerum tantùm pluralem habet. Et intendit quòd nolit recordari ad punitionem tam peccatorum ex ignorantia seu passione humana (quæ regnant in ætate adolescentiæ) quàm peccatorum ex deliberato proposito, quæ rebelliones significantur. Vtroque siquidem modo Dauid peccauerat. Primo modo in adulterio: secundo autem in homicidio. Et huic petitioni addit: *Secundùm gratiam tuam*, non iustitiam tuam, *recordare mihi*, ad tuum bonum, & non solùm ad commune bonum, *tu propter bonitatem tuam*, non merita mea, *Domine*.

Vers. 8. BONVS ET RECTVS. Postquam Dauid eleuauit animam suam ad Deum, petendo tria spiritualia, prosequitur eleuationem animi contemplando rationes ex parte Dei congruas ad concessionem petitorum, inchoans à duabus Dei conditionibus: bonitate scilicet & rectitudine. *Bonus*, ad communicandum bonitatem suam, *& rectus*, ad ea quæ rectitudinis sunt dirigendum & faciendum, *Dominus: & propterea*, quia bonus & rectus, *docens*, supple est, erit, & fuit, *peccatores in via*: hoc est, officium exercet Doctoris ad instruendum peccatores de iis quæ spectant ad viam rectam. Et hoc respondet primæ petitioni. *Inducet humiles in iudicio, & assuefaciet humiles viæ suæ*. Directè hoc respondet secundæ petitioni. Sed discerne, respectu peccatorum contemplatur Deum doctorem viæ; respectu autem humilium contemplatur Deum officiosum, velut ad faciendum ambulare & assuescere ambulantes infantes cùm primùm discunt ambulare. Et est humilitas hoc in loco nomen virtutis. In quo describitur præcipua Dei cura erga eos qui humiliter se ei submittunt. Et hoc etiam quia *bonus & rectus Dominus*. *In iudicio* autem, non in impetu sed rationis iudicio *ambulare faciet*: non secundùm vias carnis aut mundi, sed *assuefaciet ambulare viam suam*, Dei.

Humilitas sumitur pro ipsa virtute.

Amplius, *Omnes semitæ Domini gratia & veritas*: hoc intellige de viis Domini ad nos, seu creaturas. Et est sensus quòd omnia opera Dei sunt gratia & veritas: *gratia*, quia bonus, *veritas*, quia rectus Dominus. Et hoc est verum: quia in omnibus operibus Dei inuenitur rectitudo & aliquid gratuitum. Et vbi descripsit officium Dei prius respectu peccatorum (vtpote deuiorum) & postea respectu humilium, vtpote incipientium viam gradi, nunc describit officium Dei respectu iustorum: vtpote exercitatorum in Dei via. Ita quòd quia bonus & rectus, propterea *omnes semitæ Domini* (hoc est, viæ Domini arctiùs inspectæ) *gratia & veritas* sunt, non quibuscumque, non iis qui non sapiunt quæ Dei sunt: sed *custodientibus pactum eius*, legem eius, fœdus eius quo ille Deus eorum & isti populus Dei, *& testificationes eius*. Testificationes Dei appellantur quæcunque testimonium perhibent nobis de Deo: siue sint opera naturalia, siue miraculosa: iis siquidem qui curam habent & diuini pacti & diuinorum testimoniorum, omnia diuina opera sunt gratia & veritas.

Omnia Dei opera, gratia, & veritas.

Hanc contemplationem non potuit finire Dauid nisi repetendo veniæ petitionem: *Propter nomen tuum Domine*, quo bonus & rectus diceris, *parces culpæ meæ*. Fiducialiter & ex magna spe affirmatum intellige quod precatur, dicendo, *parces culpæ meæ*, more quippe supplicantium, & ex confidentia magna proponentium petitionem tanquam efficiendam, ne videatur sub dubio petere ait: *parces culpæ meæ*. Et rationem subdit: *quoniam grandis ipsa*: hoc est, quoniam nomini tuo reseruatur condonatio culpæ meæ ex sui magnitudine: decet enim tuum nomen magna facere, & illud magnificari in condonatione magni sceleris Vbi nota non alleuiare peccatum suum Dauidem: sed quod prius vocauit *rebellionem*, modò grandem culpam confitetur.

Vers. 12. QVIS ISTE. Contemplatus Dauid petitiones suas ex rationibus officiorum diuinorum, contemplatur nunc easdem ex parte vniuersalis indigentiæ: quia scilicet omnes indigent illis. Et loquitur de primis duabus petitionibus: tertia enim erat ei propria vt criminoso. Et intendit quòd non solùm peccatores & humiles indigent doceri à Deo in via, sed omnes timentes Deum. Et propterea dicit: *Quis*, pro quisquis, *iste vir fuerit timens Dominum, docebit eum Dominus, in via eliget*, pro, quam eliget, timens Dominum. Sæpe enim in hoc metrico stylo vtitur Propheta manco sermone.

Omnes egent doceri à Deo.

Mancus sermo in Psalmis sæpe.

Fructus autem quem consequitur timens Dominum ex eo quòd Dominus docet ipsum in via, subditur duplicis generis. Primum genus est temporalium bonorum. *Anima eius*, scilicet timentis Deum, *in bono pernoctabit*, hoc est, quietè perseuerabit sicut dormiens: & hoc quoad se. *Et semen eius hæreditabit terram*, promissionis: & hoc quoad filios. Et spectant hi fructus bonorum temporalium ad promissiones veteris Testamenti. Secundum genus est bonorum spiritualium. *Secretum Domini timentibus eum*, communicabitur specialibus reuelationibus: & pactum eius est, *ad faciendum scire eos*. In quo significatur

Triplex fructus timentium Deum.

ficatur magnum beneficium quo Deus efficit pactum legis suæ non ad iudicium seu damnationem, sed ad fructum sciendi, non hæc aut illa, sed absolutè: quia sola scientia salutis est scientia simpliciter & absolutè: iuxta illud Deuter.4. *Hæc est vestra sapientia & intellectus.* Intellige autem hos fructus Prophetiæ & intellectus legis non tanquam ordinariòs quoad primum: sed tanquam sæpe ex diuina gratia collatos timentibus ipsum. Et meminit horum fructuum Dauid: quia conscius erat sibi ipsi perditionis vtrorumque: nam peccando perdiderat & pernoctationē in bono & demeruerat promissam successionem seminis, perdideratque reuelationes diuinas.

Scientia salutis.
Deuteron. 4.

Vers. 15. OCVLI MEI. Tractatur hîc illa particula, *Deus meus in te confisus sum:* inchoando à perseuerante recursu ad Deum cum plena confidentia. *Oculi mei continuè ad Dominum,* suspiciunt & suspicient; ecce fiducia: *quia ipse euellet de reti pedes meos.* Assimilat reti coniurationem & insecutionem quam patiebatur ab Absalom, tanquam ipse inciderit in illud rete, sicut verè inciderat. Ad quod autem oculos suspensos habeat subiungit: *Vertere ad me & miserere mei.* More humano alloquitur Deum tanquam auersum à Dauide vt vertatur ad ipsum habentem pedes intra rete & compatiatur miseriæ eius. *Quoniam vnicus & pauper ego,* supple, sum. *Vnicum* se dicit in respectu ad multitudinem sequacem Absalom: & eâdem relatione appellat se *pauperem:* vt hinc maximam indigentiam diuini auxilij significet. Et hæc quoad diuitias & milites.

Quantùm ad interna verò mala subdit: *Angustiæ cor meum dilatare fecerunt, de angustiis meis educ me.* Metaphorico sermone describit angustias existentes in corde valde multiplicatas, ad similitudinem rerum quæ conduntur in sacculo ex corio: cùm enim res contentæ multiplicantur, dilatant seu ampliant corium continens. Iuxta hanc metaphoram intendit multitudinem tantam angustiarum in corde vt quodammodo amplient cor. Vnde & prosequendo mala inhærentia, subdit: *Vide humilitatem meam,* hoc est, depressionem meam, *& laborem meum,* quem sustineo: *& ignosce omnibus peccatis meis.* Ac si dixisset: sint hæc quæ patior accepta coram te ad veniam peccatorum meorum. Vbi vides tertiò petentem veniam, augere petitionem: dum extendit ad omnia peccata sua. *Vide* demum *inimicos meos,* Absalom & complices: *quia multiplicati sunt* (nam totum ferè regnum sequebatur Absalom) *& odio iniquitatis,* non iustitiæ, *oderunt me.* Aduerte hîc quòd loco suspensionis oculorum suorum ad Dominum, petit Dauid à Deo primum *respice in me,* secundum, *vide humilitatem;* tertium, *vide inimicos meos:* vt nihil prætermiserit videndum.

Vers. 20. CVSTODI ANIMAM MEAM. Tractatur hîc illa particula, *non confundar:* petendo quinque. Primum: *Custodi animam meam.* Timebat mori in illa persecutione, & ideò petit *custodi animam meam,* id est, vitam meam. Secundum: *& eripe me,* de hac persecutione. Tertium: *non confundar:* quòd deprecatiuè intelligendum est cum fiducia: vt superiùs declaratum est: ecce fiducia: *quia speraui in te.* Quartum: *Perfectio & rectitudo custodient me:* & intelligit de perfectione & rectitudine Dei: iuxta id enim quod superius dixerat *bonus & rectus Dominus,* modò petit quòd *perfectio* inchoatæ gratiæ & *rectitudo* custodiant ipsum à malis. Precatur autem vtens futuro indicatiuo ratione iam dictâ ex fiducia magna, de qua subiungit: *quia expectaui te.* Quintum: *Redime Deus Israel ex omnibus angustiis suis.* Non suffecit orare pro vita & liberatione sua, sed pro toto populo in tribulatione posito rogat. *Redime,* quasi venditum populum fraudibus Absalom: *Israëlem,* cognominauit vt meritum Patriarchæ patris populi commemoraret: *ex omnibus angustiis suis,* vt omni ex parte libertate solitâ gaudeat. Amen.

Quinque iterum petit Dauid.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Psalmus Dauid.*	Dauidi.
XXV.	XXVI.
IVDICA me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: & in Domino sperans non infirmabor.	1 *Propheta.* IVDICA me Domine [4], quoniam in perfectione mea ambulaui: & in Domino [4] confisus sum, non labar.
2 *Proba me Domine & tenta me: vre renes meos & cor meum.*	2 Proba me Domine [4] & tenta me: purifica renes meos & cor meum.
3 *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est: & complacui in veritate tua.*	3 Quoniam gratia tua conspectui oculorum meorum: (adest) & ambulabo in veritate tua.
4 *Non sedi cum concilio vanitatis: & cum iniqua gerentibus non introibo.*	4 Non sedi cum viris falsitatis: & cum latentibus non introibo.
5 *Odiui ecclesiam malignantium: & cum impiis non sedebo.*	5 Odiui ecclesiam malignantium: & cum impiis non sedebo.

6 *Lauabo inter innocentes manus meas: & circumdabo altare tuum Domine.*
7 *Vt audiam vocem laudis : & enarrem vniuersa mirabilia tua.*
8 *Domine dilexi decorem domus tuæ: & locum habitationis gloriæ tuæ.*
9 *Ne perdas cum impiis Deus animam meam : & cum viris sanguinum vitam meam.*
10 *In quorum manibus iniquitates sunt: dextera eorum repleta est muneribus.*
11 *Ego autem in innocentia mea ingressus sum: redime me & miserere mei.*
12 *Pes meus stetit in directo : in ecclesiis benedicam te Domine.*

6 Lauabo in munditia palmas meas:& circuibo altare tuum Domine [+].
7 Ad faciendum audire in voce confessionis: & ad narrandum omnia separata tua.
8 Domine [+] dilexi habitaculum domus tuæ : & locum tabernaculi honoris tui.
9 Ne congrega cum peccatoribus animam meam : & cum hominibus sanguinum vitas meas.
10 Quòd in manibus eorum cogitatio [est] : & dextera eorum plena munere.
11 Et ego in perfectione mea gradiar; redime me & miserere mei.
12 Pes meus stetit in rectitudine:in cœtibus benedicam Dominum [+].

COMMENTARIVS.

Materia. Titulus est, *Dauidi.* De quo vt suprà.

Circa materiam Psalmi aduerte quòd cùm constet de auctore ex titulo, & nihil eorum quæ loquenti in hoc Psalmo attribuuntur excedere personam Dauidis, consequens est vt de ipso Dauide ad literam Psalmus tractet. Quæ autem tractet opportet ex iis quæ clara sunt coniicere. Clarum in primis est quòd nulla de inimicis fit mentio. Clarum secundò est quòd Dauid exponit se rigoroso examini diuini iudicij. Clarum tertiò est quòd iam dilexerat locum domus Dei inter alia multa bona quæ dicit se fecisse & promittit facere.

Iustificatio regni à Dauide obtenti. Ex quibus simul collatis apparet, quòd Dauid adepto regno antequam caderet in crimen adulterij & homicidij, edidit hunc Psalmum: intendens in ipso iustificare coram Deo causam adepti regni, scilicet quòd non malis artibus,sed cum omni rectitudine tum seruatâ tum seruandâ ambulauit. Et propterea nullius meminit inimici: propterea petit à Deo rigorosi examinis censuram: propterea tot bona sua opera commemorat, & mala à quibus abstinuit: propterea deuotionem suam erga domum Domini citat. Et si diligentiùs singula collata fuerint, apparebit quòd Psalmus iste editus fuit in principio quo Dauid factus fuit rex super totum Israël,& disposuit transferre arcam Domini in montem Sion: vt dicitur 1. Paralip. 13. nam illi tempori quadrant omnia: & iustificatio causæ regni tunc adepti, & deuotio erga domum Domini,& non consensusse malis gestis, & petitio segregationis à malis. Est ergo ad literam materia Psalmi iustificatio regni habiti à Dauide.

SVMMARIVM EST.

Dauid vbi exposuit se examini diuini iudicij (citatis tum bonis operibus suis,tum mundicià à male gestis) petit vt Deus non aggreget progressum suum impiorum consortio, sed redimat ac misereatur sui affecti ad ea quæ sunt rectitudinis.

Persona loquens Propheta est.

IVDICA ME DOMINE. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *proba me.* Quatuor proponit: Primum: *Iudica me Domine*: petens iudicio discussionis & rigorosi examinis iudicari à Deo: non simpliciter & absolutè, sed in causa regni. Et hinc soluitur quæstio obiiciens quòd alibi dicit, *non intres in iudicium cum seruo tuo Domine:* ibi namque recusat diuinum iudicium simpliciter & absolutè: hîc autem petit illud in vna particulari causa. Secundum affert pro ratione talis petitionis ex parte integritatis suæ. *Quoniam ego in perfectione,* integritate, *mea,* hoc est, qualem fragilitas mea assequi potuit (addidit enim *mea* ne præsumptuosè videretur dicere quòd in perfectione ambulauit) *ambulaui*, progressus sum in negocio regni. Tertium ex parte diuinæ electionis, quâ elegerat ipsum in regem: *& in Domino,* non in homine, non in fortitudine sequacium, *confisus sum.* Et hæ duæ causæ sunt veræ causæ petitionis. Quartum quod demum subiungitur,securitatis est: *non labar*,non timeo succumbere sub tali examine : vel potius non labar à regno super hæc fundato. VERS. 1. Psalm.142.2

PROBA ME DOMINE. Incipit pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *Iudica me.* Secundò illa, *& in Domino confisus sum*,ibi, *quoniam gratia.* Tertiò illa, *in perfectione mea ambulaui*,ibi,*non sedi.* Quartò illa,*non labar*,ibi, *ne congrega.* VERS. 2. *Pars Executiua.*

Circa primum, rigorosum proponit examen sub similitudine examinandi argenti seu auri. *Proba me Domine & tenta me*, ad modum tentantis & experimentum sumere volentis habe te circa me: *Purifica*, conflatione in igne sicut purificatur argentum, *renes meos,& cor meum:* hoc est, intima quæque mea, affectus, cogitationes. Ac si apertè dixisset: Scrutare subtilissimè me & intima quæque mea, inuenies me mundum in causa.

Vers. 3. QVONIAM GRATIA TVA. Tractatur hîc illa particula, *& in Domino confisus sum.* Vbi aduerte in præcedenti Psalmo dictum fuisse, *vniuersæ viæ Domini gratia & veritas.* Monstrat

ſtrat ergo fiduciam ſuam totam in Deo fuiſſe, ex hoc quòd tam gratiam quàm veritatem Dei ante ſe habuit: illam in intellectu, quia *gratia tua*, affuit *conſpectui oculorum meorum*. Habebat enim ſemper ante oculos ſuos gratiam Dei quâ ſine eius meritis elegerat ipſum in Regem per Samuëlem, &c. & ſemper confidebat in gratia Dei. Et ne in vanum gratiam Dei reciperet, ſubiungit de veritate in opere: *& ambulabo in veritate tua*, non ſolùm ambulaui ſed perſeuerabo ambulando, in veritate tua, in veritate ſecundùm te, etſi fortè non ſecundùm homines

Perfectionis duæ ſunt partes: declinare à malo, & facere bonum.

Verſ. 4. Non sedi. Tractatur hîc illa particula, *quoniam ego in perfectione mea ambulaui*. Et quoniam perfectio habet duas partes (declinare à malo, & facere bonum) inchoat à prima: *Non ſedi cum viris falſitatis, & cum latentibus non introibo*; Ioab & Abiſai viri falſitatis & latentes appellantur in occiſione Abner: de qua 2. Reg. 3. vnde & tunc dixit Dauid: *Mundus ego ſum & regnum meum apud Deum vſque in ſempiternum à ſanguine Abner*. Et propterea nunc dicit: *Non ſedi*, non communicaui, *cum viris falſitatis*, Ioab & fratre eius: *& cum latentibus*, id eſt, ſimulatè & proditoriè procedentibus, *non introibo*: quia nec ratam intendebat habere huiuſmodi rem geſtam, nec aliquid ſimile. Vbi aduerte quòd vtitur vocabulis ſpectantibus ad conſultandum, ſcilicet introeundi in locum conſilij & ſedendi in conſilio: vt intelligas non eſſe conſenſu aut conſilio eius quomodolibet factum illud homicidium, quaſi expediens ad conſequendum regnum. Et vtitur præterito ad excuſationem: futuro autem ad perpetuam deteſtationem.

2. Reg. 3.

Odiui eccleſiam malignantium, & cum impijs non ſedebo. Impij & malignantes appellantur duo principes latronum Bana & Rechab, qui interfecerunt regem Isboſeth, & attulerunt caput eius ad Dauidem in Hebron: vt patet 2. Reg. 4. *Odiui*, etiam facto, *eccleſiam*, congregationem, *malignantium*, Banaa & Rechab principum talis Eccleſiæ: *& cum impiis*, eiſdem, *non ſedebo*, regnabo, non accipiam in magnates regni. Minùs dicit quàm fecerit: quia non ſolùm non admiſit eos ad gratiam ſeſſionis, ſed iuſſit eos occidi. Et vniuerſaliter quoad omnia, *lauabo in munditia palmas meas*. Pilatus acceptâ aquâ lauit manus coram populo in ſignum munditiæ ſuæ, ita nunc Propheta iuxta hunc morem ait: *lauabo palmas meas in munditia*, manifeſtare potero toti populo opera mea eſſe munda velut lauans manus publicè in ſignum innocentiæ. Hæc quoad declinationem à malo.

Lauare manus eſt ſignificare ſe innoxium.

Quoad operationem verò boni ſubdit: *Et circuibo altare tuum Domine*. In quo non ſolùm ſacrificij oblationem ſed frequentiam comitum ipſo circuitu denotat. Et ecce effectus intentus ex circuitu: *Ad faciendum audire in voce confeſſionis & ad narrandum omnia ſeparata*, hoc eſt, mirabilia, *tua*. Ordo præpoſterus. Prius eſt enim cantare mirabilia Dei: & inde fit quòd audiatur vox laudis. Intendit enim per hoc diuinum cultum quem ordinauit in domo Domini ad teſtificandum rectitudinem animi ſui. Et adiungit de præterito: *Domine dilexi habitaculum domus tuæ, & locum tabernaculi honoris tui*. Hinc clarè appatet Dauidem dilexiſſe locum in quo ponendum erat tabernaculum honoris Dei, in quo honorabatur Deus (qui Bethel appellatus eſt à Patriarcha Iacob) & propterea Dauidem tranſtuliſſe arcam Domini in Sion, neſcius adhuc in qua parte montis erat Bethel. Propterea enim dicit quòd dilexit *locum tabernaculi honoris tui*. Vnde & meruit diuinâ reuelatione cognoſcere illum locum 1. Paralipomen. 22. & 2. Paralipom. 3.

Bethel, locus Tabernaculi.

Verſ. 9. Ne congrega cum peccatoribus. Tractatur hîc illa particula, *non labar*: petendo duo valde neceſſaria regi ad ſeruandum à lapſu. Primum eſt non habere conſortium cum peccatoribus. Et quamuis omnes peccatores vitandi ſint principibus, duo tamen genera hîc ſpecialiter deſcribuntur. Alterum eſt hominum ſanguinum: Alterum hominum munerum. Illi contra vitam, iſti contra iuſtitiam ſubditorum moliuntur. Primum ergo generaliter: *Ne congrega cum peccatoribus animam meam*, congregatione vnanimitatis. Deinde ſpecialiter: *& cum hominibus ſanguinum*, effuſoribus, *vitam meam*, conuerſationem meam. Et rurſus ſpecialiter. *Quòd in manibus eorum cogitatio, & dextera eorum repleta munere*. Homines qui muneribus corrumpuntur, primùm deſcripſit *quòd in manibus eorum cogitatio*. Habent enim tales homines cogitationes non in recta ratione, ſed in manibus. Si manus ſunt vacuæ habent vnam cogitationem: ſi manus ſunt plenæ, habent aliam cogitationem. Et propterea dicitur de ipſis quòd in manibus eorum cogitatio. Et vitium eorum apertiùs deſcribitur: *Et dextera eorum repleta munere*. Vbi ſcito quòd dictio Hebraïca non ſignificat munus abſolutè, ſed *munus ſordis* ſeu *corruptionis*. *Et ego*. Ecce quorſum tendit petitio: *Et ego in perfectione mea gradiar*, ſerua me à ſocietate iſtorum, & ego in perfectione mea inchoata perſeuerabo abſque lapſu. Et quoniam cognoſcebat non omnes ſuos rectè ſemper incedere, ideo ſubdit: *Redime me*, à ſeruitute peccatorum quos oportet me ſuſtinere, *& miſerere mei*, tolerantis illos: tolerauit enim vſque ad mortem crimen Ioab impune. Et ad prouocandum diuinam miſericordiam affert rectitudinem affectus. *Pes meus*, affectus meus, greſſus meus, *ſtetit in rectitudine*, non eſt lapſus à recto hactenus: & in futurum *in cœtibus benedicam Dominum*: quia hactenus perſeueraui in bono, & publicè laudabo ea quæ ſunt Domini, non ea quæ ſunt hominum, miſerere mei, non noceant mihi iniquitates aliorum, Amen.

Duplex hominum genus maximè vitent Reges.

PSALMVS

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus Dauid.*

XXVI.

DOMINVS illuminatio mea & salus mea: quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo?

2 *Dum appropiant super me nocentes: vt edant carnes meas.*

Qui tribulant me inimici mei: ipsi infirmati sunt & ceciderunt.

3 *Si consistant aduersum me castra: non timebit cor meum.*

Si exurgat aduersum me prælium: in hoc ego sperabo.

4 *Vnam petij à Domino hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.*

Vt videam voluptatem Domini: & visitem templum eius.

5 *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.*

6 *In petra exaltauit me: & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos.*

Circuiui & immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis: cantabo & psalmum dicam Domino.

7 *Exaudi Domine vocem meam qua clamaui ad te: miserere mei & exaudi me.*

8 *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea: faciem tuam Domine requiram.*

9 *Ne auertas faciem tuam à me: & ne declines in ira à seruo tuo.*

Adiutor meus esto: ne derelinquas me neque despicias me Deus salutaris meus.

10 *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem assumpsit me.*

11 *Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in semitam rectam: propter inimicos meos.*

IVXTA HEBRÆVM.

Dauidi.

XXVII.

1 *Propheta.* DOMINVS[4] lux mea & est salus mea, à quo timebo? Dominus[4] roboratio vi- est tarum mearum, à quo paucbo?

2 Appropinquantibus super me malignantibus ad deuorandum carnem meam: angustatores mei & contra me inimici mei mihi, ipsi impegerunt & ceciderunt.

3 Si castrametabitur super me exercitus, non timebit cor meum: si surget super me bellum, in hoc ego ero confidens.

4 Vnam petiui à Domino[4], ipsam requiram: sessio mea in domo Domini[4] omnibus diebus vitarum mearum, ad videndum in placiditate Domini[4], & ad quærendum in templo eius.

5 Quoniam abscondet me in vmbraculo suo, in die mali abscondere faciet me in abscondito tentorij sui: in petra exaltabit me.

6 Et nunc exaltabitur caput meum in super inimicos meos circuitibus meis: & sacrificabo in tentorio eius sacrificia clangoris, cantabo & psallam Domino[4].

7 Audi Domine[4] vocem meam, vo- scilicet cabo: miserere mei & responde mihi.

meditando

8 Tibi dixit cor meum. *Vox Dei meditata.* Quærite facies meas. *Propheta.* Facies tuas Domine[4] quæram.

9 Ne absconde facies tuas à me, ne declinare fac in furore seruum tuum: auxilium meum fuisti, ne dimitte me, & ne derelinque me Deus salutis meæ.

10 Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me: & Dominus[4] colliget me.

11 Doce me Domine[4] viam tuam & deduc me in semitam rectitudinis: propter inspectores meos.

12 Ne

12 *Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, & mentita est iniquitas sibi.*

13 *Credo videre bona Domini: in terra viuentium.*

14 *Expecta Dominum: viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum.*

12 Ne trade me in animam angustatorum meorum: quoniam surrexerunt in me testes falsitatis & locutor iniquitatis.

ac si non credidisses

13 Nisi credidi ad videndum in bonitate Domini [4] in terra viuentium.

14 Spera ad Dominum [4]: roborare, & roborabit cor tuum, & spera ad Dominum [4].

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Dauidi*. De quo vt suprà.

Materia. Circa materiam Psalmi quia constat ex titulo Dauid auctorem esse Psalmi, & ea quæ dicuntur non excedere personam Dauidis, consequens est de ipso Dauide ad literam tractari. Quæ autem tractentur, ex clarioribus intelligere oportet. Primum itaque clarum est quòd Dauid profitetur Deum lucem, salutem, fortitudinemque suam. Secundum de præterito, quòd cùm inimici appropinquassent contra eum ceciderunt. Tertium, quòd petit non incidere in desiderium hostium suorum: quia insurrexerunt in eum testes falsi. Quartum quòd valde desiderauit ac desiderat habitare in domo Domini, quærere faciem Domini, &c.

Ex quibus simul collatis apparet manifestè quòd Dauid describit se in eo tempore quo inimici eius ceciderant, & tamen adhuc supererat bellum cum eisdem. Vnde excluditur & totum tempus vitæ Saulis: quoniam viuente Saule non ceciderunt inimici Dauidis. Excluditur & tempus Absalom: quoniam illi tempori non conuenit, *Dominus lux mea, & salus mea*, &c. vt patet. Excluditur quoque tempus bellorum cum alienigenis: tum quia in eis non verificatur quòd insurrexerunt testes falsitatis, præcipuè talis vt Dauid non crederet videre bonitatem Domini in terra viuentium: tum quia magna pars Psalmi affert pro ratione desiderium Dauidis circa domum & faciem Domini: quod impertinens videtur ad bella cum alienigenis. Et quoniam tam hoc quàm cætera clara quadrant tempori quo Dauid erat rex Iuda in Hebron, & inter ipsum & domum Saulis fuit longa concertatio, septem scilicet annorum, ideo de tempore illo tractat iste Psalmus: nam tunc verificatur, *Dominus lux mea & salus mea*, &c. vt enim patet 2. Reg. 2. Dauid ex reuelatione Domini mortuo Saule ascendit in Hebron, vbi factus est rex super tribum Iuda. Tunc verificatum fuit quòd inimici eius ceciderunt: vt patet. Et tamen quòd supererat adhuc bellum cum eis: durauit enim per annos septem bellum, & erat bellum cum illismet qui fuerant falsi testes contra Dauidem: vt in decursu expositionis manifestabitur. Et æstuabat Dauid desiderio honorandi arcam Domini, & constituendi habitationem suam prope arcam Domini in monte Sion: quod non poterat: quia Hierusalem (in quo est mons Sion) non erat sub potestate eius.

Fiducia Dauidis adhuc Regis in Hebron, quòd Dominus dabit illi regnũ Israël.

Est itaque materia Psalmi ad literam, fiducia Dauidis in Domino adhuc regis in Hebron, ad honorãdum arcam Domini & habitandum iuxta eam, quod claudit in se materialiter assecutionem regni Israël: formaliter enim ad domum Domini tendit. Attestatur autem dicto tempori titulus Psalmi apud Græcos talis: *Psalmus Dauid antequam liniretur: hoc est, vngeretur in regem super totum Israël.*

SVMMARIVM EST.

Dauid ex perceptis multis diuinis beneficijs iam non timens ab homine, sed expectans beneficiorum cumulum, petit à Deo quiescere in domo Dei, quærere faciem, nosséque vias eius, & non tradi in desiderium inimicorum suorum.

Persona loquens Propheta est, recitans diuinam vocem.

Vers. 1. Dominvs lvx mea. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam, & executiuam, ibi, *appropinquantibus*. Proponit quatuor: Primum: *Dominus lux mea*. interna. Secundum, *& salus mea*, à malis. Tertium: *Dominus roboratio vitarum mearum*: hoc est robur dans vitæ meæ. Quartum quod repetitur: *à quo timebo? à quo pauebo?* Et legitur vtrumque interrogatiuè. Ac si diceret: à nullo timebo, à nullo pauebo, Deo luce, salute & fortitudine meâ. Fit autem repetitio tum ad insinuandam firmitatem securitatis, tum vt altera ex præteritorum, altera ex futurorum periculorum ratione dicatur.

Pars Executiua. *Vers.* 2. Appropinqvantibvs. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur geminata illa particula, *à quo timebo*. Secundò illa, *salus mea*, ibi, *vnam petij*. Tertiò illa, *lux mea*, ibi, *audi Domine*. Quartò illa, *roboratio vitarum mearum*, ibi, *ne trade*. Bis dixerat, *à quo timebo*. Et

Duo Periculorum genera: Præteritorũ; propterea duo subiungit genera periculorum. Primum præteritorum. *Appropinquantibus super me malignantibus ad deuorandum carnem meam, angustatores mei & inimici mei mihi ipsi impegerunt & ceciderunt.* Et intelligitur ad literam de exercitu Isboseth duce Abner contra Dauidem congregato: de quo 2. Reg. 2. nam egressi sunt quasi ad deuorandum Dauidem: vt pote vndecim tribus contra vnam. Et tamen ipsi debilitati sunt, seu *impegerunt & ceciderunt*. *Impegerunt* quidem in Ioab obuiantem eis: & *ceciderunt*, fugato eorum exercitu. Appellantur autem *malignantes*, eo quòd ex malignitate concepta tempore Saulis aduersus Dauidem, mouebantur contra Dauidem. Vnde & signanter addidit *mihi*: vt intelligeres malignitatem & inimicitiam totam contra eum. Secundum futurorum: *Si castrametabitur*, iterum, *super me*, contra me, *exercitus*, totius populi, *non timebit cor meum*, *Futurorum.*

meum, ab eo: *si surget super me bellum, in hoc ego confidens*, quòd Deus vertet illud in bonum meum: vt intelligas totam fiduciam eius esse in Deo ex experientia gestorum.

VERS. 4. VNAM PETII A DOMINO. Tractatur hîc illa particula, *salus mea*. Vbi aduerte quòd tota ratio istius Psalmi ex parte Dauidis explicatur in deuoto Dauidis affectu ad domum Domini: insinuans per hoc quòd tantæ perfectionis erat vt non tanti faceret adeptionem regni, quanti æstimabat assecutionem voti sui erga domum Domini. *Vnam*, rem, inquit, *petij à Domino*, tanquam præcipuè intentam, *hanc requiram*. In quo clarè patet & præterita & perseuerans deuotio. Quæ autem sit ista res petita, subiungit: *sessio mea*, sedere meum, quiescere meum, *in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*. Et non dixit, quiescere in regno, sed in cultu Domini. Et ad literam statim adimplere conatus est hoc Dauid, statuens domum suam iuxta domum Domini: exemplo Moysi ducis populi, cui ordinatum est à Deo Numer. 2. vt habitaret iuxta ostium domus Domini.

Deuotio Dauidis erga domum Domini.

Quorsum autem hoc habuerit desiderium, manifestat ex speratis salutiferis fructibus: Primò ex parte sui duobus: Alter est, *ad videndum in placiditate Domini*. In quo mentis eleuatio ad videndum quæ Dei sunt quietè, tanquàm coram Deo placidè monstrante diuina speratur. Alter est, *& ad quærendum in templo eius*. In quo diligentia inquisitiua eorum quæ ad diuinam gloriam spectant, speratur in templo: vt pote loco orationi deputato.

Fructus inde sperati.

Secundò ex parte Dei primus fructus describitur: *quoniam abscondet me in vmbraculo suo* Secundus: *in die mali abscōdere faciet me in abscondito tentorij sui*. Aduerte hîc quòd parui refert consentire puncto vt diximus, vel consentire aliis aliter punctantibus, *quoniam abscondet me in vmbraculo suo in die mali*: & postea subditur, *abscondere faciet me*, &c. Sensus enim in idem redit. Sperat Dauid quòd sicut Moyses in die periculi cùm populus contra ipsum & Aaron insurgebat absconditus est in tabernaculo Domini, mittente Domino nubem cooperientem tabernaculum (vt dicitur Numer. 14) ita sic vel aliter ex gratia domus Dei ipse protegendus esset in occurrentibus. Bis autem hoc repetit: Semel ad significandum quòd domus Dei erat sibi futurum refugium communiter, sicut refugium Moysi semper erat tabernaculum Domini. Et semel ad significandum quòd specialiter *in die mali*, in die periculi, domus Dei esset sibi futurum refugium efficax. Et propterea dicit quòd ita *abscondere me faciet in abscondito*, in intimo secreto, tentorij sui: hoc est, ita securè proteget me, ac si essem absconsus in intimo tentorij diuini. De communi autem dicit quòd *abscondet me in vmbraculo suo*: quod protegit ab iniuriis æstus & imbrium. Tertius fructus: *In petra exaltabit me*, in solido & firmo fundamento exaltabit me in regem: non sicut Saulem, qui statim deiectus est, tanquam non fuerit in petra exaltatus: Vnde dixit Samuël ad Saulem 1 Reg. 13. *Quod si non fecisses, iam nunc firmasset Dominus regnum tuum super Israël in sempiternum: sed nequaquam regnum tuum vltra consurget: quæsiuit Dominus virum sibi iuxta cor suum, & præcepit ei Dominus vt esset dux super populum suum*, &c.

In die periculi domus Dei refugiū efficax.

1. Reg. 13. v. 13. 14.

Demum post descriptos fructus futuros adeptâ commoditate domus Domini, describit effectus iam imminentes. Alterum ex parte Dei: *Et nunc exaltabitur caput meum super inimicos meos circuitibus meis*. Sperabat Dauid exaltandum se in regem super totum Israël, cùm esset rex super tribum Iuda tantùm, & circumquaque inimicos habebat: vtpote constitutus inter tribus duodecim quarum vndecim aduersabantur ei. Et hoc adimpletum ad literam fuit. Alterum pro gratiarum actione: qui tamen potest connumerari tertius fructus ex parte Dauidis adiunctus primis duobus: *Et sacrificabo in tentorio eius sacrificia clangoris, cantabo & psallam Domino*. Vbi aduerte quòd dictio Hebraïca non significat purum sonum tubæ: sed significat festiuum quemdam sonum tubæ: quem penuriâ vocabulorum & nunc & sæpius *clangoris* nomine significabimus: eo quòd saltem sonum tubæ significat (*iubilatio* autem, quâ alij interpretes vtuntur, finem illius soni innuit: quia ad iubilandum, ad hoc vt festiuè se haberent, sonus ille fiebat) & quia præceptum erat in lege vt sacrificiis festiuis cum iucunditate populi admisceretur huiusmodi sonus: vt dicitur Numer. 10. Et propterea dicit: *sacrificia clangoris*.

Effectus futuri.

Clangor in hoc libro quid significet.

Vers. 7. AVDI DOMINE. Tractatur hîc illa particula, *lux mea*: petendo manifestari sibi diuinam faciem & doceri. Vtitur autem multis locis. Et primum ex parte intimi ac meditabundi affectus, & propterea præmittit: *Audi Domine vocem meam*, internam: *vocabo*, intus hoc: *Miserere mei* (in quo miseriam propriam recognoscit) *& responde mihi*, opere. *Tibi*, non homini, *dixit*, contemplando, *cor meum*: hoc est, coram te locutus sum meditando verba tua sequentia: scilicet *quærite facies meas*: meditabatur siquidem Dauid hæc Dei verba in corde suo. Vnde & promitrit obedire: *Facies tuas Domine quæram*: hoc est, ad quod petiit *miserere mei*, ad quod præmisit *responde mihi*. Et propterea subdit: *Ne abscondas facies tuas à me, ne declinare fac in furore seruum tuum*. Dupliciter negatur facies principis subdito. Vel occultatione, cùm non comparet, sed velum aliquod interpositum est & tunc vocatur *abscondere faciem suam*. Vel si apparet quidem, sed irato vultu: ita vt expectans gratiam recedat, videns non esse tempus gratiæ. Et tunc dicitur, *facere declinare subditos in furore*. Et propterea vtrumque impedimentum petit tolli.

Facies Principis subdito negatur dupliciter.

Deinde vtitur altero loco ab inchoato beneficio. *Auxilium meum fuisti*, iam inchoasti adiuuare me, *ne dimitte me, & ne derelinque me Deus salutis meæ*, auctor: sed perseuera & perfice cœpta. Hactenus enim adiuuerat ipsum Deus & in spiritualibus & in temporalibus, saluando à Saule & eleuando in regem Iuda: sed adhuc restabat vt fieret rex Israël iuxta diuina promissa per Samuelem.

Vnde tertio loco vtitur ab huiusmodi promissione: *Quoniam pater meus & mater mea dereliquerunt me*. Ad literam 1. Reg. 16. non est præsentatus à patre & matre Samueli Dauid, & propterea hic dicit quòd pater meus & mater mea dereliquerunt me: *& Dominus* per Samuelem, *colliget me*, id est, collecturum me promisit. Quod adhuc implendum erat: adhuc enim non erat collectus populus Israël in regnum Dauidis. Hanc enim congregationem vocat collectionem sui: quia reuera collectio eius erat tanquam regis.

Quarto

Quarto demum loco vtitur ab hostibus. *Doce me Domine viam tuam.* Nolebat enim malis artibus ad regnum peruenire, nolebat ad cultum domus Domini nisi via iusta pertingere. Et propterea petit tum doceri viam Dei; tum deduci: *Et deduc me in semitam rectitudinis:* nihil enim prodest scire viam Dei & non incedere per illam. *Propter inspectores mei*, hoc est, malo animo respicientes me: hoc enim significat dictio Hebraica. Illi siquidem qui adhuc supererant sequaces Saulis, & ægrè ferebant regnum transferri in Dauidem, malo animo respiciebant Dauidem. Et quamuis Dauid non timeret ab eis (dixerat enim *a quo timebo?*) timebat tamen à Deo, ne permitteret ipsum peccare, & consequenter ruere.

Vers. 12. NE TRADE ME IN ANIMAM ANGVSTATORVM MEORVM. Tractatur hîc illa particula, roboratio vitarum mearum: commemorando præterita constantiæ ac fortitudinis beneficia. *Ne trade*, inquit, *me in animam*, in desiderium, *angustatorum meorum*, Saulistarum: *quoniam surrexerunt in me*, non tanquam hostes, non iure belli, sed *testes falsitatis & locutor iniquitatis.* Commemorat præterita quæ acciderant in diebus Saulis, scripta, 1. Regum 24. *Quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduersum te.* vbi patent testes falsitatis. Et 26. *Maledicti sunt in conspectu Domini, qui eiecerunt me hodie vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: vade, serui dijs alienis:* vbi patet locutor iniquitatis. Propter quod subditur: *Nisi credidi ad videndum in bonitate Domini in terra viuentium:* hoc est, ac si non credidissem ea quæ sunt futuræ vitæ: vel ac si non credidissem in præsenti vita adhuc visurum promissa mihi in bonitate Domini.

Oblocutiones in Dauidem.

1. Reg. 24. 10

1. Reg. 26. 19

Intendit enim commemorare duo. Alterum quòd inimici sui non tam zelo regni pro domo Saulis, quàm malignitate contra ipsum sunt: vt patet ex eo quòd olim fuerunt contra eum testes iniqui, &c. Alterum, quòd constans perseuerauit in eo fides bonorum futuræ vitæ seu diuinæ promissionis sibi factæ: hoc enim intendit dicendo quòd illi locuti sunt iniquitatem, ac si ipse Dauid non crederet se visurum in bonitate Domini, vel bona in terra viuentium (quasi ista sit terra morientium) vel in terra promissionis: quæ solis viuentibus vità animæ promissa est in hæreditatem.

Quibus commemoratis, subditur confortatio suipsius. *Spera ad Dominum: roborare, & roborabit Dominus cor tuum, & spera ad Dominum.* Et quam olim habuerat, loquentibus aliis contra Dauidem ac si non crederet: & quam nunc in Hebron habebat (in vtroque enim statu hanc animi fortitudinem habuit) seipsum animando commemorat. Vbi aduerte spem præuenire robur & robur præuenire spem: vt intelligas mutuò hæc se fulcire, & quod est liberi arbitrij & quod est diuinæ gratiæ in se inuicem coalere: & intelligas Dauidem in vtroque statu habuisse Deum roborationem vitæ suæ. Amen.

Spes & robur se mutuò fulciunt.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Psalmus Dauid.

XXVII.

1 *AD te Domine clamabo: Deus meus ne sileas à me, nequando taceas à me, & assimilabor descendentibus in lacum.*

2 *Exaudi Domine vocem deprecationis meæ dum oro ad te: dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum.*

3 *Ne simul trahas me cum peccatoribus: & cum operantibus iniquitatem ne perdas me.*

Qui loquuntur pacem cum proximo suo: mala autem in cordibus eorum.

4 *Da illis secundùm opera eorum: & secundùm nequitiam adinuentionum ipsorum.*

Secundùm opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis.

5 *Quoniam non intellexerunt opera Do-*

IVXTA HEBRÆVM.

Psalmus Dauidi.

XXVIII.

1 *Propheta.* AD te Domine [4] vocabo: petra mea ne obsurdesce à me, nequãdo tacebis à me, & assimilabor cum descensoribus cisternæ.

(interlinear: mihi; taceas; mihi; in cisternam)

2 Audi vocem deprecationum mearum in clamare meo ad te: in leuare meo manuum mearum ad adytum sanctitatis tuæ.

3 Ne trahe me cum impiis, & cum operantibus iniquitatis: loquentibus pacem cum sociis suis, & malum in corde eorum.

(interlinear: est)

4 Da eis secundùm opus ipsorum & secundùm malitiam operationum eorum: iuxta opus manuum ipsorum da eis, redde retributionem suam illis.

5 Quoniã non intelligent ad opera Domini

mini & in opera manuum eius : destrues illos & non ædificabis eos.

6 *Benedictus Dominus : quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.*

7 *Dominus adiutor meus & protector meus: & in ipso sperauit cor meum & adiutus sum.*

Et refloruit caro mea : & ex voluntate mea confitebor ei.

8 *Dominus fortitudo plebis suæ : & protector saluationum christi sui est.*

9 *Saluum fac populum tuum Domine & benedic hæreditati tuæ : & rege eos & extolle illos vsque in æternum.*

mini[4] & ad opus manuum eius: de-
Deus
struet eos, & non ædificabit illos.

6 Benedictus Dominus[4]: quoniam audiuit vocem deprecationum mearum.

7 Dominus[4] fortitudo mea & scutum meum : in ipso est confisum cor meum, & fui adiutus, gauisum est cor meum, & à cantico meo confitebor illum.

est
8 Dominus[4] fortitudo eis : & robo-
est
ratio salutum christi sui ipse .

9 Saluum fac populum tuum & benenedic hæreditatem tuam : & pasce eos & extolle eos vsque æternum.

COMMENTARIVS.

Materia.

TItulus est, *Dauidi*: De quo vt suprà.

Circa materiam Psalmi aduerte quòd cùm constet ex titulo Dauidem esse auctorem Psalmi, & ea quæ dicuntur non excedere personam ipsius, consequens est de ipso Dauide Psalmum tractare. Quæ autem tractentur in specie de ipso, ex Psalmo oportet accipere. In quo clarè apparent duo specialia. Alterum quòd Dauid timet Deum negare sibi responsionem. Alterum quòd timet trahi cum proditoribus: quos petit puniri. Tertium generale est quòd dicit se exauditum, &c.

Recursus Dauid ad Deum ob crimen nepotum Ioab & Abisai proditorū.

Ex quibus simul collatis apparet Dauidem timere ne culpa proditorum in ipsum redundet quoad pœnam hanc : scilicet quòd Deus non respondeat ei. Et propterea Psalmus iste ad literam tractat solicitum timorem Dauidis ob crimen nepotum eius qui proditoriè interfecerunt Abner : timuit enim ne propterea Deus negaret sibi responsum. Et meritò : quoniam sciebat regi Sauli negatum fuisse diuinum responsum ob longè minus peccatum filij eius Ionathæ, quando comederat modicum mellis : vt patet 1. Regum 14. Congruunt autem omnes Psalmi partes huic materiæ : imò & quodammodo ipsa verba quæ tunc dixit Dauid 2. Regum 3. contra nepotes suos, Ioab & Abisai. Dixit enim : *Retribuet Dominus facienti malum iuxta malitiam suam :* quod hîc clarè in quarto versiculo dicitur. Imprecatus quoque est indeficiens malum, dicens: *Non deficiet de domo Ioab cadens gladio & indigens pane*, &c. quod hîc in quinto versiculo dicitur, destruet eos & non ædificabit illos.

2. Reg. 3. 39.

Ibid. v. 29.

Est igitur ad literam materia Psalmi, recursus Dauidis ad Deum vt non neget sibi responsum ob crimen nepotum suorum proditorum, sed puniat illos.

SVMMARIVM EST.

D*Auid post nepotum crimen petit à Deo vt respondere velit sibi clamanti, & nepotes proditores puniat secundum opera & malitiam eorum: habitáque diuinâ responsione gratias agit & orat pro populo.*

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1.

DOMINE AD TE VOCABO. Diuiditur Psalmus in partes duas : propositiuam materiæ, & executiuam, ibi : *Audi vocem.* Proponit tria : Primum, *ad te Domine vocabo.* Secundum, *Petra mea*, hoc est, soliditas mea, ratio omnis firmitatis meæ, *ne obsurdesce à me*, ne agas surdum me vocante te : quod est dicere noli negare mihi responsionem more surdi. Tertium, & est periculum quod timet si Deus faceret more surdi : *Nequando tacebis à me, & assimilabor cum descensoribus cisternæ.*

Assimilat se Dauid descendentibus in puteum, quo sensu.

Præter parabolam surdi aduerte alteram parabolam eorum qui descendunt in profundum puteum. Soliciti namque multum sunt tales descendentes vt super os putei maneat semper aliquis responsurus clamanti ex inferiori parte putei : intantum enim volunt audiri vt crebrò clament : & si contingat eos non audiri aut negligi ab existentibus vel debentibus existere super os putei, timent quodammodo se destitutos fore. Istis timet assimilari Dauid, si Deus clamanti ipsi non respondeat vt consueuerat respondere consultus : timebat siquidem quòd Deo non respondente, ipse tanquam destitutus & dubio mali euentus expositus foret. Et propterea dicit : *nequando tacebis à me*, hoc est, ne si fortè non responderis mihi, & sic ego *assimilabor cum descensoribus cisternæ*, timentibus ne negligantur tanquam destituti. Meritò autem timet : quia sciebat Deum pro aliena culpa etiam punire in huiusmodi temporalibus : vt patet Iosue 6. & 7. de casu populi propter peccatum Achan.

Pars Executiua.

Vers. 2. AVDI VOCEM. Incipit hîc pars executiua tali ordine : Primò tractatur illa particula, *ad te Domine vocabo :* secundò illa, *nequando tacebis à me & assimilabor* &c. ibi, *ne trahe :* tertiò illa, *petra mea ne obsurdesce*, ibi, *benedictus Dominus.* Proposuit itaque : *Ad te Domine vocabo :* exequitur modò istam vocationem. *Audi vocem deprecationum mearum*, non vnius tantùm, *in clamare meo ad te*, non magnitudine vocis, sed magnitudine affectus, *in leuare meo manuum mearum ad adytum sanctuarij tui*, hoc est, ad Sanctum sanctorum : illud enim erat intimus locus diuinæ

diuinæ sanctitatis: in quo erat arca, &c. Et dixit hoc: quia orabat eleuatis manibus versus Sanctum sanctorum. Si tamen per *adytum sanctitatis tuæ*, intelligas cælum, nullus est error. Et intendit quòd orabat eleuando manus ad Deum cælum versùs. Vbi collige tria concurrentia ad hanc orationem: scilicet multitudinem deprecationum, clamorem cordis, & exteriorem reuerentiam in eleuatione manuum.

Cælum, adytum sanctitatis.

Vers. 3. Ne trahe me. Tractatur hic illa particula, *nequando tacebis à me & assimilabor cum descensoribus cisternæ.* Sciebat (vt prædictum est) puniri innocentes à Deo pœnis temporalibus propter culpam aliorum. Et propterea sibi timens propter crimen nepotum petit: *Ne trahe me cum impijs & cum operantibus iniquitates, loquentibus pacem cum socijs suis, & malum in corde eorum.* Ioab & Abisai filios sororis suæ vocat impios & operantes iniquitatem: eo quòd proditoriè locuti sunt pacem cum Abner (qui iam in societatem transierat Dauidis: & propterea socius appellatur) & tamen malum erat in corde eorum. Historia proditionis patet 2. Regum 3. Petit autem non trahi non in culpam proditorum, aut eorum pœnam æternam, sed ne trahatur in causam: ne scilicet causa proditorum fiat sua quantùm ad pœnam temporalem. Sic autem vult se non trahi in illam causam vt tamen proditores puniantur. Et propterea subdit: *Da eis*, proditoribus, Ioab, &c. *secundùm opus eorum*, exterioris occisionis, *& secundùm malitiam*, internam, *operationum eorum.* Et exaggerans: *iuxta opus*, homicidij, *manuum eorum*, quod propriis manibus patrarunt, *da eis: redde retributionem suam*, quam meruerunt, *illis. Quoniam non intelligent ad opera Domini.* Aut vtitur futuro pro præterito, *intelligent* pro *intellexerunt*: aut perseuerantem animi iniquitatem significat verbo futuro. Et intendit: *Quoniam*, Ioab & complices, *non intelligent*, non penetrabunt, *ad* intima *opera Domini*, deducentia me ad regnum. Ac si apertè diceret: quia non penetrant Dei, non hominis opus esse regnum meum: propterea enim quæ sunt hominum & non quæ sunt Dei fecerunt. Et propterea congrua pœna subiungitur: *& ad opus manuum eius*, scilicet Dei punientis, *destruet*, Deus, *eos, & non ædificabit illos.* Destruimus quandoque domum vt reædificemus illam in meliorem formam: sed pœna istorum erit perseuerans. Et propterea dicit: *Destruet eos, & nunquam ædificabit illos.* Et hæc omnia in sententia habentur in loco allegato dicta à Dauide contra Ioab & suos.

Ioab & Abisai nepotes Dauidis proditoriè occiderunt Abner.

Vers. 6. Benedictus Dominus. Tractatur hic illa particula, *petra mea ne obsurdesce à me.* Et quia duo petierat (alterum vt audiret. Alterum spectans ad facta: scilicet ne traheretur in causam proditorum) ideo gratias agit, & quòd audiuit, *Benedictus Dominus quoniam audiuit*: & quòd *vocem deprecationum mearum.* Hinc enim habes duo: scilicet quòd Dauid post crimina nepotum recurrit ad Deum & habuit diuinum responsum: & propterea gratias agit quòd audiuit, quòd non egit surdum sed respondit: & quòd multas preces suas exaudiuit: & propterea pluraliter dicit *deprecationum mearum:* scilicet pro se, pro suis, & pro populo. Hæc enim tria ordinatè subiungit.

Et propterea gratias agit: Primò de seipso: *Dominus fortitudo mea*, dixerat enim *petra mea ne obsurdesce*: recognoscit modò effectum petræ in fortitudine ad persistendum. *Et scutum meum*, defendendo. *In ipso*, non in homine, *confisum est cor meum & fui adiutus*, ad assecutionem regni: vnde *gauisum est cor meum*, intùs, experiens diuinam gratiam in meo adiutorio: *& a cantico meo*, extrà, *confitebor illum*, confessione laudis. Quoad suos verò beneficium quoque fortitudinis recognoscit: *Dominus fortitudo eis*, sequacibus meis, *& roboratio salutum Christi sui ipse.* Vbi ratio roborandi ad ea quæ salutis sunt sequaces Dauidis, explicatur diuina vnctio qua Dauidem vnxerat per Samuelem in regem. Et intendit quòd non obstante crimine Ioab, Deus ob statutam salutem Dauidis Christi sui fuit salutare robur eorum. Postremò verò pro vniuerso populo Israël orat, tanquam rex totius populi: erat enim tunc in procinctu vt vngeretur in regem super totum Israël: vt patet 2. Regum 3. 4. & 5. *Saluum fac populum tuum*, peculiarem, electum, &c. vt patet in multis locis Pentateuchi: *& benedic*, benefac (benedicere quippe Dei est benefacere) *hæreditati tuæ.* Populus Israël hæreditas Dei appellatur (Deuteron. 4. *Vos tulit Dominus & eduxit de fornace ferrea Ægypti, vt haberet populum hæreditarium sicut est in præsenti die*) pro quanto terram promissionis, quæ erat terra Dei, possidebat cum tot diuinis communicationibus. Vtitur autem istis locis vt Deo quæ sua sunt commendet. *Et pasce eos & extolle eos.* Considera ordinem: Primò petit quòd saluet: deinde quòd multiplicet: tertiò quòd pascat: & quartò quòd extollat, non ad tempus, sed vsque æternùm: Quæ petitiones ita latè vt positæ sunt intelligendæ videntur: hoc est, tam in corporalibus quàm in spiritualibus. Amen.

Benedicere Dei, est benefacere.

Deut. 4. 20.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Psalmus Dauid.*	Psalmus Dauidi.
XXVIII.	XXIX.
AFFERTE *Domino filij Dei: afferte Domino filios arietum.*	1 *Propheta.* DATE Domino filij fortium, date Domino honorem & fortitudinem.

2 *Afferte Domino gloriam & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius.*

3 *Vox Domini super aquas: Deus maiestatis intonuit, Dominus super aquas multas.*

4 *Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia.*

5 *Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani.*

6 *Et comminuet eos tanquam vitulum Libani: & dilectus quemadmodum filius vnicornium.*

7 *Vox Domini intercidẽtis flammam ignis:*

8 *Vox Domini concutientis desertum, & commouebit Dominus desertum Cades.*

9 *Vox Domini præparantis ceruos & reuelabit condensa: & in templo eius omnes dicent gloriam.*

10 *Dominus diluuium inhabitare facit: & sedebit Dominus rex in æternum.*

11 *Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.*

2 Date Domino + honorem nominis eius: incuruamini Domino in pulchritudine sanctitatis.

3 Vox Domini + super aquas: Deus honoris intonuit, Dominus + super aquas multas.

4 Vox Domini + in virtute: vox Domini + in decore.

5 Vox Domini + confringens cedros: & confregit Dominus + cedros Libani.

6 Et saltare fecit eas quasi vitulum: Libanum & Sirion quasi filium vnicornium.

7 Vox Domini + excidens flãmas ignis.

8 Vox Domini + parturire faciet desertum: parturire faciet Dominus + desertum Cades.

9 Vox Domini + parere faciet ceruas, & detexit saltus: & in templo eius est totus ipse dicens honorem.

10 *Canticum.* Dominus + diluuio sedit: & sedit Dominus + rex æterno.

11 Dominus + fortitudinem populo suo dabit: Dominus + benedicet populum suum in pace.

COMMENTARIVS.

Materia.

Titulus est, *Psalmus Dauidi*. De quo vt suprà. Circa materiam Psalmi aduerte quòd media Psalmi pars continens septem voces Dei, præ se fert obscuritatem materiæ: & propterea ex partibus extremis vtpote clarioribus coniicere oportet materiam Psalmi. Apparet in principio Psalmi inuitatio ad diuinum cultum. Apparet secundò, immediatè post voces subiungi diuinum cultum in Dei templo: vbi dicitur *& in templo eius*, &c. Apparet tertiò in fine Psalmi commemorari diuinam prouidentiam respectu totius generis humani in diluuio, &c. & specialiter respectu populi sui in vltimo versiculo. Ex quibus omnibus coniectura fit Psalmum istum tractare de cultu Dei ratione diuinæ prouidentiæ. Et si supponitur (quod postea declarabitur) septem has voces beneficia præstita veteri populo continere vsque ad terram promissionis adeptam, facilè coniiciemus quòd Psalmus iste ad literam tractat beneficia pristina ratione finis: hoc est, pro quanto diuinitus fuerunt ordinata ad hunc finem vt in vno templo coleretur Deus, sic vt honoraretur & prædicaretur vt gubernator generis humani & specialiter populi sui.

Inuitatio ad diuinũ cultũ ob antiqua beneficia.

Itaque ad literam Psalmus iste intendit inuitare ad diuinum cultum: commemorando antiqua beneficia esse ad hoc eis concessa vt vnus Deus in vno templo solus colitur gubernator vniuersi, & specialiter humani generis, & peculiariùs populi sui.

SVMMARIVM EST.

Propheta inuitat ad recognoscendum & adorandum Deum: commemorans beneficia populo collata vsque ad terram promissionis, vt in templo Dei honoretur Deus rex æternus, qui præsedit diluuio & specialis est benefactor populi sui.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1.

Date Domino. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *vox Domini*. Proponendo materiam, distingue inuitatos: inuitantur enim filij fortium. Vbi aduerte dictionem Hebraicam sonare deos vel fortes vel arietes: ita quòd inuitati sunt filij fortium seu deorum. Quod tamen in idem redit: quia fideles sunt & filij fortium (Abrahæ, Isaac & Iacob) & filij Dei: iuxta illud Exod. 4. *Filius meus primogenitus Israel.* At si legeretur *arietum*, nullus explicitè inuitaretur: sed oblatio agnorum à populo facienda significaretur pro iugi sacrificio, matutino & vespertino. Quia tamen inferius nulla fit mentio de sacrificiis, sed statim geminari videtur exhortatio ad modum impellentis, in qua explicatur quid dandum sit Deo, ideo primus intellectus magis placuit, dicendo: *Date Domino filij fortium*, seu Dei, date, inquam, Domino honorem & fortitudinem. Ecce ad quid inuitantur: ad dandum Deo honorem & fortitudinem dupliciter. Primò confitendo ipsum esse fortem, imò fontem fortitudinis, & omni honore dignum: secundò honorando ipsum, & gratias ei agendo de communicatis beneficiis per ipsius potentiam: quæ sub eius clauditur fortitudine.

Fideles sunt filij fortium, & filij Dei. Exod. 4.

Et quoniam poterat quispiam dicere: quid prodest Deo quòd ego dem ei honorem & fortitudinem? subiungit Propheta duas rationes. Alteram

Ex laude Dei quis resultat fructus

Alteram ex parte Dei: quòd licet Deus non fiat honorabilior aut fortior ex nostris actibus quibus damus ei honorem & fortitudinem, nomen tamen eius quo mundo innotescit recipit augmenta & detrimenta honoris & fortitudinis in oculis hominum. Et propterea subdit: *Date Domino honorem nominis eius.* Quo contra conqueritur Deus Esa. 52. *Et iugiter tota die nomen meum blasphematur.* Alteram ex parte nostri: *Incurvamini Domino in pulchritudine sanctitatis.* Nostra res agitur quòd incuruamus nos Deo adorando ipsum in spiritu & veritate, vt dicitur Ioan. 4. quod hic dicitur *in pulchritudine sanctitatis*, non in pulchritudine exterioris cultus (iuxta illud: *populus hic labijs me honorat*) sed in pulchritudine sanctitatis: quæ est solius mentis decor.

Isai.52.

Pars Executiua.

Vers. 3. Vox Domini. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractantur illæ particulæ, *date honorem & fortitudinem, honorem nominis eius:* secundò tractatur illa, *incuruamini* ibi, *& in templo eius.* Circa primum aduertendum est quòd quia vnum & idem est dare honorem Deo & honorem nominis eius (secundum enim explicat primum) ideo simul tractantur. Tractantur autem reddendo rationem quare debent filij Israël recognoscere diuinam fortitudinem & honorare Deum, ex sensibilibus conditionibus & effectibus diuinæ vocis. Vnde & priùs describuntur conditiones sensibiles diuinæ vocis, & postea tres sensibiles effectus.

Vbi aduerte quòd de creatione mundi scriptum est, *dixit & facta sunt:* de gubernatione autem quòd sapientia *attingit à fine ad finem fortiter, & disponit omnia sua suauiter?* de reuelationibus quoque diuinis scriptum est, *locutus est Deus ad Abraham:* & similia. Modò vbi de imperio Dei non solùm publico, sed sensibili Propheta tractat, appellat ipsum *vocem Domini:* vt sensibile imperium more humano significatum intelligas: eo scilicet modo quo principes publicè ac sensibiliter præcipiunt. Vsque ad tempus eductionis populi de Ægypto, imperium Dei publicum erat modo intelligibili, & ad priuatos diuersimodè loquebatur: vt patet in decursu Scripturæ. Ab eductione autem populi ex Ægypto, cœpit sensibiliter loqui publicè in manifestis portentis & prodigiis: & demum in monte Sina cum tubis, &c.

Vox Domini est imperium Domini.

Voces Domini varia.

Prima itaque conditio diuinæ vocis publicæ describitur dicendo, *Vox Domini super aquas*, id est, populos. In veteri siquidem Testamento ad literam appellatione aquarum veniunt populi: vt patet Esa. 8. & similiter in nouo, Apocal. 17. *Aquæ quas vidisti populi sunt & turbæ & gentes & linguæ.* Et propterea materia diuini imperij exprimitur dicendo, *super aquas.* Vnde & subditur: *Deus honoris intonuit:* hoc est, cum honore publico locutus est. Et ne putes paucos populos, explicat: *Dominus super aquas multas*, super populos multos: Hebræos scilicet, Ægyptios, Amorrhæos, Madianitas, Chananæos, &c.

Populi dicūtur aquæ.

Apoc.17.15.

Secunda conditio: *Vox Domini*, non in debilitate aut remissione, sed *in virtute*, potenti & efficace super omnia: talis enim monstrata est in suis effectibus.

Tertia conditio: *Vox Domini in decore.* Apparuit siquidem diuinum imperium non solùm robustum, sed etiam pulchrum; tum in admirabili præseruatione suorum, vt nec vnus quidem ex suis moreretur in tot bellis cùm se exhibebant obedientes diuinæ voci: vt patet in pugna contra Madianitas tempore Moysi, & postea contra Chananæos tempore Iosue. Tum in decora specie quâ imperium Domini apparebat: & columnæ lucidæ in nocte, & nubis per diem, & in monte Sina, &c. Tum (quod præcipuum est) in decore & pulchritudine animi: præcepta siquidem quæ sensibiliter dedit in monte Sina, ad decorem & pulchritudinem animi spectant: nihil turpe conceduut.

In quibusdā prælijs ex parte Israëlitarum nulli cæsi.

Collige ergo conditiones diuinæ vocis, diuini imperij sensibiliter monstrati: quod est plenum potentiæ, & sancti decoris, & quòd respicit ad populos multos.

Vide effectus. Primus effectus est deuastatio principum populorum tam tempore Moysi (scilicet Madianitarum & Amorrhæorum) quàm tempore Iosue, scilicet Chananæorum. Hos enim describit sub similitudine cedrorum Libani: quæ dicuntur valde proceræ. Vnde Amos 2. expressè dicitur: *Exterminaui ante faciem eius Amorrhæum, altitudo cedrorum altitudo illius. Vox Domini confringens cedros*, Seon & Og & reliquos reges: *& confregit Dominus*, non paruos reges, sed *cedros Libani*, reges excelsos. *Et saltare fecit eas*, scilicet cedros, principes illos eradicauit sub specie cedrorum: quæ quando eradicantur ab impetu turbinis, saltant. Et apponitur similitudo saltandi *quasi vitulum:* hoc est, tam facile quàm facile est facere saltare vitulum terrore. *Libanum & Sirion quasi filium vnicornium.* Libanus & Sirion nomina sunt propria montium. Et Sirion est vltra Iordanem; hoc est, non in terra promissionis, de quo dicitur Deuter. 3. *Tulimúsque terram de manu duorum regum Amorrhæorum qui erant trans Iordanem à torrente Arnon vsque ad montem Hermon, quem Sidonij Sirion vocant, & Amorrhæi Sanir.* Libanus autem est in terra promissionis: dicente ibidem Moyse: *Transibo igitur & videbo terram hanc optimam & montem istum egregium & Libanum.* Quod non fuit ei concessum: vt ibidem subditur. Intendit itaque per hos duos montes vtramque partem terræ, vtramque gentem: citra & vltra Iordanem. Cur autem Libanum & Sirion comparauerit filio vnicornium, in promptu ratio est: quia potius voluerūt mortuæ succumbere gentes illæ quàm cedere. De monocerote siquidem scribitur quòd nunquam capitur viuus.

Effectus diuinæ vocis. Deuastatio populorum.

Amos 2.9.

Libanus & Sarion mōtes.

Deut.3.v.8.9

Deut.3.25.

Vnicornis nūquam viuus capitur.

Secundus effectus est moderatio quam exercuit Deus in populum Israël in deserto. Et quoniam hæc moderatio constat ex duobus effectibus, ideo tertius simul tractatur. Peccante populo in deserto & diffidente de Deo, tali Deus moderatione vsus est vt omnes numeratos, quadraginta annis afflixerit in deserto vsquequo omnes morerentur exceptis Iosue & Caleph: & cum hoc paruulos eorum qui interim robusti sunt effecti ita adiuuit vt introduxerit in terram promissionis cum tanta salute, &c. vt dictum est. Hoc moderamen describit Propheta sub similitudine excisionis ignis, dicens: *Vox Domini excidens flammas ignis.* Vbi aduerte quòd sicut superius per vocem super aquas multas potuissem exponere vocem Domini super mare rubrum, aquas Marath, aquas Raphadim, aquas Cades, aquas Arnon, & demum aquas Iordanis, ita hîc possem exponere & de igne Core, & de igne combu

Varia Scriptura aquæ, varij ignes.

comburente castra, & de igne montis Sinai & Madianitarum, &c. Videtur tamen mihi sensum literalem sub metaphora aquarum significare populos, & hîc sub metaphora excisi ignis moderationem pœnæ: propter quod excisionem dictio Hebraica significat: excidens enim non totum consumit, sed partem excidendo tollit: sic enim Deum fecisse constat. Et propterea hoc declarans subiungit statim: *Vox Domini parturire faciens desertum.* Parturire enim ad dolorem parturientis spectans, pœnam significat numeratorum omnium qui mortui sunt in deserto. Vnde ne dubitares, quòd de populo Israëlitico in deserto loquitur, explanando subiungit: *parturire faciet Dominus desertum Cades.* In quo constat fuisse populum, & crimen illud commisisse propter quod mortui sunt: vt patet Num. 14. & 32. Et ad maiorem expressionem successionis filiorum, subditur: *Vox Domini parere faciet ceruas.* Ceruæ difficilis dicuntur partus, & animalia sunt valde timida. Et propterea merito, populus timidus & difficilis partus ad pariendum viros robustos debellaturos tot populos, comparatur ceruis, diuinâ virtute parientibus filios tanti roboris, vt subiungatur: *& detexit saltus.* Qui enim detegit syluam, non solùm frondes tollit sed & arbores. Et iuxta hanc similitudinem, quia Deus abstulit populos habitantes in terra promissionis, dicitur detexisse syluas. Potest tamen hæc detectio syluarum referri ad deuastationem lucorum idololatriæ: ita quòd priùs descripta est deuastatio gentium, modò deuastatio cultus idololatriæ in terra promissionis. Quæ fuit adimpleta cùm filij ceruarum ingressi sunt in illam.

Vers. 9. ET IN TEMPLO EIVS TOTVS IPSE DICENS HONOREM. Tractatur hîc illa particula, *incuruamini.* Post commemoratos diuini imperij sensibilis effectus sensibiles quos omnes videmus, subiungitur finis eorum. *Et in templo eius:* ecce cultus diuinus: *totus ipse dicens honorem.* Vbi non vna familia, non vna ciuitas, sed vniuersa promissionis terra data populo Israël describitur in vno templo dicens honorem Deo. Et statim subditur canticum huiusmodi honoris. *Dominus diluuio sedit, & sedit Dominus rex æterno.* Prouidentia diuina quoad duo cantanda describitur. Primò quoad æternitatem regiminis: *& sedit Dominus rex æterno:* non ad tempus regnans, regens, gubernans. Secundò quoad punitionem & saluationem vniuersalem generis humani: *Dominus diluuio sedit.* Præsidens enim diluuio, & puniuit vniuersum genus humanum, & saluauit aliquos ad restaurationem humani generis. In speciali autem *Dominus fortitudinem populo suo dabit*, quâ subsistere possit: *Dominus benedicet*, multiplicatione, *populum suum in pace*, in ordinis tranquillitate. Vbi perspice vniuersam de prouidentia Dei fidem in his versiculis cantatam: vt intelligas ad hoc institutum esse templum vt sciretur & glorificaretur Deus à mundo vniuersalis gubernator, puniendo, saluando, benefaciendo, specialiter cultoribus suis. Explicantur autem hîc beneficia temporalia conferenda populo, quia hæc directè erant ad propositum materiæ: introductis enim ex deserto in terram promissionis, deuastatis tot hostibus, opus erat fortitudine ad perseuerandum, benedictione tum in prole, tum in fructibus terræ, animalium, &c. & super omnia pace. Et propterea horum trium meminit. Amen.

Diuina prouidentia in duobus commendatur.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Psalmus cantici ad dedicationem domus Dauid.*	Psalmus canticum initiationis domus Dauidi.
XXIX.	XXX.
2 *EXALTABO te Domine: quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.*	1 *Propheta.* EXALTABO te Domine [+]: quoniam eleuasti me, & non lætificasti inimicos meos mihi. (de me)
3 *Domine Deus meus clamaui ad te: & sanasti me.*	2 Domine [+] Deus meus clamaui ad te: & sanasti me.
4 *Domine eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me à descendentibus in lacum.*	3 Domine [+] ascendere fecisti ex fouea animam meam: viuificasti me à descendere meo in foueam †. († *fouea.*)
5 *Psallite Domino sancti eius: & confitemini memoriæ sanctitatis eius.*	4 Cantate Domino [+] gratiosi eius: & confitemini memoriæ sanctitatis eius.
6 *Quoniam ira in indignatione eius: & vita in voluntate eius* *Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia.*	5 Quoniam momentum (est) in furore eius, vitæ (sunt) in voluntate eius: in vespere pernoctabit fletus, & mane cantus.

6 Et

7 *Ego autem dixi in abundantia mea: non mouebor in æternum.*
8 *Domine in voluntate tua: præstitisti decori meo virtutem.*
Auertisti faciem tuam à me: & factus sum conturbatus.
9 *Ad te Domine clamabo: & ad Deum meum deprecabor.*
10 *Quæ vtilitas in sanguine meo: dum descendo in corruptionem?*
Nunquid confitebitur tibi puluis: aut annunciabit veritatem tuam?
11 *Audiuit Dominus & misertus est mei: Dominus factus est adiutor meus.*
12 *Conuertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia.*
13 *Vt cantet tibi gloria mea & non compungar: Domine Deus meus in æternum confitebor tibi.*

6 Et ego dixi in quiete mea. *Dictum proprium.* Non labar æterno.
7 *Propheta.* Domine [4] in voluntate tua stare fecisti monti meo fortitudinem: abscondisti facies tuas, fui territus.
8 Ad te Domine [4] vocabo: & ad Dominum † deprecabor. † *dominos meos.*
9 *Oratio.* Quæ vtilitas in sanguine meo in descendere meo ad foueam? nunquid confitebitur te puluis? nunquid annunciabit veritatem tuam?
10 Audi Domine [4] & miserere mei: Domine [4] esto adiutor mihi.
11 *Exauditio.* Vertisti luctum meum ad choream mihi: soluisti saccum meum, & cinxisti me lætitiâ.
12 Propterea cantabit tibi honor & non silebit: Domine [4] Deus meus æterno confitebor te.

COMMENTARIVS.

Titulus. Titulus est, *Psalmus canticum initiationis domus Dauidi.* In quo titulo aduerte Hieronymum cum multis habere dedicationem, alios imbutionem domus Dauidi. Et quoniam titulus dat materiam Psalmo, sciendum est quòd eadem redit sententia quæuis interpretatio acceptetur, Hebraïca tamen dictio propriè *initiationem* significat: quæ transumptiuè in diuersis materiis diuersimodè appellatur. Initiatio siquidem vtendi templo, dedicatio vocatur: & applicandi pueros ad literas, imbutio: & sic de aliis.

Domus quid significet. Domus æquiuocum nomen est ad artificiale ædificium quod vocamus domum, & ad gentem seu progeniem alicuius: puta ad progeniem Iacob, quæ vocatur domus Iacob: & progenies Leui vocatur domus Leui, & sic de aliis gentibus. In proposito non sumitur domus pro ædificio: vt Psalmus ipse testatur, nulla in parte tractans de ædificio aliquo. Sed sumitur domus pro gente seu progenie Dauidis: iuxta illud: *In domo Dauid pueri sui.* (*Luc. 1.*) Est enim frequentissimus vsus huius nominis pro gente seu familia in sacra Scriptura: infinities enim legimus domus Dauid, domus Iacob, domus Israël, &c. in hoc sensu.

Materia. Vt autem materiam Psalmi plenius intelligas, recole quòd tam 2. Reg. 7. quàm 1. Paralip. 17. Nathan Propheta diuino nomine promisit Dauidi quòd ædificaturus esset domum Dauidi, hoc est, progeniem succedentem ei in regno. In qua promissione intelligitur promissus Messias de semine eius. Vnde & ipse Dauid tunc gratias agens Deo dixit: *Ideoque locutus es super domum serui tui etiam in futurum, & fecisti me spectabilem super omnes homines.* (*1. Paralip. 17. 17.*) Hoc enim ratione Messiæ ex domo sua futuri dixit: neque siquidem aliunde verificaretur quòd esset spectabilis super omnes homines. Post hæc Dauid incidit in crimina adulterij & homicidij: propter quæ Nathan inter alia dixit ei, 2. Reg. 12. (*2. Reg. 12. 10.*) *Non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum.* Et licet de persona propria quòd non moreretur tunc fuerit Dauid certior factus ab eodem (ex hoc quòd cùm dixisset *peccaui Domino*, dixit ei Nathan *non morieris*) de pœna tamen comminata domui suæ timidus remansit, vsquequo diuinâ reuelatione intellexit Deum sibi placatum quoad pœnam successionis filiorum in regno & generationis Christi ex gente eius.

Redintegratio domus Dauidicæ. Ad huiusmodi itaque redintegrationem gentis Dauidicæ ad perpetuum regnum (præcipuè in Messia) directè spectat hic Psalmus: vt facilè patere potest intuenti progressum Psalmi, describentis casum Dauidis, & luctum eius cum releuatione eius ad laudandum Deum, &c. Hæc enim quadrant optimè titulo. Est autem huiusmodi redintegratio appellata *initiatio*, quia priorem promissionem quæ superuenerunt crimina aboleuerunt. Conguitque ei dedicationis nomen: pro quanto tunc domus Dauidis firmâ sanctione addicta est generationi Messiæ regis æterni.

Sensus itaque tituli est. *Psalmus*, appositiuè canticum, vt Psalmi nomine intelligas substantiam, hoc est, commune nomen omnibus Psalmis: iuxta illud Act. 1. *Scriptum est in libro Psalmorum:* sicut enim apud poëtas vocantur Eglogæ, Epigrammata, &c. ita substantiale nomen horum est Psalmus. *Canticum* autem quod idem significat apponitur vt nomen officij: quia Psalmus iste cantat initiationem domus, id est, gentis Dauidi promissam seu firmatam ad perpetuam regni successionem.

SVMMARIVM EST.

Dauid vbi ex quasi ægritudine ad mortem liberatus, vitam ex diuina voluntate, momentaneum verò malum ex diuina indignatione prodire cognouit, & ex multa securitate expertus in suo

suo casu est quòd diuina est voluntatis præstare perseuerantiam in bono, supplex petit a comminata pœna liberari ob diuinam tam laudem quàm veritatem propagandam: & exauditus promittit exequi pollicita.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. EXALTABO TE DOMINE. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Domine Deus*. Proponit tria: Primò promittit: *Exaltabo te Domine*, non in teipso sed in laudibus, in prædicationibus, &c. Secundò affert causam vnam: *quoniam eleuasti me*, in regem, in patrem Messiæ. Tertiò subiungit aliam causam, imò firmitatem prioris: *& non lætificasti inimicos meos mihi*, hoc est, non fecisti me materiam lætitiæ apud inimicos meos: quod fuisset si me punisses iuxta crimina mea.

Pars Executiua. *Vers.* 2. DOMINE DEVS MEVS. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *& non lætificasti inimicos meos mihi.* Secundò illa, *exaltabo te Domine*, ibi, *ad te Domine*. Tertiò illa, *quoniam eleuasti me*. ibi, *vertisti luctum*. Circa primum aduerte progressum: nam Propheta explicat primò magnitudinem beneficij recepti ex magnitudine periculi sub similitudine ægri ad mortem. Describit siquidam seipsum fuisse quasi ægrum ad mortem propter commissa crimina, & à Deo liberatum. *Domine*, inquit, *Deus meus clamaui*, magnâ cordis voce, *ad te: & sanasti me*: ecce ægritudo. *Domine ascendere fecisti*, veniam concedendo, *ex fouea*, inferni, *animam meam: viuificasti me à descendere meo in foueam*. Ecce ægritudo ad mortem: cùm essem in procinctu descendendi in foueam sepulchri, viuificasti me. Et sic habes magnitudinem beneficij in sanatione corporis metaphoricè, & in eductione animæ ab inferno propriè quantùm ad demeritum. Textus Hebræus habet *fouea* in datiuo: sed congruitas mutauit *in foueam*.

Deinde describit directè contra lætitiam inimicorum gaudium sanctorum ob tantum beneficium ex rationibus ex parte Dei. Vnde inuitat: *Cantate Domino gratiosi eius*, hoc est, liberales ad benefaciendum gratis: *& confitemini*, confessione laudis, *memoria sanctitatis eius*, reddite memorabilem vestris laudibus diuinam sanctitatem quâ tamen diligit sanctificare nos. *Quoniam momentum in furore eius, vita in voluntate eius.* Differentia duplex allegatur ex Deo respectu nostri boni & mali. Prima est quòd diuturnitas boni nostri est ex voluntate Dei, malum autem breue ex indignatione Dei est. Vnde quanta est differentia inter voluntatē & passionem iræ, quanta est differentia inter id quod voluntas suapte natura vult & id quod ex passione momentanea volumus, tantam intelligas esse differentiam dispositionis diuinę ad nostrum bonum & ad nostrum malum: nam ad bonum voluntate fertur, ad malum autem indignatione, hoc est, ad similitudinem indignari. Et propterea furori attribuit momentum: tum quia passio est momentanea: tum quia effectus passionis in hac vita momentaneus est. Voluntati autem attribuit vitam: quæ est & maximum & diuturnius nostrum bonum. Altera differentia subditur: *In vespere pernoctabit fletus, & manè cantus.* Ex differentia inter diem & noctem perspice diuersam temporis qualitatem: dum fletum Deus

Deus ad bonum voluntate fertur, ad malum verò indignatione.

in obscuritate nocturna tribuit, lætitiam autem in laudibus suis inchoat à mane. Vt & hinc intelligas non de nocte & die quas luce corporali distinguimus esse sermonem: sed quod tempore tenebrarum mentis, tenebrarum quo anima in tenebris est, fletū dat Deus: hoc est, non prius dat flere quàm tenebræ animum comprehenderint: & quòd luce accedente intima dat interni cantus gaudia. Ex qua differentia habes ad literam quod consueuit dici, quòd Deus non est prius vltor quàm homo sit peccator. *In vespere*, nostri animi, *pernoctabit fletus: & manè*, internæ lucis, *erit cantus*. Et propriè dictio Hebraïca significat laudem mixtam cantui.

Deus non prius vltor, quàm homo peccator.

Explanatâ primò magnitudine beneficij, explanato gaudio sanctorum de tanta diuini animi propensitate ad bonum nostrum, restabat tertiò descendere ad propositum. Et primam proprij mali radicem aperiendo instruere nos quòd differentia dicta inter voluntatem & indignationem diuinam non oritur ex parte Dei, sed ex parte nostri: ita quòd nos sumus in causa huius diuersitatis Et ad hæc declarandum subiungit: *Et ego dixi in quiete mea, non labar æterno*. Nota prudens lector obrepsisse Dauidi peccatum nimiæ securitatis post promissionem ei factam primum de perpetuitate domus eius. Ecce ipse fatetur securitatem suam: *Et ego dixi in quiete mea*, regiâ diuinis promissionibus vallatâ. Quies non solum est status dicentis sed ratio dicendi; hoc est, dixi apud me ratione allectus quietis in tanta affluentia bonorum spiritualium & temporalium. Ecce quod dixi: *non labar æterno*, non peccabo, non cadam à regno & promissionibus diuinis.

Peccauit Dauid nimiâ securitate.

Et vt intelligamus errorem securitatis suæ subdit: *Domine in voluntate tua:* Ac si apertè diceret: Ego quieti tot bonorum attribui perseueraturum me in bono, sed longè altiorem causam neglexi, longè aliter esse comperi: quoniam expertus sum quòd voluntas tua Domine beneuola versus me, est vera stabilitatis causa. *Domine in voluntate tua stare fecisti monti meo fortitudinem, abscondisti facies tuas, fui territus.* Doctrina superius cantata in genere (scilicet *vita in voluntate eius, & momentum in furore eius*) modò applicatur ad casum eius, modò cognoscit & confitetur quòd non ex sua firmitate sed ex diuina voluntate perseuerauit fortitudo ne caderet in peccatum, monti suo, celsitudini suæ. Vnde quamprimum Dominus Deus abscondit faciem suam, hoc est, ad instar abscondentis faciem subtraxit custodiam animæ Dauidis, statim, inquit, *fui territus*. Contrariatur fortitudini timor; & multo magis terror. Fatetur ergo se perdidisse fortitudinem, dum confitetur se fuisse territum. Et verè perdidit fortitudinem animi ad aspectum mulieris, &c.

Fortitudini contrariatur terror.

Vbi vide appellatum superiùs furorem Dei, modò appellari absconsionem faciei: vt intelligas Deum circa malum culpæ non efficere positiuè sed negatiuè: & hoc ipsum quod est negare custodiam suam, prouenire ex culpa nostra. Totius enim huius progressus (si diligentiùs perspectus fuerit) inuenitur prima radix: *Ego dixi in quiete mea, non labar æterno*: hoc est, securitas in bonis adeptis.

Deus circa malum culpæ se habet negatiuè.

Hinc habes docte lector quòd non sufficit nobis ad perseuerandum in bono gratia virtutum, sed requiritur gratia diuinæ voluntatis: hoc est,

est, gratuita Dei custodia ad seruandum hominem ne perdat gratiam virtutum. Hæc enim gratuita voluntas est de qua Dominus ad Paulum: *sufficit tibi gratia mea.*

Vers. 8. AD TE DOMINE VOCABO Tractatur hic illa particula, *Exaltabo te Domine:* explanando omnes animi sui vires tendere ad exaltationem Dei postquam cecidit: nam declarato casu suo, subiungit nunc quomodo surrexit: scilicet tendendo ad diuinam gloriam. Vnde ab hoc proposito perseuerandi inchoat: *Ad te Domine vocabo,* non in abundantia bonorum meorum confidam: *& ad Dominum deprecabor,* cum supplicibus precibus recurram supplicando. *Quæ vtilitas in sanguine meo,* hoc est, in progenie mea (frequenti siquidem vsu dicimus: hic est de sanguine meo, hoc est de gente mea) *in descendere mea ad foueam?* Quod intelligitur de comminata pœna per Nathan: *Non recedet gladius de domo tua in æternum.* Hæc enim significatur per *descendere in foueam.* Et in hac pœna clauditur priuatio generationis Messiæ ex domo Dauidis. Et intendit proponere Deo quòd si pœna huiusmodi haberet locum, ad nihil esset vtilis progenies sua. Et quòd ad nihil esset vtilis probat. *Nunquid confitebitur te puluis, nunquid annunciabit veritatem tuam?* Vbi nota omnem vtilitatem complecti à Propheta in duobus officiis: scilicet officio laudandi Deum, & officio manifestandi veritatem diuinam: vt hinc conspicias spiritualem affectum pœnitentis Dauidis, nullam æstimantis vtilitatem nisi vel ad Dei laudem vel ad manifestandum quæ Dei sunt.

Nullam æstimat Dauid vtilitatem nisi ad Dei laudem referatur.

Et intendit quòd si progenies sua subiicitur pœnæ comminatæ, inutilis inuenietur: vtpote inhabilis & ad laudandum Deum & ad manifestandam diuinam veritatem. Quod ex duobus verificatum fuisset capitibus. Primò ex parte Psalmorum Dauidis: quoniam reprobati fuissent: vtpote ab homine criminoso & damnatæ gentis editi. Secundò (quòd præcipuè intentum videtur à Propheta) ex parte Messiæ: quia si sanguis Dauidis in tota eius progenie descenderet in foueam, sicut & aliæ progenies hominum (quòd esset si non terminaretur ad Messiam regem viuentem in æternum) non esset vtilis sufficienter ad laudandum Deum & manifestandum diuinam veritatem: nam omnes redigerentur in puluerem & puluis ad neutrum officium est idoneus: prodeunte autem Christo ex eius sanguine, ipse Christus qui non redigetur in puluerem sed immortalis, &c. inuenietur auctor & manifestationis diuinæ veritatis & quærendi diuinam gloriam. Quia ergo non quærit quæ sua sunt in hac ratione Dauid sed quæ Dei, multiplicat preces. *Audi Domine,* tuâ benignitate, *& miserere mei,* tollendo miseriam peccati: *Domine esto adiutor mihi:* ad consecutionem tanti boni.

VERS. 11. Eleuationem suam declarat Dauid.

VERTISTI LVCTVM. Tractatur hîc illa particula, *quoniam eleuasti me:* Primò declarando ipsam eleuationem, deinde declarando coniunctionem *quoniam,* ibi, *propterea.* Declarat eleuationem suam duabus similitudinibus. Quarum prima spectat ad statum. *Vertisti luctum meum:* ecce similitudo ad statum lugubrem. *Ad choream mihi,* contra statum luctus è regione ponitur status ducentium choreas. Altera similitudo spectat ad vestitum: *Soluisti saccum meum.* Ecce similitudo ad vestitos sacco: vt olim existentes in luctu se induebant. *Et circumdedisti me lætitiâ,* contra saccum ponitur cingulum lætitiæ: vt cingulo intelligas circumquaque vestitum lætitiâ. Causa autem cur ipsum eleuauerit ex sacco & luctu in chorum lætantium, subiungitur: *Propterea cantabit tibi honor & non silebit.* Hic est fructus intentus quòd propter hanc gratiam concessam mihi cantet tibi Deo honor absque cessatione. Prius cantauit tibi honorabilis status meus, sed siluit, hoc est, cessauit propter crimina mea: in posterum cantabit absque cessatione.

Negligentia Dauidis ex nimia securitate.

Hinc colligimus securitatem Dauidis peperisse in eo negligentiam laudandi Deum: ita quòd confisus in affluentia diuinorum donorum (velut securus de stabilitate) minus vacauit diuinis laudibus. Propter quod Deus subtraxit suam custodiam & permisit ipsum cadere: vt de cætero solicitus esset ad cantandum Deum sine intermissione. Vnde & subdit, quod in principio promisit repetens: *Domine Deus meus æterno,* non ad tempus, sine intermissione, *confitebor te,* confessione laudis. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori Psalmus Dauid.*

XXX.

2 *IN te Domine speraui, non confundar in æternum: in iustitia tua libera me.*

3 *Inclina ad me aurem tuam: accelera vt eruas me.*
Esto mihi in Deum protectorem & in domum refugii: vt saluum me facias.

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti Psalmus Dauidi.

XXXI.

1 *Propheta.* IN te Domine [4] speraui: non confundar æterno, in iustitia tua erue me.

2 Inclina ad me aurem tuam, citò libera me: esto mihi petræ (in petram) roborationis, domui (in domum) arcium, ad saluandum me.

3 Quia

4 *Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu : & propter nomen tuum deduces me & enutries me.*

5 *Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi : quoniam tu es protector meus.*

6 *In manus tuas commendo spiritum meum : redemisti me Domine Deus veritatis.*

7 *Odisti obseruantes vanitates superuacuè. Ego autem in Domino speraui : exultabo & lætabor in misericordia tua.*

8 *Quoniam respexisti humilitatem meam: saluasti de necessitatibus animam meam.*

9 *Nec conclusisti me in manibus inimici: statuisti in loco spatioso pedes meos.*

10 *Miserere mei Domine quoniam tribulor: conturbatus est in ira oculus meus, anima mea & venter meus.*

11 *Quoniam defecit in dolore vita mea : & anni mei in gemitibus.*
Infirmata est in paupertate virtus mea: & ossa mea conturbata sunt.

12 *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde : timor notis meis.*

13 *Qui videbant me, foras fugerunt à me: obliuioni datus sum tanquam mortuus à corde.*

14 *Factus sum tanquam vas perditum: quoniam audiui vituperationem multorum commorantium in circuitu.*
In eo dum conuenirent simul aduersum me : accipere animam meam consiliati sunt.

15 *Ego autem in te speraui Domine: Dixi, Deus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ.*

16 *Eripe me de manu inimicorum meorum: & à persequentibus me.*

17 *Illustra faciem tuam super seruum tuum:*
18 *saluum me fac in misericordia tua Domine, non confundar quoniam inuocaui te.*

19 *Erubescant impij & deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa.*
Quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem: in superbia & in abusione.

20 *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ*

3 Quia rupes mea & arx mea tu es : & propter nomen tuum duces me & deduces me.

4 Educes me de reti hoc quod absconderunt es mihi: quia tu roboratio mea.

5 In manu tua commendabo spiritum meum : redemisti me Domine ✝ Deus veritatis.

8 Odiui custodientes vanitates frustra: & ego ad Dominum ✝ confisus sum.

7 Exultabo & lætabor in gratia tua: quia vidisti paupertatem meam, cognouisti in tribulationibus animæ meæ.

8 Et non fecisti concludi me in manu inimici : fecisti stare in latitudine pedes meos.

9 Miserere mei Domine ✝ : quoniam est angustia mihi, tineosus fuit in ira oculus meus, anima mea & venter meus.

10 Quia consumptæ sunt in mœrore vitæ meæ, & anni mei in suspirio: impegit in delictum meum vis mea, & ossa mea tineosa fuerunt.

11 Ab omnibus angustatoribus meis fui opprobrium & vicinis meis valde, & timor notis meis : videntes me foris, recesserunt à me.

12 Obliuioni traditus sum quasi mortuus à corde : fui quasi vas perditum.

13 Quoniam audiui infamiam multorum, timorem in circuitu : in consiliando simul super me, ad tollendam animam meam cogitauerunt.

14 Et ego super te confisus sum Domine ✝ : dixi. *Oratio.* Deus meus tu.

15 In manu tua tempora mea sunt : libera me de manu inimicorum meorum, & à sequentibus me.

16 Illumina facies tuas super seruum tuum: saluum me fac in gratia tua.

17 *Propheta.* Domine ✝ non confundar, quia vocaui te: confundentur impij, tacebunt in fouea †. † *fouea.*

18 Obmutescent labia falsitatis : quæ sunt loquentia super iustum, durum in superbia & despectione.

19 Quàm multa bonitas tua est : quam seruasti

Domine: quam abscondisti timentibus te?
Perfecisti eis qui sperant in te: in conspectu filiorum hominum.
21 *Abscondes eos in abscondito faciei tuæ: à conturbatione hominum.*
Proteges eos in tabernaculo tuo: à contradictione linguarum.

22 *Benedictus Dominus quoniam mirificauit misericordiam suam mihi: in ciuitate munita.*
23 *Ego autem dixi in excessu mentis meæ: proiectus sum à facie oculorum tuorum.*
Ideo exaudisti vocem orationis meæ: dum clamarem ad te.

24 *Diligite Dominum omnes sancti eius: quoniam veritatem requiret Dominus, & retribuet abundanter facientibus superbiam.*

25 *Viriliter agite & confortetur cor vestrum: omnes qui speratis in Domino.*

quam seruasti timentibus te, operatus es sperantibus in te coram filiis Adam.

20 Abscondes eos in abscondito facierum tuarum à superbiis viri: abscondes eos in vmbraculo à contentione linguarum.

fit
21 Benedictus Dominus [4]: quoniam separauit gratiam suam mihi in ciuitate munitionis.
22 Et ego dixi in festinatione mea. *Desperatio.* Abscissus sum, de conspectu oculorum tuorum. *Propheta.* Siquidem audisti vocem deprecationum mearum in clamare meo ad te.
23 Diligite Dominum [4] omnes gratiosi eius: fideles custodiens Dominus [4] est, & retribuens super superfluum, faciens superbiam.
Deus
24 Roboramini: & roborabit cor vestrum omnes sperantes in Domino [4] †.

† *Domino.*

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti Psalmus Dauidi.* De quo vt suprà.

Materia. Circa materiam Psalmi aduerte nec ex titulo nec ex auctoritate sacræ Scripturæ alibi determinatam inueniri. Ex eo namque quòd Dominus in cruce dixit quintum huius Psalmi versiculum (*in manus tuas commendabo spiritum meum*) non habetur quòd Psalmus iste ad literam de Christo tractet: tum quia verba dicta à Christo differunt ab huius Psalmi versiculo: nam Christus dixit *in manus tuas*: Psalmus dicit *in manu tua*: vt ex ipsa differentia discerni possit quòd transumptiuè accommodauit proposito suo verba illa Dominus ex hoc loco. Tum quia in hoc Psalmo tot propria ipsi Dauidi tractantur, vt attestetur ipsemet Psalmus quòd ad literam loquitur de Dauide.

Ex Psalmo itaque colligendo materiam, cùm res gestæ congruant Dauidi (quem constat ex titulo esse auctorem Psalmi) consequens est de ipso Dauide Psalmum tractare. Et quoniam clarè tractat angustias eius & consilia inimicorum de morte eius, quæ bis leguntur (semel tempore Saulis & semel tempore Absalom) oportet Psalmum hunc de harum altera persecutione intelligere. Et quia in 18. versiculo dicitur de inimicis quòd loquuntur contra iustum, & sunt labia falsitatis, insinuatur quòd de tempore Saulis est sermo: nam in persecutione Absalom, Dauid ob crimina sua patiebatur: à Saule autem impositis sibi criminibus iustus patiebatur. Collatis quoque angustiis quas se pati Dauid in hoc Psalmo refert, cùm gratiarum actione quæ circa calcem Psalmi fit (scilicet, *Benedictus Dominus quoniam separauit*, &c. apparet propriam huius Psalmi materiam esse historiam angustiarum Dauidis in deserto Mahon, postquam egressus est de Ceila. *Angustiæ Dauidis in deserto Mahon: cùm egressus est de Ceila.* Dicitur enim 1. Reg. 23. quòd Dauid diuinâ responsione monitus ne maneret in Ceila, vagabatur incertus: & prodentibus Ziphæis, Saul exiit ad quærendum Dauidem: qui descendit ad petram in deserto Mahon: & ibi cinctus est ab exercitu Saulis in modum coronæ: in tantámque deuenit angustiam vt quodammodo desperaret se posse euadere, &c. Huic enim historiæ, manifestè quadrant quæ concluduntur in fine Psalmi: quadrant & mala quæ Propheta dicit se pati: vt amplius patebit in decursu Psalmi. Vnum tantùm quod obstare videtur in versiculo 10. (*Impegit in delictum meum vis mea*;) quomodo non obstet sed magis attestetur historiæ tunc declarabitur.

SVMMARIVM EST.

Dauid vbi suæ in Deo spei multiplicem reddidit rationem, tum miserias proprias, tum pericula propria à Saule & complicibus Deo exponens, opem petit: & ex diuina iustitia retributione erga bonos & malos firmatus, gratias de sui liberatione agit, hortans alios ad ea quæ Dei sunt.

Persona loquens Propheta est.

In te Domine. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Esto mihi.* Proponit quatuor. Primo spem suam in Deo: *In te*, non in me, non in homine, non in idolis, *Domine speraui.* Vers. 1.

Secundò certum spei effectum *non confundar æterno,*

Confusio duplex.

æterno, id est, nunquam confundar. Vbi nota quòd confusio sumitur dupliciter. Primò vt opponitur exteriori gloriæ: prout aliquis qui ignominiosè tractatur, confundi dicitur. Et de tali confusione non est hic sermo: vt patet ex ipso contextu Psalmi, quo Propheta dicens se sperantem in Deo nunquam confundendum, fatetur in 11. versiculo se fuisse opprobrium & inimicis & vicinis,&c. Alio modo sumitur confusio vt opponitur expectatæ assecutioni: prout expectans aliquid,dicitur *confusus* non assequendo illud. Et sic sumitur in proposito. Ita quòd spes in Deo tam efficax describitur vt nunquam remaneat sperans confusus ab assecutione rei speratæ,sed infallibiliter assequetur illam. Quod constat esse verum integrâ existente spe.

Tertiò precem suam ex parte iustitiæ; *in iustitia tua erue me.* In quo & periculum suum explicat, dicendo *eripe me:* & pro ratione tanti beneficij licet non propriam, Dei tamen iustitiam interpellat, dicens *in iustitia tua:* sciens se fouere iustam causam: quia iniustè persecutionem patiebatur à Saule: ideo namque implorat auxilium diuinæ iustitiæ retributiuæ secundùm merita.

Quartò eandem petitionem ex parte gratiæ: *Inclina ad me aurem tuam.* Si puram iustitiam vellet, non peteret inclinationem auris ad se: quoniam inclinatio huiusmodi, benignitatis est diuinæ,non iustitiæ. Et dicitur ad similitudinem principis in excelso sedentis,ad quem non potest vox existentis à longe inferiùs, peruenire nisi princeps inclinet ad illum aurem: quod gratiæ esset. Nec solùm apponit gratiam pro se,sed celeritatem auxilij: *citò libera me:* periculum insinuans in mora. Et verè sic fuit in deserto Mahon.

Vers. 2. Pars Executiua.

Esto mihi. Incipit hic pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *In te Domine speraui.* Secundò illa, *inclina ad me aurem tuam*,ibi, *miserere mei.* Tertiò illa,*non confundar æterno*, simul cum illa,*in iustitia tua erue me*,ibi, *Domine non confundar.*

Circa primum (scilicet *in te Domine speraui*) vtitur quinque locis suæ spei, explicando propria desideria & beneficia recepta.

Spem suam à quinque locis explicat Dauid.

Primus est ex eo quòd Deus initium fuit omnium quæ euenerunt Dauidi, eligendo ipsum ex officio pascendi oues ad militiam,&c. *Esto mihi petra roborationis, domui arcium ad saluandum:* ecce petitum. Subditur ratio spei: *quia rupes mea & arx mea tu.* Iuxta historiam Dauid non potens se saluare in ciuitate Ceilæ, venit ad petram Mahon: in qua saluatus est, diuinâ prouidentiâ reuocante Saulem ad occurrendum Philistæis.Et propterea vtitur Propheta similitudine rupis & arcis (loco ciuitatis munitæ,) & petræ saluatricis. Et quia arces fortes ex situ ædificantur in rupibus (hoc est in montibus saxosis)ideo Propheta petens à Deo euasionem suam, quæ per confugium ad huiusmodi arces solet prouenire, ait: *Esto mihi petra* (hoc est, in petram) *roborationis*,in rupem fortitudinis officio: appositiuè *domui arcium*.Petra roboris est fundamentum domus arcium: & est arx fundata super petram,ad saluandum,non ad offendendum. *Quia* (ecce ratio) & *petra* seu *rupes mea*, fundamentum omnis firmitatis meæ, *& arx mea* excelsa, securitas mea,*tu.* Iustum est enim vt rupes mea & arx mea fungantur officio saluandi me. Et dixit hoc ad literam, quia Deus fuit primum fundamentum super quod fabricata est gratia Dauidis tam inuisa Sauli. Ac si apertè diceret Deo:Tu es fundamentum omnium propter quæ patior à Saule:& propterea peto & spero vt fungaris officio & rupis & arcis.

Secundus est ex diuino nomine: *& propter nomen tuum duces me & deduces me.* Fiducialiter petitionem tanquam futuram affirmat: *duces me*, ad regnum promissum, nec solùm duces sed etiam *deduces me:* hoc est (vt dictio Hebraïca sonat) suauiter duces. Et hæc *propter nomen tuum:* iustum quippe est, vt quod nomine tuo inchoatum est perficias: & hinc spero. Et dixit hoc,quia Samuël diuino nomine & vnxerat eum & præposuerat Sauli.

Tertius est ex eo quòd solus Deus erat fortitudo Dauidis in causa regni, propter quam patiebatur. *Educes me de reti hoc absconderunt mihi, quia tu roboratio mea.* De reti abscondito sibi à Saule mediantibus exploratoribus ad capiendum ipsum, fiducialiter quoque affirmando petit liberationem, fultus eâ spe, quâ solus Deus erat qui pugnabat pro ipso.

Quartus est ex fiducia in maioribus.Vbi nota quòd hactenus de spe sua circa temporalia bona rationem adduxit: modò ex sua in Deo fiducia circa spiritualia bona suam spem probat. Supremum autem hominis bonum est anima quatenus officio fungitur spiritus: nostra siquidem anima quatenus viuificat corpus,vocatur *anima:* quatenus autem superiori bono vacat, vocatur *spiritus:* dicente Paulo: *Caro concupiscit aduersus spiritum,& spiritus aduersus carnem.* Dicente Domino: *Spiritus est Deus, & eos qui adorant, oportet in spiritu adorare.* Vnde cùm separatur à corpore anima, transit de statu animæ in statum spiritus.Ex hoc itaque quòd spiritum suum commendaturus est Deo, fiduciam suam in Deo de maximis bonis manifestat. Vnde & more humano quo depositam rem charam, manui assignamus depositarij non ministrorum eius, ait: *In manu tua*, in immediata cura & custodia tua, *commendabo*, perseuerabo commendans,*spiritum meum*, animam meam quatenus officio hic fungitur spiritus, & tandem quatenus ad statum transibit spiritus: propter huiusmodi enim statum conuenit hic versiculus migrantibus ex hac vita.

Anima quatenus corpus viuificat, dicitur anima, quatenus superiori bono vacat, vocatur spiritus.
Galat.5.17.
Ioan.4.24.

Et ratio tantæ spei subditur: *Redemisti me Domine.* Redemptus ad literam fuit Dauid in patribus suis de seruitute Ægypti ad terram promissionis vt cultum Deo in ea exhiberet. Hoc mysterium huius finis ad quem redemptus est populus intelligens Dauid, assignat pro ratione suæ spei imò securitatis, quòd ideo spiritum suũ Deo iugiter commendabit, quia Deus redemit eum, fecit eum esse Dei ad officium spiritualis cultus exhibendum. Et propterea addit *Deus veritatis.* Poterat dicere,*Deus iustitiæ. Deus fortitudinis*,&c.sed nihil horum dixit, sed tantummodo *Deus veritatis*, quâ pascitur spiritus: vt significaret quòd Deus redemit sibi populum non colendus humanis figmentis, superstitionibus aut adinuentionibus, sed *Deus veritatis*, auctor,amator,& qui sola veritate colitur. Ac si apertius dixisset: quia tu me redemisti ad veritatis cultum tibi exhibendum, ideo in manu tua commendabo spiritum meum,qui viuit veritate. Vbi, docte lector,intueri potes vtramque diuini

cultus

Duæ diuini cultus conditiones, spiritus, & veritas. *Ioan. 4. 24.*

cultus conditionem à Propheta tactam: *spiritum*, scilicet *& veritatem*: quas Dominus Ioan. 4. clarius explicauit: *spiritus est Deus, & eos qui adorant oportet in spiritu & veritate adorare.* Cultus quippe diuinus substantialiter consistit in actibus mentis: quæ ad superiora tendens spiritus vocatur. Verùm hi spiritus seu mentis actus debent inniti veritati: vt scilicet colamus intus Deum, credentes ipsum vnum solum Deum, creatorem & gubernatorem vniuersorum, &c. alioquin non colitur veritate, quamuis colatur spiritu; vt colitur ab hæreticis, Mahumetanis &c. Ad contestandum autem se Deo veritatis obsecutum, subdit: *Odiui custodientes vanitates frustra; & ego ad Dominum confisus sum.* Optimus filius Dei veritatis, tum odio habet obseruantes vanitates superstitionum, incantationum, idololatriæ, &c. (quæ qui obseruant frustrà obseruant: hoc est, & sine causa exhibentes diuinum cultum iis qui non sunt dij, qui non creauerunt eos, qui non gubernant eos: & sine causa sperandi fructus: quia non est in potestate eorum satisfacere petentibus) tum fiduciam suam in solo Deo locauit.

Quintus est ex experientia perceptorum beneficiorum. *Exultabo*, inquit, *& latabor in gratia tua*, sperans: *quia vidisti paupertatem meam*, postquam Saul cœpit me persequi, *cognouisti in tribulationibus animam meam*, vitam meam. *Et non fecisti concludi me in manu inimici*, Saulis dum persecutus est me in domo & in Naioth: sed *fecisti stare in latitudine pedes meos*, dans mihi spatium fugiendi. Hæc enim omnia beneficia receperat tunc temporis.

Vers. 9. Miserere mei Domine. Tractatur hic illa particula, *inclina ad me aurem tuam*, tali ordine. Primò commendat se Deo ratione casus sacerdotum: & deinde ratione periculi imminentis sibi, ibi, *quoniam audiui.* Circa primum aduerte secundùm historiam quòd Dauide existente in Ceila venit ad eum Abiathar filius Achimelech sacerdotis, fugiens stragem sacerdotum factam in Nobe: vt patet 1. Regum 23. Et tunc gesta sunt quæ hîc refert, & proponit se passum in oculis, in anima, in ventre, &c. Per quæ omnia intellige duo. Primò multiplicem passionem animi Dauidis auditâ tam crudeli strage. Secundum ad cumulum doloris, pœnitudinem imprudentiæ suæ qua fuit occasio tantæ stragis: nam ipsemet est confessus, 1. Regum 22. ad Abiathar: *Ego sum reus omnium animarum patris tui: sciebam enim in die illa quòd cùm ibi esset Doeg Idumæus, procul dubio annunciaret Sauli*: scilicet quòd pater tuus consuluit Deum pro me, dedit mihi panes & gladium. Pro his itaque ait: *Miserere mei Domine: quoniam angustia mihi*, supple est auditâ tantâ strage: *tineosus fuit*, pro *tineatus fuit*, seu *tineauit*, si dici licet, *in ira* tanta, Saulis, *oculus meus, anima mea & venter meus*: totus commotus & corrosus sum: *oculus meus* interior, *anima* in passionibus, & *venter* in corporis visceribus. Et explicans tinearum effectus. *Quia consumpta sunt in mærore vita mea* (Hebraicâ appellatione numero plurali semper significant vitam: quia carent singulari talis nominis: vt iam dictum est) magnitudo mœroris consumpsit vitam meam: mœror enim opponitur dilatationi cordis. *Et*

Multiplex passio Dauidis auditâ strage ciuitatis Nobe.

1. Reg. 22. 22

Mæror dilatationi cordis opponitur.

anni mei, consumpti sunt, *in suspirio: impegit in delictum meum vis mea.* Imprudentiam suam qua non cauit à præsentia Doeg Idumæi appellauit offensionem per modum impingentis: eo quòd non voluntariè sed præter intentionem peccauit. Et propterea magis effectum culpæ quàm culpam ipsam deflet. Ad similitudinem ergo hominis fortis viribus cadentis impingendo in aliquod offendiculum, describit materiam luctus. *Impegit in delictum meum*, imprudentiam, in cautelam meam, *vis mea: & ossa mea tineosa fuerunt.* Dictio Hebraica sonat ossa vt comesta à tinea: quod si lingua Latina pateretur, dici deberet *tineata sunt*, seu *tineauerunt.* De ratione huius similitudinis dictum est in Psalmo sexto: scilicet quòd ratione propriæ culpæ Dauid vtitur metaphora tineæ: quia ipsemet sibi fuit causa corrosionis: *Ego*, inquit, *sum reus omnium animarum patris tui.* Per quam metaphoram intelligo non tam afflictionem corporis quàm defectionem animi in hominibus ad sustentandum Dauidem: ex illa siquidem clade non solùm exterriti sunt omnes sustentantes Dauidem, sed ad similitudinem consumptorum à tinea effecti sunt inutiles, non audentes amplius porrigere aliquid Dauidi: propter hoc enim ossa sua, quasi sustentantia ipsum, velut adesa à tineis describit. 1. Reg. 22. 22.

Et huic sensui consonat continuatio subsequentium iniuriarum, consistentium in hoc quòd factus est opprobrium vicinis & amicis & habitus est pro perdito. *Ab omnibus*, inquit, *angustatoribus meis*, causatum est, quòd *fui opprobrium & vicinis meis valde, & timor notis meis.* Auditâ enim tantâ sæuitiâ habebatur Dauid vituperio apud vicinos suos quantumcunque propè (vicini enim vituperabant eum, timentes Saulem: vt patet de Nabal & de Ziphæis) & apud cognoscentes amicos & notos suos erat timor, hoc est, ratio timoris: nullus enim audebat se profiteri amicum Dauidis præ timore Saulis. Videntes me foris, recesserunt à me, tanquam si obuiarent contagiosæ pesti.

Dauid opprobriũ vicinis & amicis.

Obliuioni traditus sum quasi mortuus à corde: nullus enim mittebat ad eum. Vbi aduerte comparari obliuionem sui obliuioni *mortui à corde*: mortui enim etsi sunt in recordatione nostra in lingua, in libris, in laudibus, in sepulchris, nunquam tamen in corde: vtpote quibus nulla nostri cordis affectio vtilis apparet. Et intendit per hoc explicare integritatem obliuionis: vt sicut mortuus longè est à memoria cordis nostri, ita ipse totaliter datus erat obliuioni. Et vt magis explicaret subdit: *fui quasi vas perditum*, quod quia perditum est habetur pro derelicto: sic enim tunc habitus est Dauid. Et intellige Hebræo more nomine vasis quodcunque, siue illud sit vestis, siue quid aliud, intendit enim concludere quòd fuit tanquam vas, hoc est res perdita: vtpote à tineis comesta, tanquam res inutilis reddita.

Obliuio mortui à corde, quid?

Vas apud Hebræos quid?

Vers. 13. Quoniam audivi infamiam multorum. Continuando quæ redundarunt in eum ex occisione sacerdotum, adiungit subsecutum periculum vitæ propriæ. Non somniaui me factum esse opprobrium vicinis. *Quoniam audiui infamiam*, propriam seu vituperationem, non ex ore vnius sed *multorum*: & (quod peius est)

timorem in circuitu. Et ratio timoris est; quoniam in consiliando simul super me, non ad tollenda bona mea, sed *ad tollendam animam meam cogitauerunt*, consilia fecerunt: quod pluries & tunc in specie factum fuisse testatur historia.

In tot periculis qualis fuerit Dauid?

Inter hæc autem mala & pericula qualis ipse fuerit subiungit. Et primò quoad partem affectiuam. *Et ego super te confisus sum* Domine, non super hominem. Secundò quoad partem contemplatiuam. *Dixi*, in mente mea eleuata ad te, *Deus meus tu*: ecce eleuatio mentis in deitatis professionem. *In manu tua*, in cura tua, *tempora mea*, dies mei, anni, menses, &c. ecce eleuatio mentis in diuinam potentiam & gubernationem. Tertiò secundùm partem desideratiuam, explicatam tribus petitionibus: Prima est: *Libera me de manu inimicorum meorum, & persequentium me.* Inimicus nomen est odij: persequens nomen operis exterioris. Et hæc petitio directè respondet supradicto timori ab iis qui fecerunt consilium ad tollendam animam eius. Secunda petitio: *Illumina faciem tuam super seruum tuum.* Ostendisti faciem tuam obscuram super me dum me reddidisti opprobrium vicinis, &c. monstra modò faciem tuam illuminatam, claram loco tot opprobriorum. Et potest referri huiusmodi claritas ad claritatem notitiæ interioris de Deo: vt loco exteriorum obscuritatum habeat claritatem internam diuinæ faciei, diuinæ præsentiæ. Et potest referri ad claritatem exterioris gloriæ, vt faciat cessare huiusmodi vituperationes: hæc enim petitio supradictis opprobriis respondet. Tertia est: *Saluum me fac in gratia tua.* Et hæc petitio respondet supradictæ derelictioni & obliuioni: ab omnibus sum derelictus & obliuioni traditus, salua tu me, non meritis meis sed gratia tua.

Inimicus nomen odij: Persequens nomen operis exterioris.

Vers. 17. DOMINE NON CONFVNDAR. Tractatur hîc illa particula, *non confundar æterno.* Et quoniam (vt prædictum est) inseritur explanatio illius particulæ, *in iustitia tua libera me*, ideo talis est ordo. Primò proponitur ratio non confusionis propriæ. *Domine non confundar, quia vocaui te*, quia recursum habui non ad alium quàm ad te. Deinde statim annectitur ratio diuinæ iustitiæ retributiuæ vt ratio non confusionis eius: & postea prosequitur effectum non confusionis, ibi, *benedictus Dominus.* Ratio iustitiæ retributiuæ in Deo habet vt reddat vnicuique secundùm opera sua: hoc est, malè agentibus mala, timentibus autem & sperantibus in Deo bona. Vtramque partem Propheta prosequitur, inchoans à retributione malorum. *Ego*, inquit, *non confundar*, sed *confundentur impij*, in sacros sacerdotes: *& tacebunt in fouea*, aut parati sibi casus, seu sepulchri, aut inferni. Vtrumque enim verificatum est: nam & damnati sunt & fuerunt gladio Philistinorum. In Hebræo *fouea*, in casu datiuo habetur: sed congruitas mutauit *in fouea.*

Et subiungitur ratio demeritoria: *obmutescent labia falsitatis: quæ loquentia*, supple sunt, *super iustum durum in superbia & despectione.* Hæc enim omnia interuenisse in eloquiis Saulis & suorum contra Dauidem, manifestum est legenti historiam. Vbi aduerte congeriem deformitatum in locutione. Primò ex genere, *labia falsitatis.* Secundò ex persona contra quam, *super iustum.* Tertiò ex re dicta, *durum*, non cedens, sed excessiuum ac robustum ad pessundandum. Quartò ex ratione dicendi ex parte dicentis, *in superbia.* Quintò ex ratione dicendi ex parte eius in quem dicitur, *in despectione.* Et sextò ex perseuerantia dicendi: quia in præsenti, *loquentia.*

Vitiorum in loquela congeries,

De retributione verò bonorum subdit: *Quàm multa bonitas tua quam seruasti timentibus te.* Non solùm beatitudo futuræ vitæ est ineffabilis (iuxta illud Isa. 64. *Oculus non vidit, nec auris audiuit, quæ præparasti diligentibus te*) sed etiam illius participatio, hoc est, interna consolatio quam Deus exhibet quibusdam in hac vita, explicari non potest: iuxta illud Apocalip. 2. *Vincenti dabo manna absconditum quod nemo nouit, nisi qui accipit.* Et de vtraque Propheta hîc loquitur. De beatitudine quidem in seipsa dicit: *Quàm multa est bonitas tua, quam seruasti*, recondisti exhibendam, *timentibus te.* De ipsa autem met participata subdit: *quam operatus es sperantibus in te coram filijs Adam.* Sperantes in Deo dupliciter inueniuntur. Quidam sine vexatione: Quidam cum vexatione. Et hi dicuntur sperantes in Deo coram filiis Adam: eo quòd ancoram diuinæ spei firmam tenent in conspectu hominum, non fracti persecutionibus, non allecti honoribus aut delectationibus. Hi sunt quibus Deus exhibet internam dulcedinem. Et propterea de his dicitur: *operatus es*, dictam bonitatem, *sperantibus in te*, non qualitercunque, sed *coram filijs Adam.* Et declaratur huiusmodi operatio diuina quoad duo. Primò in persecutione factorum: *Abscondes eos*, sic sperantes, *in abscondito faciei tuæ*, notitiæ tuæ, gratiæ tuæ, *à superbijs viri*, persecutoris. Secundò in persecutione verborum: *Abscondes eos*, sic sperantes, *in vmbraculo*, supple tuo, *à contentione linguarum.* Aduerte hîc similitudines. Abscondit Dominus quandoque aliquem in vmbraculo suo, ad reddendum eum tutum: abscondit quandoque aliquem ponendo illum iuxta se, quod est maioris securitatis & amoris. Iuxta has similitudines describitur Deus, aliquos sperantes in se abscondere in vmbraculo suo: hoc est, defensionem eis exhibere effectiuam vt non curent de conuitiis, opprobriis, & aliis linguarum iniuriis: & exhibet eis consolationem, sicut constitutis in refrigerio diuini habitaculi. Quibusdam autem absconsionem (hoc est, defensionem effectiuam ne curent de persecutionibus) sic exhibet quasi adhibendo consolationem facialis præsentiæ diuinæ. Ita quòd quanta est differentia inter esse in vmbraculo & esse coram facie Dei, tanta est inter has absconsiones differentia. Meritò ergo dixit se non confundendum ex parte diuinæ iustitiæ: quia diuina iustitia confundit impios & multam bonitatem seruat timentibus se, quam exhibet hîc sperantibus in eo coram filiis hominum.

Isai.64.

Interna consolatio ineffabilis.

Apocal.2.

Sperantes in Deo duplicis generis.

Similitudo abscondentis.

Vers. 21. BENEDICTVS DOMINVS. Expeditâ interpositione iustitiæ prosequitur certum spei effectum (scilicet, *non confundar in æternum*) ab expertis in seipso. Et duo refert magna beneficia tunc percepta quibus non est confusus ab expectatione sua. Alterum est: *Benedictus Dominus: quoniam separauit:* hoc est, mirificauit, *gratiam suam mihi in ciuitate munitionis*: hoc est, in Ceila reuelando mihi quòd Saul venturus esset ad

Effectus spei Dauidicæ.

ad obsidendum Ceilam, & quòd viri Ceilæ traderent me in manus Saulis. Historia clara habetur 1. Regum 23. Appellatur autem Ceila *ciuitas munitionis*, eo quòd munita erat feris & portis. Vnde tunc dixit Saul: *Tradidit eum Dominus in manus meas, conclusúsque est introgressus vrbem in qua portæ & seræ sunt*, &c. Alterum est, *Et ego dixi in festinatione mea.* Vbi tangitur historia subsecuta post egressum de Ceila, in eodem cap. subiuncta: scilicet, quòd Saule cum suis circumdante Dauidem in deserto Mahon, Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul. Hic enim primus motus desperationis describitur hîc dicendo, *Et ego dixi in festinatione mea:* non fuit enim desperatio deliberata, sed per modum festinæ passionis. Ecce quod dixi: *abscissus sum de conspectu oculorum tuorum.* Videns se cinctum, occurrit primus motus desperationis: quòd scilicet Deus non curaret custodire eum à Saule: hoc enim significat *abscissus sum de conspectu oculorum tuorum*, custodientium me. Sed hic desperationis motus non est perfectus, sed superatus à ratione, à spe in Deo. Et propterea subdit: *siquidem audisti vocem deprecationum mearum in clamare meo ad te.* Ex quo patet quòd clamore cordis & deprecationibus suppressit desperationis motum. Modus autem quo fuit exauditus scribitur ibidem: quòd venit nuncius vocans Saulem ad occurrendum Philistæis.

1. Reg. 23.

Motus primus desperationis in Dauide.

Comprobatâ non confusione suâ ex expertis beneficiis, apostrophat ad alios hortando ad duo. Primò ad diligendum: & ad hoc hortatur gratiosos, hoc est, qui aliis benefici sunt propter Deum: *Diligite Dominum omnes gratiosi eius.* Et ratio subditur ex diuina remuneratione: *quia fideles custodiens Dominus*, supple est, *& retribuens super superfluum faciens superbiam.* Vbi ineffabilis excessus retributionis diuinæ erga suos describitur: ita quòd non sufficit dicere *retribuens*, & apponere *super superfluum*, sed adiecit *faciens superbiam*: ad denotandum ineffabilem superexcessum. Non enim superbia semper sumitur in malam partem, sed quandoque in bonam pro magna excellentia: vt clarè patet Isa. 60. *ponam te in superbiam seculorum, gaudium in generationem & generationem.* Secundò ad exequendum. Et ad hoc inuitat sperantes in Deo. *Roboramini*, ad exequendum. Et vt sciant robur suum prouenire à Deo, adiungit: *& roborabit*, Deus, *cor vestrum omnes sperantes Domino*, pro *in Domino*: exemplo meî, quî sperans in Domino roboratus sum. Et dirigi videtur ad literam tota hæc exhortatio ad milites eius, post euasionem tanti periculi. Amen.

Superbia non sëper in malã partẽ sed pro magna excellentia etiam sumitur. Isai. 60.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Dauid eruditio.

XXXI.

1 *BEATI quorum remissæ sunt iniquitates: & quorum tecta sunt peccata.*

2 *Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum: nec est in spiritu eius dolus.*

3 *Quoniam tacui inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die.*

4 *Quoniam die ac nocte grauata est super me manus tua: conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina.*

5 *Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi.*
Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.

6 *Pro hac orabit ad te omnis sanctus: in tempore opportuno.*
Verumtamen in diluuio aquarum multarum: ad eum non approximabunt.

IVXTA HEBRÆVM.

Dauidi eruditio.

XXXII.

1 *Propheta.* BEATITVDINES (sunt) donati veniâ rebellionis: tecti peccato (ingruenti).

2 Beatitudines (sunt) hominis non imputabit Dominus⁴ ei (est) culpam: & non in spiritu eius dolus.

3 Quia tacui: veterauerunt ossa mea in rugire meo tota die.

4 Quoniam die ac nocte grauabitur super me manus tua: versa fuit humiditas mea in siccitates æstatis. *Selah.*

5 Peccatum meum notificabo tibi, & culpam meam non cooperui: dixi. *Dictum.* Confitebor super rebellionibus meis Domino⁴. *Propheta.* Et tu dimisisti culpam peccati mei. *Selah.*

6 Super hac orabit omnis gratiosus ad te tempori (in tempore) inueniendi: tantum inundationi (in inundatione) aquarum multarum, ad ipsum (aquæ) non peruenient.

7 *Oratio*

7 *Tu es refugium meum à tribulatione quæ circumdedit me : exultatio mea erue me à circumdantibus me.*

8 *Intellectum tibi dabo & instruam te in via hac qua gradieris : firmabo super te oculos meos.*

9 *Nolite fieri sicut equus & mulus : quibus non est intellectus.*
In chamo & fræno maxillas eorum constringe : qui non approximant ad te.

10 *Multa flagella peccatoris : sperantem autem in Domino, misericordia circumdabit.*

11 *Lætamini in Domino & exultate iusti : & gloriamini omnes recti corde.*

7 *Oratio iusti.* Tu ab sconsio mihi : ab angustia custodies me, laudibus euasionis circundabis me. *Selah.*

8 *Deus.* Faciam intelligere te, & docebo te in via hac qua ambulabis : consulam super te oculo meo.

9 Non este sicut equus sicut mulus : non intelligendo in loro & fræno os suum ad claudendum esse ob non apropinquare ad te.

10 Multi dolores impio : & confidentem in Domino [4] gratia circundabit ipsum.

11 *Propheta.* Lætamini in Domino [4] & exultate iusti : & facite laudare omnes rectos cordis.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Dauidi eruditio.* Ex quo apparet non solùm auctor Psalmi, sed doctrinalis materia quam eruditus fuit à Spiritu sancto Dauid. Quæ autem sit materia huius eruditionis, ab Apostolo ad Roman. 4. insinuatur dicente : *Dauid dicit beatitudinem hominis cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus, dicens : Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata : Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum.* Hinc enim habemus materiam huius eruditionis esse quòd beatitudo hominis consistit in iustitia quam Deus sine operibus (hoc est, sine meritis) confert homini sibi accepto. Ex progressu autem Psalmi apparet huiusmodi gratiam in remissione peccatorum maximè apparere : nam post propositam huiusmodi beatitudinem statim Dauid subiungit modum quo ipse consecutus est huiusmodi gratiam sine meritis : & postea tractat modum quo genus humanum hanc assequitur gratiam. Vnde Psalmus iste ad literam tractat eruditionem Dauidi reuelatam de gratia remissiua peccatorum : quam ipse in seipso expertus manifestat. Vnde & paucis versiculis tractat de seipso.

Materia. *Rom. 4.* *Eruditio Dauidis reuelata de remissione suorū peccatorum.*

SVMMARIVM EST.

Dauid vbi excellentiam gratiæ diuinæ donatiuæ peccatorum aperuit : modum quo hoc fit, primùm ex aperta in seipso tam contraria miseria quàm gratia veniæ, & deinde ex communi cursu sanctorum, dialogo inter Deum & hominem formato explicat.

Personæ loquentes sunt tres : Propheta, Gratiosus, & Deus.

Vers. 1. Beatitudines donati venia rebellionis, tecti peccato. Diuiditur Psalmus in partes duas : propositiuam materiæ, & executiuam, ibi : *Beatitudines hominis.* Proponit hominem habentem duas conditiones esse beatum. Prima conditio est quòd condonata sit ei rebellio. In qua peccatum ex parte auersionis seu culpæ siue offensæ significatur. Altera conditio est quòd tectus sit peccato : hoc est, à turpitudine & macula peccati, ne turpitudo aut macula peccati ingruat super eum. Sicut homo dicitur tectus à pluuia, ne cadat super eum. In prima habes donatum veniâ : in secunda, donatum præseruatione à peccando per gratiam Dei.

Beatus Dauid ob duas conditiones.

Vbi aduerte Hebræum textum ministrare, rationem veniæ esse personam hominis : ita quòd quia homini ignoscitur, ideo peccata delentur, & non è conuerso. Hoc enim insinuat textus Hebræus, dicens : *Beatitudines hominis donati venia* : quod non explicant interpretationes dicentes peccata *dimissa*, peccata *tecta.* Nec te turbet allegatio Pauli : quoniam Græco scribens idiomate, attulit textum secundùm translationem LXX. Et hoc in similibus intellige. Hic inquam non solùm iustus, sed etiam beatus exclamatur. Et est sermo de beatitudine in spe, quæ in hac vita habetur. Quæ quia est perfecta iustitia, & nullum describitur hîc concurrere meritum, excitauit Apostolum ad docendum hinc, beatitudinem hominis esse iustitiam gratuitam. Et verè sic est : quoniam nullus est homo expers peccati : & omnis peccati particeps, beatus fit per huiusmodi gratuitam iustitiam. Aduerte hîc circa literam quòd ad seruandum textum Hebræum oportuit me addere dictionem *venia*, quæ in Hebræo non est. Et hoc quia in lingua Latina caremus participio passiuo construibili cum crimine rebellionis, significando hominem esse donatum veniâ talis criminis. Dixissem donati rebellione, nisi lectorum aures offendissem, oppositum significando.

Iustitia gratuita, beatitudo hominis.

Vers. 2. Beatitudines hominis. Incipit hîc pars executiua tali ordine : Primò tractatur illa particula, *beatitudines donati veniâ rebellionis* : secundò illa, *tecti peccato*, ibi, *super hac orabit.* Circa primum tractatur modus remissionis culpæ, explicando primò quid ex parte Dei, & quid ex parte hominis ad huiusmodi gratiam remissiuam culpæ concurrit.

Pars Executiua. *Modus remissionis culpæ ex parte Dei, & ex parte hominis.*

Et ex parte Dei ponitur vnum : scilicet non imputatio culpæ, dicendo : *beatitudines hominis non imputabit Dominus ei culpam.* Vbi nota non dici

dici beatus homo qui non habet culpam, aut cui Deus confert talia & talia, sed ex sola negatione imputationis beatum dicit: vt hinc intelligas, docte lector, negationem imputationis non fieri sine collatione beatitudinis. Attenditur autem non imputatio quoad pœnam hostilem, quoad odium diuinum: Electis enim Deus peccata non imputat quoad pœnam inferni, nec quoad hoc quòd eos odio habeat sicut odio habet reprobos: quibus ad vtrumque imputat peccatum. Vnde apparet ex parte Dei summa gratia in hoc quòd non imputat nobis peccata quæ fecimus. Et hoc ipsum est nostra beatitudo. Dicit autem in futuro *imputabit*, ad significandam perseuerantiam: seu ad futuræ vitæ tempus spectando: parum quippe esset quòd nunc non imputaret, si nunc parceret & postea imputaret.

Ex parte quoque hominis ponitur vnum etiam negatiuum. *Et non in spiritu eius dolus.* Nullum meritum exigit qui negationem tantùm doli non in verbo, sed in spiritu interno requirit: hoc est, quòd non sit fictus: *spiritus enim sanctus disciplinæ fugiet fictum*, Sapient. 1. Perinde itaque est dicere, *& non in spiritu eius dolus*, & dicere & non in spiritu eius obex: Deus enim non remittit peccata ponenti obicem gratiæ.

Sap. 1.

Explicat deinde Propheta se vtramque conditionem in sua miseria expertum esse. Et quantùm ad obicem (quia scilicet ipse posuit obicem gratiæ Dei) ait: *quia tacui.* Commisso adulterio tacuit Dauid, dolosè occultare volens adulterium commissum: vocando prius Vriam & dando operam vt dormiret cum propria vxore: & cum hoc non potuisset obtinere, tandem dolosè mandauit ipsum occidi. Hunc spiritus sui dolum appellat *tacere*. Et statim subiungit pœnam internam quam inde incurrit: *veterauerunt ossa in rugire meo tota die.* Veterascere ossa est partes animæ (intellectum, voluntatem, affectum) debilitari respectu boni. Rugitus autem & ad famem animæ respectu boni spectat: iuxta illud filij prodigi, *Ego hic fame pereo.* Rugitus enim passio est leonis famelici. Et significatur quod veterauerunt ossa animæ ex continua inedia boni operis. Potest quoque idem rugitus spectare ad iniquum Dauidis appetitum occultandi suum adulterium: intantum enim rugit quòd occidit Vriam. Vides miseriam ex doloso silentio.

Dolus Dauidis.

Veterascere ossa, quid?

Rugitus est passio leonis famelici.

Quantum autem ad diuinam actionem subiungit: *Quoniam die & nocte grauabitur super me manus tua, versa fuit humiditas mea in siccitates æstatis.* Per oppositum ad non imputationem peccati, affert pœnam aliam subsecutam ex proprio dolo: intus quidem *veterauerunt ossa*: extrà autem *aggrauata est manus Dei super eum.* Et dicitur aggrauari manus Dei secundùm similitudinem effectus: quia ad modum aggrauantis fecit Dauidem magis ac magis ruere in peccatum: iuxta illud Gregorij, *peccatum quod per pœnitentiam non diluitur, suo pondere ad aliud trahit.* Aggrauauit enim Deus manum super Dauidem impœnitentem, dum subtrahendo gratiam fecit ipsum ruere in tot mala. Dicitur autem in futuro *grauabitur*, ad demonstrandam perseuerantiam: durauit enim huiusmodi aggrauatio manus amplius quàm per nouem menses.

Aggrauari manus Dei quid?

S. Gregor.

Et ecce altera pœna: *versa fuit humiditas mea in siccitates æstatis.* Non solùm fuit punitus in naturalibus vetustate ossium, sed in gratuitis; ita quòd perdidit omnem humorem gratiæ qua abundabat: nec solùm perdidit fœcunditatem gratiæ, sed incurrit ariditates æstatis. Et intendit quòd anima sua venit in statum ita aridum respectu gratuitorum sicut est ariditas æstatis. Per quod intelligimus priuatum fuisse Dauidem gratiâ deuotionis & prophetiæ & aliorum interiorum donorum: & propterea dixisse, *versa fuit humiditas mea in siccitates æstatis.* Sed considera ordinem pœnarum: quòd radix omnium ponitur *quia tacui*, obicem posui: *perditio enim tua Israel ex te est*, Osee 13. Et deinde subsequitur pœna aggrauationis manus diuinæ: quam subsequitur ariditas.

Osee 13.

Demum easdem conditiones descriptas in modo remittendi peccatum, manifestat ex experta in seipso gratia veniæ: prius enim manifestauit ex contraria miseria, modò ex venia. Et quantùm ad conditionem requisitam ex parte hominis, dicit: *Peccatum meum notificabo tibi, & culpam meam non cooperui.* Primum dicit in futuro *notificabo*: secundum dicit in præterito, *non cooperui.* Vtrumque verificat: scilicet præteritum in deliberato proposito, *dixi*: futurum in executione perseuerando, *confitebor super rebellionibus meis Domino.* Nullum describit actum meritorium, sed solam confessionem peccati: quam constat non mereri veniam, sed potius tollere obicem gratiæ.

Nota quoque duas partes huiusmodi recognitionis. Alteram præteritam: *dixi*, deliberaui. Alteram perseuerantiæ: *confitebor super rebellionibus meis*: hoc est, non excusando sed accusando rebelliones meas: ita quòd rebelliones sint materia confessionis accusantis: neque enim Deus eget vt nos notificemus ei peccata: sed ipsa nostri accusatio apud Deum, notificatio vocatur. Conditio autem ex parte Dei subiungitur: *& tu dimisisti culpam peccati mei.* Ecce quod superius dixit, modò se expertum fatetur: quòd ad solam deliberationem perseuerantiæ confessionis, dimisit Deus culpam peccati eius. Significanter autem dicit *culpam*: quia non statim remisit totam pœnam: culpa autem non potest pro parte condonari, & pro parte retineri: quia *impium est dimidiam à Deo sperare veniam*, vt Augustinus dicit.

Culpa nō potest ex parte retineri & ex parte condonari.

S. August.

Vers. 6. SVPER HAC. Tractatur hîc illa particula, *tecti peccato.* Postquam enim Dauid explicauit modum quo tanta beatitudo gratiæ à peccatoribus pœnitentibus habetur ex expertis in seipso, modò intendit explicare idem quoad vniuersum genus humanum: declarando modum alterum quo generi humano huiusmodi beatitudo conceditur: scilicet seruando ne ruant: hoc enim est tegi à peccato. Vnde circa hoc primò describit modum quo iustis conceditur hæc gratia: quo scilicet seruantur ne ruant: secundò extenditur doctrina seruandi à ruina, ad totum genus humanum. ibi, *non esse*: fuit enim eruditus Dauid non pro seipso tantùm sed pro omnibus. Et intendit quòd hanc beatitudinis gratiam mediante humili oratione iustus conseruabit: eget enim adiutorio diuino ne inundantibus tentationibus ruat: hæc est gratia qua iustus tegitur à peccato ne inuoluatur illo. *Super hac*, beata iustitia gratiæ tuæ, *orabit*, supplex *omnis gratiosus*, non solum iustum sed etiam gratiosum se aliis exhibens. Et tempus orandi subdit: *tempori*, pro in

Modus quo conceditur beatitudo gratia pœnitentibus.

in tempore, *inueniendi*, antequam claudatur ianua tempus est inueniendi gratiam.

Ratio autem necessitans ad orandum est: *tantum inundationi aquarum multarum*: hoc est ob hoc solum quòd, cùm inundauerint aquæ multæ, impetus multi multarum passionum, *ad ipsum*, gratiosum, *non peruenient*. Et dictio exclusiua *tantùm*, excludit necessitatem veniæ præteritorum. De peccatore dixit: *dixi confitebor & tu remisisti*. de iusto dicit quòd non pro venia præteritorum, sed pro cautela futurorum orare oportet. Et intellige hæc, prudens lector, de iusto quatenus iustus est: nam & ipse quatenus peccator est, dicere debet, *dixi confitebor*.

Oratio iusti tria continet.

Tu absconsio mihi. Explicatâ necessitate orandi, subiungitur ipsa iusti oratio, continens tria: Profitetur primò tegendus ne peccet, *tu absconsio mihi*: secundò petendo affirmat officium absconsionis, *ab angustia* dæmonis *custodies me*: tertiò ab omnibus circumquaque periculis peccandi saluationem, *laudibus euasionis circumdabis me*. Appellantur laudes euasionis gratiarum actiones cantando & laudando Deum pro euasione à periculis peccandi. Significantiùs autem dicit, *circumdabis me*: vt omnj ex parte euasionem attribuat diuinæ gratiæ. Si enim aliquod periculum euasisset non ex diuina gratia, non circundaretur laudibus euasionis: sed quia gratiæ Dei deputat quicquid non deliquit, ideo orando beneficium hoc recognoscens dicit, *laudibus euasionis circumdabis me*. Circumspice hanc orationem; & inuenies omni ex parte constare eam ex professione diuinæ gratiæ, sub vmbra sua iustum seruantis, custodiendo à spiritualibus inimicis & à reliquis occasionibus peccandi.

Diuina custodia in tribus.

Vers. 8. FACIAM INTELLIGERE TE. Positâ oratione iustorum, ponitur per modum responsionis diuina custodia, tria continens. Primum est pertinens ad donum intellectus: *faciam intelligere te*, proculdubio illuminando: intelligere ea quæ sunt Dei. Secundum pertinens ad instructionem morum: *& docebo te in via hac ambulabis*, id est, quâ ambulabis. Tertium: *consulam super te oculo meo*. Hoc fit quotidiana imò ingi diuina circumspectione super electos: secundum autem fit per præcepta legis: primum verò per lumen fidei. Omnia magna dona sunt: sed in tertio consummantur omnia: quod solis electis est proprium. Hæc ad tegendum electos à peccato.

Ne sitis sicut equus & mulus.

Sed ad vniuersum genus humanum subiungit diuina doctrina. *Non esse sicut equus, sicut mulus*. Prius allocutus est Deus iustum: modò extendit sermonem suum ad totum genus humanum: & propterea pluraliter dicit, *non esse sicut equus, sicut mulus*. Et vt intelligas in quo iubet hominem non assimilari equo & mulo, explicat subiungens: *non intelligendo in loro & fræno os suum ad claudendum, non appropinquare ad te*. Et est sensus quòd equus & mulus non intelligunt claudi sibi os in loro & fræno ob *non appropinquare* ad hominem consortio humanitatis: hoc est, quòd eorum *non appropinquare* ad hominem ad humana officia sine loro & fræno, est occasio necessitans ad claudendum os eorum in loro & fræno: hoc equus & mulus non intelligunt. Nam si intelligerent gauderent fræno & loro: quia equus & mulus equitati ab homine, multùm nobilitantur, humanorum officiorum consortes effecti mediante loro & fræno: sed non intelligunt hoc. Et in huiusmodi non intellectione prohibemur assimilari equo & mulo. Et intendit Deus quòd nos intelligamus lorum & frænum præceptorum diuinorum apponi nobis ex eo quòd nostra sponte non appropinquamus ad Deum. Si enim hoc intelligimus, intelligemus lorum & frænum diuinarum legum esse ad bonum nostrum: hoc est, ad appropinquandum Deo consortio diuinæ naturæ, similitudine mundi spiritus, &c. Hæc est sententia huius parabolæ.

Constructio literæ.

Constructio autem literæ supplenda est legendo sic: *Non esse sicut equus, sicut mulus*, non intelligendo, non penetrando: hoc, scilicet *ad claudendum*, hoc est, vt claudant, *os suum*, equi & muli, *in loro & fræno* esse, ob *non appropinquare ad te*, hominem: alloquitur enim Deus genus humanum.

Hic est modus quo vniuersum genus humanum tegitur ne inuoluatur peccato: scilicet intelligendo bonum suum consistere in loro & fræno diuinarum legum, sponteque suscipiendo illas: vtpote reddentes nos proximos diuino consortio. Ratio autem huius monitionis, ab eadem diuina doctrina subiungitur ex diuersa retributione malorum & bonorum. Nam quoad malos subditur: *Multi dolores impio*, parati sunt in futuro. Quoad bonos verò: *& confidentem in Domino, gloria circumdabit*. Ac si apertiùs dixisset. Non sit vana monitio mea: quoniam contemptores opprimentur doloribus multis quorum non est numerus; obseruatores autem gratiâ replebuntur.

Dolores impium, gratia iustum circumdabit.

Vers. 11. LÆTAMINI IN DOMINO ET EXVLTATE IVSTI. Auditâ Dei doctrinâ, concludit Propheta iustos non in seipsis, sed in Domino (à quo beatitudo est tantæ gratiæ) lætari & exultare debere. Et (quod plus est) *facite laudare*, Deum, *omnes rectos cordis*, etiamsi nondum assecuti sunt perfectionem iustitiæ in opere. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
XXXII.	XXXIII.
1 EXVLTATE iusti in Domino: rectos decet collaudatio.	1 *Propheta.* EXVLTATE iusti in Domino [a]: rectis est pulchra laus.

2 Con

2 *Confitemini Domino in cithara: in psalterio decem chordarum psallite illi.*

3 *Cantate ei canticum nouum: bene psallite ei in vociferatione.*

4 *Quia rectum est verbum Domini: & omnia opera eius in fide.*

5 *Diligit misericordiam & iudicium: misericordia Domini plena est terra.*

6 *Verbo Domini cœli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum.*

7 *Congregans sicut in vtre aquas maris: ponens in thesauris abyssos.*

8 *Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem.*

9 *Quoniam ipse dixit & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt.*

10 *Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum, & reprobat consilia principum.*

11 *Consilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione & generationem.*

12 *Beata gens cuius est Dominus Deus eius: populus quem elegit in hæreditatem sibi.*

13 *De cælo respexit Dominus: vidit omnes filios hominum.*

14 *De præparato habitaculo suo: respexit super omnes qui habitant terram.*

15 *Qui finxit sigillatim corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum.*

16 *Non saluatur rex per multam virtutem: & gigas non saluabitur in multitudine virtutis suæ.*

17 *Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur.*

18 *Ecce oculi Domini super metuentes eum: & in eis qui sperant super misericordia eius.*

19 *Vt eruat à morte animas eorum: & alat eos in fame.*

20 *Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adiutor & protector noster est.*

21 *Quia in eo lætabitur cor nostrum: & in nomine sancto eius sperauimus.*

22 *Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum sperauimus in te.*

2 Confitemini Domino⁴ in cithara: in viola denaria cantate ei.

3 Cantate ei canticum nouum: bene facite sonare in clangore.

est

4 Quoniam rectum verbum Domini ⁴: & omne opus eius in veritate.

est

5 Diligens iustitiam & iudicium: gra-

est

tia Domini ⁴ plena terra.

6 In verbo Domini ⁴ cœli facti sunt: & in spiritu oris eius omnis exer-

factus est

citus eorum.

7 Congregans quasi cumulum aquas maris: dans in thesauris abyssos.

8 Timebunt à Domino ⁴ omnis terra: ab ipso timebunt omnes habitantes orbis.

9 Quia ipse dixit & fuit: ipse præcepit & stetit.

10 Dominus ⁴ rupit consilium gentium: irritas fecit cogitationes populorum.

11 Consilium Domini ⁴ æterno stabit: cogitationes cordis eius generationi & generationi.

sunt

12 Beatitudines gentis cuius Domi-

est quem

nus ⁴ Deus eius: populus elegit in hæreditatem † sibi. † hæreditati

13 De cœlis respexit Dominus ⁴: vidit omnes filios Adam.

14 De præparatione sedis suæ: animaduertit ad vniuersos habitatores terræ.

cum visione

15 Creans simul cor eorum: intelligens ad omnia opera eorum.

est

16 Non rex saluatus in multitudine exercitus: fortis non liberabitur in multitudine virtutis.

17 Falsus equus saluti: & in multitudine virtutis suæ non saluabit.

18 Ecce oculus Domini ⁴ ad timentes

&

eum: expectãtibus gratiam † eius. † gratiæ.

19 Ad eruendum de morte animas eorum: ad viuificandum eos in fame.

20 *Vox iustorum.* Anima nostra expectauit Dominum ⁴ †: auxilium no- † Domino.

est

strum & clypeus noster ipse.

21 Quoniam in ipso lætabitur cor nostrum: quia in nomine sanctitatis eius confisi sumus.

22 Erit gratia tua Domine ⁴ super nos, sicut expectauimus te †. † tibi

COMMENTARIVS.

Materia. Beatitudo gentis ad cultum Dei electa.

TItulus nullus est. Colligendo autem materiam Psalmi ex ipso, apparet materiam illius esse beatitudinem gentis ad cultum & hæreditatem Dei electæ: quam constat millies in Scriptura esse filios Israël. Et quantùm ex Psalmo apparet, Psalmus iste tractat felicitatem populi Israël tempore Dauidis habitam: tum quoad securitatem vitæ ab inimicis: tum quoad alimenta in terra promissionis, iam libera non vi armorum sed gratiâ Dei. Hæc enim quatuor beneficia (scilicet electionis, vitæ, alimentorum, & diuinæ gratiæ salutiferæ, non in humanis viribus) clarè ponuntur materia beatitudinis iustorum timentium Deum & expectantium: vt intelligatur materiam Psalmi ad literam esse, felicitatem populi promissam olim à Deo adimpleri tunc. Et verè sic fuit: quoniam vsque ad tempora Dauidis populus fuit oppressus modò à Syris, modò à Moabitis, modò ab Ammonitis, & reliquis: Dauid autem primus omnes debellauit, & vsque ad Euphratem extendit terminos suos: vt dicitur 2. Reg. 8. Et propterea dicit omnem terram plenam gratia Dei, & canticum nouum esse cantandum, &c.

SVMMARIVM EST.

Propheta inuitat iustos ad laudandum Deum nouo cantico: quia factor cœli, maris & terræ, dissipatis humanis consiliis efficiet consilium de vna gente electa ex omnibus diuino intuitu prospectis gentibus ad cultum & hæreditatem suam, beandâ non in humanis auxiliis aut viribus, sed in gratia Dei expectata à timentibus Deum & perseueratura in confidentibus in nomine sanctitatis eius.

Personæ loquentes duæ sunt: Propheta & Iusti.

VERS. 1. EXVLTATE IVSTI IN DOMINO. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *in verbo Domini*. Verùm pars propositiua subdiuidi potest: pro quanto in primo versiculo proponitur verbis generalissimis materia Psalmi, dicendo: *Exultate*, non omnes sed *Iusti*, *in Domino*, non in homine, *rectis pulchra laus*: non est speciosa laus in ore peccatoris: sed pulchrè applicatur diuina laus ori rectorum. Deinde singula horum proponuntur specialiùs: videlicet *Exultate*, explicat adiungendo musica instrumenta: *Confitemini Domino in cithara, in viola denaria cantate ei.* Vbi aduerte Hebraïcam dictionem sonare quidem numerum denarium, sed non chordarum aut vocum: & propterea solus numerus explicatus est interpretando, relinquendo expositori intelligentiam chordarum: apparet enim quòd gratia materiæ denarius chordarum significetur. Et specificando magnitudinem negotij: *Cantate ei canticum nouũ, benefacite sonare in clangore.* Appellatione *clangoris* intelligitur sonus publicæ lætitiæ: qui tubis olim fiebat, hodie fit campanis. Et iubet Propheta vt non solùm fiat hic publicus sonus, sed etiam quòd bene fiat. Ex quo apparet publicam, magnam, ac nouam subesse materiam gaudij publici. Et verè tunc fuit noua materia gaudij, adimpleťio seu executio diuinæ promissionis in tota terra promissionis.

Speciosa laus in ore iusti.

Publica lætitia olim tubis, hodie campanis celebratur.

Dixerat secundò *iusti*, subiungendo rationem, *rectis pulchra laus*: reddit modò huius consonantiæ rationem quòd Deus est rectus in voluntate, in verbo & opere. Et quoad verbum: *quia rectum verbum Domini.* Quoad opus: *& omne opus eius in veritate.* Quoad voluntatem: *diligens iustitiam & iudicium.*

Dixerat tertiò *in Domino*, sed non explicauerat speciale beneficiũ: proponit modò explicitè materiam exultationis & noui cantici speciale Dei beneficium: scilicet *gratia Domini plena terra.* Tempore siquidem Iosue, & Iudicum & Saulis non fuerat terra promissionis plena gratiæ, sed secundùm aliquas partes tantùm: tempore autem Dauidis ad hoc peruenit quòd iam tota promissionis terra fuit plena gratiæ diuinæ, subactis omnibus hostibus & quiescente in pace terra.

IN VERBO DOMINI. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *in Domino*: secundò illa particula, *exultate* (vt tamen determinata est ad materiam, scilicet quia *gratia Domini plena terra*) ibi, *Dominus rupit*: tertiò illa particula, *iusti*, ibi, *anima nostra*

VERS. 6. Pars Executiua.

Declaraturus Propheta electionem gentis vnius, præmittit auctoritatem & potestatem, &c. electoris; intendens quòd ipse idem est elector qui creauit mundum: ne adinuentio humana putetur deputatio Israel ad cultum diuinum. Inchoat ergo à creatione cœlorum. *In verbo Domini*, non in labore, *cœli facti sunt: & in spiritu oris eius* (humano more loquitur) flatu oris eius, *omnis exercitus eorum.* Ex principio Genesis accepit hoc Propheta: *Igitur perfecti sunt cœli & terra & omnis exercitus eorum*: vbi Latinus interpres transtulit, *& omnis ornatus eorum.* Et per metaphoram *exercitus* significatur ad literam ordo vniuersi, qui est summum bonum in ipso vniuerso. Intendit enim Moyses describere quòd Deus non solùm fecit cœlos, terram, astra, arbores, animalia, &c. sed etiam ipsum vniuersi ordinem, adiungendo, *& omnis exercitus eorum*: est enim exercitus significans ordinem. Et propterea Propheta hoc in loco dixit: *flatu diuini oris factus est omnis exercitus*: hoc est, vniuersus ordo, cœlorum: tanquam significando maximam efficaciam & obedientiam, quod solo flatu oris effectus sit tantus talisque ordo tot cœlestium corporum. Hæc quoad cœlos.

Genes. 2. 1. Exercitus sumitur pro ordine.

Quoad aquas verò: *Congregans quasi cumulum aquas maris* iuxta illud: *Congregentur aquæ in locum vnum & appareat arida.* Et assimilatur cumulo congregatio aquarum: pro quanto sparsæ aquæ sunt rariores, collectæ sunt spissiores: sicut sparsa grana si colligerentur in aceruum. *Dans in thesauris abyssos.* Aquæ in duas quodammodo partes diuisæ sunt: altera est aquarum apparentium, vt sunt maria, lacus, & huiusmodi: altera est aquarum non apparentium: de quibus certant Philosophi: putantibus aliis dari subterranea loca latentium aquarum: aliis negantibus quorum Philosophia rationabilior apparet. Vnde per *abyssos in thesauris* intellige loca generatiua aquarum: huiusmodi enim loca dicũtur thesauri abyssorũ, id est, profundarum aquarũ: pro quanto ibi est vis generatiua aquarum magnarum, imò quæ nunquam

Genes. 1.

Aqua alia apparentes alia non apparentes.

Thesauri abyssorum.

nunquam exhauritur. Et intendit Propheta quòd aquas partim congregauit quasi in cumulum, partim posuit in thesauris: pro quanto vapores materiam aquæ in locis generatiuis aquarum disposuit.

Quoad terram: *Timebunt à Domino omnis terra, ab ipso timebunt omnes habitantes orbis: quia ipse dixit & fuit, ipse præcepit & stetit.* Creationem terræ non induxit nudam, sed vt rationem timoris diuini in pectoribus humanis: vt intelligas quorsum tendit: scilicet quòd quia homines non timuerunt Deum creatorem habitaculi humani, decreuit eligere gentem ad sui cultum & timorem. Intendit ergo quòd quia Deus *dixit* imperio suo & *fuit* terra, *præcepit & stetit* (perseuerauit) *terra*, *ideo timebunt*, id est, rationem timendi habebunt, *à Domino*, ne puniat eos, *omnis terra*: hoc est vniuersi habitatores terræ.

Vers. 10. DOMINVS RVPIT. Tractatur hîc propria Psalmi materia (quòd *gratia Domini plena est terra*) tali ordine. Primò declaratur firmitas efficax diuini consilij, explicando ipsam gratiam decretam à diuino consilio: deinde rationem tantæ gratiæ tractat. Circa primum nota simul differentiam & modum. Differentiam quidem inter consilium diuinum & humanum: quòd diuinum stabile ac efficax; humanum fragile & irritum. Modum autem: quòd diuinum consilium adimpleuit seipsum, destruendo consilia humana. Et intendit ad literam quòd Dominus *rupit consilium gentium, & irritas fecit cogitationes populorum* de oppressione filiorum Israël. Ægyptij enim conati sunt detinere illos in seruitute: Amalechitæ deinde, Amorrhæi postea & Cananæi, Syri, Moabitæ, Ammonitæ, &c. ad illorum oppressionem vires suas exercuerunt, non casu, sed ex consilio & meditatione. Vnde aptè contra humana consilia effracta & irritata apponitur consilium diuinum: *Consilium Domini æterno stabit*, non frangetur: *cogitationes cordis eius generationi & generationi*, sine fine, non erunt irritæ.

Quantùm diuinum consilium differt ab humano.

Quod autem sit hoc consilium Domini, explicatur dicendo: *Beatitudines gentis*, hoc est, beatitudo erit illius gentis, *cuius Dominus est Deus eius*, hoc est, quæ Dominum colit pro Deo. Altera conditio: *populus, quem elegit Dominus, in hæreditatem sibi*: vt velut hæredes Dei possideant terram Dei, id est, terram promissionis, &c. Gens habens ambas istas conditiones erit beata, modò in his temporalibus, & demum in cœlesti patria. Hoc est consilium Dei quo beatitudo seruatur habentibus has duas conditiones. Quarum secunda actionem Dei electiuam populi, prima autem actionem nostram cultricem Dei significat. In Hebræo habetur *hereditati*, sed congruitas mutauit *in hæreditatem*.

Duæ conditiones ad beatitudinẽ requisitæ.

Cuius singularis gratiæ ratio redditur ex tribus beneficiis diuinis communibus toti generi humano, iunctis cum impotentia generis humani ad propriam salutem. Vide singula.

Primum diuinum beneficium commune est: *De cœlis respexit Dominus, vidit omnes filios Adã.* In quo beneficium generationis humanæ ex diuina prouidentia significatur: nam *filius* nomen est generis: & propterea videre omnes filios hominis, est videre omnem generationem humanam. *Videre* autem hîc sumitur practicè: eo modo quo artifex videt agenda, & prouisor prouidenda. Fit autem mentio specialis de *cœlo*: quia mediante motu cœli Deus conseruat generationem humanam.

Tria Dei beneficia communia generi humano.

Secundum beneficium est gubernatio vniuersorum hominum in hac vita, quantùm ad ea quæ sunt communia omnibus hominibus: *De præparatione sedis suæ animaduertit ad vniuersos habitatores terræ.* Homines quatenus habitatores terræ describuntur materia huius animaduersionis: quod nihil est aliud quàm homines secundùm præsentem vitam describi: non habitant enim terram nisi viuentes vita corporali. Animaduersio autem curam manifestè significat. Et hæc quoque describitur de cœlo sub alio nomine: scilicet *de præparatione sedis suæ: Cælum*, inquit ipse, *mihi sedes est.* Et intendit quòd de quiete sua in cœlo (non enim laborans aut egens sed quiescens & regnans, nullo indigens, habens omnia præparata) curam habet hominum habitantium in terra.

Tertium ad animam refertur intellectiuam. Et habet duos ramos: Primus est creationis: *creans simul cor eorum*: Vbi diligenter aduerte non dici in plurali *corda eorum* (ne putes animas hominum simul creari, seu creatas à principio mundi) sed in singulari *cor*: vt hinc intelligas quòd aduerbium *simul* iũgit actum creandi cum prius dicto actu videndi. Et est sensus: *Vidit omnes filios Adam, creans simul cor eorum*: simul enim prouidet generationi hominum & creat animam vniuscuiusque: quoniam dum generatur filius hominis, simul creatur illius anima. Et sicut hoc participium *creans* iungitur cum verbo *vidit*, ita hoc participium *intelligens* (quod subintelligitur in altero ramo) iungitur cum verbo *animaduertit*. Et est sensus: *animaduertit ad vniuersos habitatores terræ, intelligens omnia opera eorum*: hoc est, opera voluntaria. nam opera quæ non sunt voluntaria, non sunt opera nostra sed naturæ. Et si collegeris hæc beneficia, inuenies curam generationis humanæ quantùm ad corpus, & simul creationis quantùm ad animam: appellatione enim cordis intelligitur anima intellectiua, in qua est voluntas quæ appellatur cor: inuenies item curam hominum viuentium quantùm ad vitam corporalem, & simul curam actuum voluntariorum. Et hæc constat communia esse beneficia diuinæ prouidentiæ omnibus hominibus.

Anima creatur à Deo dum homo generatur.

Opera non voluntaria non sunt nostra sed naturæ.

Cum tot autem beneficiis subditur differentia inter efficaciam humanarum virium ex vna parte & diuini oculi ex altera, quoad hoc: quòd humanæ vires non sufficiunt ad saluandum, sed fallaces inueniuntur, sed deficere inueniuntur: diuinus autem oculus solus est sufficientissimus ad salutem gentis electæ in hæreditatem sibi. Et intendit per hanc differentiam monstrare quòd verè beatitudo erit gentis electæ, quia quod vires humanæ non possunt; solus diuinus oculus sufficienter in promptu confert. Hæc est sententia huius progressus.

Quod non possunt humanæ vires, diuinus oculus confert.

Vide singula. Et primò humanas vires ex tribus capitibus describit. Vel ex natura: & hoc significatur dicendo: *fortis non liberabitur in multitudine virtutis*, fortitudinis, *suæ*, naturalis. Vel ex politica auctoritate & multitudine. Et hoc significatur dicendo: *non rex saluatus in multitudine exercitus*: hîc enim auctoritas regia cum ordine multi exercitus interuenit. Vel ex subiectis adminiculis. Et hoc significatur dicendo: *falsus*

falsus equus ad salutem, & in multitudine virtutis suæ non saluabitur, scilicet sessorem suum. Ad quæ tria capita reducuntur omnes humanæ vires.

Oculus autem Dei (hoc est specialis cura diuina) respectu electæ gentis describitur relatus ad materiam dispositam, scilicet, timentes Deum & expectantes gratiam eius. Ac si apertè diceret quòd ideo hactenus oculus Domini non fuit super populo electo, quia non fuerunt timentes Deum, quia non posuerunt spem suam in gratia Dei. *Quia ecce*, in promptu semper est, *oculus Domini super populum timentem eum, & expectantibus gratiam eius. Ad eruendum*: ecce effectus oculi Domini, liberare à periculis mortis & alimenta præbere tempore famis. Et significatur per hæc magnitudo diuinæ curæ tum respectu humanarum virium, efficiendo illa in quibus deficiunt sæpe humanæ vires: scilicet liberare à periculis mortis, & alere tempore famis: tum respectu status populi: qui ex suis demeritis subiectus iam erat mortibus frequentibus quæ illi inferebantur ab hostibus, & penuriæ alimentorum, vsurpantibus hostibus fruges terræ. Commendatur enim diuina cura ex eo quòd timentes eum quamuis ex prioribus peccatis, mortis & famis periculis subiectos, liberat à mortis periculis & à penuria annonæ. Et intellige in his liberationem à reliquis malis. In Hebræo legitur in datiuo *gratiæ*.

Effectus diuini affectus.

Vers. 20. ANIMA NOSTRA. Tractatur hîc illa particula, *Exultate iusti*. Vox enim iustorum est hæc, attestantium tum facto tum securitate perseuerantiæ subsequentis quòd ita est: scilicet quòd beatitudo est gentis electæ, quia *oculus Domini est super timentes & expectantes eum*. Et *factum* quidem afferunt, testificando: *Anima nostra expectauit Dominum*, defensorem & adiutorem, non hominem. *Auxilium*: ecce oculus Domini, quia ipse Dominus fuit auxilium *nostrum*, ad bonum, & *clypeus noster*, à malo. In quibus duobus omnia comprehenduntur. Et hæc ad literam vera patet tempore Dauidis in tot victoriis & diuitiis regni illius. Securitatem autem: *quoniam in ipso*. Duas radices securitatis quòd subsequetur perseuerantia diuinæ gratiæ inducit. Alteram delectationis: alteram spei certæ quæ vocatur fidentia: & vtriusque non in seipso aut quocunque homine seu temporali bono, sed in Deo. *Quoniam*, inquit, *in ipso*, Deo, *lætabitur cor nostrum*: ecce delectatio. *Quia in nomine sanctitatis eius confisi sumus*: ecce fidentia. Et lætitia scribitur futura, fiducia verò præterita, ad denotandum ordinem earum inter se: lætitia enim in Deo, sequitur ad fiduciam in eo. Ideo *erit gratia tua super nos* (ecce perseuerantia diuinæ gratiæ) *sicut expectauimus te*: hoc est, erit tua gratia nobiscum respondens nostræ fiduciæ in te. Et dixit hæc Dauid, significando & monendo vt perseuerarent omnes in spe & gaudio circa diuina: prædicens quòd gratia Dei inchoata perseuerabit & crescet iuxta populi fidem & spem in Deo. Amen.

Lætitia in Deo sequitur fiduciam in Deo.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Dauid quando commutauit os suum coram Abimelech: & eiecit eum, & abiit.*	Dauid in suo mutare sensum suum faciebus Abimelech, & eiecit eum & abiit.
XXXIII.	XXXIV.
2 *BENEDICAM Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo.*	1 *Propheta. Aleph.* BENEDICAM Dominum in omni tempore: continuè laus erit eius in ore meo.
3 *In Domino laudabitur anima mea: audiant mansueti & lætentur.*	2 *Beth.* In Domino ⁴ laudabitur anima mea: audient humiles & lætabuntur.
4 *Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius in idipsum.*	3 *Ghimel.* Magnificate Dominum ⁴ † mecum: & exaltabimus nomen eius pariter. († *Domino.*)
5 *Exquisiui Dominum: & exaudiuit me, & ex omnibus tribulationibus meis eripuit me.*	4 *Daleth.* Quæsiui Dominum ⁴: & respondit mihi, & ex omnibus timoribus meis liberauit me.
6 *Accedite ad eum & illuminamini: & facies vestræ non confundentur.*	5 *He.* Respexerunt ad eum: & illuminati sunt, & facies eorum non confundentur.
7 *Iste pauper clamauit: & Dominus exaudiuit eum, & de omnibus tribulationibus eum saluauit eum.*	6 *Zain.* Hic pauper vocauit: & Dominus ⁴ audiuit, & de omnibus angustiis eius saluauit eum.
8 *Immittit Angelus Domini in circuitu*	7 *Cheth.* Habitans est Angelus Domini ⁴ circum

timentium eum: & eripiet eos.

9 *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus: beatus vir qui sperat in eo.*

10 *Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum.*

11 *Diuites eguerunt & esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

12 *Venite filij audite me: timorem Domini docebo vos.*

13 *Quis est homo qui vult vitam: diligit dies videre bonos?*

14 *Prohibe linguam tuam à malo: & labia tua ne loquantur dolum.*

15 *Diuerte à malo & fac bonum: inquire pacem & persequere eam.*

16 *Oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum.*

17 *Vultus autem Domini super facientes mala: vt perdat de terra memoriam eorum.*

18 *Clamauerunt iusti: & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum liberauit eos.*

19 *Iuxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit.*

20 *Multæ tribulationes iustorum: & de omnibus iis liberabit eos Dominus.*

21 *Custodit Dominus omnia ossa eorum: vnum ex iis non conteretur.*

22 *Mors peccatorum pessima: & qui oderunt iustum delinquent.*

23 *Redimet Dominus animas seruorum suorum: & non delinquent omnes qui sperant in eo.*

circumcirca timentibus eum: & liberauit eos.

8 *Teth.* Gustate & videte quoniam
sunt
bonus Dominus[4]: beatitudines
qui
viri sperabit in eo.

9 *Iod.* Timete Dominum[4] sancti eius:
est
quoniam non defectus timentibus eum.

10 *Caph.* Leunculi depauperati sunt & esurierunt: & quærentibus Domini[4] non deerit omne bonum.

venite
11 *Lamed.* Ite filij, audite me †: timorem Domini[4] docebo vos. † *mihi.*

es
12 *Mem.* Quis vir volens vitas: diligens dies ad videndum bonum?

13 *Nun.* Custodi linguam tuam à malo: & labia tua à loquendo dolum.

14 *Samech.* Cessa à malo & fac bonum: quære pacem & sequere eam.

sunt
15 *Hain.* Oculi Domini[4] ad iustos: & aures eius ad clamorem eorum.

16 *Pe.* Facies Domini[4] in facientibus mali: ad faciendum excidere de terra memoriam eorum.

iusti
17 *Zadi.* Clamauerunt: & Dominus[4] audiuit, & ex omnibus angustiis eorum liberauit eos.

est
18 *Coph.* Prope Dominus[4] confractis corde: & contritos spiritu saluabit.

sunt
19 *Res.* Multa mala iusti: & ex omnibus ipsis liberabit eum Dominus[4].

20 *Scin.* Custodiens omnia ossa eius:
est
vnum ex eis non fractum.

proprium
21 *Thau.* Interficiet impium, malum; & osores iusti desolabuntur.

erit
22 *Pe.* Redimens Dominus[4] animam seruorum suorum: & non desolabuntur omnes sperantes in eo.

COMMENTARIVS.

Titulus.

Titulus est, *Dauidi in suo mutare sensum suum faciebus Abimelech, & eiecit eum & abijt.* Historia hæc habetur 1. Reg. 21. Vbi dicitur quòd Dauid simulauit se fatuum: ita quòd immutauit os suum coram Achis rege Geth, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebantque saliuæ eius in barbam: & quòd Achis videns hominem insanire dixit, *dimittite illum hinc ne ingrediatur domum meam:* & abiit Dauid inde & fugit in speluncam Odollam: vt statim subiungit capitulum 22. Et aduerte quòd rex Geth in libro Regum nominatur Achis, in hoc autem titulo nominatur Abimelech: eâ vt aiunt ratione quia Achis erat nomen proprium personæ, Abimelech verò erat nomen regiũ: sicut Imperatores Romani præter nomina propria (scilicet Tiberius, Claudius, &c.) habebant nomen auctoritatis, scilicet Cæsar.

Cur Rex Geth in lib. Reg. vocatur Achis, hic verò Abimelech?

Circa

Materia. Circa materiam Psalmi est hîc magna quæstio: quia cùm Psalmus instructorius euidenter sit & nunquam faciens mentionem in specie huius beneficij quo Dauid est liberatus à timore Philisthinorum, sed tantùm in genere, non apparet concordia inter Psalmum & titulum. Ex auctoritate quoque Petri Apostoli vtentis hoc Psalmo in tertio cap. primæ Epistolæ, non habetur certa materia: quoniam ad instructionem morum affert: Qui vult vitam diligere & dies videre bonos coërceat linguam suam à malo, &c.

Verùm si instructio Psalmi considerata diligentius fuerit, apparebit consonantia Psalmi cum titulo. Instructio siquidem hæc facta fuit à Dauide tunc quando venit ad speluncam Odollam, & congregati sunt ad eum quadringenti viri, & factus est eorum princeps: vt clarè patebit in progressu. Titulus ergo demonstrat tempus Instructionis istius in verbo *& abyt*: vt patet 1. Reg. in principio 22. cap. Nec vacat mysterio demonstratio temporis huius: tum quia inde scimus Dauidem à principio quo congregati sunt ad eum viri docuisse subditos suos timorem Domini: tum quia inde scimus quanta latebat in Dauide homine militari & iuuene bonitas: quàm nisi ex hoc Psalmo videremus, difficile esset credere: tum quia ex hoc manifestatur quòd Dauid exclusit rationem scandali quod poterat concipi de eo, quasi esset refugium malorum hominum: eo quòd ad ipsum conueniebant omnes qui erant in angustia constituti, & oppressi ære alieno & amaro animo. Demonstrat secundò titulus quæ sunt illæ tribulationes quas in Psalmo commemorat Dauid se euasisse: nam ex illo habemus quòd sunt illæ quas ante congregationem illorum quadringentorum virorum pertulit. Demonstrat tertiò quòd Dauid recognouit euasionem suam de manu Achis ex diuina fuisse gratia: ita quòd non attribuit beneficium hoc simulatæ stultitiæ, sed diuinæ protectioni. Et verè sic fuit: nam secundùm humanam rationem videns Achis Rex Dauidem hominem tantæ famæ ad se confugientem actus insanorum facere, potuit facilè æstimare simulationem esse, & explorare vnde hi gestus & à quanto tempore, &c. Dat quartò titulus initium Psalmo, ministrans materiam diuinæ laudis: vnde patet vtilitas tituli respectu Psalmi.

Instructio 400. virorum ad timorem Dei.

Materia autem in specie, ex ipso Psalmo apparet quòd est instructio ad timorem Dei quadringentorum virorum qui ad Dauidem conuenerunt exemplo eius. Hæc est enim ad literam Psalmi materia, insinuata quoad tempus & reliqua supradicta ex titulo.

SVMMARIVM EST.

Dauid instructurus quadringentos viros qui ad se conuenerant, vbi seipsum proposuit exemplum tam prosperitatis quam aduersitatis tempore ad recognoscendum Deum, & plura propterea sibi collata diuina beneficia significauit, inuitat eos ad timorem Dei: ex eo quod timentibus Deum nihil deest, leones autem depauperati sunt. *Et docet eos ea in quibus consistit timor Dei, alliciens ex præmio vitæ ad videndum bonum: suadendo hoc ex eo quòd Deus oculis, auribus, propinquitate, custodiâ ac vitæ redemptione adest iustis, iniquos autem perdet ex eorum malitia.*

Persona loquens Propheta est.

Aduerte quod hic Psalmus est secundus inter Alphabeticos apud Hebræos: vt Hieronymi interpretatio testatur. *Psalmus hic est Alphabeticus.*

BENEDICAM DOMINVM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *magnificate*. Proponit duo. Primum quòd in omni euentu emergentium in tempore, intendit continuè laudare Deum. *Benedicam Dominum*, benedictione laudis, *in omni tempore*, aduersitatis vel prosperitatis: *continuè*, indefessè. *laus eius in ore meo*, erit. Secundum quòd ipse intendit agere vitam laudabilem secundùm Deum, non curans mundanorum laudes sed humilium *In Domino*, non in mundanis, *laudabitur anima mea*, vita mea: *audient*, hanc vitam laudabilem, *humiles corde*, mansueti, *& lætabuntur*, laudando hoc propositum. Vbi nota quòd Dauid considerans qualitatem virorum qui ad se confugerant vt sub eo fugatâ paupertate licentiosè viuerent, strenuè agendo more militari, ante omnia proponit eis intentionem suam: qualis scilicet ipse intendit esse: vt per hoc possent auditores intelligere quales velit eos esse: nam vult eos esse similes sibi. Et propterea, duo proponit: Alterum quòd in vtraque fortuna intendit semper præponere Deum. Alterum quòd non quærit gloriam humanam, non quærit laudari ab impijs: sed quærit gloriam secundum Deum: & sufficit ei laus à mansuetis. Et vtrumque horum directè percussit frontem profugorum: qui & quærebant gloriam militarem & superare aduersitates licentiosè: vt mos est talium profugorum. *Vers. 1.*

MAGNIFICATE DOMINVM MECVM. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primùm tractatur tota materia proposita ex parte seu exemplo ipsius Dauidis. Secundò tractatur eadem ex parte instruendorum, ibi, *gustate*. Instruens igitur Dauid exemplo sui, inuitat ad id quod vtrobique fuit principale propositum, scilicet, honorem Dei. *Magnificate Dominum mecum*, non in seipso, sed in animis: tunc enim magnum Deum facimus, cùm in operibus nostris interioribus, & exterioribus magnitudinem Dei profitemur & veneramur: vnde non dixit *magnificite* sed *magnificate*, factis *Et exaltabimus nomen eius*, laudando & glorificando, *pariter*, simul. *Vers. 3. Pars Executiua.*

Et ad hoc affert quatuor beneficia diuina. Primum. *Quæsiui Dominum*, corde, ore & opere: *& respondit mihi*, etiam opere, *& ex omnibus timoribus meis liberauit me*. Habuerat tunc Dauid timores multos: & apud Philistæos & Abimelech (propter quod simulauit se fatuum) & prius apud Saulem, toties volentem ipsum occidere, & propterea dixit, *ex omnibus timoribus liberauit me*. *Quatuor diuina beneficia.*

Secundum: *Respexerunt ad eum & illuminati sunt, & facies eorum non confundentur*. Post beneficium in timoribus, ponit beneficium collatum sperantibus. Et quoniam in tertia persona pluralis numeri introducitur, clarum non est de quibus loquatur: videtur tamen mihi quòd loquitur de seipso & sui similibus: occultans sub communitate tertiæ personæ internam gratiam diuini luminis sibi concessam: parcebat enim propriis laudibus: sicut Paulus inquit: *parco autem ne quis plus existimet de me*, &c. vnde gratiam prophetici luminis sibi concessam, occultè insinuat.

insinuat. *Respexerunt*, ego & mei similes, *ad eum*, Deum: *& illuminati sunt*, intùs, *& facies eorum non confundentur*, ab expectatione sua. Potest tamen hoc ad beneficium patrum referri: prisci enim patres respexerunt ad Deum: & illuminati sunt, & facies eorum non confundentur, quin eueniant eis promissa: multa enim fuerunt promissa patribus quæ adhuc erant adimplenda in populo Israël.

Post beneficia timoris & spei, beneficium pauperum tribulatorum subiungitur. *Hic pauper*, ipsemet Dauid, *vocauit*, non voce, sed corde tempore paupertatis profugus à Saule: *& Dominus exaudiuit*, prouidendo, *& de omnibus angustijs eius saluauit eum.*

Angelica custodia.

Vnde & quartò subiungit beneficium Angelicæ custodiæ. *Habitans Angelus Domini circumcirca timentibus eum, & liberauit eos.* Vbi nota duo: Primum quod hoc beneficium commune manifestè ponitur omnibus timentibus Deum: vt hinc etiam Dauid parcat laudibus suis; ne iactare se videatur dicendo quòd habet Angelum Domini custodem, cùm tamen hoc vellet intelligi ita sibi conuenire quòd reliquis esset commune si vellent timere Deum. Secundum quòd Angelus Domini custos describitur habitans in circuitu timentium Deum. Hinc enim habes differentiam inter Angelicam & humanam custodiam: custodia siquidem humana manens in vno loco, non manet in altero: sed ad hoc vt totum circuitum custodiat, oportet quòd eat circumcirca: Angelica autem custodia habitat in toto circuitu: ita quòd non oportet quòd circumeat, sed simul custodit vniuersum circuitum. Hæc sunt quatuor loca, quibus Dauid exemplo sui inuitat ad benedicendum Dominum in omni tempore.

Vers. 8. Gvstate et videte. Tractatur hîc eadem proposita materia explicitè: instruendo iuxta opportunitatem & capacitatem auditorum, tali ordine. Primò allicit ad inchoandum ea quæ sunt viæ Domini. *Gustate*, inquit, *& videte.* Ad similitudinem experimentum sumentium de aliquo cibo vel potu, dicit vt gustent experiendo, & videant certificando se de duobus. Primum: *quoniam bonus Dominus*, semper inuenitur à colentibus eum, & bonus in se & bonus in illis. Secundum: *beatitudines*, sunt *viri qui sperabit in eo.* Beatitudines hîc pollicitæ & in futuro, sunt eius *qui sperabit*, id est, perseuerabit sperans in eo. His duobus maximè indigebant viri illi: & quòd Deum inuenirent bonum sibi, & quòd ipsi bearentur sperando in Deo.

Secundò monet eos ad timendum Deum: hoc enim erat præcipuum intentum Dauidis. Et hoc secundum inducit post propositam gustationem. Ac si apertè dixisset: *experimini*, inchoate modicum, *viam Dei.* Et si quæritis quomodo fit ista experientia: ecce modus: *Timete Dominum*: timor Domini initium est gustandi & videndi. Monet autem blandè: *Timete Dominum sancti eius.* Appellat milites suos sanctos, id est, mundos ab immunditijs idololatriæ & gentilitatis, & dicatos Deo ad colendum vnum Deum. Vos, inquit, qui estis iam dicati Deo timete ipsum: *quoniam non defectus timentibus eum.* Militares viri & præcipuè profugi & grauati ære alieno (quales erant isti) volunt lucrari & ideo militare, vt non desint sibi opportuna. Et propterea Dauid huic appetitui occur-

Timor Domini initiũ gustandi & videndi.

rit, affirmans, quòd timentibus Deum nihil deficit. Quod intellige iuxta promissiones in Deuteronom. factas: totus enim iste Psalmus plenus est promissionibus temporalium bonorum: quia spectat ad viros veteris Testamenti, quibus promittebantur bona temporalia si manerent in cultu Dei. Et hoc retine pro toto Psalmo: ne oporteat toties repetere. Et ad hoc affert signum quod videmus euenire de facto. *Leunculi*, homines prædones, *depauperati sunt & esurierunt*, vt experientia testatur: *& quærentibus Dominum non deerit omne bonum*, iuxta benedictiones Deuteronomij. Vbi nota cautelam Dauidis volentis auertere militares à præda. Non dixit eis: nolite prædari, ne videretur malam existimationem habere de eis: sed vt abominabilem proposuit eis rapinam, nominando eam leoninam, tanquam rem feris non hominibus congruentem.

Timentibus Deum nihil deficit.

Tertiò descendit ad instruendum eos in particulari, à quibus debent cauere. Et ne videatur multiplicare præcepta, inuitat paternè vt filios ad discendum timorem Domini ad quem iam inuitauerat. *Ite*, pro venite, *filij.* Olim principes appellabantur patres: & propterea Dauid princeps vocat subditos filios: *audite mihi*, more Hebraico, pro *me*: quia *timorem Domini docebo vos.* Ecce doctrina timoris Domini inchoans à præmio: *quis est vir qui volens*, pro *vis*, *vitam, diligens dies ad videndum bonum?* Nullus est qui non velit vitam: sed multi sunt non volentes vitam sic, scilicet diligendo viuere ad videndum bonum, sed siue videant malum, siue bonum, volunt vitam. Ad excludendum istos insanos appetitus dicit Dauid: *quis vir volens vitam?* & exponendo voluntatis affectum: *diligens dies*, tempus vitæ, *ad videndum bonum.* Hoc est præmium quod in hac vita promittitur iustis.

Principes olim appellabantur Patres.

Ecce in quibus consistit timor Domini: *Custodi linguam tuam a malo*, à maledicentia: *& labia tua à loquendo dolum*, sub quo comprehenditur fraus. Hæc quoad linguam. Quoad opus: *cessa à malo*, à nocumento proximi, *& fac bonum.* Quoad studium: *quære pacem & sequere eam*, quantum ex te est donec inuenias. Perspice hæc tria documenta vitam militarium regulare, & quoad linguam, & quoad opera, & quoad studia: nam & sunt rixosi & nocui, & licentiosæ linguæ ac etiam dolosæ. Et propterea in his Dauid timorem Domini apud militares constituit.

Tria documenta vitæ militaris.

Vers. 15. Ocvli Domini. Redditur ratio promissorum: & iuxta duo promissa (vitæ scilicet & bonorum dierum) vtrinsque ratio redditur. Et primò bonorum dierum: deinde vitæ, ibi, *interficiet.* Et consistit ratio promissorum bonorum dierum in differentia inter diuinam curam respectu iustorum & iniquorum: pro quanto Deus promisit bona iustis & mala iniquis: vt patet in benedictionibus & maledictionibus Deuteronom. Hanc autem differentiam proponit more humano de Deo loquens tanquam habente oculos & aures & reliqua membra, *Oculi Domini ad iustos*, custodiendum: *& aures eius ad clamorem eorum*, audiendum. *Facies Domini*, irata, *in facientibus malum: ad faciendum excidere de terra memoriam eorum.* Maximum malum quod æstimant homines, est interitus memoriæ suæ: sicut pro maximo bono æstimant immorta-

Fama immortalitate maximũ bonum censent homines.

litatem famæ. Et propterea hîc pro magna pœna in præsenti mundo dicitur: *ad faciendum excidere de terra memoriam eorum.* Vbi habes & iram Dei in impios & punitionem. Respectu autem iustorum dixerat aures & oculos, sed non posuerat effectus. Et propterea subiungit effectus aurium: hoc est, ad quid aures Dei *ad clamorem eorum?* Ecce ad quid: *Clamauerunt, & Dominus audiuit: & ex omnibus angustijs eorum liberauit eos.*

Et quoniam humano more, salutares tam aures quàm oculos oportet esse prope adiuuandos (nam longè distantes minus audimus & videmus ad subueniendum) ideo propinquitatem Dei respectu iustorum inserit Propheta. *Prope* (supple est, *Dominus confractis corde*, timore Dei: *& contritos spiritu*, non tumentes, non elatos, *saluabit.*

Prope est Dominus contritis.

Quoad oculos verò custodiam subiungens, excludit simul obiectiones duas. Altera est de multitudine malorum: hoc est, quòd quamuis multiplicentur mala iusti, nihilominus Deus liberabit eum. Altera est cur totus iste sermo de videndo dies bonos, occupatur in liberatione ex malis. Hæc enim obiectio tacitè excluditur, affirmando *multa mala iusti*, hoc est, quod oportet iustos pati multa mala: *& ex omnibus ipsis liberabit eum Dominus.* Fructus autem malorum iusti subiungitur, declarando diuinam custodiam quæ diuinis oculis attribuitur. *Custodiens Dominus omnia ossa eius*, iusti: ita quòd *vnum ex eis*, ossibus, *non fractum*, supple est. In tribulatione iustorum ad similitudinem naturæ agit Deus. Natura enim in ægritudinibus non mortalibus custodit ossa non carnes ægri (vnde efficitur macer defectu carnium) sed postea carnes restaurat, ita Deus in tribulationibus iustorum custodit omnia ossa iusti, omnes virtutes animi quæ sunt velut ossa sustentantia iustum, nec vna quidem virtus confringitur. Et ad hoc (scilicet ad custodiam virtutum) ordinat tribulationes iustorum: iuxta illud Apostoli: *Virtus in infirmitate perficitur: & ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ*, &c. Et intendit Dauid docere milites suos quòd etsi patientur velut ægri, sint securi quòd custodit Deus ossa eorum: hoc est, custodit Deus eos ad sanitatem futuram custodiendo virtutes animi: ad hoc enim oculi Domini sunt super iustos: & sic videbunt quasi post ægritudinem dies bonos.

In afflictionibus iustorũ instar naturæ agit Deus.

2. Cor. 12. v. 9. 7.

De vita autem promissa (*quis es vir qui vis vitam*) subdit differentiam similiter inter iustos & iniustos. Et circa vitam impij dicuntur duo: scilicet mors & desolatio. *Interficiet impium malum*, hoc est, malitia propria demeritoriè interficiet impium, minuet vitam eius: *& osores iusti desolabuntur*, ex ipsa culpa odij erga iustum. Quo contra de iustis subdit: *Redimens Dominus animam*, vitam, *seruorum suorum*: & hoc contra primum: *& non desolabuntur omnes sperantes in eo*, & hoc contra secundum.

Malitia interficiet impium.

Aduerte hîc quòd isti vltimi quatuor versiculi magis ad propositum exponuntur propheticè: vt postquam Dauid monstrauit rationem dictorum ex subuentione diuina communi iustis & timentibus Deum, conclusurus sermonem redeat ad principium vnde inchoauit: scilicet ad seipsum, confirmans & accendens milites suos ad seruandum quæ monuit: quia ipse Dauid quamuis multa modò patiatur, tandem Deus liberabit ipsum: & interficiet Saulem & complices: & redimet vitam seruorum suorum qui cum Dauide sunt. Et tunc est sensus literæ. *Multa* quidem *mala* sunt modò *iusti*, meiipsius Dauidis: tamen estote securi, quia *ex omnibus ipsis liberabit eum Dominus.* Et interim est *Dominus custodiens omnia ossa eius*, Dauidis, ita quòd *vnum ex eis non fractum*, est. *Interficiet impium*, Saulem, *malum*, malitia propria demeritoriè vt dictum est: *& osores iusti*, Dauidis, *desolabuntur. Redimens Dominus*, erit, *animam*, vitam *seruorum suorum*, mecum timentium ipsum: redimet enim de periculo occisionis: & *non desolabuntur omnes mecum sperantes in eo.*

Et scito quòd hac instructione & promissione propheticâ inducti sunt milites Dauidis ad tantum Dei timorem, vt de eis dixerit seruus Nabal, 1. Regum 25. *Homines isti boni satis fuerunt nobis & non molesti, nec quicquam aliquando perijt omni tempore quo fuimus conuersati cum eis in deserto: pro muro erant nobis tam in nocte, quàm in die omnibus diebus quibus pauimus apud eos greges.* Amen. 1. Reg. 25.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Psalmus Dauid.*	Dauidi.
XXXIV.	XXXV.
IVDICA Domine nocentes me: expugna impugnantes me.	1 *Christus.* LITIGA Domine[a] cum contra me litigantibus meis: contra me pugna cum pugnantibus meis.
2 *Apprehende arma & scutum: & exurge in adiutorium mihi.*	2 Apprehende parmulam & scutum: & surge in auxilium meum.
3 *Effunde frameam & conclude aduersus eos qui persequuntur me: dic animæ meæ salus tua ego sum.*	3 Euagina lanceam & conclude ex aduerso persequentes me: dic animæ meæ. *Vox Dei petita.* Salus tua ego.

4 *Christus.*

4 *Confundantur & reuereantur: quærentes animam meam,*
Auertantur retrorsum & confundantur: cogitantes mihi mala.
5 *Fiant tanquam puluis ante faciem venti: & Angelus Domini coarctans eos.*
6 *Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini persequens eos.*
7 *Quoniam gratis absconderunt mihi interitum laquei sui: superuacuè exprobrauerunt animam meam.*
8 *Veniat illi laqueus quem ignorat & captio quam abscondit apprehendat eum: & in laqueum cadat in idipsum.*
9 *Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur super salutari suo.*
10 *Omnia ossa mea dicent: Domine quis similis tibi?*
Eripiens inopem de manu fortiorum eius: egenũ & pauperẽ à diripientibus eum.
11 *Surgentes testes iniqui: quæ ignorabam interrogabant me.*
12 *Retribuebant mihi mala pro bonis: sterilitatem animæ meæ.*
13 *Ego autem quum mihi molesti essent: induebar cilicio.*
Humiliabam in ieiunio animam meam: & oratio mea in sinu meo conuertetur.
14 *Quasi proximum & quasi fratrem nostrum sic complacebam: quasi lugens & contristatus sic humiliabar.*
15 *Et aduersum me lætati sunt & conuenenerunt: congregata sunt super me flagella & ignoraui.*
16 *Dissipati sunt nec compuncti: tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione, frenduerunt super me dentibus suis.*
17 *Domine quando respicies? restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam.*
18 *Confitebor tibi in ecclesia magna: in populo graui laudabo te.*
19 *Non supergaudeant mihi qui aduersantur mihi iniquè: qui oderunt me gratis & annuunt oculis.*
20 *Quoniam mihi quidem pacificè loquebantur: & in iracundia terræ loquentes, dolos cogitabant.*
21 *Et dilatauerunt super me os suum: dixerunt: euge euge viderunt oculi nostri.*
22 *Vidisti Domine, ne sileas: Domine ne discedas à me.*
23 *Exurge & intẽde iudicio meo: Deus meus & Dominus meus in causam meam.*

4 *Christus.* Confundentur & erubescẽt quærentes animæ meæ: reuertentur retrorsum & erubescent cogitantes mali mei.
5 Erunt sicut gluma faciebus venti: & Angelus Domini [4] impellens.
6 Erit via eorum tenebræ & lubricum: & Angelus Domini [4] sequens eos.
7 Quia sine causa absconderunt mihi foueam retis sui: sine causa foderunt animæ meæ.
8 Veniet ei desolatio quam ignorabit: & rete ipsius quod abscondit cõprehẽdet eum, in desolatione cadet in ipsũ.
9 Et anima mea exultabit in Domino[4]: & lætabitur in salute sua.
10 Ossa mea dicent. *Vox ossium Christi.* Domine [4] quis sicut tu? liberans pauperem à fortiore ipso, & pauperem & mendicũ à violento eius.
11 *Christus.* Surgent testes iniqui: quæ nesciui interrogabunt me.
12 Retribuent mihi malum pro bono: sterilitatem animæ meæ.
13 Et ego in ægrotare eorum sic: vestis mea saccus, afflixi in ieiunio animam meam, & oratio mea super sinum meum reuertetur.
14 Quasi socius quasi frater mihi ambulaui: quasi lugens mater ater incuruatus sum.
15 Et in ægritudine mea læti sunt & congregati sunt: congregati sunt super me percutientes & nesciui, sciderunt & non tacuerunt.
16 In blanditiis derisionum vaniloquij: frendendo super me dentibus suis.
17 Domine † quantum aspicies? fac reuerti animam meam à desolationibus eorum, à leunculis vnicam meam. † *Domini mei.*
18 Confitebor te in ecclesia multa: in populo forti laudabo te.
19 Non lætabuntur mihi inimici mei falsò: osores mei sine causa, non annuent oculo.
20 Quoniam non pacem loquentur: & super quietos terræ verba deceptionum cogitabunt.
21 Et dilatauerunt super me os suum: dixerunt. *Vox Iudæorum.* Heah, heah vidisti oculos nostros.
22 *Christus.* Vidisti Domine [4], ne sile: Domine † ne elongare à me. † *Domini mei.*
23 Expergiscere & vigila iudicio meo: Deus meus & Dominus meus † liti meæ. † *Domini mei.*

24 *Iudica me secundùm iustitiam tuam Domine Deus meus : & non supergaudeant mihi.*

25 *Non dicant in cordibus suis, euge euge anima nostra : nec dicant, deuorabimus eum.*

26 *Erubescant & reuereantur simul : qui gratulantur malis meis.*
Induantur confusione & reuerentia : qui magna loquuntur super me.

27 *Exultent & lætentur qui volunt iustitiam meam : & dicant semper : magnificetur Dominus qui volunt pacem serui eius.*

28 *Et lingua mea meditabitur iustitiam tuã: tota die laudem tuam.*

24 Iudica me secundùm iustitiam tuam Domine † Deus meus : & non læ- de me tabuntur mihi.

25 Non dicent in corde suo. *Vox Iudæorum.* Heah animæ nostræ. *Christus.* Nec dicent. *Vox Iudæorum.* Absorbuimus eum.

26 Confundentur & erubescent pariter, gaudentes mali mei : induentur confusione & verecundia ma- se gnificantes super me.

27 Laudabunt & lætabuntur volentes iustitiam meam : & dicent continuè. *Vox Christianorum.* Magnificabitur Dominus †, volens pacem serui sui.

28 *Christus.* Et lingua mea loquetur iustitiam tuam : tota die laudem tuam.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Dauidi.* Ex quo licet auctor habeatur Psalmi, materia tamen non habetur. Sequendo autem regulam Apostolorum Petri & Pauli, apparet quòd Psalmus iste ad literam tractat de Messia : eo quòd ea quæ hîc Dauid dicit in propria persona, excedunt personam Dauidis : hoc est non verificantur de ipso : & clarè patet quòd verificantur de Christo. *Materia.*

Apparet autem hoc ex tribus. Primò ex principio Psalmi, in quo describitur pugna non solùm animo, verbo & apparatu, sed actualis, dicendo : *pugna cum pugnantibus meis, apprehende arma, euagina lanceam.* Constat autem in tota Dauidis persecutione à Saule, nunquam ventum esse ad pugnam actualem. Secundò, quia in versiculo vndecimo expresse dicitur : *surgent testes iniqui, quæ nesciui interrogabunt me*, quod nunquam in Dauide impletum legitur : sed clarè constat vtrunque impletum fuisse in Messia. Tertiò, quia in versiculo 21. ait: *Et dilatauerunt super me os suum, dixerunt, Heah Heah, vidisti oculos nostros.* Hæc autem nunquam legimus occurrisse Dauidi : sed impleta Christo existente in cruce à tot derisoribus. *Passio Christi.*

Et propterea Psalmus iste ad literam tractat de passione Christi. Quod confirmatur, ex eo quòd ipse Christus Ioan. 15. verba huius Psalmi affert de seipso implenda, dicens : *vt impleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.* Hoc enim in 19. versiculo huius Psalmi habetur. *Ioan. 15.*

SVMMARIVM EST.

Dauid in persona filij sui Messiæ, passionem eius proponit coram Deo tanquam vexatus lite & tanquam vexatus prælio. Et ea quidem quæ sunt pugnæ, prosequitur petendo vt Deus armatus saluet se, resuscitando à mortuis, & desolet Iudæos excidio Hierosolymitano: ea vero quæ sunt litis, prosequitur narrando tum obiecta testium contra se, tum suam erga Iudæos gratiam cum illorum ingratitudine, tum suam benignitatẽ cum illorum malitia. Et petit iudicari secundùm diuinam iustitiam ad confusionem Iudæorum & ingem fidelium lætitiam.

Persona loquens propriè Propheta est in persona Christi : recitat tamen vocem inimicorum & Christianorum.

Litiga Domine cvm litigantibvs meis : pvgna cvm pvgnantibvs meis. Diuiditur Psalmus in partes duas : propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *apprehende.* Proponit duo prægnantia. Alterum est : *Litiga Domine cum litigantibus contra me:* in hoc enim narrat Christus quòd vexatur litibus: & petit vt Deus vexet etiam lite illos litigantes. Et similiter alterum est: *pugna cum pugnantibus contra me.* In quo narrat se pati bellũ ab aliis: & petit vt Deus prælietur cõtra illos. Vers. 1.

Vbi quantùm ad sensum literæ nota *litem* negotium esse iudiciale, *pugnam* autem negotium bellicum. Ita quòd petit Christus sub similitudine vexari lite quòd iudicio (quod consistit in prolatione sententiæ) & sub similitudine prælio impetiti, quòd prælio (quod consistit in factis, quod est executio sententiæ) Deus sit pro se : quoniam vtroque modo patitur: iniuriis scilicet sub iudicibus, Anna, Caipha, Pilato, &c. & factis acerbæ passionis.

Quantùm ad literam quoque nota in Hebræo haberi in primo proposito verbum sonans litem & participium eiusdem verbi: & propterea oportuit transferre *litiga cum litigantibus meis.* Et per omnia simile est in secundo, *pugna cum pugnantibus meis.* Verum est quòd pronomen quod pluralis est numeri in Hebræo non potuit transferri cum consonantia : oportuit enim dicere *cum litigantibus meis, cum pugnantibus meis:* quod in Latina lingua non bene sonat sensum intentum, scilicet *contra me.*

Vers. 2. Apprehende parvvlam. Incipit hîc pars executiua tali ordine : Primò tractatur illa particula, *pugna cum pugnantibus meis.* Secundò illa, *litiga cum litigantibus meis,* ibi, *surgent testes iniqui.* *Pars Executiua.*

Quantùm

Quantùm ad pugnam tali procedit ordine. Primò describuntur actiones petitæ: secundò effectus actionum in aduersariis: & tertiò effectus earundem actionum in ipso Christo. Quatuor petit actiones Dei humano more. Prima vt Deus armet se: hoc enim est primum necessarium pugnaturo: *Apprehende parmulam & scutum.* Iuxta dictiones Hebræas primum significat scutum rotundum: secundum autem scutum grande quod totum operit hominem. Per quæ intellige omnia arma defensiua. Secunda actio est quòd etiam armis offensiuis actualiter pugnet pro ipso. *Consurge in auxilium: euagina lanceam:* sic enim in Hebræo habetur. Aut enim metaphoricè vtitur *euaginationis* nomine, hoc est, vtere lanceâ: aut de lanceis opertis quasi vaginâ loquitur: videmus enim hodie etiam huiusmodi arma habere sua opercula. Tertia actio est percussio aduersariorum: *Conclude ex aduerso persequentes me,* obuiam eas persequentibus me & claude eos vt non possint euadere. Quarta actio respectu petentis: *dic animæ meæ: salus tua ego.* Vbi non petit fac saluam animam meam, sed *dic animæ meæ:* vt intelligas quòd non petit saluari à morte (hoc est, ne moriatur) sed petit securam reddi animam suam) diuinâ voce: more humano alloquens Deum quasi ducem exercitus: veni armatus & redde omnes securos, dicendo; ego saluabo vos.

Quatuor Dei actiones hic petit.

Sed cùm hæc omnia metaphoricè à Propheta inducantur de auxilio diuino exhibendo Messiæ patienti, aduertendum est quòd *arma defensiua* spectant ad ea euitanda quæ Christus noluit pati: puta quòd os eius non comminueretur, & similia. *Arma* verò *offensiua* (quorum actio describitur per modum clausuræ, dum dicitur, *conclude eos*) possunt referri & ad confusionem quam Iudæi in mente sua incurrerunt: ita quòd fuerunt in mente confusi non habentes diuerticulum, cùm audierunt à custodibus sepulchri Christi rem gestam. Possunt quoque referri ad obsidionem Hierusalem subsecutam ob crimen commissum contra Christum: iuxta illud Luc. 19. *Circumdabunt te eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ.* Facile quoque est per huiusmodi arma Dei, exponere media quibus Deus vsus est vel ad confundendum vel ad destruendū Iudæos. Cùm dicitur quoque *dic animæ meæ: salus tua ego*, securitatem resurgendi petit: & propterea hoc *animæ* nomine vtitur ab officio animandi corporis. Ac si apertè dixisset: dic animæ meæ animanti corpus: quamuis separanda sis modò à corpore, ego tamen salus tua quantùm ad animandi officium: quia per me resumes animandi officium incorruptibiliter quod modò habes corruptibiliter.

Arma defensiua & offensiua in passione Christi.

Luc. 19.

Vers. 4. CONFVNDENTVR. Diuinæ pugnæ effectus in aduersariis (Iudæis scilicet) describitur. Et primò quantùm ad frustrationem intenti: *Confundentur* ex tuo prælio, *& erubescent quærentes animam meam*, vitæ meæ. Et hoc fuit adimpletum: quia Iudæi quærebant vitam Christi extinguere sicut per mortem extinguitur vita aliorum hominum: à quo intento confusi sunt & erubuerunt: quia vita Christi non fuit extincta nisi per triduùm. *Reuertentur retrorsum & erubescent cogitantes mali mei.* Et hoc quoque fuit adimpletum: quia Iudæi præcipuum malum quò tendebant erat extinguere fidem Christi: vt ipsimet testantur: *si dimittimus eum sic, totus mundus vadit post eum.* Et rursus dicunt Pilato: *Ne fortè veniant discipuli eius & furentur eum, & dicant plebi: surrexit à mortuis, & erit nouissimus error peior priore.* Manifestè siquidem per resurrectionem Christi Iudæi reuersi sunt retrorsum, id est, ad similitudinem fugientium cesserunt fidei Christi: dum tot millia Iudæorum conuersa sunt ad fidem Christi. Mat. 27. 64.

Iudæorū semper erat extinguere fidē Christi.

Ioan. 11. 48.

Deinde subiungitur altera pœna effectus eiusdem pugnæ: scilicet pœna expulsionis de Hierusalem. *Erunt sicut gluma faciebus venti, & Angelus Domini impellens.* In quo ostenditur eorum dispersio tanquam rerum nullius momenti qualis est gluma, & auctoritas diuina per Angelum Domini: vt intelligas dispersionem Iudæorum quamuis medio brachio Romanorum, per Angelicum officium tamen fuisse factam principaliter. Et adiungitur circa hanc dispersionis pœnam. *Erit via eorum tenebræ & lubricum, & Angelus Domini sequens eos.* Triplex malum in via describitur: tenebræ quoad oculos, lubricum quoad pedes, & persecutio Angeli Domini non permittens eos passim ambulare. Per quæ intellige omnes incommoditates fugæ.

Triplex malū in itinere.

Tertia pœna (scilicet desolatio Hierosolymitana per Romanos facta) subiungitur præposita congruentiâ causæ: *Quia sine causa absconderunt mihi foueam retis sui.* Vbi insidias Iudæorum aspice constare ex fouea & reti: tanquam foderint occultè foueam reti coopertam seu vallatam. Et ad foueam magis exprimendam subdit: *sine causa foderunt,* fossam fecerunt, *animæ meæ,* vitæ meæ. Est autem hoc rete Romanorum potestas, cuius timore Iudæi occiderunt Christum: *venient Romani, & tollent locum nostrum & gentem.* Et hoc fuit sine causa: quoniam non erat Iudæis ratio timendi hoc ex prædicatione Christi: quoniam Christus non congregabat populum excitando ad arma, aut tumultus, aut seditionem, aut ad dominium quodcunque temporale: vt euidentia monstrauit in passione eius. Ipso etiam apertè dicente: *Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri vtique mei decertarent vt non traderer Iudæis.* Propterea ergo *veniet ei*, populo, *desolatio ignorabit*, id est, quam ignorabit, qualis fuit excidium Hierosolymitanum: *& rete ipsius*, potestas Romana, *quod abscondit*, quia occultādo veritatem comprehendit me, *comprehendet eum*, ita quòd *in desolatione cadet in ipsum*, rete: venerunt siquidem Romani & abstulerunt locum & gentem.

Ioan. 11.

Ioan. 18. 36.

Explicato effectu diuinæ pugnæ in persecutoribus, modò explicat eiusdem diuinæ pugnę effectum in seipso & quantùm ad animam & quantùm ad corpus. Nam quoad animam dicit: *Et anima mea*, in resurrectione, *exultabit in Domino & lætabitur in salute sua:* non enim fuit plenè libera à passione nec plenè beata vsque ad resurrectionem. Quoad corpus verò: *Omnia ossa mea dicent*, omnes partes corporis mei dicent in resurrectione: *Domine quis sicut tu?* quasi dicat, nullus: *liberans pauperem*, me, *à fortiore ipso:* fortiores enim quantùm ad vsum potestatis fuerunt Pilatus & Iudæi occidentes Christum quàm pauper Christus abstinens ab vsu suæ potestatis: *& pauperem & mendicum à violento eius.* Explicatio est eius quod dixerat: quia Christus pauper & mendicus liberatus fuit à violentia illata corpori suo per flagella, clauos, crucem.

Christus quomodo hic dicitur mendicus?

Vbi scito quòd *mendicus* iuxta Hebraicam dictionem, propriè significat pauperem qui fuit diues: interpretes enim circumloquuntur in hoc libro eum qui à diuitiis cecidit in paupertatem nomine *mendici*. Et conuenit Christo: pro quanto ex statu honorabili quo habebatur vt Propheta, cecidit in tantam ignominiam. Et hoc sufficiat semel pro semper in similibus.

Vers. 11. SVRGENT TESTES INIQVI. Tractatur hîc illa particula, *litiga Domine cum litigantibus meis*, tali ordine. Primò tractantur obiecta in iudicio. *Surgent testes iniqui*, non solùm coram Pontificibus Iudæorum, sed etiam ipsi Pontifices coram Pilato & Herode se testes exhibebant quòd fecerat se regem, &c. *quæ nesciui*, vtpote falsa, *interrogabunt me*, per os Pilati: *Tu es Rex Iudæorum*.

Secundò narrantur gesta hinc inde. Et primò in genere: *Retribuet mihi malum pro bono*. Ecce gesta in genere: Ego egi bonum, & illi ingrati retribuent mihi malum. Et specificando malum, subditur: *sterilitatem animæ meæ*. Dictio Hebraica videtur sonare non propriè *sterilitatem*, sed dispositionem mulieris patientis aborsum: quæ ex hoc ipso quòd abortiuum facit orbatur prole, & similis sterili est. Et quia Iudæi impediebant Christi prædicationem à fructu filiorum spiritualium, ideo dicuntur retribuisse huiusmodi sterilitatem seu orbationem animæ Christi, quæ Euangelico verbo generabat filios: constat enim quòd

Ioan.9.22. Iudæi statuerant quòd *si quis confiteretur illum esse Christum, extra Synagogam fieret*.

Postea in specie subiungit gesta hinc inde. Et primò ex parte sua narrat quòd pro eis omne bonum coram Deo fecit, & etiam coram hostibus Et de gestis coram Deo quidem pro eis, ait: *Et ego in egrotare eorum*, in infirmitatibus animorum eorum, scilicet Iudæorum, feci hæc tria bona: *vestis mea saccus, afflixi in ieiunio animam meam, & oratio mea ad sinum meum reuertetur*. Ad literam per hæc tria intelligo vniuersa bona personalia quæ Christus obtulit Deo pro Iudæis: in *sacco* afflictionem corporis austeriore camisiâ: in *ieiunio* afflictionem vitæ corporalis intus: in *oratione* sacrificium mentis. Horum autem trium solus *saccus* in Euangelio non legitur: ex aliis tamen quæ leguntur de Christo (scilicet ieiuniis & orationibus) coniicere possumus quòd vsus fuerit austeriore camisiâ: vt se exemplum perfectum exhiberet Pastoribus & Prædicatoribus, quos oportet castigare corpus suum & in seruitutem redigere, ne cùm aliis prædicauerint, reprobi efficiantur. Quod autem dicit orationem suam reuersuram super sinum suum, ad hoc spectat quòd licet oratio eius quantùm ad sufficientiam esset pro omnibus, quantùm tamen ad efficaciam erat pro solo sinu ipsius, hoc est, pro electis: iuxta il-

Christus austeriore camisiâ vsus: quæ hic dicitur saccus.

Ioan.17.9. lud Ioan. 17. *Ego pro eis rogo, non pro mundo rogo.*
Ioan.17.20. Et infrà: *Non pro eis tantùm rogo, sed pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me*, &c.

De gestis autem coram hominibus subdit: *Quasi socius quasi frater mihi ambulaui, quasi lugens mater ater incuruatus sum*. In quibus exhibuisse se Iudæis socium, fratrem ac etiam matrem compassione narrat. Quæ in Euangelio clarè patent adimpleta: & vnico etiam verbo explicata:

Mat.12.50. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater, soror & mater est*, Matthæi 12. Circa maternum tamen officium aduerte literam quòd iuxta textum Hebræum oportet sic construere: *Ego lugens ater incuruatus sum quasi mater*. Et ratio constructionis est: quia sunt masculini generis in Hebræo illæ tres dictiones, *lugēs, ater, incuruatus*, mater autem est fœminini. Et significatur maternum officium quo periclitanti filio ægro mater incuruatur cum tristitia & tristitiæ signis. Quod constat Christum fecisse: vnde & *videns* Luc.19.41.
ciuitatem fleuit super illam, dicens: si cognouisses & tu, &c. Hæc quoad gesta ex parte Christi.

Gesta autem ex parte Iudæorum narrantur è regione. *Et in ægritudine mea lætati sunt*. Dixerat quòd ipse in ægritudine eorum ieiunabat, orabat, &c. modò è regione contrarium Iudæos fecisse narrat: *& in ægritudine mea lætati sunt*. Appellat ægritudinem suam Christus tempus passionis suæ, quo se eis vt impotentem exhibuit. Cùm me infirmum exhibui, *lætati sunt & congregati sunt*, principes Iudæorum: vt patet capto Christo: nec solùm principes, sed *congregati sunt super me percutientes (prophetiza nobis quis est qui te percussit) & nesciui*, ad similitudinem nescientis percutiebant: *prophetiza*. Nec solùm percusserunt, sed *sciderunt*, flagellis carnem meam: fuit enim Christus flagellatus: *& non tacuerunt*, & non propterea destiterunt: vt patet in Euangelio. *In blandiciis derisionum vaniloquij, frendendo super me dentibus suis*. Illusio illa, *Aue rex Iudæorum*, salutando & genuflectendo, &c describitur in blandiciis derisionum vaniloquij: erat enim blanda derisio vanorum verborum. Quæ tamen non suffecit Iudæis: sed cùm Pilatus monstrasset eis Christum sic derisum huiusmodi verbis blandis derisoriis, *ecce Rex vester, Regem vestrum crucifigam?* magis ac magis clamabant Iudæi: *crucifige*, more frendentium dentibus. Et propterea Propheta vtrumque simul inserit: quia huiusmodi derisiones terminatæ sunt ad obtentum crucifixionis.

Christi illusio, colaphizatio, flagellatio, &c.

Vers. 17. DOMINE QVANTVM ASPICIES? Narratis gestis hinc inde coram Iudice narrat rationes gestorum vtrinque: quare scilicet ipse hæc fecerit & quare Iudæi illa fecerint. Sed narrando exclamat, more oppressorum prouocantium iudicem ad considerationem negotij. Vnde exaggerando & humanum explicans affectum, ait: *Domine quantùm aspicies?* hoc est, quantùm oportet esse prouocatiuum tui aspectus iudicialis: intendens quòd si hoc tam magnum non sufficit ad prouocandum iudicium, quantum erit illud quod prouocabit aspectum tuum ad iudicandum? quasi dicat, nullum tam magnum erit.

Duas subdit rationes gestorum suorum supradictorum. Prima est ad ponendum vitam pro redemptione mundi. Secunda est ad construendum Ecclesiam vniuersalem. Et vtraque ita introducitur vt ratio, vt etiam portet secum damnum imminens nisi Deus indicet. Vnde prima ratio inducitur per modum resarciendi damni: *Fac reuerti animam meam à desolationibus eorum*. Mortem tam acerbam appellauit desolationes Iudæorum: quia ad desolandum & eradicandum Christum occiderunt ipsum. *A leunculis*, ab inferno, *vnicam meam*, animam destitutam ab omnibus. Ac si apertiùs diceret: Posui animam meam in mortem vsque ad infernum, fac vt resurgat, vt tantum damnum quod sponte subij recompensetur. Altera ratio proponitur per modum damni vitandi. *Confitebor te*, prædicando, *in ecclesia multa*, omnium populorum: *in populo forti*, ad martyrium, *laudabo te*: hoc est propterea hæc omnia feci,

feci, ne patiaris hæc perire. Rationes autem gestorum a Iudæis subiunguntur: *Non lætabuntur mihi inimici mei falsò*. Machinati sunt principes Iudæorum falsam inimicitiæ causam aduersus Christum: vt patet in consiliis & accusationibus eorum: & huiusmodi machinatio assecuta effectum, fuisset ratio lætitiæ principibus Iudæorum si Christus non resurrexisset & mundum ad se non traxisset. Et propterea per modum euitandæ huiusmodi lætitiæ introducuntur causæ ex parte Iudæorum. *Non lætabuntur mihi*, id est, de me, *inimici mei falso*, accusantes me: *osores mei sine causa*, sine vlla culpa, *annuent oculo*. Aduerte hîc quòd negatio in principio versiculi posita, intelligitur præposita non solum verbo *lætabũtur* sed etiam verbo *annuẽt*. Ita quòd sensus est, non lætabuntur, non annuent oculo. Et hoc annuere oculi, refertur ad irrisionis tempus quo Christo crucifixo principes sacerdotum ad inuicem derisoria Christi verba loquebantur: ac per hoc more deridentium alter alteri annuebat oculo: vide filium Dei, &c. Et intendit quòd vtraque iniquitas cessabit Deo iudicante.

Varia circũstantia Passionis Christi.

Vtriusque autem iniquitatis (scilicet confictæ falsitatis & irrisionis) manifestationem subdit: Et falsitatis quidem, *Quoniam non pacem loquentur*. Caïphas tanquam proponens ea quæ pacis sunt, dicturus prophetatur: *Expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo & non tota gens pereat.* Hoc consilium præuenit Propheta. *Quoniam non pacem loquentur*, non tendent ad pacem in veritate: *& super quietos terræ*, sequaces meos, *verba deceptionum cogitabunt*: ad exterminandum enim fidem Christi cogitauerunt hac vti fraude. Derisionis verò annuentibus oculis: *Et dilatauerunt super me os suum, dixerunt: Heah, heah, vidisti oculos nostros.* Malitiam suam Pontifices insultando Christo crucifixo inducuntur manifestare: vbi enim debebant compati crucifixo, *dilatauerunt*, insultantes *super me os suum: dicentes, Heah, heah*, interiectio est insultantis, *vidisti*, tu qui te faciebas Messiam, *oculos nostros*, expertus es prudentiam, castigationem nostram in cruce.

Ioan. 11. 50.

Heah. interiectio insultantis.

Vers. 22. Vidisti Domine. Post narrata obiecta à testibus, post narrata gesta hinc inde à Christo & Iudæis, post expositas rationes gestorum hinc inde, more partis constitutæ coram iudice petentis concludi in causa, petit Christus conclusionem causæ & consequenter sententiam. Conclusionem quidem: *Vidisti Domine*, merita causæ, non superest vt amplius informeris, *ne sile*, conclusionem causæ: *Domine ne elongare à me.* Tanquam more humano dicat: concIude in causa antequam hinc recedas. Et quodammodo adhuc non concludentem, humano more solicitat. *Expergiscere & vigila iudicio meo*, terminando: *Deus meus & Domine lis mea*, terminandæ vigila. Consequenter petit sententiam. *Iudica me secundum iustitiam*, non humanam sed *tuam*, quæ puræ veritati innititur, quæ non potest falli, *Domine Deus meus*, vt intelligas hominem rogare.

Petit Christus à Deo Iudice sententiam.

Tria autem explicat continenda in sententia. Primum est: *& non lætabuntur mihi*. Secundum est: *non dicent in corde suo, Heah anima nostræ*. Tertium: *non dicent, absorbuimus eum* In quibus tribus manifestatur quòd sententia procedens secundùm iustitiam Dei, efficiet hæc tria: Primum quòd Christus non iudicabitur victus à Iudæis: victores enim lætantur super victo. Et huiusmodi futuram lætitiam excludit à Iudæis. Et consistit hæc victoria in principali articulo negotij: scilicet de propagatione fidei Christianæ: propterea enim Pontifices Iudæorum occiderunt Christum vt doctrina Christi extingueretur: vt patet ex Euangelio. Et propterea primum quod petit Christus est quòd Iudæi non lætentur se vicisse: quoniam iustitia exigit Christianam fidem propagandam esse: Et sic fuit impletum. In secundo explicatur glorificatio nominis Christi, talis & tanta vt non restet in corde Iudæorum locus vnde possint insultare Christianæ vitæ. Et hoc fuit adimpletum missione Spiritus Sancti, tantâ multitudine miraculorum, tot testimoniis fidei ex Scripturis, &c. Ita quòd Iudæis ratione vti scientibus non est relictus locus in corde eorum vnde possint insultare Christianæ fidei: quamuis sit spatiosus locus relictus in ore eorum. Et propterea dicitur: *non dicent in corde suo heah*, insultando *animæ nostræ*. Christus vitam suam communem Christiano populo facit: & propterea dicit *anima nostra*. In tertio resurrectio corporis explicatur: *non dicent*, Iudæi, *absorbuimus eum*. Quamuis enim dicere potetunt: occidimus eum, non tamen dicere poterunt *deglutiuimus eum*: vtpote qui iam manifestè resurrexi & viuo in æternum. Hæc de sententia.

Tria continentur in sententia petita.

Circa effectus verò sententiæ, tum quoad Iudæos Christi hostes, tum quoad Christi sequaces, subiungit: *Confundentur & erubescent pariter, gaudentes mali mei.* Nota solos illos Iudæos hîc comprehendi quorum malitia perseuerauit, ita quòd lætabantur quòd Christus passus fuisset: illi autem qui non ex malitia peccauerunt, immò visis iis quæ fiebant tempore passionis Christi *reuertebantur percutientes pectora sua*, qui etiam conuersi reguntur in Actibus Apostolorum quòd per ignorantiam peccassent, pro quibus etiam Christus intercessit: *Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt*, non includuntur sub effectu huius sententiæ. Sed de prioribus adhuc subditur: *induentur confusione & verecundiâ magnificantes*, linguas suas seu seipsos, *super me*. Aduerte hîc reperi confusionis pœnam, quoniam confundendi erant & in hac vita & in futura: vt rei probauit euentus.

Effectus sententiæ.

Luc. 23. 48.

Luc. 23. 34.

Quoad sequaces autem Christi: *Laudabunt & lætabuntur*, laudabunt cantando & cantabunt laudando, *volentes iustitiam meam*, quæ est iustitia fidei mei crucifixi: *& dicent continuè*, vsque ad consummationem sæculi hunc hymnum: *magnificabitur Dominus volens pacem serui sui*, Iesu Christi. In his enim duobus (scilicet in magnificatione Domini & in pace Iesu Christi) pendet vniuersa salus. Significantiùs autem explicatur Deus volens pacem Christi: vt intelligas non omnem pacem ei placere, sed Christi: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, non quomodo mundus dat.* Et quoniam scribendum erat, *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi*, ideo Christus subiungit: *Et lingua mea*, per Christianos meos, *loquetur iustitiam tuam*, Deus quam fecisti mihi iudicando secundùm veritatem pro me: *tota die*, indefessè, *laudem tuam*, gratias agendo. Quod quotidie per membra sua adimplet. Amen.

Ioann. 14. 27

Matth. 28. 20

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Pro victoria, seruo Domini Dauid Psalmus.*

XXXV.

2 *DIXIT iniustus vt delinquat in semetipso : non est timor Dei ante oculos eius.*

3 *Quoniam dolosè egit in conspectu eius: vt inueniatur iniquitas eius ad odium.*

4 *Verba oris eius iniquitas & dolus : noluit intelligere vt bene ageret.*

5 *Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non odiuit.*

6 *Domine in cælo misericordia tua : & veritas tua vsque ad nubes.*

7 *Iustitia tua sicut montes Dei : iudicia tua abyssus multa.*

8 *Homines & iumenta saluabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus.*

Filij autem hominum : in tegmine alarum tuarum sperabunt.

9 *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ : & torrente voluptatis tuæ potabis eos.*

10 *Quoniam apud te est fons vitæ : & in lumine tuo videbimus lumen.*

11 *Prætende misericordiam tuam scientibus te : & iustitiam tuam iis qui recto sunt corde.*

12 *Non veniat mihi pes superbiæ: & manus peccatoris non moueat me.*

13 *Ibi ceciderunt qui operantur iniquitatem: expulsi sunt nec potuerunt stare.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti seruo Domini [4] Dauidi.

XXXVI.

1 *Propheta.* Audite DICTVM rebellionis vt est impio, intra cor vt meum : non sit timor Dei † coram oculis eius. † Deorum.

2 Quia blanditus est ad se in oculis suis: ad inueniendum iniquitatem suam, ad odiendum.

3 Verba oris eius iniquitas & dolus: cessauit ad intelligendum ad benefaciendum.

4 Iniquitatem cogitabit super cubili suo : stabit super via non bona, malum non abominabitur.

5 *Dictum rebellionis.* Domine [4] in cœlis est gratia tua : veritas tua vsque cœ- est los.

6 Iustitia tua est quasi montes Dei, iudicia tua sunt abyssus multa : Adam & bestiam saluabis Domine [4].

7 Quam pretiosa gratia tua Deus †: † Dij. & filij Adam in vmbra alarum tuarum sperabunt.

8 Satiabuntur de pinguedine domus tuæ : & torrente deliciarum tuarum potabis eos.

9 Quoniam tecum est fons vitarum, in lumine tuo videbimus lumen.

10 *Propheta.* Trahe gratiam tuam scientibus te : & iustitiam tuam rectis corde.

11 Non veniet mihi pes superbiæ : & manus impiorum non mouebit me.

12 Ibi ceciderunt operantes iniquitatis: impulsi sunt, & non potuerunt surgere.

COMMENTARIVS.

TItulus est, *Vincenti seruo Domini Dauidi.* Cuius prima particula patet superiùs. Per hoc autem quòd Dauid appellatur *seruus Domini*, materia Psalmi insinuatur. Seruitus quippe Domini excludit libertatem peccandi, & constat ex timore Domini : iuxta illud Malach. 1. *Si ego* Malach. 1. *Dominus, vbi timor meus?* Tractat siquidem ad literam Psalmus iste de seruitute Domini vt opponitur libertati peccandi : ita quòd directè editus est contra libertatem peccandi causatam ex eo quòd non apparet ratio timendi Deum. Et hoc quidem nunc supponatur : clarè siquidem patebit

patebit in prosecutione. Nec per hoc quòd nominatur Dauid seruus Domini, limitatur materia Psalmi ad Dauidem: sed communis est cuilibet seruo Dei. Non frustrà tamen apponitur *Dauid*: sed ad notandum quòd ipse fuit auctor non solùm Psalmi, sed inuentionis erroris versati in animo liberè peccantium. Significatur itaque per hunc titulum quòd Psalmus iste attribuitur Dauidi seruo Domini, quia adinuenit & excludit radicem libertatis peccandi contrariæ seruituti Domini.

SVMMARIVM EST.

Dauid videns multos homines immortalitatem animæ credentes in libertate peccandi, ratúsque eos decipi fallacibus argumentis donorum gratuitorum, naturalis nobilitatis animæ & naturæ, & statu spiritualis in altera vita, occurrit soluens rationes eorum: vt vel sic resipiscant.

Persona loquentes sunt duæ: Propheta, scilicet, & fultus libertate peccandi.

VERS. 1. *Sensus partis propositiuæ.* DICTVM REBELLIONIS IMPIO INTRA COR MEVM. Diuiditur Psalmus in duas partes: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *quia blanditus est.* Circa partem propositiuam quia obscura est & corruptè consueuit legi, aduerte sensum. Intendit Propheta proponere quòd secundùm iudicium suum Rebellio, magnitudo sceleris, dicit impio, non cuicunque, sed carenti timore Dei ante oculos suos. Quid sit autem illud dictum impio ab eius scelere, non proponit explicitè, sed explicabit in quinto versiculo: vbi patebit quòd illud dictum est ratio excludendi timorem Dei & liberè peccandi. Quod implicitè hîc proponitur: dum explicatur impius talis quòd non est timor Dei ante oculos eius. Quod vt plenius intelligas, videns Dauid multos homines credentes & immortalitatem animæ & alteram vitam, absque vllo timore Dei liberè omnifariam peccare, cogitauit intra se, quòd iniquitas istorum decipit eos, promittendo animabus eorum quantumcumque hîc peccantium felicem in altera vita statum, quia Deus est lux & vita, &c. Et ad hunc errorem confutandum fecit hunc Psalmum, & propterea non asserit hunc errorem ab iniquis dictum absolutè, sed cum ista modificatione *intra cor meum*: hoc est secundùm quòd mihi videtur. Et huiusmodi errorem non attribuit homini sed crimini: vt non sit in culpa natura sed scelus. Et propterea non dicit, *dictum hominis*, sed *dictum rebellionis*: ita quòd crimen rebellionis introducitur dicens *impio.* Et specificando quali impio subditur: *non timor Dei ante oculos eius.* Negatio timoris Dei ab oculis mentis, est affirmatio cæcitatis respectu timoris Dei: hoc est quòd ante oculos mentis eorum nulla ratio timendi Deum videtur. Tales sunt impij qui tractantur in hoc Psalmo.

Vers. 2. QVIA BLANDITVS EST AD SE. Incipit hîc pars Executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *impio non timor Dei coram oculis eius.* Secundò illa, *dictum*, ibi, *Domine in cœlis*, recitatiuè. Et tertiò eadem confutando dictum, ibi, *trahe.* Declaratur quis seu qualis est impius nullam videns rationem timendi Deum, ex partibus eius quinque, scilicet, *affectu, locutione, omissione, cogitatione, & operatione.* *Ex quinque declaratur impius, qui Deum non timet.*

Et *affectus* quidem describitur ad similitudinem blandientis: vt intelligas mentem istorum ipsismet blandiri, promittendo felicitatem futuram quantumcunque hîc peccent. Interna blandimenta significantur dicendo, *in oculis suis.* Et appellatione blandiciarum intelligitur ratio alliciens & delectans, tanquam blandiendo decipiens: qualis enim vnusquisque est secundùm affectum, tales ei consonant rationes: vt apparet in irato, cui consonant rationes vindictæ. Huiusmodi autem blandæ rationes describuntur in primis ad duo officia, scilicet, *ad inueniendum iniquitatem suam*, hoc est, ad inueniendum vias iniquas: *& ad odiendum*, ad odio prosequendum quos volunt odio habere: blandiuntur siquidem sibi rationibus & ad odium & ad inuentionem.

Locutio verò: *verba oris eius iniquitas & dolus*, vt in his duobus intelligas omne vitium linguæ: in *dolo* coopertum, in *iniquitate*, manifestum.

Omissio autem: *cessauit ad intelligendum ad benefaciendum.* In quo omissio quærendi veritatem & omissio cuiusque boni operis apparet.

Cogitatio denique: *Iniquitatem cogitabit super cubili suo.* In quo magnum studium ad iniquè agendum describitur: dum in cubili loco quietis cogitat iniquitatem.

Operatio demum: *Stabit super via non bona*, perseuerabit super via non bona. Nec hoc sufficiet, sed *malum non abominabitur.* Minus dicit & plus significat, scilicet, quòd malum amplectetur.

Vers. 5. DOMINE IN COELIS. Tractatur hîc *dictum Rebellionis*: inducendo ipsos impios tuentes libertatem peccandi alloquendo Deum, ex quadruplici capite. Primò ex hoc quòd Deus non communicat communiter humano generi gratuita dona, quæ sunt propria dona rationalis naturæ: vt sunt gratia, veritas, iustitia, & notitia iudiciorum Dei. Quod explicant dicendo: *Domine in cœlis*, supremis, in excelsis creaturis, *gratia tua*, regnat, non in nobis: *& vsque ad cœlos*, inferiores, Lunam scilicet, *veritas tua*, certa extenditur, ac per hoc in nobis omnia plena fallaciis. *Iustitia tua*, qua animus fit iustus secundùm te, inaccessibilis est *quasi montes Dei*, hoc est, montes tam excelsi vt sint potius montes Dei quàm hominum: *iudicia tua*, quatenus tua, sunt inscrutabilia à nobis *quasi abyssus multa*, quæ inscrutabilis est. Vbi aduerte truncatam esse locutionem contentam medio termino syllogismi. Ex hoc enim quòd Deus hæc bona incommunicabilia, inaccessibilia & inscrutabilia statuit nobis, volunt inferre quòd non est nobis curandum de assequendis huiusmodi bonis animi, sed liberè operandum: nam si Deus vellet quòd nos soliciti essemus ad acquirendum huiusmodi bona animi, non restrinxisset sic illa. *Libertatem peccandi tuetur impij ex quadruplici capite.*

Secundò ex hoc quòd Deus bona corporalia communiter dat nobis & brutis. *Adam*, hoc est, hominem, & *bestiam*, genus animalium, *saluabis Domine*, in hac vita continua generatione, nutritione, augmento, &c. Et intendunt hinc inferre quòd cùm prouisio corporalium sit communis nobis & brutis, non est magis propter temporalia hæc bona, vel mala timendus, aut colendus Deus à nobis quàm à bestiis: quæ nec timent nec colunt Deum, & hæc habent à Deo sicut nos.

Tertiò ex nobilitate naturæ humanæ quantùm

tùm ad animam intellectiuam immortalem, imaginem Dei: ita quòd ex hac parte homines sunt filij & domestici Dei: ac per hoc in alia vita erunt secundùm animam in domo Dei, & velut pulli collecti sub alis proprij parentis. Et quia hoc est primum fundamentum dicti istorum, ideo ad illius magnificationem præmittunt laudem diuinæ gratiæ sic magnificantis homines omnes supra animalia irrationalia, clamando: *Quàm preciosa*, quàm æstimanda, est *gratia tua Deus*, quâ omnes homines saluare in altera vita, & quâ naturam animæ humanæ beatificare disposuisti, quâ dignatis communis pater noster esse: Ecce & *filij Adam*, hoc est homines suapte natura (filius enim nomen generis naturalis est) *in vmbra alarum tuarum sperabunt*, supponentur sub certa protectionis tuæ paternæ spe, velut pulli priùs dispersi cùm colliguntur sub parentis alis. Ita quòd homines hîc sunt velut pulli dispersi à Deo, in altera vita erunt collecti sub Deo proprio parente velut filij. Et quia domestici Dei erunt, *satiabuntur de pinguedine domus tuæ*, & exponendo quod dicitur, addunt; *& torrente*, inundante impetu, *deliciarum tuarum*, spiritualium, *potabis eos*. Vbi clarè vides quòd intendunt non ex merito, non ex bonis operibus sed ex natura intellectiuæ animæ filios Adam fore in alia vita beatos.

Ex natura animæ intellectiuæ, non ex merito aut operibus homines in altera vita beari censent isti.

Et vt hoc magis suadeant afferunt quartò rationem ex parte spiritualis status quem proculdubio assequentur omnes animæ humanæ, qui status communis ac naturalis est omnibus substantiis spiritualibus. Et intendunt quòd spiritualis status est plenus vitæ & luminis ex sua naturali propinquitate ad Deum: ac per hoc nulla substantia spiritualis habens spiritualem statum (hoc est modum essendi) particeps est mortis aut tenebrarum, sed omnes sunt beatæ, plenæ vitæ & luminis. Ideo aiunt: *satiabuntur quia tecum fons vitæ*, hoc est, quia spiritualis status tibi simillimus (nam *spiritus est Deus*) est fons vitæ: omnis siquidem vita quorumcunque viuentium ex spiritu est: ac per hoc quicunque tecum, id est, in spirituali est statu, est *in fonte* non in riuulis vitæ: in quibus sumus nos, partim vitam & partim mortem experientes in nobis. *Et in lumine tuo videbimus lumen*. Modò non videmus lumen sed phantasmata quæ sunt intelligibilia obscurissima: nec videmus in lumine diuino, hoc est, claro, sed sicut in lumine crepusculi nocturni videmus in lumine intellectus agentis: in alia autem vita videbimus obiectiuè lumen, intelligibilia secundùm se clara, & in lumine claro puritatis spiritualis, quod vocatur lumen Dei. Hoc est dictum rebellionis impio, ad suadendam libertatem peccandi. Vbi etiam aduerte quòd inducuntur impij isti alloquentes Deum: vt intelligas securitatem animi eorum, qua putantes se rectè dicere, audent conferre hæc cum Deo.

Ioann. 4. Omnis vita ex spiritu est.

Lumen diuinum.

Vers. 10. TRAHE GRATIAM TVAM. Tractatur hîc iterum dictum rebellionis ad confutandum ipsum, ita quòd incipit nunc loqui Propheta, respondendo singulis rationibus impiorum. Vbi aduerte (vt patet ex dictis) impios argumentatos esse ex quatuor capitibus: Propheta autem explicitè respondet tribus eorum. Quarto autem (scilicet homines & iumenta saluabis Domine) non aliter respondet: quoniam ex responsione ad primum, satisfit etiam illi argumento.

Respondet Propheta rationibus impiorum.

Ad primum.

Primum ergo argumentum impiorum assumebat quòd Deus continet gratiam, iustitiam & veritatem, &c. non communicans ista communiter generi humano. Respondet Propheta falsum esse assumptum: quia Deus omnibus hominibus quantumcunque minimis & vilibus (dispositis tamen) communicat dona gratiarum suarum: iustitiam, veritatem, gratiam, &c. Et hoc est quod dicit alloquens Deum: *Trahe*, ad modum trahentis communica *gratiam tuam*, vt rem tractam, *scientibus te*, scientiâ fidei: ecce dispositi in intellectu ad quos gratia trahitur à Deo; *& iustitiam tuam rectis corde*: ecce dispositi in voluntate. Et describitur communicatio horum donorum ad similitudinem *trahentis*: vt intelligas supernaturalitatem donorum, quæ oportet trahi, quasi violentiam pati ad hoc vt descendant ad nos. Vide quoque dispositos describi in intellectu & in affectu: & considera quòd sicut naturæ bona non communicantur nisi dispositis, ita par est vt dona diuinæ gratiæ communicentur solis dispositis: sibi autem imputet quicumque ponit obicem Et per hoc satisfit motiuo de communibus hominibus & brutis: quoniam ij ad quos trahitur gratia & iustitia Dei, facilè intelligunt qualiter homo propter temporalia bona debeat se habere ad Deum.

Secundum argumentum fuit ex parte nobilitatis animæ intellectiuæ: quæ quia communis est omnibus hominibus, omnes homines reddet beatos. Respondet Propheta attendendam esse qualitatem morum, & non sufficere qualitatem naturæ: ita quòd si anima malis moribus imbuitur, non saluatur ex nobilitate naturæ. Hanc responsionem intendit significare, explicando deliberationem studij proprij ad cauendum à peccatis; Tum velut ab intrinseco nascentibus, dicendo: *Non veniet mihi pes superbiæ*, ad hoc studeo ne *pes*, id est, affectus superbiæ surrepat mihi. Tum ab extrinseco suasis: *& manus impiorum non mouebit me*, à recto. Ac si apertè diceret: Ego habeo animam intellectiuam, & studeo ad cauendum à peccatis intùs & extrà: quia scio quòd Deus non attendit naturam animæ sed iustitiam, cuius prima pars est declinare à malo.

Ad secundum.

Tertium argumentum fuit ex parte spiritualis status in altera vita: vtpote quia plenus vitæ & luminis beatus erat. Respondet Propheta: *Ibi*, in illo statu spirituali, *ceciderunt operantes iniquitatis*: hoc est, dæmones, substantiæ spirituales, qui fuerunt primi operarij iniquitatis. Nec solùm ceciderunt, sed *impulsi sunt*, in perpetuam obstinationem, & *non potuerunt surgere*. Ex quo apparet falsum esse quòd status spiritualis ex hoc quòd est propinquissimus Deo reddat spirituales substantias beatas: experientia siquidem cadentium in tali statu dæmonum, testatur falsum esse dictum impiorum.

Ad tertium.

Aduerte hîc quòd status spiritualis est plenus vitæ naturalis, quia est immortalis: & est plenus luminis naturalis, quia nullæ sunt ibi tenebræ phantasmatum. Cum hoc tamen stat quòd sit ibi defectus vitæ beatæ, quòd sit ibi defectus luminis supernaturalis, quòd sint ibi tenebræ peccatorum, quòd sit ibi mors, id est, afflictio animæ & priuatio vitæ beatæ. Et hoc est in quo paralogizauerunt impij, non discernendo inter vitam lumenque naturæ, & vitam lumenque gratiæ. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *David.*

XXXVI.

*OLI æmulari in malignantibus: neque zelaueris facientes iniquitatem.*

2 *Quoniam tanquam fœnum velociter arescent: & quemadmodum olera herbarum citò decident.*

3 *Spera in Domino & fac bonitatem: & inhabita terram, & pasceris in diuitiis eius.*

4 *Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui.*

5 *Reuela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet.*

6 *Et educet quasi lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiẽ: subditus esto Domino, & ora eum.*

7 *Noli æmulari in eo qui prosperatur in via sua: in homine faciente iniustitias.*

8 *Desine ab ira & derelinque furorem: noli æmulari vt maligneris.*

9 *Quoniam qui malignantur exterminabuntur: sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram.*

10 *Et adhuc pusillum & non erit peccator: & quæres locum eius & non inuenies.*

11 *Mansueti autem hæreditabunt terram: & delectabuntur in multitudine pacis.*

12 *Obseruabit peccator iustum: & stridebit super eum dentibus suis.*

13 *Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit quòd veniet dies eius.*

14 *Gladium euaginauerunt peccatores: intenderunt arcum suum.*
Vt decipiant pauperem & inopem: vt trucident rectos corde.

15 *Gladius eorum intret in corda ipsorum: & arcus eorum confringatur.*

IVXTA HEBRÆVM.

Dauidi.

XXXVII.

studio

1 *Propheta.* ALEPH. NE commiscere in malignantibus: ne æmulare in faciẽtibus iniquitatem.

2 *Caph.* Quoniam sicut herba citò succidentur: & sicut herbæ viror arescent.

3 BETH. Confide in Domino [4], & fac bonum: habita terram, & pasce te veritate.

4 *Vau.* Et deliciare super Domino [4]: & dabit tibi petitiones cordis tui.

5 GHIMEL: Volue super Dominum [4] viam tuam, & confide super eo: & ipse faciet.

6 *Vau.* Et educet sicut lumen iustitiam tuam: & iudicia tua sicut meridiem.

7 DALETH. Tace Domino [4] & expecta ipsum †: ne commiscete in proficiente via sua, in viro faciente quicquid cogitat cogitationes. † *ipsi.*

8 HE. Relaxa à furore & relinque iram: ne commiscere tantùm ad malefaciendum.

9 *Caph.* Quoniam malignantes excidentur: sperantes Domini [4], ipsi hæreditabunt terram.

10 VAV. Et adhuc modicum, & non erit impius: & intelliges super loco eius, & non ipse erit.

11 *Vau.* Et humiles hæreditabunt terram; & deliciabuntur super multitudine pacis.

12 ZAIN. Cogitans erit impius de iusto: & frendens super eum dentibus suis.

13 *Aleph.* Dominus † deridebit eum †: quoniam vidit quoniam veniet dies eius. † *Domini mei.* † *ei.*

14 CHETH. Ensem aperuerunt impij & tetenderunt arcum suum: ad faciendum cadere pauperem & mendicum, ad laniandum rectos viæ.

15 *Cheth.* Ensis eorum ingredietur in cor eorum: & arcus eorum confringentur.

16 TETH.

16 *Melius est modicum iusto: super diuitias peccatorum multas.*

17 *Quoniam brachia peccatorum conterentur: confirmat autem iustos Dominus.*

18 *Nouit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit.*

19 *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis saturabuntur: quia peccatores peribunt.*

20 *Inimici verò Domini mox vt honorificati fuerint & exaltati: deficientes quemadmodum fumus deficient.*

21 *Mutuabitur peccator & non soluet: iustus autem miseretur & retribuit.*

22 *Quia benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei, disperibunt.*

23 *Apud Dominum gressus hominis dirigentur: & viam eius volet.*

24 *Cum ceciderit non collidetur: quia Dominus supponit manum suam.*

25 *Iunior fui, etenim senui: & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.*

26 *Tota die miseretur & commodat: & semen illius in benedictione erit.*

27 *Declina à malo & fac bonum: & inhabita in sæculum sæculi.*

28 *Quia Dominus amat iudicium, & non derelinquet sanctos suos: in æternum conseruabuntur.*
Iniusti punientur: & semẽ impiorũ peribit.

29 *Iusti autem hæreditabunt terram: & inhabitabunt in sæculum sæculi super eã.*

30 *Os iusti meditabitur sapientiam: & lingua eius loquetur iudicium.*

31 *Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius.*

32 *Considerat peccator iustum: & quærit mortificare eum.*

33 *Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum cùm iudicabitur illi.*

34 *Expecta Dominum & custodi viam eius, & exaltabit te vt hæreditate capias terram: cum perierint peccatores videbis.*

35 *Vidi impium superexaltatum & eleuatum sicut cedros Libani.*

est
16 TETH. Melius paucum iusto, quàm copia malorum multorum.

17 *Caph.* Quoniam brachia impiorum confringentur: & sustentans iu-
est
stos Dominus [4].

18 IOD. Noscens Dominus [4] dies perfectorum: & hæreditas eorum æterno erit.

19 *Lamed.* Non erubescent in tempore mali: & in diebus famis saturabuntur.

20 CAPH. Quia impij peribunt: & inimici Domini [4] velut preciosum arietum finiti sunt, in fumo finiti sunt.

21 LAMED. Mutuatus impius & non soluet: & iustus miserans & dans.

22 *Caph.* Quia benedicti eius hæreditabunt terram: & maledicti eius succidentur.

23 MEM. A Domino [4] gressus viri firmati sunt: & viam eius volet.

24 *Caph.* Quando cadet non deiicietur:
est
quia Dominus [4] sustentans manum eius.

25 NVN. Puer fui, etiam senui: & non vidi iustum derelictum, & semen eius quærens panem.

est
26 *Caph.* Tota die miserans & mutuans:
erit
& semen eius benedictioni.

27 SAMECH. Cessa à malo & fac bonum: & habita sempiterno.

est
28 *Caph.* Quia Dominus [4] diligens iudicium: & non derelinquet gratiosos suos, æterno custoditi sunt, & semen impiorum succisum est.

29 ZADI. Iusti hæreditabunt terram: & habitabunt sæculo super eam.

30 PE. Os iusti loquetur sapientiam: & lingua eius loquetur iudicium.

31 THAV. Doctrina Dei ipsius in corde eius: non labetur gressibus suis.

erit
32 *Zadi.* Aspiciens impius iustum †: † *insto.*
& quærens ad faciendum mori ipsum.

33 *Iod.* Dominus [4] non derelinquet eum in manu eius: & non con-
ab aliis
demnabit eum in iudicari ipsum.

34 *Coph.* Spera ad Dominum [4] & custodi viam eius: & exaltabit te ad hæreditandum terram, in excidi impios, videbis.

35 *Res.* Vidi impium robustum & radicatum sicut arborem frondosam.

36 *Vau.*

36 *Et transiui,& ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius.*

37 *Custodi innocentiam & vide æquitatem: quoniam sunt reliquiæ homini pacifico.*

38 *Iniusti autem disperibunt: simul reliquiæ impiorum interibunt.*

39 *Salus autem iustorum à Domino: & protector eorum in tempore tribulationis.*

40 *Et adiuuabit eos Dominus & liberabit eos, & eruet eos à peccatoribus & saluabit eos: quia sperauerunt in eo.*

36 *Vau.* Et transiuit, & ecce non ipse non mansit: & quæsiui eum,& non inuentus est est.

37 *Scin.* Custodi perfectum & vide rectum: quia finis viro est pax.

38 *Vau.* Et rebellantes deleti sunt pariter: & finis impiorum incisus est.

39 *Vau.* Et salus iustorum à Domino [4]: est roboratio eorum in tempore angustiæ.

40 *Vau.* Et adiuuit eos Dominus [4] & liberauit eos:& liberabit eos ab impiis & saluabit eos, quia sperauerunt in eo.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Dauidi.* Ex quo patet auctor Psalmi.

Materia. Circa materiam Psalmi,ex ipso decursu Psalmi manifestè patet quòd est moralis. Et est editus à Dauide iam sene: vt in 36. versiculo ipse testatur, *puer fui etiam senui.* Expertus quippe diuinam veracitatem in seipso, monet populum veteris Testamenti ad inhærendum Deo,& ad declinandum à studiis malignorum: quia iustorum sunt bona præsentis vitæ, iniquorum autem mala. Hæc est ad literam materia Psalmi.

Dauid iam senex monet populum vt adhæreat Deo.

Vbi nota quòd status veteris Testamenti erat adeò imperfectus vt trahendi essent Iudæi ad cultum Dei & bonos mores promissionibus bonorum temporalium,& retrahendi à malis operibus metu pœnarum temporalium:& propterea in fine Deuteronomij multis capitulis ponuntur hæ promissiones & comminationes. Vnde sequitur quòd tunc temporis regulariter & per se,temporalia bona erant iustorum: & similiter temporalia mala iniquorum,Deo sic statuente. Et propterea tunc iustitia erat velut causa per se productiua bonorum temporalium,meritoriè tamen:& similiter iniquitas erat per se causa malorum temporalium. Ita quòd sicut verè dicimus in naturalibus quòd oliua oliuam,bos bouem,& homo hominē generat(quamuis per accidens aliter quandoque eueniat) ita verum erat tunc dicere quòd iusti prosperarentur in temporalibus & iniusti deprimerentur & exterminarentur.Et hęc sint dicta pro literali intellectu tot assertionum quæ in hoc Psalmo explicantur de prosperitate iustorum & exterminio iniquorum: quoniam veræ erant pro illo tempore. Et propterea Psalmus iste non dirigitur ad singularem aliquam personam, sed ad populum veteris Testamenti. Et est Psalmus iste canticum quoddam fundatum super benedictionibus & maledictionibus Deuteronomij, quas constat ad populum dirigi.

Iudæi ad bonū promissionibus bonorū temporalium alliciendi: à malo verò comminationibus pœnarū temporalium auertendi.

SVMMARIVM EST.

Propheta imperfectum veteris Testamenti populum monet ad non imitandum iniustos & ad sperandum in Deo, sectando iustitiam: quia iniustis mala temporalia, iustis verò bona temporalia decreta sunt à Deo.

Persona loquens Propheta est.

Aduerte quoque quòd hic est tertius Psalmus alphabeticus:vt patet in translatione Hieronymi.

Psalmus Alphabeticus.

Vers. 1. Ne commiscere in malignantibvs.Diuiditur Psalmus iste in partes duas:propositiuā materiæ,& executiuā,ibi,*deliciare.* Proponit quatuor, scilicet duo genera studiorum. Alterum imitandi iniquos, & hoc proponit prohibendo. Alterum inhærendi Deo & faciendi bonum;& hoc exhortando. Duo reliqua respondent duobus primis. Nam alterum est pœna iniquorum,quę proponitur ad retrahendum homines à malo studio. Alterū est præmiū ad alliciendū ad bonū studiū.

Prohibendo itaque imitationem iniquorū ait: *Ne commiscere,*studio similium affectuum & operum,*in malignantibus,*machinantibus ad malum: *ne æmulare,*imitari,vel superare volens,*in facientibus iniquitatem.* Malignitas intùs,facere iniquitatem extrà est.Ecce pœna:*Quoniam sicut herba agri,citò succidentur,*sicut secatur pratum:*& sicut herba viror arescent.* Herba enim sui viroris causam minus fixā habens,facilè arescit.Et fundantur hæ similitudines super hoc quòd iniquorū bona temporalia nō habent causam fixā in ipsis impiis: quoniam non habent iustitiā,quæ tunc temporis erat per se causa eorum. Alterum studiū:*Confide in Domino & fac bonum: confide* in animo,& *fac bonum* in opere: vtramque partem requirit hoc studium.Ecce præmium *Habita terram,*promissionis quam Deus dedit tibi,*& pasce veritate:*hoc est,pasce teipsum & alios veritate diuinarum promissionum ac beneficiorum. Ambo hæc (scilicet habitare terram,& pascere seipsos & spiritualibus & temporalibus bonis diuinā veritate promissis in Deuteron.)erant præmia iustorum.

Imitationem iniquorum prohibet.

Vers.4. Deliciare svper Domino. Incipit hic pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula,*confide in Domino,*&c.absolutè: secundò tractatur cum sua pœna illa particula, *ne commiscere,*&c.ibi,*ne commiscere:* tertiò tractatur relatiuè ad iniquos illa particula, *confide in Domino,*ibi,*cessa à malo.*

Monet Propheta ad studium diuinorum absolutè in vtroque statu, scilicet quietis & perturbationis. *Quietis* quidem: *Deliciare super Domino*, delicias tuas accipe super Deo datore & seruatore deliciarum. Plus præcipit quàm delecta-

Sit Deus deliciæ hominis. rij in Deo, quanto plus est deliciari quàm delectari. In quo affectum iubet sic profusè apponi diuinis vt Deus sit deliciæ hominis. Et ecce fructus: *& dabit tibi petitiones*, non petitionem vnam, sed omnes, *cordis tui*, etiamsi ore non petieris. In statu verò *perturbationis*: *Volue super Dominum viam tuam*. Metaphoricus est sermo, ad similitudinem vertentis pondus aliquod super sustentantem basim. Quòd dixit Petrus Apostolus *omnem sollicitudinem vestram in eum proijcientes*, hoc Propheta dicit: *volue super Dominum*, sustentaturum, *viam tuam*, in qua turbaris, causam tuam, curam tuam: *& confide super eo*, non hæsitando. Ecce fructus: *& ipse*, Dominus, *faciet*, opere adimplebit quod est faciendum in tali negotio. Et in specie: *& educet sicut lumen iustitiam tuam*, si opprimitur & occultatur iustitia causæ tuæ, educet sicut lumen, manifestabit clarè sicut manifestatur lumen. *Et indicia tua*, hoc est, pro te, in tui fauorem, manifestabit *sicut meridiem*, lucem clarissimam. Interim tamen, *tace Domino*, hoc est, sine querula voce sustine, noli interim murmurare, & *expecta ipsum*, Dominum. In Hebræo habetur in datiuo *ipsi*. Expertus fuerat hæc Dauid in persecutione quam passus fuerat à Saule: tacuit enim & expectauit confidens in Domino: & tandem iustitia eius deducta est in lucem, & vindictæ apparuerunt pro Dauide.

1. Petr. 5. 7.

Vers. 7. Ne commiscere in proficiente via sva. Tractatur hîc studium prohibitum in illa particula, *ne commiscere in malignantibus*, &c. Et tractatur simul cum propositis ibi pœnis, tali ordine: Primò explicitè prohibetur huiusmodi studium pro quanto oritur ex amore temporalis boni: *Ne commiscere in proficiente via sua*, hoc est, cum homine cui prosperè succedunt desideria eius: *faciente cogitationes*, hoc est, faciente quæcunque cogitat, siue bona siue mala. Homines enim cui omnia prosperè succedunt, audent attentare quæcunque cogitant: prohibet Propheta vt non moueatur homo amore similis prosperitatis ad commiscendum studia sua cum huiusmodi iniquis. Deinde prohibet ne moueatur tristitiâ. Contingit vt homo qui non mouetur amore huiusmodi prosperitatis absolutè, moueatur tristitiâ: videndo enim iniquum proficientem, honorari, laudari, &c. & se non æstimari, tristatur, indignatur, irascitur, furit: & inde mouetur ad mala studia qui simplici amore temporalium non mouebatur. Contra hanc radicem subiungit Propheta: *Relaxa à furore*, causato ex descripta tristitia, mitiga furorẽ, *& relinque iram*. *Ne commiscere*, studiis tuis, *tantum ad malefaciendum*. Ac si apertè diceret: esto quòd indigneris de prosperitate iniquorum, quia tu despiceris, tantùm hoc effice, ne commiscere ad malefaciendum: hoc enim esset intolerabile: tristitia autem & parua indignatio tolerabiles sunt: & proptereà dixit, *relaxa a furore*.

Ad prosperitatem impij, ne tristeris.

Secundò reddit rationes multas huius prohibitionis. Prima est ex parte terræ promissionis: *Quoniam malignantes excidentur, sperantes Domini ipsi hæreditabunt terram*. Et hæc clarè patet in Deuteronom.

Cur impiorũ societatem prohibeat, rationes variæ.

Secunda ex differentia status impij & iusti secundùm caducitatem & stabilitatem. De caduco statu impij ait: *Et adhuc modicum*, temporis, *& non impius*, supple erit: *& intelliges*, considerabis, *super loco eius*, super felici statu ipsius, *& non ipse*, inuenietur in eo. Quo contra de iustis: *Et humiles*, corde, *hæreditabunt terram*, hæreditate diuinâ possidebunt terram promissionis: in quo firmitas hæreditaria describitur. *Et delectabuntur super multitudine pacis*, hoc est, tranquilli status.

Tertia ex vanitate machinationum impij aduersus iustum: *Cogitans impius iusto*, hoc est, de iusto, contra iustum: *& frendens super eum*, iustum, *dentibus suis*, erit. Audisti machinationem, ecce vanitas: *Dominus deridebit eum*, impium machinantem: hoc est, ad modum deridentis pro nihilo æstimabit eum: *quoniã vidit quod veniet dies eius*, dies ruinæ impij. Et intendit per hoc dicere quòd Deus disponit prouidentiâ suâ quòd antequam impius exequatur quæ cogitauit contra iustum, veniet dies ruinæ eius. In quo explicatur diuina cura quam habet de iustis. Et scito in Hebræo haberi *deridebit ei* in datiuo.

Quarta ex vanitate conatus impiorum aduersus iustos: *Ensem aperuerunt*, extrahendo de vagina *impij*, *& tetenderunt arcum suum*: hoc est, plus quàm machinati, *ad faciendum cadere pauperem & mendicum*, personas dignas miseratione: *ad lacerandum rectos viæ*, humanorum operum, quos debebant honorare. Audisti conatum, ecce vanitas cum vindicta: *Ensis eorum ingredietur in cor*, in partes vitales, *eorum*: *& arcus eorum confringentur*, in ipsa tensione. Vbi aduerte quòd super promissiones Deuteronomij Dauid loquitur, expertus hæc in persecutionibus quas passus fuerat à Saule. Et declarat prouidentiam diuinam vario modo occurrere: vel impediendo, vt fractio arcus signat: vel vindicando, vt gladius intrans in cor denotat: vel differendo, vt præueniens dies eius insinuat.

Vers. 16. Melivs pavcvm ivsto. Quinta ratio ex parte diuinæ assistentiæ in pugna, subditur: *Melius*, supple est, *paucum*, gentis, *iusto*, in bello: *quã copia malorum multorum*. Hæc etiam est vna promissio Deuteronomij: persequentur quinque de vestris centum alienos. *Quoniam brachia impiorum*, quantumcunque multorum, *confringentur*: *& sustentans iustos Dominus*.

Sexta ratio ex parte bonæ durationis. *Noscens*, notitiâ prouisionis, *Dominus dies perfectorum*, hoc est, perfecto corde ambulantium coram eo: *& hæreditas eorum*, diuinorum bonorum, *æterno erit*. Ita quòd *non erubescent in tempore mali*, cuiuscunque generis: *& in diebus famis*, non solùm non egebunt, sed *saturabuntur*. Quo contra de impiis: *Quoniam impij peribunt*: *& inimici Domini velut pretiosum arietum sicuti sunt, in fumo finiti sunt*. Pretiosum arietum appellatur adeps arietum: quę incendebatur in sacrificio ad honorem Dei & euanescebat in fumo. Iuxta hanc similitudinem describit Propheta inimicos Domini consumi citò & euanescere in fumo vanæ gloriæ.

Pretiosum arietũ quid?

Septima ratio ex parte vtilitatis. *Mutuatur impius*, ab altero mutuum accepit, *& non soluet*, reddendo mutuum: hoc enim crebrò accidit. Quo contra, *& iustus* soluet debitum cuicumque debet: & præter hoc *miserans*, hoc est, effundet de suo in operibus misericordiæ, *& dans*, liberali largitione. Vbi vides opes iusti vtiles aliis: opes autem impij non solùm inutiles, sed non reddentes debitum: impij enim etiam diuites non curant soluere debita.

Iusti opes alijs vtiles, impij verò opes etiam ei inutiles.

Octaua ratio ex benedictione & maledictione: *Quia benedicti eius*, scilicet, Dei, *hæreditabunt terram*, promissionis: *& maledicti eius succidentur*, de eadem.

Nona

Nona ex directione viæ: *A Domino gressus viri*, probi *firmati sunt*, in hac vita: *& viam eius*, iusti, *volet*, diriget Deus. Ita quòd *quando cadet, non deiicietur: quia Dominus sustentans manum eius*, iusti cadentis antequam deiiciatur. Metaphorica est locutio ad similitudinem præuenientis ad sustinendam manum eius qui cespitat.

Decima & vltima ratio ex parte diuinæ curæ respectu iusti & in seipso & in eius semine. *Puer fui, etiam senui: & non vidi iustum derelictum*, in eius necessitatibus, *& semen eius*, similiter non vidi, *quærens panem*, mendicans. Et ratio est: *Tota die miserans*, respectu personarum miserabilium, *& mutuans*, egentibus mutuò: *& propterea semen eius benedictiones*, à Deo promissæ seruant.

Duplex iustitiæ pars: cessare à malo, & facere bonum.

Vers. 27. CESSA A MALO. Tractatur hîc illa particula, *confide in Domino, & fac bonum*, cum suo præmio, tali ordine: Primò tractatur directè illa particula, *fac bonum*, iuncto præmio: deinde illa, *cõfide in Domino*, ibi, *spera*. Vt autem perfectè hortetur ad faciendum bonum, proponit integram iustitiam. *Cessa à malo*: hæc est prima iustitiæ pars: *& fac bonum*: hæc est altera. Et est sermo de bono & malo morali. Ecce reperitum præmium: *& habita sempiterno*, promissionis terram. Quod esse præmium iustitiæ, explanatur: *Quia Dominus diligens iudicium*, est, quamuis Deus non delectetur in pœnis peccatorum, amat tamen iudicium, reddere vnicuique ius suum, secundùm propria merita: & hinc sequitur, *Et non derelinquet gratiosos suos*, qui miserentur & commodant, sed *æterno custoditi sunt*, ad æternam hæreditatem promissionis terræ. Ecce ius redditum iustis. Iniustis autem: *semen impiorum succisum est*. Et quod dictum est in præterito, explanat etiam in futuro. *Iusti hæreditabunt terram, & habitabunt seculo super eam.*

Modus autem & ratio iustitiæ (ne vnicuique licentia detur appellandi iustum quem maluerit) explicatur: vt vel sic quilibet intelligat quod est malum à quo debet cessare, & bonum quod debet facere, vt sit iustus. *Os*, inquit, *iusti, loquetur sapientiam: & lingua eius loquetur iudicium. Doctrina Dei ipsius in corde eius, non labetur gressibus suis.* Ratio iustitiæ ponitur primò in corde, doctrina Dei: deinde ponitur in ore sapientia, & effectus sapientiæ iudicium: sapientis enim est iudicare: & hæc omnia ad hoc vt nec vnus quidem gressus affectus seu operis labatur. Nihil enim prodesset, in corde habere Dei legem, & in lingua sapientiam diuinorum & iudicium humanorum, nisi ad regulandos gressus animæ nostræ vteremur eis.

Ecce declarauit quod proposuit, *cessa à malo & fac bonum*: restabat declarare aliud assumptum: quòd quia Deus amat iudicium facere *non relinquet gratiosos suos*. Et propterea hoc declarans subiungit: *Aspiciens impius iustum, & quærens ad faciendum mori* ipsum, supple quandoque est. *Dominus non derelinquet eum*, iustum, *in manu eius*, impij: *& non condemnabit eum in iudicari ipsum.* Vbi sensus intentus est quòd Deus non permittet cùm iudicatur iustus iniquè, quòd damnatio illius habeat effectum: hoc enim est dictu, *non damnabit eum*, cum executionis effectu. In Hebræo habetur *iusto* in datiuo.

Sed multæ obiectiones occurrunt contra dictum hoc: nam Vrias Hethæus & Naboth damnati cum executione sunt iniustissimè: ita quòd Deus reliquit eos manibus impiorũ mori. Similiter Hieremias, Esaias (præter Amasa & Abner) iniustè ab iniquis occisi sunt. Verùm ex dictis patet responsio: quòd promissiones istæ quæ factæ sunt populo, non exigunt ad sui veritatem verificari in singulis, sed sufficit quòd verificentur vt in pluribus: sicut etiam hoc sufficit vniuersalibus institutionibus naturalibus: per accidens siquidem est quod in paucioribus euenit.

Non est opus vt promissiones factæ populo verificentur in singulis, sed vt in pluribus.

Cum hac tamen regula scito duo. Alterum est quòd hîc est sermo de iustis *simpliciter* & absolutè, & non de iustis *secundùm quid*: hoc est, in tali causa. Abner & Amasa, Naboth & Vrias, quamuis constet quòd fuerint iusti secundùm quid (hoc est, quilibet in illa causa pro qua passus est) non tamen constat an fuerint iusti *simpliciter*: de quibus Propheta loquitur. Et propterea definiuit iustum ex doctrina Dei in corde, &c. Alterum est quòd ij qui in veteri Testamento tantæ fuerunt perfectionis vt digni fuerint martyrio, pertinent ad statum noui Testamenti, cuius est perfectio gratiæ. Et propterea non est mirum si Esaias, Hieremias, Machabæi, & similes iusti non sunt à Deo custoditi ne occiderentur: quoniam tractati sunt sicut sancti noui Testamenti, Petrus, Paulus, &c. & non sicut homines imperfecti veteris Testamenti: quibus ob suam imperfectionem oportuit hæc temporalia auxilia promittere.

Quinã sancti veteris Testamenti pertineant ad Nouum?

Vers. 34. SPERA AD DOMINVM. Remansit particula illa, *confide in Domino*, postquam declaratum est *fac bonum*. Et propterea ad fiduciam in Domino simul cum præmio hortatur, adiungendo spei, curam viæ Dei. *Spera ad Dominum & custodi viam eius*, curam habe viæ ad Deum. Tanquam diceret: dixi, *confide in Domino*, scito fiduciam in Domino integrari ex spe in Deo & cura viæ eius. Et quantùm ad primum proponit præmium vtrinque: hoc est, & propriæ exaltationis, *& exaltabit te ad hæreditandum terram*: & videndi vindictam inimicorum, *in excidi impios videbis*: hoc est, videbis quando excidentur impij de terra. Et hoc suadet quia expertus est. *Vidi impium robustum & radicatum sicut arborem frondosam: & transiuit*, vir ille impius, *& ecce non ipse*, supple erat: *& quæsiui eum, & non inuentus*, supple est. Ad literam experimentum hoc vidit in Saule: quem vidit regem robustum, radicatum filiis & exercitu: & transiuit infra modicum tempus (40. scilicet annorum, vel circa) & destructus est ipse cum domo sua.

Impius comparatur arbori statim excidendæ.

Quantùm ad id verò quod dixerat, *& custodi viam eius*, declarando subdit: *custodi perfectum & vide rectum.* Hæc duo ad curam viæ Dei concurrunt: videre, discernere rectum ab obliquo (oportet enim per viam rectam incedere) & curam habere perfectionis, complementi integri, ne media via contingat deficere. Et siue per perfectum & rectum intelligas perfectionem & rectitudinem, siue tanquam in speculo perfectum virum & rectum virum intelligas, eadem sententia redit: secundus tamen sensus magis consonat literæ, subiungenti pro speculo & exemplo differentiam euenientium iustis rectitudinem perficientibus & euenientium iniquis. Vnde pro præmij exemplo subditur: *Quia finis viro pax.* Pacis nomine intellige tranquillitatem ordinis ferentem secum reliqua bona. Et intendit quòd sperans in Deo, curam habeat & rectitudinis & perseuerantiæ exemplo virorum rectorum & perfectorum: quia tandem finis viri probi erit pax, erit salus quieta.

Pax est finis probi viri.

Et hoc declarat primò ex opposito fine iniquorum: *Et rebellantes deleti sunt pariter, & finis impiorum incisus est.* Si historiã rei gestæ quæris, in promptu est Saul cum complicibus suis; ipsi enim rebelles Deo, deleti sunt pariter, & eorum finis (proles scilicet quæ remanserat) non perseuerauit, sed incisus est ne vltra progrederetur. Secundò ex integra diuina ope exhibitã & promissã iustis: *Et salus iustorum à Domino.* Quod supra dixerat *pax*, modò dicit *salus*. Sed quomodo *à Domino?* imprimis *roboratio eorum in tempore angustiæ*, supple est Dominus. Secundò, & *adiuuit eos Dominus*, ad bonum. Tertiò, & *liberauit eos*, à malis: nec solùm liberauit, sed & *liberabit eos ab impijs*, & *saluabit eos*, tandem. Ecce salus iustorum à Domino tot mediis effecta. *Quia sperauerunt in eo:* ecce meritum, quo differt iustus ab iniusto. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus Dauid in commemoratione.*

XXXVII.

2 *DOMINE ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me.*

3 *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam.*

4 *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum.*

5 *Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: sicut onus graue grauatæ sunt super me.*

6 *Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ: à facie insipientiæ meæ.*

7 *Miser factus sum & curuatus sum vsq; in finẽ: tota die contristatus ingrediebar.*

8 *Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus: & non est sanitas in carne mea.*

9 *Afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebam à gemitu cordis mei.*

10 *Domine ante te omne desiderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus.*

11 *Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum.*

12 *Amici mei & proximi mei: aduersum me appropinquauerunt & steterunt.*

13 *Et qui iuxta me erãt de longe steterunt: & vim faciebãt qui quærebãt animã meã.*
Et qui inquirebant mala mihi: locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.

14 *Ego autem tanquã surdus non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum.*

IVXTA HEBRÆVM.

Psalmus Dauidi ad faciendum recordari.

XXXVIII.

1 *Propheta.* DOMINE * ne in ira ne tua argue me: & in ira tua castiga me.

2 Quia sagittæ tuæ descenderunt in me: & descendit super me manus tua.

3 Non integritas in carne mea erit à faciebus iræ tuæ: non erit pax in ossibus meis à faciebus peccati mei.

4 Quia iniquitates meæ transierunt caput meum: quasi onus graue grauabunt plus me.

5 Fœtuerunt, computruerunt liuores mei, à faciebus insipientiæ meæ.

6 Tortus fui, incuruatus vsque valde: tota die niger ambulaui.

7 Quoniam lumbi mei impleti sunt vilipendio: & non est integritas in carne mea.

8 Debilitatus sum & contritus sum vsque valde: rugiji à sonitu cordis mei.

9 Domine † coram te omne desiderium meum: & suspirium meum à te non est absconditum. † *Domini mei.*

10 Cor meum circuiuit: dereliquit me vis mea & lux oculorum meorum, etiam ipsi non sunt mecum.

11 Amantes mei & socij mei è regione plagæ meæ stabunt: & proximi mei à longè steterunt.

12 Cespitificauerunt quærentes animæ meæ: & quærentes malum meum locuti sunt prauitates, & dolos tota die meditabuntur.

13 Et ego quasi surdus non audiam: & quasi mutus qui non aperiet os suum.

14 Et

15 *Et factus sum sicut homo non audiens: & non habens in ore suo redargutiones.*

16 *Quoniam in te Domine speraui: tu exaudies me Domine Deus meus.*

17 *Quia dixi nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commouerentur pedes mei, super me magna locuti sunt.*

18 *Quoniam ego in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper.*

19 *Quoniam iniquitatem meam annunciabo: & cogitabo pro peccato meo.*

20 *Inimici autem mei viuunt & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè.*

21 *Qui retribuunt mala pro bonis detrahebant mihi: quoniam sequebar bonitatē.*

22 *Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me.*

23 *Intende in adiutorium meum: Domine Deus salutis meæ.*

14 Et fui quasi homo qui non audiens:
sunt
& non in ore eius redargutiones.

15 Quoniam te Domine † expectaui: tu respōdebis Domine † Deus meus. † *Domini mei.*

de me
16 Quia dixi, ne fortè gaudebunt mihi: in labi pedem meum, super me magnificati sunt.

sum
17 Quia ego claudicationi paratus : &
est
dolor meus coram me continuè .

18 Quia iniquitatem meam annūciabo: solicitus ero de peccato meo.

19 Et inimici mei viui, roborati sunt: & multiplicati sunt osores mei falsò.

20 Et soluentes malum pro bono: impedient me pro meo sequi bonum.

21 Ne derelinque me Domine † Deus meus: ne elongare à me.

22 Festina auxilio meo, Domine † salutis meæ. † *Domini mei.*

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Psalmus Dauidi ad faciendum recordari.* De duabus primis dictionibus dictum est in aliis titulis. Restat declarare quid significet *ad faciendum recordari.* In hoc Psalmo cōmemorantur peccata Dauidis simul cum pœnis illatis ei à Deo. Et propterea materia recordationis præsentis Psalmi apparet quòd sit status olim Dauidis, cùm propter peccata sua punitus à Deo, recurrebat ad ipsum Deum. Ita quòd ad hoc tendit titulus quòd Psalmus iste editus est ad faciendum recordari ipsum Dauidem prioris sui status, quo propter peccata sua punitus à Deo, timebat amplius puniri: vtilis siquidem est huiusmodi recordatio, & frequens debet esse in animo eius qui peccauit.

Materia.

Recordatio status Dauidis, quando propter peccata sua punitus est à Deo.

Et quoniam constat ex titulo auctorem Psalmi esse Dauidem, & ex processu Psalmi ipsum commemorare propria peccata, nihilque dici ab ipso quod excedat personā ipsius, ideo ad literam Psalmus iste de Dauide tractat. Et quoniam ex multis versiculis apparet tractari statum Dauidis in persecutione quam passus est ab Absalom, propter crimina homicidij & adulterij quæ commiserat (vt prædixerat ei Nathan Propheta 2. Regum 12.) ideo materia huius Psalmi ad literam est recordatio illius status quo Dauid auditā coniuratione Absalom, cognouit se puniri à Deo propter peccata propria, & ad Deum recursum habuit, timens acriùs puniri.

SVMMARIVM EST.

Dauid videns comminatas sibi per Nathan pœnas incipere auditā coniuratione Absalom, timénsque ne Deus compleat quod inchoauit, petit ne iratus se castiget: tum quia merita pœna intolerabiles forent; tum quia inflictas infamia, deiectionis, ignominiaque pœnas complexus est diuino desiderio: tum quia amicos & inimicos tanquam surdus ac mutus sustinuit, expectans Dei voluntatem, anxiúsque de euentu rei propter illa quæ hinc & inde videbat. Et demum petit Deum sibi propinquum & festinum adiutorem.

Persona loquens Propheta est.

Domine ne in ira tva arg ve me. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *non integritas.* Proponit duo. Alterum est: *Domine ne in ira tua,* hoc est, in iustitia vindicatiua more irati, *argue me,* verbis sententiæ condemnatiuæ, *& in ira tua castiga me,* hoc est, & non more irati castiga me factis. Et manifestat per hoc timorem quem habet de ira & indignatione diuina. Ac si apertè diceret: argue me, castiga me, non tamen iratus & indignatus: iratus quippe & indignatus arguit & castigat exterminando, exercendo vindictam iuxta offensas. Et hoc timebat Dauid: ne Deus se castigaret quantùm mereretur, sed castigaret se paternè sine ira, sine indignatione. Aduerte quantum ad literam in textu Hebræo negationem illam *ne,* negare vtrumque verbum, scilicet, *argue,* & *castiga.*

Vers. 1.

Petit à Deo castigari paternè & sine ira.

Secundò proponit rationem duplicem prædictæ petitionis. Altera est: *Quia sagitta tua descenderunt in me.* Altera est: *& descendit super me manus tua.* Comminata mala Dauidi à Nathan Propheta vocat sagittas Dei: eo quòd ab ipso Deo directa sunt, & velut à remotis, à supernis descenderunt. Ac si diceret: Iam impletum est verbum Prophetæ tui: *Quoniam sagitta,* mala à te comminata per eum, *descenderunt in me,* tanquam sagittæ ab excelsis iactæ. Et similiter *descendit super me,* à supinis, *manus tua,* cœtus Absalom cum suis: hunc enim appellat *manum Dei,* eā ratione quia cognoscebat quòd erat instrumentum Dei ad puniendum se Dauidem.

Mala comminata, sagitta.

Vers. 3. Non integritas in carne mea. Incipit

Pars Executiua.

Incipit hîc pars executiua tali ordine : Primò tractatur illa particula, *ne in ira tua* , &c. Secundò illa, *quia sagittæ tuæ.* ibi, *fœtuerunt.* Tertiò illa, *& descendit super me manus tua*, ibi. *cor meum.* Quartò iterum ex affirmatione tractatur illa particula, *Domine ne in ira* , &c. (bis enim proposita fuit *ira*) ibi. *ne derelinque.*

Circa primum reddit rationem petitionis suę: quare scilicet precatus est ne iratus procedat contra se. Et est ratio quia nulla partium eius sufferre posset indignationem diuinam quam meretur propter proprium peccatum. Et hoc manifestat ex parte iniquitatum suarum ex magnitudine & pondere : quia maiores sunt ipso, & plus ponderant quàm ipse. *Non integritas.* nihil integri, erit *in carne mea* , in viribus meis imbecillioribus. *a faciebus iræ tuæ:* hoc est, si iratus processeris contra me , nihil erit integri in inferioribus partibus meis. Et similiter *non pax* , non salus, erit *in ossibus meis.* partibus firmioribus. *à faciebus peccati mei* , adulterij , homicidij. Nec refert per carnem & ossa intelligere non solùm firmiores partes animi & imbecilliores, sed etiam quascunque partes potestatis, virtutum, &c. ipsius, comprehendendo & inferiores & superiores. Intendit enim ad literam per hæc duo explicare quòd nihil sui sufferre posset iram Dei quam meretur ex suo peccato. Quod declarat : *Quia iniquitates meæ transierunt caput meum* , superauerunt supremũ mei. siue in animo , siue in posse, siue in sapere , &c. *quasi onus graue grauabuntur plus me*, plus quam vires meæ sufferant. Metaphoricus est sermo ad similitudinem oneris grauis positi super caput , excedentis vires hominis suppositi. Significantiusque dicit *grauabunt :* vt intelligas eum significare quòd si Deus iratus procederet contra ipsum . tunc inueniretur quasi onus intolerabile opprimere ipsum : interim autem quòd non apparet Deum procedere iratum, tolerabiles sunt sagittæ.

Ossa partes animi firmiores , caro imbecilliores significat.

Vers. 5. FOETVERVNT. Tractatur hîc illa particula , *sagittæ tuæ descenderunt in me.* Vbi considera ordinem. Reddidit rationem quare precatur Deum non irasci: reddit modò rationem, imò declarat rationẽ inchoatam quare mouetur ad huiusmodi petitionẽ. Et est quia iam videt inchoatam punitionem , iam experitur in se diuinas sagittas. Antequam sagittas & manum Domini experiretur, dixit *peccaui Domino :* vbi autem videt se puniri. & nescit quem exitum punitio habitura sit. non solùm petit euitationem iræ , sed enumerat pœnas amplexas: vt vel sic humano more prouocet ad compassionem.

Fœtuerunt , *computruerunt liuores mei.* Ordo præposterus : priùs putruerunt & deinde fœtuerunt. Prosequendo parabolam sagittarum , refert liuores vulnerum ex sagittis putruisse & fœtuisse: & hoc à facie insipientiæ Non retorquet in sagittantem , non retorquet in medicum tanquam minus bene curam egerit plagæ , sed in seipsum culpam reiicit, insipientiam suam accusans. Insipientia siquidem opponitur sapientiæ , quæ secundùm Deum de omnibus iudicat : & Dauid posthabito iudicio secundùm Deum , alienam vxorem inuasit & maritum occidit. Putredo autem & fœtor infamiam videntur significare publicam, quam incurrit Dauid propter hæc crimina : puniuit siquidem Deus eum etiam infamiâ publicâ.

Se solum accusat Dauid, nec in alios culpam suam reiicit.

Tortus fui, incuruatus vsque valde, tota die niger ambulaui. Infamiæ adiungitur deiectio à regno. Auditâ siquidem coniuratione Absalom existens in Hierusalem Dauid rex , non solùm tortus seu flexus, sed incuruatus valde fuit: quia non agebatur de aliqua depressione. sed de totali deiectione. Vnde ipse præueniens , videns se tam valde humiliatum egressus est Hierusalem ad similitudinem nigrorum: hoc est, lugens & mœrens, &c. Et propterea dicit: *tota die niger ambulaui*, obscurus, non claritate fulgens regiâ sed lugens.

Tertia pœna adiungitur : *Quoniam lumbi mei impleti sunt vilipendio.* Ad literam Absalom vt fœdaret patrem suũ, publicè dormiuit cum vxoribus Dauidis quas reliquerat in Hierusalem : & per hoc lumbi Dauidis, pars eius generatiua, impleta est vilipendio. Et quia nulla vxor eius remansit impolluta, subiungitur: *& non integritas in carne mea* , & nihil integritatis remansit in carne mea, in vxoribus meis: vxor enim caro est viri: vt Apostolus dicit.

Vxor caro est viri.

Inter has pœnas inflictas ei à Deo , interserit Dauid qualis tunc fuerit dispositio cordis sui, quæ partim apparuit ex signis exterioribus , partim autem fuit coram solo Deo. Vnde quoad exteriora dicit: *Debilitatus sum & contritus sum vsque valde* ; non ascendit equum, non armauit se, nõ muniuit se in ciuitate aut arce Sion, sed velut debilis, impotens & depressus, imò contritus, nudis pedibus, operto capite venerando arcam Domini, cessit. Quoad interna verò : *Rugiui à gemitu cordis mei* , non oris mei. Internus rugitus magni desiderij erga diuina. simul cum debilitate & contritione voluntaria , fuit & hominibus etiam tunc vtcunque manifestatus : dicente Dauide ad Sadoch : *Si dixerit mihi Dominus non places, præsto sum, faciat quod bonum est coram se*, 2. Regum 15. Et ne ficta hæc putes , Deum adducit in testem. *Domine coram te omne desiderium meum, & suspirium meum à te non est absconditum.* Vbi aduerte quòd more hominis mœsti non explicat sententias integras. sed putat se intelligi.

2. Reg. 15. 26

Vers. 10. COR MEVM CIRCVIVIT: Tractatur hîc illa particula, *& descendit super me manus tua:* ponendo in primis sub metaphora membrorum suorum, effectus huiusmodi manus. Et incipit à corde: *Cor meum circuiuit*, motum præternaturalem habuit Et prosequitur de virtute naturalium virium : *dereliquit me vis mea* , robur meum. Et vltra progreditur ad oculos, dicendo: *Et lux oculorum meorum*, & (quod plus est) etiam ipsi oculi, *non mecum*, supple sunt. Per quæ tria (cor, vim seu virtutem , & oculos) intendit aut describere seipsum ad similitudinem hominis, cuius cor laborat motu præternaturali, naturales vires deficiunt, lux oculorum deest, & etiam ipsi oculi patiuntur, vt totum se miserabilem fuisse in illo casu describat : aut describere quòd filius qui erat velut cor eius successurus in regnum, *circuiuit*, motum habuit præternaturalem contra eum. & quod dereliquit ipsum robur exercitus , quia sequebatur Absalom, & *lux oculorum* eius , Achitophel. De quo dicitur 2. Regum 16. *Consilium autem Achitophel quod dabat in diebus illis , quasi si quis consuleret Deum sic erat omne consilium Achitophel cùm esset cum Dauid*, &c. Et propterea hîc appellat ipsum lucem oculorum meorum. Quod autem subditur , *etiam ipsi oculi non sunt mecum*, alios videtur tangere consiliarios qui dereliquerunt eum : nullus enim legitur adhæsisse Dauidi nisi Cusi. Deinde explicat effectus horum trium

Miserabilis status Dauidis.

2. Reg. 16. 23

quæ

quæ dixerat, tali ordine: Primò describit seipsum auditâ coniuratione Absalom qualiter habitus fuerit ab amicis. *Amantes mei*, qui in veritate monstrabant mihi amorem, *& socij mei*, quos quasi socios habebam *è regione plagæ meæ stabūt*, hoc est, conuenerunt ad me tanquam ad videndum hominem percussum: sicut solent in repentinis casibus homines currere ad videndum, non ad consolandum sed ad mirandum. Et describitur hoc in futuro, ad denotandam perseuerantiam eorum in admiratione, non in adiutorio: multi enim amantes Dauidem perseuerabant amando & admirando. *Et proximi mei*, olim, *à longè steterunt*, nec etiam venerunt ad videndum.

Deinde narrat varia persecutionum genera quæ concurrerunt in eius deiectione. Et primum est facti: *Cespitificauerunt*, hoc est, cespitem fecerunt, *quærentes animæ meæ*. Quod verificatur tum in blandis attractionibus quibus Absalom quadriennio solicitauit corda virorum Israël, 2. Reg. 15. tum in ficto voto reddendo Domino in Hebron, vbi facta est coniuratio.

Secundum est verborum: *Et quærentes malum meum*, consultantes circa malum mihi inferendum, *locuti sunt prauitates*. Quod verificatur in consilio Achitophel: qui non erubuit suadere tam publicum incestum, apud omnes nationes prauissimum.

Tertium est meditationis: *& dolos tota die meditabuntur*. In futuro dixit quod erat præteritum, propter perseuerantem animum in dolis. Tanquam exaggeret quòd adhuc meditabuntur dolos: tota enim illa persecutio fundata fuit in dolo.

Qualis fuerit Dauid in persecutionibus.

Descripto quales fuerint alij erga se Dauidem, subiungit qualis fuerit ipse inter persecutiones. Describit autem se velut surdum & mutum, tum proposito, tum executione: *Proposito* quidem: *Et ego quasi surdus non audiam*. proposui, deliberaui non audire iniurias ac si essem surdus: *& quasi mutus* essem qui *non aperiet*, qui non potest aperire, *os suum*, ad loquendum. *Executione* autem: *Et fui quasi homo qui non audiens, & non sunt in ore eius redargutiones*. Quare autem proposuit & fecit sic, subiungit: *Quoniam ad te Domine expectaui, tu respondebis Domine Deus meus.* Vbi aduerte quòd ad literam Dauid describit seipsum qualis fuerit & corde & opere in egressu de Hierusalem; in quo tam patienter omnia sustinuit tanquam non audiret quæ audiebat, & tanquam mutus non posset redarguere: quod maximè apparuit in maledictionibus Semei. Vbi etiam expressè retulit causam suam in Deum: vt patet, 2. Reg. 16. Sed cū hac veritate non restringas hanc Dauidis expectationem ad solum factum Semei, sed intellige respectu totius negocij. Propter quod subdit: *Quia dixi, ne fortè gaudebunt mihi.* Iuxta historiam fugiens Dauid à Hierusalem, dubitauit an Deus per huiusmodi persecutionem motam ab Absalom vellet se Dauidem totaliter destruere vt meruerat. Et ratio dubitandi non solùm fuit quia nesciebat voluntatem Dei, sed etiā ex signis: videbat enim persecutores suos multiplicatos, confortatos, &c. seipsum autem velut præcipitem ad totalem ruinam. Vnde rationem sumptam ex his signis describit: *Quia dixi*, cogitaui, discussi mecum: *ne fortè gaudebunt mihi*, hoc est, de me dicti quærentes animam meam, hoc est, de quo dubitaui.

Primum autem signum fuit. Et *in labi pedem meū, super me magnificati sunt*. Lapsum pedis sui appellat ipsam primam deiectionem de ciuitate regia: in qua magnificati sunt persecutores eius. Aliud signum: *Quia ego claudicationi paratus.* Metaphoricè describit seipsum tuentem sicut debilis pede paratus est ad claudicandum. Iam dixerat pedem suum lapsum, & propterea consequenter describit plagam seu dolorem pedis siue tibiæ ex lapsu contractum, ita quòd non potest ambulare nisi claudicando: perditâ enim administratione regni non poterat nisi velut claudicans aliquid efficere. Et hinc sequitur aliud indicium: *Et dolor meus coram me continuè*. Materia doloris eius coram eo semper se præsentabat, cùm videret se non nisi claudicando efficere res suas: & continuè audiebat distinctiùs illam & illam & illam ciuitates sectari Absalom. Confirmatio autem indiciorum ex parte mei est: *Quia iniquitatem meam*, quâ hæc merui, *annunciabo*, egomet, nunquam negabo me totalem ruinam mereri: *solicitus ero de peccato meo*, an plenam ruinam inducat. Augentur quoque indicia ex parte inimicorum: *Et inimici mei viui*, non sicut ego destitutus: *& multiplicati sunt*, cùm ego paucos habeam, *osores mei falsò*, id est, cum multis fallaciis. *Et soluentes malum pro bono, impedient me pro meo sequi bonum.* Describit præteritum in futuro, propter perseuerantem voluntatem impediendi si possent. Et hoc dixit ratione aliquorum ingratorum qui erant in coniuratione Absalom, inchoando ab ipso filio: qui soluebat patri malum pro bono, & impediuit imò conatus est auferre regnum, quia Dauid erat nimis bonus, nimis indulgens filiis, non suspicans tantum facinus.

Vers. 21. Ne derelinque. Tractatur hîc iterum illa particula. *Domine ne in ira tua*: quia bis fuit proposita: Tractatur autem perficiendo petitionem illam. Petiit primò ne iratus se exterminaret. Animæquior factus auget modò petitionem dupliciter. Primò addendo duas alias negatiuas. Altera est: *ne derelinque me*, mihi ipsi. Altera est: *ne elongare à me.* Quandoque enim custos seu tutor quamuis non relinquat, elongatur tamen. Petit Dauid neutrum fieri: quia derelictus non potest subsistere: & etiamsi elongetur, multum timet. Quibus duabus negatiuis petit Deum sibi propinquum. Secundò magis audens, auget petitionem petendo affirmatiuam: *Festina auxilio meo Domine salutis meæ.* Vbi aduerte quòd prima petitio tendebat ad vitandum exterminium: hæ autem petitiones tendunt ad accelerationem auxilij diuini: periculum enim erat in mora. Et fuerunt omnes exaudite; nam citò Deus opem tulit, dissipans consilium Achitophel, quo fuisset statim oppressus Dauid: & non solùm saluauit eum tunc sed postea, & restituit in regnum citò. Amen.

Precatur Deum Dauid ne se relinquat, nec elongetur ab eo.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori pro Idithum Psalmus Dauid.*

XXXVIII.

2 *DIXI custodiam vias meas: vt non delinquam in lingua mea.*
Posui ori meo custodiam; cum consisteret peccator aduersum me.

3 *Obmutui & humiliatus sum & silui à bonis: & dolor meus renouatus est.*

4 *Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardescet ignis.*

5 *Locutus sum in lingua mea: notum fac mihi Domine finem meum.*
Et numerum dierum meorum quis est: vt sciam quid desit mihi.

6 *Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substãtia mea tanquam nihilũ ante te.*
Veruntamen vniuersa vanitas: omnis homo viuens.

7 *Veruntamen in imagine pertransit homo: sed & frustra conturbatur.*

8 *Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea: & nunc quæ est expectatio mea, nonne Dominus? & substantia mea apud te est.*

9 *Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti dedisti me.*

10 *Obmutui & non aperui os meum: quo-*
11 *niã tu fecisti, amoue à me plagas tuas.*
12 *A fortitudine manus tuæ ego defeci in increpationibus: propter iniquitatem corripuisti hominem.*
Et tabescere fecisti sicut araneam animam eius: veruntamen vanè conturbatur omnis homo.

13 *Exaudi orationem meam Domine & deprecationem meam: auribus percipe lachrymas meas.*
Ne sileas: quoniam aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei.

14 *Remitte mihi vt refrigerer: priusquam abeam & amplius non ero.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti Ieduthun Psalmus Dauidi.

XXXIX.

hoc scilicet
1 *Propheta.* DIxi: custodiam vias
ne peccem
meas: à peccando in lingua mea, custodiam ori meo
more bouis
fiscellam: donec impius coram
est
me.

2 Obmutui silentio: tacui à bono, & dolor meus conturbatus est.

3 Incaluit cor meum intra me, in meditatione mea ardebit ignis: locutus sum in lingua mea.

4 Fac scire me Domine[+] finem meum, & mensuram dierum meorum
est
quæ ipsa: sciam quanti temporis
ero
ego.

5 Ecce palmos dedisti dies meos, & tempus meum quasi nihil coram te: tantum tota vanitas omnis homo stans. *Selah.*

6 Tantum in imagine ambulabit vir, tantum vanitate tumultuabuntur:
vir est
cumulabit & non sciet cui congregans ea.

7 Et nunc quid speraui Domine †? ex- † *Domini mei.*
est
pectatio mea tibi ipsa.

8 Ab omnibus rebellionibus meis libera me: opprobrium stulti ne pone me.

9 Obmutui, non aperiam os meum: quia tu fecisti.

10 Fac cessare de super me plagam tuã: à prælio manus tuæ ego finitus sum.

11 In increpationibus super iniquitate castigasti virum, & liquescere fecisti quasi [3] tinea desideratũ eius: tantum vanitas homo. *Selah.*

12 Audi orationem meam Domine[4], & clamorem meum ausculta, ad lachrymam meam ne obsurdesce:
sum
quia peregrinus ego tecum, incola sicut omnes patres mei.
mala

13 Verte à me: & roborabor antequam
ero
ibo & non ego.

COM

COMMENTARIVS.

Tres Cantorum Principes. Asaph, Eman, Iduthun.

Titulus est: *Vincenti Ieduthun Psalmus Dauidi. Ieduthun* nomen principis Cantorum: Erant enim tres cantorum principes: scilicet Asaph, & Eman, & Iedutthun, 1. Paralip. 25. Et tam *Dauid* quàm *Ieduthun* est casus datiui. Ita quòd sensus tituli est: *Psalmus Dauidi*, tanquam auctori, & *Ieduthun vincenti*, præsidenti quo ad musicam attributus.

Materia.

Circa materiam Psalmi scito Psalmum satis obscurum. Quantùm tamen ex ipso apparet, tractat defectum humanorum studiorum ad cauendum à peccato & ad hoc quòd homo prouideat sibi: & propterea recurrendum esse ad diuinam gratiam tam circa mala culpæ, quàm circa mala pœnæ. Apparet autem hanc esse materiam Psalmi tum ex principio (in quo continetur tota vis Psalmi) *dixi custodiam vias meas:* tum ex studio subiuncto circa vitandum peccatum linguæ: tum ex studio circa prouisionem vitæ suæ, à quarto versiculo: vtrunque enim studium describitur defectiuum: tum ex conclusione quòd expectatio eius in Deo est: tum demum ex subiunctis correptionibus & petitionibus: vt patebit in progressu.

SVMMARIVM EST.

Propheta vbi narrauit se egisse personam arrogantis sibi custodiam viarum suarum, & prius quidem ne peccaret verbo expertam pertinax propositum non mordendi aliquem locutione, deinde verò vt prouideret sibi expertam ex notitia finis & commensuratione temporis studium, inuenisse ambo hæc studia deficere: narrat se nunc omnem spem suam in diuinam transferre gratiam, recognoscens errata in prioribus studiis, &c.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. Dixi custodiam vias meas. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *à peccando*. Proponit recitatiuè deliberationem propriam præteritam: *Dixi*, deliberaui, proposui. Et negocium deliberatum: *custodiam vias meas*, actiones meas, curam habebo actionum mearum. Aduerte hîc Prophetam induere personam hominis qui deliberauit habere curam actionum suarum. Et bene nota quòd persona ista inducitur dixisse: *custodiam*, ego proprio studio, propriis viribus, vias meas. Hæc est materia Psalmi.

Pars Executiua.

A peccando in lingva mea cvstodiam ori meo fiscellam. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò persona ista narrat studium suum quod adhibuit ne peccaret in locutione. Et narrando illud, monstrat simul defectum seu insufficientiam huius studij. Secundò narrat studium suum ad prouidendum vitæ suæ, monstrans simul eiusdem insufficientiam, ibi, *fac scire me*. Tertiò vertit se ad diuinam gratiam, ibi, *& nunc quod speraui Domine.*

Silentium contra locutionis peccatum remedium est efficacissimum.

Circa studium vitandi peccatum locutionis tali procedit ordine, quòd primò dicit supremum se adhibuisse remedium, scilicet, silentium: certum est enim quòd silens non peccat locutione. Vbi aduerte quòd quia peccatum locutionis habet pro subiecto locutionem, ideo persona ista supremum arbitrata est se adhibere remedium abdicando à se locutionem: non per abscissionem linguæ, sed per pertinax silentium: non quòd omnino silere decreuit, sed quòd nullum verbum displicens Deo vel homini decreuerit proferre. Et hoc significat ad similitudinem bouis capistrati fiscellâ, dicens: *A peccando in lingua mea*, ad declinandum peccatum in lingua mea, *custodiam*, tenaci animo, *ori meo fiscellam.*

Fiscella quid hic significet?

Fiscella enim est contexta ex iuncis seu funiculis: & apponitur pendens ante os bouis ne mordeat virentia virgulta. Et significat metaphoricè assumptum tenax silentium à verbis nociuis seu displicentibus velut impedimentum ad mordendum verbo, sicut fiscella est impedimentum ad mordendum dentibus.

Descripto remedio apposito ad vitandum peccatum locutionis, subiungit persona hæc triplicem casum occurrentem, ordinatè progrediendo. Primus est: *Donec impius coram me, obmutui silentio.* Et intendit quòd occurrentibus impiis (siue maledicendo, siue contumelias aut conuitia proferendo, siue quomodolibet aliter coram offendendo) ego seruans silentium nolens displicere vilui, despectus sum coram hominibus: hoc enim significat *obmutui silentio*, ad similitudinem obmutescentis erubui, vilui propter silentium. Ita quòd in hoc primo casu ex cautela sui studij incurrit hoc malum pœnæ quòd erubuit, vilipensus est.

Triplex casus.

Secundus casus progrediendo est: *Tacui à bono, & dolor meus conturbatus est.* Ordo præposterus. Primum dolor conturbatur: & propterea tacet bona quæ deberet loqui. Dicitur *dolor conturbatus* ad differentiã doloris quieti. Sicut enim aqua seu aër cõturbatus molestat, ita dolor animi conturbatus molestat & facit silere hominem vbi oporteret loqui bonum, vel ad diuinam laudem vel ad vtilitatem proximi. Vbi etiam attende progressum tam tristitiæ quàm silentij. *Tristitiæ*, quidem, quia occurrente impio tristatus est: postea autem tristitia conturbata est. *Silentij* verò: quia primum siluit: postea siluit à bono, nolens similiter displicere.

Tertius casus est: *Incaluit cor meum intra me, in meditatione mea ardebit ignis, locutus sum in lingua mea.* Et intendit quòd crescente meditatione, excanduit & erupit in loquelam. Vide progressum: Descripserat dolorem conturbatum: modò describit quòd ex calore cordis adiunctâ meditatione iniuriarum, accensus est in se ignis iracundiæ, & sic subsecuta est incontinentia locutionis. Et si bene perspexeris, naturales causæ iracundiæ describuntur. Altera ex passione, *incaluit cor meum:* altera ex mente, *in meditatione mea.* Et ipsa iracundia ad similitudinem ignis. Incontinentia tamen non valde immoderata significatur, dicendo *in lingua mea*, & non, dicendo *in ore meo*, tanquam non erupit in locutionem perfectam: quæ fit non sola lingua sed labiis, &c. Meminit enim se tenere fiscellam appositam ori, & propterea succensus irâ loquitur *in lingua* tanquam retinens adhuc fiscellam: hoc est, quòd quamuis non abiecerit propositum silentij, incurrit tamen ex passione iracundiæ violationem silentij in lingua. Vbi cernere potes prudens

Naturales iracundiæ causæ.

prudens lector quòd humanum studium ad silendum displicentia pro euitando peccato linguæ, annexa habet hæc tria inconuenientia quæ dicta sunt in his tribus casibus, scilicet pœnam vilipensionis passiuæ, culpam silentij à bono, & tandem incontinentiam murmuratem in lingua.

Vers. 4 FAC SCIRE ME. Narrato studio humano ad euitandum peccatum linguæ, subiungit eadem persona humanum studium ad prouidendum homini. Primum studium fuit ad vitandum malum: hoc autem est ad assequendum bonum. Sed nota differentiam; quòd primum studium narratum est deliberatiuè, *custodiam fiscellam ori meo*, vt non peccem: hoc autem introducitur deprecatiuè, ad significandum conatum humanum ad hoc studium: hoc est, quòd nullus potest sibi promittere huiusmodi studium sed conari ad illud. Quod ex principiis ipsius prouidentiæ quæ hîc desiderantur apparet. Conor in primis scire finem meum quem mihi præstituere debeo vt assequendum. Et est sermo de fine in hac vita. Difficile quippe est homini nosse quem finem sibi debeat præstituere assequendum in hac vita: scriptum est enim, Ecclesiastes 9. *Vidi sub sole nec velocium esse cursum, nec fortium bellum, nec sapientum panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam, sed tempus casumque in omnibus: nescit homo finem suum*, &c. Conor deinde scire mensuram dierum meorum: hoc est, scire commensurate qualitatem dierum meorum negotio seu dispositioni vitæ meæ. Conor & tertiò scire quantum mihi temporis superest ad viuendum, aliter enim oportet quòd disponat senex, aliter quadragenarius, aliter iuuenis de vita sua. Hæc tria sunt principia prouidentiæ humanæ, & nullum eorum est homini certum. Et propterea persona ista desiderando & precando insinuat conatum suum: *Fac scire me Domine finem meum, & mensuram dierum meorum quæ ipsa*, supple est: *sciam quantum temporis, ego superuicturus sum*. Ex rebus petitis intellige prudens lector quòd persona hæc non fundendo Deo preces hæc profert: sed vtitur modo petendi, vt ostendat conatum humanum & necessitatem ad horum trium notitiam pro habenda prouidentia sufficiente. Testatur quotidiana experientia conatum hunc: nam quilibet cupiens disponere de vita sua, primùm cogitat de fine quem potest adipisci: puta viuere de mercatura, aut de arte militari seu medicinæ, &c. & deinde cogitat commensurate qualitatem dierum suorum, operum, rerum, &c. ad ea quæ sunt opportuna ad talem finem, & in his omnibus attendit *quanti temporis ego*, quantum sibi superest temporis.

Difficile est homini nosse finem suum in hac vita.

Eccles. 9. 11.

Quisque cogitat de suo fine.

Narrato studio prouidendi, inducit occurrentia quæ impediunt huiusmodi studium. Et primò ex parte Dei, deinde ex parte hominis. Ex parte quidem Dei: *Ecce palmos dedisti dies meos.* Ego conor cognoscere qualitatem dierum meorum, & video te ordinasse quòd dies mei cognoscantur de palmo in palmum, de hora in horam; nescimus enim quid superuentura pariat hora. Video deinde: *Et tempus meum quasi nihil coram te*, æstimatur: hoc est, ita relinquis tempus vitæ meæ subiectum innumeris varietatibus, ac si pro nihilo illud habeas. Quod enim pro nihilo habetur, relinquitur, currat quomodo currat: quod autem charum habetur, non sic relinquitur. Ex parte hominis: *Tantum tota vanitas omnis homo stans*: hoc est, omnis homo stans in hac vita, tantùm est vanitas, non pars vanitatis sed tota: ita quòd omnis homo repletus est omni vanitate. Et intendit per hoc quòd homo secundùm suum esse subiectus est omni vanitati: & non solùm secundùm esse, sed etiam secundùm suum intelligere. *Tantum in imagine ambulabit vir.* Differentia inter rem & imaginem rei (inter Cæsarem & imaginem Cæsaris, inter diuitias & imaginem diuitiarum, inter cibum & imaginem cibi, & sic de aliis) monstrat quantùm differt ambulare in imagine & ambulare in ipsa rerum specie. Homo ambulat in imagine: quia in obscuritate & incertitudine euentuum ambulat: vnum imaginatur & aliud succedit: hoc est enim in imagine ambulare.

Tempus quasi nihil coram Deo.

Omnis homo vanitas.

Homo ambulat in imagine.

Amplius labor humanus etiam vanus subiungitur: *tantùm vanitate tumultuabuntur.* Tot tumultus bellici, tot tumultus negotiationum, solâ vanitate fiunt. Cuius signum subiungitur: *Cumulabit*, homo diuitias, status, regna, *& non sciet cui congregans* est *ea*: quod quotidie experimur. Vbi aduerte descriptum hominem secundùm esse, secundùm cognoscere, secundùm negotiari seu operari, esse solam vanitatem. Et dixit hæc omnia ad narrandum obstacula studij humani ad prouidendum vitæ suæ: tanta enim vanitas tantàque incertitudo monstrat huiusmodi prouidentiam multum deficere.

Nota atque lector quòd hæc duo studia humana quæ persona ista attentauit & experta est deficere, non solùm distinguuntur quia primum ad vitandum malum, secundum ad assequendum bonum tendit: sed quia primum ex parte operis tentauit prouidere (subtrahendo scilicet locutionem displicentem ne peccaret in lingua) secundum ex parte scientiæ seu prudentiæ tentauit prouidere: vt hinc intelligas prouidentiam humanam tam ex parte operis, quàm ex parte prudentiæ esse insufficientem: nec datur tertius modus prouidendi. Aduerte quoque quòd per hæc duo studia, intelligenda sunt ab horum exemplo reliqua humana studia. Quod enim de peccato locutionis vitando scriptum hîc est, idem intelligendum est de reliquis: puta si quis ad vitandum peccatum nocendi aliis, subtrahit se à publicis votis seu officiis iustitiæ; & sic de aliis: sic enim persona ista fecit, volens omnino silere quicquid alteri displicet seu nocet. Et hanc intelligo ad literam mentem esse Prophetæ: vt scilicet ab exemplo intelligamus reliqua. Cuius signum est quòd proposuit vniuersaliter, *dixi custodiam vias meas*: non has vel illas, non linguæ tantum aut manuum.

Vers. 7. ET NVNC QVID SPERAVI DOMINE? Transit persona hæc (postquam cognouit defectus humanorum studiorum) ad diuinam gratiam, tali ordine. Primò explicatur huiusmodi transitum: Secundò corrigit dicta in primo studio, ibi, *ab omnibus*. Tertiò corrigit dicta in secundo studio, ibi, *in increpationibus*. Dixerat, *dixi custodiam*, &c. Dixi olim: *& nunc* consideratis defectibus dico *quid speraui Domine*, pei studia mea? quasi dicat, vanum & mancum. Et propterea dico *nunc*. *Expectatio mea tibi ipsa*: hoc est, ipsa expectatio mea, ipsa suapte natura tibi reseruatur, ad te respicit, tu solus potes ei respõdere. *Ab omnibus rebellionibus* Arrogauerat sibi in primo discursu curam ne peccaret: recognoscens postea se multis peccatis subiectũ, à quibus se

se nō potest liberare, petit *ab omnibus rebellionibus meis libera me.* Incurrerat in eodem primo studio erubescentiam silendo coram impio, petit modò: *opprobrium stulti ne pone me.* Vbi petit ex gratia vt Deus seruet se ne fiat opprobrium hominum stultorum, tacendo aut respondendo. Incurrerat tertiò silentium à bono; quod & nunc repetit, confitendo *obmutui.* Incurrerat quartò incontinentiam loquendi. Quam nunc corrigit proposito: *non aperiam os meum*, ex incontinentia. Et, ratio subditur: *quia tu fecisti*, tu fuisti auctor initiorum, tristitiarum, dolorum: & propterea non debui silere à bono, nec debui murmurare, considerando *quia tu fecisti.* Vnde & peto: *Fac cessare de super me plagam tuam*, quæ est mihi occasio peccandi: *à prælio manus tuæ ego finitus sum.* Per quod declarat quòd non petit cessationem omnis plagæ, sed plagæ magnæ quæ consumit. Quasi dicat: magnitudo plagæ est mihi occasio peccandi, tolle quæso eam. Hæc quoad primum studium.

Sine loquendo, siue tacendo timet Dauid, ne fiat opprobrii hominum.

De secundo autem: *In increpationibus super iniquitate castigasti virum.* Retorserat in secundo studio causam improuidentię humanæ in Deum, *ecce palmos dedisti dies meos*, corrigit modò, confitens quòd propter iniquitatem hominis Deus puniuit genus humanum: vnde subsecutus est huiusmodi improuidentiæ defectus. Et loquitur ad literam de punitione hominis in primo parente. *In increpationibus*, multarum maledictionum, *super iniquitate* commissa, *castigasti virum*, primum parentem: *& liquescere fecisti quasi tinea desideratum eius. Liquescere fecisti*, ponitur causa pro effectu: niues enim quæ liquefiunt dissoluuntur & destruuntur. Et intendit quòd Deus inter alias pœnas effecit vt id quod est charum homini destruatur quasi à tinea: hoc est pariat sibi ipsi destructionem: tineæ enim est corrodere illud vnde nascitur: ita vt quod destruitur à tinea, pariat sibiipsi destructionem. Talia esse desideria nostra, experientia testatur: delectabilia enim quæ appetimus, pariunt destructionem delectabilium. *Extrema siquidem gaudij luctus occupat*: & *diuitiæ congregatæ in malum Domini sui*, &c. Et intendit quòd iniquitas hominis est causa miseriæ humanæ.

Tinea corrodit illud vnde nascitur.

Prouerb. 14. 13.
Eclis. 5. 12.

Et quia miseriæ humanæ relatæ ad naturam hominis absolutè sunt naturales consequentes ex necessitate naturæ, relatæ autem ad statum originalis iustitiæ sunt pœnæ (quia Deus huiusmodi miserias ademerat, & homo propria iniquitate eas ad se reuocauit) ideo Propheta vtrumque describit: prius quatenus sunt pœnæ, *in increpationibus*, &c. & modò quatenus sunt naturales, *tantùm vanitas omnis homo.* Ac si apertè diceret quòd licet errauerit retorquendo in Deum miserias nostras, quia pro iniquitate in pœnas dedit, verum tamen est quod omnis homo suapte natura non est nisi vanitas: ita quòd approbat quoad hoc superius dictum.

Proposuerat se prouisorem vitæ suæ: modò recognoscens se, humiliter totum se subiicit diuinæ gratiæ. Et primò quantùm ad mentem, *Audi orationem meam Domine:* oratio enim est eleuatio mentis in Deum. Secundò quantùm ad affectum: *& clamorem meum ausculta*, est enim sermo de interno cordis clamore. Tertiò quoad corpus, *ad lachrymam meam ne obsurdesce.* Orat, clamat, plorat petens audiri: *Quia peregrinus ego tecum, incola sicut omnes patres mei.* Vide correctionem. Vbi priùs arrogabat sibi studium ad prouidendum vitæ suæ, modò non solùm supplicem sed peregrinum se recognoscit ac exhibet: cuius non est prouidere sibi, sed vti iis quæ inuenit, iis quæ parantur ab aliis. Et ad literam persona confugiens ad diuinam gratiam, fatetur se peregrinum & incolam in hac vita: eo quòd non habet hîc manentem ciuitatem, sed futuram inquirit: vt Apostolus declarat de antiquis patribus, ad Hebr. 11. Vnde & Dauid, 1. Paralip. vlt. dixit: *peregrini enim sumus coram te & aduenæ sicut omnes patres nostri.*

Se totum subijcit Dauid diuinæ gratiæ.

1. Paralip. 29.

Nec prætereas quòd hæc professio peregrini corrigit directè, quod dixerat, & tempus meum quasi nihil coram te: fatetur enim suam vitam non tanquam nihil sit, sed tanquam peregrini sit haberi coram Deo. Vtrobique apposuit *coram te*: vt etiam ex verbis aduerteremus correctionem. Et verè sic habemur coram Deo: quoniam præsens vita pro peregrinationis itinere data est nobis, ad eundum in cœlestem patriam, quamdiu enim sumus in corpore, peregrinamur à Domino.

Demum petit: *verte à me, & roborabor antequam ibo & non ego.* Qui prius studuerat cognoscere *quanti temporis ego*, modò pro magna gratia petit vt paululum vertat pœnas à se, relaxet pœnas humanæ miseriæ (quæ sunt obscuritas in intellectu, pronitas ad malum in affectu, & alia huiusmodi) ad hoc vt roboretur animo, vt confortetur operibus meritoriis, antequam moriatur: hoc est, dum tempus est merendi: finitur enim simul & semel tempus viuendi & tempus merendi. Et describit vitam præsentem à termino: *antequam ibi & non ego*, ero: quod est mori. Tunc enim homo vadit, & non est amplius ipse: quamuis remaneat anima eius. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Pro victoria Psalmus Dauid.*	Vincenti Dauidi Psalmus.
XXXIX.	XL.
2 *EXPECTANS expectaui Dominum: & intendit mihi.*	1 *Propheta.* EXPECTANDO expectaui Dominum [4]: & inclinatus est ad me, & audiuit clamorem meum.
3 *Et exaudiuit preces meas: & eduxit me*	2 Et

de lacu miseriæ & de luto fæcis.
Et statuit super petram pedes meos: & direxit gressus meos.

4 *Et immisit in os meum canticum nouum: carmen Deo nostro.*
Videbunt multi & timebunt: & sperabunt in Domino.

5 *Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius: & non respexit in vanitates & insanias falsas.*

6 *Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.*
Annunciaui & locutus sum: multiplicati sunt super numerum.

7 *Sacrificium & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi.*

8 *Holocaustum & pro peccato non postulasti: tunc dixi: ecce venio.*

9 *In capite libri scriptum est de me: vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

10 *Annunciaui iustitiam tuam in ecclesia magna: ecce labia mea non prohibebo Domine tu scisti.*

11 *Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi.*
Non abscondi misericordiam tuam & veritatem tuam: à concilio multo.

12 *Tu autem Domine ne longè facias miserationes tuas à me: misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me.*

13 *Quoniam circumdederunt me mala quorum non est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem.*
Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me.

14 *Complaceat tibi Domine vt eruas me: Domine ad adiuuandum me respice.*

15 *Confundantur & reuereantur simul qui quærunt animam meam: vt auferant eam.*
Conuertantur retrorsum & reuereantur: qui volunt mihi mala.

16 *Ferant confestim confusionem suam: qui dicunt mihi euge euge.*

17 *Exultent & lætentur super te omnes quærentes te: & dicant semper magnifi-*

2 Et fecit ascendere me de fouea tumultus, de luto cœni: & statuit super petram pedes meos, firmans gressus meos.

3 Et dedit in ore meo canticum nouum, laudem Deo nostro: videbunt multi & timebunt & confident in Domino [4].

erunt

4 Beatitudines viri qui posuit Dominum [4] confidentiam suam: & non est versus ad superbos & inclinantes mendacij.

5 Multa fecisti tu Domine [4] Deus meus separata tua & cogitationes tuas

condignum

nobis, non æstimando ad te: annunciabo & loquutus sum, viguerunt à recensendo.

6 *Messias.* Sacrificium & oblationem non voluisti, aures fodisti mihi: holocaustum & mundationem non petisti.

7 Tunc dixi: ecce veni, in volumine libri scriptum est super me.

8 Ad faciendum voluntatem tuam Deus meus: volui & doctrinam tuam in medio viscerum meorũ.

9 Annunciaui iustitiam in ecclesia multa: ecce labia mea non prohibebo, Domine [4] tu nosti.

10 Iustitiam tuam non abscondi in medio cordis mei: veritatem tuam & salutem tuam dixi, non occultaui gratiam tuam & veritatem tuam ecclesiæ multæ.

11 *Propheta.* Tu Domine [4] non prohibebis misericordias tuas à me: gratia tua & veritas tua iugiter custodient me.

12 Quoniam circumdederunt super me

est

mala vsque non numerus: assequutæ sunt me iniquitates meæ, & non potui ad videndum: viguerunt plus quàm capilli capitis mei, & cor meum dereliquit me.

13 Velis Domine [4] ad liberandum me: Domine [4] auxilio meo festina.

14 *Messias.* Confundentur & erubescent simul quærentes animæ meæ ad destruendum eam: retrahentur retro, & erubescent volentes mali mei.

15 Destruentur super calce confusionis suæ: dicentes mihi, heah heah.

16 Exultabunt & lætabuntur in te omnes quærentes te: & dicent continuè.

cetur Dominus qui diligunt salutare tuum.

18 *Ego autem mendicus sum & pauper: Dominus solicitus est mei.*
Adiutor meus & protector meus es tu: Deus meus ne tardaueris.

nuè. *Hymnus.* Magnificabitur Dominus [4]. *Messias.* Diligentes salutis tuæ.

17 *Propheta.* Et ego pauper & mendi-sum cus, Dominus† imputabit mihi: auxilium meum & liberans me es tu, Deus meus ne morare.

† *Domini mei.*

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti Dauidi Psalmus.* De quo vt suprà.

Materia. Materia Psalmi, habetur ex auctoritate Apostoli Pauli ad Hebr. 10. afferentis verba Psalmi huius de Messia, dum dicit: *Ideo ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi: Holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt: Tunc dixi: ecce venio: in capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Et exponit Apostolus de translatione veteris in nouum Testamẽtum, & de oblatione corporis Christi in cruce, dicendo: *Superius dicens quia hostias, oblationes & holocautomata & pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quæ secundùm legem offeruntur, Tunc dixi vt faciam Deus voluntatem tuam: aufert primum vt sequens statuat. In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel.* Ex quibus Apostoli verbis clarè patet Psalmum istum de Christo in carne veniente, & seipsum offerente in ara crucis, déque gratia noui Testamenti tractare. Est igitur materia huius Psalmi, Messiæ expectati aduentus descriptus, ac si iam tunc venisset cum multis effectibus, &c.

Hebr. 10. v. 5. 6. 7.

Ibid. v. 9. 10. 11.

SVMMARIVM EST.

Expectans Propheta Messiam, & venisse eum describens, vbi perceptos fructus exauditionis, eductionis, firmitatis, noui cantici, conuersionis multorum, beatitudinis, multorúmque ac ineffabilium miraculorum narrauit, ingredientem mundum Messiam tunc cùm vetera sacrificia respuit Deus introducit, ad faciendum voluntatem Dei, volentis legem Dei, prædicantem iustitiam, &c. Et cùm se repletum malis & iniquitatibus recognouit, ac petijt liberari & adiuuari cum confusione insultantium & lætitia quærentium Deum, supplex petit ne tardet.

Personæ loquentes sunt duæ: Propheta agens genus electorum expectantiũ Messiam, & Christus.

Vers. 1. Expectando expectavi Dominvm, et inclinatvs est ad me. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *& audiuit.* Proponit duo: Primum expectationem Messiæ: secundum, aduentum Messiæ. Et expectationem quidem significàt ab actu expectandi, *expectaui.* A modo expectandi: hoc est, non murmurando, non dormiendo, sed ea animi spe, solicitudine & expeditione quæ decet expectantes: & propterea dicit *expectando.* A re expectata, *Dominum:* sic enim consueuit appellari verus Deus in veteri Testamento. Et loquitur Propheta in persona propria & suæ domus & populi Israël & humani generis. Aduentũ verò Messię significat ab actu quo Deus seipsum exinaniuit formam serui accipiens, *& inclinatus est ad me.* Verè siquidé per Incarnationi mysterium inclinatus est Dominus ad me, cùm Verbum caro factum est: *ad me* hominem, ad me Dauidem in mea progenie. Describit & hîc & in sequentib. quæ tunc futura erant Christi mysteria vt iam facta, propter certitudinem prophetiæ.

Et avdivit clamorem. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *& inclinatus est ad me.* Secundò illa, *expectaui Dominum,* ibi, *tu Domine.* Tertiò illa, *expectando,* ibi, *& ego pauper.* Circa particulam primam aduentus Christi aduerte ordinem Psalmi: nam à posteriùs gestis ad prius gesta narrationem ordinat: priùs narrans collata hominibus beneficia per Christũ, & postea ipsum Christũ aduenientẽ. Vnde iuxta hunc ordinẽ numerat octo beneficia.

Pars Executiua.

Primum est: *& audiuit clamorem meum.* In quo significat aduentum Christi fuisse à patribus non solùm expectatum, sed magno cordis clamore, multis precibus petitum. Ita quòd dum inclinatus est ad me, non solùm respondit expectationi, sed exaudiuit preces sanctorum.

Octo beneficia Dei ex aduentu Messiæ enumerat.

Secundum est: *& fecit ascendere me de fouea tumultus.* Et per hoc si referatur ad pœnas alterius vitæ significat limbum patrum, qui Zachar. 9. appellatur, *lacus sine aqua.* Et hîc appellatur, *fouea tumultus:* quia patres tardante Christo erant ibi ad similitudinem strepentium, pro quanto ex culpa non à se commissa, sed à primo parente inclusi erant. Et tamen Christus fecit eos ascendere secum cùm ipse resurrexit à mortuis. Si autem ad præsentem vitam referatur, clarum est per *foueam tumultus* significari statum mundi ante Christi aduentum, quando nulla erat cura de quiete futuræ vitæ, sed tantùm de vita præsenti, quæ in tumultu & strepitu consistit: fecit enim Christus homines ascendere de fouea rumorum præsentis vitæ, cum in amorem cœlestis patrię transtulit.

Zachar. 9.

Tertium: *de luto cœni* Per quod significat labilitatem eorũ quæ desiderabantur ab humano genere: totum quippe humanũ studium versabatur circa temporalia in quibus non potest figi humanus animus: sicut non potest figi in via luti cœnosi seu fæcis pedes ambulantis, sed labuntur. *De luto cœni* enim eduxit Christus hominem cùm eum abstraxit ab effectu labilis ac sordidæ vitæ.

Quartum: *& statuit super petram pedes meos.* In quo ad similitudinem habentis pedes super petram, firmitas fidei ac spei Chistianæ significatur: Christus enim tunc statuit super petram pedes nostros, cùm super firmum fundamentum credibilium & desiderabilium nos locauit.

Quintum: *firmans gressus meos,* quod est confirmatio præcedentis, vt non solùm affectus, sed opera

opera per gressus significata stabilierit Christus: *Quis nos*, inquit Apostolus, *separabit à charitate Christi?* & Marcus dicit: *Domino cooperante & sermonem confirmante* &c.

Rom.8.
Matc.16.20.

Sextum: *& dedit in ore meo canticum nouum, laudem Deo nostro* In quo noui Testamenti gratia describitur ab auctore: quia non homo sed Deus dedit. A manifestatione: quia non solùm corde credendum sed ore confitendú, *in ore meo.* A suauitate: quia *canticum*, ac per hoc delectabile. Ab admirabilitate: quia *nouum*, & verè nouum, quoniam cantatur Verbum carnem factum esse: quoniam nouitas hominis tam intus quàm extra, imò nouitas totius creaturæ in eo cantatur: iuxta illud: *Ecce noua facio omnia.* Ab officio, *laudem Deo nostro*: vt intelligas noui Testamenti canticum esse laudem Dei, non alterius quàm nostri qui colitur in veteri Testamento.

Apoc.21.5.

Septimum: *videbunt multi & timebunt & confident in Domino.* In quo conuersio non omnium sed multorum ad Christum significatur tribus actibus, scilicet videndi, timendi, & sperãdi: quorum ordo satis clarè patet. Et est sensus quòd non omnes, sed multi videbunt Christum in carne, seu beneficia hæc supradicta in Christianis: & videndo timebunt Deum, & timendo futurum iudicem confident in eo Redemptore.

Octauum: *Beatitudines viri*, hoc est, beatitudo est non cuiusque sed illius viri, *qui posuit Dominum confidentiam suam*, ne putares vanam esse conuersionem multorum ad Christum, curauit statim subiungere beatitudinem eorundem, appositis conditionibus eorum qui conuertuntur. Et est sermo de beatitudine vera, quæ hîc in spe & tandem in re habetur: *viri qui posuit* non hominem, non seipsum sed *Dominum* confidentiam suam, sic quòd *non est versus ad superbos & inclinantes mendacij.* Parum aut nihil prodesset fide se Christianum exhibere, moribus autem verti ad imitandos superbos & *inclinantes mendacij*, pro mendacium: hoc est, habilitantes mendacia velut suasibilia: tales enim inclinant mendacia velut humilia verba quæ fiant credibilia. Et impẽdit per hæc duo, peccata tam ex voluntate, quàm ex intellectu: superbia enim primum tenet locum inter peccata affectus, & mendacium inter peccata intellectus. Post enumerata octo beneficia per aduentum Christi collata generi humano, excusãt se Propheta à numeratione reliquorũ beneficiorũ: ne putares numerata esse omnia. Et apostrophans ad ipsum Deum, *Multa*, inquit fecisti alia *tu Domine Deus meus separata* (hoc est, mirabilia) *tua, & cogitationes tuas nobis.* Vbi cerne in separatis opera miraculosa quæ Messias fecit: in cogitationibus autem affectum ad nos, dicendo, *cogitationes tuas nobis*: cogitauit enim Deus non sibi sed nobis mysterium incarnationis & humilitatis & passionis & reliqua huiusmodi: quæ tum inæstimabilia, tum inenarrabilia esse subiungit. Inæstimabilitatem quidem: *non æstimando ad te*: hoc est, nullum habet locũ æstimatio relata ad te in mysterio Incarnationis: quia superat omnem proportionem & æstimationem. Inenarrabilitatem verò; *annunciabo*, quantumcumque perseuerem annuncians in futuro, *& loquutus sum*, quantumcunque in præterito dixerim, *vigueruni* mirabilia tua & cogitationes tuæ *à recensendo*, superant omnem numerum, omne recensere.

Inclinare mendacium, quid?

Vers.6. Sacrificium. Descriptis beneficiis collatis humano generi per aduentum Christi, describitur modò aduentus Christi: & disponente Spiritu sancto introducitur à Propheta ipse Christus loquens, tanquam ingrediens mundum: vt Paulus Apostolus declarat. Narrat itaque Christus tria, scilicet quid fecit, quid voluit, quid annunciauit in hoc suo aduentu. Narrando autem quid fecit iuxta Apostoli expositionẽ quantùm ad rem factam, dicit quòd fecit Dei voluntatem offerendo seipsum in ara crucis per sanctificationem nostri. Quantùm verò ad tempus faciendi, quòd tunc hoc fecit quando Deus refutauit sacrificia veteris legis, quod ad virtutem oblationis eius referendum est: quòd scilicet sacrificium corporis eius in cruce, fuit ratio consummandi sacrificia veteris legis: & sic nouum conditum est Testamentum.

Tria narrat Christus de suo aduentu.

Vide singula: In veteri Testamento quadripartitæ erant oblationes: aliæ siquidem erant oblationes panis, vini, mellis & similium: & pro hoc genere dicitur *oblationem.* Aliæ hostiæ pacificæ: vt votiua, & gratuita sacrificia, quorum vna pars cremabatur Deo; alia in vsum sacerdotum & tertia in vsum offerentium cedebat: & pro hoc genere dicitur *sacrificium.* Aliæ hostiæ pro peccatis; quarum vna pars crematur Deo, altera verò in vsum cedit sacerdotum, pro quibus dicitur *& mundationem.* Aliæ holocausta: quæ tota incendebantur Deo: pro quibus dicitur *holocaustum.* Ita quòd omnia cessare significans ait: *sacrificium & oblationem non voluisti, holocaustum & mundationem non petisti*: hæc quoad cessationem legalium sacrificiorum.

Quatuor oblationũ genera in veteri Testamento.

Quo verò ad ipsum Christi aduentum ait: *Aures fodisti mihi.* Loco cuius Apostolus iuxta translationem LXX allegat, *corpus perfecisti mihi.* Sed eadem est sententia: dum LXX totum posuerũt pro parte: imò textus Hebræus partem pro toto, aures pro corpore: & fossio aurium, quæ est aptatio seu dispositio aurium, pro aptatione seu dispositione corporis. Significatur itaque Incarnationis mysterium dicendo, *corpus aptasti mihi*, seu *aures fodisti mihi*: neque enim solas aures fossas sine reliquo corpore dedit. Et explicatur natura carnis & sensus in Christo: quæ non explicatur nomine *corporis*: cùm etiam plantæ habeant corpora, & non carnem aut sensum sicut habens aures. Nec caret mysterio quòd Christus ab aurium fossione describit suum corpus: quoniam per hoc significat se hominem perfectè edoctum esse à Deo de diuina voluntate: auditus quippe est sensus disciplinæ. Vnde in Euangelio ait Ioan. 8. *Quæ audiui à Patre hæc loquor.*

Aurium fossione corpus Christi significatur.

Ioan.8.

Tunc cùm aures fodisti mihi, cùm vetera noluisti sacrificia, *dixi*, affirmaui: *ecce*, nunc, in præsentia, *veni*, spontaneus, *ad faciendum voluntatem tuam Deus meus*: *Veni*, inquit ipse in Euangelio, *non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Hanc voluntatem diuinam explicat Apostolus diuinum velle de sanctificatione humana per mysterium crucis Christi. Ita quòd dicens, *veni ad faciendum voluntatem tuam Deus meus*, intendit quòd venit ad redemptionem mundi secundùm voluntatem Dei per oblationem corporis in cruce.

Ioan.6.38.

Et ne hunc aduentum, ne hanc Dei voluntatem velut rem nouam horreas, aut humanum figmentum putes, affert antiquum sacræ Scripturæ testimonium de promisso Messia ad faciendum hanc Dei voluntatem. *In volumine libri scriptum est super me.* Apostolus post Septuaginta

ta dixit, *in capite libri*. Sed non mutatur sententia: volumen enim libri sacram Scripturam significat promittentem Messiam: iuxta illud: Mat.26.24. *Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo*. Caput autem libri significat non locum sed intentionem: pro quanto in præcipua intentione sacræ Scripturæ scriptum est super Messia: finis enim legis & Prophetarum Christus est.

Vers. 8. VOLVI ET DOCTRINAM TVAM. Postquam Christus narrauit quid fecit in aduentu suo, narrat consequenter quid voluit: *volui & doctrinam tuam in medio visc erum meorum*. Dixerat quòd cessantibus legalibus sacrificiis dixi: *ecce veni*: ne putares Christum ad abolendam legem Dei venisse, testatur quòd *volui*, non verbis aut signis exterioribus, sed intimo corde intra viscera mea legem tuam, quam dedisti per Moysen. Et dixit hoc tum ad excludendum humanas astutias, quasi Christus monstrauerit se velle legem Moysi, & tamen in corde suo intenderit illam soluere: vt Mahumetus fecit de Euangelio. In cuius signum tradidit nobis omnes libros canonicos legis & prophetarum, authenticâ auctoritate suscipiendos. Tum ad differentiam legalium cerimoniarum: ne putares legem Dei cessare seu refutari cessantibus sacrificiis veteris legis adueniente oblatione corporis Christi, sed cum illorum cessatione ex intimo corde legem Dei voluit, ita quòd nec iota vnum aut vnus apex præteribit ab ea.

Quatuor prædicauit Christus, iustitiã, veritatem, salutem & gratiam.

Vers. 9. ANNVNCIAVI. Absoluto quod voluit, subiungit tertiò quod prædicauit, dicens se prædicasse quatuor: iustitiam, veritatem, salutem, & gratiam. Vbi aduerte explicari non solùm res prædicatas, sed etiam quibus & quomodo prædicauit. *Annunciaui*, prædicaui, *iustitiam*, non hanc vel illam, sed iustitiam omnem, *in ecclesia multa*, vniuerso mundo: Christus enim etsi proprio ore prædicaret Iudæis tantùm, quia tamen ea ratione prædicabat vt diffunderetur Euãgelium vniuerso mundo, ideo se annũciasse dicit *in ecclesia multa*, quæ est Ecclesia vniuersalis. Ecce quibus annunciauit.

Modus autem: *Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu nosti: iustitiam tuam non abscondi in medio cordis mei*. Vbi ex futuro, *non prohibebo*, & præterito, *non abscondi*, habes perseuerantiam in prædicando. Habes in labiis quòd proprio ore non dedignatus est in prædicationis officio perseuerare: habes in negatione absconsionis integritatem: hoc est, quòd nihil omisit prædicare quæ prædicanda erant pro diuina iustitia.

Adiungit prædicatæ iustitiæ, *veritatem*, non figmentum, *tuam*, non humanam, *& salutem* non vanitatem, *tuam*, non humanam, *dixi*, prædicaui, & (vt vno verbo dicat) *non occultaui gratiam tuam & veritatem tuam ecclesiæ multæ*: hoc est, vniuersas vias tuas (quæ consistunt in gratia tua & veritate tua) non occultaui vniuersali Ecclesię. Et hoc specialiter dicitur propter mysterium Incarnationis & redemptionis humanæ (quod ex gratia & veritate emanauit adimplendo promissiones factas patribus, & sine meritis nostris gratè saluando nos.

Vers. 11. TV DOMINE. Tractatur hîc illa particula, *Expectaui Dominum*. Ita quòd postquam Messias loquutus est & explicauit aduentum suum, Propheta primum in persona totius humani generis expectantis apponit & prophetiam & preces quibus declarat necessitatem aduentus Chri-

Necessitas aduentus Christi.

sti, propter delenda peccata nostra: & deinde introducit iterum Messiam declarantem aduentum suum fore quibusdam in ruinam, ibi, *confundentur*. In primis itaque causam aduentus Messiæ ex parte nostræ miseriæ aperit prophetando: *Tu Domine non prohibebis misericordias tuas à me*, misero, mittendo Messiam ad releuandum genus humanum à miseriis: sed *gratia tua*, sine meritis nostris, *& veritas tua*, iuxta promissa facta à te patribus, *custodient me*, à malo, *continuè*, vsque ad consummationem seculi. Et declarans miserias nostras, subdit: *Quoniam circumdederunt super me*, non super fortunas meas, *mala*, pœnæ, *vsque non numerus*, vsque adeo quòd eorum non est numerus: *assequutæ sunt me iniquitates meæ*: ne putares mala pœnæ sustinere hominem sine sua culpa *apprehenderunt me iniquitates meæ*, ex quibus circumdederunt me mala pœnalia: & istæ iniquitates *viguerunt*, multitudine, *plusquam capilli capitis mei*. Vide proportionem: dixerat pœnas sine numero: modò dicit culpas innumerabiles plusquam capillos capitis: vt tam culpas quàm pœnas hominis intelligas sine numero.

Et culpa, & pœna hominis sine numero.

His generalibus adiunguntur in specie duæ pœnæ: Altera obscurati intellectus, *& non potui ad videndum*: quod errores tot præliorum non valentium videre veram salutis humanæ viam testantur. Altera est peruersi studij: *& cor meum dereliquit me*. Studium humanum ex corde ante Christi aduentum dereliquit hominem, dereliquit curam veræ salutis hominis, solicitando & sectando delectabilia, diuitias, famam, gloriam, & huiusmodi: ita quòd *cor meum* non dereliquit diuitias aut famam, sed *dereliquit me*. Et hæc duo erant communia mala humani generis secundùm partem animi superiorem: & propterea in specie explicata sunt. *Velis Domine ad liberandum me, Domine auxilio meo festina*. In Hebræo significatur velle in modo imperatiuo: sed quia illo caret Latina lingua, ideo loco imperatiui quod deprecatiuè tenebatur, translatum est *velis*. Prophetiæ de futura diuina gratia, & miseriæ propriæ explicatæ, adiungit preces supplicando tum vt velit, tum vt celeriter exequatur. Velit quidem liberare à malo, celeriter autem ferat auxilium: per hoc contestans se non posse liberari, non posse adiuuari nisi per aduentum eius.

Vers. 14. CONFVNDENTVR. Ne putares totum genus Iudæorum expectans Messiam saluandum per Messiæ aduentum, prophetat hîc Dauid, aliquos perituros ob eorum nequitiam, & aliquos gauisuros: præuidit enim quosdam Iudæos occisuros Christum, & insultaturos. &c. quosdam autem amplexuros illius doctrinam & fidem. Et propterea hæc prophetando introducit iterum Messiam hæc dicentem: *Confundentur & erubescent simul*, quantùm ad spiritualia sine pœnitentia, *Iudæi quærentes animæ meæ*, vitæ meæ, *ad destruendum eam: retrahentur retrò & erubescent*, quantum ad statum temporalem, *volentes mali mei*: hoc est, volentes malum meum. *Destruentur*, ab exercitu Romanorum, *super calce confusionis suæ dicentes mihi: Heah, heah*: hoc est, insultantes mihi. Et verè in fine confusionis suæ Iudæi destructi sunt à Romanis, tum quia prius confusi sunt per tot miracula de veritate aduentus Messiæ, & tandem indurati destructi sunt: tum quia destructio quam passi sunt à Romanis est in calce, est vltima: vtpote sine regressu. Significantiùs autem explicantur perdendi Iudæi non

Prædicit Iudæos in Messiæ aduentu ob nequitiã suã perituros.

non omnes sed insultantes Christo: quoniam monente Angelo, Iudæi credentes Christo, tunc temporis secesserunt in regnum Agrippæ, ne simul perirent cum incredulis: vt Ecclesiastica tradit historia. Quo contra de credentibus in ipsum dixit: *Exultabunt & latabuntur in te omnes quærentes te: & dicent continuè, dilectores salutis tuæ,* hunc hymnum: scilicet, *magnificabitur Dominus.*

Vers. 17. ET EGO PAVPER ET MENDICVS. Tractatur hîc illa particula, *expectando.* Declarat siquidem Propheta conditiones suas, quibus aperit se more expectantium expectare. Prima conditio est paupertas. *Et ego pauper & mendicus:* hoc est, non solùm sum *pauper* (vtpote indigens necessariis ad salutem) sed etiam sum *mendicus*, hoc est, qui cecidi à diuitiis in paupertatem; hoc enim dictio Hebraica significat. Et verè sic est: quoniam cecidi à diuitiis originalis iustitiæ. Et intendit hanc conditionem, quòd expectat more pauperis obsecrantis (cum obsecrationibus enim loquitur pauper) & recognoscentis casum suum. Altera conditio est velut clientela, significata dicendo: *Auxilium meum & liberans me tu es:* clientulus ego sum, non habens alium qui liberet & auxilietur nisi te. Et intendit per hoc, quòd more clientis expectauit. Vtrique autem conditioni apponit spem diuinæ gratiæ. Paupertati quidem: *Dominus imputabit mihi*, ad meritum (intellige de merito congrui) quòd expecto vt pauper & mendicus. Clientelæ autem: *Domine mi ne morare.* In qua petitione tantam fiduciam demonstrat, vt non aduentum sed celeritatem aduentus petat. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Pro victoria Psalmus Dauid.*

XL.

2 *BEATVS qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.*

3 *Dominus conseruet eum & viuificet eum, & beatum faciat eum in terra: & non tradat eum in animam inimicorum eius.*

4 *Dominus opem ferat illi super lectum doloris eius: vniuersum stratum eius versasti in infirmitate eius.*

5 *Ego dixi: Domine miserere mei, sana animam meam quia peccaui tibi.*

6 *Inimici mei dixerunt mala mihi: quando morietur & peribit nomen eius?*

7 *Et si ingrediebatur vt videret, vana loquebatur cor eius: congregauit iniquitatem sibi.*

8 *Egrediebatur foras: & loquebatur in idipsum.*

Aduersum me susurrabant omnes inimici mei: aduersum me cogitabant mala mihi.

9 *Verbum iniquum constituerunt aduersum me: nunquid qui dormit non adijciet vt resurgat?*

10 *Etenim homo pacis meæ, in quo speraui, qui edebat panes meos: magnificauit super me supplantationem.*

11 *Tu autem Domine miserere mei & resuscita me: & retribuam eis.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti Psalmus Dauidi.

XLI.

erunt
1 *Propheta.* BEATITVDINES intelligentis ad pauperem: in die mali liberabit eũ Dominus[4].

2 Dominus [4] custodiet eum, & viuificabit eum, & beabitur in terra: &
Domine
non trades eum in animam inimicorum eius.

3 Dominus [4] sustentabit eum super lectum doloris: totum stratum eius versasti in ægrotatione eius.

4 *Homo.* Ego dixi: Domine [4] miserere mei: medere animæ meæ, quoniam peccaui tibi.

5 *Christus.* Inimici mei loquentur malũ mihi. *Vox Iudæorum recitata.* Quando morietur & peribit nomẽ eius?
eorum quispiam
6 *Christus.* Et si venit ad videndum, falsum loquetur: cor eius congregabit iniquitatem sibi, egredietur
contra me
ad extra, loquetur.

7 Simul super me mussitabunt omnes odientes me: super me cogitabunt malum mihi.

consentit
8 Verbum Belihal infusum in ipso. *Vox Iudæorum recitata.* Et qui ia-
Christus
cuit, non addet ad surgendum.

9 *Christus.* Etiam vir pacificus meus: quòd confisus sum in eo, manducans panem meum, magnificauit super me calcaneum.

10 Et tu Domine [4] miserere mei & fac me surgere: & soluam eis.

11 In

12 *In hoc cognoui quoniam voluisti me: quoniam non gaudebit inimicus meus super me.*

13 *Me autem propter innocentiam suscepisti: & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.*

14 *Benedictus Dominus Deus Israël à seculo & in seculum: fiat, fiat.*

11 In hoc cognoui quoniam voluisti me: quoniam non clanget inimicus meus super me.

12 Et ego in perfectione mea [merui]: sustentasti in me, & fecisti stare me faciebus tuis ad æternum.

13 Benedictus Dominus Deus Israel à seculo & vsque seculum: Amen & Amen.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti Psalmus Dauidi*. De quo vt suprà.

Materia. Materiam Psalmi habemus ex auctoritate Christi, Ioan. 13. esse passionem eius, nam ibi lotis pedibus discipulorum, antequam apertè diceret: *Vnus vestrum me traditurus est*, dixit discipulis suis: *Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim: sed vt adimpleatur Scriptura, Qui manducat mecum panem leuabit contra me calcaneum suum*: quod in versiculo 9. huius Psalmi scribitur. Ex hoc enim quòd adimplendam esse dixit Scripturam hanc in Iuda proditore, manifestauit consequenter contextum Psalmi huius de sua tractare passione. Est igitur ad literam materia Psalmi passio Christi pro humano genere, adiunctâ simul eiusdem resurrectione. *Ioan. 13. 18.* *Passio Christi.*

SVMMARIVM EST.

Post descripta dona Dei in Christo curam habēte pauperis humani generis describitur ipsius passio ex Iudæorum machinatione, exploratione, detractione, murmuratione, conatu ad extinguendum, Iudæque proditione: & demum resurrectio Christi cum potestate iudiciaria, &c. describitur, gratias agendo Deo.

Persona loquens sunt tres: scilicet Propheta, genus humanum recognoscens statum suum, & Christus: præter voces recitatas.

VERS. 1. BEATITVDINES INTELLIGENTIS AD PAVPEREM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Dominus custodiet*. Proponit duo: Primum beatum esse applicantem intellectum suum ad salutem pauperis. Et intendit ad literam describere tum officium Christi, dicendo, *intelligens ad pauperem*: ad hoc enim Verbum carò factum est vt curam haberet pauperis, non huius vel illius, sed humani generis, indigentis necessariis ad vitam animæ, ad vitam æternam. Tum beatitudinem ipsius, dicendo, *beatitudines*: verè siquidem Christus secundùm quòd homo fuit beatus ab initio conceptionis suæ in materno vtero secundùm superiorem partem animæ: quamuis secundùm corpus non fuerit beatus vsque ad resurrectionem. Et quia hîc de totali beatitudine est sermo, ideo intellige *beatus* partim in re, & partim in spe. Secundum: *in die mali liberabit eum Dominus*. Vbi proponitur tum passio eius, significata per diem mali: dies enim passionis est dies mali pœnalis: tum resurrectio eius, significata per liberationem: nam per resurrectionem liberatus est à die malorum. *Dies mali significat Passionem.*

Vers. 2. DOMINVS CVSTODIET EVM. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primùm tractatur illa particula, *beatitudines*, seu *beatus*. Secundò illa, *ad pauperem*, ibi, *ego dixi*. Tertiò illa, *in die mali*, ibi, *inimici mei*. Quartò illa, *liberabit eum Dominus*, ibi, *& tu Domine*. *Pars Executiua.*

Quinque itaque beatitudinis partes prophetat de Christo. Prima est respectu mali: *Dominus custodiet eum*, proculdubio intantum vt nihil ei euenerit quod non voluerit. *Quinque beatitudinis partes prophetantur de Christo.*

Secunda est respectu boni quod est vita: *Et viuificabit eum*, vitâ gratiæ: vidimus enim eum *plenum gratiæ & veritatis*.

Tertia est respectu beatitudinis: *Et beabitur in terra*. Quod ad literam impletum est: quia in terra in materno vtero beatus fuit secundùm animam: & rursus in terra resurgens beatus fuit secundùm corpus; ita quòd plenam beatitudinem in terra habuit. Vnde singularissimum Christi priuilegium prophetatur dicendo: *& beabitur in terra*: quia solus fuit simul in terra viator & beatus, & tandem plenitudinem beatitudinis in terra assecutus.

Quarta respectu gloriæ nominis eius. *Et non trades*, tu Deus, *eum*, Messiam, *in animam*, in desiderium, in voluntatem, *inimicorum eius*, Iudæorum. Volebant & ad hoc studebant Pontifices Iudæorum vt occidendo Christum exterminarent nomen eius: Deus autem non adimpleuit voluntatem eorum, sed è conuerso per occisionem Christi fecit totum contrarium eius quod desiderabat animus Iudæorum: quia propterea *exaltauit eum & dedit ei nomen quod est super omne nomen*, conuertitque mundum ad fidem Christi. Vnde significanter non dicitur *in manum inimicorum*, sed *in animam inimicorum*: quia Christus etsi traditus fuit manibus Iudæorum, non tamen traditus fuit animo & intentioni eorum, quâ intendebant exterminare nomen & fidem eius. *Philip. 2. 9.*

Quinta respectu propriæ passionis. *Dominus sustentabit eum super lectum doloris, totum stratum eius versasti in ægrotatione eius*. Lectus doloris metaphoricè passio Christi significatur. In quo aduerte quòd describitur ad similitudinem iacentis in lecto doloris, ita quòd non inueniens requiem versat se per totum lectum: nec dubium quòd ægrotatio (hoc est, passio) Christi incepit ex quo natus est Christus. Lectus autem vniuersa delectabilia humana (vtpote in quibus homo quiescit) significat. Et quia Christus in vniuersis delectabilibus humanis afflictus est (vt patet discurrendo) ideo totum stratū eius versatum dicitur *in ægrotatione eius*, in statu infirmitatis assumptæ: vnde pars beatitudinis in tāta passione describitur sustentatio: *Dominus sustentabit eum*, vniuersitate virtu- *Lectus doloris, est passio Christi.* *Lectus omnia delectabilia in quibus homo quiescit, significat.*

virtutum & potentiâ meritoriâ ad salutem totius mundi.

*Vers.*4. Ego dixi. Tractatur hîc illa particula, *ad pauperem:* introducendo genus humanum loquens. Vbi nota quòd non introducitur genus humanum in omnibus suis suppositis, sed in recognoscentibus statum miseriæ suæ. Quod ex eo patet quòd ait: *Ego dixi*, confessus sum, affirmaui tria: Primum miseriam propriam, *Domine miserere mei.* Secundum, ægritudinem animæ, *medere animæ meæ.* Tertium, causam vtriusque, *quoniam peccaui tibi.* Dicere quippe hæc est non omnium hominum, sed tantùm recognoscentium se & recurrentium ad diuinam gratiam pro misericordia & salute animæ. Cernis hîc pauperem, vtpote miserum & ægrum ex offensa Dei.

Miseria generis humani.

*Vers.*5. Inimici mei. Tractatur hîc illa particula, *in die mali:* explicando mala quæ passus est Christus tum ab inimicis, tum à domesticis. Introducitur autem Christus loquens & describens hæc mala. Et primum, intentionem expressam inimicorum. *Inimici mei*, Pontifices & Principes Iudæorum, *loquentur*, explicitè dicent, *malum*, duplex mihi, scilicet, *quando morietur?* ecce malum mortis: *& peribit nomen eius:* ecce malum extinctionis fidei Christianæ.

Mala quæ Christus tum ab inimicis, tum à domesticis passus est enarrantur.

Secundum, explorationem: *Et si venit*, quispiam eorum, *ad videndum*, quæ prædico, quæ doceo, *falsum loquetur*, hoc est, falso corde loquetur: vtpote simulando & explorando: vt pluries patet in Euangelio: *Magister, hæc mulier modò deprehensa est in adulterio.* Et rursus: *Magister scimus quia verax es, si licet dari censum Cæsari*, &c. Nec solùm explorando loquetur, sed *cor eius congregabit iniquitatem sibi* Lege exploratores in resurrectione Lazari: & videbis congregasse eos iniquitatem sibi, dum ierunt ad Pontifices narrantes quod viderant, pleni iniquitate: vnde *collegerunt Pontifices concilium contra Iesum:* vt Ioan. refert cap 11.

Ioan.8.4.
Mat.22.16.

Ioan.11.

Tertium, concitationem, *egredietur ad extra, loquetur:* hoc est, ij qui ad explorandum venerunt, egredientes à me, loquentur concitando alios: vt patet in exemplo adducto: vnde subiungitur effectus congregationis eorum. *Simul super me*, vniti, super me *mussitabunt*, occultè loquentur, *omnes odientes me:* nec solùm loquentur, sed etiam *super me cogitabunt malum mihi.* Hoc apparet in conciliis eorum in quibus & cogitauerunt & dixerunt contra Christum, quod est quartum.

Quintum denique: *Verbum Belial infusum in ipso.* Cum exaggeratione narrat Christus vltimam iniuriam sibi mortuo illatam: quando Pontifices nihil credentes de resurrectione Christi, conuenerunt ad Pilatum dicentes quòd *seductor ille dixit, post tres dies resurgam.* Vbi non timebant quòd resurgeret: sed pro constanti præsupponendo quòd non resurgeret, conati sunt adhibere remedium ne discipuli eius furarentur corpus, &c. Hoc verbum totaliter destruens spem resurrectionis, cum exaggeratione dicit *verbum Belial* (hoc est, sine fræno, sine regula nullam Dei rationem habentis) *infusum*, imbibitum, *in ipso*, collegio eorum. *Et qui iacuit*, mortuus in sepulchro, *non addet ad surgendum.* Quod si intelligatur assertiuè, negat Christum iacentem in sepulchro surrecturum. Si autem interrogatiuè, sensus est quòd Christus qui iacuit in sepulchro, nonne addet nobis onus quòd resurrexerit? quasi dicat sic, nisi prouideamus. Et significat timorem quem habuerunt Pontifices ne discipuli Christi dicerent plebi quòd *surrexit à mortuis, & erit nouissimus error peior priore.* Hæc quoad inimicos.

Mat.27.63.

Verbum Belial, quid.

Mat.27.64.

Quoad domesticos autem: *Etiam vir pacificus meus*, Iudas Iscariotes pacificus à Christo tractatus & conuersatus cum eo: quòd *confisus sum in eo*, tribuendo ei Apostolicum officium, & præter hoc officium dispensatoris commendans ei loculos, *manducans panem meum*; erat enim commensalis Christi, & pascebatur à Christo; quia quæ dabantur, propter Christum dabantur: & etiam panis buccellam à Christo sibi datam manducauit, non obstantibus tot beneficiis *magnificauit super me calcaneum.* Offensam proditionis significat ex similitudine animalis calcitrantis contra eum qui curam illius habet. Et est ratio similitudinis: quia repentè contra omnem actionem contingit huiusmodi calcitratio contra hominem habentem curam illius equi. Solent enim huiusmodi animalia quantumcunque aliis molesta fuerint, pacificè se habere cum curatore suo: propterea enim præmissum est, *pacificus meus*, in quo confidebam, comedens panem meum: vt ostendatur contra omnem rationem huiusmodi repentina calcitratio. Et ne putes leuem calcitrationem, ait *magnificauit:* ita quòd non solùm leuauit calcaneum contra me, sed magnificauit illud, magnam effecit supplantationem: vtpote tradendo me morti.

Proditio Iudæ.

Vers. 10. Et tu Domine miserere mei. Tractatur hîc illa particula, *liberabit eum Dominus:* dum Christus priùs orat, deinde exauditum se dicit: & demum gratias agit. Orando tria petit; Primum, remotionem miseriarum, quas patiendo & moriendo incurrit: *& tu Domine miserere mei.* Secundum resuscitationem corporis sui: *& fac me surgere.* Tertium auctoritatem iudiciariam: *& soluam eis*, iuxta merita eorum: quod est officium iudicis. Exauditum autem se aperit: *In hoc cognoui quòd voluisti me, quòd non clanget*, tubâ gaudij & victoriæ, *inimicus meus*, Iudæus, *super me.* Cognouerat Christus homo antequam resurgeret ab initio conceptionis suæ quòd Deus *voluit in ipso:* hoc est, quòd Deus complacuit sibi in Christo: sed cognouerat speculatiuè: in resurrectione autem cognouit experientiâ: & propterea dicit, *In hoc cognoui*, experimentaliter: prius enim hoc non fuerat expertus. Et intendit per negationem clangoris inimici, victoriam suam quâ vicit mortem resurgendo.

Oratio Christi.

Et ego in perfectione mea. Aduerte hîc Christo multiplici iure obtigisse resurrectionem, iudiciariam potestatem, &c. Et quantùm ad præsens propositum spectat, duplex ratio tangitur: Altera orationis: *& tu Domine miserere mei*, &c. Altera meriti; meruit siquidem Christus hæc omnia, *& exauditus est in omnibus pro sua reuerentia.* Et ratione meriti subiungit: *& ego in perfectione mea.* Ac si apertè diceret: non solùm peto, sed meritum perfectionis affero. *Et ego in perfectione mea*, merui quòd *sustentasti in me* mundum ne in æternæ damnationis baratrum rueret: *& fecisti stare me faciebus tuis ad æternum*, hoc est, fecisti sedere me ad dexteram tuam in æternum.

Hebr.5.7.

Gratias demum agens. *Benedictus*, benedictione laudis, *Dominus Deus Israelis*, hoc est, non alius

Gratiarum actio.

alius Deus quàm Deus veteris Testamenti, *à seculo & vsque seculum: amen & amen.* Geminatur coniunctione & desiderium, *fiat & fiat*, propter satietatem vtriusque naturæ (animæ & corporis) in resurrectione. Vel geminatur affirmatio *verè & verè*, vt vtroque cultu (scilicet interno & externo, animo & ore, absque fictione) laudetur Deus. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori, intellectus filiis Core Psalmus.*

XLI.

2 *QVEMADMODVM desiderat ceruus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te Deus.*

3 *Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei?*

4 *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie vbi est Deus tuus?*

5 *Hæc recordatus sum & effudi in me animam meam: quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei.*

In voce exultationis & confessionis: sonus epulantis.

6 *Quare tristis es anima mea: & quare conturbas me?*

Spera in Deo: quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus.

7 *Ad meipsum anima mea conturbata est: propterea memor ero tui de terra Iordanis & Hermoniij à monte modico.*

8 *Abyssus abyssum inuocat: in voce cataractarum tuarum.*

Omnia excelsa tua & fluctus tui: super me transierunt.

9 *In die mandauit Dominus misericordiam suam: & nocte canticum eius.*

10 *Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo susceptor meus es.*

Quare oblitus es mei? & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

11 *Dum confringuntur ossa mea: exprobrauerunt mihi qui tribulant me inimici mei.*

Dum dicunt mihi per singulos dies: vbi est Deus tuus?

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti intelligentia filiis Core.

XLII.

1 *Propheta.* SICVT cerua glocitabit super fluenta aquarum: sic anima mea glocitabit ad te Deus †. † *Dij.*

2 Sitiuit anima mea ad Deum †, ad Deum viuum †: quando veniam & videbo facies Dei †? † *Dijs.* † *Dei viui.* † *Deorum.*

3 Fuit mihi lachryma mea panis die ac nocte: in dicendo ad me tota die: *est* vbi Deus tuus?

4 Horum recordabor & effundam *meditando* super me animam meam: quoniam transibo in numero, incedam cum eis vsque domum Dei †, in voce cantus & confessionis multitudo *erit* festiuans. † *Deorum.*

5 Quid incuruaberis anima mea & tumultuaberis super me: expecta Deum †: quia adhuc confitebor *appositiuè* eum salutes facierum eius. † *Dijs.*

6 Deus meus, super me anima mea incuruabitur: ideo recordabor tui de terra Iordanis & Hermoniorum, a monte paruo.

7 Abyssus ad abyssum vocans *est* in voce † canalium tuorum: omnes fractiones tuæ & vndæ tuæ super me transierunt. † *voci.*

8 Die præcipiet Dominus [4] gratiam suam & nocte canticum suum *est* mecum: oratio Deo vitarum mearum.

9 Dicam Deo. *Oratio.* Petra mea quare oblita es mei? quare ater incedam in oppressione inimici?

10 In occisione in ossibus meis? exprobrauerunt mihi angustatores mei in dicere suo ad me tota die, vbi Deus tuus?

12 *Quare tristis es anima mea: & quare conturbas me?*
Spera in Deo: quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus.

11 *Propheta.* Quid incuruaberis super me anima mea & quid tumultuaberis super me? expecta Deum †, quoniam adhuc confitebor eum appositiuè salutes facierum mearum & Deum meum. † *Dy.*

COMMENTARIVS.

Filij Core fuerunt Ianitores & Cantores.

TItulus est, *Vincenti intelligentia filiis Core.* Et est sensus quòd Psalmus iste est intelligentia occultorum, attributa filiis Core vt quibus reuelatio facta est, vel saltem vt cantoribus: nam filij Core non solum fuerunt Ianitores (vt dicitur 1. Paralip. 26.) sed etiam fuerunt Cantores: vt patet 2. Paralip. 20. Vbi dicitur: *porro Leuitæ de filiis Chaath & de filiis Core laudabant Dominum Deum Israël voce magna in excelsum.* Quia tamen ordinatè fiebat ista distributio, ideo præponitur *Vincenti*, id est, Præsidenti Musicæ. 2. Paralip. 20. 19.

Materia. Ex quo titulo non habetur materia Psalmi, nisi generaliter quòd est intelligentia quædam: verùm ex ipso Psalmo facilè patet quòd Propheta in persona populi dispersi & affectantis apparere coram Deo in Hierusalem, loquitur, desiderat enim venire & apparere ante faciem Domini: quod est desiderare cultū Dei in Hierusalem. Narrat se interim multipliciter afflictum: & specialiter blasphemiis inimicorum, *vbi est Deus tuus?* Quod insinuat ipsum in captiuitate esse, & adhuc non liberatum à Deo. Verum an iste Psalmus tractet ad literam affectum populi in captiuitate Babylonica suspirantis ad regressum in Hierusalem (concessum tandem à Cyro Persarum rege) an tractet de affectu totius populi Israël ad Messiam promissum in Hierusalem, sub dubio relinquo. Longa siquidem dilatio significata in versiculo 9. (*petra mea quare oblita es mei, &c.*) consonat magis regressui ad Messiam: quoniam in captiuitate Babylonica non fuit multa dilatio: immò extabant tempore regressus adhuc homines qui viderant primum templum: vt dicitur 1. Esdræ. 3. Vtcunque sit, satis constat quòd de affectu dispersi, populi ad veniendum ad Hierusalem (locum diuini cultus) Psalmus tractat ad literam.

Affectus populi veniendi in Ierusalem.

SVMMARIVM EST.

POpulus Israël dispersus, ad diuinum cultum in Dei templo sitit: tum hinc quia Deus blasphematur, inde ob promissum reditum ad domum Dei: tum hinc ob multiplicem propriam afflictionem, inde ob memoriam diuinæ opis in primo ingressu terræ promissionis. Et supplicat ne differat reductionem, confortando seipsum interim in diuina spe.*

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. SICVT CERVA GLOCITABIT SVPER FLVENTA AQVARVM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *horum recordabor.* Proponit tria: Primum, magnum desiderium suum ad Deum, ad similitudinem ceruæ desiderantis aquas. Vbi aduerte duo: Primum quòd animal de quo est sermo, in Hebræo significatur fœminini generis: sed aiunt non esse vsquequaque certum quòd fœmina hæc sit cerua: cùm possit etiam intelligi caprea. Alterum quòd dictio Hebraïca sonat clamorem proprium illius animalis, puta ceruæ. Et ideo quia sicut hinnire est equorum, rugire leonum, mugire taurorum, ita glocitare ceruorum, oportuit interpretem dicere; *Sicut cerua glocitabit*, hoc est, suâ naturali voce clamabit, *sic anima mea glocitabit ad te Deus*, hoc est proportionaliter suâ naturali voce anima clamabit ad te Deus. Et proponitur vtrumque in futuro: quoniam Psalmus iste intelligentia est futuri tunc status Iudæorum in dispersione: ratione siquidem talis futuri status prophetat Dauid quòd anima sua clamabit ad Deum sicut cerua ad fontes aquarum.

Comparat desiderium suum ceruæ seu capreæ.

Secundum: *Sitiuit anima mea ad Deum.* Ne putares similitudinem propositam intelligi de affectu aquæ ad balneū, explicat quòd de affectu aquæ ad potum intendit: *Sitiuit anima mea ad Deum*, non pictum, sculptum aut fictum, sed Deum *viuum*, Quid autem sitit subiungit: *quando veniam & videbo facies Dei?* Videre facies Dei appellat præsentare se templo Dei. Vnde præceptum erat, ter in anno apparere coram Deo. Et describitur ibi facies Dei, propter præsentiam Dei tanquam in loco electo ad cultum diuinum. Consonatque ratio faciei more humano: quoniam facie homo cognoscitur & cognoscit. Et sic dicitur videre facies Dei, vt quasi recognoscat Deum vt subditus Dominum. Et scito quòd in Hebræo habetur in datiuo *Deo, Deo viuo*: sed mutauit constructio ad *Deum, Deum viuum.*

Videre facies Dei hic, quid?

Tertium: *Fuit mihi lachryma* Ratio tanti desiderij non est solum carere bono desiderato (scilicet apparere coram Deo) sed magis est malum magnum quod interim patior. Nam *fuit mihi lachryma mea panis*, id est, ad similitudinem cibi necessarij, non ad horam sed *die ac nocte, in dicendo mihi tota die*, hoc est, dum inimici dicerent mihi in faciem totâ die perseuerando hanc blasphemiam, scilicet *vbi Deus tuus?* Similis enim modus blasphemandi legitur 4. Reg 18. Vbi Rapsaces populo Ezechiæ dicebat: *Vbi est Deus Emath: vbi est Deus Sepharuaim*, &c. (subiungendo) *vt possit eruere Dominus Hierusalem de manu mea.* Est ergo sensus blasphemiæ: vbi est Deus tuus liberans te. Tristis verè animus de inhonoratione Dei, pascitur lachrymis, non habens aliud impræsentiarum remedium: amans quippe non potest sentire tam continuam contumeliam amati sine continuis lachrymis: operatur enim magna amor Dei si est in animo, & si operari renuit, amor non est, inquit Gregorius. 4. Reg. 18. v. 34. 35.

Magna operatur amor Dei, & si operari renuit amor non est.

HORVM

Vers. 4 HORVM RECORDABOR. Incipit hîc pars Executiua tali ordine : Primò tractatur illa particula, *quando veniam & videbo.* Secundò illa, *sicut ceruus*, &c. *sitiuit anima mea ad Deum*, &c. ibi, *Deus meus.* Tertiò tractatur illa. *fuit mihi lacbryma*, &c. ibi, *die percipiet.* Aduerte quòd tria sunt proposita, scilicet, bonum affectatum, scilicet, apparere in domo Domini : & hoc explicatum est in secundo versiculo. Et afflictio animi : quæ tangitur in primo versiculo in afflictione ceruæ vexatæ, & propterea sitientis. Et demum mœstitia continua de blasphemia Dei: quæ explicata est in tertio versiculo. *Horum*, trium, *recordabor*, hoc est, non postergabo hæc, non tradam obliuioni sed ad memoriam reuocabo : & reuocando ad memoriam hæc, *effundam super me animam meam*, reducam intellectum & actum meum ad meipsum, Primi Reg. 1. Anna Samuëlis mater dixit ad Heli sacerdotem: *Effudi animam meam in conspectu Domini*, quando seipsam in Deum reduxerat orando : iste autem quia ad seipsum suas meditationes reuocare intendit, *effundam*, inquit, *super me animam meam* meditantem. Quid autem meditaturus sit subiungit : *quoniam transibo in numero, incedam cum eis vsque domum Dei.* Inter memoriam trium dictorum malorum, consolatio miscetur meditando diuinam promissionem : hanc enim denotat coniunctio *quoniam* : quia ipsa est vera causa reditus ad domum Dei. Et propterea ait: *quoniam transibo in numero*, in numerositate comitatus. Nec transibo accelerans aut diuulsus, sed *incedam cum eis*, hoc est pedetentim ambulans cum ista multitudine : talem siquidem ambulationem sonat dictio Hebraïca : vt intelligas securitatem itineris. Et hoc non per partem itineris, sed *vsque domum Dei.* Nec sola aderit securitas: sed *in voce laudis*, quæ fit cantando, *& confessionis*, diuinæ virtutis, *multitudo festiuans*, supple perget. Et impletum est hoc ad literam teste Iosepho in 11. lib. Antiq. in secundo regressu Zorobabel sub Dario rege Persarum, quando in cymbalis ierunt ex Babylonia in Hierusalem.

Tres piarum lacrymarum causa.

1.Reg.1.15.

Ex qua promissione apostrophat Propheta ad propriam animam, confortando ipsam : *Quid incuruaberis anima mea & tumultuaberis super me?* Depingitur hîc pugna animæ contra hominem, ex eo quod anima grauata multum tristitiâ propter desiderati boni absentiam, nimis deiiciebatur : hoc est, quòd tristitia incuruabat, deiiciebat animam à viuacitate spei, & conturbabat tranquillitatem animæ. Hæc enim duo significantur, dum non interrogando sed cohibendo & arguẽdo ait : *quid incuruaberis*, ex celsitudine tantæ spei, *anima mea : & tumultuaberis*, per modum tumultuantis inquietabis, *super me. Expecta Deum* (hinc apparet quòd incuruatio respectu spei inducta est) *quia adhuc confitebor*, confessione laudis, *eum*, Deum : nec solum eum sed etiam *salutes facierum eius*, id est, præsentiæ eius, hoc est, salutes multas in domo Domini, quod est bonum tam desideratum.

Pugna animæ contra ipsum hominem.

Vers. 6. DEVS MEVS, SVPER ME ANIMA MEA INCVRVABITVR. Tractatur hîc multitudo afflictionum significata in primo versiculo : tria declarando. Primò periculum incuruationis animæ à perfecta rectitudine viuæ spei. *Deus meus* (fiducialiter exponit Deo periculum) *anima mea incuruabitur*, à perfecta rectitudine spei, *super me.* Dixerat superiùs, *Effundam animam meam super me* : dicit modò quod ista effusio non sufficit. Et ratio in altero versiculo subiungitur: *Abyssus ad abyssum vocans in voce canalium tuorum, omnes fractiones tuæ & vndæ tuæ super me transierunt.* Multitudo tribulationum hîc significatur ex similitudine aquarum duplici.

Prima, penes inundationes aquarum super terram ex duabus partibus : scilicet ex elementis superioribus per pluuiam, & ex elementis inferioribus per eruptionem fontium. Vnde dicitur in Genesi quòd *aperta sunt cataractæ cœli & rupti sunt fontes abyssi.* Et ex vtraque parte meatus appellantur hoc in loco canales seu fistulæ Dei: & dicitur quòd *in voce canalium*, hoc est in sonoro cursu seu descensu aquarum per canales seu fistulas tuas tam ex nubibus quàm ex fontibus, *abyssus*, hoc est profunditas vna aquarum, *ad abyssum est vocans*, hoc est, inuitans & pertingens: nam secundùm naturam cùm aquæ tam affluenter è nubibus & fontibus fluunt vt sonent, iungitur vna profunditas alteri. In terra iungitur lacus fluminibus per redundantiam, & vnus lacus alteri per effluxum: ita quòd apparet quandoque terræ pars magna velut vnum mare. Et intendit dicere quòd abyssus inuitat abyssum in tanto effluxu aquarum quòd non pluere aut fluere sed per canalia sonando ruere appareant aquæ. Et intendit per hanc parabolam quòd sicut tempore magnarum inũdationum abyssus abyssum sic inuocat, ita in hac sua captiuitate afflictio afflictionem inuitat.

Tribulationes aquis comparatæ.

Genes.7.11.

Altera similitudo est penes aquas maris, in quibus sunt vndæ maximæ infractæ in seipsis & vndæ etiam magnæ quæ confringuntur ad obstacula occurrentia. Vtrasque vndas dictiones Hebraïcæ significant : & quæ primo loco posita est significat vndas quæ confringuntur (& propterea dicuntur Hebraïcè fractiones) altera autem infractas. Et intendit quòd omne genus tribulationum venit super nos.

Remedium autem in litera interponitur : metrica siquidem scriptura non seruat exactè ordinem sententiarum, sed intersecat eas. Remedium est memoria beneficiorum diuinorum quæ olim collata fuerunt populo cùm primò introductus est in terram promissionis. Vbi aduerte quòd superius consolatus est se, meditando promissionem diuinam de futuro beneficio reductionis in domum Dei : modò consolatur se ex memoria præteriti similis beneficij dicens : *Ideo ne incurnetur anima mea inter tot tribulationes, recordabor tui* Deus *de terra Iordanis & Hermoniorum a monte paruo.* Clara est recordatio Dei *de terra Iordanis* : significat enim beneficia diuina tempore Iosue, qui introduxit populum ex Iordane in terram promissionis. Clara quoque est recordatio Dei *de terra Hermoniorum* : quoniam significat beneficia collata populo tempore Moysi in debellatione regum Amorrhæorum trans Iordanem, scilicet, Seon & Og : hæc enim fuerunt à torrente Arnon vsque ad montem Hermon : vt patet Deuteron. 3. Pluraliter autem creditur significari propter diuersitatem partium ad diuersas nationes spectantium. Vnde dicitur ibidem quòd Sidonij vocant ipsum Sirion, & Amorrhæi Sannir, vt perinde sit dictum *Hermoniorum* ac si fuisset dictum *Hermon, Sirion & Sannir.* Non liquet autem quid intelligatur per *montem paruum* Quidam putant *Mizar* esse nomen proprium montis, & dictũ à monte *Mizar* : sed

Scriptura metrica non seruat exactè sententiarum ordinem.

Cur hic meminit terræ Iordanis & Hermoniorũ?

Mons paruus quisnam?

sed quia in Scriptura hoc non apparet, non audeo consentire. Vnde rectius est vt à monte paruo intelligamus à monte Oreb: qui est mons Dei & primus locus in quo inchoauit Deus loqui ad Moysen de eductione populi ex Ægypto in terram promissionis, qui est mons paruus. Et consonat sententiæ: vt populus consoletur se ex fine, *de terra Iordanis*, ex medio, & *Hermoniorum*, & ex principio liberationis & eductionis populi in terram promissionis, *à monte paruo*.

In Hebræo habetur in datiuo *voci*, sed constructio mutauit in *voce*.

Merces lacrymarum. *Vers.* 8. DIE PERCIPIET DOMINVS. Tractatur hîc ille versiculus, *fuit mihi lachryma mea*, &c. tali ordine. Primò describitur merces: scilicet quòd pro eo quòd fleuit die ac nocte, *dabit Deus die* quidem *gratiam suam mecum*. In qua comprehenduntur vniuersa dona Dei gratuita: *nocte* verò *canticum suum mecum*: in quo comprehenditur vniuersa lætitia spiritus in Deo. Deinde describitur medium: scilicet quòd interim quòd Deus det hæc in templo suo, vtar medio orationis. *Oratio*, interim *mea Deo vitarum mearum*, auctori & conseruatori. *Dicam Deo*, Ecce oratio: *Petra mea quare oblita es mei*, ad similitudinem obliti retardas reductionem mei? Et rursus *quare ater incedam*, hoc est, ad similitudinem lugentium procedo de tristitia in tristitiam? Ita quòd duo mala explicat. Et quòd obliuioni datus est. Et hoc minus malum esset nisi procederetur de tristitia in tristitiam: quod est in accumulatione malorum esse. Ac si diceret: quare in vtroque malo (dilationis scilicet & augmenti malorum) me vides non succurrendo?

Occasiones autem augmenti malorum subiungit tres? Prima, *in oppressione inimici*, in quo significatur oppressio populi dispersi ab inimicis. Secunda, *in occisione in ossibus meis*. In quo significari videtur occisio maiorum, qui sunt velut ossa populi: vtpote quia sicut ossa sustentant corpus ita primates sustinent populum, monendo, confortando, exempla præbendo. Vel significatur occisio imminens, quam constat magis imminere primatibus quàm plebi: vt patet de Mardochæo: consueuerunt enim irati Principes sæuire in capita multitudinis. Tertia, *exprobrauerunt mihi angustiatores mei in dicere suo ad me tota die: vbi Deus tuus?* Hæ sunt rationes dicendi Deo: *quare oblitus es mei, & quare ater incedam?* Aduerte hîc quòd primum Propheta introduxit consolationem ex meditatione promissi beneficij: deinde ex recordatione receptorum olim beneficiorum, & nunc tertiò ex oratione recurrendo ad Deum: vt integra sit afflicti consolatio durante afflictione.

Primates sunt ossa populi.

Demum iterum apostrophat ad animam suam: *Quid incuruaberis anima mea?* Et repetuntur versiculi superiores, cum triplici tamen differentia. Prima est quòd hîc repetitur interrogatiuũ, *& quid tumultuaberis super me?* Et hoc ad augmentum increpationis spectat. Secunda est quòd hîc dicitur pronomen *mearum, salutes facierum mearum*: ibi dictum est *salutes facierum eius*: vt intelligas quòd confitebitur salutes & præsentiæ diuinæ, hoc est, in domo Dei: & præsentiæ propriæ. In quo videtur significare quòd ipsemet videbit has salutes: ac per hoc non multum distare. Et reuera vt dictum est, multi eorum qui viderant templum prius, interfuerunt fundationi secundi templi. Tertia: quia hîc additur *& Deum meum*, per gratiam cultus.

Superiores versiculi repetuntur.

Recole & aduerte quòd in hoc Psalmo Propheta loquitur in persona populi dispersi, & propterea cùm conuertit sermonem ad animam suã, videtur quòd sit parabolicus sermo: hoc est quòd sicut in vno & eodem homine homo secundùm partem superiorem, id est, mentem, confortat seipsum secundùm partem inferiorem (quam significat anima ab officio animandi corpus, à respiciendo inferiùs significata) ita in vno populo velut vno corpore mystico pars superior quæ magis sapit ea quæ Dei sunt, confortat imbecilliorem partem magis sapientem ea quæ sunt affectus carnalis. Et iuxta hanc similitudinem intelligimus Psalmum hunc dictum à populo in persona spiritualium qui intelligebant & firmâ spe expectabant aditum in Hierusalem, summâ auiditate illum cupientes: vt erant Daniel, Zacharias, Aggæus, &c. Et hi inducuntur confortare infirmiores, minoris spei & maioris murmuris. Quos etiam vt blandè intelligas confortatos, describit à superioribus appellatos *animam suam*. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO. XLII.	IVXTA HEBRÆVM. XLIII.
1 *IVDICA me Deus & discerne causam meam: de gente non sancta ab homine iniquo & doloso erue me.*	1 *Propheta.* IVDICA me Deus † & litiga litem meam: à gente non gratiosa, à viro doli & iniquitatis erues me. † *Dij.*
2 *Quia tu es Deus fortitudo mea: quare me repulisti, & quare tristis incedo dum affligit me inimicus?*	2 Quia tu (es) Deus fortitudinis meæ: quare elongasti me, quare ater incedam in oppressione inimici?
3 *Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum & in tabernacula tua.*	3 Mitte lucem tuam & veritatem tuã: ipsa ducent me, introducent me ad montem sanctitatis tuæ & ad tabernacula tua.

4 Et

4	*Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat iuuentutem meam.*	4	Et introïbo ad altare Dei † ad Deum lætitiæ, exultationis meæ: & confitebor te in cithara Deus † Deus meus. († Deorum. † Dij.)
5	*Confitebor tibi in cithara Deus Deus meus: quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* *Spera in Deo: quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei & Deus meus.*	5	Quid incuruaberis anima mea, & quid tumultuaberis super me? expecta Deum †, quoniam adhuc (appositiuè) confitebor eum salutes facierum mearum & Deum meum. († Dijs.)

COMMENTARIVS.

Titulus nullus est.

Eadem materia quæ Psalmi præcedentis. Materia Psalmi (vt ex ipso apparet) eadem est cum materia Psalmi præcedentis: nam manifestè hîc agitur de liberatione populi à gentilibus, & de reditu ad domum Dei: & similiter confortat seipsum populus vt prius.

SVMMARIVM EST.

Populus dispersus petit liberari à gente prophana & duci ad domum Dei, sacrificaturus & laudaturus Deum: interimque seipsum confortat in diuina spe.

Persona loquens Propheta est in persona populi dispersi.

Vers. 1. Iudica me Devs. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi *à gente*. Duo proponit: Alterum est: *iudica me*: hoc est ius dicito, sententiam profer pro me. Et in hoc petit non differri promulgationem sententiæ. Alterum est: *& litiga litem meam*. In quo executionem sententiæ pro causa sua petit. Et primum quidem petit tanquam à iudice: secundum tanquam ab executore, immò ab agente causam suam. Et perinde dictum est *litiga litem meam*, ac si dictum fuisset, perfice, ad optatum effectum deduc litem meam. *Psalmus iste est velut complementum Psalmi præcedentis.* Vbi aduerte quòd Psalmus iste est velut complementum Psalmi præcedentis: & propterea incipit petendo expeditionem causæ: nam Psalmus præcedens descripsit populum sitientem, meditantem, recordantem ac orantem, non tamen explicitè petentem: iste autem introducit populum petentem tum seipsum iudicari, tum litem suam ad optatum finem duci.

A gente non gratiosa, a viro doli et iniqvitatis ervis me. Incipit hîc pars Executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *iudica me Deus*. Secundò illa, *& litiga litem meam*, ibi, *mitte lucem tuam*. Circa iudicium intendit propònere ex vna parte conditiones gêtium inter quas est dispersus, & ex altera parte conditiones suas: ex his inferens sententiam dandam pro se. Conditiones gentium proponit tres. Prima est, *non gratiosa*: hoc est, non benefica, non benigna: per quam negationem videtur insinuare negationem omnium virtutum. Secunda, quòd est dolosa intus in animo. Et tertia quòd est iniqua extra in factis. Et ex his demeritis statim infert: *erues me*, eripies me, à gente tam iniqua. Conditiones autem suas, ex parte Dei non ipsius populi computat: *quia tu Deus fortitudinis meæ*. Non audet allegare merita, sciens quòd pro culpa sua dispersus est: sed audet allegare honorem Dei: quia scilicet tu es Deus fortitudinis meæ: & præteritæ, cùm introduxisti me in terram promissionis à principio: & subsecutæ, defendendo me tanto tempore in terra promissionis: & futuræ: quia non aliunde expecto fortitudinem nisi à te. Ex hoc inquam, quòd tu es Deus omnis fortitudinis meæ, consequens est vt me iudices nec amplius differas: *quare elongasti me, quare ater incedam in oppressione inimici?* Ac si apertè diceret: consideranti quòd tu es Deus fortitudinis meæ, mirum est, mirum apparet, quòd tantùm elongasti me, elongatione temporis: & similiter quòd tanto tempore incedam tristis, mœrens. Et est repetitio summaria dictorum in præcedenti Psalmo: vbi orando dixit: *petra mea* (quod idem est, quod firmitas mea) *quare oblita es*, &c. Sed quod ibi attribuit obliuioni, hîc attribuit voluntariæ elongationi.

Et aduerte quod duplices suas conditiones proponit populus. Et ex parte Dei: quia Deus est fortitudo eius: & multiplici afflictione quàm patitur, exaggerando afflictiones: dum coniungit eas cum illa conditione, quòd Deus est fortitudo eius. Hinc enim admiratiuè subiungit, *quare elongasti?* cùm appareat quòd debeat esse oppositum. Collige itaque inde conditiones gentis iniquæ, hinc tot afflictiones populi, cuius solus Deus est fortitudo, & inferes sententiam liberationis.

Vers. 3. Mitte lvcem tvam. Tractatur hîc illa particula, *litiga litem meam*: petendo vt perducat illam ad finem executionis. Et primò petit medium non arma sed lucem & veritatem. Vbi Propheta manifestè præuidit reductionem dispersi populi ad Ierusalem (siue tempore Messiæ, siue tempore Zorobabel) non futuram potentiâ aut vi armorum, sed diuina illustratione efficiendam: vnde non petit, extende brachium tuum, sed *mitte lucem tuam*. *Dispersi populi reductio ad Ierusalem praedicitur.* Quod verificatum esse in aduentu Messiæ, non est dubium, *ambulantibus*, enim, *in regione vmbræ mortis lux orta est eis*. (Isai. 9. 2.) Reductio quoque captiuitatis Babylonicæ facta est mittente Deo lucem, clarificantem & mentem Cyri regis & Iudæos, quæ quasi obscuri iacebant inter tenebras gentium: nam (vt dicitur 2. Paralip. vlt. & in principio Esdræ) *suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum*: & prædicauit clarè Dei nomen & reædificationem templi cum libertate Iudæorũ redeundi in Ierusalem. (2. Paralip. 36. 22. 1. Esdr. 1. 1.) Vbi apparet missa à Deo lux & veritas: postmodum renouata in Dario, Xerxe & Artaxerxe.

Et

Et vltra veritatem cognitam quòd Deus gubernat mundum, missa est veritas promissionis factæ de reductione populi in Ierusalem: vt promiserat per Hieremiam.

Mons sanctitatis est mons Moria, in quo ædificatum est templum.

Deinde subditur efficacia lucis & veritatis: *Ipsa ducent me*, nec solum ducent sed *introducent me ad montem sanctitatis tuæ* (qui est mons Moria: in quo constat ædificatum esse templum, 2. Paralip. 3.) *& ad tabernacula tua*, circa templum, &c.

Tertiò explicatur finis reditus. *Et introibo ad altare Dei*, offerendo sacrificium: nec solùm ad altare sed *ad ipsum Deum lætitiæ exultationis meæ*. Parum esset sacrificare in altari, nisi mente offerremus mentes nostras Deo, qui dicitur Deus lætitiæ internæ, exultationis externæ tunc futuræ: vt intelligas Deum rationem totius lætitiæ. *Et confitebor te in cithara Deus, Deus meus*: non erit vana aut prophana lætitia, sed ad laudem Dei, adiunctis etiam organis musicis, significatis per citharam. Demum apostrophat ad animam suam, de verbo ad verbum sicut in calce præcedentis Psalmi. Vnde non est opus repetere expositionem.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Pro victoria filiis Core eruditio.*	Vincenti filiis Core intelligentia.
XLIII.	XLIV.
2 *DEVS auribus nostris audiuimus: patres nostri annunciauerunt nobis.* *Opus quod operatus es in diebus eorum: in diebus antiquis.*	1 *Propheta.* DEvs † in auribus nostris audiuimus: patres nostri narrauerunt nobis, quod opus operatus es in diebus eorum, in diebus antiquitatis. † Ds.
3 *Manus tua gentes disperdidit & plantasti eos: afflixisti populos & expulisti eos.*	2 Tu manu tuâ gentes expulisti & plantasti eos: malefacies populis, & emisisti eos.
4 *Nec enim in gladio suo possederunt terrã: & brachium eorum non saluauit eos.* *Sed dextera tua & brachium tuum & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis.*	3 Quoniam non in gladio suo hæreditauerunt terram, & brachium eorũ non saluauit eos: sed dextera tua, & brachium tuum, & lux facierum tuarum, quia voluisti ipsos.
5 *Tu es ipse rex meus & Deus meus: qui mandas salutes Iacob.*	4 Tu ipse met rex meus: Deus † præcipe salutes Iacob. † Ds.
6 *In te inimicos nostros ventilabimus cornu: & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos.*	5 Et In te angustatores nostros cornupetemus: in nomine tuo conculcabimus insurgentes nostros.
7 *Non enim in arcu meo sperabo: & gladius meus non saluabit me.*	6 Quia non in arcu meo confidam: & gladius meus non saluabit me.
8 *Saluasti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos confudisti.*	7 Quia saluasti nos de angustatoribus nostris: & odientes nos confudisti.
9 *In Deo laudabimus tota die: & in nomine tuo confitebimur in seculum.*	8 Ideo In Deo † laudauimus tota die: & nomen tuum æterno confitebimur. *Selah.* † Dijs.
10 *Nunc autem repulisti & confudisti nos: & non egredieris Deus in virtutibus nostris.*	9 Etiam elongasti te & erubescere fecisti nos: & non egredieris in exercitibus nostris.
11 *Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros: & qui oderunt nos diripiebant sibi.*	10 Facies vertere nos retro ab angustatore: & osores nostri diripuerunt nostra & nos sibi.
12 *Dedisti nos tanquam oues escarum: & gentibus dispersisti nos.*	11 Dabis nos quasi ouem escæ: & in gentibus ventilasti nos.
13 *Vendidisti populum tuum sine pretio: &*	12 Vendes populum tuum sine opulentia:

non fuit multitudo in commutationibus eorum.

14 *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris: subsannationem & derisum ijs qui sunt in circuitu nostro.*

15 *Posuisti nos in similitudinem gentibus: commotionem capitis in populis.*

16 *Tota die verecundia mea contra me est: & confusio faciei meæ cooperuit me.*

17 *A voce exprobrantis & obloquentis: à facie inimici & persequentis.*

18 *Hæc omnia venerunt super nos: nec obliti sumus te, & iniquè non egimus in testamento tuo.*

19 *Et non recessit retro cor nostrum: & declinasti semitas nostras à via tua.*

20 *Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis: & cooperuit nos vmbra mortis.*

21 *Si obliti sumus nomen Dei nostri: & si expandimus manus nostras ad Deum alienum.*

22 *Nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit abscondita cordis.*

Quoniam propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis.

23 *Exurge, quare obdormis Domine? exurge & ne repellas in finem.*

24 *Quare faciem tuam auertis: obliuisceris inopiæ nostræ & tribulationis nostræ?*

25 *Quoniam humiliata est in puluere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster.*

26 *Exurge Domine: adiuua nos, & redime nos, propter nomen tuum.*

lentia: & non multiplicasti tibi in commutationibus eorum.

13 Pones nos opprobrium vicinis nostris: subsannationem & irrisum circumdantibus nos.

14 Pones nos prouerbium in gentibus: commotionem capitis in populis.

15 Tota die erubescentia mea coram me: & confusio facierum mearum cooperuit me.

16 A voce exprobrantis & blasphemantis: à faciebus inimici & vltoris.

17 Omne hoc mali venit nobis: & obliti non sumus tui, & non mentiti sumus in pacto tuo.

18 Non est tractum retro cor nostrum: & non deuiauit gressus noster à semitis tuis.

19 Quoniam contriuisti nos in loco draconis: & operuisti super nos in vmbra mortis.

20 Si obliti sumus nominis Dei nostri, & extendimus palmas nostras Deo alieno.

21 Nunquid non Deus † inuestigabit istud? quoniam ipse est cognoscens occulta cordis. † *Dij.*

22 Quoniam super te euangelizato interfecti sumus tota die: reputati sumus vt ouis macelli.

23 Expergiscere, quare dormies Domine †? vigila, ne elongare sempiterno. † *Domini mei.*

24 Quare facies tuas abscondes: obliuisceris afflictionem nostram & oppressionem nostram?

25 Quoniam incuruata est pulueri anima nostra: adhæsit terræ venter noster.

26 Surge, auxiliare nobis: & redime nos propter gratiam tuam.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti filijs Core intelligentia.* De quo vt suprà in titulo Psalmi 41.

Materia. Quæ autem sit materia, non apparet ex titulo. Vnde inuestigando illam scito aliquid circa materiam Psalmi manifestum & aliquid ambiguum esse. Manifestum quippe est commemorari diuina beneficia collata populo Hebræorum cùm introductus est in terram promissionis, Deo pro illis pugnante, & deplorari quòd in præsentia totum oppositum Deus facit: & hoc sine ipsius populi flentis culpa. Ambiguum autem restat quo tempore hæc quæ posterius deflentur mala, verificata sunt: an scilicet tempore veteris an tempore noui Testamenti. Et est ratio dubij: quia nullibi in tota historia veteris Testamenti inueniuntur verificari hæc duo simul: scilicet tantam populi afflictionem quanta hîc describitur, & simul tantam populi innocentiam quanta hîc *Ex titulo partim manifesta, partim dubia.*

Sermo est hîc de populo non de singulari persona.

hîc describitur. Et bene nota quòd est sermo de populo & non de singulari persona: vt Tobia seu Hieremia: populus quippe iustus nusquam legitur sic afflictus vt hîc describitur. Vnde materia istius Psalmi non est populus captiuus captiuitate Babylonica, aut quæcumque alia tam Israël quàm Iuda: quoniam constat quòd propter sua peccata fuerint dispersi. Et similiter non est populus afflictus sub Antiocho: intantum vt
2. Machab. 5. 14. — 2. Machab. 5. dicatur: *Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venundati.* Quia propter eorum peccata (vt ibidem dicitur) hoc euenit. Et intantum tunc recesserunt à Deo Iudæi quòd in
2. Machab. 6. v. 6. 7. — 6. capitulo subditur: *Nec simpliciter se quisquam Iudæum confitebatur: & cùm Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hederâ coronati Libero circuire.* Populus autem de quo Psalmus iste tractat, non est oblitus Dei, nec iniquè gessit in Testamento Dei, nec recessit retro cor eius: & propterea quasi admiratur quòd Deus se affligit tam vehementer. In oppositum autem sonant verba Psalmi, sonantis populum istum esse Iacob & filios antiquorum patrum Iudæorum.

Rursus si hæc mala non verificantur in populo Hebræo, oportet assignare historiam quando in nouo Testamento verificata hæc fuerint: & cùm nullibi inueniatur secundùm historiæ sensum hoc verificatum, non minor consurgit ambiguitas.

Non res sermoni, sed sermo rei debet esse subiectus.

Quoniam autem non res sermoni sed sermo rei debet esse subiectus, & ex rerum gestarum historiis constat non esse hîc sermonem de populo veteris Testamenti flente huiusmodi mala cum tanta innocentia, consequens est vt populus Testamenti noui cum summa innocentia vehementissime afflictus prophetetur, deflens tot mala simul cum innocentia.

Populus Christianus sæpe in Scriptura vocatur Israel seu Iacob.

Nec obstat quòd nominetur populus Iacob: quoniam millies Christianus populus in sacra Scriptura appellatur *Israel* seu *Iacob*, propter vnitatem fidei in populo vtriusque Testamenti. Appellantur quoque *filij Iudæorum*; tum quia *salus ex Iudæis est*: vt dicitur Ioan. 4. tum quia primi fundatores Ecclesiæ (quorum tempore hæc verificata sunt) fuerunt etiam natione Iudæi. (Ioan. 4.)

Similiter non obstat quòd in nouo Testamento non fuerint verificatæ species malorum hic enumeratorum: puta quòd fuerint venditi, pluries enim in sacra Scriptura species pro genere ponitur: & sicut pœnæ inferni describuntur ex similitudine pœnarum fletus, stridoris dentium, vermium & huiusmodi, ita pœnæ populi primitiuæ Ecclesiæ describuntur ad similitudinem pœnarum populi fugientis à prælio, direpti, subiecti, venditi, occisi.

Psalmus iste est de afflictionibus primitiuæ Ecclesiæ.

Et quamuis ratio hæc ex rebus gestis sufficiens sit ad suadendum populum istum esse populum primitiuæ Ecclesiæ, suadetur tamen ex auctoritate sacræ Scripturæ: nam Paulus Apostolus ad Roman. 8. affert verba huius Psalmi de seipso & sui
Roman. 8. v. 35. 36. — similibus dicta: *Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio, &c. sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oues occisionis.* Vndique ergo apparet Psalmum istum ad literam introducere populum Christianum vehementer afflictum in Apostolis & Martyribus: vnde meritò sortitus est titulum, eruditio seu intellectus tanti mysterij.

SVMMARIVM EST.

Populus Christianus primitiuæ Ecclesiæ in tribulatione magna constitutus, confert diuinæ protectionis & opis beneficia exhibita priori populo quoad temporalia bona, cum immutato Deo & rege ac facilitate similiter nunc protegendi & adiuuandi etiam in temporalibus: & tamen mutatam in contrarium diuinam sententiam experitur, Deo repellente, confundente, non adiuuante, imò subijciente eos inimicis, ponente eos in derisum, &c. cum nec in his omnibus peccauerit, recurritque demum ad Deum vt adiuuet & redimat.

Persona loquens Propheta est in persona populi.

DEVS IN AVRIBVS NOSTRIS Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *tu manu tua*. Proponit vnum: scilicet diuinum opus in veteri Testamento patratum, tanquam basim contrarietatis & admirandæ mutationis. Vers. 1.

Contrarietas diuini operis in veteri & nouo Testamento.

Intelligentia siquidem præsentis Psalmi versatur circa contrarietatem diuini operis in veteri & nouo Testamento: dum in Testamẽto veteri Deus pro populo iusto operabatur protegendo à malis temporalibus & seruando in bonis; in nouo autem operatus est affligendo populum iustum, priuando bonis temporalibus & replendo malis. Et propterea proponendo *opus quod operatus es*, proponit materiam Psalmi vt basim tantæ contrarietatis. Ascendens igitur mente ad Deum perfectus primitiuæ Ecclesiæ populus, à Deo inchoat. *Deus in auribus nostris*, non per interpositos nuncios, non per vagam famam, *audiuimus*: sed *patres nostri*, qui ex officio nos debent erudire *narrauerunt nobis opus quod operatus es in diebus eorum*, hoc est, quod ipsi viderunt, *in diebus antiquitatis*: vt per hoc intelligas appellatione patrum non significasse postremos tantùm genitores, sed omnes sibiinuicem succedentes patres patribus: loquitur enim iuxta mandatum legis, vt primi parentes annuncient filiis, & illi suis filiis, & sic deinceps. Quotidie autem hoc etiam verè dicere possumus: dum audimus Moysen, Samuelem, &c. annunciantes nobis in scriptis suis opus quod operatus est Deus in diebus eorũ.

Pars Executiua.

Vers. 2. TV MANV TVA. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò populus explicat opus quod operatus est Deus coram patribus sub ratione effecti ab ipso Deo. Secundò ibi, *tu ipse rex*, explicat idem opus sub ratione faciliter efficiendi etiam nunc. Tertiò explicat sub ratione omissi nunc & translati in contrarium, ibi, *etiam te elongasti*. Quartò manifestat quòd ista mutatio est in contraria, ibi, *omne hoc venit nobis*. Quintò supplicat pro adiutorio & redemptione, ibi, *expergiscere*. Licet itaque multa fuerint mirabilia Dei opera in veteri facta Testamento, hîc tamen nullum partiale opus explicatur: sed tanquam vnum totale opus omnia complectens explicatur opus expugnationis inimicorum, & introductionis in terram promissionis.

Expugnatione inimicorũ, & introductione in terram promissionis cætera Dei opera in veteri Testamento intelliguntur.

Expugnationis quidem: *Tu manu tua*, non nostra, *gentes*, habitantes in terra promissionis, *expulisti & plantasti eos*. Ordo præposterus, sed necessariò permutatus: prius fuerunt gentes Chananeæ plantatæ & deinde expulsæ: sed pro ratione expulsionis affertur plantatio, manifestando dominium Dei, quòd in potestate eius fuit expellere, vtpote, qui plantauerat easdem: sicut in potestate Domini qui plantauit arborem, est euellere

euellere eam. *Malefacies populis*, illis, *& emisisti eos.* In malefaciendo significatur modus expulsionis: scilicet occidendo variis modis. In coniunctione autem futuri & præteriti significatur perseuerantia: quòd Deus non tantùm pro tunc, sed etiam in futurum perseueraturus esset in expulsione populorum: non enim simul omnes expulsi sunt: vt patet in libro Iosue & Iudicum. Et quòd manus tua hoc fecerit, patet: quoniam *non in gladio suo hæreditauerunt terram*, patres nostri, & per hoc excluduntur omnia arma: *& brachium eorum non saluauit eos*, & per hoc excluditur naturale robur.

Introductionis autem: *sed dextera tua*, operatio tua fauorabilis (qualis fuit operatio tot miraculorum ibi interuenientium: vt exsiccatio maris & Iordanis, &c.) *& brachium tuum*, opus tuum fortè in tot debellationibus, *& lux faciei tuæ*, illustratio gratiæ tuæ dirigens in agendis: hæc enim tria concurrerunt. *Quia voluisti ipsos*, hæc est tota ratio facti, quia dilexisti ipsos patres nostros.

Verf.4. TV IPSE REX MEVS. Tractatur hîc diuinum opus sub ratione facile efficiendi de nouo. Et intendit quòd quia ipse est idem Deus qui prius, si præceperit fiet sicut prius: ita quòd non interuenit aliquis defectus nec ex parte Dei, nec ex parte populi quando simile opus fiat si Deus tantummodo præcepit.

Idem Deus nunc qui prius.

Et quantùm est ex parte Dei *tu ipsemet*, qui olim, *rex meus*, habes idem officium, ita es rex meus nunc sicut tunc: *Deus*, naturâ ipse qui prius, *præcipe*, non oportet vt labores, solum tuum imperium sufficit. præcipe, hoc est, si præceperis, *salutes Iacob*, id est, populi tui. Ecce efficacia similis antiquæ. *In te angustatores nostros cornupetemus, in nomine tuo conculcabimus insurgentes nostros*, sicut fecerunt patres nostri antiqui.

Ex parte verò populi excludit primò impedimentum fiduciæ in seipso: quia non in arcu meo confidam, & gladius meus non saluabit me. Excludit secundò impedimentū ingratitudinis. *Quia saluasti nos de angustatoribus nostris & odientes nos confudisti, ideo in Deo laudauimus tota die*, laudes diuinas diximus: *& nomen tuum in æternum confitebimur:* hoc est, & laudabimus & laudauimus; hoc est, laudabimus non inchoantes laudare sed laudauimus etiam prius. Et bene nota quòd quamuis hæc omnia istius particulæ quantùm ad modum dicendi assertiuè scripta sint, siue in præterito, siue in futuro, intentio tamen dicentis populi non tendit ad asserendum futura & facta absolutè, sed in euentu præcepti diuini: hoc est, si Deus præcipiat salutes. Quem intellectum textus ipse porrigit, dicendo: *præcipe salutes Iacob, & in te conculcabimus inimicos nostros*, quia non confidemus in nobis, &c. Quid enim aliud per hoc significatur, nisi quòd te præcipiente, nos in te confidentes vincemus: & consequenter subactis inimicis, *quia saluasti nos* & laudauimus & laudabimus: hoc est, non inchoantes tunc, sine intermissione laudes tuas dicemus. Monstratur siquidem per hæc non res gesta aut gerenda absolutè, sed facilitas diuini operis, & ex parte Dei actoris, & ex parte populi bene dispositi ad suscipiendum diuinum beneficium: vt intelligas ex neutrius partis defectu venire hanc mutationem.

Verf.9. ETIAM ELONGASTI. Tractatur hic mutatio diuini operis. Vbi considera ordinem: olim tu manu tua perdidisti inimicos, saluans patres: & nunc idem ipse es, & te præcipiente simile opus esset, quia rectè dispositi sumus: attamen video quòd cum his omnibus totum contrarium facis. Explicat autem contraria opera per oppositum ad opera fauorabilia quæ solita sunt præstari in bello; ita quòd sub parabola bellicorum cuncta mala describuntur, quæ primitiua Ecclesia passa est.

Sub parabola belli persecutiones primitiuæ Ecclesiæ describuntur.

Vnde inchoat à priuatione ducis: intendens quòd Deus non est dux eorum sicut fuit dux patrum. *Etiam elongasti*, te à nobis & nos à te, *& erubescere fecisti nos*, te elongato & non comparente: hoc enim subiungit: *& non egrederis in exercitibus nostris*, tanquam dux pugnans pro nobis Et hinc sequitur effectus fugæ nostræ à facie hostium: *facies vertere nos retrò ab angustatore.* Et effectus direptionis: *& osores nostri diripuerunt sibi*, bona nostra nobis fugientibus. Tertius effectus: *Dabis nos quasi ouem escæ:* hoc est, dabis nos occidendos quasi oues quæ occiduntur in escam humanam. Quartus effectus: *Et in gentibus ventilasti nos:* hoc est, eos qui non occidentur, ad similitudinem ventilantis disperges in gentibus quocumque ierint. Quintus declaratiuus huius quarti: *Vendes populum tuum sine opulentia*, tua: hoc est, sine acquisitione opum pro pretio populi. Et explicando hoc subdit: *& non multiplicasti*, opes tuas, *in commutationibus eorum.* Et intendit per hæc quòd tam parui æstimatus est populus sicut qui venditur pro nihilo. Sextus: *Pones nos opprobrium vicinis nostris.*

Hactenus de malis rerum & personæ: modò de malis oppositis gloriæ, famæ, & huiusmodi. Quorum primum est contumelia: *Pones nos opprobrium vicinis nostris*, tanquam viros criminosos. Secundum est derisio: *subsannationem & irrisum circumdantibus nos*, tanquam stultos: & hæ duæ passiones exaggerantur ex eo quòd apud vicinos, non aliquos sed omnes circumcirca: tolerabilius est enim haberi iniquum aut stultum ab extraneis (vtpote ignotis nobis) quàm à vicinis. Tertium est detractionis imprecatoriæ: *Pones nos prouerbium in gentibus:* hoc est, deducemur in prouerbium cùm imprecantur, verbi gratia, Veniat tibi sicut Petro, sicut Paulo: vel execrando, Tracter sicut Christianus & huiusmodi: hoc est enim poni prouerbium in gentibus. Quartum est ignominiæ publicæ: *commotionem capitis in populis.* Quintum est iudicialis vexatio quâ à principibus & iudicibus iniuriis multipliciter affecti sunt. Et huic adiungitur erubescentia: *tota die erubescentia mea coram me: & confusio faciei meæ*, erubescentis, *cooperuit me: à voce exprobrantis & blasphemantis, à facie inimici & vltoris.* Non sufficiunt signa agitati capitis popularis, sed adhibentur voces iniuriarum & etiam blasphemiæ contra Deum, adhibetur præsentia inimici odio habentis & vindictam exercentis. Per quod significatur auctoritas principum exprobrantium Martyribus quasi superstitiosis aut magis, blasphemantiúmque fidem Christi: qui cum hoc quòd sunt inimici habent officium vltoris, quoniam habent gladium ad vindictam malefactorum,

Mala opposita gloriæ, famæ, &c.

Tolerabilius est haberi stultum ab extraneis, quàm à vicinis.

Si quæris modum quo antedicta mala bellica verificantur in populo primitiuæ Ecclesiæ, facile apparet intelligentibus populum primitiuæ Ecclesiæ velut bellum exercuisse cum mundo, & Deum non pugnasse pro eo quantùm ad tempo-

Prædicta mala verificantur in primitiua Ecclesia.

talia bona vel mala: non enim occidit persequutores eorum. Et ideo dicitur quòd non fuit dux corũ: similiter multi Sanctorum velut terga verterunt, dum latuerunt in speluncis & latebris, & de vna ciuitate fugerunt in aliam. Direptio bonorum, occisio, & dispersio, in gestis Sanctorum clarè patent. Venditio non nisi metaphoricè in textu introducitur: nam constat Deum nunquam propriè vendidisse; & adimpleta est, non solùm pro quanto misit Deus Sanctos in mundum tam viles tanquam pro nihilo habitos, sed etiã quantum ad vsum venditorum in seruitutem: nam Christiani propter fidem Christi habiti sunt vt serui ad secanda marmora, ad portanda onera: vt patet in gestis Martyrum. Reliqua quæ spectant ad ignominiam, irrisionem & iudicia non egent expositione: cùm manifestè adimpleta legamus.

Vers. 17. Omne hoc venit vobis. Tractatur hic contrarietas diuini operis ex parte populi. Declarauit in particula superiori opus Dei in nouo Testamento esse contrarium operi antiquo, quantùm ad ipsam speciem operis: quia antiquos defendit, istos non solùm non est tutatus, sed subiecit hostibus, seruituti, ignominiæ, &c. Poterat quispiam dicere hanc contrarietatem diuini operis prouenire ex contrariis meritis prioris populi & noui: scilicet quia prior populus erat iustus, & nouus est iniquus. Hanc obiectionem intendit excludere, aperiendo primò retentam innocentiam inter tot mala: *Omne hoc*, malum descriptum, *venit nobis: & obliti non sumus tui*, (in quo excluditur omne peccatum negligentiæ & ignorantiæ) *& non mentiti sumus in pacto tuo*: in quo excluditur omne peccatum contra legem de cultu Dei: fœdus enim inter Deum & populum erat vt ipse esset Deus eorum & è conuerso. *Non est tractum retrò cor nostrum* (in quo excluditur peccatum internum tam iniquæ quàm remissæ voluntatis) *& deuiauit gressus noster à semitis tuis*. Vbi aduerte quòd negatio *non* in principio versiculi, determinat vtrumque verbum, scilicet, *est tractum*, & *deuiauit*: ita quòd sensus est, & non deuiauit gressus noster à semitis tuis. In quo excluditur omne peccatum contra præcepta legis. Ex quibus apparet quòd populus iste retinuit innocentiam integram.

Innocentia populi primitiuæ Ecclesiæ.

Et quia dixerat, *omne hoc venit nobis, non sumus obliti*, &c. modò explicat rationem vtriusque: scilicet & mali & innocentiæ. Et est ratio quia Deus est auctor omnium istorum malorum. *Quoniam contriuisti nos in loco draconis*. Dicit populus se contritum in loco draconis, vel propter cryptas in quibus habitabant velut dracones: vel quia vt venenosi homines habebantur à mundo, reputante religionem Christianam quasi venenum: & sic contcrebantur velut draco. *Et operuisti super nos in vmbra mortis*. Continua mortis comminatio, continua edicta contra Christianos, continuæ inquisitiones *vmbra mortis* appellantur: quia cooperiri dicuntur sancti propter principum potestatem super illos.

In loco draconis, quid?

Vmbra mortis, quid?

Tertiò probat populus suam innocentiam ex diuino testimonio: *Si obliti sumus nominis Dei nostri, & si extendimus palmas nostras Deo alieno, nunquid non Deus inuestigabit istud?* quasi dicat, certum est quòd inuestigabit & puniet. Et sic habes testimonium ex parte inquisitionis diuinæ. Deinde ex parte notitiæ diuinæ. *Quoniam ipse cognoscens*, supple est, *occulta cordis*. Dupliciter enim posset homo peccans euadere impunis: aut quia lateret Deum: & hoc excluditur, quia nouit *occulta cordis*: aut quia non curaret: & hoc excluditur, quia *inuestigabit istud*.

Quartò adiungit propriæ innocentiæ maximam charitatem ac sanctitatem. *Quoniam super te interfecti sumus tota die, reputati sumus vt ouis macelli*. Maiorem charitatem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis; non propter nos, sed *super te* prædicato & prædicando occidimur, &c. In similitudine autem ad oues macelli significatur non solùm patientia ouilis, sed etiam necessitas ac vtilitas æstimata ac iudicata à principibus mundi de Christianorum occisione: reputabant enim necessarium ac vtile fore occidere Christianos sicut necessarium & vtile est occidere oues macelli.

Martyres ouibus macelli comparantur.

Vers. 23. Expergiscere. Supplicat demum populus vt Deus surgat, auxilietur & redimat. Vbi aduerte quòd quia petitio est rei quæ non habetur, & populus primitiuæ Ecclesiæ erat tantæ perfectionis vt non peteret auxilium diuinum ad hoc vt non pateretur (vt patet ex eo quòd multi eorum dicebant: *Has epulas ego semper optaui*) salutem autem spiritualem habebant, nec in conferendo illam Deus se habebat vt dormiens, ideo petit populus primitiuæ Ecclesiæ duo: Primum accelerationem pacis Ecclesiæ: vt scilicet fides Christiana possit publicè prædicari vbique: ita vt quilibet possit liberè absque persequutionum metu Christianus fieri & esse. Et hoc intendunt petere, dicendo: *auxiliare nobis*. Quæ gratia fuit dilata vsque ad Constantini tempora. Alterum est acceleratio glorificationis corporum: quod (vt Apostolus testatur ad Roman. 8.) *Ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri*. Et hæc petitio significatur dicendo: *& redime nos*. Rom. 8. 23.

Generositas primitiuæ Ecclesiæ.

Duo petit Ecclesia.

Vtrique autem petitioni subseruit petitio *expergiscere*. More itaque humano concludit alloquens populus Deum: *Expergiscere, quare dormies Domine*, quare ad similitudinem protrahentis somnum te habebis. Nec interrogando, sed suspirando & gemendo dicit, *quare*: & subdit: *Euigila, ne elongare in sempiternum*, ne ad similitudinem elongantis se permittas Ecclesiam in his persequutionibus. *Quare faciem tuam abscondes*, ad similitudinem abscondentis faciem gratiæ tuæ te habebis: *obliuisceris afflictionem nostram & angustiam nostram*, ad modum obliti te habebis. *Quoniam incuruata est puluere anima nostra, adhæsit terræ venter noster*: hoc est, quoniam afflictio populi tui tam secundùm passiones animi quàm corporis peruenit ad terminum. Et terminus quidem patiendi ea quæ spectant ad animum (vt sunt ignominia, confusio, irrisio, & huiusmodi) significatur per incuruationem animæ ad puluerem: tanquam non sit aliquid inferius ad quod possit incuruari. Terminus autem patiendi ea quæ spectant ad corpus (vt ignem, gladium, feras, &c.) significatur per adhæsionem ventris ad terram: tanquam non sit locus inferior quo possit humiliari quàm ventre iuncto terræ: sic enim totus homo secundùm anteriorem partem terræ iungitur. Tanquam apertè dixisset: quia iam impleta est mensura patiendi: vnde cùm dixisset: *Expergiscere, vigila*, adiungit, *surge, auxiliare nobis*: non ne patiamur, sed vt multiplicetur Ecclesia tua in libertate pacis tuæ. Et hoc quoad hanc vitam.

Ventrem adhærere terræ, quid?

Et

Et redime nos, de ſeruitute corruptionis quantùm ad corpus : & hoc quoad accelerandum reſurrectionis tempus. Cuncta autem petimus non propter noſtra merita (ſcimus enim quod *non ſunt condigna paſſiones huius temporis*, &c.) ſed propter gratiam tuam. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori pro lilijs filiorum Core eruditionis canticum amantiſſimum*

XLIV.

2 *ERVCTAVIT cor meum verbum bonum : dico ego opera mea regi.*

Lingua mea calamus ſcribæ : velociter ſcribentis.

3 *Speciosus forma præ filijs hominum, diffuſa eſt gratia in labijs tuis : propterea benedixit te Deus in æternum.*

4 *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum : potentiſſime.*

5 *Specie tua & pulchritudine tua : intende proſperè procede & regna.*

Propter veritatem & manſuetudinem & iuſtitiam : & deducet te mirabiliter dextera tua.

6 *Sagittæ tuæ acutæ : populi ſub te cadent in corde inimicorum regis.*

7 *Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi : virga directionis, virga regni tui.*

8 *Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem : propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.*

9 *Myrrha & gutta & caſia à veſtimentis tuis, à domibus eburneis : ex quibus delectauerunt te filiæ regum in honore tuo.*

Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato : circumdata varietate.

11 *Audi filia & vide & inclina aurem tuam : & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui.*

12 *Et concupiſcet rex decorem tuum : quoniam ipſe eſt Dominus Deus tuus, & adorabunt eum.*

13 *Et filiæ Tyri in muneribus : vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti ſuper ſoſannim filiis Core intelligentia canticum dilectionum.

XLV.

1 *Propheta.* MOVIT cor meum verbum bonum [ideo] : dicens [ſum] ego opera mea regi, lingua mea [eſt tanquam] calamus ſcribentis velocis.

2 [ô Meſſia] Pulchruiſti plus filiis Adam, infuſa eſt gratia in labiis tuis : propterea benedixit te Deus † æterno. † *Dij.*

3 Cinge gladium tuum ſuper femur : potens gloria tua & pulchritudine tua.

4 Et pulchritudine tua profice : equita ſuper verbum veritatis & humilitatis iuſtitiæ, & docebit te terribilia dextera tua.

5 Sagittæ tuæ acutæ [ſunt] : populi ſub te cadent in corde inimicorum regis.

6 Thronus tuus Deus † ſeculo & ſemper [eſt] : virga rectitudinis virga regni tui [eſt]. † *Dij.*

7 Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniuſtitiam : propterea vnxit te Deus † Deus tuus oleo lætitiæ plus ſociis tuis. † *Dij.*

8 Myrrha & aloë, caſia [ad odorem] omnibus veſtibus tuis : à palatiis eboris, vnde lætificauerunt te.

9 Filiæ regum in charis tuis : ſtetit coniux [tibi] dexteræ tuæ in maſſa [auri] Ophir.

10 *Vox patrum.* Audi filia & vide & inclina aurem tuam : & obliuiſcere populum tuum & domum patris tui.

11 Et concupiſcet rex pulchritudinem tuam : quia ipſe Dominus † tuus [eſt], & incuruare ipſi [venerando]. † *Domini.*

12 Et filia Tyri in munere [honorabit te] : facies tuas deprecabuntur diuites populi.

14 *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus:*
15 *in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus.*
Adducentur regi virgines post eam: proximæ eius afferentur tibi.

16 *Afferentur in lætitia & exultatione: adducentur in templum regis.*
17 *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnẽ terrã.*
18 *Memor ero nominis tui Domine: in omni generatione & generatione.*
Propterea populi confitebuntur tibi in æternum & in seculum seculi.

13 *Propheta.* Tota honorata [est] filia regis interna: de interfertionibus auri vestis eius.
In Phrygianis ducetur regi: virgines [erunt] post eam, sodales eius, ductæ [Messiæ] tibi.
14 Ducentur in lætitiis & exultatione: ingredientur in palatium regis.
15 Pro patribus tuis erunt filij tui: pones eos principes † in omni terra. †*principibus.*
16 *Vox Apostolica.* Faciam recordari nomen tuum in omni generatione
17 & generatione: propterea populi confitebuntur te seculo & semper.

COMMENTARIVS.

Titulus exponitur. Titulus est, *vincenti super sosannim filys Core intelligentia canticum dilectionum. Vincenti*, Præsidenti Musicæ, super instrumento vocato *sosannim: filijs Core*, id est, cantoribus ex filiis Core, *intelligentia*, per quod significatur mysterium magnâ intelligentiâ dignum quod in hoc Psalmo tractatur, & verè maxima intelligentia est Psalmus iste: quia penetrat Verbum carnem factum esse. *Canticum dilectionum*, inter regem & reginam, inter Messiam & Ecclesiam. *Materia.* Constat enim in primis auctoritate Pauli ad Hebr. 1. Psalmum hunc de diuinitate Messiæ tractare; *Coniugium Christi & Ecclesiæ. Heb.1.v.8.9.* dum dicit: *Ad filium autem thronus tuus in seculum seculi, virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis.* Quod in 6. & 7. versiculis huius Psalmi habetur. Constat secundò ex progressu Psalmi, quæ dicuntur non nisi de Messia posse intelligi. Fatentur quoquè Iudæi Psalmum hunc ad literam de Messia tractare. Vnde & Thargum in versu 2. *Pulchritudo tua ô rex Messia maior filiorum hominum.* Et in versu 7. *At ô tu rex Messia quoniam dilexisti iustitiam*, &c. Vndique itaque habetur materiam huius Psalmi esse Messiam, & consequenter coniugem eius Ecclesiam.

SVMMARIVM. EST.

Propheta describit Messiam à pulchritudine, gratia, fortitudine militari, successu prospero equitantem, ita vt dextera & sagittis suis populos corde subijciat sibi: eundémque Deum regnantem virgâ rectitudinis, odio iniquitatis, vnctum præ alys confitetur, sic vt nec vestes aut domos eburneas obsequiúmve filiarum regum prætermittat. A coniuge deinde monita, tota gloriosa, deducenda in regis palatium, &c. commendat, adiunctis futuris filijs principibus vniuersæ terræ, cum perpetua memoria & laude nominis eius apud populos.

Personæ loquentes sunt Propheta, Patres & Apostoli.

VERS. 1. MOVIT COR MEVM VERBVM BONVM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *pulchruisti plus filiis*. Proponit tria. Primum, quod est præcipuum; *dicens: Ego opera mea regi:* in hoc enim manifestat Propheta quòd intendit dicere in opere huius Psalmi, explicando *Regi:* hoc est, quòd intendit tractare rem regiam alloquendo Regem. Et quia non dicitur Regi Hierusalem, nec Regi Assyriorum, sed absolutè *Regi*, significatur ille qui per excellentiam est Rex, scilicet Messias: & in hoc proponitur materia Psalmi. *Messias Rex per excellentiam.*

Duo autem reliqua proponit velut annexa ad declarationem istius. Alterum ex parte cordis: *mouit cor meum verbum bonum.* Existentibus in corde hominis verbis bonis & verbis malis, officium cordis, id est, voluntatis est mouere ad dicendum, ad operandum, &c. tam verbum bonum quàm verbum malum: vnde & Dominus in Euangelio dicit quòd *de corde exeunt adulteria, furta*, &c. Asserit Propheta quòd in opere huius Psalmi construendo *cor meum mouit verbum bonum*, quod intus erat: *mouit* inquam vt prodeat extrà in locutione & scriptura. Nec dubium quòd verbum hoc sit omnifariam *bonum*, scilicet vtile, delectabile & honestum, non huic vel illi, sed toti vniuerso.

Alterum ex parte linguæ: *lingua mea calamus scribentis velocis.* Et intendit per assimilationem linguæ ad calamum scribentis velocis, modum quo condidit hunc Psalmum: tum quantùm ad promptitudinem: quia non meditando, sed tam citò dixit hunc Psalmum quàm citò scriptor velox scriberet: per quod significatur quòd mens Prophetæ in promptu habuit hæc Christi mysteria. Tum quantùm ad summariè dicendum, velut per capita: sicut enim velociter scribens notat res per capita, ita Propheta mysteria Christi non nisi per capita hîc scripsit. *Velociter scriptus hic Psalmus.*

Vers. 2. PVLCHRVISTI PLVS FILIIS ADAM. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò describit Messiam quantùm ad conditiones personæ. Secundò describit eundem sub similitudine equitis armati tanquam principis exercitus, ibi, *cinge gladium tuum.* Tertiò sub similitudine regis, ibi, *thronus tuus.* Quartò quantùm ad coniugem, ibi. *stetit coniux.* Quintò quantùm ad propagationem filiorum, ibi. *pro patribus tuis.* *Pars Executiua Messias variè describitur in hoc Psalmo.*

Descri

Describit inprimis personam Messiæ à duabus partibus, pulchritudine scilicet & loquelâ. Sub pulchritudine continentur omnes conditiones visibiles; sub loquela audibiles. Ex his enim duobus cognoscitur, laudatur vel vituperatur homo, & maximè princeps: ex effigie siquidem, proportione membrorum, statura, colore, primò occurrit iudicandus homo: & similiter ex modo loquendi, ex iis quæ dicit & huiusmodi, iudicamus præcipuè hominem: duobus porrigentibus casibus, visu & auditu.

Quantùm ad pulchritudinem. Vnde quantum ad pulchritudinem: *pulchruisti plus filiis Adam.* Per quod significatur quòd fuit & apparuit pulchrior omnibus hominibus. Quod non intelligo de pulchritudine corporali (cùm hoc sacra Scriptura non tradat: & pulchritudo exigat non solùm proportionem sed etiam magnitudinem quantitatis: Christus autem non legitur fuisse magnus quantitate corporali) sed intelligo de pulchritudine morum, animi, & demum naturæ. *Pulchruit* in primis pulchritudine deitatis: deinde gratiæ sine mensura: & demum exteriorum morum. Cùm hoc tamen tene Christum secundùm corpus fuisse speciosum præ filiis hominum negatiuè: hoc est, quòd nullus fuit speciosior illo: quoniam formatus est virtute Spiritus sancti, cuius commensuratissimum est opus: & fortè fuit etiam speciosior positiuè præ filiis hominum. Ita quòd significanter dicitur *præ filiis*, ad excludendum primum hominem: qui fuit etiam commensuratissimus factus à Deo.

Quantùm ad loquelam. Circa loquelam subiungitur: *Infusa est gratia in labiis tuis.* Gratia propriè hic dicitur qua sermo redditur gratiosus auditoribus: & ad literam Christus tam gratiosè loquebatur vt ministri Iudæorum missi ad comprehendendum Iesum, redeuntes auditâ illius prædicatione, interrogantibus Pontificibus, *quare non adduxistis illum?* responderint, *nunquam sic locutus est homo sicut hic loquitur.* Ioan. 7. Cum hac tamen gratia in modo loquendi, intellige quoque gratiam in dictis, ordine & efficaciâ dicendi, monendi, & persuadendi, & vtramque infusam: hoc est à Deo effluxam, *Propterea benedixit te Deus æterno.* Effectus pulchritudinis & gratiæ sermonis hic est: ex his enim hoc est mediantibus istis, benedixit, multiplicauit te Deus æterno. Benedictio in sacra Scriptura quoad augmentationem & multiplicationem sumitur frequenti vsu. Et ad literam videmus adimpletum quòd mediante pulchritudine deitatis, gratiæ, morum, &c Christi, & similiter mediante verbo prædicationis benedixit Deus Christum in æternum: & augmentando ipsum quoad gloriam corporis, &c. & multiplicando quoad filios hoc est fideles, & vtrumque in æternum: vt patet. *Ioan. 7. v. 45. 46.*

Messias tanquam Eques dux exercitus describitur. *Vers.* 3. CINGE GLADIVM TVVM. Describitur hîc Messias tanquam eques Imperator exercitus, priùs quoad arma: deinde quoad equum: & demum quoad actionem prælij. Ita quòd parabola est quòd iste accingat ensem suum super femur seu latus suum fortis, &c. & quòd in decore suo prosperè equitet super equũ veritatis, &c. & exerceat dexteram suam terribiliter, ita quòd sagittæ eius penetrent corda inimicorum: & sic populi ei subiiciantur. Hæc est metaphora. Sensum autem oportet singillatim penetrare. Gladius Christi teste Apostolo, verbum est Dei: *& gladium spiritus quod est verbum Dei. Cinge gladium tuum*, præpara diuinum verbum, hoc est, Euangelium tuum, non alienum, *super femur.* Cùm debuisset dicere super latus, ratione mysterij dixit *super femur*, in quo est vis generatiua: vt intelligas per femur partem generatiuam, quæ baptismus est. Et congruè dicitur *cinge gladium tuum super femur:* hoc est præpara verbum Euangelicum super baptismum. Et hoc ad literam impletum constat, ordinante Christo doctrinam Euangelicam cum baptismo: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos,* &c. *Cur dicitur super femur, non super latus?* Matth. 28. 19

Potens gloria tua & pulchritudine tua. Fuit potens Christus in prædicatione & baptismo: tum ex gloria sua: quæ maximè apparuit in miraculis: vt Ioannes Euangelista testatur: & hæc comitata sunt prædicationem & baptismum: iuxta illud: *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* Tum ex pulchritudine sua, hoc est, plenitudine gratiæ & veritatis, quibus pulcher est Christus. Ita quòd potens fuit Christus & gloriâ miraculorum, & pulchritudine gratiæ ac veritatis ad attrahendum mundum prædicando & baptizando. Marc. 16. 20.

Et scito quòd dictio Hebraïca non ad amussim sonat gloriam, sed medium quid inter laudem & gloriam, velut laudem magnâ voce. Et propterea interpretes multi ex altero extremo scilicet *gloria* cui magis appropinquat, interpretati sunt *gloria tua.* Hæc quoad præparationem.

Sequitur equitatio. *Et pulchritudine tua*, omnis gratiæ & veritatis, *perfice*, ad meliora semper progredere: *equita super verbum veritatis & humilitatis iustitiæ: Ego in hoc natus sum vt testimonium perhibeam veritati.* Et *discite à me quia mitis sum & humilis corde.* Ita quòd Christus equitauit, velut equitans progressus est, super veritate & humilitate iustitiæ, non ignauiæ: tum in propriis vitæ ac doctrinæ actionibus: tum in ascensu crucis: tum in actionibus aliorum. Omnia siquidem documenta eius sunt documenta veritatis: & hoc quoad intellectum; & humilitatis, non qualiscunque sed iustitiæ, hoc est debitæ; & rursus iustitiæ, hoc est iustificantis: & hoc quoad voluntatem. Doctrina siquidem Christi exigit humilitatem, non supererogationis sed debitam: quâ omnis intellectus in captiuitatem redigitur obsequium Christi, quâ omnis voluntas non renuit subiici cui debet, & quâ iustificatur omnis homo. Ioan. 18. 37. Matth. 11. 29

Sequitur actus præliandi: *& docebit te terribilia dextera tua.* Vtitur Propheta consueto loquendi more, quo dicimus: ille princeps docuit manu sua terribiles duces quis ipse est, significando per hoc quàm fortiter pugnauerit contra illos. Docere est apertè monstrare, experientiâ teste. *Dextera tua*, fauorabilis est assistentia Christi ad Euangelium: & hæc est docens facto. *Terribilia* sunt tormenta omnis generis & mors pugnantia cum Christo: hæc enim didicerunt experientiâ quis est Christus, demonstratus per pronomen *te*: dum fuerunt superata à dextera Christi. Construe sic: *Et dextera tua*, fauorabilis assistentia tua, *docebit*, facto experientiæ, *terribilia*, tãquam personas discentes, *te*, tanquam rẽ quam discunt. Constat autem hæc adimpleta esse in passionibus Martyrum: & in primis superatâ morte (quæ est vltimum terribilium) in passione Christi. *Docere quid.*

Post dexteram quæ est instrumentum coniun-

ctum, subiunguntur sagittæ: quæ sunt instrumēta separata: ita quòd non solùm manu sed sagittis pugnans describitur. *Sagitta tuæ acutæ.* Quamuis possint Apostoli intelligi sagittæ externæ Christi (iuxta illud Esai. 49. *Posuit me sicut sagittam electam*) meliùs tamen apparet intelligere sagittas Christi internas: quæ sunt spirituales immissiones mouentes animum hominum ad fidem, spem & charitatem. Et hæ velut sagittæ à remotis mittuntur, *acutæ*, vtpote penetrantes corda. Et sunt verè *tuæ*, ita quòd nullius alterius: quia solus ipse potest humanum cor penetrare.

Isai. 49. 2.
Quænam hic sagittæ Christi?

Harum sagittarum effectus est: *populi*, non vnus populus, sed multi, sine numero, *inimicorum regis*, qui es tu, hoc est non credentium tibi (nullos enim habebat Christus inimicos nisi non credentes, siue Iudæos, siue Gentiles) *sub te cadent*, non in corpore sed *in corde*: hoc est, subiicientur tibi ex corde, subiicientur tibi fide, spe, charitate: hoc est enim cadere corde sub Christo. Et hic terminus prælij quo inimici sunt subacti corruentes sub Christo, suscipiendo iugum fidei in corde.

Sensus literalis metaphoræ, non est ipsa metaphora, sed quod per illā significatur.

Aduerte hîc & pro prædictis & pro dicendis in hoc Psalmo, quòd quia sub metaphora Psalmus iste tractat conditiones Messiæ, &c. ideo expositiones istæ non sunt mysticæ, sed ad sensum spectant literalem: constat enim sensum literalem metaphoræ non esse ipsam metaphoram, sed quod intendit significari per illam.

Describitur Messias velut Rex.

Vers. 6. THRONVS TVVS DEVS. Post descriptū Messiam sub specie principis militantis ac vincentis, describitur idem Messias sub specie Regis quantùm ad deitatem, dignitatem, perpetuitatem, potestantem, bonitatem, gratiæ excellentiam, vestes, domos, ac aulicas. Vide singula. Primò vocat: *O Deus*: in quo fatetur regem istum esse Deum. *Thronus tuus*, dignitatem explicat regiam. *Seculo & semper*: vt veram æternitatem intelligas. *Sceptrum* seu *virga rectitudinis sceptrum regni tui*: hoc est, potestas regni tui est ad rectitudinem faciendam & administrandam, ad ordinandum non recta. Per quod significatur id quod impossibile est humano cuique regno: scilicet reducere omnia ad rectitudinem. Hoc enim facit sceptrum Christi: dum merita omnia rectificat per præmia, & culpas omnes recto subiicit ordini puniendo.

Dilexisti iustitiam, in omnibus. Ecce bona voluntas. Multi siquidem reges etsi rectè exercent sceptrum regni, in suis tamen animis non sunt boni: contra quod post sceptrum, hîc adiungitur *dilexisti iustitiam*: vt intelligas internum amorem ipsius iustitiæ. *Et odisti iniustitiam.* Et hoc dicitur propter reges qui etsi amant iustitiam, non tamen ita quòd odio habeant iniustitiam: sed propter occurrentia aliqua amicorum, consanguineorum, &c. non euitant iniquitatem, omittendo punire iniustitiam. *Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ plus sociis tuis.* Nota contextum. Quem prius appellauit Deum, *thronus tuus Deus*, eundem alloquendo appellat vnctum à Deo, *propterea vnxit te Deus Deus tuus*: vt intelligas vnam hypostasim seu personam esse Deum & vnctum à Deo: hoc est esse Deum & hominem. Et potes per oleum lætitiæ intelligere gratiam vnionis: qua Verbum caro factum est, quâ homo est Deus identitate hypostasis. Et sic coniunctio *propterea*, denotat effectum consecutum ex gratia vnionis: quæ hîc appellatur vnctio oleo lætitiæ: iam ex illa consequitur veritas antedictorum: scilicet *thronus tuus Deus seculo & semper*, &c. ex hoc enim quòd Verbum caro factum est, effectum est vt idem Deus & homo thronum habeat in æternum, &c. *Propterea*, propter hos effectus, *vnxit, oleo lætitiæ*, gratiâ vnionis affecit, *te*, ratione humanæ naturæ, *Deus*, omnium, ex hac ipsa vnctione *Deus tuus*, singulatissimè (scilicet per gratiam vnionis hypostaticæ) *plus sociis tuis*, beatitudinis capacibus, vniuersis creaturis intellectum habentibus: nulli siquidem alteri gratia vnionis concessa est. Et appellauit actionem diuinam qua Verbum caro factum est, vnctionem: quia ipsâ constitutus ac appellatus est Vnctus, Christus, Messias: sicut temporales reges apud Hebræos, vnctione constituebantur reges.

Oleum lætitiæ quodnam?

Vnctio hæc qualis?

Myrrha & aloe, casia omnibus omnibus vestibus tuis, appositæ fuerunt. *à palatiis eboris*, quod fit de dente elephantis. Non solùm vestes omnes nullâ exceptâ suffumigatæ describuntur, sed palatium describitur eburneum: hoc est, crustulis eburneis intùs incrustatum: sicut nos marmoreis tabellis crustata templa videmus. Vnde 3. Reg. vlt. dicitur quòd Achab rex Israël ædificauit domum eburneam. Et Amos 3 dicitur *peribunt domus eburneæ.* Magnorum siquidem Regum in Orientalibus regionibus erat habere aulam aliquam sic ebore crustatam. *Vnde lætificarunt te filiæ Regum*, officio suffumigandi vestes & personalium obsequiorum (in quo excellentia ministrantium personæ Messiæ significatur ex regali genere, dum describuntur filiæ regum in obsequio eius) *in charis tuis*, in iis, quæ sunt tibi chara: hoc est, non solum grata sed æstimata & in prètio habita. Vtrumque dicitur, & *lætificauerunt*, & *in charis tuis*: ne alterum defuisse intelligas. Sunt qui lætificare quærunt principem, sed non in charis ei: sunt & qui chara principi ministrant, sed non lætificando: filiæ regum vtrumque fecerunt.

Amos 3.

Aduerte hîc quoad literam, ne exigas veritatem aromatum quæ hîc nominantur in Hebræo: quoniam fortè quæris impossibile. Sat sit nosse induci aromatum species quibus vestes regiæ coluntur, vel suffumigando, vel aspergendo, vel quouis alio modo. Et per casiam intellige non casiam fistulam quæ est medicinalis: sed casiam aromaticam, quæ est virga quædam aromatica: per aloëm intellige lignum aloës. Et quoad vsum suffumigationis videmus suauem odorem fumi ex præparato ligno aloës in aulis principum. Quoad vsum verò aspersionis legimus Prouerb. 7. *Aspersi cubile meum myrrhâ, aloë & cinnamomo.*

Varia aromata.

Casia.

Aloë.

Prouerb. 7. 17

Circa significatum per huiusmodi similitudines oportet aduertere vt partes metaphoræ sibi congruant. Et quoniam species aromaticæ ad odorem spectant, & odor bonus famam bonam significat (dicente Apostolo: *Christi bonus odor sumus, aliis odor vitæ in vitam*, &c.) & vestes Christi sanctas operationes significant (dicente Ioanne in Apocal. de vestibus byssinis *quòd sunt iustificationes sanctorum*) consequens est quòd Christi opera spirantia odorem optimæ famæ intelliguntur per vestes spirantes odorem myrrhæ, casiæ, ligni aloës, &c. Palatia eburnea constat esse magnificas animas secundùm virtutem, in quibus habitat Christus. Quæ ex parte materiæ describuntur excellentissimæ: nulla quippe materia

2. Corinth. 2. 15.

Vestes Christi sanctæ operationes.

Apocal. 19. 8

Palatia eburnea, animæ magnificæ.

materia congrua ad domus ædificium, apparet excellentior ebore. Et ex parte quantitatis ac formæ describuntur omnia excellentissima: vtpote palatia: vt vtrinque intelligas non quascunque sanctas mentes sed supremas.

Filiæ regum in obsequio describuntur: vt spiritualem excellentiam personarum ministrantium intelligas per filias regum. Quarum actio describitur lætificare ipsum Messiam in illis rebus ac actionibus quæ gratæ ac charæ sunt ipsi Messiæ: hoc est in magnis virtutum actibus (qui soli sunt res charæ Messiæ) lætificare ipsum, lætitiæ materiam præbere. Et quoniam describuntur filiæ regum non solùm lætificare in charis eius, sed proponitur *vnde* seu *ex quibus*, significatur per hoc quòd filiæ regum ministrando aromata, vestes & palatium suauiter redolere fecerunt. Per quod significatur extensionem boni nominis Christi effectam per filias regum: hoc est, mentes valde illustres: quales fuerunt Apostoli & alij sanctissimi viri. Quamuis etiam illustres secundùm gloriam huius mundi personæ, ad hoc multum contulerint: Constantinus enim suscipiens Christi fidem, fecit redolere vestes Christi: Constantia quoque filia eius multùm ad id contulit inter nobiles Romanas, &c.

Etiam illustres secundũ mũdum personæ ad glorificationem nominis Christi multum contulerunt.

Stetit coniux. Descriptis conditionibus Messiæ quoad personam, militiam & regnum, describitur modò ex coniuge. Vbi parabola consistit in hoc: quòd describitur Messiæ sponsa ad illius dexteram cum auro, tanquam extra domum existens suscipiens monitiones solitas fieri puellis venientibus ad viros suos, adiectis promissionibus multis tum amoris tum honoris: deinde tanquam datâ commoditate vt sponsa vestiatur illustrioribus vestibus (in quo subintelligitur Regem se contulisse in palatium, & Spõsam interim ornari) describitur sponsæ ornatus cum ipsius deductione ad regem in palatium cum societate virginum & sodalium. Hæc est parabola. Vide singula.

Stetit, non dixit, sedit: quoniam describitur tanquam ingressura domum, describitur velut cui obuiauit rex extra in atrio. Et verè stetit: quia militans est Ecclesia, non triumphans, non regnans in præsenti vita. Aduertendum est enim quòd quemadmodum Messias descriptus est prius militans & deinde regnans, ita coniux eius prius describitur vt sponsa veniens ad virum, & deinde introducta in palatium regis: quia prius est Ecclesia militans, deinde triumphans. *Coniux*, Dictio Hebraïca non propriè significat coniugem, sed mulierem relatam ad seruitium viri in generatione, quam interpretes coniugis nomine significauerunt. Quæ sit autem hæc mulier, Apostolus ad Ephes. manifestat, aperiens quòd est Ecclesia. *Dextera tua* (in quo etiam seruat morem principum honorantium coniuges ad dexteras) hoc est potioribus bonis tuis, qualia sunt bona spiritualia, *in massa Ophir*, hoc est in massa auri: aurum enim descriptum est à loco Ophir. Per massam auri intellige aurum informe multum simul iũctum seu compactum, tanquam dotem seu munus quod secum detulit mulier. Et significatur per hoc Ecclesiæ intentio: aurea quidem, quia optima: in massa autem, quia formabilis per Christi doctrinam in distinctas formas Ecclesiasticorum sacrorum, ordinum, graduum, &c. Quam in hoc præcipuè ostendit quòd venit ad hoc vt iungatur Messiæ, ad hoc vt seruiat ipsi.

Ornatus sponsæ Christi ad eum in palatium deducta.

Ophir pro auro.

Sequitur monitio: *Audi filia.* Consuetum est aduenientem sponsam monere vt imbuat mores domus mariti, relinquendo mores & patriæ suæ & domus patris sui. Et propterea hîc describitur velut suscipiens paternas monitiones à senioribus seu parentibus sponsi: quæ in proposito patres Christi, Prophetæ, sanctique veteris Testamenti sunt.

Monitio Spõsæ facta.

Admonetur autem Ecclesia iungenda Christo circa quinque. Primò *audi:* Fides enim ex auditu est veteris & noui Testamenti. Et appellatur *filia* instructionis & amoris: vt etiam ex nomine gratiùs instruatur: & verè est filia Patriarcharum & Prophetarum.

De quinque monetur Ecclesia.

Secundò *& vide*, discerne credenda à non credendis, speranda à non sperandis, diligenda ab odio habendis, operanda ab omittendis, &c.

Tertiò *& inclina aurem tuam*, humilia caput tuum: aurem pro capite posuit: hoc est in captiuitatem redige intellectum tuum.

Quartò *& obliuiscere populum tuum & domum patris tui:* hoc est, doctrinam, mores, ritus populi tui, siue Gentilis, siue Iudaïcæ perfidiæ: *& domum patris tui*, diaboli: *Vos ex patre diabolo estis*, seu etiam patris carnalis vt sic, quatenus carnalia sapit. *Obliuiscere*, pro oblitis habe. Et huic monitioni annectitur promissio eius quod maximè desideratur à sponsa, scilicet amari à suo coniuge: & hoc tanto magis à rege: *& concupiscet rex pulchritudinem tuam.* Magnificat promissionem ex dignitate coniugis, dicendo *rex:* ex magnitudine amoris, dicendo *concupiscet*, ex qualitate ipsius sponsæ, dicendo *pulchritudinem tuam.* Et hoc proculdubio ad literam verificatur de Christo respectu Ecclesiæ: dum concupiscit pulchritudinem eius eleuari in cœlum.

Ioan. 8. 44.

Quinta monitio: *Et incuruare ipsi*, Messiæ, debitum honorem illi exhibendo vt subdita: *quia ipse*, Messias, *Dominus tuus:* supple est. Huic monitioni apponitur præmium honoris: quod scilicet tu honoraberis ab aliis. *Et filia Tyri in munere, facies tuas deprecabuntur diuites populi.* Quantùm ad parabolã, puto meminisse Tyri ciuitatis extraneæ: quoniam Tyrus ciuitas fuit opulenta iuxta mare, vacans negotiationibus plurimis, vnde esset ab extraneis muneribus multis honoranda. Et significatur per filias Tyri, & diuites populi, honor exhibendus Ecclesiæ à Gentilibus & potentibus huius seculi dupliciter, scilicet oblatione munerum & prece gratiarum. Et vtrumque adimpletum videmus: principibus & populis offerentibus munera Ecclesiæ, & petentibus intercessione Ecclesiæ diuinam gratiam.

Tyrus ciuitas opulẽta iuxta mare vacans negotiationibus.

Completâ monitione, vt commoditas detur sponsæ ornandi se subintellectâ cessione regis, qui verè cessit ascendens in cœlum, postquam obuiauit sponsæ stanti (hoc est Ecclesiæ militãti) per mysterium Incarnationis, Passionis, &c. (personaliter enim occurrit, immò venire eam fecit ad atrium non ad cœli palatium) post hæc describitur ornatus sponsæ. *Tota honorata filia regis interna, de interserationibus auri vestis eius.* Aduerte quòd hactenus est tacitum genus sponsæ: nunc explicatur quòd est de genere regio, dicendo *tota honorata filia regis.* Quod autem dicit *interna,*

Sponsa Ecclesia de genere regio.

interna, ad hoc spectat quòd sponsa dum nouis vestibus vestitur exuitur vestes quas erat induta desuper: & sic inuenta est in interioribus vestibus gloriosè induta Et propterea dicit quòd tota interna honorata est: non enim Ecclesia est quæ Deum labiis honorat & cor eius longè est ab eo: sed intùs tota plena est virtutis, cui soli debetur honor. Vestis autem qua induitur, describitur opere phrygiano, seu plumario sic desuper tecta, vt filis auri confecta sint receptacula circularis vel cuiuscunque alterius figuræ lapidum pretiosorum: quemadmodum videmus in Ecclesiasticis vestibus lapillos insertos sparsim per vestes: hoc enim significatur dicendo, *de interfertionibus auri vestis eius*. Et explicans amplius qualitatem vestis, subdit: *In phrygianis*, quæ vulgò dicuntur recamatæ, *ducetur regi*: hinc apparet quòd rex recesserat: *virgines post eam*, reginam: *sodales eius*, scilicet reginæ, *ducta*, erunt, *tibi*, Messiæ.

Vestis nuptiatis Sponsæ.

Modus autem eundi: *Ducentur*, regina, virgines & sodales, *in lætitia*, internis, *& exultatione*, externa: *ingredientur in palatium regis*. Significatur per hæc quòd Ecclesia, hoc est, in vnitate Ecclesiasticæ fidei spei & charitatis, ducuntur animæ ad Christum tam virgines (integræ, innocentes, perfectiores) quàm sodales, hoc est societate charitatis etsi non tantâ perfectione iunctæ. Apparet autem quòd ingressus iste, ad cœleste palatium intelligendus sit: vbi residet rex, vnde genuit filios. Post ascensionem quippe suam, ingressâ iam Ecclesiâ tot animarum sanctarum in cœlum, pro patribus suis genuit hic istos filios Apostolos, mittendo Spiritum sanctum. Et propterea subditur:

Vers. 15. PRO PATRIBVS TVIS. Reliquum erat describere Messiam à prole futura. Et consistit parabola in hoc: quòd iuxta morem nuptiarum imprecatio fit futuræ sobolis felicis, perpetuæ, &c. Itaque non imprecando sed prophetando ait ad Messiam, seu Ecclesiam coniugem: *Pro patribus tuis*, Prophetis & Patriarchis, ex quibus natus es secundùm carnem, *erunt filij tui*, Apostoli quos Ecclesia per sacrum baptismum generabit: *pones eos*, Apostolos, *principes*, non Iudeæ aut Syriæ, sed *in omni terra*. Quod impletum videmus.

Coniugij Christi, proles.

Sequitur effectus principatus: *Faciam recordari nomen tuum in omni generatione & generatione*. Introducitur enim Apostolica vox obsequens Christo: *Faciam recordari nomen tuum*, non nomen meum, *in omni generatione & generatione*. Memoria nominis Christi finis est principatus Apostolici: memoria autem de qua scriptum est: *Memores erunt mandatorum tuorum ad faciendum ea*. *Propterea*, quia faciam recordari nomen tuum, *populi confitebuntur te*, Messiam, *seculo & semper*. Nota ordinem: Christus constituit Apostolos in principes; ipsi efficiunt memoriam non sui sed Christi: & sic infertur quòd populus confitetur Christum, vt hinc intelligas quo ordine fructus populi ex prælatorum dependet studio. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori filiis Core pro iuuentutibus Psalmus.*

XLV.

2 *DEVS noster refugium & virtus: adiutor in tribulationibus quæ inuenerunt nos nimis.*

3 *Propterea non timebimus dum turbabitur terra; & transferentur montes in cor maris.*

4 *Sonuerunt & turbatæ sunt aquæ eorum: conturbati sunt montes in fortitudine eius.*

5 *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei: sanctificauit tabernaculum suum altissimus.*

6 *Deus in medio eius non commouebitur: adiuuabit eam Deus mane diluculo.*

7 *Conturbatæ sunt gentes & inclinata sunt regna: dedit vocem suam & mota est terra.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti filiis Core super iuuenculis Canticum.

XLVI.

1 *Propheta* DEVS † nobis protectio & fortitudo: auxilium in tribulationibus inuentus est valde. † Dij.

2 Ideo non timebimus in mutari terram: & in labi montes in corde marium.

3 Sonabunt, intumescent aquæ eorum: trement montes in superbia sua. *Selah.*

Et tamen est sic

4 Flumen, diuisiones eius lætificabunt ciuitatem Dei †: sanctificando tabernacula excelsi. † Deorum.

est

5 Deus † in medio eius, non labetur: auxiliabitur ipsi Deus † in voluendo mane. † Dij. † Dij.

6 Attonitæ sunt gentes, lapsa sunt regna: dedit Deus in voce sua virtutem, liquefiet terra.

7 Domi

8 *Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.*
9 *Venite & videte opera Domini: qui po-*
10 *suit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ.*
Arcum conteret & confringet arma: & scuta comburet igni.

11 *Vacate & videte: quoniam ego sum Deus, exaltabor in gentibus & exaltabor in terra.*
12 *Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.*

7 Dominus [4] exercituum nobiscum: fortitudo nobis Deus Iacob. *Selah.*
8 Ite, videte opera Domini [4]: qui posuit desolationes (idololatriæ) in terra.
9 Faciens cessare bella vsque extremum terræ: arcum confringet & concidet lanceam, plaustra comburet in igne.
10 *Messias.* Relaxatæ (passiones) & cognoscite quoniam ego Deus †: exaltabor in gentibus & exaltabor in terra. † *Dy.*
11 *Propheta.* Dominus [4] exercituum nobiscum: fortitudo nobis Deus Iacob. *Selah.*

COMMENTARIVS.

Titulus. Titulus est, *Vincenti filiis Core super iuvenculis Canticum.* Vbi scito quòd dictio Hebraïca quam interpretes significarunt *iuvenculis*, à nonnullis dicitur quòd est nomen proprium instrumenti musici. Quod quia non constat posthabemus: & vt nomine appellatiuo vtentes, amplectimur significationem iuvencularum. Consonatem in hoc materiæ Psalmi: quam ex ipso Psalmo oportet accipere.

Materia. Ecclesia, ciuitas Messiæ. Apparet manifestè in hoc Psalmo quòd de tempore Messiæ tractatur: cùm dicitur quòd *facit cessare bella vsque ad extremum terræ, arcum confringet & concidet lanceam*, &c. tanta siquidem & tam vtilis pax nullo alio tempore promittitur nisi tempore Messiæ: vt patet Esai. 2. vbi expressè de tempore Messiæ dicitur: *Et conflabunt gladios suos in vomeres & lanceas in falces, non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltra ad prælium.* Et eadem promissio habetur Michææ 4. ferè de verbo ad verbum. *Esai. 2. 4. Mich. 4. 3.* Et quia ex manifesto Psalmi sensu tractatur hîc de ciuitate Dei, quæ dicitur lætificari diuisionibus fluminis, consequens est quòd materia huius Psalmi ad literam sit ciuitas Messiæ: quæ proculdubio est Ecclesia pro tempore illo quo talem ac tantam habuit pacem qualis & quanta hic describitur. Et quia donum hoc consecuta est Ecclesia tempore iuventutis suæ, ideo congruit titulus *super iuvenculis.*

SVMMARIVM EST.

Ciuitas Dei non timet tam terræ quàm maris motus terribiles, sed manens immota lætatur fluminis riuis tranquillis: & adiuta est tam validè vt diuinâ voce concussa sint regna, &c. Inuitat deinde ad videndum opera Dei: vt ex operibus videant quoniam Messias est Deus, exaltandus in gentibus & in terra.

Personæ loquentes sunt Propheta in persona Ecclesiæ iuvenis, & Messias.

VERS. 1. Deus nobis protectio et fortitudo. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *ideo non timebimus.* Proponit vnum, multis conditionibus fultum. Quod proponitur est, quòd Deus *inventus est in nostris angustiis auxilium.* Conditiones sunt duæ Dei, scilicet quòd est *protectio* & quòd est *fortitudo nobis.* Vna auxilij, scilicet, *valde*, quòd est valde auxiliatus. *Deus*, inquiunt, *nobis protectio*, à malo, *& fortitudo*, ad persistendum in bono, *inventus est*, experientiâ teste, *valde*, non parum, *auxilium in angustiis.*

Ideo non timebimus. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *in angustiis.* Secundò illa *inventus est auxilium valde*, ibi, *flumen.* Tertiò illa, *fortitudo & protectio*, ibi, *ite.* Quartò illa, *Deus*, ibi, *relaxate.*

Tribulationes duplices describuntur, scilicet, in terra & in mari. *Ideo non timebimus in mutari terram, & in labi montes in corde marium.* Magna securitas hominum in Deo excludens timorem in tanta mutatione: dum scilicet mouetur terræmotu terra, dum montes ex terræmotus magnitudine labuntur in profundum marium: cum his accidentibus, scilicet: *Sonabunt, intumescent aquæ eorum*, tot marium: *tremunt montes*, à tumoribus aquæ, *in superbia sua*, in excellentia celsitudinis suæ: hoc est quamuis superbi & celsi sint. Et est ordo præposterus: nam primum est sonare seu intumescere aquas: deinde moueri terram: postea tremere montes: & demum labi eos in mare. Potest & superbia determinare fluctus maris intumescentis; ita quòd describantur aquæ maris primò sonantes: deinde intumescentes: & demum in procellas erectæ supra montes. Locutio ista metaphorica est. *Tribulationes duplices, in terra & in mari.*

Parabola, quâ vtitur hic Propheta. Et vt metaphoram intelligas, aduerte parabolam quâ vtitur Propheta. Proponit enim ciuitatē quamdam riuos fluminis in se habentem: & facto circumcirca terræmotu tam vehementi vt tremant montes, & concussi submergantur in mari, aquæ quoque maris sonent & intumescant, & procellas etiam comminantes montibus faciant, ipsa tamen ciuitas quia Deus est in medio eius non commouetur, sed adiuuatur à Deo: ita quòd fluminis eius riui tranquilli lætificant eam, sanctificando tabernacula ipsius. Hæc est metaphora. Et est sensus quòd populus Christianus euangelizans fidem Christi non timet commotionem terrenorum hominum communitꝭ, nec commotionem labentium animo principum in corde marium habitantium (hoc est multis & innumeris

numeris populis præsidentium) quantumcunque aquæ, hoc est, populi sonent, clament, intumescant, & procellas tormentorum exaltent: quantumcunque montes tremant, hoc est, commoueantur aduersus fidem Christi, etiam timore ne Religio Christiana crescat. Et per tremorem intellige omnem aliam passionem significari, quâ principes à rectitudine rationis cadentes, inordinatum motum incurrerunt.

Vers. 4. FLVMEN. Prosequendo parabolam, tractat illam particulam, *auxilium inuentus est valde:* declarans auxilium diuinum inter tot terribilia collatum ciuitati. Declarat autem sine ordine: nam secundùm ordinem inchoandum est: *Deus in medio eius.* Per quod significatur principium auxilij præsentia diuina. *Deus in medio eius*, ciuitatis Dei. *Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Matth.18.20 Et hinc infertur contrarium terræmotus, scilicet, *non labetur:* scilicet, ciuitas habens Deum in medio. Et tunc sequitur secundum: *auxiliabitur ipsi Deus in voluendo mane.* Auxilium Dei matutinum describitur: vt intelligas non esse tardum sed hora congrua, dum voluitur tempus ex nocte in mane. Et tunc ordinatè sequitur tertio loco: *Flumen, diuisiones eius lætificabunt ciuitatem Dei.* Post immotam ciuitatem à malo, post auxilium matutinum ad bonum, congruit lætitia. Vbi quantùm ad parabolam sicut ciuitas non est lapsa ex terræmotu, ita flumen non est alteratum ex tumentibus & sonantibus aquis. Et facito punctum post *flumen:* subaudiendo *est* supple *sic* quòd *diuisiones eius*, riui eius, *lætificabunt ciuitatem Dei.* Ad literam autem flumen est gratia spiritualis: iuxta doctrinam Domini in Euangelio: *flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ.* Ioan.7.38. *Hoc autem*, inquit Ioannes, *dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Spiritus ergo sanctus diuisionibus suis, diuisionibus gratiarum diuidens singulis prout vult, lætificabit ciuitatem Dei, Christianum populum, ab vnitate fidei, spei, charitatis, &c. ciuitatem Dei appellatum: *sanctificando tabernacula excelsi.* Vbi debuisset dicere sanctificando domos (ciuitas enim ex domibus constituitur) dixit *tabernacula*, propter mysterium: tabernacula quippe sunt peregrinantium & militantium, domus autem permanentium: vt intelligas quòd de Ecclesia militante tractat dixit *tabernacula.* Et ne intelligeres materialia habitaculæ hominum, apposuit *excelsi:* vt pateat homines ipsos appellatos *tabernacula excelsi*, eo quod in ipsis habitet Deus velut peregrinus & militans: *viuo ego iam non ego, viuit autem in me Christus*, inquit Apostolus. Galat.2.20. Iunge ergo duplicem effectum fluminis: *sanctificare*, homines in quibus Deus habitat, & *lætificare* vnitatem eorum diuersitate gratiarum.

Tabernacula sunt peregrinantium, & militantium: domus permanantium.

Attonitæ sunt gentes, lapsa sunt regna: dedit in voce sua, liquefiet terra. Descripto diuino auxilio quantùm ad effectus in ipsa ciuitate, describitur idem quantùm ad effectus externos in hostes. Et inchoando à causa: *Dedit*, Deus, supple virtutem, *in voce sua*, Euangelica. Et ecce tres effectus. Primus: *attonitæ sunt gentes*, tanto Euangelij tonitruo sonante & coruscante. Secundus: *lapsa sunt regna* idolorũ. Tertius: *liquefiet terra*, dura corda vniuersæ terræ ad similitudinẽ liquescentium resoluẽtur in lachrymas peccatorũ suorum. Quæ omnia adimpleta ad literam legimus.

Tres Euangelij effectus.

Dominus exercituum nobiscum, fortitudo nobis Deus Iacob. Hæc est professio ciuitatis Christianæ. Vt intelligas eundem esse Deum Christianorum & veteris Testamenti & Patriarcharum, dicit ipsa ciuitas quòd *Dominus exercituum* (sic enim appellabatur in veteri testamento Deus) *est nobiscum:* & quòd Deus Iacob, ac per hoc Isaac & Abraham (sic enim appellabatur Deus ante datam legem. Exod.3. *Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac & Deus Iacob*) ipse, non alius est fortitudo nobis. Exod.3.6.

*Vers.*8. ITE VIDETE. Tractatur hîc illa particula, *protectio & fortitudo:* inuitando mundum ad considerandum opera Dei quæ fecit protegendo & roborando Euangelicos viros. Inuitat ciuitas Dei homines mundi ad considerandum opera Dei quoad duo. Primò quantùm ad substantiam facti: hoc est, desolationes templorum & cultuum idololatriæ. Et hoc significat dicendo: *qui posuit desolationes in terra.* Deinde quantùm ad modum faciendi: quia scilicet desolauit idololatras absque bello, absque armis vsque ad extremum terræ. Et hic modus significatur dicendo: *faciens cessare*, in hac desolatione, *bella*, non in vno loco sed *vsque extremum terræ.* Et declarando cessationem belli, subdit destructionem armorum bellicorum: *arcum confringet & concidet lanceam: plaustra*, bellica, *comburet in igne.* Describit enim ex his actionibus quòd nec bello nec comminatione armorum (vtpote fractorum, concisorum, combustorum) vsus est ad desolationem idololatriæ. Et ad hoc inuitando dicit: *Ite, videte opera Domini.* Dictio Hebraïca significat *venire & recedere:* & propterea interpretes transtulerunt *ite*, commune vtrique actui: siue veniendo ad nos testes, siue pergendo ad res ipsas, *ite*, adhibete studium, *& videte*, certificate vos: ad hoc scilicet vt videatis opera Domini. Potest nihilominus aliter exponi cessatio belli cum destructione armorum: vt scilicet significetur alter effectus, scilicet pax, vniuersali Ecclesiæ data post trecentos annos vel circa à prædicatione Euangelij, incipiens tempore Constantini. Sed prima expositio mihi videtur ad literam & magis commendatiua diuini operis: & admirabilior est modus ille quàm pax ista. Vtraque tamen ad Messiæ tempus spectat: sed modus ille præcipuè: ponens etiam differentiam inter opera Dei in veteri Testamento & in nouo: quoniam in veteri non sine bellis desolauit Chananæos & Amorrhæos, in nouo autem sine armis desolauit omnes idololatras. Quamuis etiã sit differẽtia aliunde: quòd illæ desolationes fuerunt in minimo spatio terræ, istæ vsque ad extremũ terræ.

Inuitat ad considerãdum opera Dei.

Pax Ecclesiæ data post 300. annos sub Constantino.

*Vers.*10 RELAXATE. Tractatur hîc illa particula, *Deus.* Et introducitur Messias ipse alloquẽs mundum. *Relaxate*, minuite passiones animorum vestrorum, lentas eas reddite (vtpote impedientes vos à cognitione veritatis) *& cognoscite*, studete cognoscere *quoniam ego Deus*, supple sum qui desolaui idololatras sine armis, sine bello. Et videte effectum: *exaltabor in gentibus*, per fidem earũ, *& exaltabor in terra*, qui iã sum exaltatus in cœlo. Quæ omnia adimpleta ad literã videmus. Et tam sunt admirabilia, vt si homines semotis passionibus studeant cognoscere veritatem, cognoscent (non per rationem demonstratiuam, sed per euidentiam credibilitatis) quòd Christus est Deus. Demum ciuitas Dei replicat professionem suam gratias agendo: *Dominus exercituum nobiscum, fortitudo nobis Deus Iacob:* vt suprà. Amen.

PSAL

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori filijs Core Psalmus.*	Vincenti filiis Core Psalmus.
XLVI.	XLVII.
2 *OMNES gentes plaudite manibus : iubilate Deo in voce exultationis.*	1 *Propheta.* OMNES populi sonate palmâ : clangite Deo † in voce laudis. † *Dijs.*
3 *Quoniam Dominus excelsus, terribilis : rex magnus super omnem terram.*	2 Quoniam Dominus * excelsus, terribilis [est] : rex magnus super omnem terram.
4 *Subiecit populos nobis : & gentes sub pedibus nostris.*	3 Docet populos subter nos : & regna sub pedibus nostris.
5 *Elegit nobis hæreditatem suam : speciem Iacob quem dilexit.*	4 Eliget nobis hæreditatem nostram : celsitudinem Iacob quam dilexit. *Selah.*
6 *Ascendit Deus in iubilo : & Dominus in voce tubæ.*	5 Ascendit Deus † in clangore : Dominus * in voce cornu. † *Dij.*
7 *Psallite Deo nostro psallite : psallite regi nostro psallite.*	6 Canite Deo † canite : canite regi nostro canite. † *Dij.*
8 *Quoniam rex omnis terræ Deus : psallite sapienter.*	7 Quia rex vniuersæ terræ Deus † [est] : canite intelligentia. † *Dij.*
9 *Regnabit Deus super gentes : Deus sedet super sedem sanctam suam.*	8 Regnauit Deus † super gentes : Deus † sedit super thronum sanctitatis suæ. † *Dij.* † *Dij.*
10 *Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham : quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.*	9 Principes populorum cõgregati sunt, [vt sint] populus Dei Abraham : quoniam Deo † protectores terræ valde [se dediderunt] eleuato. † *Dijs.*

COMMENTARIVS.

TItulus est, *Vincenti filijs Core Psalmus.* De quo vt suprà.

Materia. Circa materiam Psalmi aduerte quòd ex septimo & octauo versiculis (quibus manifestè assignatur pro ratione festiui cantus, quia rex vniuersæ terræ Deus, quia regnauit Deus super gentes) habetur Psalmum istum tractare de tempore Messiæ : nam tempore Testamenti veteris etsi Deus esset Dominus totius mundi & omnium gentium, non tamen dicebatur regnare super gentes, sed super populum Iudæorum : vt patet 1. Regum 8. & 12. cùm populus petiit regem : & priùs Exod. 19. vbi Deus dicit populo: *Eritis mihi in peculium de cunctis populis & in regnum sacerdotale.* Tempore autem Messiæ, regnum Dei extensum est ad vniuersam terram : & ad literam regnauit super gentes : super quas prius regnauerát dij gentium: nunquam enim tempore veteris Testamenti verificatur propriè loquendo, *regnauit Deus super gentes.* Nec vnquam in veteri Testamento affuit ratio inuitandi: *canite Deo canite, canite regi nostro canite : quia rex vniuersæ terræ Deus, quia regnauit super gentes :* sed hoc *Exod. 19. 5.* reseruabatur tempori Messiæ. Attestatur huic quintus versiculus : *ascendit Deus in iubilo*, seu *clangore.* In monte namque Sina apparuit Deus, in clangore buccinæ, sed non ascendit, imò descendit de cælo. Hîc autem manifestè dicitur quòd ascendit cum sono : quod nusquam alibi legitur. Attestatur quoque vltimus versiculus: *principes populorum congregati, sunt populus Dei Abraham :* hoc enim tempore Messiæ adimpletum videmus : quando reges terræ effecti sunt populus Dei, ita Christiani sicut alij.

Est ergo ad literam materia Psalmi, Christus in cælum ascendens & in cælo sedens, atque regnans per fidem in vniuersa terra super gentes.

SVMMARIVM EST.

PRopheta in persona Ecclesiæ inuitat omnes populos ad laudem Dei in sonis & cantu : quia Messias ascendit, sedénsque in throno suo regnauit super omnem terram, super omnes gentes : ductis populis & regnis sub pedibus Ecclesiæ, redactis in populum Dei Abraham principibus mundi: quia

quia se obtulerunt Deo valde eleuato.

Persona loquens Propheta est in persona Ecclesiæ.

VERS. 1. OMNES POPVLI SONATE PALMA. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *ducet populos*. Proponit primò inuitationem omnium populorum ad glorificandum Deum tripliciter: scilicet sonando manu, hoc est, instrumentis musicis quæ sonant manu: vt psalteriū, cithara, viola, organa, &c. & sonando flatu: hoc enim significat *clangite*. Et sub hoc intellige omnia instrumenta musica quæ sonant flatu humano: vt tubæ, buccinæ, &c. Et demum cantu humanæ vocis: hoc enim significat *in voce laudis*: dictio enim Hebraica significat laudem cantando, seu cantum laudando. In quibus tribus comprehendit vniuersam musicam. Vnde prudens lector potes coniicere materiam Psalmi esse maximi & vniuersalis gaudij materiam: vbi omnes populi cum vniuersa musica inuitantur ad glorificandum Deum.

Musica instrumenta manus & flatus.

Proponit deinde rationem istius inuitationis; quæ secundùm veritatem est vna (scilicet quòd Messias regnat super omnē terram) verùm multis adiectis conditionibus describitur dicendo: *quoniam Dominus*, non humilis, sed *excelsus ac terribilis*, timendus, *rex* non paruus, sed *magnus*, non super Iudæam, sed *super omnem terram*.

Vers. 3. DVCET POPVLOS. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò declaratur illa particula, *Dominus excelsus terribilis*. Secundò illa, *rex magnus super omnem terram*, ibi, *ascendit*. Aduerte hîc quòd Propheta loquitur in persona Ecclesiæ Messiæ: & affert effectus Domini terribilis & Domini excelsi. *Terribilis* quidem: *Ducet populos subter nos & regna sub pedibus nostris*. Adimpletum videmus, sub Ecclesiæ iugo ductos populos & regna sub pedibus eius. Qui effectus quoniam ex diuina procedit reuerentia, ideo fructus Domini terribilis futuri iudicis ponitur. *Excelsi* verò: *Eliget nobis hæreditatem nostram, celsitudinem Iacob quam dilexit*. Ecclesia siquidem recognoscens se esse cohæredem Christi, hæreditatem suam regnum Christi appellat, dicens, quòd Deus excelsus eliget nobis hæreditatem nostram; hoc est, regnum Messiæ, nostrum ex debito antiquæ promissionis, eliget dare nobis, non patribus nostris, qui tantopere hoc expectarunt. Et ne dubites hæreditatem nostram esse regnum Messiæ, subdit appositiuè: *celsitudinem Iacob*, populi Israël, *quam* celsitudinem *dilexit*. Ita quòd eliget dare nobis promissam celsitudinem populi Israël hæreditatem nostram: constat enim huiusmodi celsitudinem esse regnum Messiæ. Et optimè congruit vt excelsus effectus celsitudini causæ tribuatur.

Pars Executiua.

Ecclesia hæreditas regni Christi.

Aduerte hîc quòd Ecclesia inducit non solùm regnum Messiæ, sed subiectionem populorum vt materiam gaudij omnibus populis: vt intelligas non esse subiectionem coactam aut seruilem, sed reuerentialem constitutiuam subiectorum in dominos (iuxta illud: *cui seruire regnare est*) imò redigentem subiectos in collegas, in cohæredes inuitantium. Vnde meritò omnes populi gaudere debent.

Vers. 5. ASCENDIT DEVS. Explicato fructu in nobis, explicatur modò causa: tractando illam particulam, *rex magnus super omnem terram*. Et inchoat ab ascensione, quæ fuit principium fructus spiritus in nobis: iuxta illud Ioan. 7. *Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*. *Ascendit*, in cælum, *Deus* Messias, non purus homo, sed homo & Deus, *in clangore: Dominus in voce cornu*. Vbi per metaphoram sonorum intellige festiuum ascensum. Propter quod adiungitur sono cantus: *canite Deo canite*. Et rursus: *canite regi nostro, canite*: vt intelligas eundem Deum ac regem nostrum, qui Messias vocatur. Et quia dixerat, *super omnem terram*, subdit: *Quia rex vniuersæ terræ Deus*, quia iam Deus regnat in vniuersa terra per fidem, *canite intelligentiā*, hoc est, secundùm eruditionem & intelligentiam artis musicæ. Et vt magnitudo regni explicetur, subdit: *Regnauit Deus super gentes*, exclusis idolis: & amplius *Deus sedit super thronum sanctitatis suæ*, hoc est, ad dexteram patris: hæc est enim thronus sanctitatis eius. *Principes populorum congregati*, reges diuersorum populorum congregati, non in vno loco, sed in vna fide, spe & charitate. *sunt populus Dei Abraham*. In Christo sicut non est barbarus aut Scytha, masculus aut fœmina, ita non est seruus aut dominus, princeps aut subditus: sed omnes sunt populus Dei. Fit autem mentio *Dei Abraham*: vt intelligas principes populorum transisse in populum Dei qui vocatur & est Deus Abraham: qui fuit primus separatus à cultu idololatriæ ad colendum Deum, qui vocatur pater fidei nostræ, vt intelligas populum Messiæ esse secundùm ... tem & fidem ipsum populum Dei Abraham, perfidos autem Iudæos solo nomine esse populum Dei Abraham. Et adiunxit hanc clausulam propheta, vt explanaret modum quo Deus subiecit populos Ecclesiæ & regna sub pedibus eius. Hic enim est modus: quòd sedente Christo ad dexteram patris, *principes populorum congregati* vnitate fidei, *sunt populus Dei Abraham*. Quod ad literam adimpletum videmus: quando Constantino & aliis magnatibus suscipientibus fidem Christi, omnia regna subiecta sunt Ecclesiæ. Ordina literam sic: Principes populorum congregati sunt, in vna fide, &c. vt sint populus Dei Abraham. Oportet autem sic ordinare: quia verbum *sunt* apud Hebræos est pars præteriti *congregati sunt*, & non est præsentis temporis: sed nos exponendo, pro clariori sensu vsi sumus vt præsenti.

Ascensio Christi.

Ioan. 7. 39.

Populus Dei Abraham est populus Messiæ.

Causa autem subiungitur: *quoniam Deo protectores terræ valde eleuato*. Aduerte hîc propter obscuritatem in textu Hebræo, *Deo* esse casus datiui, *terræ* esse casus genitiui, reliqua (scilicet *protectores* & *eleuato*) esse casus regiminis. Propter quod interpretes elegerunt ponere *protectores* in casu nominatiuo, & *eleuato* in casu datiuo: vt sit sensus. *Quoniam Deo valde eleuato* (vtpote qui ascendit & sedet ad dexteram patris) *protectores terræ*, hoc est, principes quibus ex officio incumbit protegere terram, se dediderunt. Sic enim quadrat ratio, quadrat coniunctio *quoniam*: nam quia principes terræ se dediderunt Deo eleuato, ideo congregati in vnitate fidei sunt populus Dei Abraham. Amen.

PSAL-

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus cantici filiis Core.*

XLVII.

2 *MAGNVS Dominus & laudabilis nimis: in ciuitate Dei nostri, in monte sancto eius.*

3 *Fundatur exultatione vniuersæ terræ: mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni.*

4 *Deus in domibus eius cognoscetur: cùm suscipiet eam.*

5 *Quoniam ecce reges congregati sunt: conuenerunt in vnum.*

6 *Ipsi videntes sic admirati sunt, conturba-*

7 *ti sunt, commoti sunt: tremor apprehendit eos.*

8 *Ibi dolores vt parturientis: in spiritu vehementi conteres naues Tarsis.*

9 *Sicut audiuimus sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eam in æternum.*

10 *Suscepimus Deus misericordiam tuam: in medio templi tui.*

11 *Secundùm nomen tuum Deus, sic & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua.*

12 *Lætetur mons Sion & exultent filiæ Iudæ: propter iudicia tua Domine.*

13 *Circumdate Sion & complectimini eam: narrate in turribus eius.*

14 *Ponite corda vestra in virtute eius & distribuite domos eius: vt enarretis in progenie altera.*

15 *Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum & in seculum seculi: ipse reget nos in secula.*

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum Psalmi filiis Core.

XLVIII.

1 *Propheta.* MAGNVS Dominus est & laudatus valde: in ciuitate Dei nostri, monte sanctitatis eius.

2 Pulchra sponsa lætificans totam terram: Mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni.

3 Deus † in palatiis eius agnitus est protegendo. † Dij.

4 Quia ecce reges congregati sunt: transierunt simul.

5 Ipsi viderunt sic: mirati sunt, territi sunt, accelerati sunt.

6 Tremor apprehendit eos ibi: dolor quasi parturientis.

7 In vento Orientali confringes naues Tarsis.

8 Sicut audiuimus, ita vidimus in ciuitate Domini exercituum, in ciuitate Dei nostri: Deus † firmabit eam vsque æternum. *Selah.* † Dij.

9 Putauimus Deus † gratiam tuam in medio templi tui laudari. † Dij.

10 Sicut nomen est tuum Deus † sic laus est tua super extrema terræ: iustitia plena dextera tua. † Dij.

11 Lætabitur mons Sion, exultabunt filiæ Iudæ: propter iudicia tua.

12 Circundate Sion & circumite eam: numerate turres eius.

13 Ponite cor vestrum antemurali, eleuate palatia eius: propterea narrabitis generationi posteræ.

14 Quoniam iste Deus † Deus noster æternum & semper: ipse ducet nos æternaliter. † Dij.

COMMENTARIVS.

Canticum & Psalmus idē.

TItulus est, *Canticum Psalmi filiis Core.* Vbi quia idem significant *canticum* & *psalmus*, sumitur hîc canticum à cantandi officio, psalmus verò pro hymno qui cantatur: communi siquidem nomine omnes hymni huius libri appellantur Psalmi. Vnde ex titulo nihil apparet de materia Psalmi. Circa quam est aduertendum, esse aliquid clarum & aliquid obscurum. Clara sunt duo: Alterum quòd Psalmus iste loquitur de ciuitate Hierusalem, tum quia loquitur de ciuitate in monte Sion, tum quia meminit tẽpli Dei: quod constat fuisse in sola Hierusalem. Alterum quòd loquitur de ciuitate Hierusalem in statu florido: tum quia ponit in ea Dominum magnum & laudatum valde, &c. tum quia ponit in ea lætitiam montis Sion & filiarum Iudæ.

Materia.

Ambiguum autem est an ad literam describatur terrestris Hierusalem quantùm ad gloriam mundi huius, an Hierusalem mystica. Quòd enim non describatur floridus status secũdùm gloriam mundi

mundi terrestris Hierusalem, ex eo habetur quòd status floridus Hierusalem fuit tempore Salomonis: constat autem non describi hîc ciuitatem tempore Salomonis ex tribus: Primum, quia hîc describitur reges congregatos, simul transisse, vidisse, admiratos esse, tremore & dolore quassatos: quod nunquam legitur tempore Salomonis. Secundò quia hîc narrantur naues Tarsis confractæ vento Orientali: quod nunquam Salomonis tempore legitur. Quòd si naues Tarsis confractas tempore Iosaphath referri dicatur, iam receditur à describendo felicitatem ciuitatis: nam contritio illarum nauium, ad infortunium spectat Hierusalem: in hoc autem Psalmo describuntur ea quæ prosperitatis sunt. Tertiò quia in hoc Psalmo nulla fit mentio de duobus præcipuis bonis ciuitatis tempore Salomonis, scilicet de ipso rege, & de copia diuitiarum tanta quòd argentum pro nihilo haberetur: vt dicitur 3. Regum 10.

Quod autem somniant aliqui esse hîc sermonem de terrena felicitate Hierusalem tempore Messiæ, vt somnium relinquatur: vidimus enim Messiæ tempore non magnum Dominum nec laudatum valde in Hierusalem, sed quasi seruum vituperatum valde.

Psalmus hic est parabolicus, in Ierusalē terrestri describēs spiritualem.

Vnde restat quòd ad literam Psalmus iste est parabolicus: & sub metaphora Hierusalem terrestris describit Hierusalem spiritualem: hoc est, Ecclesiam Christi, quæ est participatio quædam Hierusalem cœlestis: dum iidem sunt ciues hîc peregrinantes & militantes, ibi postea triumphantes. Ita quòd non ponimus tres ciuitates Hierusalem, sed duas cum Apostolo ad Galat. 4. terrestrē, scilicet & cœlestem: quia *non habemus hic manentem ciuitatem sed futuram inquirimus.* Sed nomen ciuitatis cœlestis Hierusalem cum diuitiis suis communicatur præsenti Ecclesiæ: pro quanto hæc est in spe & in merito quod illa est in re & in præmio. Et sic vocatur & est participatiuè Hierusalem cœlestis. Vnde & *nostra conuersatio in cælis est.*

Est igitur ad literam sermo de spirituali Hierusalem, verâ ciuitate Messiæ. Quod non solùm per locum à diuisione facta dicimus, sed etiam ex narratis in Psalmo colligimus: dum narratur Deū confregisse naues Tarsis, quibus vehebantur congregati reges contra ciuitatem Hierusalem. Hoc enim nisi spiritualiter intelligatur, nullam habet ex historiis fidem: sed intellectui de communi concursu principum mundi aduersus Ecclesiam Christi in primitiua Ecclēsia, optimè quadrat.

SVMMARIVM EST.

Propheta in persona fidelium Messiæ, describit Deum tum magnum, tum laudatum valde in ciuitate & monte Dei. Et magnum quidem ex confractione nauium vehentium reges congregatos contra ciuitatem. Laudatum verò: quia iuxta cogitationem & auditionem vidimus gratiam eius in templo ipsius cum laude iustitiæ, inuitando omnes ad lætitiam & augmentum Sion vt perpetua sit Dei gloria in posteritate. Hoc est summarium parabolæ tractatæ in hoc Psalmo.

Personæ loquentes sunt Propheta & ciues.

Vers. 1. MAGNVS DOMINVS ET LAVDATVS VALDE. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *pulchra*. Proponit duas Dei conditiones: scilicet magnus & laudatus: & vtramque *valde*, determinando loca in quibus est valde magnus & laudatus. Alter locus est *in ciuitate Dei nostri*, Hierusalem. Alter *in monte sanctitatis eius:* qui est mons Moria, in quo erat locus templi: & propterea vocatur locus sanctitatis Dei. De quo dixit Iacob, *terribilis est locus iste*, &c.

Vers. 2. PVLCHRA. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò declaratur illa particula, *in ciuitate.* Secundò declaratur illa particula, *magnus Dominus in ciuitate*, ibi, *Deus in palatijs.* Tertiò illa, *& laudatus in monte sanctitatis sua*, ibi, *putauimus Deus.* Quia non definiuerat ciuitatem nisi ex parte Dei (appellando eam *ciuitatem Dei nostri*) describit modò ipsam ciuitatem quinque conditionibus. *Ciuitas Dei ex quinque conditionibus describitur.*

Prima est à pulchritudine: *pulchra sponsa*, ita quòd ciuitas est pulchra ad similitudinem sponsæ speciosæ. Per quod commendatur etiam ab amore: sicut sponsa pulchra est amabilis & concupita, &c.

Secunda: *lætificans totam terram.* Inter partes terræ sortita est pulchritudinem: & vltra hoc est materia gaudij reliquis partibus terræ. Vnde Thren. 2. Hieremias introducit ambas has conditiones, dicendo super Hierusalem destructa: *Haccine est vrbs perfecti decoris, gaudium vniuersæ terræ?* Thren. 2. 15. Hebræi dicunt hoc secundum verificari ratione salubritatis aëris communis omnibus nationibus: dicentes vndecunque ex toto orbe aduentantes homines, incolumes seruari in Hierusalem: cùm tamen videamus transeuntes ad remota climata infirmari. Intelligō ego ratione diuini cultus in sola Hierusalem vigentis appellatam gaudium vniuersæ terræ.

Tertia: *mons Sion.* Explicatur per mōtem Sion non solummodo locus, scilicet Hierusalem à nobiliori ipsius parte (scilicet monte Sion) sed etiam ratio omnium: diuinus scilicet cultus: nam mons Sion locus erat diuini cultus: ibi enim erat arca Dei tempore Dauidis, & in eius superiore parte monte Moria ædificatum est templum. *Mons Sion locus diuini cultus.*

Latera Aquilonis. Si verum est quòd mons Moria est ad literam Aquilonaris monti Sion seu Hierusalem, vt aiunt, significatur per *latera Aquilonis* templum Dei ibidem ædificatum postea. Potest tamen ad literam excellentia Hierusalem terrestris describi ex hoc quòd est velut collateralis Aquiloni: hoc est, Babyloni seu ciuitati regis regum Aquilonis. Ita quòd dicta est *latera Aquilonis*, ac si fuisset dicta par Aquiloni: in Aquilone enim à quo *pandetur omne malum*, Hierusalem fuit prima monarchia; & Hierusalem adeò diues & gloriosa emersit tempore Dauidis & Salomonis vt certaret de gloria, diuitiis, &c. cum Aquilone. Et propterea describitur quòd est etiam *latera* (hoc est, ad latera) *Aquilonis*, tanquam par illi. *Latera Aquilonis, quid?* *Ierem. 1. 14.*

Vltima: *ciuitas regis magni*, id est, Messiæ qui est rex magnus expectatus à Iudæis: vt intelligas eandem esse ciuitatem Dei nostri & regis magni Messiæ. Et hæc quidem de terrestri Hierusalem sic sunt vera vt ad literam ideo descripta sint, vt spiritualis Hierusalem conditiones intelligas. Quod ex sequentibus conuincitur: quia non possunt quæ sequuntur, de materialibus palatiis & nauibus intelligi.

Vers. 3. DEVS IN PALATIIS EIVS. Tractatur hîc illa particula, *magnus Dominus in ciuitate:* declarando effectū in quo est cognita magnitudo diuina,

nia, scilicet protegendo seu auxiliando. *Deus in palatijs eius*, scilicet Hierusalem, *agnitus est protegendo*. Describit autem Deum cognitum in palatiis: vt intelligas Deum cognitum à magnatibus habitantibus palatia Et quidem quantum ad parabolam. describuut intellectum diuinum adiutorium à magnatibus: eo quòd tarò magnates mundi recognoscunt Deum adiutorem, sed attribuunt (si nesciunt aliam causam) astris vel casui: plebeij autem sunt qui recognoscunt Deum. Vt ergo vniuersaliter Deum cognitum adiutorem intelligeremus, dixit Deum protectorem in palatiis cognitum.

Magnates mundi Deum rarò adiutorē recognoscunt: secus verò plebeij.

Quia ecce reges congregati sunt. Audi effectum in quo monstratum est diuinum adiutorium. Describuntur reges hostes ciuitatis Hierusalem congregati, transeuntes simul mare. ex vna parte: ex altera parte describitur Deus *in vento Orientali confringens naues Tarsis*, vehementes transeuntes reges. Ita quòd videntes reges se periclitari, *mirati sunt, territi sunt, accelerati sunt*, ad euadendum, *tremor apprehendit eos ibi*: nec solus tremor, sed *dolor quasi parturientis*, in periculo mortis constitutæ. Hic est effectus quo Deus est agnitus in palatiis. Et propterea ciues Hierusalem introducuntur, dicentes: *Sicut audiuimus*, à prophetis & patribus de diuinis operibus, *ita vidimus in ciuitate Domini exercituum, in ciuitate Dei nostri, Deus firmabit eam vsque aeternum*, indubiâ fide ac spe ex istâ experientia dicimus quòd *Deus firmabit eam*, Hierusalem, *vsque aeternum*. Hæc est parabola. Historia nusquam inuenitur materialium nauium & huiusmodi regum sic congregatorum. Et propterea sensus parabolæ est quòd Deus est cognitus magnus in palatiis, in magnificis domibus quales sunt Apostoli & Martyres, roborando eos. *Quia ecce*. Demonstrantur in primitiua Ecclesia *reges* mundi *congregati*, non in loco sed animo vno & eodem cōtra fidem Christi. Et propterea describuntur *transire simul* mare ad destruendum Hierusalem (eodem siquidem tempore & animo conabantur omnes ad destruēdum Hierusalem spiritualem, hoc est, Ecclesiam Christi) sed Deo *in vento Orientali*, hoc est, Spiritu sancto flante ab Oriente, hoc est, à Messia (de quo scriptum est Zachar. 6. *Ecce vir Oriens nomen eius*) *confringente naues Tarsis*, potentias mūdanas: comprehendendo diuitias & reliqua in quibus confidunt homines, quæ erant quasi vehicula hominum contra fidem Christianam. Hæc enim omnia confregit spiritus Orientis virtutibus & miraculis. Quem spiritum virtutum & miraculorum ipsi reges viderunt sic quòd *mirati sunt* primò, deinde *territi sunt* & *accelerati sunt*: in non multo siquidem tempore susceperunt fidem vniuersi populi: *tremor apprehendit eos ibi*, vbi spiritus virtutum & miraculorum confudit vires humanas: & similiter *dolor quasi parturientis*. Vbi vides significari ad literam quòd Spiritu sancto confringente vires humanas persecutorum, tandem *mirati* & *territi*, etsi non ipsi, successores tamen eorum tremore diuini iudicij & dolore propriorum scelerum *accelerati sunt* ad susceptionem fidei. Et propterea Christiani fatemur gratias agendo: *Sicut audiuimus*, à prophetis, *ita vidimus in ciuitate Domini exercituum*, in Ecclesia militante, *in ciuitate* inquam *Dei nostri*: & non dubitamus quòd *Deus firmabit eam* Ecclesiam, *vsque aeternum*.

Ventus Orientalis, Spiritus sanctus.
Zach. 6. 12.

Vers. 9. PUTAVIMUS DEUS. Tractatur hîc illa particula, *laudatus in monte sanctitatis suæ*: declarando visam laudem & hortando ad augmentum. Et visam quidem laudem in extensione ad fines terræ significat, comparatiuè ad templum dicendo: *Putauimus*, hactenus, *Deus gratiam tuā*, laudari, *in medio templi tui*. in quo est cultus tuus: sed nunc videmus tam extensam laudem tuam quòd *sicut nomen* quo diceris *Deus*: est verè *tuum*, quia nulli alteri verè conuenit, *sic & laus* est *tua super extrema terræ*, expansa, ita quòd laudaris iam in vniuersa terra solus Deus: *dextera tua* non est sicut dextera humana, partim iustitiæ & partim iniquitatis habens, sed *plena* est *iustitia*: quoniam non operatur nisi iusta iustè, nec fauet nisi iustitiæ. Et quantùm ad parabolam spectat, visa est dextera tua plena iustitiæ in confringendo naues Tarsis.

Quantùm verò ad sensum parabolæ, significatur cultum diuinum qui hactenus fuerat in templo Hierosolymis, inueniri in toto orbe: iuxta verbum Domini ad Samaritanam: *Venit hora quando nec Hierosolymis nec in monte hoc adorabitis*, &c. Significatúrque assistentia diuina in Martyribus visa plena iustitiæ, nullam admittens iniquitatem: *nihil enim damnationis est ijs qui sunt in Christo Iesu*.

Ioan. 4. 21.
Rom. 8. 1.

Vnde & subditur: *Lætabitur mons Sion, exultabunt filiæ Iudæ propter iudicia tua*. Quod quantùm ad parabolam, liquet describere subsequentem lætitiam habitantium in Hierusalem & in tribu Iuda. Secundum autem parabolæ sensum, prophetatur lætitia primitiuæ Ecclesiæ in contumeliis & tormentis: iuxta illud: *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*. Perfectiores ergo per montem Sion & filias Iudæ significantur, gaudentes propter iudicia Domini quæ inceperunt à domo Domini: iuxta verbum Apostoli Petri: *Tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei*, &c. 1. Petr. 4.

Lætitia primitiuæ Ecclesiæ in tormentis.
Act. 5. 41.
1. Petr. 4. 17.

Exhortatio autem ad augmentum laudis subiungitur: *Circumdate Sion & circumite eam* Ordo præposterus: primò debent circumire, & deinde circumdare eam muris: tertiò: *Numerate turres eius*: quartò *ponite cor vestrū antemurali*. & quintò *eleuate palatia eius*: ad hunc effectum vt *enarretis generationi posteræ, quoniam iste Deus, Deus noster aeterno & semper, ipse ducet nos aeternaliter*.

Quantùm ad parabolam, munienda & exaltanda dicitur ciuitas ad hoc vt posteritati consulatur quoad sciendum Deum ducem, &c. Quantùm verò ad sensum parabolæ, modus describitur quo diuina laus est extensa ad fines terræ. Primò circumeundo Sion, vniuersum locum Ecclesiæ Dei: deindę circumdando eam muro Apostolicorum virorum, protegentium: tertiò numerando turres. *Turris fortissima nomen Domini: ad eam confugiet iustus & saluabitur*, Prouerb. 18. Ac per hoc *numerare turres Sion*, est numerare diuina nomina: hoc est distinctè habere rationem diuinarum notitiarum. Quod ad literam tunc incepit adimpleri cùm Apostoli condiderunt symbolum fidei: tot enim turres numerarunt quot fidei articulos distinxerunt: nam articuli fidei sunt velut turres Ecclesiæ: vtpote firma refugia & propugnacula in omnibus excursionibus hæreticorum. Quartò ponendo cor ad antemurale: hoc est, etiam ad vltimas defensiones Ecclesiæ: *Quis infirmatur* (inquit Apostolus) *& ego non infirmor?* quis

Prou. 18. 10.
Articuli fidei sūt velut turres Ecclesiæ.
2. Cor. 11. 29

quis scandalizatur & ego non vror? Hoc est habere cor & non solùm linguam ad antemurale Ecclesiæ. Quintò *eleuando palatia*, magnificas domos, præficiendo Ecclesiis viros perfectiores: qui respectu aliorum sunt sicut palatia respectu domorum. Quod in primitiua Ecclesia seruarum esse constat. His enim medus peruentum est ad hoc vt enarrauerint *postera generationi* (id est, nobis, in quos fines seculorum deuenerunt) duo. Primum: *quoniam iste* Messias *Deus, Deus noster æternum & semper.* In quo eius diuinitas prædicatur à parte antè & pòst. Secundum: *ipse ducet nos æternaliter.* In quo eius officium prædicatur: Christus enim est dux noster ad æternitatem. In his siquidem duobus vniuersa fides continetur. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori filijs Core Psalmus.*	Vincenti filiis Core Psalmus.
XLVIII.	XLIX.
2 *AVDITE hæc omnes gentes: auribus percipite qui habitatis orbem.*	1 *Propheta.* AVDITE hoc omnes populi: auscultate omnes habitantes orbis.
3 *Quiq; terrigenæ, & filij hominum: simul in vnum diues & pauper.*	2 Etiam filij Adam etiam filij viri: simul diues & mendicus.
4 *Os meum loquetur sapientiam: & meditatio cordis mei prudentiam.*	3 Os meum loquetur sapientias: & meditatio cordis mei prudentias.
5 *Inclinabo in parabolam aurem meam: aperiam in psalterio propositionē meā.*	4 Inclinabo parabolæ aurem meam: aperiam in cithara ęnigma meum.
6 *Cur timebo in die mala, iniquitas calcanei mei circumdabit me?*	5 Quare timebo in diebus mali, iniquitas calcaneorum meorum circumdabit me?
7 *Qui confidunt in virtute sua: & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur.*	6 Confidentes super opulentia sua: & [qui] in multitudine diuitiarum suarum gloriabuntur.
8 *Frater non redimit redimet homo: & non dabit Deo placationem suam.*	7 [Tales sunt quòd] Fratrem, non redimendo redimet vir: non dabit [vir] Deo † pretium suum. † Dijs.
9 *Et pretium redemptionis animæ suæ:* 10 *& laborabit in æternum, & viuet adhuc in finem.*	8 Et chara [illi] redemptio animæ eorum: & cessabit [per mortem] seculo. 9 Et viuet adhuc sempiterno: non videbit foueam.
11 *Non videbit interitum cùm viderit sapientes morientes: simul insipiens & stultus peribunt.*	10 Quando videbit sapientes [quòd] moriuntur [cum fama]: simul insipiens & bestialis peribunt, & derelinquent [sapientes] aliis opulentiam suam.
12 *Et relinquent alienis diuitias suas: & sepulchra eorum domus illorum in æternum. Tabernacula eorum in progenie & progenie: vocauerunt nomina sua in terris suis.*	11 Intimum eorum [est quòd] domus eorum seculo [construunt]: habitacula sua generationi & generationi, vocauerunt in nominibus suis super terras.
13 *Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.*	12 Et homo qui in claritate non pernoctabit: assimilatus est [brutis ita quòd], sicut bestiæ exæquatæ sunt [ita homines].
14 *Hæc via illorum scandalum ipsis: & postea in ore suo complacebunt.*	13 Hæc via eorū, insipientia ipsis: & post eos in os eorum current. *Selah.*

14 Quasi

15 *Sicut oues in inferno positi sunt : mors depascet eos.* *Et dominabuntur eorum iusti in matutino : & auxilium eorum veterascet in inferno à gloria eorum.*	14 Quasi ouis in fouea † positi sunt, mors pascet eos : & dominabuntur in eos recti mane : & figura erit eorum ad consumendum foueam ab habitaculo sibi. † *fouea.*
16 *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi : cum acceperit me.*	15 Tantum Deus † redimet animam meam de mamu foueæ, cùm assumet me ex hac vita. *Selah.* † *Dij.*
17 *Ne timueris cum diues factus fuerit homo : & cum multiplicata fuerit gloria domus eius.*	16 Ne time de futura præmia cùm ditabitur vir: cũ multiplicabitur honor domus eius.
18 *Quoniã cùm interierit non sumet omnia: neque descendet cum eo gloria eius.*	17 Quoniam non in mori suo tollet omnia: non descendet post ipsum honor eius.
19 *Quia anima eius in vita ipsius benedicetur : confitebitur tibi cum benefeceris ei.*	18 Quia animæ suæ in vitis suis vir tantum benedicet : & alij laudabunt te cùm tantum benefacies tibi.
20 *Introibit vsque in progenies patrum suorum : & vsque in æternum non videbit lumen.*	19 Ibit vir vsque generationem patrum suorum qui : vsque æternum non videbunt lumen.
21 *Homo cum in honore esset non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis.*	20 Homo qui in claritate quicunque est & non intelliget : assimilatus est sic quòd sicut bestiæ ita homines exæquatæ sunt.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti filiis Core Psalmus.* De quo vt suprà.

Materia. Circa materiam Psalmi constat primò quòd mouetur quæstio de causa timendi dies mali in quinto versiculo. Constat deinde quòd recitatur via diuitum huius mundi circa redemptionem animæ : & reprehenditur tandem in 13. versiculo. *Hæc via illorum insipientia ipsis* Constat tertiò quòd subditur doctrina inter illos & iustos : quòd illi *sicut oues in inferno positi sunt, mors pascet eos : iusti autem dominabuntur eorum,* &c. Constat demum moneri homines ne timeant cùm multiplicata fuerit gloria diuitis: quia non comitatur eum post mortem sed in æternum non videbunt lumen.

Causa humani timoris respectu malorum post mortem. Ex quibus diligenter perspectis ac collatis, apparet primò quòd quæstio proposita quærit de causa nostri timoris respectu malorum post mortem: ad hoc enim directè spectat descriptio damnatorum & dominium iustorum : ad hoc spectat non esse timendum multiplicatum honorem diuitum , quia non cum eo pergit post mortem : ad hoc quoque spectat recitata via diuitum circa redemptionem animæ. Vnde concludendum est quòd Psalmus iste ad literam tractat causam humani timoris respectu malorum post mortem.

SVMMARIVM EST.

Propheta vbi inuitauit mundum ad audiendam sapientiam & prudentiam quæstionis de timore pœnarum futuræ vitæ , introducit primò sapientes mundi ponentes felicitatem in immortalitate famæ, ita quòd in hac sola differt homo à brutis : & narrat multiplex eorum studium ad huiusmodi immortalitatem consequendam. Deinde reprehendit eorum insipientiam , describens pœnas iniquorum & præmia iustorum post mortem : in quo consistit solutio quæstionis : adiungens quòd gloria mundi nihil prodest mortuis : necnon monstrans in quo verè differt homo à brutis.

Persona loquens Propheta est.

Avdite hoc. Diuiditur Psalmus in partes duas : propositiuam materiæ , & executiuam, ibi, *confidentes.* In parte propositiua multo apparatu proponit quæstionem , inuitando omnes & singulos homines mundi : *Audite* , exterius, *hoc,* hanc rem, *omnes populi,* omnia collegia: *auribus percipite,* seu *auscultate,* intus attendite, *omnes habitatores orbis,* singuli homines. *Etiam filij Adam, etiam filij viri* : hoc est tam ignobiles (quorum genus non illustratur nisi quia sunt homines) quàm nobiles , ex nominato viro genus trahentes: *simul diues & mendicus.* Post differentiam generis subditur etiam fortunarum , diues & mendicus. VERS. 1. *Ad audiendum inuitat omnes.*

Ecce ad quid inuitantur : *Os meum loquetur sapientias* , diuinam & humanam : *& meditatio cordis mei,* non ex præcipitatione sed ex diuturna meditatione, *prudentias* , actionum humanarum,

rum, similiter secundùm Deum & secundùm homines. Hæc quoad rem dicendam. Quoad modum dicendi: *Inclinabo parabolæ aurem meam*, humiliabo ad parabolicum modum aurem meã. Debuisset dicere *os meum*, aut *verbum meum*, & tamen dixit *aurem meam* propter mysterium: vt intelligeres eum dicturum audita non inuenta à seipso, sed quæ aure percepit à Spiritu sancto: ita quòd posuit aurem pro re audita. *Inclinabo parabolæ*, rem auditam à me, *aperiam in cithara*, hoc est in cantu metrico (ex sono citharæ correspondente metro carminis describit quæstionem metricè proponendam in cantu) *ænigma meum*, difficilem quæstionem.

Quæstionem Propheta proponit.

Ecce quæstio: *Quare timebo in diebus mali, iniquitas calcaneorum meorum circumdabit me?* Appellantur dies mali dies continentes mali *simpliciter*, vt distinguuntur contra dies continentes mali *secundùm quid*. Et propterea quia pœnæ præsentis vitæ sunt malum *secundùm quid*, futuræ autem sunt malum *simpliciter*, ideo dicendo, *quare timebo in diebus mali*, causam quærit quare timebit mala futuræ post mortem vitæ. *Timebo* inquit, in persona hominis timentis pœnas inferni. Et vt intelligas quòd non quærit causam demeritoriam, subdit: *iniquitas calcaneorum meorum circumdabit me:* hoc est, cur timebo sic quòd iniquitas etiam minima circumdat me timore. *Iniquitate calcaneorum* significatur iniquitas infimæ partis: puta peccatum carnis. Vbi bene nota quòd totum cadit sub quæstione, scilicet, cur timebo in diebus mali propter peccatum commissum, & exaggerando, inducit minima peccata inducentia magnum timorem: vtpote circumdantia hominem timore. Vbi vides Prophetam seruare quod promisit, scilicet, sub metaphora proponere quæstionem, & difficilem quæstionem: quoniam quærit causam, quæ, nisi ex reuelatione diuina sciatur, ignota est: causa enim ad notitiam rerum futuræ vitæ spectat. Hæc est quæstio.

Iniquitas calcanei est peccatum carnis.

Vers. 6. CONFIDENTES. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò recitatur sententia sapientum mundi huius circa motam quæstionem. Secundo reprehenditur mundanorum sententia, ibi, *hæc via eorum*. Tertiò soluitur quæstio secundùm veritatem, confutando dicta mundanorum, ibi, *quasi ouis*.

Sententia sapientũ mundi circa quæstionem propositam.

Circa sententiam sapientum mundi huius aduertendum est quòd partim sub metaphora, partim sub proprietate verborum introducitur sententia mundanorum. Quam vt clariùs intelligas, nota per singula: Quia primò describuntur optimates mundi *confidentes super opulentia sua & in multitudine diuitiarum suarum gloriantes*. Et licet hoc verificetur de diuitiis rerum, parabolicè tamen doctrinam intellige de opulentia ingenij & diuitiis præclarorum gestorum: hi enim sunt capita mundi: de quibus hîc se loqui Propheta, in 13. versiculo explicat: cùm dicit reliquos sequi vestigia horum.

Secundò declaratur optimatum affectus ad viuendum post mortem, simul cum impossibilitate assequendi illud pretio: *Fratrem non redimendo redimet vir*. Vbi quantùm ad literam aduerte duo: Primum quòd tam frater quàm vir in textu Hebræo sunt casus regiminis: & hac vsi libertate interpretes locauerunt *fratres* in accusatiuo, & *virum* in nominatiuo, coacti à puncto vtrumque referre in idem verbum, scilicet, *non redimendo redimet:* quia punctatur post dictionem *vir*. Alterum est quòd consuetudo Hebraïca est dicere *veniendo veniet*, *expectando expectaui*, & sic de aliis: & sicut hoc modo loquendi vtuntur affirmatiuè, ita hîc vtuntur negatiuè *non redimendo redimet:* ita quòd negatio proposita negat & gerundium & verbum. Et est sensus quòd vir, homo notabilis, nunquam redimet fratrem. Si quæris de qua redemptione est sermo, expecta paululum verba textus. Sufficit hîc nosse quòd non est in facultate illustris viri redimere fratrem: & multò minùs potest redimere quemcunque alium. Sequitur: *non dabit Deo pretium suum:* hoc est, nec seipsum potest pretio quocunque redimere; dicendo enim *pretium suum*, suiipsius, scilicet viri illustris pretium monstrat. Et est sensus quòd nullo pretio dato Deo redimet seipsum vir illustris. Sequitur: *& chara redemptio animæ eorum*. Potuisses credere quòd ideò vir illustris non redimet fratrem, nec dabit Deo pretium suiipsius quia non curat, quia non magnipendit redemptionem fratris & sui: hanc cogitationem excludit Propheta, asserens quòd chara est redemptio animæ eorum: hoc est quòd magnipenditur redemptio animæ eorum ab eis. Et hinc habes de qua redemptione hactenus loquutus est, scilicet de redemptione animæ, hoc est, vitæ, ad literam. Videntes enim sapientes in morte se perdituros vitam, magnipendunt redimere vitam, quæ est ab anima: & est quasi redemptio animæ quam in morte perdunt. Vnde redimere animam nihil aliud est quàm emere vitam post mortem. Et hoc magnipenderunt super omnia magnates mundi: & viderunt quòd vnus homo non potest redimere vitam alterius: hoc est, efficere vt alter post mortem viuat. Viderunt quoque quòd sacrificia & oblationes quæ offeruntur Deo non prosunt ad hoc vt offerens viuat post mortem nihil enim isti credunt de futura vita, sed istam tantùm cognoscunt, istam solam magnipendunt, de ista sola loquuntur, ita quòd redemptio animæ eorum, ad viuendum in præsenti vita refertur.

Redemptio animæ hic quænam?

Vnde sequitur tertiò declaratio intentionis istorum: *Et cessabit seculo, & viuet adhuc sempiterno*. Ecce quò tendit vir excellens: ad hoc, scilicet quòd cessante vitâ suâ per mortem viuat adhuc in hac vita in sempiternum: *& cessabit seculo*, hoc est necessitatis naturæ mortalis, *& viuet adhuc sempiterno:* hoc est, studiosæ virtutis, heroïcæ, &c. Et intendit ad literam quòd intendit viuere in fama & gloria sua remanente in æternum. Sequitur: *non videbit foueam*.

Sapiens moritur quidem, sed viuit eius fama: insipiens verò penitus moritur.

Declaratur quartò discursus seu motiuum hominis illustris penès hoc quòd videt differẽtiam inter sapientes & insipientes: quòd sapientes moriuntur quidem sed viuunt adhuc in fama, insipientes autem moriuntur simul cũ omnibus suis, ita quòd nulla fama eorũ restat. Hoc enim significatur dicẽdo: *Non videbit*, vir excellens, *foueam*, hoc est, sepulchrum, *quando videbit sapientes morientur*, hoc est, quòd morientur. Appellat non videre foueam seu sepulchrum, nõ videre occultationem Et est locutio metaphorica: quod enim est in sepulchro seu fouea, tectum est, occultatum est: sapiens autem quando moritur, non sepelitur, non occultatur, sed claret famâ. Intendit enim per mortuum & sepultum, eum cuius nomen est sepultum, & per oppositum non videre foueam in morte sapientis, est videre nomen viuum.

viuum. De insipientibus autem: *Simul insipiens & bestialis*, homo ducens vitam quasi animal brutum, non respiciens nisi ad præsens, *peribunt*, simul: hoc est cum omnibus suis, nomine, famâ, gloriâ, &c.

Media quibus magnates post mortem viuere in sua famâ tentant.

Quintò describuntur consequenter media quibus ex his discursibus magnates procurant viuere post mortem vsque in sempiternum. Et describuntur quatuor media. Primum: *& derelinquent aliis opulentiam suam.* Vbi aduerte quantùm ad literam numerum pluralem, *& derelinquent*, referri non ad insipientem & bestialem, sed ad sapientes introductos dicendo, *quando videbit sapientes:* intendit enim nunc describere quare sapientibus morientibus vir non videt foueam: hoc est, quare restant viui in fama & gloria. Vnde & primum medium quo sapientes mundi procurant viuere in sempiternum, est derelinquere aliis opulentiam suam. Non est hic sermo de diuitiis rerum, sed sub metaphora diuitiarum copiam præclarorum gestorum significat, ita quòd derelinquere aliis memoriam præclarorum gestorum, siue scriptorum, siue dictorum, est primum medium ad procurandam immortalitatem famæ.

Secundum est: *Intimum eorum domus eorum in seculum.* Et hic etiam sermo est metaphoricus ad similitudinem procurantium perpetuitatem per naturalem procreationem sobolis. Et hic appetitus inditus est naturaliter homini, vt studeat conseruare gentem domus suæ generando. Sed altius est quod significatur per hoc: dum dicitur, *intimum eorum*, supple, est: hoc est, quod intimè fixum est in corde eorum, scilicet sapientum, est hoc: domus suæ in seculum, efficere se capita sectarum perpetuatum: hoc enim velut præcipuum medium ad perpetuitatem dicitur *intimum eorum*. & sectæ eorum dicuntur *domus eorum:* iuxta illam significationem quâ frequentissimo vsu in sacra Scriptura domus sumitur pro progenie.

Tertium: *habitacula sua generationi & generationi.* Post duo prima præcipua adiunguntur etiam alia mediocria media, scilicet, efficere magnifica & perpetua ædificia: confert enim hoc nonnihil famæ post mortem. Et hoc significatur dicendo: *habitacula sua*, supple construent, *generationi & generationi*, futuris successionibus.

Vltimum est: *vocauerunt in nominibus suis super terras*, vt Romulus Romam, & sic de aliis denominantibus terras à suis nominibus, vt vel sic perpetuetur nomen eorum.

Sextò declaratur radix totius discursus, sententiæ & operum sapientum huius mundi. *Et homo in claritate non pernoctabit, assimilatus est, sicut bestiæ exæquatæ sunt.* Verba hæc sunt sapientum huius mundi: significantia quòd homo ex eo quòd non pernoctat in claritate, hoc est quòd mortuus non perseuerat in claritate famæ, *assimilatus est*, supple brutis. ita quòd sicut exæquatæ sunt bestiæ in morte, ita exæquantur homines in morte si non permanent in claritate. Vbi clarè vides inter hominem & bruta nullam istos ponere differentiam nisi penes claritatem perseuerantem post mortem. Hæc est sententia mundanorum magnatum circa quæstionem propositam. Nam hinc habes nihil esse timendum ob demeritum aliquod post mortem in alia vita, sed in hac vita infamiam, & ex virtute gloriam acquirendam.

Vers. 13. HÆC VIA EORVM INSIPIENTIA IPSIS, ET POST EOS IN OS EORVM CVRRENT. Reprehendit Propheta sententiam mundanorum ponentium felicitatem in immortalitate famæ. Vbi aduerte quòd ex hoc versiculo manifestè habes quòd omnia dicta à sexto versiculo (scilicet, *confidentes in opulentia sua*) spectant ad viam sapientum huius mundi: pronomen siquidem *hæc*, dicendo *hæc via eorum*, demonstrat narratam hactenus sententiam. Reprehensio autem significatur *insipientia ipsis.* Quod ipsi reputant sapientiam Propheta declarat esse insipientiam. Et meritò: quia malè sentiunt de fine, de felicitate humani generis: sapientis siquidem est rectè sentire de supremis causis, inter quas est vltimus finis. Reprehendendo autem simul insinuat sententiam prædictam esse sapientum mundi: dum subdit: *& post eos in os eorum current.* Vbi aduerte parabolam: in pastu animalium greges pergunt post ora arietum, taurorum & breuiter ducum: ita quòd vbi animalia capita gregum applicant os suum ad pastum, illuc currunt sequentia reliqua animalia. Iuxta hanc metaphoram describit Propheta vulgares homines currere post sapientes in os eorum: hoc est ad eundem pastum quo pascuntur sapientes: dum & ipsi reputant non esse aliam felicitatem nisi felicitatem famæ: quia tali pastu vident sapientes se pascere.

Sententia mundanorũ felicitatem in immortalitate famæ ponentium arguitur.

Vers. 14. QVASI OVIS IN FOVEA POSITI SVNT. In Hebræo habetur *fouea* in datiuo. Respondet hîc Propheta quæstioni motæ: & secundùm quòd promisit inclinat in parabolam audita à Spiritu sancto. Tria autem in hac responsione tractat. Primò aliam vitam post mortem cum differentia pœnarum & præmiorum. Secundò ad quod est vtilis gloria præsentis vitæ. Tertiò corrigit specialiter radicem illam, *homo in claritate.* Circa futuram vitam primò ponit pœnas & præmia: alludendo ad parabolam inchoatam de ouibus sequentibus ad pastum os arietum. Et assimilat eos, scilicet sequaces, ouibus in termino, in casu, sicut assimilati sunt in via. Ita quòd parabola est quòd sicut oues sequentes arietes currendo perueniunt ad locum arietum, ac per hoc ad casum (puta si cadunt in foueam ita imitatores sapientum perueniunt ad foueam inferni vt *pascantur morte* omnes simul: ex eo enim quòd pergunt ad pastum, apertè describuntur pasci morte. Et secundùm rei veritatem *pascuntur morte:* quoniam nihil aliud gustant animæ damnatorum nisi quod mortis est: maxima, scilicet mala pœnæ. *Quasi ouis*, multitudo ouium sequens capita positi sunt *in fouea* inferni, in quam foueam ceciderunt sequendo sapientes mundi: ita quòd *mors* continuis tormentis *pascet eos. Et dominabuntur in eos recti manè.* Ecce præmium iustorum: illi pascuntur morte: recti dominantur super eos, effecti sunt Domini. *Manè:* mortem iustorum appellat manè, quoniam in morte incipit verus dies rectorum: sicut mortem impiorum appellauit casum in foueam.

Responsio quæstioni propositæ.

Mors iustorum dicitur manè, quia in ea incipit verus eorum dies.

Et ne putes temporalia fore hæc tormenta impiorum, subdit: *& figura eorum ad consumendum foueam ab habitaculo sibi.* Humano more interminabilem carcerem significat dum consueuimus dicere de carcerato sine spe libertatis quòd ipse consumet vincula & carcerem: iuxta hunc loquendi morem significat Propheta damnatos sine termino in inferno. *Et figura eorum ad consumendum*

sumendum foueam inferni, quod est impossibile: vt intelligas interminabilitatem. Et per metaphoram figuræ corporeæ intellige significari animam: quæ fuit forma corporis. *Ab habitaculo sibi*, hoc est quia est habitaculum sibi deputatum.

Declaratâ disparitate præmij & pœnæ,& perpetuitate, declarat modò ipsam vitam futuram, alludendo ad discursus sapientum prius recitatos,scilicet,quòd *vir non potest redimere animam,* id est vitam neque suam neque fratris sui.Et ait: *Tantum Deus redimet animam meam de manu fouea cum assumet me.* Duas vitas insinuat: hoc est naturalem vitam animæ, dicendo *de manu fouea:* & vitam gratiæ, dicendo, *Deus redimet.* Significantérque apponit *tantùm*, vt intelligas vitam gratiæ à solo Deo pendere: anima siquidem eius quantùm est ex se manum foueæ infernalis incurreret: sed Deus solus est qui redimet animam meam de potestate inferni. Et hoc tunc erit *cùm assumet me.* Potest hoc intelligi de assumptione ex hac vita: ita quòd significanter non vocauit eam mortem sed assumptionem ex hac miseria in perpetuam vitam. Nec obstat quòd tunc temporis homines in morte non consequebantur felicitatem æternæ beatitudinis: satis est Prophetæ quòd consequebantur eam securitate sinus Abrahæ. nam ad confutandos sapientes mundi hoc sufficit. Posset quoque exponi de assumptione naturæ humanæ à Deo in vnitatem personæ: sed extra præsens propositum apparet.

Duplex vita, natura, & gratia.

Mors est assumptio.

Vers. 16. NE TIME CVM DITABITVR VIR. Declaratâ vitâ felici & infelici animæ post mortem, declarat Propheta quòd gloria procurata à sapientibus mundi nihil prodest post mortem animabus eorum, sed tantùm profuit eis dum viuerent:quia post mortem non videbunt lumen. *Ne time.* Apostrophat ad iustum timentem pœnas, & sperantem præmia futuræ vitæ. *Ne time cùm ditabitur vir*, quibuslibet diuitiis præclarorum gestorum, &c. *Cum multiplicabitur honor domus eius*, gentis sequentis ipsum. *Quoniam non in mori suo tollet omnia, non descendet post eum honor eius*, sed remanebit in opinione hominum qui hîc viuunt. *Quia anima sua in vita sua* tantùm *benedicet*, vir excellens: *&* similiter alij *laudabunt te cùm benefacies tibi* tantum. Et est sensus quòd nec ipsemet vir excellens potest benedicere animæ suæ nisi durante hac vitâ suâ, vt clarum est: & similiter alij non laudabunt te nisi durante tempore quo benefacies tibiipsi: quod constat esse tempus præsentis tantùm vitæ:quando autem non potes tibiipsi nec benedicere nec benefacere, nullus laudabit te, laude pertinente ad te: hæc enim sola est quæ prodest. Et intendit Propheta quòd quia sublata est illustri viro post mortem facultas tam benedicendi quã benefaciendi sibi,non perueniunt ad eum laudes quæ hîc remanserunt in opinionibus humanis. *Ibit*, per mortem, *vsque ad generationem patrum suorum,* damnatorum qui instruxerunt eos,*vsque ad æternum non videbunt lumen:* hoc est qui patres eorum *vsque ad æternum non videbunt lumen,* ac per hoc non videbunt laudes suas quibus in hoc mundo celebrantur: erunt enim in tenebris inferni: de quibus scriptum est: *Eijcite eum in tenebras exteriores.*

Gloria siue fama huius mundi post mortem nil prodest.

Occurrit hîc quæstiuncula cur Propheta induxit hanc doctrinam sub exclusione timoris inchoans *ne time:* cùm non appareat ratio timendi etiamsi gloria hæc comitaretur homines post mortem. Ad hoc dicitur quòd si gloria hæc comitaretur animas post mortem, timendum esset quòd deficeerent præmia alterius vitæ quæ speramus: quòd esset maximum malum. Et propterea Propheta exclusit hunc timorem:intẽdens quòd non deerunt præmia alterius vitæ, quæ promissa sunt in lege & Prophetis: quia huius mundi præmia (gloria, honor & huiusmodi) nullum habent ibi locum.

Vers. 20. HOMO IN CLARITATE. Postremò corrigit Propheta vulgatum dictum sapientum: scilicet quòd homo differt à bestiis quia commoratur in claritate. Vbi diligentissimè perspice correctionem: quoniam consistit in correctione illius particulæ,*non pernoctabit seu commorabitur:* hanc particulam corrigit Propheta: & loco illius apponit, *& non intelliget.* Vide differentiam: Illi clamitant & implent libros suos quòd solus homo qui commoratur in claritate, post mortem differt à brutis: iuxta illud:

Sapientum opinionem, hominem post mortem solâ nominis sui famâ differre à brutis confutat Propheta.

——*Sed famam extendere factis,*
Hoc virtutis opus.

Propheta dicit copulatiuam: *Homo in claritate & non intelliget:* hoc est solus homo qui intelliget, differt à brutis, quantuncumque in claritate commoretur. Et intendit per *intelligere,* intelligere dono seu intellectu fidei: solus enim præditus intellectu fidei intelligit veram felicitatem: iuxta illud: *nisi credideritis non intelligetis.* Approbat autem Propheta assimilari reliquos homines bestiis, longè altiori sensu quàm illi dixerint: illi enim dicebant homines assimilari bestiis,quia eorum omnia cum vita intereũt: Propheta autem asserit homines carentes intellectu fidei similes bestiis,quia ceciderunt ab ordine creaturarum rationalium & lapsi sunt in ordinem brutorum: creaturæ enim rationales sunt propter seipsas: hoc est vt sint ipsæ felices, irrationalia autem omnia non sunt propter se (quia non sunt vt assequantur felicitatem) sed propter superiores res. Quocirca quia damnati fuerunt in hac vita in ordine creaturarum rationalium (vtpote potentes per fidem assequi beatitudinem æternam)& post mortem non possunt assequi ampliùs illam, ceciderunt ab ordine creaturarum rationalium in ordinem brutorum: pro quanto sunt in statu, in quo non sunt propter se (quia non possunt assequi felicitatem) sed sunt propter sanctos, quibus omnia cooperantur in bonum: sicut bruta sunt propter superiora entia. Ideo omnes dicuntur similes bestiis. Ita quòd vera propositio est,quòd homo in claritate seu gloria quantacunque existens *& non intelliget* (hoc est si non intelliget intellectu fidei) *assimilatus est* sic quòd *sicut exæquata sunt bestiæ*, sic ipsi exæquati sunt,omnes ęquales facti sunt in vno statu, sicut bestiæ propter alios non propter seipsos. Amen.

Rationales creaturæ sũt propter seipsas, non item irrationales.

PSAL

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus Asaph.*

XLIX.

DEVS deorum Dominus locutus est: & vocauit terram.

2 *A solis ortu vsque ad occasum: ex Sion species decoris eius.*

3 *Deus manifestè veniet: Deus noster & non silebit.*

Ignis in conspectu eius exardescet: & in circuitu eius tempestas valida.

4 *Aduocauit cælum de sursum & terram: discernere populum suum.*

5 *Congregate illi sanctos eius: qui ordinant testamentum eius super sacrificium.*

6 *Et annunciabunt cæli iustitiam eius: quoniam Deus iudex est.*

7 *Audi populus meus & loquar Israël: & testificabor tibi, Deus Deus tuus ego sum.*

8 *Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.*

9 *Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos.*

10 *Quoniam meæ sunt omnes feræ syluarum: iumenta in montibus & boues.*

11 *Cognoui omnia volatilia cæli: & pulchritudo agri mecum est.*

12 *Si esuriero non dicam tibi: meus est enim orbis terræ & plenitudo eius.*

13 *Nunquid manducabo carnes taurorum: & sanguinem hircorum potabo?*

14 *Immola Deo sacrificium laudis: & redde altissimo vota tua.*

15 *Et inuoca me in die tribulationis: eruam te & honorificabis me.*

16 *Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?*

17 *Tu verò odisti disciplinam: & proiecisti*

IVXTA HEBRÆVM.

Psalmus Asapho.

L.

fortis · iudex

1 *Propheta.* DEVS Deus † Deus locutus est: & vocauit terram ab ortu solis vsque occasum eius. † Dij.

2 A Sion, à completa pulchritudine, Deus splenduit. † Dij.

3 Veniet Deus noster, & non tacebit: ignis ante ipsum vorans, & circuitibus eius tempestas fuit valde.

4 Vocabit ad celos desuper & ad terram: ad iudicandum populum suum.

5 *Messias.* Congregate mihi gratiosos meos: ferientes pacti mei super sacrificio.

6 *Propheta.* Et annunciabunt cœli iustitiam eius: quia Deus† iudicans † Dij.
est
ipse. *Selah.*

7 *Messias.* Audi popule meus & locutus sum Israël: & contestabor in
hoc · sum
te, Deus † Deus tuus ego. † Dij.

8 Non super sacrificia tua arguam te:
non
& holocaustomata tua coram me
erunt
continuè.

9 Non accipiam de domo tua taurum: de ouilibus tuis hircos.

subditur
10 Quoniam mihi omnis fera syluæ; bestiæ in montibus mille.

11 Sciui omne volatile montium: &
est
mobile agrorum mecum.

12 Si esuriam non dicam tibi: quoniam
subest
mihi orbis & plenitudo eius.

idest taurorum
13 Nunquid comedam carnem fortiū: & sanguinem hircorum bibam?

14 Sacrifica Deo † confessionem: & solue excelso vota tua. † Dij.

15 Et voca me in die angustiæ: liberabo te & honorabis me.

16 *Propheta.* Et impio dixit Deus †. † Dij.
Messias. quid tibi ad narrandum præcepta mea, & leuasti pactum meum super os tuum?

17 Et tu odisti castigationem: & proie-
cisti

sermones meos retrorsum.
18 *Si videbas furem currebas cum eo: & cum adulteris portionem tuam ponebas.*
19 *Os tuum abundauit malitia: & lingua tua concinnabat dolos.*
20 *Sedens aduersus fratrem tuum loqueba-*
ris, & aduersus filium matris tuæ po-
21 *nebas scandalum: hæc fecisti & tacui.*
Existimasti iniquè quòd ero tui similis: arguam te & statuam contra faciem tuam.

22 *Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum: nequando rapiat & non sit qui eripiat.*

23 *Sacrificium laudis honorificabit me: & illic iter quò ostendam illi salutare Dei.*

cisti verba mea post te.
18 Si vidisti furem: & cucurristi cum
fuit
eo, & cum adulteris pars tua.
19 Os tuum misisti in malitiam: & lingua tua concinnabit dolum.
20 Sedebis, in fratrem tuum loqueris: in filium matris tuæ dabis turpitudinem.
quòd
21 Hæc fecisti & tacui: existimasti
essendo ero sicut tu, arguam te, &
coram
ordinabo oculis tuis.
legem
22 Intelligite nunc hanc obliuiscentes
Dei: nequando rapiam, & non
erit
liberans.
23 Sacrificans confessionem honorabit
conformem laudi
me: & ponentem viam, faciam
æternā
videre ipsum in salute Dei †. † *Deorum.*

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Psalmus Asaph.* Et est casus datiui *Asaph*: est enim nomen proprium vnius trium principum cantorum: vt patet 1. Paralipom. 15. Vnde significatur Psalmus iste attributus Asaph, sicut alij attributi sunt Ieduthun & similibus.

Materia. Circa materiam Psalmi aduerte, ex principio Psalmi haberi quòd Psalmus ad literam loquitur de tempore Messiæ: ex eo quòd dicitur Deum locutum esse & vocasse terram à solis ortu & ab occasu, hoc est, vniuersam terram. Hoc enim nusquam tempore veteris Testamenti factum est: sed tempori Messiæ reseruata est vocatio totius terræ. Idem quoque apparet ex media parte Psalmi, in qua posthabenda sacrificia veteris legis Deus declarat, nam & hoc tempori quoque Messiæ reseruatum est. Tractat itaque Psalmus iste ad literam de Messiæ tempore, aduentum eius & cessationem legalium.

SVMMARIVM EST.

Propheta vbi vtrumque Messiæ aduentum introduxit, & aduentum gloriosum summariè descripsit, legem Messiæ de cessatione legalium sacrificiorum déque grato sacrificio votorum & laudis adiectâ conformitate vitæ, promulgat cum pœna & præmio.

Personæ loquentes sunt Propheta & Messias.

VERS. 1. *Deum tribus nominibus compellat.* DEVS DEVS DEVS LOCVTVS EST. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *A Sion.* Proponit duo, scilicet Dei locutionem & vocationem. Proponendo autem hæc, nominat Deum tribus nominibus. Primò, *El*, à fortitudine: & hoc directè respicit locutionem: significat enim Messiam, quatenus fortem ad vincendum mundum & aëreas potestates. Secundò, *Elohim*, à iudicio, & respicit vocationem terræ quæ fiet in secundo aduentu Messiæ ad iudicium. Tertiò, ponitur nomen innominabile, scriptum quatuor literis: pro quo communiter interpretes in hoc psalterio ponunt *Dominum*: vt intelligas quòd ipse verus ac summus Deus demonstratur per duo antecedentia nomina, *El*, & *Elohim*. *Locutus est*, non per Prophetas sed per seipsum Euangelicam legem: vt patebit, *& vocauit terram*, vt declarabit ad iudicium, non ex vno climate sed *ab ortu solis vsque ad occasum*, vt nulla pars terræ relinquatur non vocata.

Vers. 2. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *vocauit terram*, &c. Secundò illa, *locutus est*, ibi. *audi popule meus.* Circa primum aduerte quòd Propheta describit duos Messiæ aduentus eodem contextu, disponente sic Spiritu sancto ad occultationem tanti mysterij: *si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* *Duos Messiæ aduentus describit.*

Primus aduentus tangitur dicendo: *à Sion, à completa pulchritudine Deus splenduit.* Ad literam Messias splenduit Deus à Sion, cùm Spiritum sanctum discipulis in Sion dedit: tunc enim cognitus est Deus à completa pulchritudine: nam perfectâ resurrectione Christi completa est eius pulchritudo. Vbi vides non describi Christum in Hierusalem decurpatum flagellis, cruce, ignominiâ, &c. sed à statu completæ pulchritudinis, & simul & semel à Sion: vt intelligas initium nouæ legis promulgatæ in missione Spiritus sancti in Sion.

Secundus autem aduentus describitur. *Veniet Deus noster & non tacebit*, sicut in primo aduentu venit ad passionem sicut agnus non aperiens os suum. Exclusio silentij significat manifestum aduentum: non veniet tacitus sed manifestus: hoc est cum gloria manifestante quis est. *Ignis ante ipsum vorans.* Apparatus præcedens iudicem. *Ignis conflagrationis ante Christum Iudicem.*

iudicem. Ignis conflagrationis erit vorans omnia, vegetabilia, &c. & ante ignem mixtio aquæ, venti, turbinis, grandinis, &c. hæc enim credimus præcedere ignem conflagrationis. Vnde & in præterito hîc describitur. *Et circuitibus eius tempestas fuit valde:* vbi scito quòd iuxta textum Hebræum, dicendum esset *tempestatum est valde*, si Latina lingua permitteret.

Vocabit ad cælos desuper. Exprimitur proposita in principio Psalmi vocatio, tum respectu terminorum ad quos peruenit vocatio: ad cælos, scilicet, vt inde veniant animæ sanctorum & Angeli: *& ad terram*, vt reddat corpora pro resurrectione. Tum quoad finem, *ad iudicandum populum suum. Qui non credit iam iudicatus est:* & solus populus fidelis restat iudicandus. Tum quoad dictum per hanc vocationem: *congregate mihi gratiosos meos*, qui gratuitè impenderunt opera misericordiæ: *ferientes pacti mei super sacrificio*, hoc est, habentes mecum pactum fidei super sacrificio crucis. Ita quòd per hanc conditionem significat fidem Christi crucifixi: & per primam opera misericordiæ: vt intelligas per fidem & bona opera saluari homines. Et hic est fructus iudicij, gratus secundùm seipsum Deo iudici. Et propterea dicit cælis & terræ, *congregate mihi gratiosos*, &c. Damnationis autem iniquorum nulla fit mentio: quia non est per se volita à Deo.

Et annunciabunt cæli. Nota differentiam: vbi de congregatione electorum tractatur, inducitur à Propheta ipse Deus, ipse Messias vocans & dicens, *congregate mihi*, &c. vbi autem generaliter agitur de iudicio, non Deus, non Messias, sed cæli inducuntur annunciantes quoniam Messias venit iudicans. Et ad literam ita erit: quia cœlestes Angeli vltra mirabilia cœlestium corporum annunciabunt vniuersis Messiam venire iudicem, ipse autem Messias vocabit ad salutem.

Vers. 7. AVDI POPVLE MEVS. Tractatur hîc illa particula, *locutus est*, tali ordine. Primò declarat Messias personam loquentem in principio propositam, *Deus:* deinde subdit duo dicta quæ dixit. *Audi popule meus.* Messias est persona loquens excitans Hebræum populum: quem appellat *popule meus*, tum antiquâ electione, tum cognatione carnis. Et ne hæsites quòd ad Hebræum populum dirigitur sermo, adiungitur *Israel: Audi popule meus Israel, & locutus sum.* Inchoat sermonem ab vtroque tempore, præterito, scilicet & futuro: significans quòd non incipit modò alloqui populum Israël, sed & *locutus sum, multifariam multisque modis olim per angelos patribus: & contestabor* etiam *in te*, in medio tui per meipsum & Apostolos, testimoniis scripturarum, operibus miraculorum, & internis inspirationibus, hoc scilicet quòd *Deus*, naturâ, *Deus tuus*, à te cultus, *ego*, supple sum. Et videmus hoc adimpletum dicente Domino in Euangelio: *Si non venissem & locutus eis non fuissem* (secundùm sacras scripturas) *peccatum non haberent.* Et rursus: *Si non venissem & opera non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Adimpletum est ergo quod hîc dicitur: *contestabor in te* (populo Israël) quòd ego Deus Deus tuus sum. Et hoc est primum dictum quòd locutus est: quod est dictum fidei deitatis Messiæ.

Messias alloquitur populum Hebræum.

Hebr. 1. 1.

Ioann. 15. v. 22. 24.

Secundum dictum est de cessatione sacrificiorum quibus offerebantur animalia: vt agni, boues, vituli, &c. abstulit enim Christus huiusmodi sacrificia, imponendo eis finem vnico sacrificio corporis sui. In hoc dicto procedit tali ordine. Primò explicat ipsam cessationem. *Non super sacrificia tua arguam te*, si non attuleris ea, *& holocaustomata tua coram me continuè.* Aduerte quòd negatio præposita determinat vtrunque verbum: scilicet *arguam* & *sunt*. Et est ordo præposterus: nam ordo sententiarum est: *non holocaustomata tua coram me continuè, & non super sacrificia tua arguam te:* quia prius est quòd sacrificia legalia non sint accepta continuè, hoc est, continuatio eorum non est accepta Deo: & deinde est quòd non arguet eos super sacrificiis: nam illud est ratio huius: ex hoc enim quòd continuatio sacrificiorum non placet, sequitur quòd non est locus reprehensioni si sacrificia cessent.

Cessatio veterum sacrificiorum.

Deinde affertur triplex ratio suasiua quare continuatio sacrificiorum non est grata Deo. Prima est: quia non indiget huiusmodi rebus quæ offeruntur in sacrificiis, quia abundat his omnibus. *Non accipiam de domo tua taurum, de ouilibus tuis hircos: quoniam mihi omnis fera syluæ, bestiæ in montibus mille:* numerus finitus pro infinito. *Sciui omne volatile montium, & mobile agrorum mecum.* Vbi vides quòd quia Deo suppetit copia omnium huiusmodi, ideo dicit se non indigere vt accipiat de domo tua & de ouilibus tuis hæc.

Secunda ratio ad supplementum præcedentis est: *Si esuriam non dicam tibi, quoniam mihi orbis & plenitudo eius.* Potuisset quispiam humano more dicere quòd licet quis abundet innumeris animalibus, & propterea non indigeat tauro meo & hirco meo, si tamen accideret casus quòd deficerent ei aut non haberet in promptu, tunc hircus meus & taurus meus supplerent. Contra hunc casum affertur hæc secunda ratio. *Si esuriam*, hoc est, dato quòd deficerent mihi omnia supradicta quæ in nullius sunt bonis (scilicet bestiæ syluæ & in montibus) non tamen dicam tibi: da mihi taurum tuum aut hircum tuum: quoniam ego sum Dominus hirci tui & tauri tui. Hoc enim significat: *quoniam orbis mihi*, subditus est, *& plenitudo eius*, quicquid est in eo.

Deus totius orbis Dominus.

Tertia ratio. *Nunquid comedam carnem fortium, & sanguinem hircorum bibam?* hoc est, nunquid delectabor in huiusmodi sacrificiis? Delectationem significauit à comestione & potu, qui sunt actus manifestè delectabiles. Et intendit non de delectatione sensibili (quam stultum est cogitare in Deo) sed de delectatione intellectuali: quam multi attribuerunt Diis, tanquam Deus delectetur huiusmodi sacrificiis: huiusmodi enim errorem excludere intendit. Aduerte hîc quòd ad literam per hæc intendit Propheta aperire huiusmodi res sacrificatas (boues & oues &c) non esse gratas Deo secundùm se: & propterea tempore Messiæ abrogandam esse huiusmodi sacrificia. Et si infertur quòd istæ rationes pariter concludunt nunquam fuisse instituenda à Deo huiusmodi sacrificia: respondetur verum esse quantùm est ex parte rerum sacrificatarum; sed ex alia causa fuerunt ad tempus instituta: tum ne populus Hebræus deditus ad idololatriam facilius fieret idololatra, volens sacrificare sicut videbat alias gentes sacrificare diis suis: tum ad præcurrendum & figurandum sacrificium quo Christus seipsum obtulit in ara crucis: iuxta illud Apocal 13. *Agnus qui ab initio mundi occisus est.*

Cur à Deo instituta olim animalium sacrificia?

Apoc. 13.

Sacrificiũ interna deuotionis, & externa confessionis gratum Deo omni tẽpore.

Verſ. 14. SACRIFICA DEO CONFESSIONEM. Tertium dictum est declaratio sacrificij grati Deo omni tempore: & est sacrificium internæ deuotionis & externæ confessionis seu laudis. Vbi nota in verbis literæ tangi id quod est gratum Deo ex parte exterioris actus, dicendo *confessionem:* & ex parte interioris, dicendo *vota tua.* Inter exteriora quippe opera nostra sola locutio attingit per se ad Deum: quia sola locutio est velut instrumentum intellectus: & propterea debetur Deo locus suus in nostra locutione tanquam in actu rationali. Et hinc fit vt debeat Deus laudari & honorari nostrâ locutione: propterea siquidem in sacra Scriptura præcipimur plus quàm infinities laudare Deum. Propria itaque materia diuini sacrificij inter omnes res exteriores est diuina confessio seu laus. Dico autem diuinam laudem esse materiam sacrificij, propter abusum diuinæ laudis: vt poëtæ & gentiles & alij huiusmodi laudāt Deum, non eâ ratione vt Deum honorent, vt Deo offerant laudem illam, sed ad sua figmenta vel intenta accommodantes: tunc enim laus diuina induit rationem sacrificij, cùm ideo Deus laudatur vt honoretur. Et propterea significantiùs hîc dicitur, *sacrifica confessionem,* seu laudem *Deo.* Et quoniam hoc est debitum Deo secundùm rectam iustitiæ rationem, ideo sub actu religionis præcipitur *sacrifica:* religionis quippe actus est sacrificare: & constat religionem esse partem iustitiæ.

Sacrificare est actus religionis.

Circa id verò quod se tenet ex parte actus interioris, cùm Deus sit spiritus, non est dubium esse grata Deo vota nostra, id est, interiores actus deuotionis nostræ. Sed nota verbum *solue*, seu *redde:* nam sonat actum ex iustitia debitum: vt hinc intelligas non esse supererogationis, sed debiti quòd voluntates nostras offerimus Deo. Debetur siquidem Deo suus locus in votis nostris, in amore nostro, in spe, in fide, &c. Et sicut magna fit iniuria amico, benefactori seu patri si non habet locum suum in mente tua, si à te non æstimatur, si non amatur, &c. ita maxima irrogatur Deo iniuria si locus ei debitus in votis nostris negatur: si non creditur, si non æstimatur, si non amatur vt creator, conseruator, redemptor, &c. Hoc est sacrificium omni tempore Deo acceptum. Cuius effectus subiungitur. *Et voca me in die angustiæ.* Ne putes vanum aut insufficiens esse sacrificium prædictum, ostendit fructum in tempore tribulationis: *& voca me in die angustiæ:* non oportet vt offeras aliud sacrificium: sed cum hoc sacrificio recurre ad me in die angustiæ tuæ. *Liberabo te:* ecce promissio infallibilis. *Et honorabis me:* post beneficium liberationis sola honoratio pro gratiarum actione sufficiet.

Alloquitur Deus eos quorum vita cõtradicit officio diuinæ laudis.

Verſ. 16. ET IMPIO DIXIT DEVS. Hactenus locutus est Deus populo suo tanquam pariturо: nunc autem introducitur à Propheta alloquens iniustos ministros diuinæ confessionis. Vbi aduerte quòd intendit declarare præceptum datum de sacrificio laudis, aperiendo quàm graue crimen incurratur, si in sacrificio laudis omittitur altera pars: scilicet quòd vota interna non respondeant confessioni exteriori, si vita non respondet exteriori ministerio. Et hoc est quartum dictum Dei de crimine eorum quorum vita contradicit officio diuinæ laudis. *Et impio dixit*, id est, legem statuit, *Deus:* hanc scilicet, *quid tibi ad narrandum*, ad docendum, *præcepta mea? & leuasti pactum,* exaltasti laudando pactum *meum* de cœlesti felicitate reddenda fidelibus meis, *super os tuum:* Hæc duo comprehendunt totam materiam prædicationis: in præceptis ratio omnium actionum continetur: in pacto ratio omnium credendorum & sperandorum.

Cur autem reprehensiuè dixerit, *quid tibi*, declarat subiungendo contrarietatem linguæ & vitæ: *Et tu odisti castigationem*, prædicas præcepta & odisti castigationem, hoc est castigatos, seu castos mores: *& proiecisti verba mea post te,* tanquam pro nihilo habens conformare vitam tuam illis, & tamen *pactum meum leuasti super os tuum.* Hæc contra Deum.

Contra proximos quantùm ad facta, *si vidisti furem & cucurristi cum eo.* Construe sic: & *si vidisti furem, cucurristi cum eo:* postposita enim est coniunctio & ratione metri, *& cum adulteris pars tua*, fuit. Quantùm ad verba: *Os tuum misisti in malitiam*, ad maledicendum: *& lingua tua concinnabit dolum.* Hæc quoad communia crimina. Quoad scelus autem impietatis: *Sedebis, in fratrem tuum loqueris, in filium matris tuæ dabis turpitudinem.* Valde exaggeratur hæc impietas: cùm non solùm in fratrem sed fratrem vterinum (filium matris tuæ) describitur: nec solâ linguâ, sed operatione iniuriosâ, *dabis turpitudinem:* nec ex subita ira, sed ex quieto animo, *sedebis.* In quibus describitur effectus inuidiæ seu superbiæ erga fratres, vnde proueniunt isti effectus quieti animi.

Hæc fecisti & tacui, ad similitudinem tacentis non punivi: *existimasti essendo ero sicut tu.* Iuxta modum loquendi Hebraæ linguæ (*expectando expectaui, veniendo veniam* & huiusmodi) hîc dicitur *essendo ero sicut tu:* hoc est, existimasti quòd ero sicut tu, bonum dicens & malum faciens. Significat tamen gerundium *essendo*, modum essendi: sicut *expectando expectaui* modum expectantium: *existimasti* quòd *essendo*, hoc est, in modo essendi vitæ meæ, *ero sicut tu.* Nota hîc quòd licet in humanis moribus contrarietas inter os & vitam (cùm scilicet homo laudat bonos mores & tamen malè viuit) tolerabilis sit, ad Christiana tamen ascendendo intolerabilis est, scilicet quòd homo diuinum se præ se ferat prædicando, laudando, præcipiendo ea quæ Dei sunt, & ex altera parte malè viuat: quoniam in huiusmodi homines se habent vt ministri Christi, & quantum in eis est, euacuant fidem & ministerium Christianum: vtpote ex vna parte (scilicet linguâ & officio) magnificantes Christiana præcepta, & ex altera, scilicet vitâ contemnentes illa. Nam homines qui magis mouentur exemplis quàm verbis, existimant non esse vera illa quæ audiunt à talibus doctoribus, eâ ratione quia si essent vera, illi qui docent seruarent ea: & hinc consurgit maior ruina existimantium quòd tales quoque fuerunt prisci prædicatores: & tandem quòd omnes fuerint seductores. Vnde Messias hîc dicit pro ratione tantæ exorbitantiæ: *existimasti*, id est, existimari fecisti, *essendo ero sicut tu*, quòd ego quoque dicam & non faciam quasi seductor. *Arguam te & ordinabo oculis tuis.* Quamuis taceam nunc, *arguam* tamen *te*, in morte: *& ordinabo*. culpas tuas, adhibendo pœnas, in *oculis tuis*, teipso inexcusabiliter vidente.

Contrarietas inter os & vitã in Christiano intolerabilis.

Verſ. 22. INTELLIGITE NVNC HANC OBLIVISCENTES DEI. Quintum dictum est declarationis pœnæ & præmij obseruantium & non obseruantium legem hanc. Et quoad pœnam quidem.

dem. *Intelligite nunc*, durante hac viâ, *hanc*, legem quam promulgaui. *obliuiscentes Dei :* vt intelligas comprehendi omnes detentos quocunque mortali peccato, nominat eos qui obliuioni tradunt Deum, hoc est, eos qui ita operantur tanquam si obliuiscerentur Dei : vt sunt ij qui peccant ex passione seu infirmitate; qui sunt in infimo ordine peccatorum. Ecce pœna : *nequando rapiam*, per mortem vos, *& non liberans*, supple sit. Ad negligentes congruè dicit *nequando rapiam*, tanquam ex improuiso auferam vitam, & nullus erit liberator vester. Quoad fructum verò iuxta duo præcepta circa sacrificium laudis, duos fructus declarat. Dixerat primum, *sacrifica Deo confessionem :* huius præcepti fructus modò explicatur honor Dei : *sacrificans confessionem honorabit me.* Indixerat secundò longâ reprehensione conformitatem vitæ & confessionis seu laudis : huius fructus explicatur visio in diuina salute : & *ponentem viam faciam videre ipsum in salute Dei :* hoc est, disponentem viam vitæ suæ conformiter ad sacrificium laudis, faciam ego Messias quòd ipse videat constitutus non in periculo, non in bonitate electorum sed in salute Dei, quæ est æterna felicitas. Hic est fructus & vltimum præmium. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori Canticum Dauid : quando venit*
2 *ad eum Nathan Propheta cùm intrauit ad Bethsabee.*

L.

3 *MISERERE mei Deus : secundùm magnam misericordiam tuam.*
Et secundùm multitudinem miserationum tuarum : dele iniquitatem meam.

4 *Amplius laua me ab iniquitate mea : & à peccato meo munda me.*

5 *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco : & peccatum meum contra me est semper.*

6 *Tibi soli peccaui & malum coram te feci : vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cùm iudicaris.*

7 *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum : & in peccatis concepit me mater mea.*

8 *Ecce enim veritatem dilexisti : incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.*

9 *Asperges me Domine hyssopo & mundabor : lauabis me & super niuem dealbabor.*

10 *Auditui meo dabis gaudium & lætitiam : & exultabunt ossa humiliata.*

11 *Auerte faciem tuam à peccatis meis : & omnes iniquitates meas dele.*

12 *Cor mundum crea in me Deus : & spiritum rectum innoua in visceribus meis.*

13 *Ne proijcias me à facie tua : & spiritum sanctum tuum ne auferas à me.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti Psalmus Dauidi : veniente ad eum Nathan Propheta, quando intrauit ad Bathsabah.

L I.

1 *Propheta.* MISERERE mihi Deus † : secundùm gratiam tuam : secundùm multitudinem misericordiarum tuarum dele rebelliones meas. † Dy.

2 Multiplica ablutiones : laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.

3 Quoniam rebelliones meas ego cognoscam : & peccatum meum coram me erit continuè.

4 Tibi, soli tibi peccaui & malum in oculis tuis feci : propterea iustificaberis in loqui tuo, mundaberis in iudicare tuo.

5 Ecce in iniquitate formatus sum : & in peccato calefacta est de me mater mea.

6 Ecce veritatem voluisti in renibus : & in obstruso sapientiæ facies scire me.

7 Mundificabis me in hyssopo & mundabor : lauabis me, & supra niuem dealbabor.

8 Audire me facies gaudium & lætitiam : exultabunt ossa quæ contriuisti.

9 Absconde facies tuas à peccatis meis : & omnes iniquitates meas dele.

10 Cor mundum crea mihi Deus † : & spiritum rectum renoua in medio mei. † Dy.

11 Ne proiice me à faciebus tuis : & spiritum sanctitatis tuę ne auferà me.

14 *Redde mihi lætitiam salutaris tui: & spiritu principali confirma me.*

15 *Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur.*

16 *Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiam tuam.*

17 *Domine labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam.*

18 *Quoniam si voluisses sacrificium dedissem vtique: holocaustis non delectaberis.*

19 *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies.*

20 *Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificetur muri Hierusalē.*

21 *Tunc acceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.*

12 Fac reuerti mihi gaudium salutis tuæ: & spiritu spontaneo confirmabis me.

13 Docebo rebelles vias tuas: & peccatores ad te reuertentur.

14 Libera me de sanguinibus Deus † Deus salutis meæ: laudabit lingua mea iustitiam tuam. † Dij.

15 Domine † labia mea aperies: & os meum annunciabit laudem tuam. † Domini mei.

16 Quoniam non voles sacrificium, & dabo: holocaustum non voles.

17 Sacrificia Dei †, spiritum fractum, cor fractū & contritum: quæ Deus † non despicies. † Deorum. † Dij.

18 Ideo Bonifica in voluntate tua Sion: ædificabis muros Hierusalem.

19 Tunc voles sacrificia iustitiæ, holocaustum & totum: tunc leuabunt super altare tuum iuuencos.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti Psalmus Dauidi, veniente ad eum Nathan Prophetâ, quando intrauit ad Bathsabah.* Et patet titulus ex historia secundi libri Regum 11. & 12. vbi narratur tam adulterium quàm homicidium commissum à Dauide, & missus Nathan à Deo ad reprehendendum Dauidem, & quòd Dauid respondit, *peccaui Domino.* Vbi significatur quòd pœnitentia Dauidis quam Psalmus iste explicat, fuit post nouem menses à commisso adulterio: quia iam natus erat puer quando Nathan venit ad Dauidem. Patet itaque materia Psalmi quòd est recursus Dauidis ad Deum pro misericordia postquam fuit reprehensus à Nathan de criminibus homicidij & adulterij cum vxore Vriæ, Hebraicè vocata *Bathsabah.* *Materia.*

SVMMARIVM EST.

Dauid post adulterium & homicidium pœnitens, petit à Deo velut in genere tum vt sui misereatur, tum vt suas deleat rebelliones, tum vt se ve ut leprosum mundet, lauet, restituat, &c. tum vt redintegret ipsum ad pristina interna dona gratiæ: citans fructus inde futuros: in se quidem assiduam pœnitentiam interiorem: in Deo verò gloriam veritatis & munditiæ, ab exemplo priorum operum Dei: in proximis autem conuersionem iniquorum ad Deum. Postea ad species descendens ac offerens sacrificia spiritus & cordis, petit liberationem ab effuso sanguine ad hoc vt redintegretur etiam ad pristina dona externa, scilicet ad bonificationem Sion iuxta reuelatam per Nathan voluntatem Dei: citans futurum fructum seruandæ legis in oblatione sacrificiorum in templo.

Persona loquens est ipse Dauid.

Miserere mei Deus. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *multiplica.* Proponit duas petitiones. Prima est miseratio sui secundùm diuinam gratiam: *miserere*, ad similitudinem miserentis gere te respectu *mei* (non compassione sed voluntate & efficientiâ.) *Deus*, non secundùm mea merita, sed *secundùm gratiam tuam.* Vbi petit gratuitò sibi misericordiæ effectum exhiberi. Secunda petitio: *secundùm multitudinem misericordiarum tuarum dele rebelliones meas.* Primum petiit respectu sui, modò petit respectu rebellionum suarum. Multa crimina commiserat contemptiua diuinorum præceptorum: testante quoque Nathan, *quare contempsisti verbum Domini?* & ideo appellat rebelliones suas: petitque eas deleri de libro iræ seu vindictæ diuinæ. Et hoc secundùm multitudinem misericordiarum tuarum. Propriè loquendo misericordia non est in Deo, sicut nec ira, nec quæcumque alia passio (misericordia enim nomen est passionis: & propterea multæ misericordiæ dicuntur iuxta multitudinem effectuum) sed translata ad significandum actum voluntatis quo volumus subleuare miseriam, propriè inuenitur in Deo: sed sic non est nisi vna secundùm se, multiplex autem secundùm effectus. Vnde & sic quoque potest intelligi multitudo misericordiarum diuinarum. Siue ergo propriè siue metaphoricè misericordia attribuatur Deo, semper multitudo misericordiarum dicitur ratione effectuum. Vbi congruè multas rebelliones petit deleri ex multitudine misericordiarum. *Vers. 1.* *Misericordia quomodo in Deo?*

Vers. 2. Mvltiplica. Hic incipit pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *dele secundum multitudinem misericordiarum tuarum.* Secundò illa, *secundùm gratiam tuam miserere mei*, quoad internorum donorum priorem *Pars Executiua.*

rem gratiam, ibi, *cor mundum*, quoad externorum verò ibi, *libera me*. Petendo itaque deletionem criminum non sufficit Dauidi petere ipsam deletionem criminum (quoniam hoc commune est etiam excellentibus viris) sed humiliat se vt leprosus & recognoscit crimen suum velut lepram: & incipit agere leprosum & ait, *multiplica*. Iuxta legis Mosaïcæ ritum non sufficiebat vna leproso lotio aut aspersio: sed exigebatur quòd septies aspergeretur ad hoc vt iure purgaretur, & bis ipse, & toties vestes eius lauarentur. Et propterea Dauid petit: *multiplica*, aspersiones, ablutiones: & tandem *laua me ab iniquitate mea*, quam iniquè gessi contra Vriam, *& à peccato meo*, exorbitantiâ meâ à lege tua, à ratione rectâ, *munda me*.

Agit hic leprosum Dauid.

Vers. 3. QVONIAM REBELLIONES. Petendo multiplicari ablutiones vsquequo reddatur mundus, citat fructus qui consequentur hanc deletionem: ne infructuosa petitio proposita appareat. Et primò fructum in seipso futurum, si Deus deleat rebelliones suas, explicat duplicem: tum cognitionem suorum criminum, *quoniam rebelliones meas ego cognoscam*: tum assiduam meditationem eorundem, *& peccatum meum coram me continuè*, supple erit. Vbi perspice non proprio studio, sed diuinæ miserationi imputari recognitionem & meditationem commissorum criminum: dum fructum deletionis æstimat, & simul promittit quòd si Deus deleat, ipse tamen non delebit obliuione, sed assiduè ante oculos habebit commissum scelus: quia hæc est veræ pœnitentiæ forma. Deinde fructum duplicem resultantem consecutiuè in Deo si misereatur Dauidis, explicat dicendo: *Tibi, soli tibi*, &c.

Fructus sequentes remissionē peccati.

Vbi aduerte dupliciter exponi posse hos fructus. Primò ratione personalium conditionum ipsius Dauidis: secundò ratione conditionum peccati mortalis secundùm se. Si enim ad conditiones inuentas in hoc peccato ex personalibus conditionibus Dauidis verba hæc referantur, sensus est, quòd quia *tibi soli tibi* Deo *peccaui*, vt iudici habenti super me potestatem, rex enim sum (& exaggerando qualitatem offensæ in ipsum solum, repetit, *tibi soli tibi*: & ipsum peccatum *feci in oculis tuis*, non in oculis aliorum, hoc est, occultè: nam & adulterium secretò commisi: & Vrias licèt publicè sit occisus in bello, occultum tamen fuit quòd ego fuerim causa mortis eius) *propterea* consequetur hoc, quòd tu qui solus es iudex parcendo mihi *iustificaberis*, verax fies *in sermone tuo*: qui si non peccassem fuisses verax in promissione tua. Loquutionis quippe iustitia est veritas: iuxta illud Apostoli ad Roman. 3. ex hoc versiculo: *Est autem Deus verax sicut scriptum est, iustificeris in sermonibus tuis*. Si Dauid non peccasset, Deus fuisset verus seruando promissa facta ipsi per Nathan 2. Regum 7. ex quo autem peccauit Dauid, indignum se reddidit promissione sibi factâ, & nullus remansit ei locus petendi promissum. Et propterea dicit quòd si Deus miserebitur sui, erit Deus verus, non quia promisit, sed quia semel dixit se regni ac Messiæ bona Dauidi daturum: & sic iustificabitur in suo loqui: quòd est longè maius quàm iustificari in promissione. Et intendit hunc fructum sequi ex hoc quòd *tibi, soli tibi* tanquam iudici *peccaui*. Et similiter alter fructus: *mundaberis in iudicare tuo*. Si peccatum fuisset publicum, si fuisset scandalosum, posset quispiam obiicere quòd iudicium misericordiarum tuarum erga me non esset mundum: sed vbi nihil horum habet locum (quia malum feci in oculis non aliorum, sed tuis) ideo ex peccato meo interueniente tuâ gratiâ, sequetur quòd mundus eris iudicando, absoluendo me.

Rom. 3.

Referendo autem hæc Dauidis verba ad conditiones peccati quas habet secundùm se ex hoc quòd est peccatum mortale, altior est sensus, quòd *tibi, soli tibi peccaui*, eo quòd peccando mortaliter nullum offendimus nisi Deum: quia ratio omnis offensæ est quia fit contra Deum, vel in ipso Deo (vt odium Dei, blasphemia Dei, & similia) vel in nobis vel in proximo: vt homicidium, adulterium, & alia huiusmodi. Sicut enim charitate non amamus nisi Deum in seipso, in nobis, & in proximis, ita peccato mortali quod est contrarium charitatis, non offendimus nisi Deum. *Malum in oculis tuis feci*. Ad exaggerationem peccati hoc spectat: sicut qui peccat spectante Prætore. *Propterea iustificaberis in loqui tuo*. Si non peccassem, esses verax in promissionibus præmiorum: si peccassem & non parceres, esses verus in comminatione pœnarum: sed vbi peccaui & misereris, eris verus in loquutione tua: benefaciendo nobis, saluando nos, non quia promisisti (vtpote qui sum ex peccato indignus promissionibus) sed quia dixisti. neminem enim saluat nisi quem apud se dixit saluandum. *Mundaberis in iudicare tuo*: si non peccassem esses mundus in præmiando: & si me peccante non misereris, esses mundus in puniendo: me autem peccante & te miserente, eris mundus in iudicando iudicio iustificationis. Rarissimum est hoc in humanis: & tantò magis commendat munditiam in diuino iudicio. Repetitio autem pronominis *tibi* (dicendo *tibi soli tibi*) exaggerat tum peccatum: quoniam magnipensio personæ offensæ non est contenta vnicâ ipsius expressione: tum rationem liberæ facultatis indulgendi: quoniam librare quòd ipse, solus ipse Deus est offensus, libertatem omnimodam indulgendi inculcat.

Peccatum mortale nullū offendit nisi Deum.

Vers. 5. ECCE IN INIQVITATE Petiit deleri sua peccata, quia inde & ipse cognoscens, & Deus verax emergeret: confirmat modò rationes petitionis suæ ab exemplo in promptu: ex hoc scilicet quòd ipsummet Dauidem natum peccatorem Deus veritatis amator donauit scientiâ occultorum diuinorum. Ac si apertè diceret: Rationes quas attuli acceptabiles sunt, quia in meipso expertus sum easdem rationes apud te efficaces: non est nouum quòd peccata mea deleas, vt cognoscam, vt verax fias: quia amor veritatis te induxit ad faciendum me natum peccatorem scire. In promptu igitur exemplum citans demonstrat. *Ecce*, in promptu ex parte mea est miseria peccati ab initio formationis meæ: *& in peccato calefacta est de me mater mea*. Hebræa circumloquutione significatur concubitus quo mater concipit filium, per calefactionem matris de prole. Hic est textus vnde trahitur peccatum originale: quo scilicet quilibet ex commixtione maris & fœminæ, conceptus dicitur in peccato originali. Nec est opus peccatum attribuere matri: non enim matrem intendit accusare Dauid, sed miseriam suam ab initio quo formatus est, quo cõceptus est describere: miseriā autem nõ pœnæ sed peccati. Nec oportet in actu concu

Hinc infertur peccatum originale.

concubitus matrem aut patrem peccatum veniale committere: nisi quis adeo desipiat vt putet delectationem naturalem voluntariam esse peccatum.

Ecce, in promptu quoque ex parte tua est, *veritatem voluisti in renibus*. Veritas in renibus est illa de qua scriptum est: *Iurauit Dominus Dauid veritatem: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Ecce voluisti*, tua sponte, *veritatem in renibus*, veritatem regni in meo semine à renibus significato. In qua veritate intellige non solùm veritatem regiæ progeniei, sed etiam imò præcipuè veritatem Messiæ ex Dauidis renibus. *Et in obstruso sapientiæ facies scire me.* Futurum *facies* non refertur ad tempus Psalmi, sed ad præteritum *voluisti*: denotans quòd ex quo voluisti veritatem regni in renibus meis, consequutum est quòd fecisti me scire, non quæcunque, sed mysteria latentia in obstruso sapientiæ: reuelauerat quippe Deus Dauidi mysteria Messiæ, & multa alia secreta diuinæ sapientiæ ante commissum adulterium: vt patet in Psalmis & 2. Regum 7. Et iuxta morem suum describit futurum respectu illius præteriti ratione dictâ.

Psal. 131. 11.

Et aduerte primò quòd in hoc exemplo non solùm confirmatur ratio petendi ab exemplo, sed explicatur quis est ille Dei sermo de quo dixerat *iustificaberis in loqui tuo*: fuit enim sermo istius voluntatis quâ voluit veritatem in renibus Dauidis. Secundò quòd multitudo misericordiarum petita ad delendum, explicatur monstrando multas in hoc exemplo misericordias: vt patet: similes enim nunc petit.

Vers. 7. MVNDIFICABIS ME. Tractatur illa particula, *multiplica, laua*, &c. Vbi nota quòd duplex aspersio legalis cum hyssopo legitur. Altera Leuit. 14. in emundatione leprosi. Et hæc aspersio fiebat septies cum sanguine passeris: concurrebatque bis lauacrum corporis: in principio, scilicet mundationis & die septimo. Altera Numer. 19. in emundatione pollutorum per morticinum: & hæc fiebat aquâ sanctificatâ: & expiatus die septimo lauabat corpus suum. Literæ huic quadrat metaphora ab emundatione leprosi: tum quia de mundatione grauiorum criminum agitur, à quibus difficile est mundari sicut à lepra. Tum quia dealbandum se plus quàm niuem describit: hoc enim ad remotionem macularum lepræ sparsarum in carne spectat, non ad tactum morticini: in quo nulla carnis macula contrahebatur, sed quædam irregularitas legalis. Tum quia infrà tangit metaphoram auris, quæ vngebatur in mundatione leprosi.

Duplex aspersio legalis cum hyssopo.

Ab efficacia itaque facillima diuinæ mundationis, inchoat, offerens se mundandum ritu leprosi dicens: *Mundificabis me in hyssopo*, hoc est, ad similitudinem mundificationis quâ leprosus mundificatur hyssopo, *& mundabor*: vide facilitatem, quòd solâ hyssopo mundabor. *Lauabis me, & supra niuem dealbabor.* Munditiâ remouentur immunda, dealbatio candidat. Et hæc fit solâ lotione.

Hyssopo mundabatur leprosus.

Audire facies me gaudium & lætitiam. Hinc apparet quòd metaphoram ab emundatione leprosi tractat: nam in illa emundatione sacerdos dextram auriculam leprosi qui mundabatur vngebat primò sanguine victimæ, & deinde oleo. Ad hoc enim alludens dicit: *Audire facies me gaudium & lætitiam*, sicut leprosus in membro auditus suscipiebat signa gaudij & lætitiæ, facies me audire interno auditu à te gaudium & lætitiam animi. *Exultabunt ossa.* In emundatione leprosi vngebatur oleo à sacerdote non solùm auris dextra sed tres partes osseæ: infima in dextri pedis pollice, media in dextræ manus pollice, & suprema effuso reliquo oleo super caput. Et propterea adiungit: *Exultabunt*, oleo lætitiæ, *ossa*, vniuersa in his tribus partibus vncta, *contriuisti*, hoc est, quæ contriuisti: intendens ex hoc metaphorico sermone quòd internus auditus veniæ pariet in me tantum gaudij quòd *exultabunt ossa*, id est, quæcunque erant firma in me (mens, ratio, voluntas, consilium, &c. quæ ossa animi sunt) quæ contriuisti, permissiuè: contrita quippe fuerant peccatis: vel etiam quæ contriuisti comminatione pœnarum per Nathan. Et nota in hac particula de mundatione describi triplicem effectum gratiæ futurum ex triplici actione diuina: mundationem ex hyssopo, dealbationem ex lauacro, exultationem ossium etiam contritorum ex facere audire gaudium: vt hinc intelligas efficaciam gratiæ ad redintegrandum omnia.

Dextra auris leprosi vngebatur à Sacerdote.

Mens, ratio, volũtas, &c. ossa animi.

Vers. 9. ABSCONDE FACIES TVAS. Non seruat ordinem actionum metrica oratio. Prima actio sacerdotis mundaturi leprosum iuxta legem, erat videre oculatâ fide, si petens secundùm legem mundari est verè mundus. Contrarium petit Dauid: Noli apponere oculos tuos ad videndum peccata mea, sed *abscondes facies tuas à peccatis meis*: & ipsâ absconsione *dele omnes iniquitates meas*: absconsio enim faciei diuinæ à peccatis, est nolle imputare peccata ad pœnam damnationis: qui enim non curat scire, nec curat punire.

Vers. 10. COR MVNDVM. Hîc tractatur illa particula, *Miserere mei Deus secundùm gratiam tuam*, dupliciter. Primò, quantùm ad reintegrationem ad interna dona pristina gratiæ. Et deinde quantùm ad exteriora: perdiderat enim vtraque. Et ad literam petit Dauid restitui sibi gratiam quâ prius mundo corde promptus erat ad ea quæ Dei sunt & ad iusta. Diuinásque proinde habebat illuminationes ac inspirationes: vt patet ex gestis eius ante crimen adulterij. Et quoniam metrum non seruat ordinem rerum, mirum non est si dona hæc non ordinatè scribuntur. Incipit & benè, à munditia cordis: quæ est optima dispositio ad diuinas illuminationes & inspirationes. *Crea.* Totum hoc opus tuum sit sicut creare, crea qui solus potes cor mundum facere: *& spiritum rectum*, animum vt fungitur officio spiritus, qui prius in me fuerat rectus non impellens ad iniqua, *renoua*, tu qui prius dederas, *in medio mei*, non in exteriori apparentia sed in intimis meis. Spiritus rectus in medio hominis est donum quo homo promptus est ad recta exercenda, mandanda, &c.

Gratias & dona Dei sibi restitui petit Dauid.

Spiritus rectus.

Ne proijce me. Nullum in anima donum ponitur quo concedatur homini quòd perseueret in gratia Dei, sed hoc diuinæ reseruatur custodiæ. Quia expertus itaque fuerat Dauid post cor mundum & spiritum rectum se non esse custoditum à casu, ideo petit: *ne proijce me à faciebus tuis*, subtrahendo custodiam, *& spiritum sanctitatis tuæ ne aufer à me.* Præter spiritum rectum petit spiritum sanctitatis, vt non solum promptus sit ad recta & iusta sed etiam ad diuina. Et dicendo: *ne aufer*, significat iam sibi restitutum & petere conseruationem: nisi enim spiritus sanctitatis

Spiritus sanctitatis.

tatis

tatis fuisset ei restitutus, non tam accuratè, non tam promptè ad diuina tenderet.

Fac reuerti mihi gaudium salutis tuæ. Non est iustus qui non gaudet iustis operibus, non est liberalis qui non gaudet liberalibus, & sic de aliis: non sufficit mihi donum spiritus recti, Spiritus sancti, cordis mundi, nisi adsit quoque quod prius habebam gaudium tuæ salutis in me existentis. Et in hoc apparet à quanta celsitudine perfectionis ceciderat Dauid: erat enim circa salutem animæ gaudens, sicut habituatus est gaudens in operibus in quibus est habituatus. *Et spiritu spontaneo.* Aptissimè gaudio adiungitur spiritus spontaneus: delectatio enim parit spiritum spontaneum. Et est tertius spiritus: non propriè tertius, sed forma amborum spirituum prius dictorum. Vnde & aptissimè dicitur: *confirmabis me.* Quamuis perseuerantia tuæ custodiæ reseruetur, firmitas tamen animi ex parte animi fit à te Deo per donum spiritus spontanei tam ad recta quàm diuina. Dixit quoque hoc ad differentiã spiritus spontanei per modum transeuntis: qualis apparet in iis qui quodammodo impetu aguntur aliquando ad bonum, sed non perseuerant: oportet esse spiritum promptum simul & stabilem ad bonum.

Spiritus spontaneus.

Docebo. Post mundationis fructum in seipso, promittit eiusdem fructum in aliis. *Docebo,* tum exemplo, tum Psalmis. Vtroque enim modo adimpleuit, & sequutus est fructus conuersionis iniquorum ad Deum. Theodosius Imperator reprehensus ab Ambrosio de clade Thessalonicensi, cùm excusaret se citãdo quòd Dauid etiam homicida fuisset, & audisset Ambrosium respondentem: *Sequutus es Dauidẽm errantem, sequere pœnitentem,* publicam subiit pœnitentiam: & adimpletum est in tanto principe: *Docebo,* ab exemplo, &c.

Egregium S. Ambrosij dictum Theodosio Imperatori.

Verſ. 14. LIBERA ME. Tractatur hîc illa particula, *Miserere mei Deus secundùm gratiam tuã,* quantùm ad gratiam pristinam exteriorum donorum promissorum Dauidi à Deo: petendo vt Deus vtatur secum misericordiã specialiter redintegrando ipsum ad gratiam sibi olim concessam seu promissam per verbum Nathan Prophetæ. Vt enim patet, 2. Reg. 7. Deus per Nathan duo concesserat; alterum de ipsius progenie regnaturã; alterum de ædificio templi per filium eius. Et circa primum audierat ab eodem Nathan post commissum homicidij crimen, *non recedet gladius de domo tua,* &c. De secundo quamuis nihil audisset à Nathan, timebat tamen & rationabiliter ex eodem crimine: vt patebit. Et propterea tria petit: primò remotionem impedimenti consurgentis ex homicidiis: secundò acceptationem solius internæ pœnitentiæ: & tertiò gratiam ædificandi prius concessam. *Libera me de sanguinibus.* Primi Paralipom. 22. refert Dauid audisse se à Deo antequã peccaret: *Multum sanguinem effudisti, & plurima bella bellasti, non poteris ædificare domum nomini meo, tanto effuso sanguine coram me,* &c. Hinc enim Dauid valde timuit propter homicidium, immo homicidia: quoniam si propter fusum sanguinem in bellis iustis videbat à Deo se repulsum ab ædificatione templi, valde rationabilius ob fusum sanguinem innocentem Vriæ & aliorum qui cum ipso occisi sunt, repellendus erat à propagatione regiæ gentis: & consequenter ab ædificatione templi per filium, quantumcunque illi aliàs ignoscetetur. & propterea solùm crimen effusi sanguinis innocentis in hoc Psalmo explicat in specie: & supplicat ab illo liberari: ita quòd non imputetur sibi sanguis Vriæ, & aliorum simul occisorum ad condignam pœnam: scilicet quòd priuetur generatione regiæ successionis, & ædificatione templi per filium. *Libera me de sanguinibus,* Vriæ & aliorum cum eo occisorum meâ culpâ, *& laudabit lingua mea iustitiam tuam:* hoc est, dona mihi pœnam debitam pro his homicidiis, & de reliquis pœnis *laudabit lingua mea iustitiam tuam:* non solùm acceptabo illas sed laudabo iustitiam tuam infligentem quascunque alias pœnas temporales. Verum quia *non est speciosa laus in ore peccatoris,* quia feci blasphemari nomen tuum ab inimicis, non præsumam laudare nomen tuum nisi te præueniente. *Domine labia mea aperies,* tu: hæc est præuentio: & tunc subsequetur effectus: *Et os meum annunciabit laudem tuam.* Hæc quoad remotionem præcipui impedimenti.

1. Paralip. 22. 8.

Acceptatio autem pœnitentiæ internæ solius subiungitur, Hebræo textu diuinationem exigente. *Quoniam non voles sacrificium & dabo, holocaustum non voles.* Hic versiculus solus acceptus significat clarè Deum non velle sacrificium nec velle holocaustum. Et hoc non est difficilis intellectus. Sed copulatiua *& dabo,* non apparet cointelligibilis: similiter coniunctio *quoniam,* restat sine sua relatione. Et propterea clausula illa, *& dabo,* ratione metri intercepta videtur: sed locus proprius eius est in fine metri: & est pars orationis sequentis metri. *Et dabo sacrificia Dei:* quæ sacrificia subiunguntur in spiritu fracto & corde contrito: & adhuc pendet relatio coniunctionis *quoniam,* ad sequens metrum: *bonifica in voluntate tua Sion.* Ita quòd constructio est: quoniam non voles sacrificium & holocausta, & dabo sacrificia Dei in spiritu & corde, ideo bonifica in voluntate tua Sion, &c. Et sic quadrant omnia.

Vide modò sensus singulorum. Asserit Dauid Deum non voliturum sacrificium aut holocaustum pro venia scelerum suorum: quia in lege (vt patet Leuit. 4. 5. & 6. & Numer 15.) instituta tam sacrificia quàm holocausta pro venia peccatorum sunt pro solis peccatis commissis per negligentiam, ignorantiam, seu errorem, & pro peccatis ex malitia, solitis tamen committi ab hominibus: pro exorbitantibus autem sceleribus nullum institutum est sacrificium aut holocaustum, imò dicitur ibidem: *Anima verò quæ per superbiam aliquid commiserit (siue ciuis sit ille siue peregrinus) quoniam aduersus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo,* &c. Quia ergo crimen Dauid valde enorme fuit & insolitum (cùm occiderit Vriam inter fortissimos nominatum fidelissimum ac deuotissimum militem, proditoriè & cum tanta crudelitate, vt non curauerit alios suos etiam occidi vt Vrias occideretur) quia inquam enormitatem criminis sui videbat, ideo dixit, *non voles sacrificium,* holocaustum non voles pro scelere sanguinum antedicto.

Pro sceleribus exorbitantibus nullum in veteri lege institutum erat sacrificium.

Num. 15. 30.

Et ego dabo *sacrificia Dei.* Tu non vis sacrificia legis quæ offeruntur coram hominibus, & ego dabo sacrificia Dei, hoc est, quæ solius Dei intuentis cor sunt: *sacrificia,* inquam *Dei* appositiuè *spiritum sanctum, cor fractum & contritum,* quæ *Deus non despicies.* Explicat sacrificia Dei in spiritu & corde: hoc est, in animo quatenus fungitur

gitur officio cordis inchoando opera omnia. Et describit cor non solum fractum in plures partes sed contritum in puluerem, spiritum autem fractum: vt intelligas voluntatem vt est principium omnium ad inferiora operum, oportere esse non solum fractam sed contritam in placatione Dei pro commissis peccatis, spiritum autem (hoc est eandem voluntatem vt tendit ad spiritualia) sufficit esse fractum: quia ad spiritualia tendere debet, sed non innixa integritati suæ sed velut fracta quoad proprias vires. Oportet enim pœnitentem & recognoscere & offerre Deo spiritum suum velut fractum: vtpote destitutum integritate virium suarum etiam ad volendum bonum spirituale & detestandam offensam Dei, quia verè sic est: nam neutrum valemus ex spiritu nostro, sed oportet speciale diuinæ gratiæ auxilium ad hæc adesse.

Cor contritũ & spiritus fractus sit.

Ideo *bonifica in voluntate tua Sion*. Quia *Sion* est casus accusatini, oportuit interpretes transferre *bonifica*. Explicat Propheta petitionem intentam vt redintegretur ad promissa sibi per Nathan, explicando totam promissionem à primo promisso: hoc est, ab ædificatione templi: primum enim promissum fuit quòd filius eius ædificaret templum. Et ideo petit vt redintegretur ad hoc vt bonificet Sion, constructione templi, *in voluntate tua*, olim mihi reuelata per Nathan, & non ob meas iustificationes: *ædificabis muros Hierusalem*: vel causa metri *ædificabis* pro *ædifica* muros Hierusalem: vel & bonificando Sion, *ædificabis* consequenter *muros Hierusalem*: hoc enim etiam implicitè continebatur in promissione Nathan: pro quanto promittebatur successio regia gloriosa & stabilis super solium Dauidis quod erat in Hierusalem: in his enim manifestè continetur magnificatio & munitio Hierusalem.

Vers. 19. TVNC VOLES SACRIFICIA IVSTITIÆ, HOLOCAVSTVM ET TOTVM: TVNC LEVABVNT SVPER ALTARE TVVM IVVENCOS. Si redintegraueris me ad promissa, tunc me redintegrato acceptabis sacrificia mea, non pœnitentiæ, sed iustitiæ & holocausta, &c. quæ nunc cùm nec iustitiæ sint (quia iustificatus non sum) nec pœnitentiæ, quia illa non vis, grata sunt tibi: vel si redintegraueris me ad promissa, tunc ædificato templo & altari acceptabis *sacrificia iustitiæ*, legalis, hoc est secundùm iustitiam legis in vno tantùm loco offerenda, & *holocaustum & totum*, hoc est vniuersum sacrificiorum & oblationum genus vnico verbo reliqua comprehendendo: vel per *totum* intelligitur iuge sacrificium holocausti tam matutini quàm vespertini: *tunc imponent super altare tuum*, tibi dicatum in templo & non sparsim modò hìc modò ibi, *iuuencos*. A iuuencis significat omnia sacrificia super altari Domino secundùm legem offerenda.

Vbi recole quòd Leuit. 17 districtè præcipitur non offerri sacrificium nisi ante ostium tabernaculi Domini. Veruntamen hoc non seruabatur: vt patet 1 Reg 15 Saule sacrificante in Galgalis, & cap. 16. Samuële sacrificante in Bethlehem quando vnxit Dauidem. & cap 20 dicente Ionatha ad Saulem: *rogauit me obnixè Dauid, dimitte me quoniam sacrificium solemne est in ciuitate mea*. Et 2. Reg. 15. dicente Absalom ad Dauidem: 1.Reg.20.29
Vadam & sacrificabo Domino in Hebron. Et 3. 2.Reg.15.7
Reg. 3. excusatur populus sacrificans in excelsis, quia nondum ædificatum erat templum nomini Domini. Vnde sperans Dauid hanc licentiam, hunc abusum exterminatum iri per ædificationem templi, adiungit communem fructum secuturum ex sui redintegratione: vt tantò melior explicetur redintegratio ipsius. Tunc, ædificato templo solenni & & altari celebri, acceptabis sacrificium legalis iustitiæ, &c. quia *tunc eleuabunt super altare tuum*, in tuo loco tibi dicatum, *iuuencos*. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	*IVXTA HEBRÆVM.*
1 *Victori eruditio Dauid cum venit Doeg* 2 *Idumæus & annunciabit Saul & dixit illi: venit Dauid in domum Achimelech.*	Vincenti intelligentia Dauidi: veniente Doëg Idumæo, & annunciauit Saul & dixit illi, venit Dauid ad domum Achimelech.
LI.	LII.
3 *QVID gloriaris in malitia: qui potens es in iniquitate.*	1 *Propheta.* QVID gloriaberis, in malitia ô potens: mecum est gratia Dei tota die.
4 *Tota die, iniustitiam cogitauit lingua tua: sicut nouacula acuta fecisti dolum.*	2 Prauitates cogitabit lingua tua: quasi nouacula polita faciens dolum.
5 *Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis quàm loqui æquitatem.*	3 Dilexisti malum magis quàm bonum: mendacium magis quàm loqui iustitiam. *Selah.*
6 *Dilexisti omnia verba præcipitationis: lingua dolosa.*	4 Dilexisti omnia verba glutitionis lingua doli.
7 *Propterea Deus destruet te in finem: euellet te, & emigrabit te de tabernaculo*	5 Etiam Deus destruet te sempiterno: tollet te & extrahet te de tentorio,

tuo, & radicem tuam de terra viuentium.
8 *Videbunt iusti & timebunt: & super eum*
9 *ridebunt & dicent: ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum.*

Sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum: & præualuit in vanitate sua.

10 *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei: speraui in misericordia Dei in æternum & in seculum seculi.*
11 *Confitebor tibi in seculum quia fecisti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.*

rio, & eradicabit te de terra viuentium. *Selah.*
6 Et videbunt iusti & timebunt: & super eum ridebunt.
talis erit qui
7 *Vox iustorum.* Ecce vir non ponet Deum † fortitudinem suam: & † *Dei.*
sperauit in multitudine opulentiæ suæ, roborabitur in prauitate sua.
8 *Propheta.* Et ego sicut oliua frondosa
in domo Dei †: confisus sum in † *Deorum.*
gratia Dei † æternum & semper. † *Deorum.*
9 Confitebor te æterno, quoniam fe-
hæc
cisti: & expectaui nomen tuum,
est expectare
quoniam bonum coram gratiosis tuis.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Vincenti intelligentia Dauidi, veniente Doeg Idumæo, & annuntiauit Saul & dixit illi: venit Dauid ad domum Achimelech.* Vbi manifestè tangitur historia scripta 1.Reg.22. Ex qua iuncta Psalmo habetur quòd Psalmus iste tractat de malitia Doeg Idumæi (qui occidit sacerdotes Domini & omnes in Nobe ciuitate sacerdotum) & de misericordia Dei erga Dauidem, in cuius odium tanta clades commissa est: vt patet in historia.

Verum ex illa particula tituli, *intelligentia Dauidi*, insinuatur aliquid intelligentiâ dignum in hoc Psalmo tractari præter nudam historiam. Et quantùm ex Psalmo apparet, inseritur mysterium diuinæ vltionis futuræ in Doeg, & præmij repositi Dauidi speranti & expectanti gratiam Dei.

SVMMARIVM EST.

Inuehitur Dauid in Doeg quòd tantam cladem velut radendo effecerit dolis, mendacio, malitiâ: prophetando quòd Deus in præsenti destruet eum, & eradicabit de terra, ipse autem Dauid erit sicut oliua in æternum sperans in diuina gratia & laudans Deum, quia expectauit magnificationem diuini nominis.

Personæ loquentes sunt Propheta & Iusti.

VERS. 1. *Doëg præsidebat pastoribus mularū Saulis, vir magnus coram Saule.*

QVID GLORIABERIS IN MALITIA Ô POTENS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *prauitates.* Proponit duo. Primò malitiā Doeg Idumæi, increpando ipsum. Secundùm historiam Doëg præsidebat pastoribus mularum Saulis, & erat vir magnus coram Saule (vt in cap.21. refertur) & effectus est maior ex eo quòd accusauit sacerdotem Domini tanquam complicem Dauidis, & percussit sacerdotes, & ciuitatem eorum. Et propterea appellat eum potentem in malitia, dicendo: *Potens seu fortis in malitia quid gloriaberis?* Tanquam diceret: Etsi nunc glorieris in potentia tuæ malitiæ, non subest tamen cur glorieris in futurum. Secundò proponit benignitatem Dei continuam erga se Dauidem: *gratia Dei,* sine meritis meis, *tota die,* continuè mecum est.

*Vers.*2. PRAVITATES COGITABIT. Incipit hìc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *ô potens in malitia.* Secundò illa, *quid gloriaberis,* ibi, *etiam Deus destruet te.* Tertiò illa, *gratia Dei tota die,* ibi, *& ego sicut oliua.* Increpatur itaque potentia simul cum malitia. Et potentia quidem significatur in actione quâ sicut gladio rasorio exercuit cogitatum ac dictum dolum. Iuxta historiam Doëg non solùm trucidauit, octoginta quinque viros sacerdotes Domini, sed etiam *ciuitatem sacerdotum percussit in ore gladij: viros & mulieres & paruulos & lactentes, bouemque & asinum & ouem:* & propterea assimilatur rasorio gladio, incidenti omnes pilos occurrentes. *Prauitates cogitabit*, perseuerabit cogitando, *lingua tua*, inter loquendum cum Saule: *quasi nouacula polita faciens:* exequens, *dolum*, cogitatum ac dictum contra Achimelech sacerdotem. *Dilexisti malum magis quàm bonum, mendacium magis, quàm loqui iustitiam.* Increpat Doëg de interno affectu: nam iuxta historiam Saul quærebat habere Dauidem & complices eius: Doëg autem respondens cùm nesciret Achimelech esse complicem Dauidis, non debuit deferre Sauli Achimelech tanquam complicem Dauidis: sed aut tacere aut simplex factum narrare, explicando se nihil scire an fuerint complices: cuius oppositum promptitudo eius ad tam diram cladem testatur, præsertim recusantibus aliis tantum facinus. Et propterea hìc increpatur de malitia. *Dilexisti malum magis quàm bonum, mendacium magis quàm loqui iustitiam:* mentitus est enim Achimelech fuisse complicem Dauidis, & dilexit malum tantæ cladis: cùm potuisset & debuisset vtrumque vitare. *Dilexisti omnia verba glutitionis*, ciuitatis sacerdotalis, quam quodammodo glutiuit, *lingua doli.* In quo apparet quo affectu desolauerit sacerdotes, quamuis effectus ipse satis testetur pessimum affectum Doëg.

1.Reg.22.19 *Doëg similis nouacula.*

Vers. 5. ETIAM DEVS DESTRVET TE. Tractatur hìc illa particula, *quid gloriaberis:* prophetando

tando quòd parum durabit gloria eius: quoniam Deus puniet ipsum in hac vita, videntibus iustis & considerantibus ac irridentibus.

Etiam Deus, qui permisit scelus tuum, *destruet te sempiterno*, non ad tempus. Per quod videtur significari destructio generis eius, sicut ipse destruxit genus Achimelech. *Tollet te & extrahet te de tentorio*, tuo, sicut tu abstulisti sacerdotes & extraxisti de tabernaculo: *& eradicabit te de terra viuentium*, sicut tu eradicasti sacerdotes. Terram autem viuentium appellare videtur terram promissionis. Fortè de genere Doëg remanserunt in Idumea.

Terra promissionis appellatur Terra viuentiū.

Et videbunt iusti, hanc punitionem, *& timebunt*. Hîc apparet quòd locutus est de punitione in præsenti vita: ad præsentis enim vitæ statum spectat iustos videre vindictas & timere: in altera siquidem vita lætabuntur iusti videndo vindictas. Timebunt autem, ne & ipsi ruant in peccatum. *Et super eum ridebunt*: ecce irrisio: hoc est ad similitudinem irridentium considerabunt pœnas eius. Irridendo autem dicent: *Ecce vir non ponet Deum fortitudinem suam*, hoc est, ecce talis erit vir qui non ponet Deum fortitudinem suam: *& sperauit in multitudine opulentiæ suæ, roborabitur in prauitate sua*. Et intendit quòd quicunque assimilatur Doëg in his tribus (scilicet quòd sperauit in multitudine opulentiæ suæ, & non ponet Deum fortitudinem suam, sed roborabitur in prauitate sua) erit talis in pœnis qualis Doëg.

Dauid Oliuæ similis.

Vers. 8. ET EGO SICVT OLIVA. Tractatur hîc illa particula, *gratia Dei tota die*: prophetando prosperitatem propriam: futuram tum in præsenti vita. *Et ego sicut oliua frondosa*, in signū viuacitatis *in domo Dei*. Et dicit hoc: quia ipse in domo Dei apud Achimelech petens panem & gladium, fuerat occasio trucidationis sacerdotum: contra tantum malum præter intentionem eius subsecutum, dicit quòd ipse in domo Dei quasi oliua frondosa erit, producet tantum fructum in domo Dei sicut oliua viuax. Tum in futura vita: in qua sola quod verè æternum est sperari potest: *confisus sum in gratia Dei æternum & semper*. In veteri Testamento comitabatur prosperitas temporalis bonitatem vitæ: quia sic promiserat Deus in Deuteron. Et propterea Dauid velut rationem suæ futuræ in præsenti vita prosperitatis, subiungit spem, fiduciamque suam in gratia Dei non solum respectu præsentium sed æternorum bonorum: quia *sperauí* seu *confisus sum in gratia Dei æternum & semper*: hoc est, non solum respectu præsentium sed eorum quæ verè æterna sunt.

Confitebor, confessione laudis, *te æterno & semper, quoniam fecisti*, mecum gratiam. Prophetat gratiarum actionem suam pro recipiendo beneficio tanquam recepto, quia scit sic futurum esse. *Et expectaui nomen tuum*, manifestandum & glorificandum in me: *& expectaui nomen tuum*, nosse in æterna felicitate, *quoniam bonum*, supple est expectare nomen tuum, *coram gratiosis tuis*, iis qui gratuitò propter te donant. Ordo præposterus: priùs expectaui nomen tuum quoniam bonum, &c. & consequenter *confitebor te quoniam fecisti*. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	*IVXTA HEBRÆVM.*
1 *Victori super Chorum eruditio Dauid.*	Vincenti super Machalath intelligentia Dauidi.
LII.	LIII.
DIXIT *insipiens in corde suo: non est Deus.*	1 *Propheta.* DIXIT stultus in corde suo. *Dictum stulti.* est non Deus †. *Propheta.* Corrumpere fecerunt, & abominabilem est fecerunt iniquitatem, non faciens bonum. († *Dy.*)
2 *Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in iniquitatibus: non est qui faciat bonum.*	
3 *Deus de cælo prospexit super filios hominum: vt videat si est intelligens aut requirens Deum.*	2 Deus † de cœlis prospexit super filios Adam: ad videndum si est intelligens requirens Deum †. († *Dij.* † *Deus.*)
4 *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bonum, non est vsque ad vnum.*	3 Totus ipse homo auersus est, simul putrefacti sunt: non est faciens bonum, non est etiam vnus.
5 *Nonne scient omnes qui operantur iniquitatem: qui deuorant plebem meam vt cibum panis?*	4 Nunquid non cognouerunt operantes iniquitatis, deuorantes populi mei: comederunt panem, Deum † non vocauerunt. († *Deus.*)
6 *Deum non inuocauerunt: illic trepidaue-*	5 Ibi timuerunt timore vbi non fuit timor:

runt timore: vbi non fuit timor.
Quoniam Deus dissipauit ossa eorum qui hominibus placent: confusi sunt quoniam Deus spreuit eos.

7 Quis dabit ex Sion salutare Israël: cùm conuerterit Dominus captiuitatem plebis suæ exultabit Iacob & lætabitur Israël.

mor: quoniam Deus † dispersit ossa castramentantis contra te, confudisti, quia Deus † abominatus est eos. † Dij. † Dij.

6 Quis dabit ex Sion salutes Israël? reducente Deo † captiuitatem populi sui, exultabit Iacob, lætabitur Israël. † Dijs.

COMMENTARIVS.

Machalath nomen instrumenti musici.

TItulus est: *Vincenti super Machalath, intelligentia Dauidi.* Machalath nomen instrumenti musici dicitur. Intelligentia appellatur eo quòd eruditiuus est Psalmus: tum ad cognoscendum Deum, tum ad aduentum Messiæ. Paulus Apostolus ad Rom. 3. affert hunc Psalmum ad testificandum omnes tam Iudæos quàm Gentiles sub peccato esse. Ita quòd ex auctoritate Apostoli & ex verbis Psalmi clarè constat tractari hîc stultitiam humani generis erga Deum, ex qua totum humanum genus subiectum est peccato. Ex calce autem Psalmi apparet desiderari remedium per aduentum Messiæ.

Hic Psalmus non differt à quartodecimo nisi secūdùm quintum versiculum.

Et quia hic Psalmus coincidit cum decimoquarto, ferè de verbo ad verbum, & solùm differt quoad quintum versiculum, ideo breuiter pertransibimus, remittendo ad scripta super Psalmum decimum quartum, eadem quippe est materia vtriusque, idem progressus: & (vt patebit) solo quinto versiculo differt.

SVMMARIVM EST.

HVmanum genus vniuersum, corruptum ex ignorantia Dei describitur, cum inexcusabilitate ignorantiæ, quia viderunt manifestos effectus: suspiratque Propheta ad remedium per aduentum Messiæ reducentis captiuitatem populi sui.

Persona loquens, Propheta est.

VERS. 1. DIxit stultus. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Deus de cœlis.* Proponit causam & effectum. Radicem mali esse negare Deum. *Dixit stultus*, humanum genus, *in corde suo: non Deus*, supple est, aut simpliciter, aut curam habens nostri, aut ratio operum nostrorum. Effectus multiplex hinc subsecutus est: *Corrumpere fecerunt*, omnem carnem viam suam, isti stulti qui dixerunt non Deus, *& abominabilem fecerunt iniquitatem*, scelus, scilicet idololatriæ: & vniuersaliter *non faciens bonum*, nullus est faciens bonum.

Deus Inquisitor & testis corruptionis humani generis.

Vers.2. DEVS DE CÆLIS. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *corrumpere fecerunt*, &c. Secundò illa, *Dixit stultus non est Deus*, ibi, *Nunquid non cognouerunt.* Tertiò remedium vtriusque mali, ibi, *quis dabit ex Sion.* Affert Dauid Deum inquisitorem & testem quòd totum genus humanum sub peccato est. *Inquisitorem* quidem: *Deus de cœlis prospexit super filios Adam*, non Hebræos aut Gentiles tantùm, *ad videndum si est intelligens*, non qualitercunque sed *requirens Deum*, colendo, seruanda præcepta, habendo ipsum pro ratione vitæ suæ. *Testem* autem, Ecce quid inuenit Deus: *Totus ipse auersi sunt.* Constructio est de significato, ad similitudinem nominum collectiuorum: *totus ipse*, homo, *auersi sunt*, singuli homines, *simul putrefacti sunt*, putredine morum: *non faciens bonum*, supple est, *non etiam vnus*, nec vnus quidem est faciens bonum.

Inexcusabilitas Gentiū & Iudæorum negantium Deum.

Vers.4. NVNQVID NON COGNOVERVNT. Tractatur hîc illa particula, *dixit stultus non Deus:* declarando inexcusabilitatem tam Gentilium quàm Iudæorum de hoc quòd negant Deum. Et primò describuntur vtrique: Gentiles *operarij iniquitatis, deuoratores populi mei*, Israëlitici. Iudæi autem *comederunt panem*, tum Angelorum in deserto, tum terræ promissionis, *Deum non vocauerunt:* nam post comestum panem idololatræ fuerunt. *Ibi timuerunt timore*, scilicet, in terra promissionis in qua debebant manere sub protectione diuina, *non fuit timor*, hoc est, vbi non fuit ratio timendi.

Ecce materia cognita: *Nunquid*, inquam, *non cognouerunt*, vtrique hæc duo, scilicet, *quoniam Deus dispersit ossa castrametantis te:* & quòd *confudisti quia Deus abominatus est eos.* Et est sensus quòd vtrique (tam Gentiles quàm Iudæi) cognouerunt quòd Deus dispersit ossa Gentilium castrametantium aduersus Iudæos: & quòd ideò hostis quandoque confudit populum Israëliticum, *quia Deus abominatus est eos*, filios Israël.

Ex duobus Dei operibus notissimis.

Duo opera adducuntur cognita. Alterum quòd Deus pugnauit pro populo Israël contra hostes eius: hoc enim viderunt & in exitu de Ægypto, & in debellatione Amalechitarum, Amorrhæorum, Madianitarum tempore Moysi: & postmodum in debellatione Chananæorum tempore Iosue. Alterum opus quo Gentiles subegerunt & confuderunt Iudæos, quia Deus abominatus est Iudæos propter eorum crimina. Et hoc pluries viderunt tempore Iudicum. Ita quòd ex vtroque inexcusabiles redduntur de hoc quòd refutarunt Deum, quòd dixerunt *non Deus.* Et in hac ratione tantùm, differt Psalmus iste à XIV. ibi enim affertur pro ratione inexcusabilitatis quòd vtrique cognouerunt Deum esse in generatione iusti Abrahæ: vt ibi declaratum est. *Quoniam Deus dispersit ossa*, hoc est, solida, firma quacumque velut sustentacula exercitus, *castrametantis te*, aduersus te populo Israël. Et statim apostrophat ad populum Gentilem: *Confudisti*, quoque tu Gentilis populum Israël, *quia Deus abominatus est eos*, filios Israël, & non in fortitudine tua.

Ossa sunt partes firmiores.

Vers.6. QVIS DABIT EX SION. Tantæ cæcitatis & tantæ molis iniquitatum ac malorū remedium concu

concupiscens Propheta, exclamat optantis affectu: *Quis dabit ex Sion salutes Israel?* Ad literam expectabatur salus populi per Messiam ex Sion. Et meritò: quia in Hierusalem Messias saluauit mundum. Quàm magna autem sit multiplex salus expectata ex Messia, explicat. *Reducente Deo captiuitatem populi sui*, non Babylonicam non Ægyptiacam sed quæ simpliciter & absolutè est captiuitas populi (quam constat esse captiuitatem peccati: iuxta verbum Angeli: *Saluum faciet populum suum à peccatis eorum*) Matth. 1. 21. *exultabit Iacob, lætabitur Israel*: vt ex gemino gaudio, interno & externo, magnitudinem salutum intelligas. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	*IVXTA HEBRÆVM.*
1 *Victori in Psalmis eruditio Dauid, cùm* 2 *venissent Ziphæi & dixissent Saul, nonne Dauid absconditus est apud nos?*	Vincenti in modulationibus intelligentia Dauidi: venientibus Ziphæis & dixerunt Sauli: nonne Dauid absconditus est nobiscum?
LIII.	LIV.
3 *DEVS in nomine tuo saluum me fac: & in virtute tua iudica me.*	1 *Propheta.* DEvs † in nomine tuo salua me: & in potentia tua vlcisceris me. († Dij.)
4 *Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei.*	2 Deus † audi orationem meam: ausculta verba oris mei. († Dij.)
5 *Quoniam alieni insurrexerunt aduersum me & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum ante conspectum suum.*	3 Quoniam alieni insurrexerunt super me, & fortes quæsierunt animam meam: & non proposuerunt Deum † coram se. *Selah.* († Deos.)
6 *Ecce enim Deus adiuuat me: & Dominus susceptor est animæ meæ.*	4 Ecce Deus † auxilians mihi: Dominus † est in sustentatoribus animæ meæ. († Dij. † Domini mei.)
7 *Auerte mala inimicis meis: & in veritate tua disperde illos.*	5 Conuertetur malum respectoribus meis: in veritate tua facies concidere eos.
8 *Voluntariè sacrificabo tibi: & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.*	6 In promptitudine sacrificabo tibi: confitebor nomen tuum, quoniam bonum est.
9 *Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me: & super inimicos meos despexit oculus meus.*	7 Quoniam ex omni angustia liberauit me: & in inimicis meis vidit oculus meus.

COMMENTARIVS.

TItulus est, *Vincenti in modulationibus intelligentia Dauidi: venientibus Ziphæis & dixerunt Sauli: nonne Dauid absconditus est nobiscum?* Vbi aduerte quòd Ziphæi bis nunciauerunt Sauli quòd Dauid esset apud se. (*Ziphæi bis nunciauerũt Sauli Dauidem esse apud se.*) Prima nunciatio scribitur 1. Reg 23. & tunc Saul præmittens nuncios ad diligentiùs inquirendum venit ad persequendum Dauidem: sed (vt Iosephus dicit) Dauid cognitâ nequitiâ Ziphæorum recessit ab angustiis Ziph, & venit in desertum Mahon: & propterea Saul non iuit in Ziph, sed in Mahon: & dum vrgeret in modum coronæ, superuenientibus nunciis quòd Philistæi terram vastarent, diuertit ad Philistæos; & sic euasit Dauid. Secundâ autem vice (vt scribitur 1. Regum 26.) Saul nunciantibus Ziphæis, venit contra Dauidem in Ziph existentem. Et tunc Dauid occultè præueniens, nocte venit ad exercitum Saulis dormientis, & abstulit lanceam & vrceum aquæ, &c. & sic conuicit Saulem suâ mansuetudine.

Ex verbis tituli huius insinuatur quòd de prima annunciatione tractat Psalmus iste: quoniam tunc narrauerunt Ziphæi sub isto loquendi modo, *nonne Dauid absconditus est apud nos?* qui loquendi modus recitatur in titulo. Ex fine autem Psalmi apparet tractari secundam annunciationem: dum dicitur, *& inimicos meos vidit oculus meus*: nam tunc Dauid liberatus est videndo inimicos suos dormientes, & potens occidere Saulem. Vnde materia Psalmi huius videtur comprehendere vtramque annũciationem & vtriusque

& vtriusque effectum. Intelligentia in titulo posita, ad hoc spectat quòd Dauid eruditus fuit à Deo, & intellexit vt non poneret manū in Christum Domini (quod secundâ vice potuit efficere) sed confideret in Domino. Reliqua exposita sunt in aliis titulis.

SVMMARIVM EST.

Dauid recurrens ad Deum pro propria salute inter persecutiones Saulis nunciantibus Ziphæis, saluatus à Deo, & prauidens vltionem inimicorum, promittit sacrificare & laudare Domini nomen bonum: tum in liberatione ex omni angustia: tum in liberatione ex visione inimicorum dormientium, &c.

Persona loquens Propheta est.

VERS. I. DEVS IN NOMINE TVO. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Deus audi.* Proponit duo. Primum petendo: *Deus in nomine tuo*, inuocato à me, non in vi armorum, *salua me.* Alterum prophetando: *Et in potentia tua vlciscêris me*, vindictam facies tu, non ego.

Vers. 2. DEVS AVDI. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *Deus in nomine tuo salua me.* Secundò illa, *& in potentia tua vlcisceris me*, ibi, *conuertetur malum.*

Tria tractat: Recursum ad Deum: Circa primum tria tractat. Primò firmat recursum ad Deum. *Deus audi orationem meam*, eleuationem mentis meæ ad te: attendendo, *ausculta verba oris mei.* Secundò causam periculi: *Quia alieni.* *Causam periculi.* Vocat Ziphæos alienos, cùm tamen essent de tribu Iuda, ac per hoc contribules ipsi Dauidi: ita quòd non erant alieni genere tribus. Sed ad explicandam magnitudinem nequitiæ eorum appellantur alieni, non genere, sed negotio: hoc est, ad quos nihil omnino pertinet negotiū inter Saulem & me. *Quoniam alieni*, à negotio, Ziphæi scilicet, *insurrexerunt super me*, nunciantes bis Sauli vbi moror: *& fortes*, Saul & sui, *quæsierunt animam meam*, non bona mea, sed vitam meam: *& non proposuerunt Deum coram se*, & iniustè, nullam habentes rationem Dei prohibentis persecutionem innocentum. Hæc est causa periculi & recursus ad Deum. Tertiò describit se saluatū à Deo. *Ecce*, in promptu, *Deus auxiliatur mihi*, supple est: *Dominus in sustentatoribus animæ meæ*, supple est. *Salutem suā à Deo.* Siue intelligas Dominum describi ad similitudinem sustentatoris vitæ Dauidis: & hoc significari, *Dominus in sustentatoribus*, id est, velut sustentator, *animæ meæ*, vitæ meæ: siue intelligas Dominum cum militibus ipsius Dauidis; qui erant velut sustentatores vitæ ipsius. Vtroque enim modo verum dicitur. Literæ tamen magis quadrat quòd Domino attribuatur officium sustentatoris vitæ: ita quòd primum attribuitur Deo officium adiutoris: & deinde explicatur non qualitercunque adiuuando, sed officio sustendandi vitam meam.

Vers. 5. CONVERTETVR MALVM. Tractatur hîc illa particula, *& in potentia tua vlcisceris me:* prophetando primum vindictam in vtrosque, scilicet Ziphæos. *Conuertetur malum respectoribus meis:* Sic vocat Ziphæos ab officio respiciendi latibula in quibus abscondebatur Dauid, & Saulem cum suis. *In veritate tua*, cognita conuincente Saulem, *facies concidere eos.* Quod adimpletum fuit secundâ vice: nam ab ipsa veritate mansuetudinis Dauidis conuictus Saul, concidit ab animo persequendi Dauidem. Vel *in veritate tua*, in iustitia tua, *facies concidere eos*, in bello Philistinorum. Secundò promittit gratiarum actiones: recognoscendo tum Deū, tum nomen Dei quod in principio inuocauit. *Deum* quidem: *In promptitudine sacrificabo tibi*, hoc est, spontaneâ voluntate sacrificabo tibi Deus gratias agendo. *Nomen* autem: *Confitebor*, laudabo, *nomen tuum Domine, quoniam bonum* non solùm in se sed mihi fuit. Et ecce effectus: *Quoniam ex omni angustia liberauit me*, in deserto Mahon quando erant mihi angustiæ vndique, cingente me Saule in modum coronæ: quod fuit in primâ annunciatione Ziphæorum: *& in inimicis meis*, Saule & suis dormientibus in secunda annunciatione Ziphæorum, *vidit oculus meus*, hoc est, videndo inimicos meos velut victor emersi. Familiare est huic Prophetæ significare victoriam ex visione inimicorum: & quia tanquam victoria fuit illa benignitas Dauidis erga Saulem, ideo vt victoria recognoscitur à Deo, dicendo: *& in inimicis meis*, tanquam prostratis, *vidit oculus meus.* Amen. *Familiare est Dauidi significare victoriam ex visione inimicorum.*

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori in carminibus intellectus Dauid.*	Vincenti in modulationibus intelligentia Dauidi.
LIV.	LV.
2 *EXAVDI Deus orationem meam & ne despexeris deprecationem*	1 *Propheta.* AVSCVLTA Deus † orationem meam: & ne occultare à deprecatione mea. † Dij.
3 *meam: intende mihi & exaudi me.*	2 Intende mihi & respōde mihi: lamētabor in locutione mea & resonabo.
4 *Contristatus sum in exercitatione mea: & conturbatus sum à voce inimici, & à tribulatione peccatoris.*	3 A voce inimici, à faciebus coarctationis impij: quoniam commouebunt super me iniquitatem, & in furore odient me.
Quoniam declinauerunt in me iniquitates: & in ira molesti erant mihi.	

5 *Cor meum conturbatum est in me: & formido mortis cecidit super me.*

6 *Timor & tremor venerunt super me: & contexerunt me tenebræ.*

7 *Et dixi: quis dabit mihi pennas sicut columbæ? & volabo & requiescam.*

8 *Ecce elongaui fugiens: & mansi in solitudine.*

9 *Expectabam eum qui saluum me fecit: à pusillanimitate spiritus & tempestate.*

10 *Præcipita Domine, diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem & contradictionem in ciuitate.*

11 *Die ac nocte circumdabit eam super mu-*
12 *ros eius iniquitas: & labor in medio eius, & iniustitia.*

Et non defecit de plateis eius vsura & dolus.

13 *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi: sustinuissem vtique.*

Et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset: abscondissem me forsitan ab eo.

14 *Tu verò homo vnanimis, dux meus & notus meus.*

15 *Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulauimus cum consensu.*

16 *Veniat mors super illos: & descendant in infernum viuentes.*

Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum: in medio eorum.

17 *Ego autem ad Deum clamaui: & Dominus saluauit me.*

18 *Vespere & mane & meridie narrabo & annunciabo: & exaudiet vocem meã.*

19 *Redimet in pace animam meam ab ijs qui appropinquant mihi: quoniam inter multos erant mecum.*

20 *Exaudiet Deus: & humiliabit illos qui est ante secula.*

21 *Non enim est illis commutatio, & non timuerunt Deum: extendit manum suam in retribuendo.*

22 *Contaminauerunt testamentum eius: diuisi sunt ab ira vultus eius, & appropinquauit cor illius.*

Molliti sunt sermones eius super oleum: & ipsi sunt iacula.

23 *Iacta super Dominum curam tuam & ipse te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem iusto.*

24 *Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus.*

Viri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos: ego autem sperabo in te Domine.

4 Cor meum tremet in medio mei: & terrores mortis ceciderunt super me.

5 Timor & tremor veniet in me: & operuit me horror.

6 Es dixi: quis dabit mihi alam sicut columbæ? volabo & habitabo.

7 Ecce elongabo vagando: pernoctabo in deserto. *Selah.*

8 Accelerabo euasionem mihi: à vento suscitato à tempestate.

9 Præcipita Domine † diuide linguam eorum: quoniam vidi iniquitatem & litem in ciuitate. † *Domini mei.*

10 Die ac nocte circumibunt ipsam super muros eius: & prauitas & labor in medio eius.

11 Contritiones in medio eius: & nõ recedet de platea eius fraus & dolus.

12 Quoniam non inimicus vituperabit me & sufferam: non osor meus super me magnificauit, & abscondar ab eo.

13 Et tu homo sicut æstimatio mea: dux meus & notus meus.

14 Qui simul dulcabimus secretum: in domum Dei † ambulabimus in conuentu. † *Deorum.*

15 Instigabit mors super eos, descendent foueam viui: quia malitiæ in conuentu eorum in medio eorum.

16 Ego ad Deum † vocabo: & Dominus * saluabit me. † *Deus.*

17 Vespere & mane & meridie loquar & resonabo: & audiuit vocẽ meã.

18 Redemit in pace animam meam ab appropinquante mihi: quia in multis fuerunt mecum.

19 Audiet Deus & humiliabit eos, & sedens antiquitus. *Selah.* Qui sunt tales quòd non sunt mutationes ipsis, & non timuerunt Deum †. † *Deos.*

20 Extendit manus suas ad pacificos suos: maculauit pactum suum.

21 Lenita sunt supra butyra os eius, & est bellum cor illius: molliti sunt sermones eius supra oleum, & sunt ipsi enses.

22 Proiice super Dominum * onus tuum, & ipse gubernabit te: non dabit æterno lapsum iusto.

23 Et tu Deus * † facies descendere eos in puteum † foueæ: homines sanguinum & doli non dimidiabunt dies suos, & ego confidam in te. † *Dij.* † *putei.*

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti in modulationibus intelligentia Dauidi.* Ex quo titulo non apparet materia: sed materiæ mysterium, pro quanto appellatur intelligentia. Reliqua tituli intellige vt suprà. Circa materiam autem Psalmi sequendo Petri Apostoli regulã, cùm constet ex titulo quòd auctor eius est Dauid, & quòd quęcunque in hoc Psalmo dicuntur de ipso, verificantur in persona Dauidis, consequens est quòd Psalmus iste ad literam de Dauide tractat. Quid autem circa Dauidem tractetur, oportet ex ipso Psalmo colligere. Ex principio Psalmi apparet tractari gesta contra Dauidem in principio persecutionis eius à Saule: nam quadrat impositio iniquitatis quòd esset inimicus regis, quadrant terrores mortis quos tunc passus est tam in iaculo lanceæ quàm in obsessione domus: quadrat desiderium alarum ad volandum, quia obsessus erat tunc domi, nec poterat per portas exire. Ex medio quoque Psalmi appáret descriptio Saulis inopinatè persequentis Dauidem: dum describitur dux cum quo fuerant secreta. &c. Finis etiã Psalmi scelus Saulis de maculatione naturalis fœderis erga generum, déque simulato placido ore atq; sermone, eidẽ attestatur. Et breuiter tantum consonat Psalmus gestis in principio persecutionis Dauidis à Saule, vt cogat dicere materiam istius Psalmi ad literam esse fugam Dauidis à Saule quando voluit ipsum occidere: primò iaculando lanceam: secundò obsidendo domi eâdem nocte; & tertiò in Naioth missis lictoribus ad capiendum eum: quia illuc fugerat emissus de fenestra domus. Historiam habes 1. Reg 19. *Eruditio* autem in titulo apposita, spectat ad hoc quòd Dauid eruditus fuit ad iactãdum curam sui in Deum, & de prouidentia Dei circa præmia iustorum & pœnas iniquorum: hæc enim præter historiam in Psalmo apponuntur vt materia eruditionis seu intelligentiæ.

Materia.

Fuga Dauidis à Saule, volente illum occidere.

SVMMARIVM EST.

Dauid recurrit ad Deum in fuga sua periculis tam domi quàm in Naioth, citans Saulis & suorum iniquitates cõtra se: descriptisque vtriusque euasionis modis, prophetat Saulem & suos tandem casuros, seipsum autem iustum in Domino confidentem gubernandum ac erigendum à Deo.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. AVSCVLTA DEVS ORATIONEM MEAM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *quoniam commouebũt.* Proponit duo. Primò recursum ad Deum: secundò causam recursus. In recursu ad Deum petit quatuor. Primum: *Ausculta Deus orationem meã,* ad similitudinem attendentis & applicantis aures percipe eleuationem mentis meæ. Secundum: *& ne occultare à deprecatione mea* Non sufficit orationem meam percipi, sed petitionem quoque meam gratam esse peto: non gratam quippe esse petitionem significat princeps occultans se à petitionibus, ne scilicet audiat petentes. Et ideo petit ne ad similitudinem occultantium se à deprecationibus, ingratam habeat deprecationem suã. Vbi clarè patet ordo præposterus: nam prius est quòd non se occultet: & deinde quòd auscultet. Tertium: *intende mihi.* Quartum: *& respõde mihi.* Non sufficit quòd orationem & deprecationem meam percipias, sed meipsum commendo: vt scilicet ego non sim exosus aut molestus habear, sed attende mihi, & dignum me fac responsione tua. Recole scriptum esse Genes. 4. *Respexit Dominus ad Abel & ad munera eius:* & videbis Prophetæ orationem crescere ab actionibus orãdi & deprecandi ad seipsum Sæpe enim Deus attendit orationi & non oranti: sed tunc prodest Ecclesiæ, non illi: grata autem oratio est quando orans est gratus. Explicat autem causam recursus duplicem. *Lamentabor,* inquit, *in locutione mea,* querula erit vox mea, *& resonabo à voce inimici,* Saulis: hæc est prima causa. *A faciebus coarctationis impij,* scilicet Saulis: hæc est secunda. Et prima causa tangit verba non quæcunque, sed præceptoria: hoc est, mandatum Saulis ad capiendum Dauidem. Secunda causa spectat ad facta: hoc est, ad executionem quâ à ministris Saulis coarctatus fuit Dauid ne posset exire. Reddit autem rationem suæ lamentationis iustæ: tum quia ab inimico, tum quia ab impio, subaudi Rege.

Genes. 4. 4.

Sæpe Deus attendit orationi, & non oranti.

Vers. 3. QVONIAM COMMOVEBVNT. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primùm tractatur illa particula, *à faciebus coarctationis,* quantùm ad ipsam coarctationem. Secundò tractatur illa particula, *à voce inimici,* similiter quantùm ad ipsum periculum, ibi, *accelerabo.* Tertiò illa particula, *impij,* ibi, *quoniam vidi.* Quartò prosequitur illam particulam, *à voce inimici,* declarando specialiter illam particulam *à voce,* ibi, *ego ad Deum.* Quintò specialiter illa particula *inimici,* ibi, *audiet Deus.* Sextò tractatur recursus ad Deum in principio positus, ibi, *iacta super Dominum.*

Pars Executiua.

Circa coarctationem quam passus est describit principia: *quoniam commouebunt super me iniquitatem: & in furore odient me.* Iuxta historiam initium persecutionis fuit secundùm causam imputatam quòd Saul imputabat Dauidi quòd esset inimicus suus: vt ipsemet dixit ad Michol: *quare dimisisti inimicũ meum?* Nec solus Saul sed multi imputabant hoc crimen Dauidi, vt ipse Dauid testatur in cap. 24. dicens Sauli: *quare audis verba hominum loquentium, Dauid quærit malum aduersum te?* Et propterea hinc inchoat: *Quoniam commouebunt,* commouere non cessabunt, *super me iniquitatem,* inimicitiæ aduersus Saulem. Et hinc insurrexerunt aliæ concomitantes causæ: nam adfuit secundùm internum affectum odium, & secundùm exteriores actus erat furor. Et propterea dicit: *& in furore,* persecutionis, *odient me,* non cessabunt me odio habere. Et de odio quidem Saulis & suorum ergà Dauidem, satis constat ex effectibus. De furore autem, initia persecutionis testantur: nam tunc Saul tanto furore commotus est vt ausus fuerit lanceâ confodere Dauidem: & fugientem in propriam domum insferitã satellitibus circumdari nocte illa, ne posset euadere & mane occideretur. Hæ sunt causæ.

1. Reg. 24.

Furor Saulis in Dauidem.

Ecce effectus, primò interni in Dauide. *Cor meum tremet in medio mei, & terrores mortis ceciderunt super me.* Ordo est præposterus: quia terrores mortis ceciderunt super me, ideo cor meum tremet: & futurum *tremet,* refertur ad præteritum *ceciderunt,* & verum fuit vtrumque quantum ad iaculum lanceæ. *Timor & tremor venit in me,* coarctatum in domo, *& operuit me tenebræ.* Simi-

liter hic est ordo præposterus & futurum *veniet*, respicit præteritum *operuit*. Iuxta historiam audiens Dauid ab vxore sua quòd manè occidendus esset nisi nocte illâ se saluaret, & videns satellites custodientes ostia domus, opertus est horrore exteriùs & intùs timore, & in membris tremore. Quæ describuntur partim in præterito, & partim in futuro, ad denotandum antecedentiam & consequentiam, scilicet quòd primò horruit, & exinde venit timor cum tremore.

Secundò externis: *& dixi: quis dabit mihi alam?* Tangitur coarctatio exterior: explicando internam cogitationem de desiderio alarum: videns enim quòd non posset fugere per ostia, cogitauit exire per fenestram seu per tectum more auium: hoc enim significat, *& dixi: quis dabit mihi alam?* Et addidit, *sicut columba*, quæ solet habitare in superioribus domus & exire per foramina: vt intelligas necessitatem ei imminere exeundi velut per foramina more columbæ. Et propterea subdit: *volabo & habitabo*: hoc est, habitaculum inueniam tutum.

Columba in superioribus domus habitat, & exit per foramina: ita Dauid hic.

Tertiò euasio: *Ecce*, diuinâ ope, mediante Michol vxore meâ, *elongabo*, me per fenestram, *vagando*, more fugientis: *pernoctabo in deserto.* Appellat desertum, locum desertum à custodia Saulis. Vel fortè ad literam illa nocte secessit in locum desertum: & propterea dicit, *pernoctabo in deserto*: & postea iuit ad Samuelem in Ramatha. Et hoc est verisimilius.

Vers. 8. ACCELERABO. Incipit tractare hîc illam particulam, *à voce inimici.* Iuxta historiam Dauid fugiens è propria domo per fenestram, venit ad Samuelem in Ramatha: & vterque iuit in Naioth, vbi erat cuneus prophetarum. Quo comperto Saul misit lictores illuc ad capiendum Dauidem: qui cùm appulissent illuc, prophetauerunt. Vnde misit alios lictores: qui & ipsi cùm venissent illuc, prophetauerunt: & cùm tertij lictores similiter prophetassent, postremò venit ipse Saul: qui etiam prophetauit cum aliis. Et licet Iosephus intelligat per prophetiam huiusmodi, amentiam quandam, quia tamen Scriptura spiritum Domini describit auctorem, intelligenda est quædam ecstasis diuinitùs effecta in eis ad hoc vt Dauid euaderet. Hanc historiam tangit Propheta: describens huiusmodi aduentum lictorũ & Saulis à similitudine venti, turbinis & tempestatis: & describens prophetiam eorum (scilicet Saulis & lictorum) à præcipitatione & diuisione linguæ. Et quidem concursus tot lictorum & Saulis, rationabiliter assimilatur turbini & tẽpestati: vt patet: prophetia autem eorum ideo assimilatur rei præcipiti: quia ex lictoribus effici Prophetas, præcipitatio quædam est: eo quòd non gradatim de statu in statum venerint. Diuisio autem linguæ actio prophetiæ fuit: nam lingua eorum prius erat lingua lictorum & lingua regis contra Dauidem, & diuisa est à seipsa & à lingua remanentium extrà: quia lingua amicorum Saulis qui non venerant illuc, erat contra Dauidem, cõtra Dei iustitiam, lingua autem Saulis & lictorum qui venerãt, fuit ad laudandum Deum: dum transiit in linguam prophetarum. hoc est, in linguam laudantem Deum cum prophetis: cantabat enim cuneus prophetarum diuinas laudes. Et iste cantus appellabatur prophetare.

Lictores missi à Saule, & ipse Saul prophetat in Naioth.

Ordina ergo literam sic: *Præcipita Domine*, ad similitudinem præcipitantis fac eos de lictoribus prophetas statim: *diuide linguam eorum*, vt non sit lingua lictorum sed prophetarum. Nam interim *accelerabo euasionem mihi à vento commotionis à tempestate.* Et sic factum est: interim enim quòd Saul & lictores prophetabant, Dauid recessit. Describit autem seipsum secundùm statum periculi illius in Naioth, & propterea inducit seipsum orantem, *præcipita Domine*, & acceleraturum euasionem, *accelerabo*, &c.

Vers. 9. QVONIAM VIDI INIQVITATEM. Tractatur hîc illa particula, *à facie impij*, dupliciter. Primò declarando iniquitatem ciuitatis Saulis. Secundò declarãdo iniquitatem ipsius Saulis, ibi, *quoniam non inimicus.* Aduerte hîc duo. Primum quòd Propheta redit ad tractatum coarctationis suæ: interposuit siquidem periculum in Naioth, ad hoc vt integrè simul describeret pericula illius fugæ: vt simul expositis, postea vnumquodque eorum singillatim persequeretur. Secundũ, quòd appellatione *ciuitatis* incertum est an intelligatur ciuitas de qua fugit Dauid, an societas Saulis quæ erat contra Dauidem. Et est ratio dubij: quia in Scriptura non leguntur custodiæ positæ in ciuitate ne euaderet Dauid, sed tantum in domo Dauidis: & potuit esse quòd postquam Saul comperit Dauidem fugisse per fenestram, posuerit custodias per ciuitatem, suspicans ne alicubi in ciuitate lateret: & huiusmodi custodias Propheta nũc tractet. Tutius tamẽ est exponere de *ciuitate*, hoc est, de vnitate vniuersorum conuenientium cum Saule contra Dauidem, dicẽdo ipsum esse inimicum regis. Et secundùm hoc tres partes ciuitatis, (scilicet muri, platea, & mediũ eius, quod bis nominatur) metaphoricè intelliguntur: vt intelligas vniuersitatem eorum in omnibus suis partibus iniquam, & præcipuè in intimis cordium, & propterea bis medium eius repetitur.

De qua ciuitate sit hic sermo?

Quoniam vidi. Hinc apparet quòd de societate loquitur, quam vidit iniquã. *Vidi*, expertus sum, *iniquitatem & litem*, contra me: *in ciuitate*, in vnitate complicum Saulis. *Die ac nocte*, incessanter, *circuibunt super muros eius*, hæc duo, scilicet iniquitas & lis contra me: *& prauitas & labor in medio eius*, contra me: praué enim laborabant ad capiendum eum. *Contritiones*, machinatę contra me *in medio eius: & non recedet de platea eius fraus & dolus*, contra me. Hæc de ciuitate.

Ciuitas, id est societas vnita.

De capite autem eius Saule subdit: *Quoniam non inimicus.* Vbi aduerte quòd negatio præposita in vtraq; oratione negat copulationẽ, ita quòd dicendo, *quoniã non inimicus vituperabit & sufferam*: sensus est; non iungentur hæc duo quòd inimicus vituperet me & ego sufferam: quia resistam inimico irroganti mihi iniuriam. Et similiter *non osor meus super me magnificauit & abscondar*, sensus est: non iungentur hæc duo, quòd osor meus super me magnificauit, & ego abscondar ab eo: quia præmunitus ero contra osorem meum & resistam ei tentanti magna contra me facere. Negatio enim præposita in vtraque oratione testatur, significat & infert hunc esse planum vtriusque orationis sensum. Et est ad propositum Dauidis in hoc negotio: intendentis dicere quòd si cum inimico & osore (intellige aperto) fuisset sibi agendum, restitisset, pugnasset, & huiusmodi alia fecisset, sed vbi cum amico & duce causa fuit, vt subiunget, &c. Et descripsit hæc in futuro *vituperabit, sufferam, abscondar*) quia loquitur de eo quòd futurum fuisset, si inimicus, si osor has iniurias ei irrogasset.

Et tu, Saul, *homo sicut æstimatio mea*, id est, sicut ratio

Saul fuit ratio propter quam Dauid æstimatus est.

ratio quod æstimer. Saul enim postquam Dauid percussit Philistæum habuit ipsum in pretio, & præposuit ipsū militibus,& adsciuit in generum: & propterea dicitur ratio propter quam Dauid erat pluris æstimatus. *Dux meus*,erat enim Saul & rex eius & dux exercitus, *& notus meus*, notitiâ domesticâ. *Qui simul dulcabimus secretum*, perseueraturi eramus in dulcatione secreti consilij:& similiter *in domum Dei ambulabimus*,perseueraturi eramus in ambulatione ad domum Dei, *in conuentu*, cum frequentia multitudinis. Et intendit per hæc quòd Saul & Dauid erant ita coniuncti quòd simul suauiter communicabant consilia, simul ibant ad sacrificia cum multitudine populi. Et quia in his erant perseueraturi quantùm erat ex parte Dauidis, ideo describit ea per verbum futuri temporis. In quo etiam insinuat quòd ipse non fuit in culpa exorti odij. Ex quo patet impietas Saulis,quòd inter tot vincula vnitatis perseueraturæ ex parte Dauidis quęsiuit ipsum occidere. Vnde velut impatiens tantæ iniquitatis detestatorio affectu subdit vindictam.*Instigabit mors super eos,descendent foueam*, inferni, *viui*. Non enim per hæc verba significatur euentus pœnę:nam nullibi legitur talis euentus,sed significatur demeritum:quòd scilicet mererentur non mori, sed stimulari ad mortem ita quòd viui sepelirentur : sicut olim Dathan & Abiron,Num.16,Et rationem repetens:*quia malitia in conuentu eorum in medio eorum.*

*Vers.*16.Ego ad Devm vocabo. Prosequitur hîc Propheta inchoatum superiùs tractatum illius particulæ,*à voce inimici*,tali ordine. Primò explicat modum suæ liberationis:deinde iniquitatem inimici cum vindicta. Iuxta historiam appellat Dauid vocem inimici attentatam sui apprehensionem:pro quanto non habuit effectum etiā obsidendi, sed fuit tanquam sola vox mandati ad capiendum. Modus autem quo euasit(vt prædictum est)fuit quòd tam lictores quàm Saul appropinquantes ad Dauidem prophetarunt : hoc est,cum cuneo prophetarum cecinerunt diuinas laudes : interim enim Dauid habuit tempus euadendi. Et quoniam miraculum hoc fuit per orationem Dauidis & merito Samuelis (nam ibi dicitur : *Cùm vidissent cuneum prophetarum vaticinantium & Samuelem stantem super eos, factus est etiam spiritus Domini in illis*) propterea inquit, *ego ad Deum vocabo, & Dominus saluabit me.* Et quia oratio ista per manus Prophetarum & Samuelis durauit die & nocte (ita quòd etiam Saul cecinit cum cæteris coram Samuele *tota die illa & nocte*)ideo subditur:*Vespere & mane & meridie loquar*, diuinas laudes, *& resonabo*, perseuerabo sonans velut strepitu & tumultu festiuantium:*& audiuit vocem meam.*

Modus quo Dauid euasit in Naioth.

1.Reg.19.20

Et ecce modus liberationis : *Redemit in pace animam meam ab appropinquante mihi :* erat vita mea tanquam perdita:sed Deus redemit illam *in pace*, sine armis, *ab appropinquante*,Saule per lictores & per seipsum, mutando eos repente in Prophetas. Et exaggerando beneficium huiusmodi redemptionis,subdit:*quia in multis fuerunt mecum*, non per me, sed iuxta me:hoc est, quia in pluribus multitudinibus appropinquauerunt mihi : fuerunt enim tres cateruæ lictorum.

*Vers.*19. Avdiet Devs Narrato modo euasionis,subiungitur vindicta diuina cum iniquitate inimici Saulis.*Audiet Deus*, vocem & meam & inimicorum, *& humiliabit eos*,inimicos:*& sedens antiquitus.* Ordina sic, audiet Deus & sedens antiquitus,& humiliabit eos:hoc est,*audiet Deus* naturâ,*& sedens antiquitus*, officio iudicis, *& humiliabit eos*:vt rei probauit euentus.

Ecce demerita quibus merentur humiliari:*qui non mutationes ipsis.& non timuerunt Deum.* Primò commune tangitur crimen obstinationis:qui sunt tales quòd non timuerunt Deum, peccauerunt coram Deo, & tamen non sunt *mutationes ipsis*, non mutantur, sunt obstinati in odio suo contra me. Vel crimen significatur ingratitudinis : qui sunt tales quòd non sunt ipsis permutationes, receptorum beneficiorum & officiorum à me, *& non timuerunt*, sunt & mihi ingrati & à Dei timore alieni.

Deinde ad speciale Saulis crimen descendit: *Extendit manus suas ad pacificos suos :* hoc est,ad me vndique sibi pacificum, *maculauit pactum suum*,quod mecum inierat faciendo me generum suum. *Lenita sunt supra butyra os eius*, pro, ora eius. Et intendit quòd faciem suam monstrabat Saul sine vlla asperitate leniorem butyro:hoc est, ita exhibebat visui meo faciem suam lenem sicut butyrum lene exhibetur gustui:& tamen *& prælium cor illius :* intus bellum in corde:in facie autem lenitas. Nec solùm in facie,sed etiam in verbis *: molliti sunt sermones eius supra oleum,& ipsi enses :* ex vna parte sunt molliores oleo sermones eius, & ex altera parte sunt enses vtrinque incidentes. Lege historiam 1.Regum 18.& 19.cap. & inuenies hæc. Gratiosus vultus apparet ibi in duabus rebus:familiari scilicet consuetudine Dauidis,& sermone:*Esto vir fortis & præliare prælia Domini*, &c. Vbi etiam apparet quòd hæc omnia ordinabat Saul ad mortem Dauidis. 1.Reg.18.17

Bellū in corde, in facie lenitas.

*Vers.*22.Proiice svper Dominvm. Tractatur hîc recursus ad Deū in principio Psalmi propositus. Tractatur autem monstrando fructum eius. Modus autem tractandi est per modum exhortantis seipsum & alios. *Proijce*, orando,contendo,&c. *super Dominum*,non super hominem, *onus tuum*, quo premeris quodcunque sit illud. Et ecce fructus : *& ipse*, Dominus,*gubernabit te* sic quòd *non dabit æterno*:quamuis ad horam,*lapsum iusto*:hoc est,si permittet labi,non relinquet lapsum æternum, sed releuabit & restaurabit in hac vita,loquitur enim secundùm promissiones veteris Testamenti. Et vt pleniorem intelligas fructum ex contrariis,addit:*Et tu Deus facies descendere eos*,hostes iusti,*in puteum foueæ*,ita quòd *homines sanguinum & doli non dimidiabunt dies suos,& ego confidam in te.* Ex qua clausula vltimò subiuncta,apparet clarè, quòd de seipso & Saule ac suis locutus est Seipsum demonstrauit :*& gubernabit te, non dabit æterno lapsum iusto.* Ac si apertè diceret,quòd Deus gubernabit me,& non permittet lapsum meum esse æternum : hoc est, vsque in finem, quamuis ad horam permiserit. Quo contra facies descendere Saulem & suos in puteum foueæ:hoc est,facies ipsos descendere ad similitudinem eorum qui cadunt in puteum foueæ,id est,profunditatis immeabilis. In Hebræo habetur *puteo* in datiuo:sed constructio mutaut adiunctâ propositione *in*.

Et vt clariùs casum intelligas,subiungit quòd homines sanguinum & doli, Saul & sui,non dimidiabunt dies suos, non morientur morte naturali quā quilibet complet dies suos.sed ad similitudinem cadentium in puteum foueæ non dimidiabunt dies suos. Et accipe *non dimidiare*

Viri sanguinum & doli non dimidiabũt dies suos. *dies suos*, vt sit modus loquendi ad describendum repentinam mortem innaturalem: non enim oportet quòd omnes hi mortui fuerint ante medietatem dierum suorum, diuidendo totum naturale tempus vitæ eorum in duas partes æquales. Verificatur quoque quantùm ad fructum: quoniam sicut de iusto in adolescentia mortuo scriptum est: *Consummatus in breui expleuit tempora multa*, quoad fructum (quia assecutus est in breui tempore quod alij longis temporibus vix efficiunt) ita viri iniqui non dimidiant dies suos quoad fructum: quia quantumcunque viuant non assequuntur quod ante dimidium dierum iustus assequitur. *Et ego confidam in te.* Quæ omnia ad literam completa esse euentus rerum demonstrauit: nam post hæc Saul & sui interfecti fuerunt: & ipse confidens in Deo, euectus est ad regnum. Amen.

Sap. 4. 13. Quo sensu?

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	*IVXTA HEBRÆVM.*
1 *Victori pro columba muta: eo quòd procul abierit Dauid humilis & simplex cùm tennerunt eum allophyli in Geth.*	Vincenti super columba muta elongationum Dauidi michtham: apprehendentibus eum Phelistim in Gath.
LV.	LVI.
2 *MISERERE mei Deus: quoniam conculcauit me homo, tota die impugnans tribulauit me.*	1 *Propheta.* MISERERE mei Deus †: quoniam absorbuit me homo, tota die impugnans coarctabit me. † *Dij.*
3 *Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduersum me.*	2 Absorbuerunt obseruatores mei tota die: quoniam multi impugnantes me † ab excelso. † *mihi.*
4 *Ab altitudine diei timebo: ego verò in te sperabo.*	3 Die qua timebo, ego ad te confidam.
5 *In Deo laudabo sermones meos, in Deo speraui: non timebo quid faciat mihi caro.*	4 In Deo † laudabo verbum eius: in Deo † confisus sum, non timebo quid faciet caro mihi. † *Dijs.* † *Dijs.*
6 *Tota die verba mea execrabantur: aduersum me omnes cogitationes eorum in malum.*	5 Tota die verbis meis me contristabunt: super me omnes cogitationes eorum ad malum †. † *malo.*
7 *Inhabitabunt & abscondentur: ipsi calcaneum meum obseruabunt.*	6 Congregabuntur, abscondentur: ipsi calcanea mea obseruabunt sicut expectarunt animam meam.
8 *Sicut sustinuerunt animam meam: pro nihilo saluos facies illos, in ira populos confringes.*	7 Super iniquitate euasio ipsis? in furore populos fac descendere Deus †. † *Dy.*
9 *Deus vitam meam annunciaui tibi: posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.*	8 Vagationem meam numerasti tu: pone lachrymam meam in vtre tuo, nonne in libro tuo?
10 *Sicut & in promissione tua: tunc conuertentur inimici mei retrorsum. In quacunque die inuocauero te: ecce cognoui quoniam Deus meus es.*	9 Tunc reuertentur inimici mei retro: in die qua vocabo, hoc sciui, quia Deus † mihi es. † *Dij.*
11 *In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem, in Deo speraui: non timebo quid faciat mihi homo.*	10 In Deo † laudabo verbum: in Domino ⁴ laudabo verbum. † *Dijs.* 11 In Deo † confisus sum: non timebo quid faciet homo mihi. † *Dijs.*
12 *In me sunt Deus vota tua: quæ reddam laudationes tibi.*	12 Super me Deus † vota tua: soluam confessiones tibi. † *Dij.*
13 *Quoniam eripuisti animam meam de morte, & pedes meos de lapsu: vt placeam coram Deo in lumine viuentium.*	13 Quia liberasti animam meam de morte: nonne pedes meos ab impulsu meo, ad ambulandum coram faciebus Dei † in luce viuentium? † *Deorum.*

COM

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Vincenti super columba muta elongationum Dauidi Michtham, apprehendentibus eum Phelistim in Gath.* Ex quo titulo manifesta apparet materia Psalmi: quòd scilicet tractat historiam scriptam 1. Reg. 21. quando Dauid in principio suæ fugæ à Saule, aufugit in Geth ciuitatem Philistinorum, putans se ibi securum manere: sed cùm cognitus fuisset à viris patriæ illius quòd ipse esset Dauid, tentus est & ductus ad conspectum regis Achis vt tanquam hostis qui tot Philistæos peremisset, iussu regis interficeretur: Dauid autem timens mortem simulauit se fatuum: & sic euasit.

Verùm titulus continet aliqua verba obscuriora. Vnde per *columbam mutam elongationum*, significatur qualitas Dauidis ad instar columbæ (animalis innocui) non gementis sed mutæ: silenter enim Dauid fugit & elongatus est vsque in regionem Philistinorum: & propterea dicitur *elongationum*. *Michtham* (vt in titulo Psalmi XVI. declaratum est) multiplici significatione exprimitur. Videtur mihi hoc in loco significare speciem cantici. Et moueor eâ ratione quia in toto titulo non aliter nominatur Psalmus, aut Canticum, aut Hymnus, aut laus: hinc enim coniicio quod per dictionem *Michtham* significatur quędam cantici species. Ita quòd sensus est: *Vincenti Michtham, tale canticum, super columba muta elongationum Dauidi, tenentibus eum Philisthæis in Gath.*

Michtham hic est species Cantici.

Et aduerte quòd Psalmus XXXIV. (scilicet, *Benedicam Dominum in omni tempore*) circa eandem fugam Dauidis habet titulum: sed ille Psalmus (vt ibi patuit) tractat gesta Dauidis post euasionem, iste tractat quæ contigerunt in comprehensione ipsius apud Gath.

SVMMARIVM EST.

Dauid comprehensus à Philistæis, recurrit ad Deum: & vbi illorum actiones cum periculo mortis suæ fiduciamque suam in Deo & præparationem cordis ad quodcunque dispositum à Deo proposuit, peregrinationem lachrymasque suas vna cum diuina sibi facta promissione commemorat, repetitâ confidentis animi præparatione: & exauditus, ad gratiarum actiones se accingit, &c.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. *Dauid captus à Philistæis.*

Miserere mei Deus. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *absorbuerunt.* Proponit duo: Alterum est: *Miserere mei Deus.* Alterum est causa: *quoniam absorbuit me homo, tota die pugnans coarctabit me.* In qua primum proponit capturam suam, qua tanquam absorbuerint eum ceperunt ipsum Philistęi: deinde modú quo continuè certabant Philistæi ad coarctandum Dauidem ad hoc vt caperetur & occideretur, quamuis hoc fuerit prius quàm captura.

Vbi aduerte quòd licet in historia libri Regum non dicatur explicitè Philistæos comprehendisse Dauidem: dicitur tamen implicitè, in hoc quòd narratur eos introduxisse Dauidem coram Rege: detentum enim introduxerunt, vt in hoc titulo explicatur.

Vers. 2. Absorbuerunt. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *absorbuit me homo.* Secundò illa, *tota die impugnãs*, ibi, *tota die verbis meis.* Tertiò illa, *Miserere mei Deus.* ibi, *vagationem meam.* Inchoat itaque à comprehẽsione qua detentus est à Philistæis. *Absorbuerunt*, me, more absorbentis detinuerunt me, *obseruatores mei totâ die.* Quamuis hoc ex historia libri Regum non clarè appareat, significatur tamen ibi ex hoc quòd dicitur: *Posuit autem Dauid sermones istos in corde suo* (scilicet quos Philistæi dicebant: *nonne iste est Dauid rex terræ? nonne huic cantabant: Saul percussit mille & Dauid decem millia:*) *& timuit valde*, Philistæos videns Dauid eos dixisse inter se hos sermones & obseruasse: tum vt pleniùs discernerent si ipse esset ille Dauid: tum ne fugeret: & propterea appellat eos obseruatores suos omni die, seu totâ die. Et conclusionem ipsam describit à multitudine: *quoniam multi impugnantes me.* In Hebræo habetur *mihi.* Disceptantibus siquidem Philistæis de recognitione vel de comprehensione (dubitantibus quibusdam an ipse esset Dauid, & asserentibus aliis quòd esset ipse: vel dicentibus quibusdam non esse capiendum, aliis autem esse capiendum) multitudo sentientium contra Dauidem præualuit. Et hoc videtur significare, *quoniam multi impugnantes me:* attribuit enim multitudini quòd absorbuerunt se obseruatores sui. Addit autem *ab excelso*: vt intelligas multos præualuisse ratione celsitudinis: hoc est, quòd tanquam zelantes pro rege impugnabant Dauidem. 1. Reg. 21. v. 12. & 11.

Descriptâ comprehensione quæ fuit actio Philistinorum, describit dispositionem suam tunc in tali articulo. *Die timebo, ego ad te confidam:* hoc est, in die qua timebo, vtpote comprehensus naturali timore afficiar, non sic timebo quòd desperem, sed ad te confidam: sic quòd *in Deo laudabo verbum eius*, id est, quicquid faciet, quicquid disponet de me: *in Deo confisus sum non timebo quid faciet caro mihi.* Aduerte duplicem hominis partem: naturalem, secundùm quàm dixit, *timebo:* diuinam, secundùm gratiam fidei in Deo. Secundùm quam *non timebo quid faciet mihi caro* vniuersa, id est, carnalis homo.

Vers. 5. Tota die. Tractatur hîc illa particula, *tota die impugnans coarctabit me.* Descriptâ siquidem comprehensione vltimò factâ, describuntur præludia comprehensionis. *Tota die verbis meis*, hoc est, gestis meis præclaris: & etiam verbis meis, in gloriam meam dictis: (*percussit Saul mille & Dauid decem millia*) *contristabunt*, supple me. Ad literam enim (vt dictum est) huiusmodi verba commemorata à Philistæis, tristitiam & mœrorem ingesserunt Dauidi. Dixit autem *contristabunt* in futuro, id est, perseuerabunt contristando. *Super me omnes cogitationes eorum ad malum*, vt intelligas & cogitationibus malignis, & verbis contra ipsum processisse. In Hebræo habetur *malo* in datiuo: sed congruitas mutauit adiunctâ præpositione *ad.* Nec his solis, sed *congregabuntur*, simul ad discernendum seu custodiendum, *abscondentur*, abscondent seipsos officio explorandi: *ipsi calcanea mea obseruabunt sicut expectarunt animam meam*, vitam meam: hoc

hoc est, continuabunt congregationes & absconsiones & obseruationes gressuum meorum, venientes post me ad similitudinem expectantium perdere vitam meam. Hæc de præludiis.

Duplex lectio.

Sequitur vindicta. *Super iniquitate euasio ipsis.* Dupliciter legitur hæc litera: Primò interrogatiuè, & tunc est vox Dauidis clamantis ad Deum vt tanta iniquitas non euadat inulta: *super iniquitate*, tali ac tantâ, erit ne *euasio ipsis*, Philistæis? Vnde & subdit vindictam: *in furore populos fac descendere Deus*: hoc est, *in furore* tuo *fac populos* istos *descendere*, ruere. Aliter legitur assertiuè: *super iniquitate euasio ipsis*: hoc est, si ratione commissæ iniquitatis aliqui confugiunt ad istos, euadunt, securi sunt apud istos: ego autem absque vlla iniquitate confugiens non inuenio euasionem apud ipsos: intendit enim id quod communiter accidit, scilicet, peregrinos ob alibi commissas iniquitates securos esse in aliena patria. Et hoc dicit ad exaggerationem nequitiæ Philistinorum contra se. *Super iniquitate*, commissa alibi, *euasio*, inuenitur, *ipsis*, Philistæis, apud ipsos: super me innocente non: & propterea *in furore populos fac descendere Deus.*

Varia Dauidis latibula dum fugeret Saulem.

Vers. 8. VAGATIONEM MEAM. Tractatur hîc illa particula, *Miserere mei Deus*, tali ordine. Primò rationes miserendi tanguntur tres. Prima: *vagationem meam numerasti tu.* In qua significatur cura Dei circa fugam ipsius Dauidis, numerando quæque loca & latibula eiusdem in hac fuga: nam primò in domo, deinde in Naioth, inde cum Ionatha, postea in Nobe, & demum in Geth vagatus est. Secunda: *pone lachrymam meam in vtre tuo*, ne aliqua pereat. In qua petit: lachrymosam orationem vel potius tot pericula & mala digna compassione & lachrymis recondе in vtre tuo, considera omnia mala quæ passus sum. Tertia: *nonne in libro tuo?* melius dicam: pone omnia in libro tuo: hoc est in immobili dispositione tua quam fecisti de me, tanquam scripseris in libro tuo quòd facies me regem. Et hæc est præcipua ratio miserendi. Et propterea statim infert effectum intentum: *Tunc*, cùm pones hæc in libro tuo, cùm rationem habebis firmæ dispositionis tuæ, *reuertentur inimici mei retro*, quod rei probauit euentus: nã retrocesserunt à cœpto officio interficiendi Dauidem Philistæi.

Secundò describit dispositionem propriam quatenus est recurrens ad Deum: *In die vocabo*, hoc est, in die qua in qua inuocabo te, *hoc scivi*, certitudine fidei, *quia Deus mihi*, supple tu es. Vbi fiduciam eius in Deo, descriptam vides. Ac per hoc *in Deo laudabo verbum* id est, quodcunque disposuerit de me: *in Domino* rursus *laudabo verbum.* Non suffecit dixisse *in Deo*, sed eandem sententiam repetiit *in Domino*: tum vt intelligas præparationem animi firmam ad laudandum quicquid Deus fecerit de ipso: tum vt Deũ intelligas eum qui ab Hebræis vocatur Dominus. *In Deo confisus sum, non timebo quid faciet homo mihi*, faciat quicquid potest. Repetitio autem huius versiculi in hoc eodem Psalmo ideo facta est, vt intelligas gratam ac acceptam coram Deo fuisse hanc animi præparationem: & ideò inter causas exauditionis repetendo connumerari.

Tertiò exauditus gratias agit: *Super me Deus vota tua*, supple sunt: super me, inquit, non sub me, vt supremo loco mentis suæ recondita vota Dei, desideria, fiducia, amor, debita, &c. *soluam confessiones*, laudis, *tibi. Quia liberasti animam meam de morte*, hoc est, vitam meam de periculo mortis, *nonne pedes meos ab impulsu meo?* Metaphorica est locutio satis ad propositum: fugientes enim periclitantur tum ne occidantur, tum ne labantur in via, impulsi ab insequentibus. Iuxta hanc metaphoram affirmat etiam pedes suos liberatos ab impulsu suo, velut facto ab insequentibus: vt intelligas plenam liberationem Dauidis in tota ipsius fuga. Et subdit fructum propter quem liberatus est: *Ad ambulandum coram Deo in luce viuentium*, ad hoc enim Deus liberauit Dauidem vt ambularet coram Deo, hoc est perfectè, vt decet ambulantem in conspectu tanti principis: iuxta illud: *ambula coram me, & esto perfectus. In luce*, non in tenebris, in operibus lucis ad exemplum aliorum viuentium fide: hoc est in lege Hebræorum, qui soli tunc erant viuentes fide. Quod & postea opere Dauid adimpleuit. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori vt non disperdas Dauid humilem & simplicem, quando fugit à facie Saul in speluncam.*	Vincenti, ne disperde, Dauidi Michtham: fugiente ipso à faciebus Saulis in speluncam.
LVI.	LVII.
2 *MISERERE mei Deus miserere mei: quoniam in te confidit anima mea.*	1 *Propheta.* MISERERE mei Deus † miserere mei: quoniam in te sperauit anima mea, & in vmbra alarũ tuarum protegar, (anima mea) donec transibit confractiones. † *Dij.*
Et in vmbra alarum tuarum sperabo: donec transeat iniquitas.	
3 *Clamabo ad Deum altissimum: Deum qui benefecit mihi.*	2 Vocabo ad Deum † excelsum: Deum complentem super me. † *Dijs.*
4 *Misit de cælo & liberauit me: dedit in*	3 Mittet de cœlis & saluabit me, (in) opprobrium

opprobrium conculcantes me.
5 *Misit Deus misericordiam suam & veritatem suam,& eripuit animam meam de medio catulorum leonum: dormiui conturbatus.*
Filij hominum dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus.

6 *Exaltare super cœlos Deus: & in omni terra gloria tua.*
7 *Laqueum parauerunt pedibus meis: & incuruauerunt animam meam.*
Foderunt ante faciem meam foueam: & ipsi inciderunt in eam.
8 *Paratum cor meum Deus paratum cor meum: cantabo & psalmum dicam.*

9 *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo.*

10 *Confitebor tibi in populis Domine: & psalmum dicam tibi in gentibus.*
11 *Quoniam magnificata est vsque ad cœlos misericordia tua: & vsque ad nubes veritas tua.*
12 *Exaltare super cœlos Deus: & super omnem terram gloria tua.*

probrium absorbenti me. *Selah.*
Mittet Deus † gratiam suam & veritatem suam. † *Dij.*
4 Anima mea in medio leopardorum (tamen) iacebo inflammantium (est): filij Adam (tales sunt) dentes eorum lanceæ & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.
5 Exaltare super cœlos Deus †: super tota terra honor tuus. † *Dij.*
6 Rete parauerunt gressibus meis, incuruata est anima mea: foderunt faciebus meis foueam, ceciderunt in medium eius. *Selah.*
7 Paratum cor meum Deus †, paratum cor meum: cantabo & psallam. † *Dij.*
8 Expergiscere honor meus, expergiscere viola & cithara: excitabo auroram.
9 Confitebor te in populis Domine †: & cantabo te in gentibus. † *Domini mei.*
10 Quia magna vsque cœlos gratia tua: & vsque cœlos veritas tua.

11 Exaltare super cœlos Deus †: super tota terra honor tuus (exaltetur). † *Dij.*

COMMENTARIVS.

Materia. Titulus est, *Vincenti, ne disperde, Dauidi Michtham, fugiente ipso à faciebus Saulis in speluncam.* Ex quo titulo habetur materia Psalmi: historia scilicet scripta 1.Reg.24. quando Saule persequente Dauidem cum tribus millibus hominum, Dauid abscondit se in spelunca donec transiret impetus Saulis: & cùm Saul eandem ingressus speluncam pro alui purgatione nesciens ibi latère Dauidem & suos, cognitus à Dauide & suis in secretiori parte speluncæ latentibus potuisset ab illis occidi, noluit Dauid quòd occideretur Saul: sed præcisa parte chlamydis eius silenter in testimonium quòd potuisset illum occidere, permisit eum ire viam suam: & postea cùm paulùlum progressus esset Saul, exiuit Dauid, & clamauit ad Saulem monstrans illi suam innocentiam & mansuetudinem: sicque conuictus Saul destitit pro tunc à persecutione Dauidis. Hæc historia est materia Psalmi; ita quòd introducitur Dauid petens à Deo ne se disperdat. Quod autem additur in titulo *Michtham*, intelligo eadem ratione sicut in titulo præcedentis Psalmi: scilicet speciem cantici: non enim aliter exprimitur hîc Psalmus aut Canticum.

SVMMARIVM EST.

Dauid fugiens in speluncam à facie Saulis, recurrit ad Deum confidens in eo: & vbi Saulem incidentem in suas manus noluit ob diuinam reuerentiam occidi, quamuis eius milites anhelarent ad hoc, conuicit Saulem diuina gratia & veritate: & accelerationem promissi regni ad diuinæ gloriæ augmentum petit.

Persona loquens Propheta est.

Miserere mei Devs. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *vocabo.* Proponit tria. Primum petit bis misericordiam, iuxta duas causas periculi: *Miserere mei Deus miserere mei.* Secundò proponit spem suam in Deo: quoniam in te non in homine, non in latebris speluncæ, sed in te *sperauit anima mea.* Tertiò securitatem de effectu: *& in vmbra alarum tuarum protegar donec transibit*, anima mea, *confractiones.* Vbi vtitur metaphorâ pullorum gallinæ, qui proteguntur sub alis parentis donec transeant pericula milui. Iuxta hanc enim metaphoram securus dicit se protegendum sub alis Dei donec transeat anima sua confractiones quas quærit efficere Saul. Vbi aduerte quòd aduerbium *donec* non respicit tantùm tempus persecutionis illius, sed totum tempus quamdiu durarent persecutiones Saulis. Et sumpsit occasionem extendendi materiam Psalmi huius ad totum persecutionis tempus ex verbis Saulis prædicentis ad Dauidem, *scio quia regnaturus es in Israel.*: hinc enim & hîc Dauid proponit & in calce Psalmi exequitur futurum VERS. I. *Securitatem suam indicat metaphorâ pullorum sub alis gallinæ à miluo se abscondentium.*

tum

rum suum regnum ex diuina gratia.

Vers. 2. Vocabo ad Deum. In Hebræo habetur *Deo* in datiuo. Incipit hic pars executiua tali ordine. Primùm tractatur illa particula, *quoniam in te sperauit*. Secundò illa, *miserere mei*, ibi, *anima mea in medio leopardorum*. Tertiò illa repetita, *Miserere mei*, ibi, *rete parauerunt*. Quartò illa, *& in vmbra*, &c. ibi, *paratum cor meum Deus*.

Declarat itaque spem suam in Deo ex perseuerantia recurrendi ad Deum cum certa expectatione effectus. Perseuerantiam quidem significat: *Vocabo ad Deum excelsum, Deum complentem super me.* Recurrit ad Deum quia est super omnia excelsus, & quia completurus est promissa sibi: hæc enim duo nutriunt spem. Certam autem expectationem effectus significat. *Mittet de cœlis*, nunc in ista necessitate, *& saluabit me opprobrium absorbenti me:* hoc est in opprobrium Sauli absorbenti me, qui venerat ad absorbendum me: non enim qualitercunque sed in testimonium probri proprij ipsi Sauli Deus liberauit me: conuictus namque est tunc Saul quòd iniquè insequebatur Dauidem.

Quid autem mittet, eodem versiculo suppler: *Mittet Deus gratiam suam*, gratuitò non ex meritis, *& veritatem suam.* Iuxta historiam misit Deus & gratiam & veritatem ad liberationem Dauidis: nam inspirauit Dauidi vt gratiam faceret Sauli, non interficiendo ipsum in spelunca: & nihilominus misit *gratiam* in animam Dauidis, seruando ipsum ne poneret manus in Christum Domini. *Veritatem* quoque misit, quâ cognita est euidentissimè innocentia Dauidis simul cum eius mansuetudine: ita quòd coactus est ipse Saul à veritate fateri Dauidem innocentem, & seipsum malè fecisse.

Vers. 4. Anima mea in medio leopardorum. Tractatur hîc primum *miserere:* declarando periculi causam ex propriis militibus. Iuxta historiam milites existentes in spelunca cum Dauide fremebant ad necem Saulis, intantum quòd oportuit Dauidem compescere eos. Et propterea assimilat milites suos leopardis festinantibus ad prædam. Et mansuetudinem suam inter eos significat, dicendo: *iacebo*, non surgam ad efficiendum quod volunt. Nec solùm appellat eos leopardos sed *inflammantes*, quia inflammabant, incitabant Dauidem ad occidendum Saulem vel ad permittendum vt ipsi occiderent. Vnde in genere secundùm commune vitium hominum huiusmodi inflammatorum ad vindictam, describit eosdem. *Filij Adam*, tales sunt quòd *dentes eorum*, velut ad mordendum, sunt *tanquam lanceæ*, propè percutientes, & *sagittæ*, eminus vulnerantes, *& lingua eorum gladius acutus.* Per quæ omnia sub genere intendit describere vehementiam verborum impellentium ad occisionem Saulis. Bonitatem autem propriam insinuat, referendo bonum opus suum in diuinam laudem: *Exaltare tu super cœlos existens Deus*, non exalter ego: ita quòd *super tota terra honor tuus*, sit. Implicitè siquidem per hoc intendit quod sancti viri post gesta præclara opera dicunt aliis verbis: *non nobis Domine non nobis, sed nomini tuo da gloriam.* Et scripsit hoc, vt sciat mundus quòd intuitu Dei noluit quòd Saul occideretur. Littera ordinanda est sic: *Anima mea in medio leopardorum inflammantium*, supple constituta est, *& tamen ego iacebo*, non surgam ad vindictam.

Milites suos leopardis festinantibus ad prædam comparat Dauid.

Vers. 6. Rete parauerunt. Tractatur hîc alterum *miserere:* exponendo alteram causam periculi (hoc est persecutionem Saulis) sub metaphora venatorum parantium rete & foueam ad capiendum animalia: vt si euaserint rete, incidant in foueam ex qua non possint exire. Effectus autem huiusmodi venationis describitur, primò quantùm ad rete: *& incuruata est anima mea.* Secundò quantùm ad foueam: *& ceciderunt in medium eius.* Et intendit quòd Saule parante rete, hoc est disponente capere Dauidem diuersis viis, secutus est iste effectus: scilicet quòd vita Dauidis est incuruata, deiecta à suo statu, vt patet, sed cùm Saul iam foueam mortis effodit, persequendo eum tot millibus Dauidem, ipse Saul incidit in eam: nam incidit in manus Dauidis potentis ad libitum ipsum occidere: per hoc enim manifestè incidit in foueam mortis.

Venatoribus hostes suos similes facit.

Vers. 7. Paratum cor meum. Tractatur hîc illa particula, *protegar in vmbra alarum tuarum donec transibit confractiones*, supplicando pro acceleratione: ne scilicet multum duret illud *donec*. Et vt percipiamus quàm perfecta erat charitas Dauidis in Deum, petens accelerationem regni (quod ipse Saul tunc professus est futurum: *scio quòd certissimè regnaturus sis & habiturus in manu tua regnum Israel*) non petit quærens quæ sua sunt sed quæ Dei. Et propterea rationem assignat ex parte eorum quæ spectant ad Dei gloriam. Et intendit quòd quia habet cor paratum ad exercendum se in diuinis laudibus (*paratum cor meum Deus*, iterum ad firmitatis expressionem *paratum cor meum*, ad hoc scilicet *cantabo & psallam laudes* tuas supple) ideo *expergiscere*, more excitantis se à somno, *expergiscere honor meus:* hoc est, monstra te rationem honoris mei, sis mihi tu in quo honorer: *expergiscere viola & cithara*, sis mihi tu ratio gaudij in viola & cithara: hoc est, in instrumentis musicis: *& ego excitabo auroram:* hoc est, ero solicitus & celer sicut qui præuenit auroram. Et ecce ad quid excitabo auroram: *Confitebor te in populis Domine*, quando assecutus ero regnum: *& cantabo te in gentibus.* Quod adimpleuit scriptura Psalmorum. Et ecce materia confessionis & cantus. *Quia magna vsque cœlos gratia tua, & vsque cœlos veritas tua.* Dictio Hebraica dicitur quòd significat primâ vice cœlos superiores, & secundâ cœlos inferiores. Prouidentiam diuinam secundùm easdem vias (scilicet gratiæ & veritatis) explicat in vniuersis cœlis esse. & non solùm in terra. Et propterea dicit vtramque esse magnam vsque ad cœlos inclusiuè. Et hoc contra illos qui cœlestia omnia naturæ tribuunt, à diuina gratia cœlos eximentes. Et vbi se paratum aperuit & laudes promisit, supplicat vt magnificetur diuinus honor. *Exaltare super cœlos existens Deus*, sic quòd *super tota terra honor tuus* sit. Et dixit hoc vt regnum sibi Dauidi promissum cedat in exaltationem Dei regnantis in cœlo: exaltationem autem non in seipso Deo, sed in honore eius per vniuersam terram. Amen.

Quàm perfecta charitas Dauidis.

1. Reg. 24. 21

PSAL

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori ne disperdas Dauid humilem simplicem.*

LVII.

2 SI *verè vtique iustitiam loquimini: rectè iudicate filij hominum.*

3 *Etenim in corde iniquitates operamini: in terra iniustitias manus vestræ concinnant.*

4 *Alienati sunt peccatores à vulua: errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa.*

5 *Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ obturantis aures suas.*

6 *Quæ non exaudiet vocem incantantium: & venefici incantantis sapienter.*

7 *Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum: molas leonum confringet Dominus.*

8 *Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens: intendit arcum suum donec infirmentur.*

9 *Sicut cera quæ fluit auferentur: supercecidit ignis & non viderunt solem.*

10 *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum: sicut viuentes, sicut in ira absorbet eos.*

11 *Lætabitur iustus cùm viderit vindictam: manus suas lauabit in sanguine peccatoris.*

12 *Et dicet homo, si vtique est fructus iusto, vtique est Deus iudicans eos in terra.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti, ne disperde, Dauidi Michtham.

LVIII.

1 *Propheta.* AN verè vtique iustitiam loquemini: rectitudines iudicabitis filij Adam?

An

2 Etiam in corde iniquitates operabimini, in terra iniquitatem manuum vestrarum appendetis?

à bono

3 Alienati sunt iniusti à vulua: errauerunt ab vtero loquentes mendacij.

4 Venenum ipsis secundùm similitudinem veneni serpentis: sicut aspidis surdæ quæ obturabit aurem suam.

5 Quæ non audiet vocem † mussitantium: incantantis incantationes sapientis effecti. † voci.

6 Deus † dirue dentes eorum in ore eorum: molares leunculorum dirue Domine [4]. † Dij.

7 Liquescent quasi aquæ, ibunt sibi: si tendet sagittas suas sicut concidentur.

sicut

8 Quasi limax liquidus ibit, abortiuum mulieris: quæ non viderunt solem.

9 Antequam germinabunt spinæ vestræ rhamnum: quasi viuo, quasi ira tempestas ipsis erit.

10 Lætabitur iustus quoniam vidit vltionem: gressus suos lauabit in sanguine iniusti.

est

11 Et dicet homo. *Vox humana.* Verè de numero fructus iusto, verè est Deus † iudicantium in terra. † Dij.

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Vincenti, ne disperde, Dauidi Michtham.* Et patet titulus ex Psalmo præcedenti, in quo est idem titulus, exceptâ historiâ speluncæ.

Materia. Circa materiam Psalmi aduerte quòd illa particula tituli, scilicet, *ne disperde.* arctat materiam Psalmi ad Dauidem timentem disperdi: nisi enim in titulo esset illa particula, cùm Dauid in hoc Psalmo alloquatur filios Adã (vt testatur primus versiculus) & reliquũ Psalmi de iniustis & iusto in genere loquatur, nõ haberemus vnde Psalmus iste determinaretur ad aliquam rem gestam: sed intelligeretur in communi de iustis & iniustis hominibus tractare. Sed illa particula supplicans ne disperdatur Dauid, aperit nobis quòd Psalmus iste tractat de Dauide subiecto periculo perditionis.

De

De quo autem periculo perditionis tractetur non explicatur: sed ex Psalmo oportet conijcere. Clarè autem patet ex hoc quòd iniustos alloquitur, & in calce innuit appellare se iustum, non tractari hîc periculum quod passus est tempore Absalom: sed apparet tractari periculum eius tempore Saulis: quoniam in hoc ipse Dauid erat iustus, Saul autem & sui iniusti. Et quamuis multo tempore durauerit periculum perditionis huiusmodi, principium tamen Psalmi insinuat tractari hîc tempus post visam mansuetudinem Dauidis in spelunca: quando scilicet Saul cum suis velut recidiuam incurrit iniquitatem ad iterum persequendum Dauidem, quem professus fuerat iustum visâ mansuetudine eius in speluncâ. Prima siquidem medietas Psalmi hæc clarè sonat. Vnde ad literam materia Psalmi istius est recidiua iniquitas Saulis post expertam mansuetudinem Dauidis.

Recidiua iniquitas Saulis iterum Dauidem persequentis.

SVMMARIVM EST.

Saulem cum suis quamuis conuictum ex mansuetudine exhibitâ ei in spelunca, vbi Dauid interrogauit an verè in suo dicto perseuerabunt, an iterum persequentur eum, describit eorum malitiam naturalem sicut venenum aspidis: recurritque ad Deum pro remedio: & obtento remedio liquefactionis, &c. predicit & vindictam in Saulem & suam lætitiam cum publico testimonio diuini iudicij.

Persona loquens est Propheta: recitans tamen in calce vocem hominis.

VERS. 1. AN VERE VTIQVE IVSTITIAM LOQVEMINI. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi *alienati sunt*. Proponit Dauid Sauli & suis quæstionem an in veritate dicant iustitiam Dauidis, an adhuc & corde & opere sint ipsum persecuturi? Vbi quantùm ad literam aduerte omnia verba horum duorum versiculorum in Hebræo esse futuri temporis, numeri pluralis, secundæ personæ, scilicet, *loquemini*, *iudicabitis*, *operabimini*, *appendetis*. Et propterea vnicâ ordinatione intelligenda apparent. Quo fit vt aduerbium interrogatiuum in primo versiculo intelligatur etiam præpositum secundo versiculo. Ita quòd litera est talis: *An verè vtique iustitiam loquemini, rectitudines iudicabitis filij Adam?* an etiam seu adhuc *in corde iniquitates operabimini, in terra iniquitatem manuum vestrarum appendetis?* Vbi clarè patet interrogatio disiunctiuè. *An verè*, certa veritate, *loquemini iustitiam*, perseuerabitis affirmando iustitiam meam? & similiter *indicabitis*, id est, perseuerabitis iudicando, *rectitudines meas ô filij Adam?* Generali nomine & occultauit hostes, & reduxit ante oculos rationale genus. An *etiam* post professionem meæ iustitiæ, *operabimini iniquitates*, contra me, *in corde*, deliberando me persequi iterum? & an *appendetis iniquitatem manuum vestrarum in terra*, non solùm corde sed opere me persequemini? Appellat autem futuram denuò persecutionem appensionem iniquitatis manuum ipsorum: quoniam persecutio illa ex vna parte, & prior retrocessio à persequendo ex visa iustitia Dauidis ex altera parte, si appenderentur in statera, appareret quòd hæc noua persecutio est iniquitas manuum ipsorum: hoc est, iniquitas conuicta ex propriis operibus. Et hoc *in terra*, publicè. Aduerte quoque quòd illud aduerbium *vtique*, non significat integrè significatum dictionis Hebraïcæ, significantis affirmationem cum certitudine.

Hostes suos sub generali nomine occultat Propheta.

Vers. 3. ALIENATI SVNT. Incipit hîc pars executiua, tali ordine. Primò tractatur affirmatio secundæ partis interrogatorij quòd scilicet denuo sunt ipsum persecuturi. Secundò tractatur remedium, ibi, *Deus dirue*: tertiò tractatur vindicta, ibi, *antequam*. Circa primum declarat Propheta malitiam Saulis & suorum eis congenitam. *Alienati sunt iniusti.* Loquitur de eis tanquam de tertiis personis: *alienati sunt*, à bono iustitiæ, *à vulua*, hoc est, ex tempore quo concepti sunt in matrice: *errauerunt*, à veritate, *ab vtero*, ex quo nati sunt, *loquentes mendacij*, vnum dicunt & aliud faciunt. Quod potest tripliciter intelligi. Primò in relatione ad diuinam reprobationem: iuxta illud: *Antequam nascerentur dictum est, Iacob dilexi, Esau odio habui.* Et sic esset sensus quòd ideo sunt ita iniqui quia sunt reprobi. Secundò referendo ad congenitas inclinationes ad malum: nam sicut Iob dicit quòd *ex vtero matris meæ creuit mecum miseratio*, ita è conuerso nascuntur aliqui inclinati ad furtum, aliqui naturaliter mendaces, & sic de aliis. Tertiò vt sit locutio metaphorica ad exaggerandum eorum malos habitus: quia scilicet assueti & habituati sunt ad iniquè agendum: vt hoc significetur ex coæuitate: iuxta humanum loquendi morem quo assuetos semper ad malum dicimus quòd sunt nati mali, quòd ex vtero matris suæ secum tulerunt malitiam. Et quouis modò verificari eligas, intentio Prophetæ est dicere quòd iniquitas est eis velut res naturalis.

Rom 9.13.

Iob 31.18.
Inclinationes variæ vel ex matris vtero.

Et vt intelligas magis huiusmodi naturalitatem, subiungit exemplum accommodatissimum proposito de veneno naturali aspidis. Aspis enim habet venenum naturale: & cum hoc quòd est ei naturale, præsente incantatore desistit quidem ab actu venenandi, non tamen ab habendo venenum: immo ne perdat posse venenare, obturat autem suam. Tale intendit esse venenum Saulis & suorum: qui etsi ad tempus præsente voce Dauidis mansueti (nolentis scilicet occidere Saulem) destiterunt persequi, non tamen perdiderunt venenum: sed tanquam obturantes aures suas ne vox illa penetret intima cordis eorũ, postquam pertransiit velut tempus vocis incantatoris, iterum redeunt ad venenum persecutionis. Hic est sensus literalis: *Venenum ipsis*, Sauli & suis, *secundum similitudinem veneni serpentis*. Et declarando cuius serpentis: *sicut aspidis surdæ*, non naturâ aut ægritudine, sed quia *obturabit aurem suam*, caudâ & terrâ vt aiunt. *Quæ non audiet vocem mussitantium*, hoc est, incantatorum submissè verba incantationis proferentium, & explicat: *incantantis incantationes sapientis effecti*, id est, hominis effecti sapientis in arte incantandi. Vbi aduerte quòd dictio Hebraica sonat quod interpretes circumloquuntur dicendo *sapientis effecti*: quod si Latina lingua permitteret dicendum esset *sapientificati*. Et in Hebræo habetur *voci* in datiuo.

Aspis coram incantatore obturat aurem suam, ne vim sui veneni perdat.

Vers. 6. DEVS DIRVE. Verificatâ iniquitate nouæ persecutionis à Saule, tractat hîc Propheta remedium dupliciter. Primò supplicando vt prouideat destruendo dentes eorum, & leunculorum, hoc est, catulorum leonum. Ex qua metaphora significatur quòd loquitur de dentibus secundùm

Saulem & eius sequaces leonibus assimilat.

secundùm officium mordendi seu vorandi: ad hoc enim sunt molares leonum. Ac per hoc nihil aliud petit nisi vt tollat voracitatem Saulis, & suorum, sub metaphora destructionis dentium: quod est efficere ne vorent ipsum Dauidem. *Deus dirue*, quæso *dentes eorum*, voracitatem eorum, *in ore eorum*, antequam vorent: *molares leunculorum*, sequacium Saulis, *dirue Domine*.

Secundò prophetat remedium futurum: *Liquescent quasi aqua, ibunt sibi*, &c. Vbi quinque actionibus (inter quas sunt quatuor metaphoræ) describit remedium adhibitum nouæ persecutioni. Et quia describit in futuro, signum est prophetiæ: hoc est, quòd Dauid fecerit hunc Psalmum ante rem gestam. Iuxta historiam siquidem Saul quamuis expertus fuisset mansuetudinem Dauidis in spelunca, & professus fuisset eum iustũ, nihilominus (vt patet 1. Reg. 26.) iterũ exiuit ad persequendum Dauidem in desertum Ziph cum tribus millibus virorum; & tunc Dauid Deo immittente soporem Sauli & suis, venit silenter nocte in tentorium Saulis: & noluit quòd occideretur ab Abisai illum comitante, sed accepit lanceam & vrceum aquæ inde iuxta caput Saulis: & cùm ascendisset montem cœpit clamare ad Abner: & breuiter iterum conuicit Saulem suâ innocentiâ & mansuetudine: & sic Saul conuictus rediit, & destitit vltrà persequi Dauidem. Hæc res gesta, hic modus desistendi à persecutione, prophetatur hîc. *Liquescent quasi aqua* (visâ quippe iterum mansuetudine Dauidis, corda eorum dura oportuit liquefieri) & ipsi ad similitudinem aquarum defluentium ex eo quòd liquefiunt ruent, *ibunt sibi*, hoc est, reuertentur ad propria, sicut aquæ liquescentes fluendo deficiunt: *tendet sagittas suas sicut concidentur*. Metaphora secunda est à tendentibus arcum ad sagittandum si tendendo frangerentur sagittæ: vana quippe esset omnis huiusmodi tentio. Simile prophetat euenturum Sauli: quoniam omnes conatus suos tendet ac si frangerentur: ita siquidem res gesta probauit: concisi sunt enim omnes conatus eius à mansuetudine Dauidis.

Dauid nocte accipiens lãceã & vrceũ ad caput Saulis dormientis iterũ abstinet ab occidendo ipsum Saulẽ.

Quasi limax liquidus ibit, abortiuum mulieris, non viderunt solem. Duas metaphoras simul affert ad describendum vanum exitum huiusmodi persecutionis. Prima metaphora sumitur à limace nudo, seu potius ab animali impatiente solis: quod scilicet liquescit ad solem. Altera metaphora sumitur ab abortiuo mulieris. Et penès quid intelligenda sit metaphora vtraque significatur subiungendo in numero plurali: *non viderunt solem*. Vtrumque tam animal illud quàm abortiuum priuatum est visione solis: vt intelligas quòd Saul in hoc persequendi officio assimilatur & abortiuo mulieris (dum tanto tempore concepit & nisus est parere mortem Dauidis, & tandem velut aborsus est: quia vanè conatus est) & animali liquescenti ad solem, pro quanto cùm peruenit ad claritatem ex parte mansuetudinis Dauidis velut liquefiebat; dissoluebatur enim animus eius.

Limax impatiens est solis, liquescit enim ad calorem eius.

Vers. 9. ANTEQVAM GERMINABVNT SPINÆ VESTRÆ RHAMNVM. Describitur hic propheticè tam vindicta diuina in Saulem quàm præmium Dauidis cum publico testimonio diuinæ laudis. Vindicta quidem secundùm metaphoram partim sumptam ex rhamno, & partim ex tempestate destruente virentia & viuentia. Rhamnus vt dicitur Iudic. 9. electus in regem arborum, ignem ex seipso comminatus est: & vt Iosephus dicit lib. 5. Antiquitat. cap. 8. hoc genus ligni naturam habet proferendi ignem. Ita quòd per rhamnum intelligit Propheta Saulem regem, non qualitercunque, sed secundùm officium emittendi ignem ad deuorandum Dauidem. Et intendit apostrophando ad complices Saulis, maledictos, 1. Regum 26. quòd *antequam spinæ vestræ*, vestri aculei instigantes Saulem contra me perueniant ad hoc quòd efficiant ipsum rhamnum, consumptorem mei, veniet ira Dei consumens Saulem viuum sicut tempestas destruit teneras fruges. Et hoc fuit ad literam adimpletum: quia antequam Saul induceretur tertiò ad persequendum Dauidem, concisus fuit velut à tempestate à sagittariis Philisthinorum, & adhuc viuus proprio gladio se interemit. *Antequam germinabunt spinæ vestræ*, acutæ suasiones vestræ, *rhamnum*, ad consumendum me: *quasi viuo*, Sauli, *quasi ira tempestas ipsis erit*. Vbi scito quòd Latina lingua non patitur verbum verbo reddere: dicendum enim esset *tempestabit*.

Vindicta diuina de Saule.

Rhamnus, Saul.

Gaudium verò Dauidis subiungitur: *Latabitur iustus*, Dauid (de seipso tanquam de tertia persona loquitur) *quoniam vidit vltionem*. Vbi bene nota quòd non dicit iustum lætari de malis peccatorum, sed de vindicta: vindicta enim est bonum morale: nam vindicare est actus iustitiæ vindicatiuæ, & est actio quæ attribuitur Deo, cui nulla mala actio attribui potest. Itaque lætari de vindicta est lætari de bono iustitiæ. *Gressus suos lauabit in sanguine iniusti.* Locutio est hyperbolica: ac si tanta sit effusio sanguinis in vindicta vt gradientes lauent pedes suos in sanguine sparso in terra. Sicut enim gradientes in loco aquoso dicuntur lauare pedes suos in aqua, ita gradientes in loco sanguinolento dicuntur lauare pedes suos in sanguine. Et significatur tum plenitudo vindictæ: tum plenitudo satietatis iusti. Nec mireris si tanta lætitia describitur circa vindictam: quoniam sicut temperatus gaudet temperatis operibus, & prudens prudentibus, & liberalis liberalibus, ita iustus gaudet iustis operibus: inter quæ est vindicta. Per huiusmodi autem lætitiam intellige ad literam lætitiam Dauidis quam post diuinam vindictam in Saulem habuit de exaltatione diuinæ iustitiæ, quam comitata est lætitia proprij regni.

Præmiũ Dauidis.

Vindicta est bonũ morale: vindicare enim est actus iustitiæ vindicatiuæ.

Vnde postremò publicum prophetatur testimonium. *Et dicet homo*, videns Saulem punitum & Dauidem exaltatum: *verè fructus est iusto*, Dauidi, quoniam velut fructum mansuetudinis & bonitatis suæ assecutus est regnum, *verè est Deus iudicantium in terra*, hoc est, verè Deus est de numero iudicantium in terra, quod multi negant: quasi Deus non exerceat iudicia in terra, sed *circa cardines cæli perambulet & nostra non consideret*. Ita quòd dicit confitebitur homo quòd est fructus iusto: quia non soli homines sunt iudices in terra, sed verè Deus est etiam exercens iudicia in terra: reddendo quandoque in terra iusto fructum iustitiæ & iniquo fructum iniquitatis. Amen.

Deus in terra iudicat.

Iob 22.14.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori ne disperdas Dauid humilem & simplicem quando misit Saul & custodiuit domum eius vt eum interficeret.*

LVIII.

2 *ERIPE me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgentibus in me libera me.*

3 *Eripe me de operantibus iniquitatem: & de viris sanguinum salua me.*

4 *Quia ecce ceperunt animam meam: irruerunt in me fortes.*

5 *Neque iniquitas mea, neque peccatum meum Domine: sine iniquitate cucurri & direxi.*

6 *Exurge in occursum meum & vide: & tu Domine Deus virtutum Deus Israël.*

Intende ad visitandas omnes gentes: non miserearis omnibus qui operantur iniquitatem.

7 *Conuertentur ad vesperam: & famem patientur vt canes, & circumibunt ciuitatem.*

8 *Ecce loquentur in ore suo & gladius in labijs eorum: quoniam quis audiuit?*

9 *Et tu Domine deridebis eos: ad nihilum deduces omnes gentes.*

10 *Fortitudinem meam ad te custodiam,*
11 *quia tu Deus susceptor meus es: Deus meus misericordia eius praeueniet me.*

12 *Deus ostendet mihi super inimicos meos: ne occidas eos, nequando obliuiscantur populi mei.*

Disperde illos in virtute tua & depone eos: protector meus Domine.

13 *Delictum oris eorum, sermonem labiorum ipsorum: & comprehendantur in superbia sua.*

14 *Et de execratione & mendacio annunciabuntur in consummatione: in ira consummationis & non erunt.*

Et scient: quia Deus dominabitur Iacob & finium terrae.

15 *Conuertentur ad vesperam: & famem patientur vt canes, & circumibunt ciuitatem.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vinçenti ne disperde, Dauidi Michtham: mittente Saule, & custodierunt domum ad faciendum mori ipsum.

LIX.

1 *Propheta.* ERIPE me de inimicis meis Deus meus: & ab insurgẽtibus meis eleuabis me.

2 Eripe me ab operantibus iniquitatis: & à viris sanguinum salũa me.

3 Quia ecce insidiati sunt animæ meæ, congregabuntur super me fortes: non rebellio mea, non peccatum meum Domine [4] est.

4 Sine iniquitate sunt, & tamen current & præparabuntur: vigila è regione mihi & respice.

5 Et tu Domine [4] Deus † exercituum, Deus Israel, expergiscere ad visitandum omnes gentes: ne miserere omniũ fallacium iniquitatis. *Selah.* († Dij.)

6 Reuertentur ad vesperam †: tumultuabuntur vt canis, & circumibunt ciuitatem. († vespere.)

7 Ecce abundabunt in ore suo, gladij sonant in labiis eorum: quoniam quis audiens est?

8 Et tu Domine † deridebis eos *: subsannabis omnes gentes † Saulis. († Domini mei. * eis. † omnibus gentibus.)

9 Fortitudinem eius ad te seruabo: quoniam Deus † eleuatio mea est. († Dij.)

10 Deus gratiæ suæ præueniet me: Deus † videre faciet me in respectoribus meis. († Dij.)

11 Ne occide eos, nequando obliuiscentur populus meus: commoue eos in fortitudine tua & fac descendere eos, clypeus noster Domine †. († Domini mei.)

12 Peccatum oris eorum sermo labiorum eorum, & capientur in superbia sua: & de execratione & de tenuitate narrabunt.

13 Consume in ira consume, & non sint ipsi: & scient quoniam Deus † dominator in Iacob finibus terræ. *Selah.* († Dij.)

14 Et reuertentur ad vesperam †: tumultuabuntur vt canis, & circumibunt ciuitatem. († vespera.)

15 Ipsi

16 *Ipsi dispergentur ad manducandū: si verò non fuerint saturati & murmurabunt.*
17 *Ego autem cantabo fortitudinem tuam: & exaltabo manè misericordiā tuam. Quia factus es susceptor meus & refugium meum: in die tribulationis meæ.*
18 *Adiutor meus tibi psallam: quia Deus susceptor meus es, Deus meus, misericordia mea.*

15 Ipsi commouebūtur ad comedendū: si non saturabūtur, & pernoctabūt.
16 Et ego cantabo fortitudinem tuam, & laudabo manè gratiam tuam: quoniam fuisti eleuatio mihi & refugium in die angustiæ mihi.
17 Fortitudo mea ad te cantabo: quoniam Deus † es eleuatio mea, Deus gratiæ meæ. † *Dē.*

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti, ne disperde, Dauidi Michtham, mittente Saule & custodierunt domum ad faciendum mori ipsum.* Ex quo titulo patet, materiam Psalmi esse historiam scriptam 1. Regum 19. scilicet de custodia apposita circa domum Dauidis in nocte vt mane caperetur & interficeretur. Quæ etiam tacta est in Psalmo 55. sed tunc tractata est vt pars fugæ Dauidis, nunc verò tractatur secundùm seipsam. *Materia.*

Historia nota est. Dauid enim fugiens furorem Saulis nitentis ipsum configere lanceâ in pariete, iuit in domum propriam: quò misit Saul satellites suos vt custodirent eum nocte illâ, & interficeretur mane. Sed Michol vxor Dauidis significauit ei quòd nisi se nocte illâ saluaret, cras esset interficiendus: & sic per fenestram deposuit eum, &c. Reliqua tituli sunt exposita.

SVMMARIVM EST.

Dauid obsessus domi à lictoribus Saulis, recurrit ad Deum, innocens ab iniquis occidendus: interpellátque diuinam iustitiam quæ non miseretur eorum qui peccant. Et describendo primò quidem modum suæ liberationis pro tunc ex obsidentium sermonibus auditis, illusione ac reuersione tardâ, postea verò suæ liberationis totalis ex quorundam dispersione, quorumdam consumptione, exauditus promittit laudare Deum, &c.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. *Petit Dauid liberari ab inimicis suis.* ERIPE ME. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *quia ecce.* Proponit: *Eripe me*, obsessum domi, *de inimicis meis*, interno odio, *Deus meus: & ab insurgentibus meis*, hoc est, contra me, *eleuabis me*, prophetat magis quàm roget. *Libera me ab operantibus iniquitatis*, non iustitiæ: *& à viris sanguinum*, hoc est, crudelibus appetentibus sanguinem innocentem fundere, *salua me.* Vbi nota tria postulari, & quartum secundo loco positum prophetari. Postulatio autem multiplicatur ex multiplici conditione persecutorum: scilicet quòd erant inimici, iniqui, & viri sanguinum: vt intelligas ipsum non petere liberationem à ministris iustitiæ: quales se præ se ferebant Saul & sui ratione officij.

Vers. 3. QVIA ECCE. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *à viris sanguinum.* Secundò illa, *de inimicis*, ibi, *reuertentur.* Tertiò illa, *ab operantibus iniquitatis*, ibi, *Deus faciet.* Quartò illa, *ab insurgentibus eleuabis me*, ibi, *& reuertentur.*

Viri sanguinum quinā? Circa saluationem à viris sanguinum, quia viri sanguinum sunt propriè effusores sanguinis innocentis, ideo primò describit eos. *Quia ecce insidiati sunt*, non rebus meis, sed *animæ meæ*, vitæ meæ: *congregabunt*, id est, perseuerabunt congregando se, *super me*, non quicunque, sed *fortes.* Vbi patet appetitus sanguinis. Innocentia autem subditur: *non rebellio mea: non peccatum meum Domine*, supple in causa est. *Sine iniquitate*, supple sum in Deum, in Saulem, in proximum: & tamen *current & præparabunt*, perseuerabunt alij currentes contra me, alij præparantes se armis, &c. aduersum me. Inde itaque viri sanguinum, hinc ego innocens: *vigila*, solicita, *mihi*, pro me, *è regione*, obuiam fortibus congregatis contra me, *& respice*, quæ geruntur.

Et tu Domine Deus exercituum Deus Israël expergiscere ad visitandum omnes gentes. Postulans Dauid à Deo iustitiam, implorat publicum Dei officium: quia enim Deo incumbit ex officio visitare omnes gentes (visitatione discussiuâ iustitiæ ab iniquitate) Dauid qui se innocentem cognoscebat, recurrit ad Deum vt vtatur suo publico officio quo visitat omnes gentes. Vnde non est sensus huius petitionis vt Deus visitet omnes gentes (quoniam hoc est impertinens Dauidis negotio) sed vt vtatur officio quo visitat omnes gentes: sicut pauper non audens dicere Principi vt cognoscat causam suam pauperis, audet tamen petere: vtere officio tuo quo visitas omnes subditos tuos. Itaque Dauid supplicat vt Deus ex publico officio procedat, sciens se innocentem. Vnde & subdit: *ne miserere iniquitatis omnium fallacium*, nullam volo veniam iniquitatis.

Vbi nota quòd non complet petitionem scribens affectu obsessi: cuius est non explicare totum propter animi anxietatem.

Vers. 6. REVERTENTVR AD VESPERAM. Tractatur hîc illa particula, *de inimicis meis*: manifestando firmatum odium ex actibus. Aduerte historiam. Postquam Dauid aufugit per fenestram, Michol vxor eius volens prorogare ei tempus fugiendi & saluandi se in tuto loco, finxit ipsum decumbere in lecto infirmum, ponens statuam quandam in lecto: & pellem pilosam caprarum posuit ad caput eius. Et vt Iosephus adiungit, posuit iecur caprinum sub saga ad hoc vt spirationē mentiretur. Quo factum est vt nuncij Saulis introducti à Michol ad videndum Dauidem infirmum, putauerint ipsum dormire, sentientes tanquam motum spirationis. Et cùm iterum ad vesperam misisset Saul nuncios vt afferrent eum in lecto ad se vt occideretur, eleuantes operimenta, inuenerunt simulachrum super lectum: & sic fuit delusi. Videns autem Saul se delusum, misit circum *Michol vxor Dauidis supposuit statuā pro Dauide, fingens ipsum decumbere in lecto.*

circumcirca inquirendo vbi lateret. Rursus ex eo quòd Scriptura dicit Michol vxorem Dauidis nunciasse Dauidi quòd circumdata esset domus, insinuatur quòd ipsa audiuit custodes loquentes de hoc negotio: positi siquidem erant custodes secreti. Hæc autem omnia hîc tractantur: non tamen secundùm ordinem rei gestæ.

Vnde prius tangitur reuersio nunciorum ad capiendum Dauidem. *Reuertentur ad vesperam*, id est, horâ tardâ ad capiendum qui iam euaserat Dauid, *tumultuabuntur*, videntes se delusos tumultuabuntur, *vt canis*, latrando, comminando, *& circumibunt ciuitatem*, quærendo vbi lateret.

Ecce abundabunt. Ordo præposterus. Describit modò locutionem satellitum secretò nocte custodientium antequam Dauid fugeret. *Ecce abundabunt in ore suo*, ad similitudinem abundanter habentis in ore emittent verba aliqua. Et qualia sint verba subdit: *gladij in labijs eorum*, quia loquebantur de occisione Dauidis futurâ manè. *Quoniam quis audiens*, hoc est, loquuntur quia reputant non audiri: *quoniam quis audiens?* quasi dicat nullus: & tamen Michol audiuit.

Et tu Domine. Describit delusionem reuertentium ad vesperam. *Et tu Domine deridebis eos*. Attribuit Dauid delusionem illam Deo: quoniam intellexit Deum per Michol tanquam per causam secundam operatum esse illam delusionem ad liberationem innocentis Dauidis. Et ne putes absonum esse attribuere Deo actionem deridendi, subiungit: *subsannabis omnes gentes*: hoc est, tu Domine qui subsannabis omnes gentes, deridebis eos. Sicut scriptum est in secundo Psalm. *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos*. Et dicitur Deus deridere, subsannare, deludere, &c. aliquos seu omnes gentes, pro quanto ad similitudinem deridentis permittit eos facere conatus suos & efficit illos vanos: hoc est, sine assecutione intenti. Sic enim Deus delusit inquisitores Dauidis: sic deludet omnes gentes nitentes facere contra voluntatem diuinam. In Hebræo in datiuo habetur tam pronomen *eis*, quàm nomen *omnibus gentibus*.

Quomodo actio deridendi & subsannandi Deo tribuatur.

Psalm. 2.

Fortitudinem eorum, Saulis & suorum, *ad te seruabo*: hoc est, non ego me opponam contra fortitudinem eorum, sed tibi vincendam seruabo: *quoniam Deus eleuatio mea*: hoc est, quoniam non ego eleuaturus sum meipsum, sed Deus qui per Samuelem hoc promisit est eleuatio mea. *Deus gratia sua*, non meritorum meorum rationem habens, *præueniet me*, præueniet saluare me antequam nuncij Saulis veniant ad capiendum. Quæ omnia fuerunt impleta.

Vers. 10. DEVS VIDERE FACIET ME. Tractatur hîc illa particula, *ab operantibus iniquitatis*: describendo propheticè futuram eorum pœnam pro iniquitatibus eorum, scilicet Saulis & suorum. *Deus videre faciet me in respectoribus meis*, hoc est, in aduersariis respiciendo me insidiosè, quales erant Saul & sui. Faciet, inquam, me videre hæc quæ sequuntur: seu iuxta morem suum describit tanquam futuram victoriam suam, pessundationem Saulis & suorum futuram: quia verè tunc Dauid velut victor assecutus est regnum. Iam enim dictum est quòd victoriam solitus est describere ab actu videndi in inimicis suis.

Ne occide eos, nequando obliuiscentur populus meus. Vbi nota describi diuinum iudicium contra Saulem & suos affectu supplici, deprecando, *nec occide, commoue eos*, &c. propter mysterium prophetici affectus ad diuinam gloriam. Vnde supplicando prædicit alloquendo Deum: *ne occide eos*. Vbi aduerte quòd non petitur vt nullus occidatur (quoniam inferiùs subiungitur, *consume in ira consume*) sed petitur vt non occidantur omnes. Et ad hoc seruit ratio subiuncta: *nequando obliuiscentur populus meus*. Et quia non exprimitur quid est illud quod timetur obliuioni tradendum, ideo obliuio creditur habere pro materia prouisionem diuinam circa translationem regni de domo Saulis in domum Dauidis. Cùm enim Saul fuerit primus rex Israël, si extincti fuissent omnes, timendum erat in processu temporis tradendam obliuioni translationem regni: vtpote nullâ superstite querelâ aut depressione id attestante: sed creditum fortè fuisset quòd Dauid fuerit primus rex. Memoria autem translationis regni diuino attestatur regimini transferenti regnum de domo Saulis inobedientis in domum Dauidis electi secundùm cor Dei. Quod autem dicit *obliuiscentur populus meus*, constructio est de significato: *Commoue eos in fortitudine tua*. Illos quos petiit non occidi, petit modò puniri commotione. Et qualis sit ista commotio, subiungit: *& fac descendere eos*, à sublimi statu & gradu, *clypeus noster Domine*.

Peccatum oris eorum, sermo labiorum eorum. Iuxta historiam 1. Regum 15. Saul peccauit ore suo: tum dicendo Samueli reprehendenti inobedientiam eius, *quare non audisti vocem Domini? Imò audiui vocem Domini*: tum reiiciendo culpam in populum, *pepercit populus*, &c. tum excusando auaritiam suam sub specie religionis, dicens *vt immolet Domino Deo suo*, &c. Peccauit & superbiâ: testante Samuele: *nonne cùm paruulus esses in oculis tuis*, &c. Peccauit, execrata à Deo quæcumque erant Amalechitarum reseruando pretiosa quæque, & quicquid vile & reprobum fuit demoliendo. Propter quod crimen testatur Scriptura fuisse eum priuatum regno. Hæc crimina hîc tanguntur: *Peccatum oris eorum sermo labiorum eorum, & capientur in superbia sua: & de execratione*, reseruando execrata à Deo, *& de tenuitate* inobedientiæ, vel potius rerum quas demolitus fuit Saul, *narrabunt*, commemorabunt posteri te aliquos occidente. Vnde subdit: *Consume in ira consume*, in ira iustitiæ Saulem cum aliquibus, *& non ipsi sint: & scient*, posteri, *quoniam Deus dominator in Iacob finibus terræ*: hoc est, quoniam Deus dominator finibus terræ est in populo Iacob, transferens regnum prout vult. Hæc est ratio propheticæ supplicationis: vt cognoscatur prouidentia diuina gubernans populum Israël.

1. Reg. 15.

Varia Saulis peccata.

Vers. 14. ET REVERTETVR AD VESPERAM. In Hebræo hîc & superiùs habetur in datiuo *vespera*. Tractatur hîc illa particula, *ab insurgentibus meis eleuabis me*. Tractatur autem resumendo exitum negotij, tum ex parte persecutorum eius, tum ex parte eleuationis ipsius: vt gratiarum actio ex contrariis iuxta se positis magnificetur. Resumit itaque: *Et reuertentur ad vesperam, tumultuabuntur vt canis & circumibunt ciuitatem. Ipsi mouebuntur ad comedendum*, hoc est, ad hoc circumibunt tanquam quærentes ad comedendum: in quo monstratur fames vorandi ipsum Dauidem:

Dauidem: *si non saturabuntur*, si non inuenient me, *& pernoctabunt*, perseuerabunt quærendo. Hic fuit exitus negotij ex parte eorum.

Non prudẽtia sua, sed Deo liberationem suam adscribit Dauid.

Et ego cantabo fortitudinem tuam. Ecce exitus ex parte mei. *Et ego*, non arrogans prudentiæ meæ liberationem, sed recognoscens illam à te, *cantabo fortitudinem tuam*, potentiam tuam: *& laudabo*, cantando, *mane*, iam extra periculum, *gratiam tuam*, non merita mea: *quoniam fuisti eleuatio mihi & refugium in die angustiæ mihi.* Vtrumque commemorat beneficium, scilicet & quòd eleuauit ipsum de pastore pecorum in futurum regem, &c. & quòd in die angustiæ quam passus est obsessus domi, fuit ibi refugium salutis.

O Deus *fortitudo mea.* Non satiatur animus gratus vnicâ promissione, sed magis repetere ac gratitudinem animi monstrare appetit. O Deus *fortitudo mea*, in omnibus quæ acciderunt, *ad te cantabo: quoniam Deus eleuatio mea*, ad regnum continuè appares, liberando me à periculis, reseruando me regno, *Deus gratia mea.* Suprà dixit, *Deus gratia sua*, modò dicit *Deus gratia mea:* vna siquidem & eadem gratia est Dei vt auctoris, & Dauidis vt recipientis ipsam non ex suis meritis. Er propterea vtrumque dicitur: vt intelligas Deum esse non solùm actorem sui doni gratuiti, sed etiam quòd recipiatur in hoc singulari: puta Dauide. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori pro lilijs testimonium humilis*
2 *& simplicis Dauid: quando pugnauit aduersus Syriam Mesopotamiæ & aduersus Syriam Sobal: & reuersus est Ioab & percussit Edom in valle Salinarum duodecim millia.*

LIX.

3 *DEVS repulisti nos & destruxisti nos, iratus es: & misertus es nobis.*

4 *Commouisti terram & conturbasti eam: sana contritiones eius quia commota est.*

5 *Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino compunctionis.*

6 *Dedisti metuentibus te significationem: vt fugiant à facie arcus.*

7 *Vt liberentur dilecti tui: saluum fac dextera tua & exaudi me.*

8 *Deus locutus est in sancto tuo: lætabor & partibor Sichimam & conuallem tabernaculorum metibor.*

9 *Meus est Galaad & meus est Manasses: & Ephraim fortitudo capitis mei.*

10 *Iuda rex meus: Moab olla spei meæ. In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt.*

11 *Quis deducet me in ciuitatem munitam? aut quis deducet me vsque in Idumæam.*

12 *Nonne tu Deus qui repulisti nos? & non egredieris Deus in virtutibus nostris.*

13 *Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominu.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti super lilium testimonij Michtham Dauidi ad docendum: pugnante ipso cum Aram duorum fluuiorum & cum Aram Soba: & reuersus est Ioab & percussit Edom in valle Salis duodecim millia.

LX.

1 *Propheta.* DEus † dereliquisti nos, fregisti nos, iratus es: reuerteris ad nos †. † Dij. † nobis.

2 Tremere fecisti terram, scidisti eam: medere confractiones eius, quoniam lapsa est.

3 Videre fecisti populum tuum duritiam: potasti nos vino veneni.

4 Dedisti metuentibus te signum: ad insignitos esse à faciebus veritatis. *Selah.*

5 Propterea liberabuntur dilecti tui, salua dextera tua: & respõde mihi.

6 Deus † locutus est in sanctitate sua. *Dictum Dei.* Lætabor, diuidam Sechem, & vallẽ Suchoth dimetiar. † Dij.

7 Mihi Galahad: & mihi Manasseh, & Ephraim fortitudo capitis mei, Iudas legifer meus.

8 Moab olla ablutionis meæ, super Edom proiiciam calceum meum: super me Philistæa clange insultantis.

9 *Propheta.* Quis ducet me in ciuitatem munitionis? quis duxit me vsque Edom?

10 Nonne tu Deus †? & tamen dereliquisti nos, & non egredieris Deus † in exercitibus nostris. † Dij. † Dij.

11 Da nobis auxilium ab angustia: & vana habeatur salus hominis.

14 *In Deo faciemus virtutem : & ipse ad nihilum deducet tribulantes nos.*

12 In Deo † faciemus virtutem : & ipse calcabit angustatores nostros.

† Diji.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti super lilium testimonij Michtham Dauidi ad docendum : pugnante ipso cum Aram duorum fluuiorum & cum Aram Soba, & reuersus est Ioab, & percussit Edom in valle Salis duodecim millia.* In hoc titulo sunt multæ particulæ declarandæ. Prima est, *super lilium testimonij*, quæ quia metaphorico constat sermone magis ambigua est. Nihil autem mihi occurrit magis ad propositum Psalmi inter ea quæ constant ex sacra Scriptura significari, quàm nomen (hoc est, *fornix triumphalis*) quod fecit sibi Dauid cùm reuerteretur captâ Syriâ : vt dicitur 2. Regum 8. Huiusmodi enim titulum gloriæ suæ, lilium, rosam seu florem testimonij appellauit: eo quòd omnis gloria humana sicut flos agri: ita quòd à vanitate facti appellauit florem testimonij suæ victoriæ quâ superauit Syros. Et ordinanda est ista particula cum illa, scilicet, *ad docendum*. Ita quòd ordo est : *Michtham*, canticum tale, Dauidi ad docendum super lilium testimonij : hoc est, ad instruendum alios super vanitate testimonij humani de victoriis, triumphis, &c.

Arcus triumphalis Dauidi erectus captâ Syriâ.

Secunda particula, quæ est declaratiua temporis quo Dauid fecit sibi nomen seu titulum testimonij : *pugnante ipso*, Dauide, *cum Aram duorum fluuiorum*. Aduerte 2. Regum 8 & 10. & 1. Paralip. 18. & 19. describi hæc bella quorum titulus iste meminit. Et breuiter ideo dicitur, *pugnante ipso :* quia in primo bello in quo Syri pugnauerunt pro Ammonitis nō interfuit Dauid, sed Ioab & Abisai præfuerunt bello : in secundo autem, de quo est sermo, interfuit Dauid personaliter.

Per *Aram duorum fluuiorum*, quidam intelligunt Mesopotamiam : hinc nuncupatam Græco vocabulo, quòd scilicet inter Tigrim & Euphratem sit sita. Alij intelligunt Damascum duo flumina in se habentem. Vtrumque stare videtur cum historia : quoniam Dauid tunc subegit Damascum, & acquisiuit Syriæ dominium vsque ad Euphratem : vt in dictis locis dicitur. Aduerte tamen quòd si de *Aram* ciuitate Mesopotamiæ intelligitur, non intelligas nomine *Aram*, terram : sed gentem ex illa terra quæ venerat in adiutorium Syrorum contra Dauidem: nam Dauid nunquam transiuit Euphratem.

Aram duorū fluuiorum, Mesopotamia à quibusdam intelligitur inter Tigrim & Euphratē sita: ab alijs Damascus.

Per *Aram Soba*, regnum regis Adarezer (qui 2. Regum appellatur Rex Soba) videtur intelligi, qui fuit occasio quod Dauid personaliter iret in bellum : vt clarè dicitur 2. Regum 10.

Et reuersus est Ioab. Ista reuersio non legitur in sacra Scriptura : nusquam enim legitur quòd reuersus sit Ioab ad percutiendum Edom in valle salis. Et tanto magis augetur ambiguitas, quanto subditur aliud non minus ambiguum : scilicet duodecim millia : nam 1. Paralip. 18. legitur in valle salis Abisai fratrem Ioab percussisse octodecim millia Idumæorum : & nunquam de numero duodecim millium Idumæorum percussorum fit mentio.

Thargum in hoc titulo ait: *Et post hæc reuersus est Ioab, & percussit Idumæos in planitie salis, & ceciderunt de exercitibus Dauid & Ioab duodecim millia.* Nescio vnde iste Hebræus acceperit mortē duodecim millium Hebræorum. Quantùm conicere possum, ex scriptis in dictis locis & in hoc Psalmo & 3. Regum 11. vbi dicitur : *Cum esset Dauid in Idumæa, & ascendisset Ioab princeps militiæ ad sepeliendum eos qui fuerant interfecti, & occidisset omne masculinum in Idumæa : sex enim mensibus ibi moratus est Ioab & omnis Israël*, &c. Ex his enim iunctis iis quæ in dictis locis dicuntur (scilicet quòd in valle salis cæsa sint octodecim millia Idumæorum, & fuerit constitutum præsidium in Edom) conicio quòd res sic fuerit gesta. Primùm in valle salis commissum est prælium aduersus Idumæos Abisai præsidente: & cæsa sunt tunc octodecim millia Idumæorum : & sic Idumæa subiecta est Dauidi : qui constituit in ea custodes & præsidium. Et tunc subactâ Syriâ, Dauid fecit sibi nomen, erexit sibi fornicem. Idumæi autem rebellauerunt & occiderunt quos potuerunt de custodiis & præsidio Dauidis: hi enim sunt ad quos sepeliendos scribitur ascendisse Ioab. Quo audito Dauid misit Ioab cum toto exercitu ad delendam Idumæam ; & hæc est illa reuersio cuius meminit titulus iste, & reuersus est Ioab, scilicet ad iterum præliandum cum Idumæis rebellibus. Qui Idumæi occurrerunt Ioab in valle salis : non expectarunt siquidem se obsideri in ciuitatibus, sed exierunt in campum, & tunc Ioab percussit Edom, cædens duodecim millia Idumæorum. Quibus cæsis ascendit vt dictum est in Idumæam ad duo officia, scilicet ad sepeliendum Hebræos prius interfectos quos inhumatos sæuitia Idumæorum reliquerat, & ad interficiendum omne masculinum in Idumæa. Tanta siquidem seueritas insinuat rebellionem interuenisse cum clāde Hebræorum, propter quam iusserit Dauid occidi omne masculinum: nulla siquidem apparet alia ratio tantæ seueritatis : cùm nec in Moabitas vsus fuerit Dauid tantâ seueritate, sed vt patet 2. Regum 8 quosdam viuificauit & quosdam occidit : cùm tamen mitior debuerit esse erga Idumæos : mandante lege : *non abominaberis Idumæum*, Deuteron. 23. Officium quoque sepulturæ interfectorum idem testatur : non enim ascendit Ioab à valle salis in Idumæam ad sepeliendum eos qui fuerant interfecti, nisi quia ascendit ad sepeliendum suos: nam de Idumæis subditur quòd ascendit ad occidendum omne masculinum in Idumæa : & quòd sex mensibus ibi moratus est cum toto exercitu donec interimeret omne masculinum in Idumæa.

3. Reg. 11. v. 15. 16.

Series Historiæ in hoc titulo commemorata.

Deut. 23 7.

Rebus itaque sic gestis, considerandum est titulum Psalmi ideo appositum esse vt significet materiam Psalmi. Et quoniam Psalmus vsque ad calcem plenus est doloris quòd Deus dereliquerit populum suum, & in calce Psalmi cum spe diuinæ opis promittitur seu prophetatur futura prostratio inimicorum, apparet primò Psalmum hunc tractare res gestas quantùm ad casum interfectorum ab Idumæis : hoc enim significant tot versiculi plorantes quòd Deus nos dereliquerit. Apparet secundò causa casus insinuata, scilicet vanitas Dauidis faciendo sibi nomen : hoc enim

Materia Psalmi.

Quo tempore editus eſt hic Pſalmus.

enim quartus verſiculus teſtatur, *dediſti metuentibus te ſignum*, &c. Apparet tertiò ſtatus negotij: quòd ſcilicet poſt rebellionem Idumææ ante expugnationem Rabath ciuitatis regiæ Ammonitarum factus eſt Pſalmus: hoc enim teſtatur verſiculus nonus, *quis ducet me in ciuitatem munitionis?* & hiſtoria Scripturæ clarè ſonat multum temporis interceſſiſſe inter captam Syriam & expugnationem Rabath. Ita quòd Pſalmus iſte fuit editus ante adulterium Dauidis cum Betſabee: quod conſtat fuiſſe commiſſum quando iam interempto omni maſculo in Idumæa, vertente anno Ioab contra Rabath iuit remanente Dauide in Hieruſalem. An autem tunc Ioab recuperauerit Idumeam an fuerit in via recuperandi, non clarè conſtat. Titulus ſonat in præterito *& reuerſus eſt Ioab & percuſſit*: Pſalmus ſonat pendens potius negotium. Et poteſt eſſe quòd titulus deſcripſit euentum poſtea ſtatim ſubſecutum: & Pſalmus affectum Dauidis ad obtinendum diuinum auxilium ad victoriam ſubſecutam.

Eſt itaque materia Pſalmi ad literam recurſus Dauidis ad Deum, plorantis ſe ſuoſque derelictos à Deo in Idumæa, & ſupplicantis vt iuxta verbum ſuum det plenam proſtrationem inimicorum: ſcilicet Idumæorum & Ammonitarum.

SVMMARIVM EST.

DAuid caſum populi à Deo derelicti plorans, ſupplicat Deo vt ſaluet, vtque meminerit ſuæ promiſſionis. Et profitens vanam eſſe ſalutem ab homine, infert in Deo faciendam eſſe virtutem: & tunc proculdubio Deus calcabit hoſtes.

Perſona loquens, Propheta eſt: introducens tamen diuinum dictum.

VERS. I. DEVS DERELIQVISTI NOS. Diuiditur Pſalmus in partes duas: propoſitiuam materiæ, & executiuam, ibi, *feciſti tremere*. Proponit quatuor. Quorum ordo deberet eſſe. *Deus iratus es*, ad ſimilitudinem irati te habuiſti nobiſcum, *dereliquiſti nos*, in rebellione Idumæorum, *fregiſti nos*, partem noſtrorum per Idumæos occidendo, Idumæamque ipſam ſcindendo à nobis: & tamen per gratiam tuam *reuerteris ad nos*, ab ira, à derelictione & ſciſſione ad redintegrandum nos. Textus Hebræus habet *nobis* in datiuo: ſed conſtructio mutauit adiunctâ præpoſitione *ad*.

Verſ. 2. TREMERE FECISTI TERRAM. Incipit hìc pars executiua tali ordine. Primò tractatur totum quod fuit iræ, ſcilicet, *dereliquiſti, fregiſti, iratus es*. Secundò illa particula, *reuerteris*, ibi, *propterea*.

Opus Dei circa tria.
1. Circa terram.

Circa primum tangit opus Dei circa tria: erga terrâ, erga populum, erga timentes Deum. Circa terram. *Tremere feciſti terram*, ita quòd *ſcidiſti eâ*. Metaphoram ſumit à terræmotu vſque adeò vehementi quòd ſcindit terram. Iuxta hanc ſimilitudinem deſcribit Deum commouiſſe terram ſubiectam Dauidi, commotione tali quòd ſciſſa eſt. Et intendit quòd Deus commouit Idumæos ſic quòd terra ſubiecta Dauidi ſciſſa eſt quantùm ad poſſeſſionem: quia vna pars eius (ſcilicet Idumæa) ſeparata eſt à reliqua terra Dauidis rebellando. Et quoniam ſciſſio hæc redintegrabilis eſt, ſubiungit ſupplicationem: *Medica confractiones eius, quoniam lapſa eſt*, ad ſimilitudinem nutantis cuius pes eſt lapſus fractionem curabilem incurrit.

2. Circa populum.

Erga populum ait: *Videre feciſti populum tuum duritiem.* Metaphora eſt ſumpta à differentia inter durum & molle: quòd differunt in hoc quòd molle cedit tangenti, durum autem reſiſtit. Et quoniam Idumæi non ſteterunt vt molles ſed reſtiterunt duri contra populum Iſraël, ideo dicit Deo: quòd *feciſti populum tuum*, Iſraël, *videre*, experiri, *duritiem*, Idumæum reſiſtentem. *Potaſti nos vino veneni.* Altera eſt metaphora à vino mortis ſeu mœroris. Sicut enim aſſequens bonum deſideratum dicitur metaphoricè potari vino lætitiæ, ita è conuerſo occurrentibus mœſtis inopinatis potamur vino luctus: pro quanto ingreditur mœror vſque ad viſcera quaſi potatus. Et intendit quòd vbi crediderunt bibere vinum lætitiæ acquirendo Idumæam, inuenerunt ſe potari à Deo vino venenato, vino mortis reſpectu interfectorum, ibi, & mœroris reſpectu Dauidis & aliorum abſentium.

3. Circa timentes Deū.

Dediſti metuentibus te. Erga timentes Deum quid operatus ſit Deus prædicta faciendo, aperit Propheta: & intendit quòd per hanc confractionem dedit metuentibus Deum *ſignum ad inſignitos eſſe à facie veritatis*. Intellexit Dauid diſplicuiſſe Deo quòd ipſe inſigniſſet ſe facie vanitatis, faciendo ſibi nomen ſubactâ Syriâ (ſub qua comprehenditur etiam Idumæa) & quòd propter hanc ſuam vanitatem Deus puniuit ipſum rebellione Idumææ. Et propterea inſtructus à Deo declarat hanc diuinam inſtructionem datam eſſe non populo qui non eſt capax tantæ perfectionis, ſed metuentibus Deum: qui debent inſignire ſe non facie, apparentiâ, vanitatis ſed veritatis: ſecundùm quam debebatur memoria victoriæ Deo, non Dauidi: quoniam Deus erat pugnans pro ipſo.

Vanitas Dauidis ſubiectâ Syriâ Deo diſplicuit inde Idumææ rebellione ſecuta.

Aduerte hìc, quòd in ſacra Scriptura huiuſmodi memoriæ victoriarum reprehenſibiliter commemorantur: eâ ratione quia Deo attribuendæ erant victoriæ, qui dirigebat reges illos ad bella & erat auctor victoriæ. Vnde 1. Reg. 15. cùm nunciatum eſſet Samuëli quòd Saul erexiſſet ſibi fornicem triumphalem, dixit ad Saulem: *Nonne cùm paruulus eſſes in oculis tuis*, &c. Tantòque minus debuit Dauid facere ſibi nomen, quanto inter timentes Deum connumerabatur, & iam Propheta erat: vt geſta eius ante hæc bella Syriæ teſtantur.

Verſ. 5. PROPTEREA LIBERABVNTVR DILECTI TVI. Tractatur hìc illa particula, *reuerteris ad nos*. Tractatur autem quadrupliciter: hoc eſt triplici ratione ſeu loco vtendo ad impetrandum hanc reuerſionem, & quartò promittendo ſeu prophetando effectum.

Ad impetrãdam Dei reuerſionẽ vtitur tribus locis.
Primus.

Primus locus ſumitur ab amore amicitiæ inter Deum & populum Iſraël. *Salua*, non noſtrâ, non humanâ, ſed *dexterâ tuâ*, fauorabili aſſiſtentiâ tuâ: *propterea* enim *liberabuntur dilecti tui*, ſeu amici tui, populus Iſraël. Vbi nota quòd non dicit, propterea dominabuntur Idumæis aut aliis ſed *propterea liberabuntur*, eâ ratione quia ſi Idumæi euaſiſſent voti compotes ex hac rebellione, reliquæ nationes ſimiliter rebellaſſent eorum exemplo: nec ſolùm rebellaſſent ſed aggreſſæ fuiſſent omnes ſimul populum Iſraël: & ſic populus fuiſſet ſeruituti addictus. Ad hoc ſiquidè ſpectans petit: *ſalua*, &c. quia propter hoc *liberabuntur dilecti tui*, ab imminenti ſcilicet ſeruitute.

Secundus.

Et responde mihi. Secundus hic est locus à diuina promissione: vbi per modum domesticæ ratiocinationis reuocat Dauid ad Dei memoriam promissionem quam fecit. *Et responde mihi*, quæso, *Deus locutus est in sanctitate sua.* Alloquitur Deum de Deo in tertia persona, sicut alloquimur regem, Rex dicit sic: *Deus*, qui est veritas, *locutus est in sanctitate sua.* Aut locus designatur sanctuarij in quo Deus locutus est, aut firmitas promissionis significatur: sicut dicendo Rex locutus est in majestate sua, auctoritatem sermonis exprimimus, tanquam non sit sermo communis: ita *Deus locutus est in sanctitate sua*, tanquam sanciens quod dixit: *Lætabor:* ecce quod locutus est: scilicet quòd ego Dauid lætabor, *Diuidam Sechem.* Primum ergo dictum à Deo de me est futura lætitia, lætabor: materia autem lætitiæ subditur: *Diuidam Sechem & vallem Suchoth*, (id est, tabernaculorum) *dimetiar.*

Sichem, Suchoth, & Galaad vbi sita?

Mihi Galahad. Possessio trium locorum ponitur primò materia lætitiæ. Sunt autem horum locorum duo trans Iordanem: Sechem enim est intra terram promissionis: vt patet Iosue 14. Suchoth autem est trans Iordanem, vbi Iacob declinans ab Esau fixit tabernacula: & ideo appellauit *Suchoth*, Genes. 33. Galahad quoque eundo versus Mesopotamiam inuenitur: vt patet Genes. 31. Meminit autem specialiter *Sechem* tanquam insignis loci: vtpote dati à Iacob dilecto filio Ioseph: vt commemoratur Ioan. 4. vel vt per hoc significet subiectam sibi etiam eximiam terram Ioseph in primogenitum surrogati: vel (quod potiùs crediderim) vnâ & eâdem ratione meminit Sechem, & vallis Suchoth: quia occupatæ hæ partes specialiter fuerant ab hostibus. Et de valle *Suchoth* potest colligi ex 1. Reg. vlt. vbi clarè dicitur quòd mortuo Saule Hebræi qui erant trans Iordanem reliquerunt ciuitates, & Philistæi occuparunt eas. De *Sechem* autem quia erat in monte Ephraim, & ab antiquo celebris, crediderim Philistæos & alios hostes cùm dominarentur Hebræis constituisse ibi præsidium ad coërcendum Hebræos ne rebellarent. In cuius signum non meminit horum duorum locorum absolutè, sed cum partitione & mensura. Significatur enim per hoc quòd loca hæc ita fuerant occupata vt iam destituta à proprijs antiquis possessoribus in publicam cesserint potestatem: propterea enim dicit *diuidam & dimetiar*, ad describendam plenitudinem potestatis & quietis iam habitæ: vt non sit amplius habitantibus timor mutandi & deserendi illa loca. Et dicendo *metiar*, significat quòd vnicuique reuertenti ad propria reddere volebat portionem suam. *Galahad* autem meminit, ad explicandum dominium suum trans Iordanem in tribubus quæ trans Iordanem sortes suas habuerunt à Moyse: quod etiam magis explicatur subiungendo Manasseh.

Cur horum trium locorũ meminit?

Tres tribus commemorantur. Cur?

Mihi Manasseh. Post hæc tria loca commemorantur tres tribus: scilicet, Manasseh, Ephraim & Iuda. Meminit autem specialiter harum trium tribuum, ad significandum quietem regni sibi promissam. Manasseh siquidem & Ephraim filij fuerunt Ioseph: qui loco Ruben iura primogenituræ habuit. Et propterea tanquam primogenito ius regni videbatur competere Ioseph: cuius primogenitus secundùm naturam fuit Manasseh, sed secundùm benedictionem Iacob, prælatus est ei Ephraim, Genes. 48. Vtriusque itaque meminit sermo diuinus hic recitatus: significans diuinâ dispositione effectum quòd vtraque tribus quæ de regno posset contendere, Dauidi coniuncta dicitur. Tribus autem Iuda commemoratur, quia in benedictionibus Iacob principatus ei ascribitur: vt etiam ipsius consensus in regnum Dauidis monstretur.

Ioseph iura primogenituræ loco Ruben habuit.

Tribus Ephraim fortissima.

Ephraim fortitudo capitis mei. Prærogatiua fortitudinis tribui Ephraim ascribitur: quia fortissima erat tribus illa, & fortes viri ad custodiam regis ponuntur. *Iudas legifer meus.* Commemoratur tribus Iuda cum regia dignitate: Regis quippe est legem ferre.

Tres gentes. Moab olla: Cur?

Moab olla ablutionis meæ. Commemoratis tribus tribubus, cõmemorantur tres gentes: scilicet Moabitæ, Philisthæi, & Idumæi. *Moab olla lauacri mei.* Ad similitudinem siquidem ollæ præparatæ ad lauacrum hominis post laborem, Moabitarum regio ministrabat opportuna populo Israël quiescenti: abundabat enim regio illa pascuis & multitudine agnorum: vt ex 3. capite quarti Reg. apparet. *Super Edom proijciam calceum meum.* Ad significandam subiectionem Idumeæ, dicitur quòd proijciam calceum meum super Edom: tanquam subiectam pedibus meis. *Super me Philistæa clange.* Insultationis sermone subiectio Philistææ describitur: vtpote quæ olim musicis instrumentis & choreis læta est super Iudæa cùm Philistæi dominarentur Iudæis. Nunc enim reuocando Philistææ ad memoriam pristinas festiuitates quas faciebant super Iudæos, insultando ait: *super me Philistæa clange:* hoc est, subdita iam es mihi, clange modò super me sicut olim fecisti. Hucusque sermo quem locutus est Deus recitatus est: cuius summa est quòd Dauid lætabitur in omnibus istis.

Rabath ciuitas regia Ammonitarum, vocatur hic ciuitas munitionis.

Quis ducet me ciuitatem munitionis. Prosequitur Dauid ratiocinationem suam cum Deo, alloquendo ipsum. Et intendit: Tu dixisti quòd ego habiturus essem hæc omnia, quis exequetur hæc? nullus nisi tu, qui tamen reliquisti nos: ac per hoc si non reuerteris ad nos, nullus exequetur promissionem tuam. Vbi vides ex allegata promissione, velle quodammodò conuincere Deum vt reuertatur: alioquin promissio eius non habebit effectum. *Quis ducet me in ciuitatem munitionis:* hoc est, in Rabath ciuitatem regiam Ammonitarum. Iuxta historiam siquidem inchoato cum Ammonitis bello, oportuit Dauidem ire contra Syros fautores Ammonitarum: & post captam Syriam adhuc supererat bellum primum contra Ammonitas: & specialiter supererat Rabath vrbs regia: vt patet 2. Reg. 12. & 1. Paralipom. 20. Et propterea specialiter meminit huius ciuitatis, quia adhuc supererat capienda.

Quis duxit me vsque Edom, nonne tu Deus? De ciuitate Ammonitarum dixit in futuro, *quis ducet me in ciuitatem munitionis:* hoc est, munitam: vtpote capiendam: de Idumæa iam capta & rebelli, dicit in præterito, *quis duxit me vsque Edom?* Et vnum quidem dicit & duo intendit. Dicit quidem, duxisti me in Edom, vt essem Dominus Idumeæ: intendit autem quòd ad hoc duxisti me illuc vt etiam perseuerarem Dominus Edom: quod perficiendum superest. *Nonne tu Deus*, deduces in ciuitatem munitam, & duxisti in Edom? certè sic: & tamen *dereliquisti nos*, in rebellione Idumææ, & consequenter *non egredieris Deus*, dux, fautor, &c. in exercitibus nostris: consequens quippe est vt eâdem itâ, quâ dereliquisti

dereliquisti nos, non egredieris dux exercituum nostrorum: ac per hoc nullus adimplebit promissionem tuam de Idumæa mihi promissa & de ciuitate Ammonitarum.

Aduerte hîc quòd quando, aut cui, aut vbi factus fuerit sermo Domini hic recitatus, in Scriptura non habetur sic in specie: nam nullibi hæ speciales promissiones Dauidi factæ leguntur nisi hîc.

Tertius locus. *Vers.* 11. DA NOBIS AVXILIVM. Tertius est hic locus à vanitate humanarum virium. Recognoscit Dauid non viribus humanis sed diuinâ ope habuisse victorias. Et propterea petit: *Da nobis auxilium ab angustia*, quam patimur ex hac rebellione: *& vana salus hominis*, ab omnibus habeatur.

Vers. 12. IN DEO FACIEMVS VIRTVTEM. Conclusio est hæc instructi & exaudiri Dauidis. *In Deo*, non in Rege Dauide, *faciemus*, de cætero, *virtutem*, belli: hoc est, non solùm corde & ore, sed facto virtutem belli habebimus in Deo, non sicut prius qui facto triumphalis nominis virtutem belli attribuimus Dauidi.

Vbi aduerte non peccasse Dauidem solum, sed multos debuit habere consultores aut etiam impulsores ad faciendum sibi nomen: propterea enim pluraliter dicit *faciemus*. Aduerte quoque non peccasse animo aut ore, tanquam non recognoscendo victoriam à Deo, sed facto: pro quanto ipsum factum suaptè naturâ attribuebat virtutem victoriæ Dauidi. Et propterea de cætero inquit faciemus, id est, etiam facto attestabimur virtutem belli in Deo fuisse. Hic est effectus instructionis ex parte Dauidis.

Effectus autem orationis ex parte Dei consequenter subditur: *Et ipse calcabit angustatores nostros*. Purgatâ culpâ, intellexit Propheta se exauditum. Et propterea prophetat: *& ipse*, Deus, *calcabit angustatores nostros*, Idumæos, Ammonitas, &c. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori in Psalmis Dauid.*

LX.

2 *EXAVDI Deus deprecationem meam: intende orationi meæ.*

3 *A finibus terræ ad te clamaui: dum anxiaretur cor meum in petra exaltasti me.*

4 *Deduxisti me: quia factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.*

5 *Inhabitabo in tabernaculo tuo in secula: protegar in velamento alarum tuarum.*

6 *Quoniam tu Deus meus exaudisti orationem meam: dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum.*

7 *Dies super dies regis adÿcies: annos eius vsque in diem generationis & generationis.*

8 *Permanet in æternum in conspectu Dei: misericordiam & veritatem eius quis requiret?*

9 *Sic psalmum dicam nomini tuo in seculum seculi: vt reddam vota mea de die in diem.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti super modulatione Dauidi.

LXI.

1 *Propheta.* AVDI Deus † cantum meum: ausculta orationem meam. † Dÿ.

2 Ab extremo terræ ad te vocabo: collabente corde meo, in petra ^quæ^ elevabitur super me duces me.

3 Quoniam fuisti protectio mihi: turris fortitudinis à faciebus inimici.

4 ^Ideo^ Habitatio in tentorio tuo seculis: protegar in absconsione alarum tuarum. *Selah.*

5 Quoniam tu Deus † audisti vota mea †: dedisti hæreditatem timentium nominis tui. † Dÿ. † votis meis.

6 ^Ideo^ Dies super dies regis adiicies: anni eius velut generatio & generatio.

7 Sedebit semper faciebus Dei †: gratia & veritas ^doni^ man custodient eum. † Deorum.

8 Sic canam nomen tuum semper: in meo † soluere vota mea die die. † meo.

COMMENTARIVS.

TItulus est, *Vincenti super modulatione Dauidi*. De quo vt suprà.

Materia. Materia Psalmi quantùm ex verbis Psalmi colligo, est æternitas regis Messiæ promissa Dauidi, eruto à morte, custodito ab inimicis, &c. Ita quòd Psalmus iste est gratiarum actio Deo à Dauide

Dauide commemorante quòd se ex semimortuo, ex tot periculis euexit non solùm ad regnum in persona sua & suorum, sed etiam quòd Messiam sempiternum regem sibi promiserit. Quòd enim commemorando præterita pericula inchoet, clarè testatur prima pars Psalmi. Quod autem ad Messiam perducat orationē, patet ex regula Apostolica à sexto versiculo vsque ad finem. Nam clarè constat quòd illa non verificantur de Dauide: ait enim: *dies super dies regis adycies, anni eius velut generatio & generatio, sedebit semper faciebus Dei:* hæc enim manifestè excedunt Dauidem & quemcunque hominem excepto Messia.

Æternitas regis Messiæ promissa Dauidi.

Quod etiam testatur Thargum dicens: *dies mundi futuri super dies Regis Messiæ appones: anni eius sicut generationes mundi huius & generationes mundi venturi: commorabitur in secula coram Deo.* Vnde etiam patet quòd Psalmus iste editus est à Dauide postquam fuit non solùm Rex Iuda sed Rex totius Israël, quia non prius fuit ei facta promissio de Messia: vt patet 2. Regum 7.

SVMMARIVM EST.

Propheta Dauid ex commemoratis beneficiis diuinis erga se, seipsum in proprio semine regio duraturum in secula prophetat: simul immortalitatem regis Messiæ cum gratia & veritate describens.

Persona loquens Propheta est.

VERS. I. AVDI DEVS CANTVM MEVM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *ab extremo terræ.* Proponit duo. Alterum: *Audi Deus cantum seu laudationem meam* (vbi dictio Hebraïca sonat laudem mixtam cantui) laudationem, quâ te canendo laudo, dignare audire. Alterum: *Ausculta orationem meam*, applica aurem ad eleuationem mentis meæ.

Vers. 2. AB EXTREMO TERRÆ. Incipit hìc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *ausculta orationem meam.* Secundò illa, *audi Domine cantum meum*, ibi, *dies.*

In oratione commemoratiua beneficiorum, summariè refert prius beneficia ante regnum, & deinde beneficia in regno. Et aduerte in vtrisque quòd Propheta prius commemorat effectus, & postea subiungit causas. Sed tu ordina literam sic: *Quoniam fuisti protectio mihi*, & similiter fuisti mihi *turris fortitudinis à facie inimici* Saulis, ideo *duces me* à triplici malo: tum locorum, *ab extremo terræ vocabo:* tum interni timoris, *collabente corde meo:* tanquam exanimi me effecto: tum magnorum periculorū, *in petra quæ eleuabitur super me:* hoc est, in periculo maximo quando fui cinctus à militibus Saulis in modum coronæ, iuxta petram quæ *eleuabitur*, nomine & famâ, *super me*, tunc liberato. Ad literam petra illa ex tunc eleuata est secundùm nomen æternum, appellata *petra diuisionis* ab illo euentu: diuisit enim Deus ibi à Dauide Saulis exercitum audito Philisthinorum impetu. Historia habetur 1. Reg. 23. Et intendit per hæc tria comprehendere vniuersa mala & pericula interna & externa quæ profugus à Saule est passus. Futura enim *clamabo, duces, eleuabitur*, respiciunt præteritum *fuisti:* & non tempus Psalmi. Intendit enim dicere quòd ex diuina defensione subsecuta est deductio Dauidis profugi & vagi vsque ad extremum terræ Israël, & tam afflicti quòd fuit velut exanimis, & ex tanto periculo quantum fuit illud quo cinctus est in modum coronæ: vt ex hoc pericula cætera significentur.

Ordo literæ.

Petra diuisionis.

Habitabo. Similiter hìc ordina literam inchoando à causa. *Quoniam tu Deus audisti vota mea.* Beneficia in regno describit. Duo beneficia commemorat: Alterum regni, dicens: *Dedisti hæreditatem timentium nomen tuum.* Hæreditas timentium diuinum nomen est ipsa terra promissionis pacifica & quieta: hanc talem dederat iam Deus Dauidi & populo Israël tempore Dauidis. Alterum templi diuini ædificandi, dicens: *Audisti vota mea:* voluntas siquidem eius fuerat ædificare templum. Et hæc voluntas fuit tam grata Deo quòd tunc per Nathan Deus promisit Dauidi tria: scilicet ædificium templi per filium, stabilitatem regni in semine eius, & Messiam perpetuum Regem: vt habes 2. Reg. 7 & 1. Paralip. 17. *Quia*, inquit, *audisti vota mea*, de ædificando templo, & dedisti iam regnum quietum, ideò *habitabo in tentorio tuo seculis.* Si de persona sua tantùm loqueretur non diceret *seculis* sed *seculo.* Vnde ex hoc quòd dixit *seculis*, significat quòd non de persona sua sola sed cum semine suo regio dicit: *Habitabo seculis*, multis, *in tentorio tuo*, hoc est, in templo tuo: quod relatum ad te est tentorium, est velut habitaculum peregrinationis: nam neque cœlum dignum est vt sit templum tuum. *Protegar*, non frustrà habitabo in templo tuo, sed ibi protegar velut *sub alis tuis absconditus*, ad similitudinem pullorum sub maternis alis. Et intellige habitare in templo, hoc est habitare iuxta templum: domus enim regia erat prope templum. Et significauit per hoc seminis sui regnum duraturum: nam principis locus ad habitandum erat iuxta tabernaculum Domini: vt patet Num. 3. de habitaculo Moysi qui erat dux populi: ita quòd ex hoc quòd dicit *habitabo seculis in tentorio tuo*, significat se cum suo semine regium habitandi locum habiturum. Et similiter protectio futura sumpta est consequenter ex protectione diuina exhibita Moysi ex tabernaculo Domini: & significat nihilominus fidem deuotionémque Dauidis de diuina protectione tam sui quàm sui seminis.

Propter voluntatem ædificandi Templi tria Dauidi promittit Deus.

Domus regia prope Templum.

Vers. 6. DIES SVPER DIES. Tractatur hìc illa particula, *audi Deus cantum meum*, & continuatur textus satis aptè. *Quoniam audisti vota mea*, & dedisti iam regnum quietum, ideo & ego cum semine meo habitabo & protegar: & postremò tu *dies super dies regis adycies:* hoc enim tertium supererat trium promissorum à Deo per Nathan Dauidi, auditis à Deo votis Dauidis de ædificando templo: & ideo auditio illorum desideriorum inducitur tanquam occasionalis ratio omnium subsecutorum, dicendo *quoniam audisti.* Demum igitur *dies super dies regis*, hoc est Messiæ per resurrectionem iam regnantis, *adycies*, vtpote qui nunquam finientur: tunc enim assecutus est vitam immortalem: *anni eius*, Messiæ iam regis, erunt *velut generatio & generatio:* hoc est non sicut vna ætas hominis, sed sicut ætas & ætas: hoc est sine fine ætatum. *Sedebit*, rex Messias, *faciebus* (idest coram facie) *Dei: Christus* siquidem *resurgens ex mortuis iam non moritur:* regnabit enim in æternum.

Gratia & veritas man custodient eum. Man dictio Hebraïca absque interpretatione manet propter

Man hic quid?

propter incertitudinem significationis. Alij præparationem, alij pronomen interrogatiuum, alij cibum, alij munus, alij manna quo aliti sunt patres in deserto intelligunt. Mihi consideranti scriptum esse Ioann. 1. *Lex per* Ioan. 1. 17. *Moysen data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, videtur quòd Propheta Messiæ opera propria per hoc intendat describere: & consequenter *man* donum significet in proposito. Ita quòd sensus est: *Gratia & veritas doni*, seu *muneris custodient eum*: gratia siquidem & veritas non cuiuscunque sed diuinæ personæ, quod est maximum donum exhibitum mundo, custodient Messiam: scriptum est enim: Ioan. 3. 16. *sic Deus dilexit mundum vt filium suum vnigenitum daret*. Et hoc referendo ad merita Christi: vt Propheta describat merita quibus meruit seruari in æternum, id est, immortalitatem corporis. Et sic est sensus: *Gratia & veritas*, id est, opera gratiæ & veritatis, *man*, id est, Verbi Dei doni exhibiti humano generi, *custodient eum*, erunt merita quibus custodietur in æternum, hoc est acquiret immortalitatem. Vel referendo ad custodiam similitudinariè sedentis iam regis: hoc est vt describantur Gratia & Veritas velut custodes regij. Et est sensus quòd gratia & veritas *man*, id est, muneris, hoc est quas pro munere dat mundo, custodient eum, erunt velut custodiæ regis: Christus enim continuè largitate gratiarum & veritate doctrinæ, fidei, &c. donat mundum. Et hæ sunt velut custodiæ eius, comitantes ipsum indefessè. *Sic canam nomen tuum semper, in meo soluere vota mea die die.* Sic, inquit, hac fide, hac spe affectus, canam nomen tuum, non ad tempus sed semper, sine fine: soluendo vota mea, reddendo desiderata debita die, die, hoc est per singulos dies. Amen. *Gratia & Veritas Custodes regij.*

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori pro Iedutbun Psalmus Dauid.*

LXI.

2 *NONNE Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum.*

3 *Nam & ipse Deus meus & salutaris meus, susceptor meus: non mouebor amplius.*

4 *Quousque irruitis in hominem, interficitis vniuersi vos? tanquam parieti inclinato & maceriæ depulsæ.*

5 *Veruntamen pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in siti: ore suo benedicebant & corde suo maledicebant.*

6 *Verumtamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.*

7 *Quia ipse Deus meus & Saluator meus, adiutor meus: non emigrabo.*

8 *In Deo salutare meum & gloria mea: Deus auxilij mei & spes mea in Deo est.*

9 *Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda vestra: Deus adiutor noster in æternum.*

10 *Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris: vt decipiant ipsi de vanitate in idipsum.*

11 *Nolite sperare in iniquitate, & rapinas*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti super Ieduthũ Psalmus Dauid.

LXII.

1 *Propheta.* TANTVM ad Deum † expectans anima mea: ab eo salus mea. (est ... est) † *Deus.*

2 Tantum ipse petra mea & salus mea, fortitudo mea: non labar multa (declinatione).

3 Vsquequo irruetis super virum? occidemini omnes vos, quasi murus inclinatus, maceria impulsa.

4 Tantum à celsitudine eius, (viri) consuluerunt ad impellendum.

5 Volent mendacium: in ore suo benedicent & in medio sui maledicent. *Selah.*

6 Tantum Deum † expecta anima mea: quia ab ipso spes mea. † *Dijs.*

7 Tantum ipse petra mea & salus mea, fortitudo mea: non labar.

8 Super Deo † salus mea & honor meus: petra fortitudinis meæ, protectio mea in Deo †. † *Dijs.*

9 Confidite in eo in omni tempore popule (mi): effundite faciebus eius cor vestrum, Deus † protectio nobis. *Selah.* † *Dijs.* † *Dij.*

10 Tantum vanitas filij Adam, mendacium filij viri: in bilancibus (sunt) ad ascendendum, ipsi plus quam vanitas (ponderati) simul.

11 Ne confidite in fraude, & in rapina: ne

nolite concupiscere: diuitiæ si affluant nolite cor apponere.
12 *Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est & tibi Domine*
13 *misericordia: quia tu reddes vnicuique iuxta opera sua.*

ne vanescite, opulentia quando germinabit ne apponite cor.
12 Vnum locutus est Deus †: duo hæc primum audiui, quia fortitudo Deo †. † *Dij.* † *Dijs.*
13 Secundum Et tibi Domine † gratia: quia tu vnum illud solues viro secundùm opus eius. † *Domini mei.*

COMMENTARIVS.

Titulus est. *Vincenti super Ieduthun Psalmus Dauidi.* Ieduthun aut nomen est instrumenti musici aut vnius trium principum cantorum 1. Paralipom. 25. Sed quomodolibet intelligas, non habetur materia Psalmi. Vnde iuxta Apostolicam regulam quia auctor ex titulo apparet Dauid, & dicta in Psalmo non excedunt Dauidis personam, consequens est vt ad literam Psalmus de Dauide tractet. Et quoniam in multis versiculis Dauid tractat diuinum adiutorium & suam in Deo spem, & in quarto & quinto versiculis hostes suos describit inter alia simulatores ore benedicentes & corde maledicentes, ideo apparet quòd Psalmus iste editus est à Dauide laborante ob persecutionem Saulis: cuius constat initium fuisse huiusmodi simulationes. Verùm diligentiùs perspiciendo progressum Psalmi, non solùm inuenimus hæc quæ dicta sunt esse vera, sed Psalmum hunc esse Psalmum exhortatorium similem Psalmo XXXIV. *Benedicam Dominum in omni tempore*: & quòd Dauid post illam exhortationem habuit hanc secundam exhortationem ad populum sui sequacem: propterea enim infert *confidite in eo in omni tempore popule.*

Materia.

Psalmus exhortatorius.

Est igitur ad literam materia Psalmi exhortatio Dauidis sub persecutione Saulis ad populum cum eo existentem ab exemplo sui, id est, Dauidis, ad expectandum diuinæ prouidentiæ opera tum in hostes tum pro seipsis.

SVMMARIVM EST.

Dauid profugus à facie Saulis, exhortans sequaces suos ad confidendum in Deo posthabitâ fiduciâ tam in homine quàm in humanis rebus quia sunt vanitas, seipsum in exemplum fiduciæ in solo Deo punituro Saulem cum suis, saluaturo autem ac honoraturo Dauidem proponit.

Persona loquens, Propheta est.

VERS. I. *Peculiaris est huius Psalmi stylus.*

Tantvm ad Devm expectans. Psalmus iste singularem habet stylum: vtpote bis proponens materiam: primi namque duo versiculi repetuntur sexto & septimo versiculis. Et propterea singulari modo est diuidendus Psalmus iste in tres partes. In prima proponit seipsum exemplum patienter expectandi Deum ex futura pœna suorum persecutorum: in secunda ibi, *tantùm Deum expecta*, iterum proponit seipsum exemplum ex beneficiis Dei erga se: in tertia parte ex vtrisque hortatur populum ad iactandum se in solo Deo, ibi, *confidite in eo.*

Circa primam partem aduerte quòd tota intentio exhortationis tendit ad hoc vt sequaces Dauidis confiderent in Deo solo, dante in hac vita vnicuique secundùm opera sua. Et propterea Dauid optimus exhortator, multis ad hoc vtitur locis. Et quia plus mouent exempla quàm verba, incipit ab exemplo sui, proponendo illis viris militaribus quòd ipse in solo Deo confidit, cùm ipse esset homo militaris & caput eorum. *Tantùm ad Deum expectans*, est, *anima mea*, ita quòd non expectat ab alio: & rationem subdit: quia *ab eo salus mea*, supple est, quam habeo, & pendet futura. *Tantùm ipse*, Deus, *petra mea*, hoc est, soliditas mea, *& salus mea*, hoc est, saluans me *fortitudo mea*: & ideo *non labar multa*, declinatione. In quibus verbis prophetat Dauid quòd in ista persecutione quàm patitur à Saule etsi cecidit à celsitudine tribunatus, non tamen magnum lapsum incurret: vtpote restituendus in celsiorem gradum, scilicet in regnum.

Exemplo sui suos milites hortatur Dauid.

Secundus locus quo vtitur est à futura pœna Saulis & suorum complicum. Vbi aduerte fuisse Dauidi reuelatam futuram ruinam Saulis & suorum tempore quo hanc exhortationem habuit: vt iste textus insinuat. Nec mirum si non est scripta in libro Regum huiusmodi reuelatio: cùm expressè 1. Reg. 24. recitetur à comitibus Dauidis alia reuelatio Dauidi facta etiam de Saule, cùm dicitur. *Et dixerunt serui Dauid ad eum: Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te, ego tradam tibi inimicum tuum vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis*: quæ tamen reuelatio nullibi est scripta. Et hinc apparet quòd hæc exhortatio fuit post illam scriptam in Psalm. *Benedicam Dominum.*

Ruina Saulis Dauidi reuelata.

1. Reg. 24.

Apostrophans itaque ad Saulem & suos, describit persecutionem prophetando ruinam persequentium, & explicando eorum demerita. *Vsquequo irruetis*, cum impetu venietis, *super virum*, Dauidem: *Occidemini omnes vos.* Ecce Prophetia verificata postea in monte Gelboë. *Quasi murus inclinatus* quasi *maceria impulsa.* Vbi aduerte metaphoram. Murus corruens, maceria impulsa, in ruendo ad opprimendum alios, seipsum destruit. His assimilat Propheta Saulem & suos, quòd irruentes ad opprimendum Dauidem ipsi interibunt: & subaudi, Dauid non opprimetur.

Saul & sui sequaces similes muro inclinato, & maceriæ impulsæ.

Demerita autem subiunguntur: *Tantùm à celsitudine eius consuluerunt ad impellendum.* Verissima describitur causa persecutionis in Dauidem, scilicet magnitudo seu excellentia Dauidis. Vt enim patet in historia libri Regum veritus Saul magnitudinem Dauidis ne augeretur tandem intantum quòd fieret rex, cogitauit variis viis occidere Dauidem. Et hoc est quod hîc dicitur: *tantùm à celsitudine eius* Dauidis formidata, inuisa, & non ob aliam causam, *consuluerunt ad impellendum*, Dauidem in casum mortis.

In

in quo apparet prima radix iniquitatis Saulis. *Volent mendacium, in ore suo benedicent, & in medio sui maledicent.* Primatiæ rationi internæ apud Saulem, apte adiungitur prima executio persecutionis. Incepit siquidem Saul persequi Dauidem, simulatè mittendo ipsum contra Philistæos, petendo etiam præputia Philisthinorum, dando filiam in vxorem vt fieret ei in scandalum. Vnde & dicebat: *Non sit manus mea super eum sed Philisthinorum.* Et propterea hîc dicitur quòd *volent mendacium, in ore suo benedicent, & in medio sui maledicent.* Describuntur autem in futuro non respectu temporis quo editus est Psalmus: sed respectu temporis consilij ex inuisâ celsitudine Dauidis. Ita quòd sensus est: Consuluerunt ad eligendam viam simulatam, ad ore suo benedicendum & corde suo maledicendum. Et futura *volent, benedicent, maledicent,* respiciunt præteritum *consuluerunt.*

Simulatio Saulis in Dauidem.

Vers. 6. TANTVM DEVM EXPECTA. Secunda hæc est pars Psalmi: in qua iterum Dauid proponit seipsum exemplum expectandi Deum. Primum quidem proposuit seipsum exemplum expectandi Deum, afferens pro testimonio futuram ruinam persecutorum suorum: nunc consequenter iterum proponit seipsum in exemplum ad expectandum Deum, afferens in testimonium futuram suam prosperitatem à Deo: vt sic vtrinque (scilicet ex malo & ex bono) inducat populum suum ad confidendum in Deo, ex malo hostium & ex bono proprio. In hac autem repetitione non est sensus differentia: sed participium mutant in imperatiuum: tunc dixit, *expectans anima mea:* nunc alloquitur animam: *expecta anima mea, quia ab ipso spes mea. Tantum ipse petra mea & salus mea, fortitudo mea: non labar,* lapsu totali. Et ecce futurum bonum proprium. *Super Deo salus mea,* innititur, *& honor meus,* promissi mihi regni: *petra fortitudinis mea, protectio mea in Deo.* Prima duo (scilicet salus & honor) exitum respiciunt negotij, quòd Deus saluum honorabit: reliqua duo (petra & protectio) iter respiciunt intermedium quo Deus & proteget & roborabit.

Vers. 9. CONFIDITE IN DEO. Tertia est hæc pars Psalmi. In qua postquam Propheta tribus vsus est locis spectantibus ad propria Dauidis (scilicet ab exemplo suæ fiduciæ, à malo inimicorum suorum, & à bono proprio) nunc directè hortando populum à communibus, quia intendit hortari non solùm quòd confidant in Deo sed quòd confidant solùm in Deo (sicut ipse de seipso totiens repetiit) ideo primum explicat quòd verè confidant in Deo, quia protector communis est sui & eorum.

Ad confidendum in Deo hortatur propheta.

Confidite in eo, non in aliquo tempore, sed *in omni tempore,* tam prosperitatis quàm aduersitatis, *populi.* In Psalmo xxxiv. appellauit eos filios, sanctos, velut blandiendo (vtpote in principio alliciens quadringentos viros) nunc autem multiplicatos & firmatos appellat populum, velut sint tot talesque vt constituant populum vnanimem. *Effundite coram illo corda vestra.* Non sufficit quod confidatis: sed ex intimo corde quicquid speratis, quicquid timetis, totum effundite coram Deo, velut iactantes omnem curam vestram in eum. Et rationem subdit: quia *Deus protectio nobis* est.

Tantum vanitas. Secundò hortatur quòd in nullo alio confidant excludens tria (scilicet hominem, violentiam, & opulentiam) propter vanitatem eorum: hæc enim sunt tria in quibus poterat confidere. *Hominem* quidem: *Tantum vanitas filij Adam, mendacium filij viri.* Inter filios Adam & filios viri intellige differentiam nobilitatis: filij Adam communes homines, filij viri homines illustres. Vtrosque dicit nihil aliud esse quàm vanitatem & simulationem: quod vtinam non experiremur: est enim sermo de hominibus secundùm id quod habent ex se seclusâ diuinâ gratiâ. Et (quod plus est) adiungit quòd si in bilancibus homines ponerentur ex vna parte, & vanitas ex alia parte, plus ascenderet homo quàm vanitas: hoc est, minoris ponderis inueniretur homo quàm vanitas: vt ex hac hyperbolica similitudine intelligerent in homine minus esse confidendum quàm in vanitate. *In bilancibus ad ascendendum* (quod enim est minoris ponderis magis ascendit) *ipsi* homines ex vna parte, *plus quam vanitas,* ex altera parte, *simul* in vna ponderatione.

Inter filios Adam & filios viri quid interest?

Violentiam autem simul & fraudem. *Nolite confidere in fraude & in rapina.* Militare quippe genus hominum & rapere & calumniari, seu fraudem committere consueuit: & in his confidere vsque adeo quòd nihil putant sibi defuturum sed prouisuros sibi rapinâ vel fraude. Et propterea Dauid hanc confidentiam ab eis excludit.

Diuitias autem: *Ne vanescite, opulentia quando germinabit, ne apponite cor.* Commune est hominibus confidere in opulentia: iuxta illud: *& aurum in quo confidunt homines,* Baruch 3. Exclusâ siquidem confidentiâ in fraude seu rapina, in opulentia & in homine, restat vt sperantes in Deo, in solo Deo confidant. Baruch 3.

Vnum locutus. Tertiò hortatur ex conditione diuinæ prouidentiæ: qua & reddit vnicuique iuxta opus suum, & gratiam benignus confert sperantibus in se. *Vnum locutus est Deus*, scilicet dare vnicuique iuxta opus suum: quod in calce subiungitur, *quia tu solues viro secundum opus suum, duo hæc audiui.* Ex isto vno Dei dicto ego intellexi duo: Primum, *quia fortitudo Deo*: alterum, *& tibi Domine gratia.* Duorum siquidem horum alterum scilicet fortitudinem intellexit ex natura operis: nam ad dandum vnicuique secundùm opus suum, oportet habere potentiam quâ possit punire & præmiare secundùm merita. Alterum scilicet gratiam intellexit ex conditione extremorum: hoc est, hominis & Dei. *Hominis* quidem: quia si cum sola iustitia & fortitudine Dei causa hominis ageretur, nullus homo sufferre posset. *Dei* autem: quia ex se Deus est donatiuus gratis. Et intendit per hæc quòd si milites sui prauè agent, recipient à Deo secundùm opera sua: si autem confidunt in Deo, recipient à Deo secundùm gratiam Dei: quâ sine nostris meritis nobis bona confert. Vnde superius nullum suum meritum, nullum suum opus bonum commemorauit, sed tantum fiduciam in solo Deo.

Vbi nota quòd hæc sunt verissima simpliciter & absolutè, restricta autem ad præsentis vitæ tempus, verificantur pro statu veteris Testamenti: in quo Dauid alloquebatur imperfectum populum, ex hac Dei inter illos iustitiâ ac gratiâ firmare eos volens ad confidendum in Deo solo. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus Dauid cùm esset in deserto Iudeæ.*

LXII.

2 *DEVS Deus meus: ad te de luce vigilo.*
Sitiuit in te anima mea: quàm multipliciter tibi caro mea.
3 *In terra deserta, inuia & inaquosa sic in sancto apparui tibi: vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam.*
4 *Quoniam melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te.*
5 *Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas.*
6 *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum.*
7 *Sic memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: quia*
8 *fuisti adiutor meus.*
9 *Et in velamento alarum tuarum exultabo: adhæsit anima mea post te, me suscepit dextera tua.*
10 *Ipsi verò in vanum quæsierunt animam meam: introibunt in inferiora terræ,*
11 *tradentur in manus gladij, partes vulpium erunt.*
12 *Rex verò lætabitur in Deo: laudabuntur omnes qui iurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.*

IVXTA HEBRÆVM.

Psalmus Dauidi existente ipso in deserto Iudæ.

LXIII.

es
1 *Propheta.* DEvs † Deus meus tu, quæram te: sitiuit ad te anima mea, desiderauit ad te caro mea in terra arida & lassa sine aquis. † Dij.
2 Sic in sanctitate vidi te ad videndum fortitudinem tuam & honorē tuū.
3 Quoniam melior gratia tua quàm
ideo
vitæ: labia mea laudabunt te.
4 Sic benedicam te in vitis meis: in nomine tuo leuabo palmas meas.
5 Sicut adipe & pinguedine satiabitur anima mea: & labiis cantuum laudabit os meum.
6 Si memor fui tui super stratis meis: in custodiis meditabor in te.
7 Quia fuisti auxilium mihi: & in vmbra alarum tuarum laudabo.
Ideo
8 Adhæsit anima mea post te: in me
anima mea.
sustentata est dextera tua.
Saulistæ
9 Et ipsi ad desolationem † quærent † desolati
debellati
animam meam: venient in inferiora terræ.
Philistæi Saulem cum suis
10 Facient fluere ipsum super manus
fugientes
gladij: similitudo vulpium erunt.
tunc Dauid
11 Et rex lætabitur in Deo †: laudabitur omnis iurans in eo, quia obstruetur os loquentium falsitatem. † Dij.

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Psalmus Dauidi existente ipso in deserto Iudæ.* Ex quo titulo apparet tam tempus quàm materia Psalmi. Tempus quidem cùm Dauid erat in deserto Ziph: illud enim erat desertum Iudæ, hoc est, sortis tribus Iudæ: in quo vt dicitur 1. Regum 26. habitabat Dauid, & (vt ibi apparet) fuit hoc circa vltimum seu in vltimo anno persecutionis à Saule.

Tempus & materia Psalmi.

Materia autem, pro quatrto hinc habetur quòd Psalmus tractat de Dauide in deserto illo constituto. Quid autem tractet, oportet ex Psalmo ipso accipere. Apparet autem ex decursu Psalmi materiam Psalmi esse dispositionem Dauidis in deserto erga Deum, talem quòd persecutores eius habentes sanctuarium Domini peribunt, ipse autem lætabitur rex. Hæc est ad literam materia Psalmi, editi ea occasione, quia persecutores eius nitebantur eiicere Dauidem de hæreditate Domini, de terra promissionis: vt ipse Dauid in eo capite conqueritur: confutat enim eos, aperiendo quòd in deserto non minùs colit Deum, quàm si esset in sanctuario: vt sequens fructus testabitur: scilicet quòd illi peribunt, ipse autem lætabitur rex.

SVMMARIVM EST.

DAuid profugus à facie Saulis, describit seipsum in deserto vacantem contemplationi &

& laudi [illegible], commemorat [illegible] triplicem: præsentis scilicet sustentationis, & futuri regni, & pœnæ persecutorum.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. DEVS DEVS MEVS TV. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Sitiuit.* Proponit duo. Primum: *O Deus tu Deus meus* supple es. Profitetur Deum esse Deum suum per gratiam cultus, &c. Alterum: *quæram te.* Promittit diligentiam erga ea quæ Dei sunt, simul explicando debitum affectum: ex quo enim profitetur esse Deum suum, consequens est vt affectum applicet ad quærendum quæ Dei sunt.

Pars Executiua. SITIVIT AD TE. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primùm tractatur illa particula, *quæram te.* Secundò illa, *Deus Deus meus tu*, ibi, *quia fuisti.*

Circa inquisitionem Dei primò explicat affectum animæ & corporis. *Sitiuit ad te*, visitandum, colendum sacrificiis & debitis obsequiis in sanctuario tuo, *anima mea: desiderauit ad te caro mea.* Desiderium carnis ad Deum intellige sicut desiderium irrationalium: quo dicuntur desiderare Deum, pro quanto desiderant bona propria, quæ sunt participationes diuinæ bonitatis. Meminit autem desiderij carnis, ad significandum necessitatem opportunorum ad ea quæ corporis sunt: desiderium enim est eorum quibus caremus, vt intelligas Dauidem in deserto passum multa incommoda corporis.

Desiderium carnis ad Deum quodnam?

Secundò describit modum quo inquirit Deum, tum attendendo, tum laudando. *In terra arida & lassa sine aquis*, conditiones sunt deserti illius, *sic in sanctitate vidi te:* hoc est, sic attendi tibi in sanctitate mentis meæ. Vel in sanctitate tua, in summa munditia tua ad hunc effectum, scilicet *ad videndam* mente, *fortitudinem tuam*, potentiam tuam, *& honorem tuum*, quo honorari dignus es ab vniuerso. Rursus *sic benedicam te*, non solùm sic vidi te, sed etiam sic benedicam te *in vita mea, in nomine tuo leuabo palmas meas*, gratias agendo. *Sicut adipe & pinguedine.* Ecce declaratio vtriusque *sic*: sic vidi, sic benedicam, *sicut adipe & pinguedine satiabitur anima mea*, ac si adipe & pinguedine satiaretur anima mea: *& labiis cantuum laudabit os meum*, hoc est, laudaret os meum. Iuxta duo quæ dixerat (scilicet *sic vidi* & *sic benedicam*) duas applicat similitudines. Prima (*sicut adipe & pinguedine satiabitur anima mea*) respicit *sic vidi*: spectat enim ad contemplationem. Secunda (*& labiis cantuum laudaret os meum*) respicit *sic benedicam*: spectat enim ad cantandum, ad laudandum, benedicendum, &c. Et intendit per has similitudines, quòd sic in penuria deserti vacauit Deo, ac si fuisset in abundantia rerum significatâ per pinguedinem & adipem, & ac si fuisset in officio laetantium in cantu & huiusmodi.

[illegible] vacauit [illegible] Dauid [illegible] penuria [illegible] ac in [illegible] abundantia [illegible].

Sed aduerte quod inter hæc textus interserit vnum versiculum continentem rationem, imò introductionem secundi *sic*: *Quoniam melior*, supple est, *gratia tua quam vitæ nostræ, ideo labia mea laudabunt te.* Et tunc continuandum est: non solùm laudabunt te sed tali modo: *sic benedicam te*, non ad horam, sed *in vita mea* &c. Nos enim pro clariori intellectu ordinandæ literæ quoad illas comparationes [illegible].

Tertiò describit nocturni temporis occupationes suas erga Deum. *Si memor fui tui super stratis meis? in matutinis meditabor in te.* Non conditionaliter sed interrogatiue ad maiorem expressionem vigiliæ legendum est, *si memor fui*: hoc est, an memor tui ego fuerim super stratis meis? Plures enim vxores etiam tunc profugus habebat: & propterea dicit pluraliter *stratis meis.* Et oportuit memoriam Dei nocturnam tali modo explicare: quia difficilius est dormientem cum propria vxore, vigilare in diuinis meditationibus. Et ad hoc dubium de seipso ab aliorum pectoribus amputandum, proponit: *si memor fui tui super stratis meis.* Et respondet statim, *in vigiliis meditabor in te:* in vigiliis custodiarum, hoc est, in temporibus quibus mutantur custodiæ nocturnæ, *meditabor in te.* Hoc futurum non respicit tempus scripti Psalmi, sed tempus memoriæ seu facultatis habitæ in stratis eius: quia ex illa facultate seu memoria subsequens erat meditatio in Deo. *Quia fuisti auxilium mihi.* Ecce materia ad meditandum in gratiarum actione. Nec solùm meditabor, sed *& in vmbra alarum tuarum laudabo.* Vbi describitur beneficium protectionis, sicut vmbra alarum maternarum protegit pullos. Et hæc erat altera materia gratias agendi & laudandi Deum.

Plures vxores habebat Dauid etiam tunc profugus.

Vers. 7. QVIA FVISTI. Tractatur hîc illa particula, *Deus Deus meus tu*: declarando Deum esse Deum suum à præteritis & futuris beneficiis, quæ priùs in genere refert non solùm secundùm seipsa, sed vt rationes cæterorum. Et propterea inchoat à coniunctione causali. *Quia fuisti auxilium mihi*, in omnibus: & quoad futura *laudabo* te velut protectus *in vmbra alarum tuarum*, more pullorum sub maternis alis: ideo in primis descendendo ad species beneficiorum, *anima mea adhæsit post te*, fide, spe, charitate, clientelâ, & huiusmodi. Nec vana fuit hæc adhæsio: nam *in me sustentata est*, ipsa anima mea, non viribus propriis, sed *dextera tua.* Separata siquidem fuisset anima mea à me, nisi dextera tua, fauorabilis assistentia tua, adfuisset persequente me Saule.

Deum esse suum declarat ex variis beneficiis.

Et ipsi ad desolationem. Aliud speciale beneficium est futura vindicta persecutorum. *Et ipsi*, persecutores mei, *ad desolationem quærent animam meam.* Inchoat à culpa eorum non desinentium quærere mortem Dauidis: hoc enim est quærere animam ad desolationem, ad tollendam eam de solo corporis. Et duas pœnas subiungit. Prima est: *venient in inferiora terræ.* Ad literam in morte Saulis absconderunt se in cauernis fugientes à facie Philisthinorum: sicut legitur eos fecisse cap. 13 primi Regum. Vbi dicitur, *quod cum vidissent viri Israel se in arcto positos (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis & in abditis, in petris quoque & in antris & in cisternis.* Simile quid accidisse tunc credendum est: cum etiam tunc legatur non solùm eos fugisse, sed etiam habitantes trans vallem & trans Iordanem fugiendo reliquisse ciuitates suas, 1. Regum vltim. Secunda pœna: *Fauent.* Philisthæi, *fluere eum super manus gladij.* Ad literam Saul cum suis vulnerati ceciderunt cum magno sanguinis fluxu in monte Gelboë. *Similitudo vulpium erunt.* Declaratio est primæ pœnæ: quòd scilicet venient in inferiora terræ ad similitudinem vulpium. In textu Hebræo habetur *desola-*

1.Reg 13.6.

tioni : ſed conſtructio mutauit adiunctâ præpoſitione *ad*.

Et rex lætabitur. Tertium beneficium eſt. *Et rex*, hoc eſt, Dauid tunc rex, *lætabitur in Deo*, qui faciet eum regem : *laudabit omnis iurans in eo*, Deo ſaluatore Dauidis : hoc eſt quòd omnes iurantes in Deo pro ſalute & regno Dauidis *laudabuntur*, non malè agent ſed digni erunt laude. Vel *in eo*, rege : ſicut Ioſeph iurauit per ſalutem Pharaonis. Et redit ſententia eadem : quoniam vtronis ſenſu dixit hoc propter ſequaces ſuos: qui fidem ei præſtiterant pro ipſius ſalute, &c. prædicens eſſe laudandos aſſecuto regno qui cùm in deſerto eſſent vituperabantur : vt patet de Nabal vituperante. Vnde & ſubdit : *quia obſtruetur os loquentium falſitatem.* Eleuato ſiquidem Dauide in regem, ſiluerunt linguæ prius dicentium falſitatem : ſcilicet quod Dauid erat conſpirator in regem ſeu regnum, quod non eſſet futurus rex, & ſimilia. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori Pſalmus Dauid.*

LXIII.

2 E*XAVDI Deus orationem meam cùm deprecor : à timore inimici eripe animam meam.*

3 *Protexiſti me à conuentu malignantium: à multitudine operantium iniquitatem.*

4 *Quia exacuerunt vt gladium linguas ſuas : intenderunt arcum rem ama-*
5 *ram, vt ſagittent in occultis immaculatum.*

6 *Subitò ſagittabunt eum & non timebunt: firmauerunt ſibi ſermonem nequam.*

Narrauerunt vt abſconderent laqueos : dixerunt quis videbit eos?

7 *Scrutati ſunt iniquitates : defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.*

8 *Accedet homo ad cor altum : & exaltabitur Deus.*

9 *Sagittæ paruulorum factæ ſunt plagæ eorum : & infirmatæ ſunt contra eos linguæ eorum.*

10 *Conturbati ſunt omnes qui videbant eos : & timuit omnis homo.*

Et annunciauerunt opera Dei : & facta eius intellexerunt.

11 *Lætabitur iuſtus in Domino & ſperabit in eo : & laudabuntur omnes recti corde.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti Pſalmus Dauidi.

LXIV.

1 *Propheta.* AVDI Deus † vocem meam in loqui meo: à timore inimici cuſtodies vitas meas. † Dy.

2 Abſcondes me à ſecreto malignantium : à conuentu operantium iniquitatem.

3 Qui exacuerunt quaſi gladium linguam ſuam : tetenderunt ſagittam ſuam verbum amarum.

4 Ad ſagittandum in abſconditis perfectum : ſubitò ſagittabunt eum, & non timebunt.

5 Roborabunt ſibi verbum malum : narrabunt ad abſcondendũ offendicula, dixerunt quis videbit ea †? † eis.

6 Inquirent obliquitates : compleuerunt inquiſitionem inquiſitam, & medio viri & corde profundo.

7 Et ſagittauit eos Deus † ſagitta ſubitò : fuerunt percuſſiones eorum. † Dy.

8 Et fecerunt impingere ipſum, ſuper ipſos lingua eorum : mouebuntur omnis videns in ipſis.

9 Et timuerunt omnis homo : & annunciauerunt opus Dei † & opus eius intellexerunt. † Deorum.

10 Lætabitur iuſtus in Domino & ſperabit in eo : & gloriabuntur omnes recti cordis.

COMMENTARIVS.

TItulus eſt, *Vincenti Pſalmus Dauidi.* De quo vt ſuprà.

Materia. Materia Pſalmi ex Apoſtolica regula ſumenda videtur. Conſtat ſiquidem ex titulo Dauidem eſſe auctorem Pſalmi, & in perſona propria loqui (vt teſtantur duo primi verſiculi) & ea quæ de eo dicuntur non excedere perſonam eius: vnde conſequens eſt quòd de ipſo Dauide tractet Pſalmus iſte ad literam. Et quamuis progreſſus Pſalmi inſinuat, tractatur liberatio Dauidis à perſecutione Saulis : quoniam in deſcripta hîc perſecutione explicatur perſecutio contra virum iuſtum. Quod ideo dico, vt excludatur perſecutio ab Abſalom : quam pro iniquitatibus ſuis perpeſſus eſt Dauid. Et tractat Pſalmus iſte principia perſecutionis : in quibus Saul non manifeſtè ſed occultis viis tendebat ad mortem Dauidis : vt patet in progreſſu. *Liberatio Dauidis à perſecutione Saul.*

SVM

SVMMARIVM EST.

David timens occultas Saulis machinationes contra vitam suam, recurrit ad Deum, commemorans illas: & exauditus describit vindictam diuinam in Saulem & suos, suámque ac rectorum lætitiam in Deo.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. AVDI DEVS VOCEM MEAM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *abscondes me*. Proponit duo: Primum: *Audi Deus vocem meam in loqui meo:* hoc est, in flebili locutione mea ad similitudinem audientis te præbe. Alterum: *A timore inimici*, Saulis, *custodies vitam meam.*

Vers. 2. ABSCONDES ME. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *a timore inimici*. Secundò illa, *custodies vitas meas*, ibi, *& sagittauit eos.*

Multas timendi rationes proponit Dauid.

Explicat itaque multas timendi rationes. Et primùm à conditionibus persecutorum. *Abscondes me.* Futuro vtitur deprecatiuè, in signum certæ fiduciæ quòd exaudietur. *A secreto malignantium.* Duæ timendæ conditiones, scilicet quòd sunt maligni & quòd secreto tractant. *A conuentu operantium iniquitatem:* non solùm sunt maligni in animo & secreti, sed simul conueniunt & exercent iniquitatem.

Tendere sagittā, quid?

Secundò ab intentione eorundem contra Dauidem: *Quia exacuerunt quasi gladium linguam suam*, consultando contra me: *tetenderunt sagittam suam verbum amarum*, id est, rem amaram: *ad sagittandum in absconditis perfectum*. Hoc est quò tendunt, ad sagittandum occultè Dauidem perfectum: hoc est, nullâ ex parte deficientem aut offendentem. Per tendere autem sagittam intellige ordinationem vt occidatur Dauid: ad hoc enim exacuerunt linguam suam vt ordinarent occisionem Dauidis: quæ est res valde amara.

Tertiò declarat duo in eorū concilio tractata, & dicta nunc summariè. Primū circa id quod dictū est, *tetenderunt sagittam suā ad sagittandum:* explicatur siquidē modus exequendi, scilicet: *Subitò sagittabunt eum:* quod est valde formidandum, *& non timebunt*, offendere Deum: quia *roborabunt sibi verbum malum*, quia erunt robusti in malo. Et hoc ad literam fuit adimpletum: quoniam subitò (hoc est, ex improuiso quando Dauid minus credidit) fuit ordinatum a Saule quòd caperetur & occideretur. Circa alterum dictum (scilicet *in absconditis*) explicat eorum consilia. *Narrabunt ad abscondendum offendicula*, in quæ impingam: *dixerunt quis videbit ea? Inquirent obliquitates*, diuersas vias obliquas mortis meæ: *compleuerunt inquisitionem inquisitam:* hoc est, nullam viam obliquam prætermiserunt, sed inquisitionem viarum obliquarum inquisitam à multitudine conuenientium compleuerunt, ad finem vsque duxerunt: *& medio*, hoc est intimo, *viri & corde profundo*, hoc est, ex intimis cogitationibus viri Saulis: & *corde*, animo, *profundo*, radicato intus, ex intima mente & intimo animo. Hæ sunt rationes timendi.

Diuina vindicta in hostes Dauidis.

Vers. 3. ET SAGITTAVIT EOS DEVS. Tractatur hîc illa particula, *custodies vitas meas*, dupliciter. Primò & diuina vindicta, quam describit per singula correspondentem malis ordinatis contra Dauidem. Vnde contra illud *tetenderunt sagittam ad sagittandum innocentem*, dicitur, *& sagittauit eos Deus*. Contra illud, *subitò sagittabunt*, modò subditur, *sagitta subito*. Et vt intelligas non solùm iactas diuinas sagittas, sed effectu percussisse (ad quod non potuerunt pertingere sagittæ Saulis contra Dauidem) subiungit: *fuerunt*, in veritate, *percussiones eorum*, à diuinis sagittis. Contra illud, *absconderunt offendicula*, modò subiungitur: *& fecerunt impingere ipsum*. Contra illud, *exacuerunt vt gladium linguam suam*, modò subditur: *super ipsos lingua eorum*. Et demum contra illud, *inquirent obliquitates*, &c. & *medio viri & corde profundo*, subiungetur pòst: *mouebuntur omnis videns.*

In crimen diuinationis impegit Saul consulēs Pythonissam.

Et in primis quidem vindictis describitur mors Saulis cum suis. *Sagittauit* siquidem *eos Deus subitò:* hoc est, ex improuiso, quando minus crediderunt. Quod autem dicitur, *& fecerunt impingere ipsum*, ad crimen diuinationis in Pythone spectat. In quod velut impegisse dicitur: quia non erat solitus ad sortilegos & diuinos recurrere: imò eraserat de terra magos & ariolos: vt patet in fine primi Regum. Et quòd quasi impulsus ab aliis hoc fecerit, quamuis alibi scriptum non sit, rationabile tamen est vt suasu aliquorum hoc fecerit, videns se non habere responsum aliquod à Deo. Quod ex eo rationi consonat quòd erat inimicus huiusmodi diuinatoribus: & videmus malos suasores non deesse principibus. Ita quòd responsio Samuelis quam audiuit apud Pythonissam, videtur esse repentina illa sagitta quā Deus ipsum percussit: *cras tu & filij tui mecum eritis*. 1.Reg.28.19 Vnde subsecutus effectus, *fuerunt percussiones eorum*, adiungitur. Et esset ordinanda litera sic: *Et fecerunt impingere ipsum*, Saulem in crimen diuinationis: *& sagittauit eos Deus sagittā subitò*, inopinatæ ac instantis mortis à Samuele prædictæ: *fuerunt percussiones eorum, super ipsos lingua eorum*, quā consuluerunt Pythonissam. Primi Paralip. 10, inter causas mortis Saulis dicitur: *Insuper Pythonissam consuluerit: propter quod interfecit eum*, &c. 1.Paralip.10. v.13.14. Sic enim lingua eorum fuit super ipsos. In subiunctis verò pòst verbis, *mouebuntur*, &c. describitur consummatio vindictæ diuinæ contra Saulem, tollendo à domo eius regnum: iuxta verbum Samuelis prædictum etiam cùm viueret.

Quatuor actus videntium diuinā vltionem.

Et describuntur quatuor actus videntium diuinam vindictam. Primus transmutationis voluntariæ à progenie & gente Saulis ad Dauidem. *Mouebuntur*, à domo Saulis *omnis videns*, pro, singuli videntes, *in ipsis*, Saule & suis diuinam vltionem. Secundus timoris: *Et timuerunt*, à facie Dei, *omnis homo*, supple videns huiusmodi vindictam. Tertius: *& annunciauerunt opus Dei*, fuisse, *& opus eius* (scilicet Dei) *intellexerunt* quartò, fuisse, & esse abiectionem domus Saulis à regno cum translatione regni ad Dauidem. Vnde populus Israël eligentes Dauidem in regem, dixerunt 2 Regum 5. *Dominus dixit ad te, tu pasces populum meum* 2.Reg.5.2. *& eris dux super Israel.* Et describuntur hîc multa futura in præterito, propter certitudinem prophetiæ.

Vers. 10. LÆTABITVR IVSTVS. Descriptâ diuinâ vindictâ in Saulem tanquam præuiâ ad salutem Dauidis & regnum eius: describitur modò non solùm liberatio vitæ Dauidis à periculis ex

Saule, sed cumulatum beneficium : tum lætitiæ. *Lætabitur iustus*, Dauid, *in Domino*, gratias agendo Domino liberatori. Tum spei ad promissi sibi regni assecutionem : *& sperabit in eo*, Deo, non in seipso. Tum communis consolationis & exaltationis rectorum : *& gloriabuntur*, laudabunt se, scilicet in Domino, non aliqui, sed *omnes recti cordis*, videndo iustum Dauidem adiuuari & exaltari à Deo, & iniquos Saulem cum suis exterminari. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori Psalmus Dauid cantici.*

LXIV.

2 *TE decet hymnus Deus in Sion : & tibi reddetur votum in Hierusalem.*

3 *Exaudi orationem meam : ad te omnis caro veniet.*

4 *Verba iniquorum præualuerunt super nos : & impietatibus nostris tu propitiaberis.*

5 *Beatus quem elegisti & assumpsisti : habitabit in atrijs tuis.*

Replebimur in bonis domus tuæ : sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

6 *Exaudi nos Deus salutaris noster : spes omnium finium terræ & in mari longè.*

7 *Præparans montes in virtute tua, accin-*
8 *ctus potentia : qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum eius.*

9 *Turbabuntur gentes & timebunt qui habitant terminos à signis tuis : exitus matutini & vespere delectabis.*

10 *Visitasti terram & inebriasti eam : multiplicasti locupletare eam.*

Flumen Dei repletum est aquis : parasti cibum illorum, quoniam ita est præparatio eius.

11 *Riuos eius inebrians multiplica genimina eius : in stillicidijs eius lætabitur germinans.*

12 *Benedices coronæ anni benignitatis tuæ : & campi tui replebuntur vbertate.*

13 *Pinguescent speciosa deserti : & exultatione colles accingentur.*

14 *Induti sunt arietes ouium & valles abundabunt frumento : clamabunt, etenim hymnum dicent.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti Psalmus Dauidi canticum.

LXV.

1 *Propheta.* TE† expectat laus Deus† in Sion : & tibi soluetur votum. † tibi. † Dy.

2 Audiens orationem : vsque te omnis caro venient.

3 Verba iniquitatum roborata sunt plus me : rebelliones nostras tu donabis ipsas.

4 Beatitudines [illius erunt, quem] eliges & admouebis [tibi], habitabit atria tua : satiabimur in bonitate domus tuæ, sanctitate templi tui.

5 Terribilia in iustitia respondebis nobis Deus salutis nostræ : confidentia [tu] omnium finium terræ & maris longinquorum.

6 Firmans [tu] montes in virtute sua [montium] : accinctus [tu] in potentia,

7 Faciens quiescere sonitum mariùm : sonitum vndarum eorum & tumultum gentium.

8 Et timuerunt habitatores finium [terræ & maris] à signis tuis : exitus manè & vesperi laudare facies.

9 Visitasti terram & fecisti [nos] desiderare eam, multum ditabis eam : riuus Dei † plenus aquarum, præparabis frumentum eorum quia sic præparabis eam. † Deorum.

10 Sulcos eius satia, deprime cumulos eius : imbribus liquefacies eam, germini eius benedices.

11 Coronasti annum bonitatis tuæ : & viæ tuæ stillabunt pinguedinem.

12 Stillabunt habitacula deserti : & exultatione colles cingentur.

13 Vestient se campi oue, & valles amicient se frumento : clangent, etiam canent.

COM-

COMMENTARIVS.

Canticum in titulis Psalmorum, quid significet?

TItulus est: *Vincenti Psalmus Dauidi canticum.* In quo vt superiùs diximus, Psalmus & Canticum sunt synonyma. Et ideo Psalmus tanquam commune nomen omnium hymnorum huius libri intelligitur: Canticum autem quando apponitur, nomen est officij, denotans lætitiam materiæ aut humanæ vocis musicam. In proposito ad lætitiam spectat.

Materia.

Materia Psalmi (vt ex ipso Psalmo colligitur) est cultus meritò exhibendus Deo in Sion, pro beneficiis diuinis quæ continuè conferuntur humano generi & præcipuè colentibus eum. In principio namque Psalmi proponitur decentia cultus: deinde subiunguntur diuersa beneficia vsque ad finem Psalmi.

SVMMARIVM EST.

DAuid ex beneficiis diuinis, spiritualibus quidem tum venia peccatorum, tum electorum satietatis in bonitate & sanctitate; corporalibus pluuiarum, fontium, temporum, vbertatis, &c. in terra promissionis: canit optimè quadrare vt Deo laudes & vota soluantur in Sion.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. TE EXPECTAT LAVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *vsque te.* Proponit duo. Alterum quòd laus in Sion expectat Deum: hoc est, non vanâ sed certâ spe expectat diuina beneficia ac diuinam gratiam. Et meminit *Sion:* quia ibi fecit tabernaculum Dauid in quo posuit arcam Domini. Et excludit per hoc obiectionem opponentium quòd in Silo (vbi erat tabernaculum factum à Moyse, & vbi olim fuerat arca Domini) & non in Sion colendus erat Deus. Alterum. *Et tibi soluetur votum audiens orationem:* hoc est, quòd debet tibi exaudienti solui votum etiam in Sion. Ita quòd non solum est meritorium laudare Deum in Sion, sed adimpletio votorum debet etiam fieri in Sion. Et nota quòd in primo alloquitur Deum, *te expectat laus Deus:* in secundo alloquitur Deum vt audientem orationem. Et aptè nam redditio voti refertur ad exauditorem orationis. Et vtrumque est vocatiui casus.

In Silo erat Tabernaculum Moysis, & Arca.

Vers. 2. VSQVE TE. Incipit hic pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *te expectat Deus laus in Sion.* Secundò illa particula, *& tibi soluetur votum,* ibi, *exitus mane.*

Circa primum quatuor futura beneficia diuina affert, quæ expectantur ex diuino cultu in Sion. Primum beneficium est remissio peccatorum. Cuius descriptio ordinanda est sic: *Verba iniquitatum roborata sunt plus me.* Et intendit per verba, res, id est, gesta, actus, maculæ, reatus & huiusmodi iniquitatum præualuerunt super me, superauerunt me. Et per pronomen *me* demonstrat genus hominum: ita quòd fatetur se succubuisse iniquitatibus. Deinde: *Rebelliones nostras tu donabis ipsas.* Nos quidem non possumus abigere à nobis iniquitates: & propterea tu clementissimus donabis ipsas nostras rebelliones contra te: quod est te remittere peccata. Et tunc subiunge clausulam prius [illegible]:

Quatuor beneficia commemorat ex diuino cultu in Sion.

scilicet, *vsque te omnis caro venient.* Donabis, inquam, non post mortem, sed vsquequo singuli homines venient ad te: hoc est, quamdiu ducent hanc vitam, quâ finitâ pertingent ad te, ad statum spirituum, in quo non est amplius tempus veniæ: sed totum tempus veniæ est donec carnalis cursus peruenіet ad te, ad statum spirituum. In Hebræo habetur *tibi:* sed constructio mutauit casum. Et potes hoc aliter intelligere quàm pro tempore veniæ: nam potest significare rationem necessariæ veniæ: quia scilicet *omnis caro,* omnis homo, tandem, *veniet vsque te,* veniet ad tribunal tuum ad reddendum rationem tibi. Quod impletur in morte vniuscuiusque.

Beatitudines. Secundum beneficium est electio iustorum. Quod primò describitur à duabus actionibus diuinis. Altera est electio: altera facere electum appropinquare, sine dubio ad Deum. Et à præmio beatitudinis hic in spe & postea in re inchoat. *Beatitudines,* supple erunt illius, quem *eliges,* Ecce prima actio: *& admouebis,* applicabis ad te, ecce secunda actio. *Habitabit atria tua.* Fructus diuinarum actionum sunt isti, scilicet, habitare in atriis tuis: nullus vicinior domui Dei locus quàm atria. Per quod intellige tantam mentis deuotionem significari, vt relictâ domo propriâ, atria domus Dei elegerit pro habitaculo. *Satiamur in bonitate domus tuæ.* Mutando singularem in pluralem numerum, significat non vnam singularem personam descripsisse, sed genus electorum. In quo seipsum connumerat: *Satiabimur,* inquit, *in bonitate domus tuæ, sanctitate templi tui.* Vtraque est cibus animæ tam bonitas quàm sanctitas. Et vtraque vni & eidem attribuitur: nam templum Dei idem est quod domus Dei. Hæc sunt beneficia electorum, quibus meritò dicuntur beati.

Electio iustorũ à duplici Dei actione.

Vers. 5. TERRIBILIA IN IVSTITIA RESPONDEBIS NOBIS. Tertium beneficium simul cum quarto (timoris scilicet & spei) commemorantur, & sunt beneficia communia.

Terroris quidem, tum quibus Deus iustitiam vindicatiuam exercet quandoque, velut monitoria hominum ad salutem: vt in sepulchris concupiscentiæ, in combustione Core, in sepultura Dathan & Abiron. Hæc enim significantur dicendo: *Terribilia respondebis nobis in iustitia Deus salutis nostræ.* Tum quibus comminatur proferens signa & prodigia multa: vt miracula & terræmotus, conflagrationes, fremitus maris, & alia huiusmodi; quæ non solùm sunt res quæ fiunt, sed signa diuina: hoc est signa diuinæ prouidentiæ, ordinata, scilicet à diuina prouidentia ad significandam suam iustitiam ac potentiam. Et hæc explicantur postea: *Et timuerunt habitatores finium,* hoc est, extremitatum terræ, *à signis tuis.*

Beneficium timoris.

Spei autem, tum ex opere formationis seu stabilitionis montium in fortitudine seu virtute eorum. Hinc enim rationem confidendi in Deo habent tam omnes terræ quàm omnia maria: hoc est habitatores terræ & insularum. Magna quippe fiduciæ ratio in Deo, est magnitudo potentiæ qua stabiliuit montes. Et hoc exprimitur dicendo. *Confidentia, tu es, omnium finium terræ & maris longinquiorum,* quantumcunque distantium

Beneficium Spei.

tium, *firmans montes in virtute sua*, id est, ipsorum montium. Tum ex opere sedationis: quo scilicet sedat fremitum marium & fluctuum eorum, & tumultus multitudinum gentium: nam & hæc diuina potentia quæ monstratur in huiusmodi sedationibus, ratio confidendi est in Deo: sicut ipsi sonitus marium & tumultus gentium sunt rationes timendi vt signa diuinæ iræ. Et quoad hæc ait: *Accinctus in potentia*, seu fortitudine, tu *faciens quiescere sonitum marium, sonitum vndarum eorum & tumultum gentium.*

Timor Dei & fiducia in eo dona Dei sunt.

Aduerte hîc duo: Primum est; Tam timere Deum quàm confidere in Deo, dona Dei sunt: & quòd magnum beneficium confertur homini à Deo quando conceditur illi quòd ex terribilibus Dei operibus etiam mediantibus causis secundis insurgat in eo timor Dei: tanquam huiusmodi terribilia sint monitoria diuina ad salutem. Et similiter magnum Dei donum est quòd homo ex operibus diuinæ potentiæ etiam naturalibus erigatur in spem & confidentiam in diuina potentia. Hæc enim dona Dei non conceduntur omnibus, sed colentibus eum, sed merito cultus diuini expectantibus. Alterum est quòd ordo literæ prius affert Deum vt rationem vtriusque doni (timoris scilicet & confidentiæ) dicendo: *terribilia respondebis, confidentia omnium.* Deinde subiungit opera diuina ad vtrûque: timorem scilicet & spem: *firmans montes*, &c. Et demum subdit effectum timoris, *& timuerunt:* significando relata opera esse non solum opera sed signa Dei. Sed nos prius ordinauimus separando, vt accommodaremus singula singulis.

Vers. 8. EXITVS MANE ET VESPERI. Tractatur hîc illa particula, *& tibi soluetur votum*, dupliciter. Primò describendo votum: Deinde beneficia diuina pro quibus redditur votum.

Et votum quidem describitur à iugi sacrificio quod in domo Dei offerebatur: manè scilicet & vesperi. *Exitus mane*, matutini temporis, & similiter *vesperi*, vespertini temporis, ratione sacrificij iugis *laudare facies*, in Sion: pro quanto exeuntes homines ab oblatione tam matutini quàm vespertini sacrificij facies exire laudantes: ibant enim multæ deuotæ personæ horâ sacrificij ad diuinum cultum: sicut modò eunt mane & vesperi ad diuina officia.

Horâ sacrificij multa deuota persona ad diuinum cultum conueniebāt.

Beneficia autem pro quibus iuge sacrificium offerebatur, commemorantur bona in terræ promissionis feracitate & vbertate: tanquam pro terra promissionis data & seruanda, iuge sacrificium pro gratiarum actione assiduo centu offeratur. Vbi primò in genere diuinum beneficium describitur: *visitasti terram*, promissionis. Ecce effectus: *& fecisti*, nos, *desiderare eam*: quia *multum ditabis eam*, feracitate, vbertate, &c. Secundò describit in specie visitationem diuinam quantùm ad prouisionem aquarum: tum quoad aquas fontium, tum quoad pluuias. Et de aquis quidem fontium: *Riuus Dei*, fluminum & fontium, *plenus aquarum.* Ecce fructus: *præparabis frumentum eorum* (præparatio enim terræ ad frumentum, aquis fit) *quia sic præparabis eam*, terram: Ecce sic: *Sulcos eius satia, deprime cumulos eius.* Opus describitur agriculturæ quo lirantur porcæ inter sulcos distantes, cooperiendo frumentum satum æquando terram. De aquis verò pluuialibus. *In imbribus*. id est. vehementibus pluuiis, *liquefacies eam*, terram, *germina eius benedices*, multiplicando.

Tertiò describit eandem quantùm ad prouisionem temporum bene dispositorum. *Coronasti annum benignitatis tuæ:* hoc est, integrum annum benignitatis tuæ reuoluisti: coronatio enim ad integram circulationem significandam posita est: *& viæ tuæ*, quatuor temporum (veris, æstatis, autumni & hyemis: hæ enim sunt viæ Dei: vt pote cœlestes) *stillabunt pinguedinem*, efficient abundantiam.

Via Dei, quatuor anni tempora.

Demum fructus diuinæ visitationis tam in aquis quàm in benigna dispositione temporum describitur per quatuor loca terræ: desertum, colles, campos, & valles. *Stillabunt habitacula deserti.* In quo montes comprehensi videntur, tanquam stillantes pinguedinem. *Et exultatione colles cingentur: vestient se campi oue*, multitudine ouium, *& valles amicient se frumento.* Metaphorici sunt omnes huiusmodi sermones, abundantiam frumenti & pecorum & pascuorum aliorumque vegetabilium significantes per huiusmodi metaphoras. Metaphoricè quoque concluditur: *clangent, etiam canent:* hoc est ad similitudinem clangentium, instrumentis musicis sonantium, & canentium modulatione humanæ vocis, iucunditatem præ se ferent vel facient homines clangentes & canentes. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori canticum Psalmi.*	Vincenti canticum Psalmi.
LXV.	**LXVI.**
2 *IVBILATE Deo omnis terra: Psalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius.*	1 *Propheta.* CLANGITE Deo † omnis terra. † *Dys.* 2 Cantate honorem nominis eius: ponite honorem laudem eius.
3 *Dicite Deo quàm terribilia sunt opera tua Domine: in multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici tui.*	3 Dicite Deo †. *Vox mundi.* Quàm terribilis tu operibus tuis: in multitudine fortitudinis tuæ mentientur tibi inimici tui. † *Dys.*

4 Omnis

4 *Omnis terra adoret te & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo.*

5 *Venite & videte opera Dei: terribilis in consiliis super filios hominum.*

6 *Qui conuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede: ibi lætabimur in ipso.*

7 *Qui dominatur in virtute sua in æternum: oculi eius super gentes respiciunt, qui exasperant non exaltentur in semetipsis.*

8 *Benedicite gentes Deum nostrum: & auditam facite vocem laudis eius.*

9 *Qui posuit animam meam ad vitam: & non dedit in commotionem pedes meos.*

10 *Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti sicut examinatur argentum.*

11 *Induxisti nos in laqueum: posuisti tribu-*
12 *lationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra.*

Transiuimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium.

13 *Introibo in domum tuam in holocaustis:*
14 *reddam tibi vota mea quæ distinxerunt labia mea.*

Et locutum est os meum: in tribulatione mea.

15 *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offeram tibi boues cum hircis.*

16 *Venite, audite: & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ.*

17 *Ad ipsum ore meo clamaui: & exaltaui sub lingua mea.*

18 *Iniquitatem si aspexi in corde meo: non exaudiet Dominus.*

19 *Propterea exaudiuit Deus: & attendit voci deprecationis meæ.*

20 *Benedictus Deus: qui non amouit orationem meam & misericordiam suam à me.*

4 Omnis terra incuruabunt se tibi & canent tibi: canent nomen tuum. *Selah.*

5 *Propheta.* Venite & videte opera Dei †: terribilis opere super filios Adam. † *Deorum.*

6 Vertit mare in aridam †, in flumine pertransibunt in pede: ibi lætabimur in eo. † *arida.*

7 Dominans in fortitudine sua mundo: oculi eius in gentes aspicient, rebelles non exaltabuntur sibiipsis. *Selah.*

8 Benedicite populi Deum nostrum: & audire facite vocem laudis eius.

9 Qui posuit animas nostras in vitis: & non dedit ad labendum pedem nostrum.

10 Quoniam probasti nos Deus †: purificasti nos sicut purificatur argentum. † *Dij.*

11 Fecisti venire nos in rete: posuisti angustiam in lumbis nostris.

12 Fecisti equitare hominem capiti nostro: venimus in ignem & in aquas, & fecisti nos exire ad irriguam.

13 Ingrediar domum tuam in holocaustis: soluam tibi vota mea.

14 Quæ aperuerunt labia mea: & locutum est os meum in angu-quæ fuit-stia mihi.

15 Holocausta pinguium ascendere faciam tibi: cum incenso arietum faciam vaccinam cum hircis. *Selah.*

16 Venite, audite: & narrabo omnes timentes Dei † quæ fecit animæ meæ. † *Deorum.*

17 Ad ipsum ore meo vocaui: & exaltans sub lingua mea.

18 Iniquitatem si vidi in corde meo: non audiet Dominus †. † *Domini mei.*

19 Propterea audiuit Deus †: auscultauit in voce orationis meæ. † *Dij.*

20 Benedictus Deus †: qui non cessare fecit orationem meam & gratiam suam à me. † *Dij.*

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Vincenti canticum Psalmi.* De quo vt suprà.

Materia Psalmi (quantùm superficies Psalmi præ se fert) est inuitatio mundi ad laudandum Deum, narrando illi quomodo Deus se habuit secum, hoc est cum populo Hebræo. Interius autem contemplando, apparet Prophetam auctorem Psalmi, induentem personam Hebræi populi, duo præter inuitationem & narrationem exercere officia. Alterum prophetandi totum mundum adoraturum Deum: vt clarè testatur quartus versiculus. Et hæc est ad literam ratio quare inuitat totum mundum. Alterum instruendi ab exemplo diuinam gubernationem erga suos

fui [illegible] cultores. Et propterea inuitat mundum ad videndum opera Dei erga populum suum tam intus quam extrà, & hostes eorum: vt patet in decursu Psalmi.

Vnde [illegible] P[illegible] huius ad literam est [illegible] omnes adoraturi Deum, quod tunc futurum [illegible] tempore Messiæ inuitando mundum [illegible] in [illegible], & instruendo [illegible] a Deo, ab exemplo populi Hebræi loquentis & inuitantis.

SVMMARIVM EST.

Populus veteris Testamenti prophetans omnem terram adoraturam Deum, inuitat ipsam ad laudandum Deum: instruens ipsam opera Dei quibus se gubernauit: exterius quidem miraculis & probationibus purgatoriis: interius autem gratia & oratione assidue.

Persona loquens Propheta est in persona Hebræi populi, introducti in terram promissionis.

Vers. 1. CLAMATE DEO OMNIS TERRA. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *dicite Deo*. Proponit

Tria mundo proponit. tria mundo. Primum quod tubis intonent ad laudem diuinam: *clamate Deo omnis terra*, nullâ exceptâ. Secundum quod voce humanâ musica, diuini nominis honorem concinant: *cantate honorem nominis eius*. Tertium quòd honorem simpliciter & absolute attribuant Deo: *ponite honorem laudem eius*: hoc est, loco laudis attribuite illi honorem. Vbi significatur quòd melius quid quam laus, (scilicet honor) exhibendum est Deo: laus enim diuina ad honorem eius refertur: & nisi honorando laudetur, laus non est. Et dixit hoc ad differentiam poëtarum, laudantium Deum non vt honorem exhibeant Deo: quem non credunt scire, & curam habere nostrarum laudum.

Vers. 3. DICITE DEO. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *omnis terra*. Secundò tractatur illa particula, *clamate*, ibi, *venite & videte*. Tertiò illa, *cantate*, ibi, *benedicite populi*. Quartò illa, *ponite*, ibi, *venite audite*. Primum itaque Propheta velut reddens rationem [illegible] inuitet mundum (quia vt dictum est, non solum [illegible] proponit, imò [illegible]) Primum quod Deus est [illegible] in operibus suis [illegible] significatur potentia [illegible] dominii. *Dicite Deo*, hæc scilicet: *quam terribilis es Deus, operibus tuis*. Alterum [illegible] effectum explicat diuinarum operationum, scilicet quod non omnes in veritate colent Deum, quantumcunque terribilis sit Deus in operibus suis: *in multitudine fortitudinis tuæ*, manifestate mundo, *inimici tui*, hoc est, inimici non te amantes sed odio habentes, *mentientur tibi*, confitentes se nosse Deum factis autem negantes. [illegible] hoc tamen erit hic communis effectus quod *omnis terra* [illegible] *tibi*, adorabunt te: nec solum adorabunt sed *cantet tibi*, id cantent *nomini tuo*.

Vers. [illegible] [illegible] Tractatur hîc illa particula [illegible] [illegible] est [illegible] multitudine [illegible] [illegible] omnes homines [illegible] non solum

Opera Dei triplicia. populus veteris Testamenti ad [illegible] opera Dei triplicia. Primum genus est eorum quæ spectant ad diuinam potentiam: secundum eorum quæ [illegible] ad gubernationem electorum exteriùs: tertium genus est eorum quæ spectant ad gubernationem electorum interiùs in anima. Vt ex his tribus generibus [illegible] Deo in ipso populo veteris Testamenti, intelligat mundus ab exemplo qualiter Deus aget cum mundo colente ipsum. *Venite*, studio, *& videte*, intentio mentis oculo, *opera Dei*, quia *terribilis opere*, non vanis. est *super filios Adam*. *horrendum*, inquit, Apostolus, *est incidere in manus Dei viuentis*.

Et opera quidem potentiæ [illegible] primùm in effectibus bonis. *Vertit mare*, [illegible], *in siccam*. In Hebræo habetur in datiuo *aridæ*. *In flumine*, Iordanis, *pertransibunt in pede*, siccato flumine Iordanis tempore Iosuæ pertransierunt in pede, non in equo, non in curru. Describitur autem in futuro respectu transitus maris rubri, tanquam consequens ad illum, ita quòd futurum *pertransibunt* respicit præteritum *vertit*. *Ibi*, in terra promissionis peracto [illegible] Iordane, *lætabimur in eo*, scilicet Deo.

Deinde in effectibus malorum quæ intulit hostibus Hebræorum. *Dominatur in fortitudine sua mundo*. Quando Deus gubernat mundum per causas secundas sine miraculo, apparet quòd Deus non se impediat de mundo, sed relinquat homines dominari prout possunt: quando verò Deus apponendo miracula destruit aut mutat regna, tunc apparet quòd ipse dominatur mundo vel seculo illi in quo hæc facit. Et quia tunc temporis Deus destruxit gentes illas & dedit terram earum populo Israël multis adhibitis miraculis, quæ Propheta tetigit in facto maris rubri & Iordanis, ideo describitur Deus dominans in fortitudine sua mundo. Et vt clariùs intelligas, *oculi eius in gentes aspicient*, eiiciendas: *rebelles non exaltabuntur sibiipsis*. Appellat gentes illas rebelles: quia secundum veritatem tot multiplicauerunt peccata vt essent vere rebelles Deo colentes idola: iuxta illud: *nondum sunt completæ iniquitates Amorrhæorum*, Genes. 15. Hi non sunt exaltati sibiipsis: expressio est finis eorum, quòd non quærunt nisi bonum proprium. Et scito quòd futura, *aspicient & non exaltabuntur* referuntur ad antecedens dominium Dei, respectu cuius describuntur futura.

Cum Deus mundum per causas secundas sine miraculo gubernat videtur quòd [illegible] se imp[illegible] de mun[illegible]

Vers. 8. BENEDICITE POPVLI. Tractatur hîc illa particula, cantate honorem nominis eius, declarando qualiter Deus gubernat electos suos quoad exteriora. Et consistit in hoc: quòd Deus curam electorum suorum sic habet vt prouideat eis quidem bona, sed probando, purgando quemadmodum purificatur argentum, ita quòd inde electi gratias agunt & promouentur [illegible] meliora.

Hunc progressum describit populus veteris Testamenti, narrando qualiter Deus fecerit [illegible] ab Ægypto. *Benedicite populi*, omnis terra, *Deum nostrum*, Hebræorum per gratiam [illegible] nec solum benedicite sed *facite audire*, [illegible] omnes, *vocem laudis eius*. *Qui posuit* [illegible] *stram in vitis*. Summariè præponit [illegible] nem diuinam quoad terminum & [illegible]. Quoad terminum quidem: *qui posuit* [illegible] non ad mortem, sed *ad vitam* [illegible] verò: *& non dedit ad labendum pedes* [illegible]. Et intendit quòd quamuis [illegible] fuerit ducens nos per multas [illegible] tamen permisit nos inter tribulationes [illegible]

c[illegible]

omnem animam nostram ordinauit ac perduxit ad ea quæ sunt vitæ.

Quoniam probasti. Describit rationem quare Deus eos tribulauerit. *Quoniam probasti nos Deus, purificasti nos sicut purificatur argentum:* ad similitudinem tentantis & purificantis argentum probasti, non vt disceres sed vt disceremus, & purificasti nos, à culpis & imperfectionibus nostris. Ideo *fecisti venire nos in rete.* Ecce vna probatio, locatio Hebræorum in reti. Et intellige per rete Ægyptum: quia ab ea populus Israël exire nequibat, Pharaone detinente. *Posuisti angustiam in lumbis nostris.* Per quod intellige oppressionem populi in Ægypto in operibus duris, luti & lateris, &c. Hæc enim appellat angustiam seu stridorem lumborum: quia propter illa stridebant seu angustabantur lumbi eorum.

Rete. Ægyptus.

Fecisti equitare hominem capiti nostro. Tertia est hæc probatio, quâ describitur vexatio populi ab exactoribus Pharaonis, compellentibus ad laborem vltra vires. Potes quoque intelligere describi hîc equitatum Pharaonis quando persecutus est populum egressum non valentem euadere, ita vt dixerint Moysi: *Tulisti nos vt moreremur in solitudine.* Tunc enim ad literam equitare fecisti hominem Pharaonem ad caput nostrum, tollendum. Metaphoricè autem fecisti equitare exactores ad caput nostrum, ad affligendum corpora nostra.

Vexatio populi ab exactoribus Pharaonis.

Venimus in ignem & in aquas. Reliquas omnes tribulationes tum in Ægypto, tum in via vsque ad Iordanem, summariè describens colligit ad duo contraria: ignem & aquam. Ita quòd metaphoricus est sermo, describens vniuersa mala per ignem & aquam. Ac si dixisset: & ne immoremur numerando singula, venimus in ignem & in aquas, id est, per omnia mala. *Et fecisti nos exire ad irriguum*, terram promissionis. Totum hoc effectus est probationis. Quoniam probasti & purificasti nos sicut argentum, ideo fecisti has omnes probationes, & tandem quemadmodum argentum purificatum fecisti nos exire ad viuendum in terra promissionis.

Igne & aquâ cæteras tribulationes comprehendit.

Ingrediar domum tuam. Progressus ac fructus introducti populi in terram promissionis, describitur in ordine ad Deum. *Ingrediar domum tuam in holocaustis*, sacrificiis quæ tota cremabantur, *soluam tibi vota mea. Quæ aperuerunt labia mea*, vt exirent extra: *& locutum est os meum in angustia mihi*, tempore quo mihi erat angustia. *Holocausta* autem, non qualiacunque, sed *pinguium ascendere faciam.* Dicuntur holocausta ascendere, quia totum holocaustum consumebatur in ascensu ignis & fumi *cum incenso*, hoc est adipe, *arietum*, quod incendebatur in sacrificiis. *faciam vaccinam cum hircis.* In quibus expressit omnia genera animalium quadrupedum quæ offerebantur, id est, vaccinum, ouinum, & caprinum: & expressit omnia genera sacrificiorum: scilicet holocausta, & hircos pro peccato, & pacifica in incenso arietum, & oblationes votiuas.

[illegible]

Vers. 16. VENITE AVDITE. Tractatur hîc illa particula *ponite honorem laudem eius.* Postquam declarauit quomodo gubernati sunt à Deo in exterioribus cum gloria diuini nominis: declarat modò quomodo egit Deus secum secundùm intima quibus maximè honoratur Deus. Et consistere dicitur interna Dei gubernatio in duobus, scilicet, oratione (hoc est continuo recursu ad Deum) & munditia cordis ab iniquitate: his enim duobus gubernatum interius se testatur à Deo. *Venite*, studio, *audite* (superius dixit *venite & videte opera Dei*, quia videri possunt: nunc dicit *audite*, quia ea quæ latent in animo audiri potius quâ videri possunt) *omnes timentes Deum:* non inuitantur omnes sed soli timentes Deum ad audiendum hæc interna: quia non omnes sunt capaces. *Et narrabo quæ fecit*, supple Deus, *animæ meæ*, intus. Ecce primum. *Ad ipsum ore meo vocaui*, recurri, *& exaltaui sub lingua mea:* hoc est, non qualitercunque ore meo inuocaui, sed & *exaltans* fui ipsum *sub lingua mea*, intus in meditatione pectoris mei. Et significat augmentum orationis, inchoantis à recursu ad Deum, & auctæ in meditatione eleuante Deum non in seipso sed in mente orantis.

Interna Dei gubernatio in duobus consistit.

Iniquitatem si vidi in corde meo; ecce secundum: *non audiet Dominus.* Intellige quantùm est ex merito orantis, indignus est enim iniquus audiri: cùm indignus sit etiam pane quo vescitur secundùm Augustinum. *Propterea audiuit Deus, auscultauit in voce orationis meæ.* Cum modestia explicat munditiam suam ab iniquitate, affirmando quòd Deus attendit, & exaudiuit orationem suam. Vnde & gratias agens subdit: *Benedictus*, benedictione laudis & honoris, *Deus: qui non cessare fecit*, seu amouit *orationem meam*, hoc est, qui fecit perseuerare me in oratione, *& gratiam suam a me*, hoc est, qui fecit perseuerare me absque iniquitate: hoc enim est gratiæ eius: ad quod secutum est meum orationis opus. Et intendit (vt iam dictum est) instruere mundum ab exemplo quòd sic Deus gubernabit animas eorum, quòd sic oportet homines mundi se habere cum Deo intus in animis suis. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori in Psalmis canticum carminis.*

LXVI.

2 DEVS *misereatur nostri & benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos & misereatur nostri.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti in modulationibus Psalmus cantici.

LXVII.

1 *Prophetia.* DEVS † miserebitur nostri & benedicet nobis: illuminabit facies suas nobiscum. *Selah.* † Dy.

2 Ad

3 *Vt cognoſcamus in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutare tuum.*

4 *Confiteantur tibi populi Deus: confiteantur tibi populi omnes.*

5 *Lætentur & exultent gentes: quoniam iudicas populos in æquitate & gentes in terra dirigis.*

6 *Confiteantur tibi populi Deus, confitean-*
7 *tur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum.*
Benedicat nos Deus Deus noſter, benedi-
8 *cat nos Deus: & metuant eum omnes fines terræ.*

2 Ad cognoſcendum in terra viam tuam: in omnibus gentibus ſalutem tuam.

3 Confitebuntur te populi Deus †: confitebuntur te populi omnes. † Dij.

4 Lætabuntur & laudabunt gentes: quoniam iudicabis populos in re- (quæ) ctitudine & gentes in terra duces ipſas. *Selah.*

5 Confitebuntur te populi Deus †: confitebuntur te populi omnes. † Dij.

6 Terra dedit fructum ſuum: benedicet nobis Deus † Deus noſter. † Dij.

7 Benedicet nobis Deus† : & timebunt eum omnes fines terræ. † Dij.

COMMENTARIVS.

Titulus eſt: *Vincenti in modulationibus Pſalmus cantici.* De quo vt ſuprà.

Materia Pſalmi (vt ex ipſo apparet Pſalmo) eſt aduentus Meſſiæ in ſalutem mundi. Expreſsè namque dicitur, *in omnibus gentibus ſalutem tuam: & lætabuntur & laudabunt gentes*, quoniam gentes quæ in terra ſunt duces. Et rurſus: timebunt eum omnes fines terræ. Conſtat enim quòd ſalus & dux gentium omnium ſolus Meſſias eſt: & quòd ad tempus Meſſiæ ſpectat timor Dei in vniuerſo orbe.

SVMMARIVM EST.

Propheta prædicit futuram humano generi diuinam miſericordiam, ad ducendum & rectificandum: illuminationem, ad notificandum viam Dei & ſalutem: benedictionem, ad multiplicandum numero & merito.

Perſona loquens Propheta eſt.

VERS. 1. DEVS MISEREBITVR NOSTRI. Diuiditur Pſalmus in partes duas: propoſitiuam materiæ, & executiuam, ibi, *ad cognoſcendum.* Proponit tria: futuram miſericordiam, *Deus miſerebitur noſtri*: futuram benedictionem, *& benedicet nobis*: futuram illuminationem, *illuminabit facies ſuas nobiſcum*: hoc eſt, notitiam ſuam claro lumine monſtrabit nobis. Metaphoricè ſiquidem loquitur de Deo tanquam de homine monſtrante faciem ſuam claram in claro lumine vt bene poſſit cognoſci: ita Deus exhibebit ſe claro lumine cognoſcibilem nobis: vt de facto fecit cùm Verbum caro factum eſt, & tot miraculis & operibus ſeipſum manifeſtauit.

Duo illuminationis effectus. *Verſ.* 2. AD COGNOSCENDVM. Incipit hic pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *illuminabit.* Secundò illa, *miſerebitur*, ibi, *confitebuntur te.* Tertiò illa, *benedicet*, ibi, *confitebuntur te.* *Ad cognoſcendum in terra viam tuam.* Primus effectus illuminationis deſcribitur vt cognoſcamus in terra viam Dei: tum quâ Deus venit ad nos: tum quâ itur ad Deum. *In omnibus gentibus*, non in Iudæis tantùm, *ſalutem tuam*, Meſſiam qui eſt ſalus vniuerſorum. Et hîc ſcribitur ſecundus effectus illuminationis.

Verſ. 3. CONFITEBVNTVR TE. Tractatur hîc illa particula, *Deus miſerebitur noſtri*: prædicendo fidem & lætitiam ob diuinam miſericordiam in gentes. *Confitebuntur te*, confeſſione fidei & laudis, *populi*, vniuerſi, ô Deus: *confitebuntur* rurſus *te populi omnes*, exaggerantis eſt. *Lætabuntur & laudabunt*, cantando, *gentes*, quæ nunc idololatræ ſunt: *quoniam iudicabis populos in rectitudine*, eorum, quos modò iudicas ſecundùm prauitatem eorum: quia modò ſunt iniqui & tunc erunt recti. Et hic erit effectus gratiæ quâ Deus miſerebitur. *Et gentes in terra duces ipſas.* Ecce prior effectus miſericordiæ mediante quo populi erunt recti: quia *tu duces gentes ipſas quæ in terra ſunt*: hoc eſt, quia eris dux & director gentium ex tua miſericordia.

Verſ. 5. CONFITEBVNTVR TE. Tractatur hîc illa particula *& benedicet nobis*: introducendo eam ſicut priorem de miſericordia. *Confitebuntur te populi Deus, confitebuntur te populi omnes: quia terra dedit fructum ſuum.* Ecce effectus benedictionis diuinæ: *terra dedit fructum ſuum*, hoc eſt quem debebat proferre. Ante Chriſti aduentum terrenus homo non dedit fructum boni operis quem dare debebat: ſed vbi illuxit Chriſtus, terra protulit fructum boni operis quem debebat proferre. *Benedicet nobis* multiplicabit nos, benedictio ſiquidem Dei ad multiplicationem ſpectat: vt patet Gene. 1. & pluries in ſcriptura: *Deus*, naturâ, *Deus noſter* per gratiam vnionis perſonalis. *Benedicet nobis Deus*, multiplicabit non ſolùm numero ſed merito: *timebunt eum*, ecce meritum timoris filialis, *omnes fines terræ*, ecce multiplicatio numeri. Amen. [illegible margin note: Chr… …]

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori Dauid Psalmus cantici.*

LXVII.

2 *EXVRGAT Deus & dissipentur inimici eius: & fugiant qui oderunt eum à facie eius.*

3 *Sicut deficit fumus deficiant: sicut fluit cera à facie ignis sic pereant peccatores à facie Dei.*

4 *Et iusti epulentur & exultent in conspectu Dei: & delectentur in lætitia.*

5 *Cantate Deo, Psalmum dicite nomini eius: iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomen illi.*

6 *Exultate in conspectu eius: turbabuntur à facie eius, patris orphanorum & iudicis viduarum.*

7 *Deus in loco sancto suo: Deus qui inhabitare facit vnius moris in domo.*

Qui educit vinctos in fortitudine: similiter eos qui exasperant qui habitant in sepulchris.

8 *Deus cum egredereris in conspectu populi tui: cum pertransires in deserto.*

9 *Terra mota est, etenim cæli distillauerunt: à facie Dei Sinai à facie Dei Israël.*

10 *Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ: & infirmata est, tu verò perfecisti eam.*

11 *Animalia tua habitabunt in ea: parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*

12 *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa.*

13 *Rex virtutum dilecti dilecti: & speciei domus diuidere spolia.*

14 *Si dormiatis inter medios cleros: pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri.*

15 *Dum discernit cœlestis reges super eam,*
16 *niue dealbabuntur in Selmon: mons Dei mons pinguis.*

17 *Mons coagulatus mons pinguis: vt quid suspicamini montes coagulatos?*

Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti Dauidi Psalmus cantici.

LXVIII.

1 *Propheta* EXVRGET Deus †: dispergentur inimici eius, & fugient osores ipsius à faciebus eius. † Dij.

2 Sicut in propelli fumum, propelles eos: sicut in liquefieri ceram à faciebus ignis, peribunt impij à faciebus Dei †. † Deorum.

3 Et iusti lætabuntur: exultabunt faciebus Dei †, & gaudebũt in lętitia. † Deorum.

4 Cantate Deo †, canite nomen eius: † Dijs.
exaltate equitantem † in cælis in † equitanti.
Deo nomine suo, & exultate faciebus eius.

5 Pater meus pupillorum & iudex viduarum: Deus † in habitaculo † Dij.
sanctitatis suæ.

6 Deus † faciens sedere vnicos domi, † Dij.
educens vinctos in cõgruentiis: nãtũ rebelles habitauerunt siccitatẽ.

7 Deus † in egredi tuo faciebus populi † Dij.
tui, in deambulare tuo in deserto. *Selah.*

8 Terra tremuit, etiam cæli distillauerunt à faciebus Dei †: iste Sinai à † Deorum.
faciebus Dei †, Dei Israel. † Deorum.

9 Pluuiam voluntatum facies eleuare Deus † hæreditati tuæ: & fuit lassa, † Dij.
tu firmasti ipsam.

10 Cõgregatio tua sederũt in ea: præparabis in bonitate tua pauperi De⁹ †. † Dij.

11 Dominus ⁴ dabit dictum annunciatricum exercitus magni.

12 Reges exercituum mouebuntur mouebuntur: & habitatrix domus diuidet spolium.

13 Si iacebitis inter confinia: pennæ columbæ coopertæ in argento, & alæ eius in virore auri.

14 Frangente omnipotente reges in ea: ninget in Salmon.

15 Mons Dei † est iam mons Basan: & tamen mons † Deorum.
celsitudinum est mons Basan.

16 Quare saltabitis ô montes celsitudinũ? hic mons quem desiderauit Deus † † Dij.
ad habitaculum suum † etiam † habitaculo suo.
Dominus ⁴ habitabit semper.

18 *Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium: Dominus in eis in Sinai in sancto.*

19 *Ascendisti in altum, cœpisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus.*

Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum.

20 *Benedictus Dominus die quotidie: prosperum iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum.*

21 *Deus noster Deus saluos faciendi: & Domini Domini exitus mortis.*

22 *Veruntamen Deus confringet capita inimicorum suorum: verticem capilli perambulantium in delictis suis.*

23 *Dixit Dominus: ex Basan conuertam, conuertam in profundum maris.*

24 *Vt intingatur pes tuus in sanguine: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso.*

25 *Viderunt ingressus tuos Deus: ingressus Dei mei regis mei qui est in sancto.*

26 *Præuenerunt principes coniuncti psallentibus: in medio iuuencularum tympanistriarum.*

27 *In ecclesiis benedicite Deo Domino: de fontibus Israël.*

28 *Ibi Beniamin adolescentulus: in mentis excessu.*

Principes Iuda duces eorum: principes Zabulon & principes Neptalim.

29 *Manda Deus virtuti tuæ: confirma hoc Deus quod operatus es in nobis.*

30 *A templo tuo in Hierusalem: tibi offerent reges munera.*

31 *Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: vt excludant eos qui probati sunt argento.*

32 *Dissipa gentes quæ bella volunt: venient legati ex Ægypto, Æthiopia præueniet manus eius Deo.*

33 *Regna terræ cantate Deo: psallite Domino.*

34 *Psallite Deo qui ascendit super cælum cæli: ad Orientem.*

35 *Ecce dabit voci suæ vocem virtutis: date gloriam Deo super Israël, magnificentia eius & virtus eius in nubibus.*

36 *Mirabilis Deus in sanctis suis, Deus Israël ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.*

17 Currus Dei † duæ myriades millium † *Deorum.*
Angelorum: Dominus † in eis, Si- † *Domini mei.*
nai in sanctitate.

18 Ascendisti in excelsum †, captiuasti † *excelso.*
captiuitatem: accepisti dona in Adam, & etiam rebelles ad habitandum Dominum Deum †. † *Deos.*

19 Benedictus Dominus † die die: one- † *Domini mei.*
rabit nobis Deus salutem nostram. *Selah.*

20 Ipse Deus nobis, Deus salutibus: & Deo † Domino † [suppetunt] morti exitus. † *Dominis mei.*

21 Tantum Deus† vulnerabit caput ini- † *Dij.*
micorum suorum: verticem crinis perambulantis in peccatis suis.

22 Dixit Dominus †. *Vox Dei.* De Ba- † *Domini mei.*
san faciam reuerti, faciam reuerti de profundis maris.

22 *Propheta.* Propterea tinges pedem tuum in sanguine: linguam canum tuorum ab inimicis ab ipso.

24 Viderunt gressus tuos Deus † gressus † *Dij.*
Dei mei regis mei in sanctitate.

25 Præuenerunt principes post sonatores, in medio iuuencularum cymbalizantium.

26 In ecclesiis benedicite Deum † Do- † *Deos.*
minum †: de vena Israel. † *Dominos meos.*

27 Ibi Beniamin paruulus dominans ipsis: principes Iuda adunatio eorum, principes Zabulon, principes Neptalim.

28 Præcepit Deus tuus fortitudinem tuam: robora Deus† hoc [quod] operatus es nobis. † *Dij.*

29 A templo tuo super Hierusalem: tibi portabunt reges munus.

30 Increpa bestiam arundinis, congregationem fortium in vitulis populorum calcantem in frustis argenti: dispersit populos [qui] bella volent.

31 Venient pingues ex Ægypto: Æthiopia faciet currere manus suas Deo †. † *Dijs.*

32 Regna terræ cantate Deo, † canite † *Dijs.*
Domino †. *Selah.* † *Dominis meis.*

33 Equitanti in cælis cælorum principio: ecce dabit in voce sua vocem fortitudinis.

34 Date fortitudinem Deo †: super Is- † *Dijs.*
rael superbia eius, & fortitudo eius in cælis.

35 Terribilis Deus † à sanctuariis tuis, † *Dij.*
Deus Israel ipse dans fortitudinem & robora populo: benedictus Deus †. † *Dij.*

COM

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti Dauidi Psalmus cantici.* De quo vt suprà.

Circa materiam Psalmi quæstio occurrit propter auctoritatem Apostoli Pauli ad Ephes. 4. inducentis ex hoc Psalmo illum versiculum, *ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem dedit dona hominibus*, de ascensione Christi & de distributione donorum Spiritus sancti facta per Christum. Hinc enim apparet quòd Psalmus iste ad literam tractet de Messia. Textus autem Psalmi præ se fert quòd ad literam tractat de efficacia diuina erga deductionem, quietem & pacem populi Israël in terra promissionis. In principio namque Psalmi manifestè tractatur tum efficacia Dei ad dispergendos inimicos: tum cura Dei ad subleuandos afflictos: tum modus deducendi populum Israël ex Ægypto per desertum. In medio Psalmi clarè describitur currus Dei in monte Sinai. In fine quoque Psalmi clarè de templo Hierusalem tractatur. Et in vltimo concluditur Psalmus in excellentia Dei super Israël, & terribilitate eiusdem à sanctuariis eius. Quæ omnia testantur Psalmum ad literam tractare ea quæ sunt veteris Testamenti. Et accedit ad hæc quòd Psalmus iste inchoat à versiculo quo vtebatur Moyses cùm arca Domini eleuabatur ad iter: scilicet: *Surge Domine & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua:* vt patet Numer. 10.

Ephes. 4.

Psalmus iste incipit à versiculo quo Moyses vtebatur cùm Arca ad iter eleuabatur. Num. 10. 35.

Quocirca concludendum est quòd Apostolus sensu mystico illius versiculi vsus est applicando ad Christum: & quòd materia Psalmi ad literam est efficacia diuinæ potentiæ erga populũ Israël, tum quoad introductionem eius in terram promissionis, destruendo inimicos, &c. tum quoad seruationem eius in ipsa terra promissionis in pace & lætitia ex diuino cultu in templo Hierosolymitano.

SVMMARIVM EST.

Propheta canit primò Deum exurrecturum ad quàm facillimè destruendum inimicos suos & dandum gaudium iustis coram Deo: vt testatur tam magnus exercitus Angelorum in Sina, cum grandine in Salmon & appositione Basan: ita quòd si populus Israël perseuerasset iustus, fuisset velut columba argentea & aurea. Canit deinde quòd non obstante rebellione eorum, Deus punitis rebellibus induxit eos in terram promissam cum magna potentia: supplicans vt corroboret cœpta & magnificet templum, ita vt dissipet aduersarios & veniant ex omni parte mundi ad adorandum Deum in Hierusalem, &c.

VERS. 1. EXVRGAT DEVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Deus in egredi tuo.* Proponit duo. Primum est id quod facturus erat Deus in deductione populi Israël in terram promissionis si populus perseuerasset iustus: hoc enim proponit in primis versiculis, describendo Deum exurrecturum ad duos effectus, scilicet totalem destructionem inimicorum & plenam lætitiam populi Israël iusti. Et futurum *exurget*, non respicit tempus Psalmi: sed tempus præcedens eductionem filiorũ Israël de Ægypto. Et ex industria Propheta non vsus est verbo præteriti temporis, *exurrexit Dominus* quia intendit significare diuinum *surgere* secundùm se: hoc est, quòd surrexerit ad efficiendos illos duos effectus, quos tamen non effecit quia populus non perseuerauit iustus. Descriptio enim hæc in futuro, pendulos tunc effectus significat. Et eâdem ratione vterque effectus significatur in futuro.

Dispergentur inimici eius. Primus effectus describitur penès quatuor, scilicet dispersionem, fugam, expulsionem, & interitum: vt plena destructio inimicorum describatur.

Vbi nota tria. Primum est quòd non describuntur inimici populi Israël, sed inimici Dei: vt intelligamus quòd ratio destructionis eorum non erat inimicitia ad populum, sed inimicitia ad Deum. Vnde & Genes. 15. dicit Deus ad Abraham de istis nationibus: *Nondum completa sunt iniquitates Amorræorum,* vt mereantur destrui.

Non describuntur hîc inimici populi Israël, sed inimici Dei. Cur?

Secundum est quòd nullus describitur hîc pugnator nisi Deus: vt intelligamus quòd sicut cepit solus pugnare contra Ægyptios, ita solus pugnasset contra Amorræos & Chananæos.

Tertium est facilitas efficiendi hæc. Quæ duabus similitudinibus significatur. Altera est: *Sicut propellitur fumus:* qui facile à vento propellitur, & qui velut res valde exosa domi à cunctis expellitur. Altera est, *liquescentis cera a facie ignis:* quæ resoluitur in vapores & non remanet, & facillimè ab igne destruitur. *Et iusti lætabuntur.* Ecce secundus effectus. Vbi significantissimè non dixit, *& filij Israël*, sed dixit *iusti:* ad significandum quòd surrexerit Deus ad hæc faciendum propter iustos, hoc est, si iusti perseuerarent. Nec sola lætitia sed exultatio coram Deo obuenisset: & rursus gaudere in lætitia: vt ex his adiectionibus describatur lætitia iustorum: tum coram Deo in diuino cultu: tum ex subtractione euentuum impedientium lætitiam: hoc enim significatur dicendo, *& gaudebunt in lætitia.* Multi enim non possunt in suis lætitiis gaudere propter aliquos euentus impedientes: istis autem iustis Deus non solùm prouisurus erat de lætis rebus, sed etiam de subtractione impedimentorum vt possent in lætitiis gaudere.

Fumi propulsione & ceræ liquefactione destructionẽ inimicorum significat.

Vers. 4. CANTATE DEO. Incipit proponere secundum: scilicet illud quod Deus de facto fecit in eductione & deductione populi in terram promissionis. Ita quòd vbi primum proposuit quod Deus fecisset si populus perseuerasset iustus, modò proponit id quod Deus de facto fecit populo non perseuerante in iustitia. Et hoc proponit in his versiculis: inchoans ab inuitatione ad laudandum Deum. *Canite Deo, canite nomen eius.* Non solùm Deum, sed nomen eius cantandum monet. Et ne sit hæsitatio de quo Deo, subiungit: *exaltate equitantem in cælis.* Et similiter ne sit hæsitatio de nomine, adiungit: *in Deo nomine suo.*

Nota singula. Describitur Deus in cælis non qualitercunque, sed *equitans:* hoc est, mouens cælos ad similitudinem equitantis, hoc est, agentis per intellectum & voluntatem: equitare enim non est nisi agentium à proposito. Et quoniam multi sunt equitantes in cælis (quot scilicet sunt motores

motores cælorum) ideo descripsit equitantem non qualitercumque, sed *in Deo nomine suo*, alij enim motores cælorum mouent respectiuè ad Deum: solus autem Deus mouet in Deo vt proprio nomine, in quo non communicat cum aliis: hoc est, in deitate sibi propria.

Et exultate faciebus eius. Non solùm canite exaltantes Deum in proprio nomine, sed etiam *exultate faciebus eius*, hoc est, considerantes præsentiam eius. In quo explicatur fides diuinæ prouidentiæ: qui enim credit Deum curam habere nostri, colit eum tanquam facie præsentem. Et intendit ad literam quòd exultent in cultu diuino considerantes diuinam præsentiam in illo cultu.

Varia Dei beneficia commemorat. Eductio populi ex Ægypto.

Pater meus pupillorum. Inuitatis ad gratias agendum Deo, explicat beneficia Dei quæ de facto contulit: incipiens ab eductione populi ex Ægypto. Ita quòd narrat primum beneficium: *Deus in habitaculo sanctitatis sua*, hoc est, in seipso, seu in cælis, *educens vinctos in congruentijs*, hoc est, filios Israël vinctos vinculis imperij Pharaonis eduxit tempore congruo: iuxta quòd promiserat Abrahæ Genes. 15. *In generatione quarta reuertentur huc.* Reliqua tria beneficia ad terram promissionis spectant. *Pater meus pupillorum*, hoc est, pater proprius pupillorum, *& iudex viduarum, & faciens sedere vnicos domi*: quod est reddere securos homines qui soli domi sunt. Sicut enim pupilli egent patre, & viduæ ius dicente sibi; ita soli in domibus existentes egent dante sibi securitatem: quoniam carentes societate habent vnde timeant.

Genes. 15.

Tantum rebelles. Inter beneficia in termino *à quo*, & beneficia in termino *ad quem*, narrat gesta in medio, scilicet habitationem per quadraginta annos in deserto: & hoc ex eorum iniquitate. *Tantum rebelles*, & non iusti, *habitauerunt siccitatem*, deserti. Vbi vides proponi quæ de facto Deus compleuit: scilicet quatuor beneficia (libertatem, pacem, iustitiam, & misericordiam) in populo educto in terram promissionis, cum punitione eiusdem in deserto.

Vers. 7. DEVS IN EGREDI TVO. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractantur prius proposita, scilicet ad quid surrexerit Deus faciendum, si iusti perseuerassent. Secundò tractantur postea proposita, ibi, *ascendisti in excelsum.* Declarando itaque ad quid exurrexerit Deus quantum erat ex parte eius, inchoat à ducatu populi ex Ægypto. *Deus in egredi tuo*, per columnam ignis & nubis, *faciebus populi tui*, hoc est ante faciem populi tui visibiliter apparens: *in deambulare tuo in deserto* (vbi manifestè apparet quòd de ducatu populi in deserto loquitur) *terra tremuit.* Hic tremor terræ (hoc est terræmotus) non inuenitur alicubi scriptus nisi hîc: vbi quia scribitur per modum historiæ, & è regione terram à cælis textus distinguit tanquam in vtrisque miraculum describendo, insinuatur aliquem terræmotum tunc accidisse. Et litera insinuat quòd iste terræmotus fuerit in monte Sinai: quoniam postquam textus dixit, *terra tremuit, etiam cæli distillauerunt à faciebus Dei*, declarans subiungit: *iste Sinai à faciebus Dei, Dei Israël.* In qua subiunctione explanare contextus videtur id quod dixerat, *terra tremuit*, apponendo, *iste Sinai*: & quod dixerat, *à faciebus Dei*, apponendo, *Dei Israël*: & quod dixerat, *cæli distillauerunt*, subiungendo *pluuiam voluntatum facies*, &c. Vnde & Hebræi affirmant montem Sina tunc tremuisse. Quamuis nullus error sit intelligere per tremorem terræ timorem gentium audito transitu maris rubri: iuxta illud Exod. 15. *Tunc conturbati sunt principes Edom, robustos Moab obtinuit tremor.*

De quo terræmotu loquatur hic Propheta?

Exod. 15.

Etiam cæli distillauerunt. Ista distillatio declarabitur subiungendo, *pluuiam. Dei Israël*: ad explicandum eundem esse Deum & Deum Israël: hoc est, qui colitur à populo Israël.

Pluuiam voluntatum. Duplex pluuia inuenitur scripta in deserto. Altera mannæ: iuxta illud: *& pluit illis manna ad manducandum.* Altera coturnicum: iuxta illud: *& pluit super eos sicut puluerem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.* Vtraque autem fuit *pluuia voluntatum*, hoc est, appetitionum populi appetentis cibum & carnes. Vtramque pluuiam *fecit Deus eleuare* super eos: quia ambæ miraculo factæ sunt, per causas tamen secundas. *Hæreditati tuæ*, populo tuo in hæreditatem ascito. *Et fuit lassa.* Effectus huiusmodi pluuiæ significatur per hoc quòd hæreditas Dei fuit lassa, deficientibus alimentis, *tu firmasti ipsam*, præbendo alimentum cœleste. Vnde & subditur declarando: *Congregatio tua sederunt in ea.* Magnitudo effectus subiungitur, quòd non solùm aliqui sed vniuersa *congregatio tua*, non solùm refocillati sunt, sed *sederunt*, quieuerunt, *in ea*, pluuia mannæ. *Præparabis in bonitate tua*: perseuerantia beneficij significatur per futurum *præparabis*: & respicit præteritum *sederunt.* Significatúrque quòd Deus sua bonitate perseuerauit prouidendo *pauperi* populo in deserto omnia necessaria, non solùm ad victum, sed etiam ad vestitum: nam & vestimenta eorum non sunt attrita & calceamenta non sunt consumpta.

Duplex pluuia in deserto, scil. mãnæ & coturnicũ.

Vers. 11. DOMINVS DABIT DICTVM. Aduerte circa literam quòd ab hinc incipit sententia conditionalis, scilicet, *si iacebitis inter confinia, Dominus dabit dictum, & reges exercituum mouebuntur, & pennæ columbæ*, &c. Intendit enim Propheta describere quòd si populus obedisset, hæc omnia fuissent adimpleta. Et inchoat à dicto annunciatricum exercitus magni. Et intendit per *voces annunciatrices*, fulgura, tonitrua & buccinam in monte Sinai, Exod. 19 hæc enim signa annunciabant exercitum magnum Angelorum cum Deo in monte Sinai. De quo exercitu infra subiungitur: *currus Dei*, &c. Et dicit Propheta quòd Dominus dabit dictum, hoc est, executioni mandabit atque efficiet id quod dictum est per hæc signa: hoc est, destructionem inimicorum. Dictum enim ab *annunciantibus exercitum magnum*, est subactio inimicorum: quoniam ad hoc tendit exercitus vt subiiciantur sibi inimici, & ad hoc præmittuntur nuncij.

Voces annunciatrices sūt fulgura, tonitrua, &c.

Reges exercituum. Ecce dictum quod dabit Deus, scilicet *reges exercituum*, Amorrhæorum & Chananæorum, *mouebuntur*, timore vagando, & iterum, *mouebuntur*, ad exaggerandam fugam illorum regum à facie Domini repetitur. *Et habitatrix domus diuidet spolium.* Maxima describitur securitas, & tanta fugatio hostium quòd non pugnatores sed mulier habitatrix domus, non sequens castra, diuidet spolia inimicorum fugatorum à Deo. *Si iacebitis inter confinia.* Iacere inter confinia est quiescere in præstitutis terminis. Iacuissent inter confinia, si iubente Domino vt ingrederentur in terram promissionis (quæ per confinia

Iacere inter cõfinia, quid?

confinia hîc significatur: quia data erat populo illi pro confinibus eius) obedisseut. Sed noluerunt quiescere inter confinia: cùm auditâ voce eorum qui explorauerant cōfinia noluerunt pro- Num.14.4.
gredi,sed dixerunt: *Constituamus nobis ducem & reuertamur in Ægyptum*, Num.13. & 14. Et ex hac conditionali vt dictum est, inchoat tota ista sententia.

Pennæ colūbæ deargentatæ, quid?

Penna columbæ. Non solùm reges exercituum fugabuntur, & sic quòd mulier assueta manere domi diuidet spolia, sed vniuersa congregatio erit tanquam columba (hoc est, animal imbelle: non pugnans) cuius *pennæ cooperta* essent *argento & alæ eius in virore auri*. Ex qua metaphora immensitas diuitiarum significatur absque hoc quòd ipsi pugnarent,exercitu Angelico pugnante pro eis. Et aduerte quòd *viror auri* dicitur non secundùm colorem viridem: sed secundùm viuacitatem herbæ seu plantæ valde viridis,metaphoricè dicitur auri viror.

Mira Dei beneficia in protectione Israëlitarum.

Frangente omnipotente reges in ea. Aduerte hîc vt intelligas progressum literæ, quòd Propheta intendens monstrare populo quid Deus effecisset si obedissent, affert vltra beneficia deductionis, tria ad hoc persuadendum. Primum exercitum Angelorum qui apparuit in monte Sinai: vt subiunget. Secundò grandinem diuinam in contritione exercituum quinque regum tempore Iosue. Tertiò accumulationem Amorræorum vltra Iordanem ad terram promissionis: de qua dicet: *Mons Dei mons Basan.* Hæc enim tria facta plenam fidem faciunt quòd alia fecisset si iacuissent inter confinia. Tangit ergo historiam scriptam Iosue 10. *Frangente omnipotente reges.* Quamuis enim Iosue irruerit super illos quinque reges, optimè tamen dicitur hîc quòd Deus omnipotens fregit illos reges: quoniam non fuisse illam victoriam ipsius, ex eo patet quòd omnes de exercitu Iosue reuersi sunt sani & integro numero. *In ea*, congregatione seu columba: vtroque enim nomine appellata iam est: in ea scilicet irruente seu procedente Omnipotens fregit & contriuit reges.

Grando magnorum lapidum de cælo. Iosue 10.11.

Ninget in Salmon. Grandinare appellatum est vulgari nomine *ninget*. Dicitur enim ibidem quòd tunc *misit Dominus super eos lapides magnos grandinis de cælo: ita quod multo plures mortui sunt lapidibus grandinis quàm gladio*. Huiusmodi grando describitur hîc per *ningere in Salmon*: nam huiusmodi grando fuit in descensu Betheron: & constat vtramque Betheron inter terminos filiorum Ioseph describi, Iosue 16. Mons autem Salmon (vt apparet Iudic.9. est supra Sichem: ac per hoc pars montis Ephraim, in quo constat esse Sichem: ita quòd mons Salmon erat pars eminens supra Sichem. Et sic grando ista debuit apparere ex parte Salmon: & propterea describitur *in Salmon*. Et induxit hoc Propheta pro testimonio sensibili manifesto quòd Dominus pugnaret in ipsa congregatione filiorum Israël contra hostes.

Mons Salmon quis, & vbi situs?

Mons Basan non erat intra terminos terræ promissionis.

Mons Dei. Tertium testimonium etiam sensibile ex cumulo beneficij affertur. Vbi scito quòd mons *Basan* non erat intra terminos terræ promissionis: vt patet ex eo quòd Moyses nunquam intrauit in terram promissionis, qui tamen intrauit in montem Basan, subactis duobus regibus Amorræum,scilicet Sichon & Og Et quamuis non esset pars terræ promissionis Deus tamen ad cumulum beneficij donauit illum populo Israël quasi primitias: experimento monstrans viuente Moyse quàm facile daturus populo esset terram promissionis. Et licet ibi fuerint duo regna, Dauid tamen meminit in hoc loco solius Basan: tum ex parte montis optimi: tum ex parte regis, qui erat gigas. Ita quòd subactio illius regni tanquam res valde notabilis in exemplum adducitur.

Et quoniam textus caret omni copulâ verbali,obscurus est: & ordinandus est sic: Mons Dei est iam mons Basan, ita quòd mons Basan iam effectus est mons Dei. Et ne putes paruum aliquid hoc esse,subiungendo declaratur quòd hoc est magnipendendum,affirmando *mons celsitudinum est mons Basan.* Ac si apertè diceret: Cùm dixi quòd *mons Basan est effectus mons Dei*, non dixi aliquid paruipendendum: quoniam mons Basan est mons celsitudinum, & non est mons paruitatum: ac per hoc mons celsitudinum est effectus mons Dei. Et appellatur mons Basan mons celsitudinum:quia(vt dicitur Deuteron.3.) vocabatur terra gigantum: & erant ibi sexaginta vrbes munitæ muris altissimis,portis & vectibus, absque oppidis innumeris. Et ad literam mons Basan est mons Hermon: vt colligitur ex Iosue 12.& 13. iunctis 3.cap. Deuter.nam præcipuus mons nominatus in illis duobus regnis est mons Hermon: & de eo specialiter dicitur quòd erat sub Og rege Basan.

Mons Basan est mons celsitudinum: idem qui mōs Hermon.

Quare saltabitis montes celsitudinū? Ab exemplo montis Basan apostrophat ad reliquos principes montanos. *Quare saltabitis ô montes celsitudinum:* hoc est, quare eleuabitis vos ad similitudinem saltantium vt superetis populum Dei? Quasi dicat: frustra adnitemini: quare non discitis ab exemplo montis Basan? *Hic mons.* Pronomen *hic*,demonstrat montem terræ promissionis in quo exhibendus erat cultus Deo Et est ad literam mons Moria: quem desiderauit Moyses videre, petens à Deo circa vltimum vitæ suæ. *Transibo & videbo terram hanc optimam trans Iordanem & montem istum egregium*(seu bonum) Deut.3.25.
& Libanum,Deuter.3. Et sic optimè quadrat afferre pro ratione quòd frustra eleuabuntur principes montium terræ promissionis: quia Deus iam decreuit montem terræ promissionis in habitaculum sibi, ita quòd Dominus habitabit ibi semper.

Fuerunt cum Deo apparēte in Sina multa Angelorū millia.

Currus Dei. Dixerat superius quòd *Dominus dabit dictum annunciatricum exercitus magni*: declarat modò illum exercitum magnum. *Currus Dei duæ myriades* (hoc est viginti millia) *millium Angelorum*, & ponitur numerus finitus pro infinito. *Dominus in eis*,millibus Angelorum,*in sanctitate Sinai.* Ecce locus,mons Sinai:& ecce tempus,*in sanctitate:* hoc est, quando Deus apparuit in monte Sinai in sanctitate: quando scilicet apparuit ad dandum legem sanctam,ad sanctificandum populum. Aduerte hîc quòd de apparitione Dei in monte Sinai clarè scribitur Exod.19. sed nihil ibi scribitur de multitudine Angelorum. Verumtamen Deuter.33. Moyses dicit: *Dominus de Sina venit & cum eo sanctorum millia, in dextera eius ignea lex*,&c. Si tamen nullibi aliàs in- Deut.33.2.
ueniretur: iste Psalmus sufficiens reddit testimonium quòd ibi fuerunt multa millia Angelorum.

Vers. 18. ASCENDISTI IN EXCELSVM. Expeditâ primâ Parte (declaratis scilicet iis quæ paratus facere erat Deus iusto populo) tractatur nunc secunda Pars: declarando ea quæ etiam de facto

facto peccante populo Deus fecit. Et quoniam secunda ista pars proposita fuit in principio Psalmi in multis particulis, ideo in hac executione multa tractantur. Et apostrophans Propheta ad Moysen dicit: *Ascendisti in excelsum*, in cacumen montis Sinai, *captiuasti captiuitatem.* Ordine præpostero scripta sunt hæc: nam prius captiuasti captiuitatem,& deinde ascendisti in excelsum. Et dicitur ad Moysen *captiuasti captiuitatem*: quia captiuitatem filiorũ Israël in Ægypto existentem, ad similitudinem captiuantis eduxit: nam eduxit eos de seruitute Ægyptiaca quodammodo violentè: quia & in Ægypto filij Israël murmurabant contra Moysen volentem eos educere, Exod. 5. *Videat Dominus & iudicet quoniam fœtere fecisti sudorem nostrum coram Pharaone, & præbuisti ei gladium vt occideret nos.* Et in egressu ex Ægypto super mare rubrum dixerunt: *Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine*, Exod. 14 Et rursus Exod. 16. *Cur induxisti nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame? vtinam mortui essemus in terra Ægypti quando sedebamus super ollas carnium*, &c. Hæc enim testantur quòd velut violentè eduxit eos de seruitute: & propterea hìc dicitur ad Moysen, *captiuasti captiuitatem.*

Filij Israël etiã in Ægypto murmurabant cõtra Moysen volẽtem eos educere de seruitute.

Exod. 5. 21.

Exod. 14. 11.

Exod. 16. 3.

Accepisti dona in Adam, id est, homine. Effectus describitur subsecutus in monte Sinai, ad quid ascenderit in excelsum, scilicet ad accipiendum dona diuina in homine. Ascendente enim Moyse in Sina, populus accepit legem: quæ vicem maximorum donorum obtinet. Quamuis etiam computando legem pro vno dono, multa etiam dona acceperit: quoniam tunc accepit donum regni & donum sacerdotij in populo: vt ibidem patet.

Et etiam rebelles ad habitandum Dominum Deum. Inter tot dona quæ accepisti à Deo, accepisti etiam (sed non à Deo) rebelles ad credendum quòd Dominus Deus habitaret in populo. Et hoc pluries: nam & in descensu ex monte inuenit populum adorasse vitulum: & postea rebelles fuerunt Deo, nolentes progredi in terram promissionis, diffidendo de Deo.

[illegible] Diuina [illegible]

Benedictus Dominus. Post apostrophationem ad Moysen, gratias agit de donis quæ Moyses accepit in populo. *Benedictus Dominus*, benedictione laudis, *die die*, omni die successiuè: quia *onerabit Deus salutem nostram nobis*, hoc est, quia onus, quod imponet nobis est onus salutis nostræ. Onus enim legis diuinæ non est onus vanum aut tyrannicum, sed est *onus salutis nostræ nobis*, hoc est, ad vtilitatem nostram. Et futurum *onerabit* respicit præteritum *accepisti*: & ponitur ad significandam perseuerantiam salutaris oneris diuinæ legis.

Ipse Deus. Declaraturus vindictam diuinam in rebelles, prius propositos (*tantum rebelles habitauerunt siccitatem*) dicit vtrumque, salutem scilicet & mortem subesse diuinæ potestati. *Sed ipse Deus nobis*, tanquam ex seipso, est *Deus salutibus*, hoc est, Deus ad salutes nostras: *& Deo Domino*, suppetunt, *exitus*, id est, viæ, *morti*, ad mortem, ad occidendum, ad mortificandum. *Tantum Deus vulnerabit caput inimicorum suorum*, non vulnerabit caput iustorum. Et dixit hoc declarando quomodo Deo Domino conueniunt viæ ad mortem, scilicet ex crimine hominum quo fiunt inimici Deo: Deus enim non est prius vltor quàm homo sit peccator. *Verticem crinis*, hoc est, populi, *perambulantis in peccatis suis.* Et intendit ad literam quòd Deus non puniuit totum populum significatum per crines expansos propter magnam multitudinem: sed puniuit caput: quoniam puniuit maiores (qui, scilicet numerati fuerant à viginti annis & suprà) qui fuerunt rebelles.

Crinis, id est populus.

Dixit Dominus. Declarat istam vulnerationem, afferendo præceptum Domini scriptum, Numer. 14. & Deuteron. 1. Vtrobique enim dixit Deus: *Reuertimini & abite in solitudinem per viam maris rubri.* Hoc præceptum hìc describitur, explanando terminum *a quo. De Basan faciam reuerti*: quia ad literam reuersi sunt ex refutata aggressione Basan. Hortabatur siquidem eos Moyses vt ascenderent in montem Amorthæorum, qui (vt superiùs dictum est) est mons Hermon: & populus territus voce exploratorum, diffidens quòd Deus pro se pugnaret, noluit: propterea iurauit Deus quòd nullus eorum qui numerati fuerant intraret in terram promissionis, exceptis Iosue & Chaleb: & præcepit eis vt redirent in desertum per viam maris rubri. Hoc enim hìc significatur dicendo: *De Basan faciam reuerti*, populum rebellem: *faciam*, inquam, *reuerti de profundis maris*, hoc est, per viam profundi maris rubri.

Num. 14. 25.

Propterea. Voci Dei recitatæ adiungitur vox Prophetæ apostrophantis ad populum rebellem, tangens effectum tunc subsecutum. Vt enim apparet in locis allegatis, populus audito præcepto diuino de reuersione in solitudinem, dixit: *Peccauimus Domino, ascendemus & pugnabimus sicut præcepit Dominus noster.* Et nolente Domino, absque Moyse & arca Domini ascenderunt in montem contra Amorræos: & cæsi sunt Israëlitæ ab Amorræis. Hic effectus hìc tangitur, dicendo: *Propterea*, propter rebellionem tuam, *tinget pedem tuum in sanguine*, fugiendo à facie Amorræorum. Et dicitur tingere pedem in sanguine, ad significandam fugam cruentam: quia cum cruore suo & suorum fugiebant: *& linguam canum tuorum*, etiam tinges in sanguine: non solùm pedem tuum tinges in sanguine, sed etiam linguam canum tuorum. Et dixit hoc, ad denotandum viam sanguine perfusam, vsqueadeo quòd canes lingerent sanguinem. *Ab inimicis*, Amorræis, *ab ipso.* Exaggerando apponitur *ab ipso*, inimico: ad significandum sanguinem effusum ab inimicis tanquam ab ipso inimico, & non solùm more bellico, vt & affectus inimicitiæ & vehementia sæuientium significetur: dicitur enim Deuteron. 1. quòd Amorræi tunc persecuti sunt Israëlitas quemadmodum faciunt apes. Ita quòd litera est sic ordinanda: Tinges pedem tuum & linguam canum tuorum in sanguine tuo, ab inimicis, id est, fuso ab inimicis, appositiuè *ab ipso*, inimico. Ascenderunt enim Israëlitæ ad pugnam contra voluntatem Dei: & propterea perpessi sunt inimicos quantum potuerunt.

Viderunt. Descriptâ punitione populi per reuersionem in desertum (ex qua morati sunt ibi vsque ad quadragesimũ annum) describit modò Propheta diuina beneficia post quadragesimum annum valdè summariè. *Viderunt gressus tuos Deus.* Appellantur gressus Dei opera Dei in transitu Iordanis & in debellatione tot regnorum:

Gressus Dei hic, quinam?

rum: quæ manifestè ad sensum videtur esse opera Dei. *Gressus Dei mei regis mei*, hoc est: non solum tanquam Dei sed tanquam regis (viderunt enim in operibus illis Deum tanquam regem populi progredientem ad debellandum hostes, ad accipiendum possessionem terræ promissionis) *in sanctuate*, magnificè monstrata tot miraculis.

Gressus Dei hic, quinam.

Præuenerunt cantores. Transit Propheta ad diuina beneficia tempore Iudicum & Saulis. Vbi aduerte quòd hæc particula inchoanda esset ab illa clausula, *præcepit Deus fortitudinem tuam:* & subiungendum *in Ecclesiis benedicite:* & postea *præuenerunt:* & demum *ibi Benjamin.* Intendit enim canere quòd quia Deus post antiqua beneficia tempore Moysi & Iosuë, *præcepit* pluries fieri & esse *fortitudinem*, robur, potentiam populi Israël, ideo cantandum in huiusmodi victoriis est Deo.

Beneficia Dei tempore Iudicum & Saulis tangit Propheta.

Vbi scito quòd Propheta sicut summariè tetigit beneficia diuina tempore Iosuë (dicendo *viderunt gressus tuos*, &c.) ita summariè tangit modò beneficia diuina tempore Iudicum & Saulis in victoriis seu triumphis principum populi qui pugnauerunt pro eis. Describit enim beneficia illa dicendo: *præcepit Deus tuus fortitudinem tuam:* alloquitur enim populum, commemorando quòd pluries præcepit præcepto efficaci (efficax siquidem præceptum Dei est efficere) *fortitudinem tuam*, potentiam tuam contra inimicos: ita quòd principes tui triumpharunt: triũphus siquidem seu gratulabunda lætitia victoriæ, describitur dicendo, *præuenerunt principes.* Declaratur enim huiusmodi lætitia ex hoc quòd præcedentibus sonatoribus variis musicis instrumentis, *principes velut triumphantes in medio iuuencularum pulsantium in cymbalis* (hoc est iuuenculis hinc & inde ex vtraque parte viæ pulsantibus cymbala) *præuenerunt*, hoc est, ante exercitum & populum iuerunt. Hic est effectus præceptæ fortitudinis à Deo. Vnde litera sic est glossanda: *Principes post sonatores præuenerunt* exercitum & populum *in medio iuuencularum cymbalizantium.* Vsque siquidem hodie iuuenculæ vtuntur cymbalis in festiuis gaudiis: & ordo huiusmodi lætitiarum vt dictum est seruatur: nam post tibicines & varia genera musicorum princeps antecedit magnates reliquos & comitantem populum: & mulieres hinc & inde ouantes in viis gratulantur.

Iuuenculæ vtũtur cymbalis in festiuis gaudiis.

Et aduerte quòd ex hoc ipso quòd describuntur principes sic triumphare, significatur tempus Iudicum: nam neque tempore Moysi neque tempore Iosuë leguntur vnquam principes triumphasse: sed tempore Iudicum inchoauit mos iste apud Hebræos.

Principes triumphare inceperunt tempore Iudicum.

In Ecclesiis benedicite, Monet Propheta referendas huiusmodi lætitias in diuinam laudem. Et explicans quos alloquitur, subdit, *de vena Israël.* O vos de vena Israël benedicite Deum Dominum in Ecclesiis, in conuentibus, in congregationibus istarum victoriarum seu triumphorum. Et appellat eos *de vena Israel*, quia alloquitur in genere singulas tribus Israël. Ac si apertè dixisset: de quacunque vena Israël sitis, benedicite Deum in huiusmodi ecclesiis. Et vsus est hoc modo loquendi: quia tempore Iudicum ex incerta tribu erat princeps: nam modò erat ex vna tribu & modò ex alia.

Ibi, in huiusmodi triumphis, *Benjamin paruulus*, minimus inter fratres suos, *dominans eis.* Describitur tribus Benjamin dominans Israëlitis, quia primus rex Israëlitarum fuit de tribu Benjamin, Saul, scilicet, vt patet 1. Reg. 9. qui pluries triumphauit. *Principes Iuda aduncatio eorum.* Fit specialis mentio Principum tribus Iudæ in illis temporibus: quia principes tribus Iudæ fuerunt principium & finis illius temporis: & officium eorum dicitur congregare alios Et verè sic fuit: nam vt patet Iudic. 1. *Post mortem Iosuë consuluerunt filij Israël Dominum dicentes: quis ascendet ante nos & erit dux belli? dixitque Dominus, Iudas ascendat.* Tempore quoque Saulis Dauid de Tribu Iuda, & triumphauit cùm mulieres cantauerunt, *Saul percussit mille & Dauid decem millia in millibus suis*, 1. Reg. 18. *& educebat & reducebat Israël:* vt dicitur 2. Reg. 5. *Principes Zabulon principes Nepthalim.* Fit specialis mentio harum duarum tribuum, quia istæ duæ tribus fuerunt primæ in huiusmodi laudibus diuinis: nam tempore Debboræ & Barac inuenitur primum laudatus Deus in canticis victoriæ: in qua (vt in eodem cantico reprehensis multis aliis dicitur) *Zabulon & Nepthalim obtulerunt animas suas morti in regione Morome*, Iudic. 5. Quia enim à triumphis principum referendis in diuinam laudem describit Propheta tempus illud, par fuit vt specialem mentionem faceret illarum tribuum quæ inceperunt huiusmodi lætitiam in diuinam laudem.

Princeps tempore Iudicũ, modò erat ex vna tribu modò ex alia.

Iudic. 1. 1.

1. Reg. 18.
2. Reg. 5.

Iudic. 5. 18.

ROBORA DEVS. Post beneficia diuina vsque ad tempus Saul, subiungit beneficia diuina tempore Dauidis. Qui cùm esset auctor Psalmi seipsum non nominat, sed diuina beneficia temporis sui tangit à beneficio templi super Hierusalem: hoc enim constat non fuisse antequam Dauid esset rex Israël. VERS. 28.

Beneficia diuina tempore Dauidis.

Sed aduerte quòd tripliciter Dauid tangit hæc beneficia: Primùm deprecatiuè: secundò propheticè: & tertiò gratias agendo. Deprecando autem petit duo: nec petit hæc absolutè, sed petit mediante templo. Vnde initium petitionis est: *A templo tuo super Hierusalem*, hoc est, mediante templo tuo quod elegisti super Hierusalẽ, *robora hoc* quod *operatus es nobis.* Hæc est prima petitio. Vbi aduerte quòd templum adhuc non erat ædificatum: sed Dauid ab ędificando templo petit cõfirmari cœpta, intendens quòd propter tãtum beneficium tuum quo elegisti templum super Hierusalem, da robur firmitatis & augmenti beneficiis cœpris. Quod nihil aliud est quàm petere quòd Deus magnificet templum, augendo ex meritis diuini cultus ibidem beneficia inchoata. Quæ non aliter explicantur, nisi quòd dicitur quod *operatus es nobis:* vt comprehendatur totum quod Deus operatus est Dauidi & populo. Deus enim non est operatus nisi bonum: & tempore Dauidis magnum bonum operatus est: quoniam exaltauit & ipsum & populum Israël valde. Aptè autem petit *robora:* quia vsque illud tempus nullius stirpis, nulliusque tribus principatus fuerat firmatus à Deo. Ac si apertè diceret: Hactenus de qualibet vena Israël fuerunt principes, robora de cætero quod cœpisti à templo tuo super Hierusalem: ex electione enim Templi in Hierusalem, significatur & exaltatio Dauidicæ stirpis in regno, & exaltatio diuini cultus ibidem, & magnificatio populi. Hæc namque omnia erant inchoata à Deo: & ex electo cultu solenni in templo super Hierusalem, firman

Electio Templi in Ierusalem signum fuit exaltationis stirpis Dauidicæ in regno, & diuini cultus ibidem.

firmanda & consummanda. *Tibi portabunt reges munus.* Fructus petitionis explicatur. Significatur enim per hoc quòd non frustra petit à Deo roborari quod fecit: nam sequetur iste fructus quòd *tibi*, Deo, *portabunt munus reges*: hoc est, si magnificaueris mediante cultu templi tui bonum quod cœpisti in nobis, Reges successiuè populi tui offerent in templo tuo munera.

Increpa bestiam. Secunda petitio est debellatio inimicorum. Ita quòd vbi primò petiit robur boni concessi populo, modò petit repulsionem inimicorum. Significantur autem inimici per *bestiam arundinis, congregationem fortium in vitulis populorum calcantem in frustis argenti*: vt ex hoc quòd est bestia, feritas significetur. Ex hoc verò quòd habitat in arundineto, significatur tum difficultas præualendi contra eam: difficilius siquidem est præualere contra feras in paludibus arundinum habitantes, quàm contra feras habitantes in syluis: & propter huiusmodi difficultatem petit à Deo quòd ipse increpet illam: tanquam diceret, nos non valemus. Tum vanitas: arundines enim sunt res valde leues, faciléque vento agitantur. Et propterea *bestia arundinis* describitur tanquam bestia habitans in lenitatibus gloriæ, famæ, & honoris huius mundi. Et ad hoc puto ad literam appositam esse metaphoram arundinis. Ita quòd bestia hæc describitur primò à vanitate gloriæ: deinde à fortitudine virium & magnitudine, dicendo *congregationem fortium*: & multitudine, dicendo *in vitulis populorum*. Tertiò ab affluentia diuitiarum dicendo *calcantem in frustis argenti*. Tanquam bestia calcet loca crustata laminis argenteis, vt abundet tantùm argento quòd etiam pauimenta faciat argentea: hoc est, quòd est potens omnia sibi subiicere & quasi sub pedibus ponere ex multitudine diuitiarum. Increpa ergo bestiam habitantem in vanitate gloriæ, robustam viribus & multitudine, & tam diuitem vt possit omnia calcare.

Bestia arundinis significat inimicos: Cur?

Dissersit. Explicat rationem petitionis huius secundæ esse, quoniam istæ bestiæ bella volent aduersus populum Dei. Hæc enim ratio significatur dicendo: *dissersit populos bella volent*, id est, qui bella volent. Et tertia persona significata per dissersit est Templum: & præteritum *dissersit*, appositum est relatiuè ad futurum subiungendum, *venient pingues ex Ægypto.* Et est sensus: Increpa bestiam, &c. quia quando templum tuum dissersit populos qui bella volent, *venient pingues ex Ægypto.* Fructus enim increpationis & dispersionis significatur aduentus magnatum ex Ægypto, & similiter velox oblatio ex *Æthiopia* ad diuinum cultum. Et intendit ad literam quòd Deo mediante cultu Templi sui dispergente hostes inuadentes populum Dei, & Ægyptij & Æthiopes venient ad adorandum Deum in Hierusalem. Et intendit per Ægyptum & Æthiopiam vniuersas nationes. Nec est dubium hoc adimpletum fuisse: cùm legamus in Actibus Apostol. 8. cap. 27. quòd *Vir Æthiops Eunuchus potens Candacis reginæ Æthiopum venerat adorare in Hierusalem.* Similia enim multa prius accidisse credendum est, quamuis non sint scripta: cùm etiam factum istius Æthiopis non fuisset scriptum, nisi occasione baptismi in eunuchione suscepti. Apost 8. 27.

Vers. 32. REGNA TERRÆ. Post petitiones subditur prophetia: Prophetat enim Dauid quòd ex cultu in templo ædificando Deus dabit manifestam fortitudinem, ita vt regna mundi cantent Domino: quod est explicare euentum fructus prius descripti de Ægypto & Æthiopia. *Equitanti in cœlis cœlorum principio.* Ac si apertè dicat: *Cantate* non nouo aut ficto *Deo*, sed illi qui à principio equitat in cœlis cœlorum, mouet ad similitudinem equitantis (hoc est, per intellectum & voluntatem) cœlos cœlorum, hoc est supremum cœlum seu omnes cœlos. Potest enim per *cœlos cœlorum* intelligi supremum cœlum continens alios: & possunt omnia cœlestia corpora significari per cœlos cœlorum, ad denotandam multitudinem continentium & contentorum. *Ecce* (demonstrat rationem quare debeant laudare Deum) *dabit*, Deus, *in voce sua*, in sensibili & manifesto signo, *vocem fortitudinis*, potentiæ & roboris nostri & contra aduersarios.

Cœli Cœlorum significant vel supremum cœlum, vel omnes cœlos.

Date fortitudinem Deo, recognoscite potentiam, fortitudinem esse à Deo: quia *super Israel excellentia eius*, Dei, *& fortitudo*, potentia, *eius in cœlis.* Vbi duo simul dicit: & excellentiam Dei apparentem super populum Israël. & potentiam eius apparentem in cœlis inferioribus: hoc est, in nubibus. Ad literam siquidem ædificato templo apparuit gloria Domini in nube in die introductionis Arcæ in templum: vt patet 3. Regum 8. & 2. Paralip. 5.

Terribilis Deus. Gratiarum actio demum subiungitur, dicendo: *Benedictus Deus*, benedictione laudis, quia *terribilis Deus à sanctuariis tuis*, fuisti, es & eris. Et dicit *à sanctuariis* propter multa sanctuaria quæ successiuè fuerunt: scilicet tabernaculum quod fecit Moyses, & tabernaculum quod fecit Dauid, & arcam Domini in diuersis locis, & demum templum: in quibus omnibus Deus exhibuit se terribilem contra hostes. *Deus Israël tu ipse dans fortitudinem & robora populo*, tuo: & repete *à sanctuariis tuis*: ita quòd vtrúque beneficium recognosco à sanctuariis tuis. Amen.

Multa sanctuaria.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori pro liliis Dauid.*	Vincenti super liliis Dauidi.
LXVIII.	LXIX.
2 SALVVM me fac Deus: quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam.	1 *Propheta.* SALVA me Deus †: quoniam venerunt aquæ vsque animam. † Dij.
	2 Immersus

3 *Infixus sum in limo profundi: & non est substantia.*
Veni in altitudinem maris: & tempestas demersit me.

4 *Laboraui clamans: raucæ factæ sunt fauces meæ, defecerunt oculi mei dum spero in Deum meum.*

5 *Multiplicati sunt super capillos capitis mei: qui oderunt me gratis.*
Confortati sunt qui persecuti sunt me inimici mei iniustè: quæ non rapui tunc exoluebam.

6 *Deus tu scis insipientiam meam: & delicta mea à te non sunt abscondita.*

7 *Non erubescant in me qui expectant te Domine: Domine virtutum.*
Non confundantur super me: qui quærunt te Deus Israël.

8 *Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam.*

9 *Extraneus factus sum fratribus meis: & peregrinus filiis matris meæ.*

10 *Quoniam zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.*

11 *Et operui in ieiunio animam meam: & factum est in opprobrium mihi.*

12 *Et posui vestimentum meum cilicium: & factus sum illis in parabolam.*

13 *Aduersum me loquebantur qui sedebant in porta: & in me psallebant qui bibebant vinum.*

14 *Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus.*
In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me: in veritate salutis tuæ.

15 *Eripe me de luto vt non infigar: libera me ab iis qui oderunt me & de profundis aquarum.*

16 *Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque vrgeat super me puteus os suum.*

17 *Exaudi me Domine quoniam benigna est misericordia tua: secundùm multitudinem miserationum tuarum respice in me.*

18 *Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor, velociter exaudi me.*

19 *Intende animæ meæ & libera eam: propter inimicos meos eripe me.*

20 *Tu scis improperium meum: & confusio-*

2 Immersus sum in limo profundi, & est non subsistentia: veni in profunditates aquarum & vnda lauit me.

3 Laboraui in vocare meo, aruit guttur meum: consumpti sunt oculi mei sperando ad Deum meum †. † Deo meo.

4 Multiplicati sunt super capillos capitis mei osores mei sine causa, roborati sunt succisores mei, inimici mei falsò: quæ non rapui tunc reddam.

5 Deus † tu scisti stultitiam meam † nullam: & culpæ meæ quæ nullæ sunt à te non sunt absconditæ. † Dij. † stultitia mea.

6 Non confundentur in me expectantes te Domine † Deus [4] exercituum: non erubescent in me quærentes te Deus Israël. † Domini mei.

7 Quia super te portaui vituperium: operuit confusio facies meas.

8 Alienatus fui fratribus meis: & alienus filiis matris meæ.

9 Quia zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me.

10 Et fleui in ieiunio animam meam: & fuit in opprobria mihi.

11 Et dedi vestimentum meum saccum: & fui eis prouerbio.

12 Loquentur in me sessores portæ: & modulationes bibentium siceram.

13 Et ego, oratio mea tibi Domine [4], est tempus beneplaciti: Deus † in multitudine gratiæ tuæ responde mihi in veritate salutis tuæ. † Dij.

14 Libera me de luto & non mergar: liberabor ab osoribus meis & de profundis aquarum.

15 Non lauabit me vnda aquarum, & non absorbebit me profunditas: & non obturabit super me puteus os suum.

16 Responde mihi Domine [4]: quoniam est bona gratia tua, secundùm multitudinem misericordiarum tuarum vertere ad me.

17 Et ne absconde facies tuas à seruo tuo: quoniam angustia est mihi, citò responde mihi.

18 Approxima ad animam meam, redime eam: propter inimicos meos redime me.

19 Tu cognouisti opprobrium meum, & confu

nem meam & reuerentiam meam.

21 *In conspectu tuo sunt omnes qui tribulant me: improperium expectauit cor meum & miseriam.*

Et sustinui qui simul contristaretur & non fuit: & qui consolaretur & non inueni.

22 *Et dederunt in escam meam fel: & in siti mea potauerunt me aceto.*

23 *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum: & in retributionem & in scandalum.*

24 *Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorum semper incurua.*

25 *Effunde super eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos.*

26 *Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet.*

27 *Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt.*

28 *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum: & non intrent in iustitiam tuam.*

29 *Deleantur de libro viuentium: & cum iustis non scribantur.*

30 *Ego sum pauper & dolens: salus tua Deus suscepit me.*

31 *Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude.*

32 *Et placebit Deo super vitulum nouellum: cornua producentem & vngulas.*

33 *Videant pauperes & lætentur: quærite Deum & viuet anima vestra.*

34 *Quoniam exaudiuit pauperes Dominus: & vinctos suos non despexit.*

35 *Laudent illum cæli & terra: mare & omnia reptilia in eis.*

36 *Quoniam Deus saluam faciet Sion: & ædificabuntur ciuitates Iudæ.*

Et inhabitabunt ibi: & hæreditate acquirent eam.

37 *Et semen seruorum eius possidebit eam: & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.*

confusionem meam, & ignominiam meam: coram te omnes hostes mei.

20 Opprobrium rupit cor meum & langui: & expectaui ad condolendum, & non [fuit], & consolatores, & non inueni.

21 Et dederunt in escam meam fel: & [in siti mea] siti meæ potauerunt me aceto.

22 Erit mensa eorum faciebus ipsorum laqueo: & retributionibus, offendiculo.

23 Obscurabuntur oculi eorum à videndo: & lumbos eorum continuè fac labi.

24 Effunde super eos indignationem tuam: & ira furoris tui assequetur eos.

25 Erit palatium eorum desolatum: in tentoriis eorum non erit sedens.

26 Quoniam [quem tu] tu quem percussisti persecuti sunt: & ad dolorem occisorum tuorum narrabunt.

27 Da iniquitatem super iniquitatem eorum: & non venient in iustitia tua.

28 Delebuntur de libro viuorum: & cum iustis non scribentur.

29 Et [sum] ego pauper & dolens: salus tua Deus † exaltabit me. † Dij.

30 Laudabo nomen Dei † in cantico: & magnificabo eum in confessione. † Deorum.

31 Et placebit Domino [4] super bouem taurum: cornificantem & vngulificantem.

32 Viderunt humiles & lætabuntur: quærentes Deum † & viuet cor vestrum. † Deos.

33 Quoniam audiens ad mendicos Dominus [4]: & vinctos suos non despexit.

34 Laudabunt eum cœli & terra: maria & omne reptans in eis.

35 Quia Deus † saluabit Sion & ædificabit ciuitates Iuda: & habitabunt ibi & hæreditabunt eam. † Dij.

36 Et semen seruorum eius possidebunt eam: & diligentes nomen eius habitabunt in ea.

COM

COMMENTARIVS.

Lilia, nomen Instrumenti Musici.

Titulus est, *Vincenti super liliis Dauidi.* Aiunt lilia nomen esse instrumenti musici. Quòd si instrumenti nomen non est, intelligimus per lilia Christum & Ecclesiam significari: nam de seipso Christus dicit: *Ego flos campi & lilium conuallium.* Et de Ecclesia dicit: *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*

Cantic. 2. v.1.2.

Vtrumuis modo sit, ex multis sacræ Scripturæ auctoritatibus materia Psalmi habetur: nam Saluator noster Ioan. 15. affert de seipso illam huius Psalmi particulam, *Odio habuerunt me gratis,* dicens: *vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.* Discipuli quoque Christi intellexerunt de Christo aliam huius Psalmi particulam: dicente Euangelista Ioanne 2. cap. *Recordati sunt verò discipuli eius quia scriptum est, zelus domus tua comedit me.* Paulus Apostolus ad Rom. 15. aliam huius Psalmi particulam dè Christo exponit, dicens: *Etenim Christus non sibi placuit: sed sicut scriptum est, improperia improperantium tibi ceciderunt super me.* Paulus item ad Rom. 11. affert alia huius Psalmi verba dicta de Iudæis in sua infidelitate obstinatis, dicens: *Et Dauid dixit, fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum & in captionem & in scandalum & in retributionem illis: Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eorum semper incurua.*

Ioan. 15. 25. *Ioan. 2. 17.* *Rom. 15. 3.* *Rom. 11. v. 9. 10.*

Materia. Christus patiens.

Ex quibus apparet quòd materia Psalmi ad literam est Christus patiens, positus in ruinam & in resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur: vt facilè decursus Psalmi iuxta inductas auctoritates testatur.

SVMMARIVM EST.

Christus patiens recurrit ad Deum pro salute resurrectionis: proponendo hinc tum multitudinem ac robur persecutorum suorum, tum multitudinem ac magnitudinem iniuriarum, electionis, opprobrij, confusionis, ignominiæ, irrisionis, &c. inde verò tum innocentiam suam, tum merita diuini zeli, voluntariæ passionis, ieiunij, fletus, sacci, orationis. Et consequenter prædicit & pœnas multiplices persecutorum & exaltationem suam, cum sacrificio confessionis, cum vita ac lætitia humilium, cum totius vniuersi gratiarum actione pro salute generis humani.

Persona loquens Propheta est in persona Messiæ patientis.

VERS. 1. SALVA ME DEVS. Diuiditur Psalmus in duas partes: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Deus tu scisti.* Proponitur in primis Christus patiens sub metaphora hominis periclitantis in aqua. Vbi primò describit seipsum periclitantem in aquis sic quòd agitur de periculo vitæ. *Salua me Deus, quoniam venerunt aquæ vsque animam,* id est, vitam, suffocandam. Deinde dearticulat rationes periculorum. Prima est ex parte fundi: *Immersus sum in limo profundi, & non subsistentia,* est: hoc est in fundo aquæ non possum firmare pedes quia limus non subsistit. Altera est: *Veni in profunditates aquarum, & vnda lauit me.* Periculum hoc est ex superficie aquarum, in quo congregantur duo mala: scilicet profunditas aquarum, & impetus vndarum seu illuuiei. Effectus autem ponitur *lauit me:* hoc est, cooperuit me: aqua enim quantum lauat tantum cooperit.

Proponitur Christus patiens sub varijs metaphoris.

Laboraui in vocare meo. Sub alia metaphora describitur Christus patiens: scilicet sub specie hominis patientis & clamantis opem petendo ad Deum. *Laboraui in vocare meo,* clamando, vocando auxilium, *aruit guttur meum,* præ nimio clamore: *consumpti sunt oculi mei* suspiciendo & *sperando ad Deum meum.* In quo dilatio auxilij cum magnitudine spei describitur. *Multiplicati sunt.* Post propositam passionem Christi sub metaphoris, proponitur eadem sub proprietate verborum. *Multiplicati sunt super capillos capitis mei* (modus loquendi est ad significandum sine numero) *osores mei sine causa,* sine aliqua offensa, sine aliqua culpa: nec solùm multiplicati sed *roborati sunt successores mei,* successores vitæ meæ, *inimici mei,* non iudices sed inimici, *falsò,* hoc est falsâ impositione imponentes mihi falsa: puta quòd se faciebat filium Dei, quòd erat seductor populi, &c. *quæ non rapui tunc reddam.* Ecce probatio falsitatis: quia *quæ non rapui tunc reddam.* Ecce probatio falsitatis: quia *quæ non rapui,* tanquam raptor, *tunc,* quando exercebunt hæc sua odia, *reddam.* Sermo est metaphoricus: assimilans Christum homini qui soluit tanquam raptor quæ non rapuit. Et intendit ad literam quòd patietur & satisfaciet pro iis ad quæ non tenebatur, pro peccatis quæ non commisit, pro debitis non suis sed alienis. Hæc sunt quæ proponuntur.

Vers. 5. DEVS TV SCISTI. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *quæ non rapui,* &c. Secundò illa, *immersus sum in limo,* &c. ibi, *Deus in multitudine gratiæ tuæ.* Tertiò illa, *laboraui,* ibi, *responde mihi Domine.* Quartò illa, *quoniam venerunt aquæ,* simul cum illa *roborati sunt,* ibi, *tu cognouisti opprobrium meum.* Quintò illa, *salua me Deus,* ibi, *& ego pauper & dolens.*

Circa illam particulam, *quæ non rapui tunc reddam,* duo tractantur: scilicet innocentia à culpa & meritum: ex his enim duobus apparet & quòd non offendit & quòd satisfecit. *Deus tu scisti stultitiam meam, & culpæ meæ à te non sunt absconditæ.* Innocentia ab vtroque peccati genere (scilicet tam ex parte intellectus quàm ex parte affectus) describitur, afferendo Deum in testem: *tu scisti stultitiam meam,* nullam esse, quamuis tractatus sim vt stultus ab Herode, à Pilato, à Pontificibus: *& culpæ meæ,* mihi impositæ, quòd sim seductor, ambiens regnum, &c. *à te non sunt absconditæ,* quòd nullæ sunt. Vtitur sermone truncato more hominum afflictorum: propterea siquidem non explicat negatiuas. Sic enim consueuimus afflicti alloqui scientes innocentiam nostram: Tu scis proditiones meas, versutias meas, intendendo quòd tu scis falsa hæc esse.

Sermone truncato vtuntur afflicti.

Non confundentur in me. Siue deprecatiuè siue propheticè futura hæc intelligantur, describtâ innocentiâ describitur satisfactio, sed priùs satisfactionis fructus: scilicet quòd electi non scandalizabuntur videndo Messiam satisfacere vt malefactorem. *Non confundentur in me,* velut stulto

stulto & iniquo. *expectantes te*, fide & spe. *Domine Deus exercituum: non erubescent in me quærentes*, opere, *te Deus Israel. Quia super te.* Ecce satisfactio: quia non super me, non propter mea demerita. sed *super te*, amore tui, prædicando te, *portaui*, voluntariè, *vituperium: operuit confusio facies meas*, voluntariè sustuli confusionem coràm. *Alienatus sui fratribus meis*, Iudæis: *& alienus filiis matris meæ.* Synagogæ. Nam *Iudæi conspirauerant vt si quis fateretur ipsum esse Christum, extra synagogam fieret*: & Samaritanum ipsum dicebant: *nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es tu?* Hæc enim sunt quæ alienauerunt, hoc est, ob quæ alienus reputabatur à Iudæis. Et vsque in hodiernum diem Christus alienus habetur à Iudæis. Quas tamen, iniurias pro salute nostra disposuit sufferre.

Christus alienus à Iudæis. Ioan. 9. 22. Ioan. 8. 48.

Quia zelus domus tuæ. Descriptâ innocentiâ cum satisfactione ei annexâ, describitur meritum multiplex cum multiplici perpessione satisfactoria. Primum meritum: *Zelus domus Dei*, hoc est, amor impatiens sacrilegiorum in domum Dei, *comedit me*, tantus vt corrodat, consumat animum meum. *Et opprobria.* Secundum meritum electio est iniuriarum propriarum, non quorumcunque sed *exprobrantium tibi*, iniuriantium tibi Deus. Vbi duo intellige. Alterum, quòd ratio iniuriarum propriarum est iniuria contra Deum: Alterum, quòd vehementes elegit iniurias: vtpote ab iis qui non verentur iniuriam inferre Deo: multo enim magis & maiores audebunt mihi inferre iniurias. *Ceciderunt super me*, sorte non casuali sed electoriâ. Est enim sermo de casu sicut cecidit sors super Matthiam: sequendo expositionem Pauli Apostoli ad Rom. 15. exponentis hunc textum quòd Christus non placuit sibi. Quod directè infert affirmatiuam, quòd elegit complacere sibi in opprobriis exprobrantium Deo: hoc est, elegit pro portione sua pati opprobria ab iis qui etiam Deo dicunt contumeliam, & non elegit delectabilia, vtilia aut honorabilia mundi huius pro sorte sua.

Complacere sibi in opprobriis elegit Christus pro sorte sua.

Et fleui in ieiunio Tertium meritum est voluntarius luctus in fletu, ieiunio & cilicio. *Et fleui*, ecce primum, *in ieiunio*, ecce secundum, *animam meam*, vitam meam duxi in fletu & ieiunio: *& fuit opprobria mihi*, scilicet flere & ieiunare. *Et dedi vestimentum meum saccum*, ecce tertium: *& fui eis prouerbio.* Nota hîc quòd ad literam per *fletum*, *ieiunium & saccum* intelligitur abiecta luctuosa & multiplicis patientiæ plena vita Christi: descripta à similitudine hominum in luctu pœnitentiæ, antiquo more in sacco & ieiunio & fletu Quamuis ad literam constet Christum ieiunasse & fleuisse. Sed literalis sensus est quem diximus, Similiter nota quòd huiusmodi vitam Christi datam esse opprobrio, & versam esse in parabolam seu prouerbium, verificatur ad literam tempore passionis Christi: pro quanto cum sceleratis deputato, tota vita eius data est opprobrio. Et irrisio sacerdotum, &c: verificat vitam Christi versam in parabolam: hoc est in irrisionem. Cum hoc tamen potuit esse quòd prouerbium aliquod derisorium exortum fuerit inter Iudæos de Christo. *Loquentur in me.* Duo simul exequitur: nam & declarat apud quos versus est in prouerbium: & declarat illam particulam in principio propositam, scilicet *multiplicati sunt super capillos capitis mei.* Et intendit quòd cuiusque ordinis homines à supremo vsque ad infimum oblocuti sunt de eo. Comprehendit autem omnes hominum ordines ab extremis, explicando scilicet duo extrema: vt ex his intelligamus quoque media. *Sessores portæ*, ecce supremus ordo. Principum enim erat & magnatum sedere in porta ciuitatis: vt pluries patet in Scriptura. *Et modulationes bibentium siceram*: ecce infimus ordo: nam vilissimi homines sunt qui cantant bibendo siceram, id est, poculum quod potest inebriare. Vel *siceram* expressit, ad denotandum vilissimos: vtpote viliores iis qui cantant ad potum vini.

Cuiusuis generis homines Christo oblocuti sunt.

Et ego oratio mea. Quartum meritum est orationis. Et potes dupliciter literam legere. Primò sic: Et ego, oppositis officiis vaco: nam vaco orationi: & tunc sequitur: *oratio mea tibi Domine.* Vel, & ego ipse sum oratio mea tibi: quia totum quod sum, sum oratio: quod constat in Christo verificari. *Tempus*, est, *beneplaciti*, diuini in genere humano: tunc enim sibi reconciliauit genus humanum per Christum.

DEVS IN MVLTITVDINE GRATIÆ. Tractatur hîc illa particula, *immersus sum in limo profundi*. &c. recurrendo ad Deum pro liberatione, exponendo metaphoram *Deus in multitudine gratia tua responde mihi*, opere, *in veritate salutis tuæ. Libera me de luto & non mergar, liberabor ab osoribus meis.* Ecce lutum, osores mei. Nec solum de luto, sed *& de profundis aquarum*: dixerat enim superiùs, *veni in profunditates aquarum. Non lauabit me vnda aquarum & non absorbebit me profunditas.* Significant hæc futura efficaciam diuinæ opis: prophetant & effectum futurum in veritate salutis diuinæ. VERS. 13.

Vbi nota quæstionem suboriri ex hoc loco, circa veritatem: nam superiùs descripsit se immersum luto similiter lotum vndâ: nunc autem dicit *non mergar luto & non lauabor vnda.* Soluitur autem, quantùm ad metaphoram quidem quòd immersus erat luto & ablutus vndâ, inchoatiuè: non mersus autem & non ablutus consummatè. Quantùm ad rem verò quia fuit per mortem mersus & opertus odiis & persecutionibus Iudæorum: sed quia non mansit in morte, sed resuscitatus est & liberatus à morte, ideo est in veritate salutis diuinæ liberatus à luto & ab aquis. Et propterea subditur: *& non absorbuit me profunditas*, velut mortuum submersum permansurum in morte. Et adhuc clariùs explicatur: *Et non obturabit super me puteus*, mortis, *os suum*, sicut obturat super alios mortuos: quia intra triduum inde exibo.

Immersus vnda fuit Christus inchoatiuè non consummatè.

Vers. 16. RESPONDE MIHI. Tractatur hîc illa particula, *laboraui in vocare meo*: supplicando vt respondeat, vertat se, monstret faciem. &c. *Responde mihi*, laboranti vocando te, *Domine, quoniam bona*, hoc est. benefica est omnibus, *gratia tua: secundum multitudinem misericordiarum tuarum*, quibus velut condoles compatiendo miseriis, *vertere ad me*, resuscitando qui velut auersus à me vis me pati. *Et ne abscondе facies tuas*, plenas gratiarum, *à seruo tuo*, qui velut absconditas tenes tempore passionis. *quoniam angustia mihi*, est mortis, *citò*, infra triduum, *responde mihi*, opere resuscitationis. *Approxima ad animam meã*, existentem in inferno, *redime eam*, de pœnalitate separationis à corpore: *Propter inimicos meos*, incredulos Iudæos custodientes sepulchrum meũ, *redime me*, de morte ad vitam immortalẽ: vt non insultent, vt conuincantur quòd verè resurrexi.

Vers. 19.

Vers. 19. TV COGNOVISTI. Tractatur hîc illa particula, *quoniam venerunt aquæ vsque animam*, simul cum altera expositiua metaphoræ, *roborati sunt successores mei*. Quod enim metaphoricè significat venire aquas vsque animam, hoc explicat roborari successores vitæ suæ. Et propterea simul tractantur diffusæ dupliciter. Prius quantùm ad id in quo præualuerunt. Secundò quantùm ad eorum pœnam, ibi, *erit mensa eorum*.

Describit ergo præualentes inimicos. *Tu cognouisti opprobrium meum*, quo probri accusatus, damnatus, &c. sum, *& confusionem meam*, in tot irrisionibus, *& ignominiam meam*, in tot iniuriis: cognouisti quidem quia *coram te omnes hostes mei*, sunt manifesti, quamuis apud homines pallient se iustos. *Opprobrium*, tantum est, quòd *rupit cor meum & langui*. Intendit per hæc ad literam quòd Christus tristatus est intus in animo de iniuriis sibi illatis: ne putares in Christo animum fictum à Stoicis, sine tristitia, timore & huiusmodi. Vnde & ipse dixit: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*: & Marcus Euangelista dicit quòd *cœpit pauere & tædere*. Fuerunt autem in animo Christi huiusmodi propassiones non paruæ: quoniam permittebat vnicuique parti animi exequi officium suum, totum tamen secundùm rationem rectissimam. *Et expectaui ad condolendum & non*, hoc est, nullus fuit condolens mihi: per quod exaggeratur passio, *& similiter consolatores*, expectaui, hoc est ad modum expectantis fui, *& non inueni*. Nullus Apostolus, nullus Discipulus, nulla persona legitur condoluisse aut consolationis aliquid attulisse. Et quoad consolationem quidem non eget glossa. Quoad condolentiam autem glossandum est quòd nullus condoluit Christo vt Christo, sed tanquam viro probo patienti. Sic enim mulieres lamentabantur eum quibus dixit: *Filiæ Hierusalem nolite flere*, &c. Sic enim Maria Magdalena, & Ioannes Euangelista stabant iuxta crucem, proculdubio condolentes sed non vt Christo. Vnde de seipso Ioannes dicit quòd in die resurrectionis vidit & credidit. Et Mariam Magdalenam constat perdidisse fidem ex eo quòd etiam resuscitatum credebat sublatum. Nec obstat textui quòd Beata Virgo perfectè ei condoluit vt Christo & Filio Dei: quoniam vna exceptió non falsificat sermonem vniuersalem in materia morali.

Christus tristatus est intus in animo de iniuriis sibi illatis.

Christo nullus cōdoluit.

Luc. 23. 28.

Præter Beatā Virginem.

Et dederunt in escam meam fel, & siti mea potauerunt me aceto. Ad literam dederunt Christo crucifixo dicenti, *sitio*, potum aceti in spongia: fel autem antequam crucifigeretur dederunt ei mixtum vino: vt patet Matth. 27.

Sed tunc est locus quæstioni: quia fel non est datum ei in escam sed in potum. Soluitur autem: quia potus ille dabatur crucifigendis loco escæ confortatiuæ, sicut infantes accipiunt lac loco escæ: & ægrotantes valde, stillatis & liquoribus nutriuntur. Vnde vina illa credimus fuisse aromatica, tanquam escas conuenientissimas crucifigendis ad confortationem. In potu huiusmodi autem velut esca danda Christo crucifigendo, loco aromatum appositum est fel. Vnde verè dicitur: *& dederunt in escam meam*, conuenientem mihi crucifigendo *fel*: & dicente me, *sitio, potauerunt me aceto*.

Fel mixtum Christo dabatur crucifigendis.

Vers. 22. ERIT MENSA EORVM. Prophetatur pœna Iudæorum qui roborati sunt contra Christum. Et prophetatur triplex pœna. Prima mentis circa sacram scripturam. Quod ideo dico: quia Paulus Apostolus ad Roman. 11. affert hunc textum de cæcitate Iudæorum circa credenda. Sub metaphora ergo mensæ, sacra Scriptura mensa fidei Iudæorum significatur: & ideo sub mensæ nomine Propheta eam introduxit vt continuaret mensam mensæ. Ipsi mihi parauerunt mensam fellis & aceti, propterea *erit mensa eorum*, qua pasci debent, *facie bus eorum laqueo*: detinentur enim vsque hodie Iudæi capti & vincti scripturâ sacrâ, vt non sint liberi ad credendum: *& retributionibus*, quia hoc merentur, *offendiculo*, ad cadendum à rectitudine fidei. *Obscurabuntur oculi*, mentis, *eorum à videndo*, veritatem contentam in scripturis: *& lumbos eorum*, affectus eorum pressos onere peccatorum, *continuè fac labi*, tanquam minus valentes portare onus. Hæc de pœnis mentis erga sacram Scripturam.

Pœna Iudæorum prædicuntur: Spirituales.

Effunde super eos. Prophetatur pœna temporalis excidij Hierosolymitani per Romanos postmodum facti. *Effunde*, copiosè funde, *super eos*, Iudæos, *indignationem tuam*, iustitiam tuam: *& ira furoris tui*: vindicta iustitiæ tuæ, *assequetur eos*, perueniet ad eos. *Erit palatium eorum desolatum*, per quod describitur desolatus principatus eorum. *In tentoriis eorum non erit sedens*, in quo describitur desolatio populi. Vtrumque timebat Caiphas: *ne fortè veniant Romani & tollant locum nostrum*, quoad primum, *& gentem*, quoad secundum.

Temporales.

Ioan. 11. 48.

Quoniam tu quem percussisti persecuti sunt. Ecce ratio pœnarum: quia persecuti sunt illum qui nullâ ex parte, nullâ ratione percutiendus erat nisi quia tu Deus percussisti, percutere voluisti. In quo significatur omnimoda Christi innocentia & diuina ordinatio de passione Christi non pro eius demeritis: quia *propter scelus populi mei percussi eum. Et ad dolorem occisorum tuorum narrabunt.* Perseuerantia persecutionis Iudaicæ in Christum prophetatur quòd non solùm persecuti sunt ipsum, sed narrabunt posteris continuandam persecutionem in Christianos; hoc est enim narrare ad dolorem occisorum tuorum, non vt occisi doleant, sed vt dolendo sint occisi. Quod fecerunt in Stephano, Iacobo, &c. Hæc de pœna excidij Hierosolymitani.

Da iniquitatem. Prophetatur continus lapsus reproborum Iudæorum cum pœna æterna. *Da iniquitatem super iniquitatem eorum*, labentur de crimine in crimen: *& non venient in iustitia tua*, quæ est iustitia fidei, iustitia gratiæ secundùm electionem. Attribuitur autem hoc Deo, dicendo, *da*: quia dat subtrahendo gratiam: quod vocatur dare permissiuè.

Delebuntur de libro viuorum, & cum iustis non scribentur. In libro vitæ quidam sunt scripti secundùm præsentem iustitiam: qui cùm peccant delentur de libro vitæ: & propterea hîc dicitur, *delebuntur de libro viuorum*. Quidam autem sunt scripti secundùm prædestinationem: & hi nunquam delentur de libro vitæ. Et propterea hîc dicitur, *& cum iustis non scribentur*: appellans scripturam prædestinationis, scriptionem iustorum. Per quod significatur æterna damnatio Iudæorum. Et per primum significatur casus illorum qui erant secundùm præsentem iustitiam iusti, qui tamen postea non adhæserunt Christianæ fidei.

Liber vitæ.

Verſ. 29. ET EGO PAVPER ET DOLENS, Tractatur hîc illa particula, *ſalua me Deus*: declarando magnitudinem gratiæ diuinæ in ſaluando ipſum, tali ordine. Primum ponitur ipſa magnitudo ſalutis. *Et ego pauper*, rebus, & *dolens*, corpore & animo: & tamen *ſalus*, non humana, ſed *tua Deus exaltabit me*, reſuſcitando ad immortalem vitam, ad regnum æternum. Deinde ponitur triplex effectus huius ſalutis. Primus eſt: *Laudabo nomen Dei in cantico*, & *magnificabo eum in confeſſione*, fidei. Hæc duo officia inſtituit Chriſtus in Eccleſia ſua: ſcilicet magnificare Deum in confeſſione fidei, & laudare nomen Dei. *Et placebit Deo ſuper bouem taurum, cornificantem & vngulificantem*: hoc eſt, placebit Deo inſtitutio nouæ Eccleſiæ ad magnificandum & laudandum Deum, plus quàm ſacrificium bouis maſculi iuuenculi, ita quòd tunc producat cornua & vngulas: hoc eſt, plus quàm omnia ſacrificia veteris legis: ab hoc enim vno optimo ſacrificio reliqua ſignificauit.

Triplex effectus ſalutis Chriſti.

Viderunt humiles. Poſt effectum primum qui ſpectat ad honorem Dei, deſcribitur ſecundus effectus ſpectans ad bonum electorum: ſcilicet viuere & lætari. *Viderunt humiles*, corde ſalutem reſurrectionis Chriſti: & inde *lætabuntur*. *Quærentes Deum.* Apoſtrophat ad quærentes quæ Dei ſunt. *Quærentes Deum*, vidiſtis Chriſti ſalutem, & *viuet cor veſtrum*. *Quoniam audiuit ad mendicos Dominus*, & *vinctos ſuos non deſpexit*: hoc eſt, quia apud Deum non eſt acceptio perſonarum, ſed attendit auribus ſuis ad preces mendicorum quantumcunque pauperum & miſerorum: nec deſpexit liberare vinctos ſuos, & vinculis peccati & vinculis corporeis.

Viuere & lætari.

Laudabunt ipſum cæli. Tertius effectus communis eſt toti vniuerſo. *Laudabunt ipſum*, modo ſuo, ſcilicet ſicut materia laudis, *cæli & terra*: *maria & omne reptans in eis*, hoc eſt, & omne animal in eis. *Quia Deus ſaluabit Sion*: ecce ratio vniuerſalis gaudij: & *ædificabit ciuitates Iuda.* Hoc ad literam non intelligitur de terreſtri Sion & terreſtribus ciuitatibus Iuda: vt patet ex eo quòd tam parua res non eſſet digna materia gaudij non ſolùm totius orbis ſed totius vniuerſi. Sed ad literam intelligitur de Sion ſpirituali & ſpiritualibus ciuitatibus Iuda in primo aduentu Meſſiæ ædificatis, ſaluando & conſtruendo Eccleſiam vniuerſalem: in ſecundo autem aduentu perficiet in cœleſti Sion. *Et habitabunt ibi*, in ſpirituali Sion & ciuitatibus Iuda in cultu & confeſſione Dei: & *hæreditabunt eam.* Differentia habitantium diſcernitur. Tanquam diceret: commune erit omnibus Chriſtianis quòd habitabunt ibi: proprium autem erit ſemini ſeruorum eius diligentium nomen eius hæreditare, poſſidere, & habitare in Sion. *Et hæreditabunt*, hæreditario iure acquirent, *eam*, Sion. *Et ſemen ſeruorum eius*, fide & opere, *poſſidebunt eam*, Sion: non prodeſſet hæreditas niſi poſſideretur. *Et* iidem *diligentes nomen eius*, non gloriam propriam, *habitabunt in ea*, Sion. Domus hæreditaria & poſſeſſa, parum prodeſt niſi etiam habitetur. Per quæ omnia ſignificat quod dicit Apoſtolus: *Hæredes quidem Dei*, *cohæredes autem Chriſti.*

Sion ſpiritualis.

Vbi etiam aduerte quòd non dicitur quòd hæreditabunt aut poſſidebunt eam filij Iacob aut aliquid huiuſmodi, ſed quod eſt commune omnibus gentibus: ſcilicet ſemen ſeruorum eius (*In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui*, inquit Apoſtolus) & diligentes nomen eius, vt intelligas quòd de ſpirituali ſalute ſpiritualis Sion & Iudæ loquitur. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori Dauid ad recordandum.*

LXIX.

2 *DEVS in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me feſtina.*

3 *Confundantur & reuereantur: qui quærunt animam meam.*

4 *Auertantur retrorſum & erubeſcant: qui volunt mihi mala.*

Auertantur ſtatim erubeſcentes: qui dicunt mihi, Euge, euge.

5 *Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant ſemper magnificetur Dominus qui diligunt ſalutare tuum.*

6 *Ego verò egenus & pauper ſum: Deus adiuua me.*

Adiutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti Dauidi ad memorandum.

LXX.

1 *Propheta.* DEvs † ad liberandum me: Domine † ad adiutorium meum feſtina. † *Dij.*

2 Confundentur & erubeſcent quærentes animæ meæ: conuertentur retro & erubeſcent volentes mali mei.

3 Reuertentur ſuper veſtigio confuſionis ſuæ: dicentes; Heah heah.

4 Exultabunt & lætabuntur in te omnes quærentes te: & dicent continuè. *Vox amantium.* Magnificabitur Deus †. *Propheta.* Amantes ſalutis tuæ. † *Dij.*

5 Et ego pauper & mendicus, Deus † feſtina ad me †: auxilium meum & liberator meus tu, Domine † ne morare. † *Dij.* † *mihi.*

COM

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti Dauidi ad memorandum:* hoc est, ad reuocandum in memoriam tum lapsum, tum pœnam, tum liberationem.

Materia. Materia quippe Psalmi est recursus Dauidis fugientis à facie Absalom ad Deum pro celeri liberatione. *Recursus Dauidis ad Deum, fugientis Absalonè.* Constat enim Dauidem esse auctorem Psalmi, & quæ de seipso dicit verificari in illa persecutione & in nulla alia: nam nullibi legitur fuisse ei insultatum nisi tunc à Semei. Et quia negotium illud habuit lapsum Dauidis in adulterium & homicidium pro causa meritoria, & fuit pœna illius excessus, & affuit diuina liberatio, ideo in titulo appositum est *ad recordandum* vt de cætero caueret sibi. Et quoniam persona hæc directè petit celeritatem auxilij, consequens est vt intelligamus Psalmum istum spectare ad illud tempus quo Dauid vel certificatus erat à Deo quòd se adiuturus erat & propterea sollicitat vt acceleret, vel constitutus erat in magna indigentia, & propterea petit vt acceleret. Horum duorum primum non constat ex sacra Scriptura: quamuis ex eo quòd Dauid 2. Regum 18 præcepit principibus exercitus sui vt seruarent sibi Absalom, appareat quòd expectabat victoriam: cùm tamen Absalom haberet ferè totum regnum: hoc enim est signum quòd Dauid reuelatione habitâ hunc Psalmum fecit. Secundum autem certissimum esse constat: tum quia Dauid in maximo fuit periculo ex consilio Achitophel: vt patet 2. Regum 17. tum quia si res protracta esset in longum, cùm Absalom totum ferè regnum haberet, & Dauid pauper esset, paulatim desertus remansisset Dauid sicut tempore Saulis.

Psalmus hic continetur in Psalmo 40. Et aduerte quòd Psalmus iste continetur in Psalmo XL. scilicet: *Expectando expectaui Dominum:* nam ab illo versiculo, *complaceat tibi Domine vt eruas me Domine ad adiuuandum me festina*, vsque ad finem nihil aliud est quàm Psalmus iste LXX. Vter autem eorũ prius editus fuerit, nescitur. Nec inconuenit diuersam esse materiam istius Psalmi & illius particulæ: quoniam eisdem verbis in diuersis locis licuit Prophetæ vti modò in persona Christi, modò in persona propria.

SVMMARIVM EST.

Dauid fugiens Absalom, petit à Deo vt festinet ad se liberandum, vt iusti magnificent Deum & exultent in Deo: festinet inquam tum quia ipse Dauid depauperatus est: tum quia solius Dei est liberare ipsum.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. Devs ad liberandvm. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *confundentur.* Proponit vnum, scilicet quòd Deus festinet ad adiutorium suum, non qualecumque, sed liberatiuum ipsius. Ita quòd tria hæc subordinatè petita integram efficiunt petitionem: quia liberatio subalternatur adiutorio, & adiutorium festinationi: sic enim clarè sonat textus. *Deus ad liberandum me:* hic est vltimus effectus: *Domine ad adiutorium meum:* hic est medius effectus, *festina:* hoc est primum.

Vers. 2. Confvndentvr et ervbescent. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *ad liberandum.* Secundò illa, *ad adiutorium meum,* ibi, *exultabunt.* Tertiò illa, *festina.* ibi, *& ego.*

Tractatur liberatio, primò ab iis qui se exercent ad hoc vt occidatur. *Confundentur & erubescent.* Proposuit deprecatiuè: exequitur tamen indicatiuo futuro, si fecit hunc Psalmum certificatus quòd exaudiendus erat, prophetans fructus orationis suæ ex diuina ope. *Futuro indicatiui vtuntur Hebræi quandoque indicatiuè, quandoque deprecatiuè.* Alioquin futura hæc interpretanda sunt deprecatiuè. Ita quòd quia solius indicatiui futurum habent Hebræi, eodem futuro vtamur quandoque indicatiuè, quandoque deprecatiuè: & esset sensus: *Confundentur* pro confundantur, *erubescent* pro erubescant, & sic de reliquis, *quærentes,* opere, *animam meam,* vitam meam tollere: *conuertentur retrò & erubescent volentes mala mei.* Illi opere quærunt, isti animo volunt. *Reuertentur super vestigio confusionis suæ*, hoc est, in signum confusionis suæ: vestigium quippe pro signo testante confusionem eorum positum est, ad similitudinem vestigij testantis figuram pedis. Et intendit quòd ipsa reuersio sit signum confusionis eorum. *Dicentes,* supple mihi, *Heah Heah.* Licet solus Semei legatur insultasse Dauidi cùm fugeret timens Absalom (*Egredere, egredere vir sanguinum, ecce premunt te mala tua*, &c. 2. Regum 16.) verisimile tamen est quòd multi alij absentes similiter insultarent. Posset tamen numerus pluralis pro singulari intelligi. 2. Reg. 16.

Vers. 4. Exvltabvnt et lætabvntvr. Tractatur hîc illa particula, *ad adiutorium meum*, ex parte fructus desiderati & promissi. Tum quoad quærentes quæ Dei sunt: *exultabunt & lætabuntur in te omnes quærentes te.* Tum quoad diligentes: *& dicent continuè amantes salutis tua, magnificabitur Deus.* Nota sanctam Dauidis intentionem, supplicando promittentem quòd beneficium diuini adiutorij erit in exultationem iustorum & diuinam laudem. *Sancta Dauidis intentio.* Aperit enim intentionem suam, scilicet quòd Deo ipsum adiuuante ad redeundum in regnum, sic efficiet quòd iusti lætabuntur & laudabunt Deum. Quod & opere compleuit: quia ordinauit ædificationem templi & dispositionem diuini cultus, & vacauit piis operibus, &c.

Vers. 5. Et ego pavper. Tractatur hîc illa particula, *festina.* Et tractatur vtrinque, scilicet & ex parte sui. *Et ego pauper,* fugiens enim indigebat necessariis, & *mendicus*, hoc est ex statu prosperitatis lapsus in paupertatem: hoc enim significat dictio Hebraica, quod *mendici* nomine interpretes significant. Quia talis ego sum, *Deus festina ad me.* In Hebræo habetur *mihi.*

Et ex parte Dei. *Auxilium meum & liberator meus tu:* hoc est, in nullo spero nisi in te, tuum est auxiliari & liberare. Fugiens enim & remittens Arcam Domini dixerat: *Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me: si autem dixerit mihi non places, præsto sum, faciat quod bonum est coram se,* 2. Regum 15. Itaque *Domine ne moraris*, accelera auxilium ad liberandum. Amen. 2. Reg. 15.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO. LXX.

1 *In te Domine speraui non confun-*
2 *dar in æternum : in iustitia tua libera me & eripe me.*
Inclina ad me aurem tuam : & salua me.

3 *Esto mihi in Deum protectorem & in locum munitum : vt saluum me facias.*
Quoniam firmamentum meum & refugium meum es tu.

4 *Deus meus eripe me de manu peccatoris : & de manu cõtra legẽ agentis & iniqui.*

5 *Quoniam tu es patientia mea Domine : Domine spes mea à iuuentute mea.*

6 *In te confirmatus sum ex vtero : de ventre matris meæ tu es protector meus.*

7 *In te cantatio mea semper : tanquam prodigium factus sum multis, & tu adiutor fortis.*

8 *Repleatur os meũ laude : vt cantem gloriã tuam, tota die magnitudinem tuam.*

9 *Ne proijcias me in tempore senectutis : cùm defecerit virtus mea ne derelinquas me.*

10 *Quia dixerunt inimici mei mihi : & qui custodiebant animam meam consilium fecerunt in vnum.*

11 *Dicentes : Deus dereliquit eum : persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat.*

12 *Deus ne elongeris à me : Deus meus in auxilium meum respice.*

13 *Confundantur & deficiant detrahentes animæ meæ : operiantur confusione & pudore : qui quærunt mala mihi.*

14 *Ego autem semper sperabo : & adijciam super omnem laudem tuam.*

15 *Os meum annunciabit iustitiam tuam : tota die salutare tuum.*

16 *Quoniam non cognoui literaturam introibo in potentias Domini : Domine memorabor iustitiæ tuæ solius.*

17 *Deus docuisti me à iuuentute mea : & vsque nunc pronunciabo mirabilia tua.*

18 *Et vsque in senectam & senium : Deus ne derelinquas me.*

IVXTA HEBRÆVM. LXXI.

1 *Propheta.* In te Domine ⁺ speraui non confundar æterno.

2 In iustitia tua eripies me & liberabis me : inclina ad me aurem tuam, & salua me.

3 Esto mihi forti habitaculo ad veniendum iugiter : præcepisti ad saluandum me, quia petra mea, & arx mea tu.

4 Deus meus salua me de manu impij : & de palma torquentis & violenti.

5 Quia tu spes mea : Domine † Deus ⁺ fiducia mea à pueritiis meis. † *Domini mei.*

6 Super te sustentatus sum ex vtero, de visceribus matris meæ tu eductor meus : in te laus mea continuè.

7 Tanquam miraculum fui multis : & tu spes mea & fortitudo.

8 Implebitur os meum laude tuâ : tota die gloria tua.

9 Ne proiice me in tempore † senectutis : sicut deficiente potentiâ meâ ne derelinque me. † *tempori.*

10 Quia dixerunt inimici mei mihi : & obseruatores animæ meæ consiliati sunt simul.

11 Dicendo. *Vox consilij.* Deus † dereliquit eum : persequimini & comprehendite eum, quia non liberans est. † *Dij.*

12 *Propheta.* Deus † ne elongare à me : Deus meus ad auxiliũ meũ festina. † *Dij.*

13 Confundentur & consumentur aduersantes animæ meæ : amicientur vituperio & erubescentia quærentes malum meum.

14 Et ego iugiter expectabo : & adiiciam super omnem laudem tuam.

15 Os meum narrabit iustitiam tuam, tota die salutem tuam : quoniam non cognoui numeros.

16 Veniam in fortitudinibus Domini † Dei ⁺ : recordabor iustitiæ tuæ, solius tui. † *Dominorũ meorum.*

17 Deus † docuisti me : à pueritiis meis & vsque nunc annunciabo separata tua. † *Dij.*

18 Et etiam vsque senectutem & decrepitam ætatem Deus † ne derelinque me : † *Dij.*
donec

Donec annunciem brachium tuum: generationi omni quæ ventura est.

donec annunciabo brachiũ tuum generationi omni ^quæ^ veniet, fortitudinem tuam.

19 *Potentiam tuam & iustitiam tuam Deus vsque in altissima quæ fecisti magnalia: Deus quis similis tibi?*

19 Et iustitiam tuam Deus † vsque excelsũ: ^&^ quæ fecisti magna, Deus † quis sicut tu? † Dij. † Dij.

20 *Quantas ostendisti mihi tribulationes multas & malas: & conuersus viuificasti me, & de abyssis terræ iterum reduxisti me.*

20 Qui fecisti videre nos angustias multas & malas: reuerteris ^&^ viuificabis nos, ^facies ascendere nos^ & de abyssis terræ reuerteris, facies ascendere nos.

21 *Multiplicasti magnificentiam tuam: & conuersus consolatus es me.*

21 Multiplicabis magnitudinem meam & verteris: ^&^ consolaberis me.

22 *Nam & ego confitebor tibi in vasis Psalmi veritatem tuam Deus: psallam tibi in cithara sanctus Israël.*

22 Etiam ego confitebor te in vase violę: veritatem tuam Deus meus cantabo tibi in cithara, sancte Israelis.

23 *Exultabunt labia mea cum cantauero tibi: & anima mea quam redemisti.*

23 Laudabunt labia mea: quoniam cantabo tibi, & anima mea quam redemisti.

24 *Sed & lingua mea tota die meditabitur iustitiam tuam: cum confusi & reueriti fuerint qui quærunt mala mihi.*

24 Etiam lingua mea tota die loquetur iustitiam tuam: quoniam confusi sunt, quoniam dehonestati sunt quærentes malum meum.

COMMENTARIVS.

Titulus nullus est. Materiam Psalmi oportet ex ipso accipere. Et quia auctor Psalmi creditur Dauid, & quæcumque de seipso dicit verificantur de ipso, consequens est vt Psalmus ad literam tractet de Dauide. Et quoniam versus senectutem præ se fert se fuisse tempore istius Psalmi, conferendo nonum versiculum cum præcedentibus, & consilium Achitophel introducitur in versiculis 10. & 11. ideo Psalmus iste non quamcumque Dauidis tribulationem, sed illam quam perpessus est in fuga à facie Absalom, ad literam tractat. *Materia.*

SVMMARIVM EST.

Dauid in persecutione ab Absalom recurrit ad Deum, ex sua in Deum coniunctione ab vtero matris, aucta continuè diuinis beneficijs, & sua in Deo spe, vt non derelinquat se nunc senectutis tempore: vt confusis persecutoribus ipse iuxta cœpta à pueritia vacet diuinis laudibus quas à Deo didicit, annunciando potentiam, iustitiam, fortitudinem, punitiones, gratias. &c. Dei vsque in decrepitam ætatem. Seque exaudiendum simul affirmat.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. In te Domine speravi. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *præcepisti.* Proponit tria. Primò spem suam in duplici effectu: *In te*, non in me, non in homine, *Domine speraui*, hæc est spes. *Non confundar æterno*: hic est primus effectus: hoc est, non priuabor allecatione speratæ rei tandem, quãmuis ad tempus priuer illa. *In iustitia tua eripies me & liberabis me.* Secundus effectus est: Deus in hac tua iusta punitione quam exerces per Absalom ob demerita mea, facies me euadere à morte & restitues gradui pristino. Vterque effectus prophetice scribitur, non deprecatiuè,

Secundò proponit supplicationem pro salute. *Inclina ad me aurem tuam.* Humano more alloquitur Deum tanquam in excelso positum, ad quem vox supplicantis non potest pertingere nisi audiens inclinet aurem. Et intendit petere flexionem rigoris iustitiæ diuinæ: sciens quòd non meretur saluari, sed perdere regnum & vitam propter crimina homicidij & adulterij. *Et salua me*, à persecutione Absalom.

Tertiò proponit supplicationem alteram. *Esto mihi forti habitaculo ad veniendum iugiter.* Deiectus à Sion, à domo Domini, supplicat vt non solùm saluet se: sed de cætero sit sibi Deus tanquam habitaculum forte ex quo non eiiciatur, ad hunc effectum vt continuè Dauid veniat ad laudandum Deum in conspectu arcæ Dei.

Vers. 3. Præcepisti ad salvandum me. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *in te Domine speraui.* Secundò illa, *inclina ad me aurem tuam & salua me*, ibi, *Ne proijce.* Tertiò illa, *esto mihi*, &c. ibi, *& ego iugiter.* Quartò illa, *in iustitia tua*, ibi, *& iustitiam tuam Deus.* Quintò illa, *non confundar æterno*, ibi, *etiam ego confitebor te.*

Tractando spem suam in Deo, inchoat à capite suæ spei. *Præcepisti*, mediante Samuele ordinasti olim, *ad saluandam me*, salutem meam: *quia petra & arx mea tu*: hinc scio quòd ordinasti saluare

saluare me quia expertus sum te mihi velut arcem meam, non qualemcumque sed super petram firmatam: expertus quippe hoc fuerat in omnibus persecutionibus a Saule & in multis bellis. *Deus meus salua me.* fac me euadere *de manu impij*, Absalom: *& de palma torquentis & violenti.* Tria crimina Absalom tanguntur: impietas in patrem: tortio hoc est, iniquum studium ad peruertendum populum: vt patet in historia 2.Regum, & violentia, quâ cum exercitu molitus est debellare regem. *Quia tu spes mea:* ideo *salua me*, quia tu solus spes mea: non nouiter, sed tu Deus *Domine fiducia mea a pueritia mea*: puer enim vnctus est à Samuele in regem: & ex tunc directus est spiritus Domini in Dauid 1.Regum 16.

Tria Absalonis crimina.

Super te sustentatus sum ex vtero, de visceribus matris meæ tu eductor meus. Commemorat diuina beneficia sibi collata antequam posset spem suam ponere in Deo: vt ostendat quòd etiam ex beneficiis naturalium donorum causam habeat sperandi in Deo. Vel fiduciam suam in Deo commemorat sibi innatam, & velut congenitam secum creuisse: eo loquendi modo quo in Psalmo 58. de quibusdam dicit: *Alienati sunt à vulua, errauerunt ab vtero.* Ita quòd sicut illi dicuntur iniqui ex vtero matris suæ, quia semper fuerunt iniqui & ad iniquitatem proni, ita iste dicit se ex vtero matris innixum Deo, & eductum de vtero matris ad hoc, scilicet ad sperandum in Deo. Vnde & subdit: *in te laus mea continuè*, semper gloriatus sum in te.

Dauid ex matris vtero Deo innixus.

Tanquam miraculum fui multis. Puer seu adolescens Dauid interfecit vrsum & leonem, interfecit Goliath gigantem, vicit sæpe Philistæos: & post mirabiles euasiones de manu Saulis obtinuit regnum, habuit tot victorias contra Syros, Idumæos, &c. Et propterea dicit: *tanquam portentum*, seu *miraculum fui multis*, vt ex pastore ouium sic tam excelsus tot præclaris facinoribus emerserim: *& tu spes mea, fortitudo*: hoc est, & in his omnibus semper tu fuisti tum mea spes, tum mea fortitudo. *Implebitur os meum laude tua, tota die gloria tua*: hæc non vsquequaque ingrato affectu commemoro: sed propter tot beneficia os meum totum occupabitur laudibus tuis, glorificando te.

Vers. 9. NE PROIICE ME. Tractatur hîc illa particula. *inclina ad me aurem tuam & salua me.* Vbi narrauit spem suam in Deo ex vtero matris suæ, cum tot fortiter gestis Deo efficiente, consequenter supplicat vt nolit se modò in senectutis ætate derelinquere, sed continuare velit cœpta: erat enim Dauid fugiens ab Absalom iam senex. Quod ex duobus accipitur. Primum ex eo quòd ista fuga fuit post tot bella, post superatam Syriam, subactos Ammonitas, &c. vt patet ex eo quòd fuit per multos annos post adulterium cum Bethsabee quod commissum est existente Ioab in vltimo bello contra Ammonitas: vtpote contra ciuitatem regiam Ammonitarum. Nam Dauid genuit ex Bethsabee quatuor filios & vnam filiam vltra illum conceptum ex adulterio, mortuum infra septimum diem sine nomine: vt patet 1.Paralip 3. Et etiam ex eo quòd Dauid occiso Absalom nec suas cognouit vxores aut concubinas, nec aliam duxit: hoc siquidem est signum senectutis: dormiebat enim solus: & propterea inuenerunt Abisach Sunamitem, &c. vt patet in historia Regum.

Dauid fugiens ab Absalom erat iam senex.

Quatuor filios & vnam filiam præter eum qui ex adulterio ex Bethsabee suscepit Dauid.

Ne proiicias me, quem tantopere protexisti, *in tempore senectutis: sicut deficiente potentiâ meâ*, naturali, *ne derelinque me.* In Hebræo habetur in datiuo *tempori*: sed congruitas mutauit additâ præpositione *in*. *Sicut deficiente.* Aduerte hic quòd vbi interpretes ponunt *deficiente*, dictio Hebraica significat complerionem quâ complentur successiui: & quia completio successiuorum est deficientia eorundem (cùm enim completur dies tunc deficit) ideo interpretes *deficientiam* transtulerunt: carentes siquidem verbo actiuo seu neutro significante huiusmodi complerionem intransitiuè. *Sicut deficiente potentia mea.* Multiplicat loca, prius ab ætate senili: modò à defectu virium supplicat. Milites quorum vires sunt consumptæ, relinquuntur tanquam inutiles. Et ad hoc alludens ait: *Ne derelinque me sicut deficiente potentia mea*, hoc est, tanquam militem consumptis viribus eius.

Quia dixerunt inimici mei, Achitophel & seniores cum Absalom *mihi* hoc est, contra me: *& obseruantes animam meam*, id est, vitæ meæ in malum, *consilium fecerunt simul. Dicendo*, hæc scilicet: *Deus dereliquit eum*, propter crimina eius, non adiuuat eum amplius, vt experientia testatur: *persequimini & comprehendite eum* (Secundi Regum 17. dixit Achitophel: *Eligam mihi duodecim millia virorum & persequar Dauid hac nocte & percutiam eum.*) *Quia non liberator*: (Dauid quippe lapsus est & solutis manibus, &c. vt ibi subditur.) Ideo *Deus ne elongaueris à me*, esto mecum: *Deus meus ad auxilium meum festina*, opus est celeritate ad occurrendum tali consilio Et fuit exauditus, consulente Cusi oppositum. *Confundentur & consumentur aduersantes animæ meæ.* Prophetat exauditionem. Vtrumque fuit verum: nam & confusi sunt ab expectatione sua, & consumpti sunt Achitophel quidem suspendio proprio, Absalom lanceis, & exercitus armis Ioab. *Amiciantur vituperio & erubescentiâ quærentes malum meum*: fuerunt enim velut erubescentiâ & vituperio vestiti omnes qui quæsierant malum Dauidi.

Consil. Achitoph. in Dauid.

2. Reg. 17.

Vers. 14. ET EGO IVGITER EXPECTABO. Tractatur hîc illa particula. *esto mihi fortis habitaculo ad veniendum iugiter.* Tractatur autem promittendo diuinas laudes. *Et ego iugiter expectabo*, Deum firmâ spe: *& adijciam super omnem laudem tuam*, nunquam desinam addere laudem laudi. *Os meum narrabit iustitiam tuam*, non meam sed quâ me punis: *tota die*, continuè, *salutem tuam*, quâ me saluabis: *quia non cognoui numeros.* Per numeros intelligit scientias humanas: quas nominat à numeris, vel quia sub numeris tradebantur antiquitus scientiæ: primáque scientiarum erat Mathematica cuius caput est Arithmetica de numeris. Vel quia exacta cognitio rerum cognitio numerorum dicitur: dicimus enim omnes numeros Philosophiæ vel Metaphysicæ, &c. Intendit itaque Propheta dicere se nescire subtilitates humanarum scientiarum primæ Philosophiæ, & alia huiusmodi: & hinc reddere rationem quare non promittit laudare Deum cum huiusmodi subtilitatibus.

Per numeros intelligit scientias humanas.

Sed veniam in fortitudinibus Domini Dei: hoc est, in potenter gestis a Domino Deo veniam ad laudandum ex iis quæ potenter gessit contra Pharaonem, contra Amorræos, & reliquis contentis in sacra Scriptura spectantibus ad potentiam Dei: vt sunt creatio cæli & terræ, & similia.

lia. *Recordabor iustitiæ tuæ :* non solum laudabo potentiam tuam, sed etiam iustitiam quam exercuisti in primos parentes, in primum homicidam, in diluuio generis humani, &c. *Solius tui:* & breuiter laudabo te solum, nesciens subtilitates scientiarum.

Deus doctor Dauidis. *2.Reg.23.*

Deus docuisti me. Si quæris: vnde scis ô Dauid fortitudines Domini, iustitiam Dei, solumque Deum, cùm non vacaueris nisi aut ouibus aut militiæ? Ecce responsio: *Deus docuisti me,* ipse Deus fuit doctor interius illuminando. Vnde 2.Reg.23. dicit ipse Dauid: *Deus Israël mihi locutus est sicut lux auroræ oriente sole mane absque nubibus rutilat,* &c.

A pueritiis meis & vsque nunc annunciabo separata tua. Fructus doctrinæ quâ me docuisti, est quòd ex tunc (scilicet, à pueritia mea) proposui: *annuntiabo separata.* occulta & mirabilia *tua,* & vsque nunc in eodem perseuero proposito. Futurum enim *annuntiabo,* respicit præteritum *docuisti. Et etiam vsque senectutem & decrepitam,* supple ætatem. *Deus ne derelinque me: donec annuntiabo brachium tuum,* potentiam tuã, *generationi omni quæ veniet, fortitudinem tuam,* exercitium brachij tui: more humano loquitur de potentia Dei & operibus illius.

Dauid etiam à puero in Psalmis Deũ laudabat.

Nota hinc haberi duo. Alterum quòd Dauid loquitur de annuntiatione per Psalmos, nam annuntiatio eius per solam vocem non se extendit ad omnem venturum: sed annuntiatio scripta in Psalmis extendit se ad omnem generationem. Alterum quòd Dauid incepit huiusmodi annuntiationem per Psalmos à pueritia sua: alioquin non dixisset: *à pueritiis meis & vsque nunc annuntiabo separata tua:* vtroque siquidem modo annuntiauit diuina à pueritia. Legitur, enim 1. Reg.17. quòd Dauid adhuc puer laudes diuinas annuntiabat, dicens: *Dominus qui eripuit me de manu leonis,* & rursus: *quis est iste Philisthæus incircumcisus qui ausus est maledicere exercitui Dei viuentis?* In quo clarè apparet annuntiatio vocalis diuinæ laudis: annuntiatio autem per Psalmos ex contextu istius literæ conijcitur.

*Vers.*19. ET IVSTITIAM TVAM DEVS VSQVE EXCELSVM. Tractatur hîc illa particula, *in iustitia tua eripies me & liberabis me,* continuando annuncianda. Non solùm annunciabo brachium & fortitudinem, sed iustitiam tuam, quâ me punis & simul punies persecutores meos, laudabo *vsque excelsum,* vsque ad summum: vtpote qui nec mea nec persecutorum meorum crimina impunita relinquis; *quæ fecisti magna:* hoc est, annunciabo res magnas quas fecisti, quæ sunt sparsæ per scripturam: *quis sicut tu?* & annunciabo quòd non est similis tui. *Quæ fecisti videre nos angustias multas & malas,* in hac persecutione: & hæc est iustitia: *reuerteris,* placidus, *viuificabis nos,* qui iam sumus mortificati: *& de abyssis terræ reuerteris, facies ascendere nos.* Ordina literam sic: reuerteris, & de abyssis terræ facies ascendere nos. Bis dicit *reuerteris:* semel ad viuificandum, & iterum ad eleuandum ex imo ad regnum: deiecti enim erant.

Multiplicabis, augebis. *magnitudinem meam & verteris, consolaberis me.* Tertiò repetit *verteris* ad consolandum specialiter ipsum Dauidem, & augendum magnitudinem eius: vt rei probauit euentus. Vnde litera esset sic ordinanda: Verteris, multiplicabis magnitudinem meam & consolaberis me: Parum prodesset augeri magnitudinem nisi adesset consolatio.

*Vers.*22. ETIAM EGO CONFITEBOR TE. Tractatur hîc illa particula, *non confundar æterno:* prædicendo cum confusione inimicorum se in sono, cantu & meditatione palam laudaturum Deum. *Etiam ego confitebor te,* laudabo non meas vires sed te, *in vase violæ,* hoc est, in sono violæ: *veritatem tuam Deus meus cantabo tibi,* quâ verax in sermone tuo regnum mihi firmasti, *in cithara sancte Israëlis.* Sicut appellatur *Deus Israëlis,* ita appellatur *sanctus Israëlis:* quia apud Israël colitur sanctus, hoc est, eleuatus ab omni imperfectione.

Laudabunt, te canendo, *labia mea,* non solùm instrumentis musicis violæ & citharæ sed labiis propriis lætitiam monstrabo: *quoniam cantabo tibi, & anima mea quam redemisti. Etiam lingua mea tota die loquetur iustitiam tuam:* & anima mea laudabit, quam redemisti ferè de morte ad vitam: etiam lingua mea ex meditatione loquetur, non præceps, non temerè, non garrulè, *tota die iustitiam tuam,* quam exercuisti in persecutores meos: quia *confusi sunt,* non assequentes intentum, quia *dehonestati sunt,* multis turpibus quæ ibi interuenerunt: vt Achitophel suspendio, Absalom impietate, tantis incestibus & suspendio per crines, &c. *quærentes malum meum,* malum deiectionis à regno & à vita. *Amen.*

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Salomoni Psalmus.*

LXXI.

2 *DEVS iudicium tuum regi da: & iustitiam tuam filio regis.*

Iudicare populum tuum in iustitia: & pauperes tuos in iudicio.

3 *Suscipiant montes pacem populo: & colles iustitiam.*

4 *Iudicabit pauperes populi & saluos fa-*

IVXTA HEBRÆVM.

Salomoni.

LXXII.

1 *Propheta.* DEVS † iudicia tua regi da: & iustitiam tuam filio regis. † Di.

2 Iudicabit populum tuum in iustitia: & pauperes tuos in iudicio.

3 Portabunt montes pacem populo & colles: in iustitia.

4 Iudicabit pauperes populi, saluabit

 filios

ciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem.

5 *Et permanebit cum sole & ante lunam: in generatione & generationem*

6 *Descendet sicut pluuia in vellus: & sicut stillicidia stillantia super terram.*

7 *Orietur in diebus eius iustitia & abundantia pacis: donec auferatur luna.*

8 *Et dominabitur à mari vsque ad mare: & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum.*

9 *Coram illo procident Æthiopes: & inimici eius terram lingent.*

10 *Reges Tharsis & Insulæ munera offerent: reges Arabum & Saba dona adducent.*

11 *Et adorabunt eum omnes reges: omnes gentes seruient ei.*

12 *Quia liberabit pauperem à potente: & pauperem cui non erat adiutor.*

13 *Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum saluas faciet.*

14 *Ex vsuris & iniquitate redimet animas eorum: & honorabile nomen eorum coram illo.*

15 *Et viuet & dabitur ei de auro Arabiæ: & adorabunt de ipso semper, tota die benedicent ei.*

16 *Erit firmamentum in terra in summis montium: superextolletur super Libanum fructus eius, & florebunt de ciuitate sicut fœnum terræ.*

17 *Sit nomen eius benedictum in secula: ante solem permanet nomen eius.*
Et benedicentur in ipso omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum.

18 *Benedictus Dominus Deus Israël: qui facit mirabilia solus.*

19 *Et benedictum nomen majestatis eius in æternum, & replebitur majestate eius omnis terra: fiat fiat.*

20 *Completæ sunt orationes Dauid filij Iesse.*

filios mendici: & conteret calumniatorem.

5 Timebunt te cum Sole & faciebus Lunæ: generatio generationum.

6 Descendet velut pluuia super tonsam: velut imbrium gutta terræ.

7 Florebit in diebus eius iustus: & multitudo pacis vsque non *erit* luna.

8 Et dominabitur à mari vsque mare: & à flumine vsque terminos terræ.

9 Faciebus eius genuflectent eremitæ: & inimici eius puluerem lingent.

10 Reges Tharsis & insularum munus reddent: reges Sceua & Seua donum offerent.

11 Et curuabunt se illi omnes reges: omnes gentes seruient ei.

12 Quia eruet mendicum à diuite, & pauperem: & *cui* non adiutor ipsi *est*.

13 Miserebitur super paupere & mendico: animas mendicorum saluabit.

14 A dolo & ab iniquitate redimet animam eorum: & pretiosus sanguis eorum in oculis eius.

15 Et viuet, & dabit ei *populo* de auro Sceua, & orabit pro eo *populo* continuè: tota die benedicet eum *populum*.

16 Erit vola tritici in terra in capite montium: collidetur sicut Libani fructus eius, & germinabunt de ciuitate sicut herba terræ.

17 Erit nomen eius æterno, faciebus solis filiabitur nomen eius: & benedicentur in eo omnes gentes, *&* beatificabunt eum.

18 Benedictus Dominus + Deus† Deus Israëlis: faciens separata solus ipse. † Ds.

19 Et benedictum nomen honoris eius sempiterno: & implebit honor eius vniuersam terram. Amen & Amen.

Completæ sunt orationes Dauidis filij Isai.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Salomoni*. Vbi aduerte quòd Salomon non significatur auctor Psalmi: quoniam ex rubrica subiuncta in fine istius Psalmi constat auctorem Psalmi huius esse Dauidem: subditur siquidem rubrica talis: *Completæ sunt orationes Dauidis filij Isai.* Nisi enim Dauid fuisset auctor ipsius Psalmi, non fuisset in fine eius rubrica talis apposita. Est itaque Dauid auctor Psalmi.

Nota secundò quòd Salomon non est hoc in loco nomen proprium sed appellatiuum: ita quòd non significat illum Dauidis filium qui olim

olim ædificauit templum, qui vocatus est rex Salomon: sed est epitheton Messiæ: appellatiuè siquidem sumitur, ac si dictum fuisset *pacifico.* Hæc autem sic esse comprobatur ex ipso Psalmo. Primum ex versiculo octauo: *& dominabitur à mari vsque mare, & à flumine vsque terminos terræ.* Secundò ex versiculo vndecimo: *& curuabunt se illi omnes reges, omnes gentes seruient ei.* Tertiò ex versiculo 17. *& benedicentur in ipso omnes gentes, beabunt eum* Hæc enim manifestè constat non illi viro, qui appellatus est Salomon sed Messiæ conuenire. Quod etiam attestatur Thargum, habens sic: *Deus sententiam iudiciorum tuorum regi Messiæ da.* Meritò autem Messias appellatur *Salomon*, id est, pacificus: quia *pacificat ea quæ in cœlis & quæ in terris sunt:* vt dicitur ad Ephes. 1. Est igitur ad literam materia Psalmi regnum Messiæ pacificum, & hoc denotat titulus, *Salomoni.*

Salomon hic non est nomen proprium sed appellatiuū, estque Messiæ epitheton.

Ephes. 1.

SVMMARIVM EST.

Propheta prædicit Messiam, regem regis filium, iudicaturum omnes cum iustitia & pace, dominaturum omni terræ, adorandum ab vniuersis regibus & gentibus, curam habiturum pauperum & impotentum, prouisurum populo suo de omnibus, cognoscendum palam æterno filij nomine, & ab omnibus beandum: indéque benedicetur Deus & nomen gloriæ eius qua replebit vniuersum.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. DEVS IVDICIA TVA. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam: ibi, *iudicabit.* Proponit petendo vnum, multis circumstantiis fultum. *Deus da iudicia tua,* omnia ad ius dicendum, *& iustitiam tuam,* hoc est executionem iudiciorum (nihil enim est ius dicere, nisi subsequatur executio iustitiæ) *regi filio regis.* Messiam appellat regem: quia quatenus rex erit, de eo loquitur: filium autem regis ob nobilitatem generis. Et quidem secundùm diuinam naturam est filius regis qui regit vniuersum: secundùm autem humanam est filius Dauidis regis.

Vbi nota prophetam petere vt Messiæ iam regi detur iudicium & iustitia, quia ad literam in secundo aduentu in quo Messias veniet rex & regis filius gloriosus, iudicabit & iustitiam faciet. Vnde & Angelus ad Mariam dicit: *dabit ei Deus sedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Regnum enim Christi in secundo aduentu inchoabit in terra: interim siquidem sedet à dextris Dei.

Luc. 1. 32.

Vers. 2. IVDICABIT POPVLVM TVVM. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *iudicia tua & iustitiam tuā.* Secundò illa, *da,* ibi, *descendet.* Tertiò illa, *regi,* ibi, *& dominabitur.* Quartò illa, *filio regis,* ibi, *erit nomen.* Quintò illa, *Deus,* ibi, *benedictus.* Prædicit Propheta fructum petitæ donationis. *Iudicabit,* Messias rex, *populum tuum,* Deus: & quòd plus est *pauperes tuos in iustitia & iudicio. Portabunt montes & colles,* maiores & minores principes, *pacem populo in iustitia:* hoc est, non faciet iudicium turbulentum, tumultuosum aut scandalosum, sed sic iudicabit vt maiores omnes in iustitia portent pacem vniuersalem: ita quòd tunc implebitur, *& erit opus iustitiæ pax* s quod in hoc mundo impleri non potest. *Iudicabit pauperes populi* (specialiter meminit pauperum, quorum iustitia facilè contemnitur) dicet ius pauperibus, & à fortiori diuitibus: *saluabit filios mendici.* Ecce executio iustitiæ quòd filios etiam mendicantium saluabit ab iniuriis: *& conteret calumniatorem.* Perfectio iustitiæ est non solum saluare innocentem, sed damnare, sed punire nocentem: propterea enim dictum est *iudicia* in plurali, vt vtrunque comprehendatur iudicium: & punitionis malorum, & iustificationis rectorum. Aduerte hîc per hæc omnia describi vniuersale iudicium exercendum à Christo, ex integritate & vniuersalitate iudicij ac iustitiæ cum pacis fructu: tunc enim erit summa tranquillitas ordinis: quæ vocatur pax. *Timebunt te cum sole.* Terribilitas iudicij describitur ex vniuersalitate locorum & temporum. *Timebunt te generatio generationum cum sole & facibus lunæ.* Motus cœli generatio est omnium generationum: generatio quidem, quia in fieri consistit motus: generationum autem, quia est causa omnium generationum: *Et ipse cum sole & stellis,* quæ apparent in conspectu lunæ & non in conspectu solis, *timebunt te,* hoc est, ad similitudinem timentium se habebunt: quoniam motus quidem cæli cessabit, & sol & stellæ apparentes in cōspectu lunæ cessabunt ab influxibus suis: cessabit enim tunc generatio. Et per hoc significatur iudicium illud extendere se ad totum vniuersum & finem imponere generationibus: ac per hoc non esse opus vt iteretur iudicium.

Iustitia Messiæ.

Perfectio iustitiæ est saluare innocentem, & punire nocentem.

Generatio omnis in iudicio vniuersali cessabit.

Vers. 6. DESCENDET. Tractatur hîc illa particula, *da,* describendo aduentum Messiæ. Et quamuis possint hæc verba intelligi de primo aduentu, contextus tamen trahit me ad exponendum de secundo. *Descendet,* de cælo in secundo aduentu, *velut pluuia super tonsam, velut imbrium gutta terræ.* Tonsa appellatur terra producens pascua secto fœno: tunc enim est velut tonsa, & desiderat pluuiam ad germinandum. Et iuxta hanc similitudinem describitur secundus Christi aduentus opportunus, desideratus, fœcundus sicut pluuia respectu terræ tonsæ ad nouum germen. Et congruit similitudo expectationi iustorum post tonsionem: pro quanto post succisum germen huius vitæ, expectant nouum germen resurrectionis. Altera similitudo est, cùm terra arida magnis guttis multæ pluuiæ satiatur. Et ad idem tendit: quoniam ariditas terræ magnam desiderat pluuiam: & ariditatem humani generis ex se insinuat.

Tonsa vocatur hic terra excecto fœno.

Florebit in diebus eius. Ecce fructus descensus veluti pluuiæ ad similitudinem terræ tonsæ, describitur florere, germinare, flores producere. *Florebit in diebus,* aduentus *eius* non terra, sed *iustus,* genus iustorum: *& multitudo pacis,* non ad tempus sed *vsque non luna,* hoc est sine fine: *Et pacis non erit finis,* vt scripsit Esaias: describit enim infinitam durationem à perpetuitate lunæ: *vsque non* erit *luna,* hoc est semper: nunquam enim luna desinet esse.

Vsque non Luna, id est, semper, quia Luna nunquā desinet.

Vers. 8. ET DOMINABITVR. Tractatur hîc illa particula, *regi:* describendo regnum Messiæ humano more ex iis quæ apud nos sunt. Tum ab vniuersitate terrarum: *& dominabitur à mari vsque mare, & à flumine vsque terminos terræ:* hoc est, in vniuersis maribus & vniuersis terris.

Tum à reuerenti subiectione & populorum & principum: *Faciebus eius genuflectent eremitæ,* habitatores

habitatores locorum desertorum: *& inimici eius*, idololatræ, peccatores, dæmones, *puluerem lingent*, sub pedibus eius. *Reges Tharsis & insularum*, hoc est, reges marium & habitantium in insulis, *munus reddent*, debitum, vtpote subditi: *reges Sceuá & Seua donum*, debitum, *offerent*. Et vt vnico verbo dicatur: *curuabunt se illi omnes reges*, *omnes gentes seruient ei*. Intellige per hæc omnia minus dici quàm intenditur: describitur enim vniuersalis omnium subiectio & reuerentia quæ exhibebitur Christo in secundo aduentu per hæc minima quæ sunt apud nos. Et propterea meminit habitatorum eremi & insularum specialiter, vt nullum exceptum intelligas.

Regnum Messia ab vniuersitate.

Vers. 12. QVIA ERVET MENDICVM. Descripto regno Christi ab vniuersali subiectione, nunc describitur idem à regimine dupliciter. Prius respectu personarum indigentium & impotentium: deinde respectu populi. *Quia eruet mendicum & pauperem a diuite*. Reddit rationem descriptæ subiectionis & reuerentiæ ex bonitate regiminis, liberando pauperes & inferiores ab oppressione potentiorum: *& non adiutor ipsi*, hoc est, liberabit eos qui carent adiutore. Ita quòd tria personarum genera tanguntur: mendici, pauperes, & carentes adiutore, vt omnes indigentes comprehendat.

Et à regimine describitur.

Miserebitur super paupere & mendico, & animas mendicorum saluabit. Internæ misericordiæ actus simul & externæ saluationis adiungit. *A dolo & ab iniquitate redimet animam eorum*. Periclitantur pauperes tum propter dolos aliorum contra eos: tum propter iniqua facta contra vitam eorum. Et ab vtroque periculo redimet eos. *Et pretiosus sanguis eorum in oculis eius*. Pro nihilo habetur sanguis vilium personarum apud reges mundi: in oculis verò Messiæ sanguis pauperum erit pretiosus, valde æstimatus. *Et viuet*, rex Messias sine fine, *& dabit ei*. Explicare incipit regimen Messiæ respectu populi: & ideo transit à numero plurali quo hactenus vsus est ad singularem, vtendo pronomine *ei* seu *illi*. *Et dabit ei*, populo suo, *de auro Sceua*, ditabit populum suum, *& orabit pro eo continue*, seruabit eum populum continuè sui meritis: sicut orans sacerdos seruat eum pro quo orat: *tota die*, semper, *benedicet eum*, populum. *Erit vola tritici in terra in capite montium*, feretur tantùm tritici quantùm capit vola in vertice montium, *& collidetur fructus eius sicut Libani*, fructus colliditur: hoc est, multiplicabitur vsqueadeo quòd spicæ collidentur agitante vento sicut rami arborum in Libano colliduntur: *& germinabunt de ciuitate sicut herba terræ*: hoc est homines ciuiles crescent, multiplicabuntur sicut herba terræ crescit & multiplicatur.

Sanguis vilium personarum Messia pretiosus, qui pro nihilo apud Reges habetur.

Aduerte hîc describi per hæc regimen regni Messiæ ab incomparabili similitudine regiminis & regni humani. Et propterea describitur à cura pauperum, quæ rara est in regnis humanis: à redemptione subditorum tum à machinationibus dolosis, tum à factis iniquis: quod rarissimè fortè fit. Tum ab æstimatione infimorum: quod in regnis humanis non habet locum. Et quod plus est, quòd ipse rex ditabit subditos, quòd erit sicut sacerdos pro eis ad Deum, nunquam maledicendo, & à fortiori nunquam malefaciendo populo suo. Tum ab abundantia tanta quòd pugillus tritici in vertice montium (vbi minus triticum solet seri & fructificare) multiplicabitur sicut fructus Libani. Tum à fœcunditate, quòd velut germinantes ciues crescent: quod ad felicitatem pertinet regni. Intendit enim per hæc omnia insensibiles conditiones regni Messiæ significare quoad omnia sine acceptione personarum, cum cura ita singulorum sicut & omnium. Nec meminit curæ respectu diuitum: quia in omnibus humanis regnis diuites bene stant: & ideo non oportuit mentionem de hoc facere. Sed superiùs vbi de iudicio & iustitia actum est, dictum est quòd *montes & colles portabunt*, sufferent *in iustitia pacem*: & de reuerentia dictum est quòd *adorabunt eum omnes reges*.

Cura pauperum rara.

Vers. 17. ERIT NOMEN EIVS. Tractatur hîc illa particula, *filio regis*: prosequendo felices conditiones regis. Tum quoad perpetuitatem famæ. *Erit nomen eius æterno*, nulla obliuione delebitur, *facie̾bus solis filiabitur nomen eius*: hoc est, in clara luce, palam in toto vniuerso nomen Messiæ filiatione cognoscetur: hoc est ab omnibus tunc cognoscetur quòd ipse est filius Dei: quod esse filium est ei nomen proprium. Et verè sic erit: nam beati videbunt hoc: alij autem videntes ipsum hominem Dominum vniuersorum, iudicem mundi & adorari vt filium Dei, credent coacti ipsum esse filium Dei: sicut modò dæmones credunt. Ex hoc textu apud Iudæos vulgatum est nomen Messiæ, filius Dei. Vnde in Euangelio pluries inducuntur & homines & dæmones appellantes Messiam filium Dei: quinetiam Caïphas Pontifex dixit, si tu es Messias filius Dei. *Et benedicentur in eo*, quoniam in Christi merito solo benedicentur omnes quicunque benedicentur: *omnes gentes beatificabunt eum*, laudando.

Ex hoc textu Iudæi Messiam vocant filium Dei.

Vers. 18. BENEDICTVS DOMINVS. Tractatur hîc illa particula, *Deus*: gratias agendo Deo qui dedit iudicia sua & iustitiam suam regi filio regis: vel potius prophetando quòd tunc (scilicet tempore regni Messiæ) Deus benedicetur, qui modò vix cognoscitur.

Benedictus, benedictione laudis erit, *Dominus Deus*, naturâ, *Deus Israelis*, per gratiam cultus: *faciens separata*, id est, mirabilia, *solus ipse*, in Messia. *Et benedictum*, erit, *nomen honoris eius*, quod nunc latet & tunc erit manifestum, *sempiterno*: *& implebit honor eius*, tunc, *vniuersam terram*, quam non implet nunc. *Amen, & Amen*. Affirmantis est duplicata affirmatione, in signum immobilis veritatis futuræ.

COMPLETÆ SVNT ORATIONES DAVIDIS FILII ISAI.

Occurrit hoc loco quæstio de veritate huius Rubricæ: quia inferiùs multi subiunguntur Psalmi cum titulo Dauidis.

Soluitur autem per hoc quòd Psalmi non sunt locati in libro Psalmorum qui habetur, eo ordine quo erant in principio: sed sicut reperti sunt. Erant siquidem sparsi, & sine ordine collecti sũt. Clarè enim constat ex titulis quòd tertius Psalmus locandus est post LI. secundùm rectum ordinem. Vnde quia contigit Psalmum hunc habentem hanc Rubricam in medio locari, ideo hîc legitur. Crediderim ego (vt in Proœmio dixi) hunc Psalmum esse vltimum Psalmum totius Psalterij: & propterea habere hanc Rubricam annexam. Amen.

Psalmi non habentur eo ordine quo erant in principio.

PSAL

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Canticum Asaph.*

LXXII.

QVAM bonus Israël Deus: iis qui recto sunt corde.

2 *Mei autem penè moti sunt pedes: penè effusi sunt gressus mei*

3 *Quia zelaui super iniquos: pacem peccatorum videns.*

4 *Quia non est respectus morti eorum: & firmamentum in plaga eorum:*

5 *In labore hominum non sunt: & cum hominibus non flagellabuntur.*

6 *Ideo tenuit eos superbia eorum: operti sunt iniquitate & impietate sua.*

7 *Prodiit quasi ex adipe iniquitas eorum: transierunt in affectum cordis.*

8 *Cogitauerunt & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelso locuti sunt.*

9 *Posuerunt in cælum os suum: & lingua eorum transiuit in terra.*

10 *Ideo conuertetur populus meus hic: & dies pleni inuenientur in eis.*

11 *Et dixerunt, quomodo scit Deus: & si est scientia in excelso?*

12 *Ecce ipsi peccatores & abundantes in seculo: obtinuerunt diuitias.*

13 *Et dixi: ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas.*

14 *Et fui flagellatus tota die: & castigatio mea in matutinis.*

15 *Si dicebam narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum reprobaui.*

16 *Existimabam vt cognoscerem hoc: labor est ante me.*

17 *Donec intrem in sanctuarium Dei: & intelligam in nouissimis eorum.*

18 *Veruntamen propter dolos posuisti eis: deiecisti eos dum alleuarentur.*

19 *Quomodo facti sunt in desolationem? subitò defecerunt, perierunt propter iniquitatem suam.*

20 *Velut somnium surgentium: Domine*

IVXTA HEBRÆVM.

Psalmus Asapho.

LXXIII.

1 *Propheta.* TANTVM bonus Israël Deus †, mundis cordis. † Dy.

2 Et ego: velut parum declinauerunt pedes mei, velut nihil effusi sunt gressus mei.

3 Quia zelaui in insipientibus: pacem impiorum videbo.

4 Quoniam non [sunt] ligamina morti eorum: & sana vis eorum.

5 In labore hominis non [sunt] ipsi: & cum Adam non plagabuntur.

6 Ideo [fuit] torques eorum superbia: amicietur ornamento iniquitatis sibi.

7 Exiuit ex adipe [quilibet oculorum] oculi eorum: transierunt cogitationes cordis.

8 Liquefacient & loquentur in malo frendis: ex excelso loquentur.

9 Posuerunt in cœlis os suum: & lingua eorum ambulabit in terra.

10 Propterea redire facit [Deus] populum suum huc: & aquæ pleni exprimentur eis.

11 Et dicent. *Vox populi.* Quomodo nouit Deus, & est scientia in excelso?

12 Ecce isti impij: & quieti mundi, assecuti sunt opulentiam.

13 Tantùm frustra mundaui cor meum: & laui in mundicia palmas meas.

14 Et fui vulneratus tota die: & castigatio mea matutinis.

15 Si [sicut] dixi narrabo sicut: ecce generationem filiorum tuorum negaui.

16 *Propheta.* Et cogitaui ad sciendum hoc: labor ipse [est] in oculis meis.

17 Donec veniam ad sanctuaria Dei: intelligam finem † eorum. † fini.

18 Tantum in lubricis pones eos †: fecisti cadere eos in ruinas †. † eis. † ruinis.

19 Quomodo fuerunt desolationi? sicut momentum finiti sunt, completi sunt ab horroribus.

20 Velut somnium ab expergiscente: Domine

in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.
21 *Quia inflammatum est cor meum & re-*
22 *nes mei commutati sunt: & ego ad nihilum redactus sum, & nesciui.*
23 *Vt iumentum factus sum apud te: & ego semper tecum.*
24 *Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me.*
25 *Quid enim mihi est in cœlo: & à te quid volui super terram?*
26 *Defecit caro mea & cor meum: Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum.*
27 *Quia ecce qui elongant se à te peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te.*
28 *Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam. Vt annunciem omnes prædicationes tuas: in portis filiæ Sion.*

mine † in ciuitate imaginem eorum despicies. † *Domini mei.*
21 Quia acescet cor meum: & renes meos acuam.
22 Et ego bestialis & nesciam: tanquam bestiæ fui tecum.
23 Et ego continuè tecum: ideo apprehendisti in manu dexteram meam.
24 In consilio tuo duces me: & postea honore suscipies me.
25 Quis mihi in cœlis: & tecum non quicquam volui in terra.
26 Consumpta est caro mea & cor meũ: robur cordis mei & pars mea Deus † æterno. † *Dij.*
27 Quia ecce longinqui tui peribunt: fecisti cædi omnem fornicantem abs te.
28 Et ego sic approximatio Dei † mihi bona: posui in Domino † Deo† spem meam ad narrandum omnes operationes tuas. † *Deorum.* † *Dys.*

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Psalmus Asapho*: hoc est, deputatus saltem vt cantori Asapho. Materia Psalmi clarè patet ex ipso: est enim disputatio quædam de prosperitate iniquorum in hac vita quomodo stat cum prouidentia Dei & iustorum passionibus.

SVMMARIVM EST.

Propheta disputans de prosperitate iniquorum & afflictione iustorum, vbi rationes attulit hinc ex inconsonantia ad diuinam prouidentiam, inde ex reprobatione filiorum Dei, notitiamque quæstionis ex fine vtrorumque reuelato pondere dixit: & finem iniquorum in inferno, iustorum vero in honore apud Deum, & peccata illorum punienda, istorum coniunctionem cum Deo bonam esse describit.

Persona loquens non propriè variatur, sed recitatiuè: recensendo scilicet aliorum verba.

Vers. 1. Tantvm bonvs Israeli Devs. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *quoniam non ligamina*. Proponit duo: Alterum ex parte Dei: quòd Deus solis mundis corde est bonus. *Deus Israëli*, populo colenti se, non vniuerso sed *mundis cordis* tantùm, solis, *bonus*, apparet. Intellige hoc iuxta illud: palato non sano pœna est panis, qui sano est suauis: & oculis ægris odiosa lux, quæ puris est amabilis. Deus enim in seipso summè bonus, & omnibus ac singulis quantùm est ex parte Dei est bonus, sed non omnium mentium gustu gustatur bonus; non omnium mentium oculis apparet bonus: vt patet in blasphemantibus eum, in negantibus prouidentiam eius, offendentibus ipsum, &c. Sed habentes cor mũdum ab erroribus & passionibus, sceleribus & aliis huiusmodi, vident fide, gustant spe, atque charitate Deum vt bonum, vt beneficum, longè plus quàm mereamur.

Panis palato non sano est pœna, qui sano est suauis.

Alterum ex parte sui: quòd ferè declinauit affectus suus, quia zelauit videns prosperitatem iniquorum. *Et ego.* E regione se distinguit à Deo: Deus bonus, & ego. Imperfectus sermo est: & subintelligitur talis vt subiungam. *Velut parum declinauerunt pedes mei.* Duplex potest esse sensus. Alter affirmans declinationem pedum, non parum sed velut parum: Alter vt subaudiatur verbum substantiuum *defuit*, velut parum defuit quin declinauerunt pedes mei, & sic non affirmatur declinatio. Et hunc sensum secuti sunt communiter interpretes dicentes *penè*. Per pedes quæ sunt instrumenta ad gradiendum, intellige tum naturales vires intellectus & voluntatis: tum habituales virtutes, quæ sunt principia bene operandi: : hæc enim penè declinauerunt à recto. Velut nihil effusi sunt gressus mei. Particulam velut nihil, dupliciter expone sicut præcedentem velut parum. Per gressus intellige ipsa opera. Et aduerte quòd minùs periculum describit in gressibus quàm in pedibus: dum de pedibus dixit *velut parum*, de gressibus verò *velut nihil*: eo quòd imperfecti motus venialium peccatorum, facilius fiunt intus quàm in exteriori opere. *Quia zelaui*, contristatus seu indignatus sum, *in insipientibus*, quorum non est numerus, *pacem impiorum videbo*, hoc est

Motus imperfecti faciliùs fiunt intus quàm exteriùs.

perse

perseueranter videndo: futurum enim appositum est ad significandam perseuerantiam.

Vers. 4. QVONIAM NON LIGAMINA. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *pacem impiorum*. Secundò illa, *& ego velut parum declinauerunt pedes mei, quia zelaui*, &c. ibi, *propterea redire faciet*. Tertiò illa, *tantum bonus*, &c. ibi, *& cogitaui ad sciendum*. Circa primum proponit Propheta materiam quęstionis seu disputationis (scilicet prosperitatem iniquorum) tali ordine. Prius proponit eorum pacem: deinde iniquitatem. Pacem quidem in quatuor: quorum primum est: *Quoniam non ligamina morti eorum*. Metaphoricus est sermo, describens tardam mortem eorum, tanquam solutam non habentem ligamina trahentia ipsam. Appellatur mors ligaminibus tracta, quando ægritudinibus mortalibus aut aliis occasionibus acceleratur: & per oppositum mors sine ligaminibus, quæ non acceleratur. Hoc est ergo primum bonum temporale iniquorum quòd non acceleratur eis mors. Sunt enim diuites, & tuentur ac gubernant se bene, & viuunt quantum natura tolerat: mors autem pauperum mille vinculis necessitatum acceleratur.

Pax impiorũ in quatuor.

Et sana vis eorum. Secundum bonum etiam corporis est, quòd eorum naturalis vis est sana ab ægritudinibus: quia præseruant se diuitiis.

In labore hominis non ipsi, supple sunt. Tertium bonum est quies à laboribus quibus in sudore vultus vescimur pane: quia ipsi in sudore aliorum vescuntur pane.

Et cum Adam non plagabuntur. Quartum bonum est exemptio à plagis penuriæ, bellorum & huiusmodi: non sentiunt enim isti cum Adam, cum communi genere hominum, plagas oppressionum huiusmodi.

Ideo. Narratâ pace impiorum, subiungitur eorum iniquitas in affectu, in intellectu & in lingua. *Ideo*, mater iniquitatum sequentium significatur prosperitas, *torques eorum*, fuit, *superbia*: regina omnium vitiorum ponitur torques, hoc est, gloria eorum ad similitudinem torquis. Vbi aduerte quòd si Latina lingua permitteret, dicendum fuisset: *ideo torquauit eos superbia*, superbia ornauit eos vt torques ornamentum colli. *Amicietur ornamento iniquitatis sibi*. Modò in plurali, & modò in singulari numero loquitur: quia & de ipsis iniquis & de genere iniquorum loquitur. *Amicietur*, velut pallio, *ornamento iniquitatis*: ex superbia oritur iniustitia, non aliena sed sua. Vtrumque autem vitium est voluntatis.

Impiorũ iniquitas in affectu, in intellectu, in lingua.

De intellectu verò: *Exiuit ex adipe oculi eorum*, id est, quilibet oculorum eorum interiorum procedit non ex rectitudine, non ex iudicio rationis, sed ex adipe diuitiarum & potentiæ, magnitudo quippe eorum generat in eis cogitationes conformes eorum superbiæ. *Transierunt cogitationes cordis*: hoc est, tam superbè cogitant vt transeant, transcendant discursus naturales, quos cor naturaliter suggerit: excogitant enim quæ homo nunquam cogitasset, quæ superant vires cogitationum possibilium: vt patet in ambientibus altiora se.

Liquefacient & loquentur in malo fraudis. Ecce crimina linguæ. Dissoluent alios loquentes in malo fraudis, fallaciter ad decipiendum: *ex excelso loquentur*: sicut oculi eorum prodeunt ex adipe sic sermones prodeunt ex celsitudine eorum. *Posuerunt in cœlis os suum, & lingua eorum* *ambulabit in terra*. Nemini parcunt. Deum blasphemant, aut negando prouidentiam eius aut aliquid huiusmodi: & in terra omnibus obloquuntur, nulli ætati, sexui, ordini parcunt: sed detrahendo discurrunt per omnes: & sic lingua eorum ambulat in terra. Hæc est materia disputationis, pax iniquorum.

Vers. 10. PROPTEREA REDIRE FACIET. Tractatur hîc illa particula, *quia zelaui declinauerunt, velut parum pedes mei*, &c. Propositâ materiâ disputationis, introducit Propheta populum Dei quodammodo vacillantem in hac quæstione. Et per hoc explanat in cuius persona dixit pedes vacillasse: quòd scilicet dixit hoc in persona populi colentis Deum. *Propterea*, quia iniusti bene habent in hac vita, *faciet*, Deus, *populum suum redire huc*, in hanc quæstionem. *Redire*, inquit: quia non semel tantum sed sæpe populus Dei reuertitur ad hanc quæstionem. Et attribuitur Deo facere redire: quia ipse dando bona iniquis, dat occasionem populo suo sæpe redeundi ad hanc quæstionem. Vnde & Hieremias & Habbacuc hanc quæstionem mouerunt: & quotidie mouetur à populo Dei: qui enim non colunt Deum carent hac quæstione.

Hanc etiam quæstionem Ieremias & Habbacuc mouerunt, & quotidie mouetur.

Et aquæ pleni exprimentur eis. Describitur quando populus Dei redit ad hanc quæstionem, quando ferè vacillat: quando scilicet aquæ pleni exprimuntur eis: hoc est, quando patiuntur penuriam, quando opprimuntur. Ex metaphora significatur eorum afflictio. Et sumitur similitudo à sitientibus quibus turbida & modica aqua suppetit. *Aquæ pleni*, sunt aquæ loci pleni alienâ materiâ: puta luto: aquæ enim loci seu vasis continentis solam aquam, vocantur *aquæ*, absque additione *pleni*. Ita quòd per aquas pleni describuntur aquæ turbidæ. Rursus per hoc quòd *exprimuntur*, significatur quòd non fluendo sed exprimendo dantur eis: ac per hoc & magis mixtæ & modicæ dantur. Ex qua metaphorica significatur quòd quando populus Dei sic affligitur quemadmodum sitientes quos oportet bibere aquam pleni expressam, tunc redeunt ad hanc quæstionem: quando diuites habent aquam nitidam, ipsi turbidam: illi abundant, isti penuriam patiuntur etiam malorum ciborum, & huiusmodi.

Aquæ pleni quænam?

Et dicent: Quomodo nouit Deus. Vox populi ferè vacillantis introducitur, consequenter afferendo rationes hinc & inde. Ratio prima ad vacillandum sumitur conferendo scientiam Dei cum prosperitate iniquorum. *Quomodo nouit Deus?* Admiratiuè dicit non *si*, sed *quomodo*: non vacillat populus an Deus nouit vel non: sed circa modum suspenditur quo Deus nouit hæc quæ fiunt hîc: *& est scientia*, certa cognitio, *in excelso*, Deo excelso super omnia. *Ecce isti impii*, ad sensum videmus quòd isti impij: *& quieti mundi*, quiete fruentes mundo, *asse*[c]*uti sunt opulentiam*. Admiramur quo pacto cum scientia & prouidentia Dei horum inferiorum, stat quòd isti iniqui prosperentur: nescimus enim modum quo hæc duo simul iunguntur: diuina scilicet prouidentia & iniquorum prosperitas.

Quomodo est prouidentia Dei stat impiorum prosperitas.

Tantum frustra, mundaui cor meum. Altera ad vacillandum ratio ex eodem fonte, scilicet diuinæ prouidentiæ respectu iustorum: quia scilicet non remunerat iustos bonis huius mundi: ac per hoc vana videntur merita iustorum. Et primò interior sanctitas. *Tantum frustra*, sine præmio aliquo,

quo, *mundaui*, intus, *cor meum*. Deinde exteriorum operum innocentia: *& laui in munditia*, ab omni iniquitate & sorde, *palmas meas*, opera mea. Tertiò quoad patientiam. *Et fui vulneratus*, variis flagellis percussus, non ad horam, sed *tota die*, diuturnè: *& castigatio mea*, quâ castigatus sum (siue à meipso voluntariè propter Deum, siue aliunde illata) non fuit tarda, sed *matutinas*, fuit manè, citò. Iusti enim & citò castigantur à Deo (iuxta illud Machab. 6. *Statim medicinam adhibere magni beneficij est in iudicium*, & citò castigant seipsos: *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo*, &c.

Iusti & citò castigantur à Deo, & citò castigant seipsos.

2. Machab. 6.

Si dixi narrabo sicut. Ratio ad alteram partem contra vacillationem ad firmiter standum, affertur. Et ordinato sic literam: Si narrabo sicut dixi, si affirmabo sicut dixi in præcedentibus rationibus, quòd frustra mundaui cor meum, & quomodo est scientia in excelso, &c. *ecce generationem filiorum tuorum negaui.* Non dicit, ecce negaui iustos aut iustitiam aliásque virtutes, sed negaui rationem filiorum Dei: vt ex hoc ipso intelligas quòd ista negatio est reprobatio Dei, est reprobatio quòd Deus habeat filios suos in hoc mundo: *qui non ex sanguinibus neque ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt*, fide, spe & charitate. Et breuiter est negatio filiorum Dei expectantium hæreditatem cœlestis patriæ: iuxta illud: *Si filij & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Ita quòd ratio consistit in deducendo ad hoc maximum inconueniens: scilicet negationem filiorum Dei. Et patet sequela: quia si vanæ sunt bonæ actiones & patientia iustorum, nulla est generatio filiorum Dei.

Solutio quæstionis.

Vers. 16. Et cogitavi ad sciendum hoc. Tractatur hîc illa particula, *tantum bonus Israeli Deus.* Vbi aduerte quòd tractare istam particulam est determinare quæstionem motam. Et propterea Propheta postquam attulit rationes ad partes hinc & inde, modò aggreditur solutionem quæstionis: prius declarando tum difficultatem quæstionis. *Cogitaui ad sciendum hoc, labor ipse in oculis meis.* Ecce difficultas laboriosæ quæstionis in mentis oculis. Tum viam per quam solui debet quæstio: *Donec veniam ad sanctuaria Dei.* Ecce via: semper erit labor ante oculos in hac quæstione donec ingrediamur diuina oracula reuelantia veritatem quæstionis: nulla siquidem est alia via sciendi hanc veritatem nisi diuina reuelatio. *Intelligam finem eorum.* Non sufficit Prophetæ demonstrare viam sciendi hoc, esse sacram Scripturam, sed ad specialia descendit, aperiens viam veritatis patere ex fine eorum: ex finibus siquidem bonorum & malorum soluenda est quæstio. Et verè sic est: quoniam ex fine reproborum qui est damnatio æterna, & electorum qui est beatitudo ęterna, redditur ratio quæsitorũ.

Ex fine bonorum & malorũ soluenda quæstio.

Vbi aduerte ordinem dicendorum talem: Primò declarabitur finis iniquorum: secundò finis iustorum, ibi, *quia acescet*: tertiò iniquitas impiorum, ibi, *quia ecce*: & demum bona opera iustorum, ibi, *& ego*. Vt sic nihil prætermittatur disputationis & rationum præinductarum: & simul tractetur vtraque pars exclusiuæ propositæ, *tantum bonus*, &c. Resoluitur enim in affirmatiuam, Deus est bonus mundis corde, & in negatiuam, Deus non est bonus aliis. Et est sermo de bonitate beatificante: quæ sola est bonitas simpliciter humani generis & creaturarum rationalium.

Tantum in lubricis posuisti eos. Incipit tractare finem iniquorum: inchoans à termino bonorum quibus abundare descripsit iniquos. Et intendit quòd bona iniquorum sunt in solis lubricis: ac per hoc non æstimanda, sed paruipendenda. *Fecisti cadere eos in ruinas.* Ecce terminus lubricitatis, quòd in morte ceciderunt in ruinas inferni. In Hebræo habetur *ruinis* in datiuo: sed congruitas mutauit adiuncta præpositione *in*.

Prosperitas huius mundi momentanea.

Quomodo facti sunt in desolationem. Admiratur Propheta desolationem eorum futuram. *Sicut momentum finiti sunt*, non multum durauit eorum felicitas: quoniam sicut momentum est tempus prosperitatis respectu æternæ desolationis: *completi sunt ab horroribus. Horrendum est*, inquit Apostolus, *incidere in manus Dei viuentis:* horrores inferni ineffabiles sunt, quibus terminantur reprobi.

Velut somnium ab expergisci, Domine in ciuitate imaginem eorum despicies. Inter bona iniquorum supputamus memoriæ. Et propterea describitur pœna eorundem quoad eorum memorias. Et intendit quòd memoria eorum (siue in libris, siue in statuis, siue in filiis, siue in quocunque alio monimento: omnia enim sub imaginis nomine comprehendit) despicietur velut somnium despicitur, cùm homo expergiscitur, hoc est, tanquam res nihili habebitur, & hoc in ciuitate. Quod potest intelligi ad cumulum pœnæ adiunctum: quòd durante ciuitate huius mundi, huiusmodi memoriæ à Deo despiciuntur. Et potest intelligi in ciuitate futura in qua nihil reprobis proderunt huiusmodi imagines.

Finem iustorũ è malis ad bona transeuntium declarat.

Quia acescet cor meum. Declarato fine reproborum, pro quanto ex bonis transeunt ad mala, declarat finem iustorum è conuerso: quia ex malis transeunt ad bona. *Quia acescet cor meum*, voluntatio luctu, *& renes meos acuam*, voluntariâ castigatione corporis. *Et ego bestialis & nesciam.* Post actiones sanctas subdit actiones patientiæ: quòd bestialis est habitus, patiendo ignominias tanquam non cognosceret illas sicut nec bruta cognoscunt illas. *Bestiæ fui tecum.* Ita est in Hebræo: ita quòd *bestiæ* est numeri pluralis. Et est sensus quòd fui tecum vt bestiæ sunt tecum operantes secundùm ordinem quem eis indidisti. Vel solitariam vitam tecum conuersando duxi: homo enim solitarius aut Deus aut bestia. *Bestiæ fui tecum*, dicet Paulus Eremita, Antonius, &c. Intendit siquidem Propheta describere diuersa merita iustorum propter quæ suscipiuntur cum honore à Deo in futura vita. *Et ego continuè tecum*, mente & voluntate: *apprehendisti in manu dexteram meam.* Hucusque suspensus est sermo. *Quia acescet cor meum & renes, &c.* ideo *apprehendisti in manu tua dexteram meam.* Ecce initium finis iustorum, quòd Deus ad similitudinem apprehendentis me per dexteram affuit: per quod complexus diuinus significatur. *In consilio tuo duces me.* Apprehensum per manum duces me, non directione & prudentiâ humanâ, sed consilio tuo dirigente: & postea, post hanc vitam, *honore*, cœlestis patriæ, *suscipies me.*

Quis mihi, desideratus, *in cælis*, nisi tu: *& tecum non volui in terra*, aliquid aliud: hoc est, tam in cælo quàm in terra, te solum volui, & non volui te & alia, sed te solum. Et hic est sensus legendo assertiuè hanc particulam: scilicet *& tecum non volui in terra.* Sed legendo ipsam interrogatiuè,

rogatiuè, sensus esset : *& tecum quid non volui in terra ?* Ac si apertè diceret : Et nihil refutaui in terra quod cum te amato manere aut sufferri possit : omnia peruli, omnia subii tecum. *Consumpta est caro mea & cor meum :* hoc est, posthabui quicquid est carnis etiam propriæ,& quicquid est cordis proprij : *robur cordis mei & pars mea Deus*, non ad tempus, sed *æterno*. Aliorum portio sint diuitiæ, gloria, &c. mea portio Deus: aliorum cordis robur sit regnare, imperare, &c. robur cordis mei Deus : hoc est,ratio robusti mei cordis solus Deus est, ad ea quæ Dei sunt tantummodo robur cordis habeo.

Vers. 27. QVIA ECCE. Duo continebantur in materia disputationis, scilicet pax iniquorum & iniquitas eorundem : & ex descriptis finibus iniquorum & iustorum iam apparet quem exitum habet pax impiorum : modò prosequitur Propheta monstrando fructum iniquitatis eorum. Ita quòd priùs tractauit finem seu terminum iniquorum ex bonis temporalibus in mala, & è conuerso terminum iustorum ex malis in bona : modò declarat terminum iniquorum ex iniquis operibus,& similiter iustorum ex bonis operibus. *Quia ecce longinqui tui*,hoc est,longinqui à re,non loco sed dissimilitudine charitatis, *peribunt* : ecce fructus elongantium se à Deo per peccatum. *Fecisti cadi*, hoc est,incidi in alia vita, *omnem fornicantem abs te*,adhærendo alteri Deo. Metaphoricè describitur pœna inferni per incisionem : vt intelligamus vltima supplicia. Et nota hîc duo genera iniquorum : scilicet fornicantium à Deo,quod est idololatriæ,& elongantium se à Deo per reliqua crimina. Aduerbium *ecce*, ad significandum propinquam esse pœnam appositũ est:& verè propè est quod cum morte venit.

Pœna inferni per incisionẽ describitur.

Ego (imperfecta est oratio) supple talis sum quòd *approximatio Dei mihi bona*. Hoc è regione ponitur contra elongationem à Deo : illi peribunt : mihi bona est approximatio diuina per charitatis amicitiam. *Posui in Domino Deo spem meam* : & hoc contra fornicationem à Deo : *ad narrandum omnes operationes tuas :* vt non solùm mihi,sed aliis prosim prædicando opera tua.

Aduerte in iis quæ dicta sunt dissoluendo quæstionem,quòd non solùm soluta est quæstio ex fine iustorum & iniquorum in alia vita, sed etiam solutæ sunt rationes ad oppositum. Prima quidem,quomodo Deus dat hæc bona temporalia iniustis, ex eo quòd tamen in lubricis sunt hæc bona. Secunda autem de vanitate bonarum actionum & passionum iustorum, ex eo quòd non sunt vanæ, sed cum honore in cælis suscipiendum efficiunt iustum : & quòd Deus qui est omne bonum est portio eorum. Declaratum quoque est quòd iniquitates eorum etsi hic non puniuntur,non tamen remanebunt impunitæ : & quòd iustorum opera etiam hîc remunerantur: quia approximatio Dei est mihi bona hic, & ponere in Deo spem est etiam bonum hic ad cumulum meriti,ad annunciandum omnia opera Dei. Amen.

Non solùm soluta est quæstio sed etiam rationes ad oppositum.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Intellectus Asaph.*	Intelligentia Asapho.
LXXIII.	LXXIV.
VT quid Deus repulisti in finem : iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ?	1 *Propheta.* QVARE Deus † dereliquisti semper:fumabit furor tuus in ouem pascuæ tuæ? † Dij.
2 *Memor esto congregationis tuæ : quam possedisti ab initio. Redemisti virgam hæreditatis tuæ : mons Sion in quo habitasti in eo.*	2 Recordare congregationis tuæ [quam] acquisiuisti principio : redemisti virgam hæreditatis tuæ, montem Sion hunc,habitasti in eo.
3 *Leua manus tuas in superbias eorum in finem : quanta malignatus est inimicus in sancto.*	3 Exalta gressus tuos [super] desolationibus [super] sempiternitatis : [qui] omni malefecit inimico in sanctitate.
4 *Et gloriati sunt qui oderunt te : in medio solennitatis tuæ.*	4 Rugierunt angustatores tui in medio conuentus tui : posuerunt signa sua,signa.
5 *Posuerunt signa sua signa : & non cognouerunt sicut in exitu super summum.*	5 [inimicus] Scietur sicut adducens sursum in ramo ligni secures.
6 *Quasi in sylua lignorum securibus exciderunt ianuas eius : in idipsum in securi & ascia deiecerunt eam.*	6 Et nunc sculpturas eius pariter securi & malleis frangent.
7 *Incenderunt igni sanctuarium tuum in terra : polluerunt tabernaculum nominis tui.*	7 Miserunt in ignem [ignem in] sanctuaria tua terræ : prophanauerunt habitaculum nominis tui.

8 *Dixerunt in corde suo cognatio eorum simul: quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra.*

9 *Signa nostra non vidimus: iam non est Propheta, & nos non cognoscet amplius.*

10 *Vsquequo Deus improperabit inimicus: irritat aduersarius nomen tuum in finem?*

11 *Vt quid auertis manum tuam & dexteram tuam: de medio sinu tuo in finem?*

12 *Deus autem rex noster ante secula: operatus est salutem in medio terræ.*

13 *Tu confirmasti in virtute tua mare: contribulasti capita draconum in aquis.*

14 *Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis Æthiopum.*

15 *Tu dirupisti fontes & torrentes: tu siccasti fluuios Ethan.*

16 *Tuus est dies & tua est nox: tu fabricatus es auroram & solem.*

17 *Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem & ver tu plasmasti ea.*

18 *Memor esto huius: inimicus improperauit Domino, & populus insipiens incitauit nomen tuum.*

19 *Ne tradas bestijs animas confitentes tibi: & animas pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem.*

20 *Respice in testamentum tuum: quia repleti sunt qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.*

21 *Ne auertatur humilis factus confusus: pauper & inops laudabunt nomen tuum.*

22 *Exurge Deus iudica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum quæ ab insipiente sunt tota die.*

23 *Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.*

[captiuorum]
8 Dixerunt in corde suo filij eorum simul. *Vox filiorum.* Incenderunt omnes conuentus Dei in terra.

9 Signa nostra non vidimus: non ad-
[apparet] [est]
huc Prophera, & non nobiscum cognoscens vsquequo.

10. *Propheta.* Vsquequo Deus † exprobrabit angustator? despiciet inimicus nomen tuum semper? † Dij.

11 Quare reuerti facies manum tuam & dexteram tuam de medio sinu tuo, consumendo?

12 Et Deus † rex meus ab initio: operans salutes in medio terræ. † Dij.

13 Tu rupisti in fortitudine tua mare: confregisti capita draconum super aquas.

14 Tu confregisti capita Liuiathan: dabis
[appositiuè]
eum escam populo siccis.

15 Tu scidisti fontem & flumen: tu exsiccasti flumina fortitudinis.
[subditur]
16 Tibi dies etiam tibi nox : tu præparasti luminare & solem.

17 Tu fecisti stare omnes terminos terræ: æstatem & hyemem tu plasmasti ipsas.
[scilicet]
18 Memento huius: inimicus exprobrauit Domino †, & populus insipiens despexerunt nomen tuum.
[doctrina legis tuæ imbutam]
19 Ne trade bestiæ animam legis tuæ: congregationis pauperum tuorum ne obliuiscere semper.
[captiui]
20 Respice pacto: quia impleuerunt tenebrositates terræ, habitacula iniquitatis.
[à facie tua]
21 Non reuertetur contritus confusus: pauper & mendicus laudabunt nomen tuum.

22 Surge Deus †: litiga litem tuam, memento opprobrij tui ab insipiente tota die. † Dij.

23 Ne obliuiscere vocem angustatorum tuorum: sonitus insurgentium
[est]
tuorum ascendens continuè.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Intelligentia Asapho.* Vbi auctor materiæ Psalmi significatur Asaph: & apparet materia intelligentiâ digna: apparet enim clarè ex progressu Psalmi, prophetari in eo incendium templi quod nondum erat constructum. Et quoniam bis combustum est templum (semel à Babyloniis, illud quod fuerat ædificatum à Salomone: & iterum à Romanis, illud quod fuerat ædificatum à Zorobabel, &c.) inquirendum restat de quo incendio sit hic sermo.

Templum bis combustum.

Apparet autem ex Psalmo quòd de primo incendio

Materia.

cendio tractatur. Tum ex eo quòd duratio captiuitatis describitur cedere in iniuriam Dei: vt patet in versiculo 10. *Vsquequo Deus exprobrabit,*&c. & in calce Psalmi, *surge Deus litiga litem tuam:* duratio autem captiuitatis Iudæorum sub Romanis cedit ad gloriam Dei, non ad blasphemiam nominis eius: quoniam constat quòd sunt percussi propter occisionem Messiæ. Captiuitas autem Babylonica cedebat in iniuriam Dei, non solùm pro quanto hostes dicebant quòd Deus non poterat eos liberare: sed quia cultus diuinus erat ab hostibus extinctus, vt dicitur in versu octauo: quod in captiuitate Romana non habet locum: quoniam idem cultus diuinus est magnificatus in Dei Ecclesia. Tum quia captiuatus populus sub Romanis, iam non est populus Dei, non sunt pauperes Dei sed inimici Dei: in Psalmo autem describuntur afflicti Iudæi vt pauperes Dei: vt patet in versiculo 19. Est igitur materia Psalmi ad literam, ira Dei contra Iudæos tempore captiuitatis Babylonicæ.

Ira Dei contra Iudæos in captiuitate Babylonica.

SVMMARIVM EST.

PRopheta preuidens excidium Hierosolymitanum per Babylonicos, recurrit ad Deum, proponendo tum iniurias in Deum, tum incendium templi & desolationem populi electi in hæreditatem, &c. tum miserias residui populi conferens cum operibus diuinæ potentiæ. Et supplicat vt meminerit & saluare pauperes suos qui supersunt, & punire inimicos.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. QVARE DEVS DERELIQVISTI SEMPER. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *rugierunt.* Proponit tria. Primò admiratiuum dolorem, non quare Deus iratus fuerit in populum suum, sed quare iratus fuerit sic, scilicet sempiterna destructione. Et appellatur derelictio seu ira sempiterna ratione naturæ facti: incendium siquidem Templi quantum est ex natura facti, significat sempiternam destructionem: sicut qui incendit domum aut ciuitatem, monstrat ex natura facti quòd vult sempiternam desolationem illius. Et de hoc dolendo admiratur Propheta: sciens quòd Deus non repellet populum suum semper, sed redeuntem ad pœnitentiam suscipiet, & tamen factum præuidet sempiternæ derelictionis. *Quare Deus* (non interrogat sed admiratur) *dereliquisti ad semper* ex natura facti. Scito quòd in Hebræo aduerbium *semper,* significatur tanquam in casu datiuo: & propterea exponendo dicimus *ad semper,* & simile habes in hoc Psalmo, in versiculo 10. & 19. *Fumabit*, perseuerabit more fumantis ex ira, *furor tuus,* iustitia tua, *in oues,* in multitudinē ouium, *pascuæ tuæ,* hoc est, in Iudæos qui sunt velut oues pascuæ tuæ, tum quoad pastum animæ: quia pauisti eos lege tua: tum quoad pastum corporis: quia quadraginta annis pauisti eos manna, & postea dedisti eis terram fluentem lacte & melle.

Incendium Templi significat sempiternam destructionem.

Recordare. Proponit secundò supplicationem vt recorderis rerum suarum. Tanquam diceret: Etsi populus propter peccata sua meretur derelinqui, quia tamen res tibi chara fuit, recordare illius. *Recordare congregationis tuæ,* quam, *acquisiuisti à principio.* Populum Hebræum appellat congregationem Dei acquisitam à principio, tum quia à capite congregationis: hoc est, ab Abraham, à quo incepit Deus congregationem huius populi separando ipsum ab idololatris: tum ab initio quo fuit populus: hoc est, ab egressu de Ægypto: tunc siquidem incepit esse populus: prius enim erāt velut famuli Ægyptiorum. *Redemisti,* ex Ægypto, *virgam,* potentiam, *hæreditatis tuæ,* populi tui electi à te in hæreditatem: iuxta illud Deuteron. 9. *Ne disperdas populum tuum & hæreditatem tuam quam redemisti in magnitudine tua de Ægypto. Montem Sion hunc habitasti in eo.* Non solùm redemisti potentiam populi de seruitute Ægyptia, faciens illum potentem cum regia dignitate: sed redemisti hunc montem Sion, in cultum tuum, de habitaculo Iebuzæorum efficiens ipsum habitaculum tuum: erit enim in superiori eius parte ædificatum templum. Et intendit per hæc proponere tum regiam potentiam, tum templi dignitatem.

Ab egressu de Ægypto, cœperunt Israelita esse populus. Deuter 9.

Exalta gressus tuos. Proponit tertiò alteram supplicationem: *Exalta gressus tuos desolationibus sempiternitatis, omni malefecit inimico in sanctitate.* Non exaltasti gressus tuos, opera tua, extantibus populo, regno & templo, sed dereliquisti omnia: *exalta* quæso, *gressus tuos*, opera tua, *desolationibus sempiternitatis*: hoc est, desolatis iam regno, templo & populo. Nec solum exalta gressus tuos super desolata, sed super inimicos, attentâ iniuriâ illatâ tibi ab eis. Ordina sic literam: *Omni inimico qui malefecit in sanctitate,* in templo sancto tuo, &c. & vtere datiuo pro ablatiuo.

Vers. 4. RVGIERVNT. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *Exalta gressus tuos* desolationibus, &c. Secundò illa, *quare Deus dereliquisti*, &c. ibi, *vsquequo Deus.* Tertiò illa, *recordare congregationis tuæ,* &c. ibi *memento huius.* Quartò iterum illa, *exalta gressus tuos omni qui malefecit inimico,* &c. respectu vindictæ, ibi, *surge Deus.* Tractat itaque petitionem illam: *exalta gressus tuos desolationibus sēpiternitatis,* omni qui malefecit inimico in sanctitate, recensendo desolationes & mala quæ fecit inimicus, quæ fecerunt Chaldæi in destructione Hierusalem capto Sedechia vltimo Iudæorum Rege. *Rugierunt,* leonino furore, *angustiatores tui,* inimici tui, *in medio conuentus tui:* hoc est, loci in quem conueniunt tui, id est, in medio Hierusalem: hæc enim est ciuitas electa à Deo vt sit nomen suum ibi: & propterea appellatur locus conuentus Dei: *posuerunt signa sua signa,* erexerunt vexilla sua in signa victoriæ & dominij.

Recenset desolationes excidij Ierosolymitani sub Sedechia.

Secetur sicut adducens sursum in ramo ligni secures. Post rugitum & vexilla describit opera scissionum: & prophetat quòd *secetur,* palam cognoscetur & videbitur inimicus ad similitudinem adducentis secures ad superiores partes arboris ad scindendum ramos eius. *Et nunc sculpturas eius pariter securi & malleis frangent.* Et intendit per hæc describere fracturas & scissuras factas in Hierusalem. Scissa siquidem sunt in templo quæ ærea erant, vt columnæ & mare: destructi quoque sunt muri Hierusalem. Circa nominata quoque instrumenta nescio si propriam habent interpretationem: sed hoc parui refert, nam constat per hæc intelligi instrumenta ferrea apta ad diruendum: siue scindendo, siue malleis bipennibus, siue quomodolibet aliter. *Miserunt in ignem sanctuaria tua terræ, prophanarunt habi-*

taculum nominis tui. Quòd prius posuerat: prius prophanauerunt habitaculum nominis tui templum scilicet: & deinde miserunt ignem in sanctuaria tua terræ. *Sanctuaria* dixit propter distinctionem Sancti sanctorum a Sancto. Addidit *terræ*, quoniam sanctuaria Dei inflammabilia sunt, sunt etiam cœlestia: sed quæ in terra sunt, incendi possunt. Et hoc ad literam impletum est.

Sanctũ aliud à Sancto sanctorum.

Dixerunt in corde suo filij eorum simul. De criptis desolationibus extrinsecis, describitur desolatio interna subsecuta in filiis Iudæorum cæsorum & captiuorum: & hoc describendo cogitationes eorum. Vbi nota quòd inter alias miserias Iudæorum describuntur eorum filij conferentes præterita & præsentia apud eos ad futuram Dei misericordiam: non desperando, sed incertum libertatis tempus habendo. Cogitabant duo præterita, Alterum quòd Chaldæi *incenderunt omnes conuentus Dei in terra:* hoc est, omnia loca ad diuinos couentus instituta: templum scilicet & ciuitatem Hierusalem. Alterum quòd in tanta iniuria illata Deo *non vidimus signa nostra*: hoc est, non vidimus eum demonstrasse signa vindictæ in sacrilegos. Et hæc signa appellant *nostra*, quoniam eis ostensa erant pluries in deserto, percutiente Deo peccatores contra se: vt patet de Dathan & Abiron, & de incendio Core & aliis. De præsentibus vnum explicant: *non adhuc Propheta.* Iam tantum temporis est quòd combusta sunt loca Dei, & Deus subtraxit signa, & vsque hodie adhuc non mittit Prophetam ad consolandum nos. *Et non nobiscum cognoscens vsquequo.* Ecce ad quid vellent Prophetam: vt esset cum eis cognoscens vsquequo durabit hæc seruitus. Vbi clarè perspicere potes destitutos mœstósque filiorum animos conferendo præterita & præsentia cum futura liberatione, ignorando quando liberabuntur.

Non iuit ad Babylonem Ieremias, sed ductus est in Ægyptũ, vbi occisus est.

Nec obstat his quòd superstes fuit Hieremias: quia Hieremias non iuit cum eis in Babylonem, sed ductus est in Ægyptum à reliquiis Iudæorum: vbi & occisus est. Vnde & significanter captiui in Babylone dicunt, *& non nobiscum cognoscens vsquequo.* Nec etiam obstat quòd Daniel dicit de seipso cap. 9. *Ego Daniel intellexi in libris Hieremiæ numerum annorum,* &c. quoniam Psalmus loquitur de tempore intermedio. Vnde & significantius dicit non adhuc Propheta.

Dan. 9.

Vers. 10. VSQVEQVO DEVS. Tractatur hîc illa particula, *quare Deus dereliquisti,* &c. tali ordine. Occasione acceptâ ex cogitationibus filiorum captiuorum nescientium quantum durabit, exclamat Propheta ad Deum tripliciter. Primo ex duratione blasphemiæ *Vsquequo Deus exprobrabit angustator? despiciet inimicus nomen tuum ad semper?* Prouocatus est: Tanquam diceret: Impone finem his blasphemiis: non tantum durent.

Quare reuerti. Secundò repetit dolorem admiratiuum tantæ consumptionis. Ita quòd primum ex parte diuinæ iniuriæ, & secundò ex parte afflictionis populi clamat. *Quare facies reuerti manum tuam & dexteram tuam de medio sinu tuo, consumendo?* Metaphora est. Tenens manum in sinu non percutit: extrahens vero manum suam de sinu, vtitur eâ. Et quia Deus manu suâ vsus est consumendo templum, ciuitatem, &c. ideo describitur faciens reuerti manum suam de sinu suo consumendo. Et dicitur *faciens reuerti:* quia pluries extraxerat eam de sinu suo ad puniendum Iudæos, sed nunc [illegible] ad consumendum templum & ciuitatem [illegible] tunc. Et [illegible] *facie* [illegible].

Manum de sinu educere dicitur Deus ad puniendũ.

Et Deus. Tertium [illegible] diuinæ potentiæ introducit, ad commendandum quòd non ex impotentia dereliquit populum suum. Et inchoat ab operibus diuinæ potentiæ demonstratis palàm in beneficium populi sui. *Et Deus rex meus*, peculiaris, *ab initio*, mei, scilicet populi Israëlitæ. *operans salutes*, multas, *in medio terræ*, in manifesto, coram omnibus: vt patet in tot salutibus exhibitis educendo populum de Ægypto & introducendo in terram promissionis: *Tu rupisti in fortitudine tua mare* rubrum: *contriuisti capita draconum* Ægyptiorum, *super aquas*, submergendo eos: Ægyptios enim appellatos dracones habes Ezech. 29. *Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti Draco magne qui cubas in medio fluminum.*

Ægyptij appellantur Dracones. Ezech. 2.

Tu confregisti capita draconis, [illegible] Pharaonis, *dedisti eum escam populis*, [illegible] *siccis*: hoc est [illegible] in siccis [illegible] rum. Et videtur per hoc [illegible] cadauera Ægyptiorum delata ad littus maris in escam animalium. *Tu fregisti fontem & flumen*: hoc est, tu scidisti petram in fontem & flumen: fluxerunt enim aquæ de petra non solum velut fons, sed velut flumen, vtpote ad potum tantæ multitudinis hominum & iumentorum in deserto. *Tu exsiccasti flumina fortitudinis.* De flumine Iordanis constat. De flumine Arnon insinuatur: *Sicut fecit in mari rubro sic faciet torrentibus Arnon*, Numer. 21. vel ponitur numerus pluralis pro singulari. *Fortitudinis* dicuntur propter multitudinem aquæ: vel propter effectum subsecutæ fortitudinis.

Num. 21.

Tibi dies. A specialibus operibus diuinæ potentiæ progreditur ad vniuersale opus creationis. *Tibi dies etiam tibi nox*, subditur: *tu præparasti luminare*, lunam & stellas, *& solem. Tu fecisti stare omnes terminos terræ. æstatem & hyemem tu plasmasti ipsas.* In quibus quatuor vide dominium cœli & terræ, & differentiarum diei & noctis, æstatis & hyemis: vt per hæc dominium reliquarum creaturarum intelligas: & penetres quòd non impotentiæ, sed voluntatis sed iustitiæ est derelictio populi sui sub afflictione & seruitute.

Vers. 18. MEMENTO HVIVS. Tractatur hic illa particula, *recordare congregationis tuæ*, &c. dupliciter: tum ex parte hostium, tum ex parte populi. Ex parte quidem hostium proponit iniurias contra Deum: vt hinc prouocet Deum ad eripiendum populum de manu talium. *Memento huius*, scilicet quod *inimicus exprobrauit* non homini, sed *Domino, & populus* eorum *insipiens*, idololatra, *despexit nomen tuum.* Et propterea *ne trade bestiæ.* Bestiam appellat inimicum idololatram: eo quòd more bestiæ sine intellectu est creatoris sui, & propter bestialem modum viuendi. *Ne trade*, diutius detinendam ac vorandam, *bestiæ*, genti bestiali, *animam legis tuæ*, eruditam lege tua. Ecce comparatio inter populum Iudæorum & inimicos: illi sunt bestiæ: iste anima eruditæ lege Dei. *Congregationis pauperum tuo una ne obliuiscere ad semper*: orat pro reliquiis populi percussi, pro captiuis, pro dispersis. Sed *respice pacto*, quod pepigisti cum Abraham & cum Moyse de reducendo *populum* [illegible] etiamsi ad cardines cœli fuerit dissipatus: vt patet

Bestiã vocat inimicũ idololatram.

patet Deuteron. 30. *quia impleuerunt*, pauperes tui, *tenebrositates terræ*, obscura quæque loca terræ, appositiuè *habitacula iniquitatis*, pauperes tui non habentes domos habitarunt loca obscura, quæ non sunt habitacula nisi prædonum, falsariorum, & aliorum huiusmodi hominum iniquitatis latentium in eis. Et intendit per hoc describere magnitudinem miseriæ pauperum Dei, vt cogantur habitare in locis obscuris & infamibus. *Non reuertetur* (deprecatiuè vtitur futuro, pro ne reuertatur) à conspectu tuo *contritus*, populus *confusus* non exauditus à te: quia *pauper & mendicus*, populus iam pœnitens, *laudabunt nomen tuum*.

Vers. 22. SVRGE DEVS. Tractatur hîc illa particula, *exalta gressus tuos*, quantùm ad vindictam inimicorum. In principio enim fuit tractata eadem particula quantùm ad explicationem desolationum: & supererat vt tractaretur quantùm ad vindictam: quod hîc fit.

Surge Deus, à permissione iniuriarum tuarum, *litiga litem tuam*, age causam iniuriarum tibi illatarum. Ac si aperte diceret: Si non vis vindicare causam nostram, quia iustè passi sumus, vindica causam tuam: tibi enim summa iniuria illata est incendendo templum tuum. *Memento opprobrij tui ab insipiente*, illati, *tota die*, continuè: quòd non possis plus quàm alij dij. *Ne obliuiscere vocem angustiatorum tuorum: sonitus insurgentium tuorum ascendens continuè*, supple est. Et intendit per hoc quòd non cessant iniuriæ vocales, sed continuantur & crescunt continuè blasphemiæ Dei ab oppressoribus: petens vt non obliuiscatur hæc punire. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori vt non disperdas, Psalmus Asaph cantici.*	Vincenti ne destrue, Psalmus Asapho cantici.
LXXIV.	LXXV.
2 *CONFITEBIMVR tibi Deus confitebimur: & inuocabimus nomen tuum.*	1 *Electi.* CONFESSI sumus tibi Deus† confessi sumus: & propinquum nomen tuum narrauerunt separata tua. † *Dij.*
3 *Narrabimus mirabilia tua: cum accepero tempus ego iustitias iudicabo.*	2 *Messias.* Quoniam accipiam conuentum: ego rectitudines iudicabo.
4 *Liquefacta est terra & omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius.*	3 Liquefacti sunt terra & omnes habitatores eius: ego firmaui columnas eius. *Selah.*
5 *Dixi iniquis nolite iniquè agere: & delinquentibus nolite exaltare cornu.*	4 Dixi insanis. *Dictum.* ne insanite: & impiis, ne exaltate cornu.
6 *Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui aduersus Deum iniquitatem.*	5 Ne exaltate in excelsum † cornu vestrum: ne loquimini in collo forti. † *excelso.*
7 8 *Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus: quoniam Deus iudex est.*	6 Quia non ab exitu & non ab occidente & non à deserto, celsitudines.
	7 Quoniam Deus † iudicans: hunc humiliabit & hunc exaltabit. † *Dij.*
9 *Hunc humiliat & hunc exaltat: quia calix in manu Domini, vini meri plenus mixto.* *Et inclinauit ex hoc in hoc: veruntamen fæx eius non est exinanita, bibent omnes peccatores terræ.*	8 Quia calix in manu Domini, & vino mero plenus mixto, & effudit ex hoc: tantum fæces eius exprimen, bibent omnes impij terræ.
10 *Ego autem annunciabo in seculum: cantabo Deo Iacob.*	9 *Messias.* Et ego annunciabo mundo: cantabo Deo Iacob.
11 *Et omnia cornua peccatorum confringam: & exaltabuntur cornua iusti.*	10 Et omnia cornua impiorum cædam: & exaltabuntur cornua iusti.

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Vincenti ne destrue, Psalmus Asapho cantici.* Et potest esse ordo literæ: Psalmus cantici Asapho Vincenti ne corrumpe. Sensus autem ex dictis superiùs in aliis titulis patet:

patet: exceptâ illâ particulâ, *ne destrue*: cuius sensus ex materia Psalmi pendet.

Materia. Circa materiam autem Psalmi aduerte quòd post primum versiculum apparet ex contextu Psalmi sine tergiuersatione vnica persona loquens in omnibus reliquis versiculis: loquens autem in prima persona, pluries repetens *Ego*, & continuans sermonem verbis primæ personæ, *dixi*, & similibus. Attribuit autem persona hæc sibiipsi opera quinque. Primum: *ego rectitudines iudicabo.* Secundum: *ego firmaui columnas eius*: scilicet terræ. Tertium: *dixi insanis & impiis*, &c. Quartum: *ego annunciabo mundo, cantabo Deo Iacob.* Quintum: *omnia cornua impiorum cadam.*

Ex quorum quarto manifestè apparet quòd persona hæc est homo: hominis quippe est cantare Deo. Ex tertio autem apparet quòd persona hæc prædicauit insanis & iniquis non superbè sapere, allegando diuinum iudicium, *hunc exaltans & illum humilians*: in quo officium prædicationis manifestè significatur exercuisse hanc personam. Ex quinto verò apparet describi maximum effectum, scilicet excisionem omnium cornuum iniquorum: quod in hac vita adhuc factum non est: cùm semper peccatorum cornua aliqua viguerint. Vnde colligitur hanc personam non aliam esse quàm personam Messiæ: de nulla siquidem alia persona hæc verificantur: immo nec de ipso Christo vsque ad diem iudicij: in quo omnia cornua peccatorum cadet. Solus siquidem Messias potest verè dicere: *Ego firmaui columnas terræ*, & quòd *omnia cornua peccatorum cadam.* Exercuit quoque ad literam prædicationis officium, prædicans & diuinum iudicium & diuinam prouidentiam. Et breuiter omnia simul collecta, ei soli conueniunt.

Aduentus Christi primò ad prædicandum, deinde ad iudicandum. Et propterea ad literam materia Psalmi est aduentus Messiæ, primò ad prædicandum mundo, & demum ad iudicandum. Vnde quod in titulo dicitur *ne destrue*, supplicantis est pro aduentu Messiæ: ne permittat Deus destruat mundum corruentem tot criminibus, sed succurrat reparando seu sustinendo ipsum. Et huic petitioni respondet Psalmus, *Ego paraui* seu *firmaui columnas eius.* Procedit quoque hæc petitio ex timore diuini iudicij: de quo tam in hac vita quàm in vniuersali iudicio Psalmus tractat.

SVMMARIVM EST.

Propheta mirabilia Messiæ ad reparandum mundum, lege, prædicatione diuini iudicij, Apostolis, ac demum vniuersali iudicio, cum fructu diuinæ laudis describit.

Personæ loquentes sunt duæ: scilicet Electi & Messias.

Vers. 1. CONFESSI SVMVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *quoniam accipiam.* Proponit duo: Primò fructum aduentus Christi. *Confessi sumus*, confessione laudis, *tibi Deus*: vox ista electorum est audito Christo: *confessi sumus*: repetitio mysterium duplicis laudis (scilicet in primo & in secundo aduentu) significat. Secundò: *Et propinquum nomen tuum narrauerunt separata tua*, id est, mirabilia Dei monstrata in aduentu Christi manifestauerunt nomen Dei propinquum, non elongatum, non distans sed propinquum nobis: manifestauerunt enim Verbum carnem factum, nobiscum Deum: *Opera quæ ego facio testimonium perhibent de me.* Ioann. 5. 36. Et rursus: *si opera non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.* Ioan. 15. 24.

Vers. 2. QVONIAM ACCIPIAM CONVENTVM. Incipit hic pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *& propinquum nomen tuum narrauerunt separata tua.* Secundò illa, *confessi sumus*, ibi, *& ego annunciabo.* Tractat itaque propinquum diuinum nomen manifestatum per mirabilia à triplici actione Christi, introducendo ipsum Christum loquentem de seipso. Primus actus est: *Quoniam accipiam conuentum*, hominum ad me *ego rectitudines iudicabo.* Christus legislatorem se profitetur. Legislatorem se profitetur in acceptione conuentus, in adunatione hominum ad se, iudicando rectitudines, definiendo rectitudines actionum: *Audistis quia dictum est antiquis, diliges amicum tuum & odio habebis inimicum tuum: ego autem dico vobis diligite inimicos vestros*: Matth. 5. v. 43. 44. & rursus: *dictum est, quicunque dimiserit vxorem suam det ei libellum repudij: ego autem dico vobis quod omnis qui dimiserit vxorem suam, facit eam mœchari*, &c. v. 31. 32. In his enim & similibus & vniuersaliter in omni doctrina Christi adimpletum videmus, *ego rectitudines iudicabo*: definiendo rectitudines actionum & morum. *Liquefacta est terra & omnes habitatores eius, ego firmaui columnas eius.* Secunda actio describitur à metaphora dissolutæ seu corruentis domus cum habitatoribus suis, præstando beneficium columnarum sustentantium illam. Et intendit quòd sicut cùm dissoluitur domus cum periculo habitatorum, succurrens præparatione seu firmitate columnarum sustentantium saluat domum & habitatores, ita Messias ruente terrâ & habitatoribus eius, ipse succurrit beneficio columnarum sustentantium: hoc est Apostolorum & discipulorum: vnde & Paulus ad Galat. 2. Petrum, Iacobum & Ioannem columnas Ecclesiæ seu fidei appellat. Aduerte quòd beneficium columnarum propter multiplicem significationem dictionis Hebraicæ multipliciter exponitur, scilicet, *firmaui*, vel *praeparaui*, seu *aptaui*, & huiusmodi. Satis est proposito quòd constat de beneficio columnarum ad sustentandum: siue stabiliendo, siue aptando, siue parando. Inter has autem actiones quæ valdè mirabiles sunt, connumera etiam miracula quæ interuenerunt ad confirmandum sermonem Christi & Apostolorum.

Dixi insanis. Tertia actio est prædicatio ad insanos & impios, ad peccantes ex ignorantia & ex malitia. Inter insanos computa Saulum qui postea Paulus, cum omnibus qui persequendo Christianos arbitrantur obsequium se præstare Deo. *Dixi insanis, ne insanite, & impiis, ne exaltate cornu.* Humilitatem præcipuè prædicauit Christus. Prædicauit humilitatem præcipuè Christus. *Ne exaltate in excelsum cornu vestrum*: exaggeratio est præcepti, tum propter superbiam Iudæorum: *nos ex fornicatione non sumus nati, sed patrem habemus Deum*: Ioa. 8. 41. & rursus. *Pater noster Abraham est.* Ioan. 8. 39. Tum quia superbia initium est omnis peccati & regina omnium vitiorum: nec *loquimini in collo forti*: hoc est erecto, eleuato, duro: superbi enim est etiam signo exteriori monstrare superbiam. Et intendit per hæc omnia exterminium superbiæ indicere. *Quia non ab exitu*, solis, hoc est ab Oriente, & non *ab Occidente & non à deserto*, vtroque polo, *celsitudine*;

situdines, hominum pendent. Ratio cohibendi superbiam redditur, quia ex nulla mundi parte pendent celsitudines hominum. Et huius rationis ratio subiungitur. *Quoniam Deus iudicans, hunc humiliabit & hunc exaltabit.* Non est in potestate omnium partium mundi celsitudo hominis: quoniam Deus iustus iudex hoc sibi reseruauit: & hunc quem voluerit humiliabit,& hunc quem voluerit exaltabit.

Ira Dei describitur metaphorâ calicis pleni mero turbido.

Quia calix in manu Domini. Ira Dei describitur sub metaphora calicis pleni *vino mero mixto*, hoc est, turbido: mixtura enim reddit vinum turbidum: ita quòd de hoc calice effluit seu effunditur vsque ad fæces exclusiuè: fæces autem reseruantur exprimendæ in potum vltimis. Hæc est metaphora. Et intendit quòd ira Dei significata per vinum merum turbidum, posita in mensura calicis (vindicta siquidem mensurata est sua iustitia.& non fit humano furore) vsque ad diem iudicij effunditur & effluit velut currens liquor citra fæces, nunc puniendò istum nunc illum, vt quotidie videmus sed non notamus: in tempore autem iudicij vniuersalis exprimentur fæces bibendæ ab omnibus nullo excepto impiis terræ. Describuntur fæces exprimendæ, quia aliter non sunt habiles ad potum: bibendæ autem, ad significandum quòd voluntariè in sua causa (hoc est in peccatis) pœnas bibent damnati: quamuis inuiti potum pœnarum suscipiant.

Vers. 9. ET EGO ANNVNCIABO. Tractatur hîc illa particula, *confessi sumus*: tum quoad confessionem in præsenti vita. *Et ego annunciabo*, quæ Dei sunt, *mundo*, *(Ego palàm locutus sum mundo:) Cantabo*, per Ecclesiam meam, per membra mea confessione laudis. *Deo Iacob*, non alteri Deo sed illi quem coluit Iacob, Deo veteris Testamenti. Tum quoad confessionem in resurrectione. *Et omnia cornua iniustorum cadam*, in iudicio vniuersali excidam, tollam omnes potestates iniquorum: *Exaltabuntur*, tunc, *cornua iusti*, generis iustorum. Parum esset auferre celsitudines impiorum nisi exaltaretur potestas iustorum: tunc enim illi ibunt in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam, possidendo regnum sibi paratum ab æterno. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori carminibus Psalmus Asaph Canticum.*	Vincenti in modulationibus, Psalmus Asapho Canticum.
LXXV.	**LXXVI.**
2 *NOTVS in Iudæa Deus: in Israël magnum nomen eius.*	1 *Propheta.* NOTVS in Iudæa Deus†: in Israël magnum nomen eius. † Dij.
3 *Et factus est in pace locus eius: & habitatio eius in Sion.*	2 Et fuit in Salem vmbraculum eius: & habitaculum eius in Sion.
4 *Ibi confregit potentias: arcum, scutum, gladium & bellum.*	3 Ibi confregit sagittas arcus: scutum & gladium & bellum. *Selah.*
5 *Illuminans tu mirabiliter à montibus* 6 *æternis: turbati sunt omnes insipientes corde.*	4 Luminosus tu, fortis plus montibus rapinæ.
Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.	5 (Spoliati) Prædati sunt fortes cordis: dormierunt somnum suum, & non inuenerunt omnes viri virtutis manus suas.
7 *Ab increpatione tua Deus Iacob: dormitauerunt qui ascenderunt equos.*	6 Ab increpatione tua Deus Iacob: consopitus est & currus & equus.
8 *Tu terribilis es & quis resistet tibi? ex tunc ira tua.*	7 (timendus) Tu terribilis tu: & quis stabit faciebus tuis? ex (omni) tunc ira tua.
9 *De cælo auditum fecisti iudicium: terra tremuit & quieuit.*	8 (Hierusalem) De cœlis fecisti audire ius: terra timuit & quieuit.
10 *Dum exurgeret in iudicium Deus: vt saluos faceret mansuetos terræ.*	9 Surgente ad iudicium † Deo †: ad saluandum omnes humiles terræ. *Selah.* † iudicio. † Dijs.
11 *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi.*	10 Quia ira hominis confitebitur te: reliquias irarum cinges.

11 Vouete

12 *Vouete & reddite Domino Deo vestro: omnes qui in circuitu eius affertis munera.*
13 *Terribili & ei qui aufert spiritum principum: terribili apud reges terræ.*

11 Vouete & soluite Domino [d] Deo vestro: omnes circuitus eius portabunt munus formidato.
12 Prohibebit spiritum principum: timendus regibus terræ.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Vincenti in modulationibus Psalmus Asapho Canticum.* Qui patere potest ex supradictis. Sed ex hoc nihil habetur de materia Psalmi: & propterea oportet ipsam ex Psalmo colligere. Apparet autem quòd Psalmus tractat de percussione exercitus Sennacherib tempore Ezechiæ: manifestè enim in principio Psalmi describitur Deus confringens omnia arma in Hierusalem, ad hoc vt cognoscatur ipse Deus Hierusalem & Sion. Et si his adiunxeris conditiones quæ in Psalmo describuntur (scilicet quòd Deus de cœlo hæc fecit, & quòd dormierunt omnes viri exercitus, & quòd terra timuit & quieuit) manifestè non tam prophetatur quàm describitur res gesta: quoniam tunc hæc omnia gesta sunt: & breuiter omnia quadrant huic materiæ. Est igitur Materia Psalmi ad literam, manifestatio quòd Deus Iudææ & Hierusalem est verus Deus, ex mirabili prostratione exercitus Sennacherib: centum scilicet & octoginta quinque millium hominum vna nocte: vt scribitur 4.Reg.19. & 2. Paralip.32. & Esai.37. Et quia Psalmus iste longè antè fuit editus (vtpote tempore Dauidis, cùm prostratio Assyriorum fuerit tempore Ezechiæ) manifestè apparet Prophetia, tam clara vt res gestas describere videatur.

Materia.

SVMMARIVM EST.

Propheta publicè cognitum ac magnificatum Deum in Hierusalem prosternendo exercitum Sennacherib, ita prophetat ac si rem gestam describeret, tangendo singula quæ interuenerunt.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. Notvs in Ivdæa Devs. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *& fuit.* Proponit duo: Alterum est, *Notus in Iudæa Deus.* Non dicit, *notus est Iudææ*, sed *in Iudæa*: vt intelligas quòd cognitus est ab vniuersis Deus habitans in Iudæa. Iudæam appellat illam terræ promissionis partem in qua erat tribus Iuda simul cum Beniamin: in illa siquidem parte denominata Iudæa à Iuda Patriarcha habitabat Deus tunc: cùm iam regnum Israël deuastatum fuisset & decem tribus translatæ in Assyrios, ad Medos, &c. Alterum. *In Israël*, disperso, *magnum nomen eius*, supple habitum est. Significanter enim dicit *nomen magnum*: vt intelligas quòd audito tam grandi miraculo habitum est nomen Domini magnum vbique in Israëlitis: nomen enim ad auditum spectat.

Iudæam vocat illã Terræ promissionis partem, in qua erat tribus Iuda simul cum Beniamin.

Vers. 2. Et fvit in salem. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *Notus in Iudæa Deus.* Secundò illa, *in Israël magnum nomen eius*, ibi, *quia ira. Et fuit in Salem*, hoc est in Hierusalem, *vmbraculum eius: & habitaculum eius in Sion.* Electio tam ciuitatis quàm specialis loci ipsius ciuitatis (scilicet Sion) describitur: elegit siquidem Deus vtrumque. Idem autem significatur per vmbraculum & habitaculum, Templum scilicet, in quo dicebatur Deus habitare ratione cultus qui ibi Deo exhibebatur. Et sic ibi cognoscebatur Deus, cultu, veneratione, responsis, exauditionibus, miraculis ignis & nebulæ: vt patuit in dedicatione templi.

Ibi, iuxta Hierusalem, *confregit sagittas arcus: scutum & gladium & bellum.* Lege Esaiam: *Non iaciet ibi sagittam, & non occupabit eam clypeus, & non mittet in circuitu eius aggerem*, Sennacherib. Et describitur non solum armorum deiectio sed etiam totius belli: nam tunc cessauit bellum: quoniam Sennacherib reuersus est in Niniuem, & occisus est à filiis suis. Et sic Deus non solum confregit arma, sed totum bellum. Isai.37.33.

Luminosus tu. Ecce modus quo Deus cognitus est habitans in Iudæa. *Luminosus tu*, manifestando vt omnes videant, *fortis plus montibus rapinæ*, dum appares fortior regibus, principibus, qui sunt montes rapinæ: fortior Sennacherib & principibus eius.

Prædati sunt, passiuè, *fortes cordis.* Ecce effectus fortitudinis diuinæ: quòd Assyrij fortes cordis, superbi cordis, sunt prædati, spoliati sunt omnibus rebus: tunc enim occiso à Deo exercitu Assyriorum, res eorum cesserunt in prædam Iudæorum. *Dormierunt somnum suum.* Describitur tempus quo percussi sunt: scilicet nocte, horâ quâ dormiebant. *Dormierunt somnum suum*, Assyrij in exercitu: *& non inuenerunt omnes viri virtutis manus suas.* Viros virtutis appellat Regem Sennacherib & eos qui cum eo erant qui non sunt interfecti: isti enim manè surgentes non inuenerunt manus suas: hoc est exercitum, qui erat velut manus eorum.

Ab increpatione tua. Percussio ipsa describitur communi nomine *ab increpatione tua Deus Iacob.* Nec alicubi in Scriptura inuenitur qualis fuerit illa percussio: nisi secundùm effectum, quia fuit occisiua 185. millium hominum. Multi dicunt quòd fuit increpatio combustiua, ita quòd redegit in cinerem corpora illæsis vestibus. Sed hoc non solùm caret auctoritate Scripturæ, sed dissonat ab ea: quarti siquidem Reg. decimonono dicitur de Sennacherib: *Cùmque diluculo surrexisset vidit omnia corpora mortuorum.* Si fuissent corpora combusta, non dixisset vidit corpora mortuorum: sed vidit cineres eorum, aut vestes eorum. Berosus autem referente Iosepho dicit quòd fuit pestilentiâ, quâ perierunt 185. millia in prima nocte: & quòd propterea Sennacherib metuens reliquæ exercitus parti iuit in Niniuem. Sed Berosus diuinando hoc dicit, non credens diuinum miraculum. Dissonat autem pestilentia hæc à diuino miraculo: pro quanto subsecutum esset periculum pestilentiæ in

Centum octoginta quinque hominum millia in castris Sennacherib occidit Angelus: quo Bethi genere?

4.Reg.19.

in populum Iudæorum egredientium ad spolia Assyriorum: Dei enim opera non cum tali imperfectione, sed perfectè salutifera fuisse rationabile est. Relinquamus ergo incertam qualitatem percussionis seu increpationis.

Cuius effectus subiungitur. *Consopitus est & currus & equus:* hoc est & vecti curribus & vecti equis milites: dicitur enim 2. Paralipom. 32. *Percussit omnem virum robustum & bellatorem & principem exercitus Assyriorum*, vt intelligas quòd non solum pedites & gregarij milites percussi sunt. *Consopitus* autem dicitur, quia mors somno copulata est.

2. Paralip. 32.

Tu terribilis tu. Exaggeratio est, significans quòd tu Deus per teipsum terribilis ex tali opere monstraris. *Et quis stabit faciebus tuis?* proculdubio nullus. *Ex tunc ira tua.* A differentia inter diuinam iram seu vindictam & humanam, commendatur terribilitas diuina: vindicta enim quandoque est in potestate nostra, & quandoque non: immo superuenit quandoque tempus quo pœnitet nos nõ vindicasse, & volumus vindicare sed non possumus pro tunc. Ira autem Dei semper est pro quocunque tunc parata: & propterea ira Dei appellatur *ira ex tunc:* quia ex quolibet *tunc*, ex quolibet instanti est prompta. Et patuit in hac percussione quòd fuit ex tunc cùm venit rex Assyriorum personaliter ex Ægypto: nocte enim sequente apud Iosephum exercuit Deus hanc iram, vt Sennacherib oculis propriis videret exercitum suum occisum à Deo Iudæorum.

De cælis fecisti audire ius. Cœleste instrumentum respectu talis vindictæ describitur, non per modum belli sed per modum iudicij. Fecit omnes audire ius factum de cœlis contra blasphemias Sennacherib: misit enim Deus Angelum suum executorem iuris, occidendo 185. millia. *Terra*, Hierosolymitana, *timuit*, timore magno à facie Sennacherib, *& quieuit*, à præliando: non enim pugnauit. *Surgente ad iudicium*, Assyriorum, *Deo: ad saluandum omnes humiles terræ.* Describit non interuenisse pugnam seu prælium Iudæorum ad occidendum Assyrios, sicut interuenerunt Iudæi pugnantes contra Amorrhæos & Chananæos tempore Moysi & Iosuë: sed interuenisse merita humilium seu mansuetorum Isaiæ, Ezechiæ, & reliquorum deuotè colentium Deum in Hierusalem, pro quorum salute Deus prostrauit exercitum Sennacherib. In Hebræo habetur in datiuo *iudicio:* sed congruitas mutauit adiunctâ præpositione *ad*.

Vers. 10. QVIA IRA. Tractatur hîc illa particula, *In Israel magnum nomen eius:* explicando effectus tanti iudicij in quibus relucet extensum nomen Dei magnificatum in Israël. Primus effectus est: *Quia ira hominis*, Sennacherib contra populum tuum, *confitebitur te*, materia erit laudis tuæ; fuit enim occasio diuinæ laudis: *reliquias irarum cinges.* Ecce effectus: ex laude diuinâ occasionatâ ab ira Sennacherib, compescuit, ligando cinxit Deus reliquos inimicos Iudæorum: hoc enim est cingere reliquias irarum contra Iudæam: nam audientes tantum Dei iudicium, destiterunt ab impugnatione Iudææ.

Effectus diuini in Sennacherib indicy.

Vouete, ex deuotione, *& soluite*, ex debito, *Domino Deo vestro.* Apostrophat ad Iudæos vt iam liberati ab ira Sennacherib & voueant & soluant vota: hoc est gratias agant, liberè cultum exhibeant domino Deo suo, quod est secundus effectus.

Omnes circuitus eius portabunt munus formidato. Tertius effectus describitur quòd omnes in circuitu Hierusalem portauerunt munera Domino: dicitur enim 2. Paralipom. 32. & præstitit Deus ei (Ezechiæ) quietem per circuitum: multi etiam deferebant hostias & sacrificia Domino in Hierusalem. Vbi apparet res gesta hîc prophetata: dum dicitur quòd omnes circuitus eius portabunt munus formidato, Deo propter prostratum exercitum mirabiliter.

Prohibebit spiritum principum, timendus regibus terræ. Quartus effectus est quòd ex hoc facto Deus redditus timendus regibus terræ, prohibebit spiritum principũ à pugnando contra Hierusalem. Quod plus est quàm ligatere liquias irarum quæ paratæ tũc erant contra Hierusalem, quanto hoc est vniuersalius quàm illud. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori pro Idithun Psalmus Asaph.*

LXXVI.

2 *VOCE mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Deum & intendit mihi.*

3 *In die tribulationis meæ Deum exquisiui: manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus.*

4 *Renuit consolari anima mea: memor fui Dei & delectatus sum, exercitatus sum & defecit spiritus meus.*

5 *Anticipauerunt vigilias oculi mei: turbatus sum & non sum locutus.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti super Ieduthũ Asapho Psalmus.

LXXVII.

1 *Propheta.* VOx mea ad Deum † & clamabo: vox mea ad Deũ † & auscultauit me. † *Deos.* † *Deos.*

2 In die angustiæ meæ Dominum † quæsiui: manus mea nocte mota est & non relaxabitur, renuit consolari anima mea. † *Dominos meos.*

3 Recordabor Dei †, & conturbabor: meditabor, & collabetur spiritus meus. *Selah.* † *Deorum.*

4 Apprehendisti palpebras oculorum meorum: passus sum & nõ loquar.

5 Cogitaui

6 *Cogitaui dies antiquos: & annos æternos in mente habui.*

7 *Et meditatus sum nocte cum corde meo: & exercitabar & scopebam spiritum meum.*

8 *Nunquid in æternum proijciet Deus: aut non apponet vt complacitior sit adhuc?*

9 *Aut in finem misericordiam suam abscindet: à generatione in generationem?*

10 *Aut obliuiscetur misereri Deus: aut continebit in ira sua misericordias suas?*

11 *Et dixi: nunc cœpi: hæc mutatio dexteræ excelsi.*

12 *Memor fui operum Domini: quia memor ero ab initio mirabilium tuorum.*

13 *Et meditabor in omnibus operibus tuis: & in adinuentionibus tuis exercebor.*

14 *Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus noster? tu es Deus qui facis mirabilia.*

15 *Notam fecisti in populis virtutem tuam:*
16 *redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Iacob & Ioseph.*

17 *Viderunt te aquæ Deus viderunt te aquæ & timuerunt: & turbatæ sunt abyssi.*

18 *Multitudo sonitus aquarum: vocem dederunt nubes.*

19 *Etenim sagittæ tuæ transeunt: vox tonitrui tui in rota.*
Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est & contremuit terra.

20 *In mari via tua & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur.*

21 *Deduxisti sicut oues populum tuum: in manu Moysi & Aaron.*

5 Cogitaui dies ex principio: annos seculorum.

6 Recordabor modulationis meæ in nocte: cum corde meo loquar, & quæsiuit spiritus meus.

7 Nunquid seculis derelinquet Dominus †: & non adiiciet ad volendum adhuc? † Domini mei.

8 Nunquid finita est, ad semper gratia eius: compleuit dictum generationi & generationi?

9 Nunquid oblitus est misereri Deus: verè continuit in furore misericordias suas? *Selah.*

10 Et dixi: ægritudo mea ipsa, mutationes dexteræ excelsi.

11 Recordabor opera Domini: quoniam recordabor ex principio separatum tuum.

12 Et meditabor in omni opere tuo: & in causis tuis loquar.

13 Deus † in sanctitate via tua: quis † *Dij.*
Deus (aliorum) magnus vt Deus † (naturâ)? † *Dij.*

14 Tu ipse faciens separatum: fecisti scire in populis fortitudinem tuã.

15 Redemisti in brachio populum tuum: filios Iacob & Ioseph. *Selah.*

16 Viderunt te aquæ Deus † viderunt te aquæ: trement etiam trement abyssi. † *Dij.*

17 Effuderunt aquas nubes: vocem dederunt cœli, etiam sagittæ tuæ ambulabunt.

18 Vox tonitrui tui in rota, fecerunt lumen fulgura mundo: tremuit & commota est terra.

19 In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non sunt agnita.

20 Deduxisti quasi ouem populum tuum: in manu Moysi & Aaron.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Vincenti super Ieduthun Asapho Psalmus.* Ieduthun nomen est vnius principis in musica 1. Paralip. 25. Vel potius hoc in loco nomen est musici instrumenti: nam præpositio *super*, hoc insinuat. Reliqua tituli patent ex superius dictis.

Materia. Circa materiam Psalmi aduerte, aliquid esse certum, aliquid rationabile, aliquid ambiguum. Certum est quòd Propheta afflictionem diuturnam plorat coram Deo, sperans liberari à diuina gratia, & commemorans antiqua Dei opera. Probabile est quòd afflictio ista sit afflictio populi. Quod ex eo suadetur quòd commemorat prisca opera Dei in liberatione populi ex Ægypto: tanquam ex præteritis operibus Dei sperans populum denuo liberandum ab hac afflictione. Ambiguum autem remanet quæ aut quo tempore fuerit ista afflictio populi. Et est ratio ambiguitatis: quia Psalmus sistit in generalibus: nihil enim speciale explicat nisi recordationem nocturnorum canticorum in versiculo 6. Ex quo innui videtur quòd fuit tribulatio priuans canticis nocturnis: hoc est cultu diuino qui exhibebatur in templo: iuxta illud: *In noctibus extollite manus vestras in sancta*, &c. Sed hinc non habetur quòd sit sermo de captiuitate aliqua populi Iudæorum: cùm cultus diuinus fuerit impeditus tempore Antiochi absque captiuitate populi,

populi, vt patet in lib. Machab. & populus fuerit tunc maximè afflictus. Vnde cùm nullam habeam rationem declinandi in afflictionem populi ratione captiuitatis, magis quàm in afflictionem eiusdem sine captiuitate, nescio temerè opinari de qua afflictione populi Psalmus iste loquatur ad litteram: sed exponendum censeo Psalmum de afflictione Hebræi populi priuati diuino cultu cum spe reditus ad illum.

SVMMARIVM EST.

Propheta afflictum agens, continuâ supplicatione meditantem ac velut attonitum & animo collapsum se describit: tum ex parte Dei, tum ex parte præteritorum bonorum. Et ex diuinæ conditione gratiæ angustiam suam terminandam affirmat mutatione dexteræ diuinæ, commorando interim in meditatione diuinorum mirabilium operum &c.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. VOX MEA AD DOMINVM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *in die angustiæ*. Proponit duas combinationes. Altera est: *vox mea ad Dominum & clamabo.* Altera est. *Vox mea ad Dominum & auscultauit ad me.* Prima combinatio constat ex voce & clamore: secunda ex voce & exauditionis signo. Proponit per primam, vocem suam ad Deum, non ad hominem, cum clamore cordis. Per secundam autem vocem rursus suam ad Deum cum aurium porrectione diuinarum: quod est signum beneuolæ audientiæ & futuræ gratiæ.

Vers. 2. IN DIE ANGVSTIÆ MEÆ. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *vox mea ad Dominum.* Secundò illa, *& clamabo*, ibi *nunquid.* Tertiò illa *& auscultauit*, ibi *& dixi.* Quartò illa *vox mea*, ibi *Deus in sanctitate.*

Circa vocem eius ad Deum quia non vox exterior (vtpote non ad hominem sed ad Deum) directa est, & Deo loquimur internis affectibus, cogitationibus, memoriis &c. incipit Propheta vocem suam describere à continuitate & magnitudine tristitiæ. *In die angustiæ meæ.* Ecce materia in genere angustia populi. *Dominum*, non hominem, *quæsiui*, elongatum à me. perditum seu amissum: quærimus enim ea quæ perdidimus. *Manus mea nocte mota est & non relaxabitur.*

Non relaxare manus quid significet? Continuitas quærendi Deum describitur, tum ab vtroque tempore: die scilicet & nocte: tum ab indefessa supplicum manuum extensione. Recole Moysen orantem in pugna contra Amalechitas extensis manibus: & intelliges quid significet non relaxatio manuum. Describit ergo seipsum die ac nocte quæsisse Deum suppliciter sine intermissione, more orantium extensis brachiis, &c. *Renuit consolari anima mea* Ecce magnitudo tristitiæ. Animus plenus mœstitiæ renuit suscipere consolationem: vtpote cui nullum locum relinquetat. *Recordabor Dei & conturbabor.* Rationem reddit tantæ tristitiæ ex parte recordationis Dei. *Recordabor Dei.* Nolens consolari reuocabo ad memoriam Deum offensum, amissum, elongatum. Et ex hac recordatione hæc sequentur. *Et conturbabor*, intus. *meditabor*, in meipso loquendo, *& collabetur spiritus meus.* Metaphoricus est sermo ad similitudinem eorum qui conturbati timore aliquo vel nimiâ tristitiâ cadunt semianimes. Et intendit per hæc quòd cogitando Deum offensum & amissum, ita afflictus est intus sicut isti collabentes exterius. Et referuntur hæc verba futuri temporis ad præteritum *renuit*, tanquam consequentia ad illud.

Apprehendisti palpebras oculorum meorum. Vigilia multa explicatur more eorum qui perdiderunt somnum, quorum palpebræ non tegunt oculos: quia tenent eos apertos, impotentes claudere eos ad somnum. *Passus sum*, stuporem. Passio illa significatur quæ insomnes comitatur, qua sunt velut attoniti. *Et non loquar.* Comitatur quoque silentium huiusmodi passionem. Et intendit per hæc quòd meditando Deum sic offensum, &c. se habet sicut huiusmodi attoniti: hoc est, quòd interius non habet vnde consoletur, vnde excuset quid dicat, &c.

Cogitaui dies. Altera ratio tantæ tristitiæ ex recordatione præteritorum bonorum. *Cogitaui dies ex principio*, vel mundi vel populi Hebræi, *annos seculorum*, Abrahæ, Ioseph, Moysi, &c. conferendo dicta secula cum hoc tantæ angustiæ. *Recordabor modulationis meæ in nocte*, olim habitæ in templo Dei quam iam perdidi: *cum corde meo loquar*, lamentabiliter mecum loquar conferendo hæc bona perdita cum malis quæ patior: *& quæsiuit spiritus meus*, & mecum loquendo spiritus meus quæsiuit hæc quæ sequuntur.

Vers. 7. NVNQVID SECVLIS. Tractatur hîc illa particula, *& clamabo*, per modum inquisitionis quam fecit spiritus propheticus in persona, &c. *Nunquid seculis*, omnibus, *derelinquet Dominus*, me in hac angustia: *& non adijciet ad volendum adhuc?* Tanquam diceret, absit.

Et rationem subdit: *Nunquid finita est ad semper gratia eius:* hoc est, nunquid gratia eius suapte natura tendens ad miserendum non quandoque sed semper sine limitatione temporum, finita est? tanquam diceret, hoc est impossibile: quia fieri non potest vt gratia Dei finiatur. *Gratia Dei nunquam finiatur.* *Compleuit dictum generationi & generationi:* hoc est, nunquid dictum suum de gratia sua extendenda generationi & generationi sine fine, modò compleuit, terminauit, finiuit? Tanquam diceret, hoc est impossibile.

Nunquid oblitus est. Impedimenta miserendi tangit more humano, aut ex obliuione: *nunquid oblitus est misereri Deus? Aut* ex passione iræ verè *continuit in furore misericordias suas?* Tanquam diceret: hæc non habent locum in Deo propriè: metaphoricè autem iam obliuio exclusa est: furor autem id est iustitia vindicatiua hîc excluditur nominando *misericordias suas:* quas constat esse supra iustitiam vindicatiuam, imò supra omnia opera Dei. Et propterea non possunt superari misericordiæ Dei à iustitia eius, sed è conuerso conuenit quòd misericordia superet iustitiam. *Misericordia Dei non possunt superari à iustitia eius.*

Vers. 10. ET DIXI. Tractatur hîc illa particula, *Et auscultauit*, declarando futuram Dei gratiam. *Et dixi*, edoctus à Spiritu sancto: *ægritudo mea ipsa mutationes dexteræ excelsi:* hoc est, ipsa afflictio quam patior est velut ægritudo curabilis mutationibus solitis dexteræ excelsi. Metaphora est sumpta à statu ægrotorum, vt ægritudo distinguitur contra mortem. Et intendit quòd afflictio ista est non mors, non est ad similitudinem mortis (quæ est irreparabilis) sed ad similitudinem ægritu

ægritudinis, [illegible] curabilis. Et licet ex hoc declaretur futura gratia Dei liberatricem ab hac afflictione (quia definita ægritudine curabili declaratur futura sanitas) attamen subiungit ex parte Dei causam mutationis dexteræ excelsi. Ac si diceret: *Dixi*, definiui hanc afflictionem habere causas vtrinque: ex parte quidem mei velut ægritudinem corporis. Ex parte verò Dei mutationem non consilij, sed dexteræ, executiuæ potentiæ Dei excelsi: ita quòd ægritudo ipsa est mutationes passiuè, de statu sanitatis in statum ægritudinis, & rursus erit de statu ægritudinis in sanitatem metaphoricè: propriè verò de gratia in iustitiam, & iustitia in gratiam: hæc enim sunt propriè mutationes dexteræ excelsi. Et quòd hoc non vanâ spe dixi, declaro. *Recordabor opera Domini*, in testimonium affero memoriam operum Domini præteritorum, non insolitorum, sed consuetorum. *Quoniam recordabor ex principio*, mundi, seu Hebræi populi, *separatum suum*, hoc est, multitudinem mirabilium tuorum. *Et meditabor in omni opere tuo, & in causis tuis loquar.* Causas Dei appellat occasiones propter quas Deus quandoque punit, quandoque exaltat ob gloriam seu iustitiam suam & huiusmodi.

Vers. 13. DEVS IN SANCTITATE. Tractatur hîc illa particula, *vox mea ad Dominum*, declarando quòd vox commemoratiua diuinorum beneficiorum expectando diuinam gratiam, est illa quâ fit vt benignè audiat. Vbi aduerte quòd Propheta prius descripsit benignum Dei auditum in effectu certæ spei: & deinde subiungit vocem suam ad Deum conseruatiuam status spei.

Deus in sanctitate via tua, à principio populi tui via tua qua duxisti populum fuit in sanctitate columnæ nubis per diem, & ignis per noctem: *quis Deus*, inter omnes qui vocantur dij, *magnus*, simpliciter & absolutè, *vt Deus*, naturâ non opinione hominum? quasi dicat: Nullus. *Tu ipse Deus faciens separatum*, hoc est, mirabile omne, quòd alij dij facere non possunt: *fecisti scire in populis*, non clam, non in angulo, sed publicè in populis, *fortitudinem*, potentiam tuam.

Redemisti in brachio (ecce quando manifestauit potentiam suam) *populum tuum, filios Iacob & Ioseph*, de seruitute Ægypti. Meminit specialiter filiorum Ioseph: tum quia non descenderunt cum Iacob in Ægyptum, sed nati sunt in Ægypto: ac per hoc Ægyptij habebantur: tum quia Ioseph institutus est primogenitus Iacob, priuato Ruben: *[margin: Ioseph institutus est primogenitus Iacob pro Rubeno.]* tum quia Ioseph [illegible] erant velut Pastor [illegible] & [illegible] etiam fuerit vt alter pater [illegible]: vtpote qui omnes aluit in tanta penuria.

Viderunt te aquæ Deus viderunt te aquæ, maris rubri: *tremuerunt etiam tremuerunt abyssi*. Aquas maris rubri describit ad similitudinem videntium & trementium non solum in superficie sed in profundo ratione effectus: quia diuisæ sunt sicut trementes obediunt ad nutum. *Effuderunt*, pluendo, *aquas nubes*: *vocem*, tonitruum, *dederunt cæli* inferiores: hoc est, regio aëris in qua generantur huiusmodi mixta: *etiam sagittæ tuæ*, fulmina, *ambulabunt*. *Vox tonitrui tui in rota*, auditum more rotæ. Explicatur hic vox quam dederunt nubes. *Fecerunt lumen fulgura mundo*: non dicit toti mundo sed mundo, ad significandam multitudinem coruscationum: tanquam illuminarent non vnum angulum tantum, sed communiter viderentur lumen facere. *Tremuit & commota est terra.* Hæc superius descripta, ex Exodo sumuntur præter hoc vltimum, si de terræmotu ad literam intelligitur: qui tamen fortè fuit tunc in Ægypto: quamuis non sit scriptus in Exodo. Si autem per *terram* habitatores terræ intelligimus, nulla est ambiguitas.

In mari via tua. Hactenus mirabilia Dei publica contra Egyptios commemorauit in elementis omnibus: modò mirabilia tunc gesta erga Hebræos commemorat. *In mari* rubro, *via tua*, quam tu fecisti populo: *& semita tua in aquis*, non paucis, sed *multis*, hoc est altis: erant enim aquæ valde altæ quæ diuisæ sunt. Nota ex isto textu sumi argumentum quòd Hebræi per multas vias transierunt mare rubrum & non per vnam solam: nam in numero plurali hîc dicitur *& semitæ tuæ*. *[margin: Hebræi per multas vias transierunt mare rubrũ & non per vnam solam.]* *Et vestigia tua non sunt agnita*: quoniam redeuntibus aquis ad locum suum non sunt visa vestigia Hebræorum, non fuit visum vestigium viæ per quam populus transierat: quod propriè esset vestigium Dei.

Deduxisti. Post deductionem populi per mare rubrum, describitur consequenter mirabilis deductio per terram. *Deduxisti sicut oues*, sicut multitudinem ouium, *populum tuum in manu Moysi & Aaron*, ducum. Vbi contellige mirabilia patrata in illa deductione. Et intendit per hæc omnia (vt iam dictum est) fomenta spei expectantis quòd dextera excelsi mutet opera Domini, sicut mutauit priscis temporibus post afflictionem Hebræorum liberando eos. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Intellectus Asaph.*	Intelligentia Asapho.
LXXVII.	LXXVIII.
ATTENDITE populi meus legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei.	1 *Propheta.* AVSCVLTA popule meus doctrinam meam: inclinate aurem vestram dictis oris mei.
2 *Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio.*	2 Aperiam in prouerbio os meum: loquar propositiones à principio.
	3 Quæ

Quæ audiuimus & cognouimus ea : & patres nostri narrauerunt nobis.
4 *Non sunt occultata à filijs eorum : in generatione altera.*
Narrantes laudes Domini & virtutes eius : & mirabilia eius quæ fecit.
5 *Et suscitauit testimonium in Iacob : & legem posuit in Israel.*
6 *Quanta mandauit patribus nostris nota facere ea filiis suis : vt cognoscat generatio altera.*
Filij qui nascentur & exurgent : & narrabunt filijs suis.
7 *Vt ponant in Deo spem suam & non obliuiscantur operum Dei : & mandata eius exquirant.*
8 *Ne fiant sicut patres eorum : generatio praua & exasperans.*
Generatio quæ non direxit cor suum : & non est creditus cum Deo spiritus eius.
9 *Filij Ephraim intendentes & mittentes arcum : conuersi sunt in die belli.*
10 *Non custodierunt testamentum Dei : & in lege eius noluerunt ambulare.*
11 *Et obliti sunt benefactorum eius : & mirabilium eius quæ ostendit eis.*
12 *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti : in campo Taneos.*
13 *Interrupit mare & perduxit eos : & statuit aquas quasi in vtre.*
14 *Et deduxit eos in nube diei : & tota nocte in illuminatione ignis.*
15 *Interrupit petram in eremo : & adaquauit eos velut in abysso multa.*
16 *Et eduxit aquam de petra : & eduxit tanquam flumina aquas.*
17 *Et apposuerunt adhuc peccare ei : in iram concitauerunt excelsum in inaquoso.*
18 *Et tentauerunt Deum in cordibus suis : vt peterent escas animabus suis.*
19 *Et malè locuti sunt de Deo : dixerunt nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?*
20 *Quoniam percussit petram & fluxerunt aquæ : & torrentes inundauerunt.*
Nunquid & panem poterit dare : aut parare mensam populo suo?
21 *Ideo audiuit Dominus & distulit : & ignis accensus est in Iacob : & ira ascendit in Israel.*
22 *Quia non crediderunt in Deo : nec sperauerunt in salutari eius.*
23 *Et mandauit nubibus desuper : & ianuas cæli aperuit.*

3 Quæ audiuimus & cognouimus ipsa : & patres nostri narrauerunt nobis.
4 Non negabimus a filiis eorum : generationi alteri narrantes laudes Domini : & fortitudinem eius, & separata eius quæ fecit.
5 Et statuit contestationem in Iacob, & legem posuit in Israel: quę mandauit patribus nostris ad faciendū scire ipsa filios suos †
6 Propterea scient generatio altera : filij [qui] generabuntur surgent, & narrabunt filiis suis.
7 Et ponent in Deo † spem suam : & non obliuiscentur operum Dei, & mandata eius custodient.
8 Et non erunt sicut patres eorum, generatio rebellis & irritans : generatio [quæ] non præparauit cor suum, & non credidit Deum spiritus eius.
9 Filij Ephraim armati, iacientes arcus : verterunt se in die belli.
10 Non custodierunt pactum Dei † : & in doctrina eius renuerunt ambulare.
11 Et obliti sunt operum eius : & separatorum eius quæ fecit videre eos.
12 Coram patribus eorum fecit separatū in terra Ægypti campo Zohan.
13 Diuisit mare & fecit transire eos : & stare fecit aquas sicut murum.
14 Et duxit eos in nube die : & tota nocte in lumine ignis.
15 Scindet petras in deserto : & fecit bibere quasi abyssos multitudinem.
16 Et fecit exire fluenta de petra : & fecit descendere quasi flumina aquas.
17 Et addiderunt adhuc ad peccandum ei : & ad prouocandum excelsum in siccitate.
18 Et tentauerunt Deum in corde suo ad petendum cibum animæ suæ.
19 Et locuti sunt in Deum † dixerunt. *Vox populi recitata.* Nunquid poterit Deus ad parandum mensam in deserto?
20 Ecce percussit petram & fluxerunt aquæ & flumina inundabunt: nunquid etiam panem poterit dare, si præparabit carnem populo suo?
21 *Propheta.* Ideo audiuit Dominus † & indignatus est : & ignis accensus est in Iacob, & etiam furor ascendit in Israel.
22 Quia non crediderunt in Deo † & non confisi sunt in salute eius.
23 Et præcepit cælis desuper : & [illegible] cælorum aperuit.

24 *Et pluit illis manna ad manducandum: & [illegible].*

25 *Panem angelorum manducauit homo: [illegible] in abundantia.*

26 *Transtulit [illegible] de cælo: & induxit [illegible].*

27 *Et pluit super eos sicut puluerem [illegible] & [illegible] volatilia pennata.*

28 *Et ceciderunt in medio castrorum eorum: circa tabernacula eorum.*

29 *Et manducauerunt & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis:*
30 *non sunt fraudati a desiderio suo.*

31 *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum: & ira Dei ascendit super eos.*
Et occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit.

32 *In omnibus his peccauerunt adhuc: & non crediderunt in mirabilibus eius.*

33 *Et defecerunt in vanitate dies eorum: & anni eorum cum festinatione.*

34 *Cum occideret eos, quærebant eum: & reuertebantur, & diluculo veniebant ad Deum.*

35 *Et rememorati sunt quia Deus adiutor est eorum: & Deus excelsus redemptor eorum est.*

36 *Et dilexerunt eum in ore suo: & lingua sua mentiti sunt ei.*

37 *Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamẽto eius.*

38 *Ipse autem est misericors & propitius fiet peccatis eorum: & non disperdet eos.*
Et abundauit vt auerteret iram suam: & non accendit omnem iram suam.

39 *Et recordatus est quia caro sunt: spiritus vadens & non rediens.*

40 *Quoties exacerbauerunt eum in deserto: in iram concitauerũt eum in inaquoso?*

41 *Et conuersi sunt & tentauerunt Deum: & sanctum Israel exacerbauerunt.*

42 *Non sunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis.*

43 *Sicut posuit in Ægypto signa sua, & prodigia sua in campo Taneos.*

44 *Et [illegible]*

45 [illegible]

46 [illegible]

47 [illegible]

24 [illegible] pluere super eos man ad comedendum: & [illegible].

25 Panem fortium comedit quisque: [illegible].

26 Fecit transire Orientem de cœlo: & duxit in fortitudine sua Austrum.

27 Et fecit pluere super eos quasi puluerem, carnem: & quasi arenam [illegible] pennatum.

28 Et [illegible] in medio castrorum eorum, circum tabernacula eorum.

29 Et comederunt & saturati sunt valde: & desiderium eorum [illegible] eis.

30 Non [illegible]

[illegible]

31 Et [illegible]

32 In omnibus his [illegible] & non crediderunt [illegible]

33 Et consumpsit in vanitate dies eorum: & annos eorum [illegible]

34 [illegible] & quæsierunt eum: & [illegible] Deum.

35 Et recordati sunt: quia Deus † fortitudo eorum, & Deus excelsus redemptor eorum.

36 Et lactauerunt eum in ore suo: & in lingua sua mentiti sunt ei.

37 Et cor eorum non [illegible] cum eo: [illegible] in pacto eius.

38 Et ipse [illegible] non [illegible] ad [illegible] & non [illegible]

39 Et recordatus est [illegible]

40 Quoties [illegible]

41 Et reuersi sunt, & tentauerunt Deum, & sanctum Israel [illegible]

42 Non sunt recordati [illegible]

43 Qui posuit in Ægypto [illegible] Zoan.

44 Et conuertit in [illegible]

45 Misit in [illegible]

46 Et dedit [illegible]

47 Occidit in [illegible]

48 Et tradidit grandini iumenta eorum: & possessiones eorum igni.

49 Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram & tribulationem: immissiones per angelos malos.

50 *Viam fecit semitæ iræ suæ, & non pepercit à morte animarum eorum: & iumenta eorum in morte conclusit.*

51 *Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti: primitias omnis laboris eorum in tabernaculis Cham.*

52 *Et abstulit sicut oues populum suum: & perduxit eos tanquam gregem in deserto.*

53 *Et deduxit eos in spe & non timuerunt: & inimicos eorum operuit mare.*

54 *Et induxit eos in montem sanctificationis suæ: montem quem acquisiuit dextera eius.*

Et eiecit à facie eorum gentes: & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.

55 *Et habitare fecit in tabernaculis eorum: tribus Israël.*

56 *Et tentauerunt & exacerbauerunt Deum excelsum: & testimonia eius non custodierunt.*

57 *Et auerterunt se & non seruauerunt pactum: quemadmodum patres eorum, conuersi sunt in arcum prauum.*

58 *In iram concitauerunt eum in collibus suis: & in sculptibilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt.*

59 *Audiuit Deus & spreuit: & ad nihilum redegit valde Israël.*

60 *Et repulit tabernaculum Silo: tabernaculum suum vbi habitauit in hominibus.*

61 *Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum: & pulchritudinem eorum in manus inimici.*

62 *Et conclusit in gladio populum suum: & hæreditatem suam spreuit.*

63 *Iuuenes eorum comedit ignis: & virgines eorum non sunt lamentatæ.*

64 *Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt: & viduæ eorum non plorabantur.*

65 *Et excitatus est tanquam dormiens Dominus: tanquam potens crapulatus à vino.*

66 *Et percussit inimicos suos in posteriora: opprobrium sempiternum dedit illis.*

67 *Et repulit tabernaculum Ioseph: & tribum Ephraim non elegit.*

68 *Sed elegit tribum Iuda: montem Sion quem dilexit.*

48 Et tradidit grandini bestiam eorum: & acquisitionem eorum scintillis.

49 Mittet in eos iram furoris sui: indignationem & iram & angustiam, immissionem angelorum malorum.

50 Appendet semitam furori suo: non vetuit à morte animam eorum, & bestiam eorum pesti tradidit.

51 Et percussit omne primogenitum in Ægypto: principium filiorum in tentoriis Cham.

52 Et fecit mouere velut ouem populum suum: & duxit eos sicut ouile in desertum.

53 Et duxit eos cum fiducia † & non timuerunt: & inimicos eorum operuit mare. † *fiducia.*

54 Et eduxit eos ad confine sanctitatis suæ: montem istum, acquisiuit dextera eius.

55 Et eiecit à faciebus eorum gentes, & cadere fecit eos in funiculum hæreditatis: & habitare fecit in tentoriis eorum tribus Israel.

56 Et tentauerunt & rebellauerunt Deo † excelso: & testimonia eius non custodierunt. † *Dijs.*

57 Et retrocesserunt & præuaricati sunt vt patres eorum: versi sunt quasi arcus doli.

58 Et fecerunt indignari eum in excelsis suis: & in sculptibilibus suis facient æmulari ipsum.

59 Audiuit Deus †: & indignatus est, & abominatus est valde in Israel. † *Dij.*

60 Et reliquit tabernaculum Silo: tentorium quod habitauit in homine.

61 Et tradidit captiuitati fortitudinem suam: & gloriam suam in manu angustatoris.

62 Et tradidit gladio populum suum: & in hæreditatem suã indignatus est.

63 Electos eius deuorauit ignis: & virgines eius non sunt nuptæ.

64 Sacerdotes eius in gladio ceciderunt: & viduæ eius non flebunt.

65 Et euigilauit quasi dormiens Dominus †: quasi fortis exultans ex vino. † *Domini mei.*

66 Et percussit angustatores suos retro: opprobrium sempiternum dedit eis.

67 Et spreuit tentorium Ioseph: & in tribu Ephraim non elegit.

68 Et elegit tribum Iuda: montem Sion quem dilexit.

69 *Et ædificauit sicut unicornis sacrificium suum: in terra quam fundauit in sæcula.*

70 *Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium: de post fætantes accepit eum.*

71 *Pascere Iacob seruum suum: & Israël hæreditatem suam.*

72 *Et pauit eos in innocentia cordis sui: & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.*

69 Et ædificauit velut excelsa sanctuarium suum: quasi terram fundauit ipsum æterno.

70 Et elegit in Dauid seruum suum: & tulit eum de gregibus ouis.

71 De post fœtas adduxit eum: ad pascendum in Iacob populum suum, & in Israel hæreditatem suam.

72 Et pauit eos secundùm perfectionem cordis sui: & in intelligentiis palmarum suarum ducet eos.

COMMENTARIVS.

Materia. Eruditio populi fidelis ad obseruationẽ diuinæ legis ex recordatione eorum quæ fecit Deus tẽpore Patrum.

Titulus est: *Intelligentia Asapho.* Ex quo habetur eruditiuum esse Psalmum hunc. Et vt ex decursu Psalmi apparet Psalmus iste eruditio est populi fidelis ad obseruationem diuinæ legis ex recordatione & consideratione gestorum à Deo tempore patrum, à liberatione ex Ægypto vsque ad tempus Dauidis. Hæc est ad literam materia Psalmi.

SVMMARIVM EST.

Propheta docet populum Dei ab exemplo Ephraim, & populi egressi ex Ægypto, & populi ingressi terram promissionis, & Dauidis. Illorum quidem vt non imitentur eos: istius autem vt sectentur vestigia.

Persona loquens propriè solus Propheta est: recitat tamen aliorum verba.

Vers. 1. Avscvlta popvle mevs doctrinam meam. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *& firmauit.* Proponit inuitando populum, materiam tractandam: inchoans ab inuitatione intellectus. *Ausculta*, mente, *popule meus* (blandientis est: sicut Hieremias flens dixit, *filia populi mei crudelis*) *doctrinam meam*, docere enim intendit. *Inclinate aurem vestram.* Inuitat ad attentionem exteriorem secundùm sonum literarum: sed secundùm sensum intentum inuitat ad flexionem voluntatis ad humiliationem auditus interioris quæ per voluntatem fit. *Dictis oris mei.* Ecce ad quid petit inclinationem, non ad sermonem sed ad dicta per sermonem.

Aperiam in prouerbio os meum. Modum dicendi explicat quòd docebit per similitudines. Et verè sic facit: quoniam tota hæc doctrina procedit ex similitudine & dissimilitudine filiorum ad patres. *Loquar propositiones à principio.* Difficultatem arduæ materiæ explicat. Et intendit per hoc quòd doctrina ista est de prouidentia Dei circa actus humanos, de iustitia & misericordia eius erga homines in hac vita. Hæc enim sunt ænigmata seu problemata, propositiones arduæ ab initio mundi vsque hodie.

Matth. 13. v. 34. 35. Aduerte quòd Matthæus Euangelista cap. 13. affert hunc versiculum dicens: *Hæc omnia locutus est Iesus in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis: Vt impleretur quod dictum erat per Prophetam dicentem: aperiam in parabolis os meum, eructabo absconditu à constitutione mundi.* Sicut Ioannes Euangelista dixit: *Vt impleretur Scriptura, os non comminuetis ex eo.* Docere enim per similitudines contingit dupliciter. Vel per metaphoras. Et ad hunc sensum applicat Matthæus hunc versiculum mysticè intellectum. Vel per similitudinem factorum. Et sic ad literam verificatur in hoc loco: intendit enim Propheta erudire populum ex similitudine factorum à patribus & à Deo in patribus: vt clarè patet in Psalmo.

Quæ audiuimus. Explicat modum quo ipse didicit & scit hæc tam ardua quæ vult docere populum: scilicet per auditum à patribus. *Quæ audiuimus*, nec solum audiuimus, sed *& cognouimus ea: & patres nostri*, non fabulatores, non fallaces homines, sed patres nostri, amantes nos, *narrauerunt nobis. Non negabimus à filijs eorum.* Nepotes eorum appellat filios. Vbi nota explicari rationem debiti ad docendum: vt quia didicerunt à patribus, teneantur successiuè docere filios *Generationi alteri narrantes.* Non negabimus narrantes generationi alteri hæc tria: laudes Domini, & fortitudinem eius, & separata, id est, mirabilia eius quæ fecit. Specialior expressio materiæ est, quam superius communissimo doctrinæ nomine significauit.

Vers. 5. Et firmavit contestationem. Incipit hic pars executiua tali ordine: Primò tractat illam particulam, *ausculta popule meus*, &c. Secundò tractat omnes particulas simul (scilicet propositiones, doctrinam, laudes, potentiam, & mirabilia) cum modo parabolico, ibi, *filij Ephraim*, ordine ibi explicando. Duplex potest esse sensus huius particulæ. Alter quòd de vna particulari lege est sermo: scilicet quæ scribitur Deuter. 6. *Narrabis ea filijs ac nepotibus tuis.* Et sic reddit rationem quare populus debet auscultare & inclinare aurem suam: quia scilicet lex hoc præcipit. Alter est quòd sit sermo de beneficio diuinæ legis datæ populo. Et sic Propheta incipit doctrinam suam beneficio diuinæ legis quæ est audienda à populo, ita quòd pro fundamento ac basi doctrinæ accipit legem diuinam.

Lex relata ad credenda, dicitur contestatio: relata verò ad agenda, Lex. Exod. 20.

Et firmauit contestationem, de ipso Deo *in Iacob*, in populo descendente à Iacob: *& legem*, agendorum & vitandorum, *posuit in Israël.* Lex ipsa relata ad credenda vocatur contestatio: relata ad agenda vocatur lex. Et dicitur contestatio firmata, quia stabilita est à Deo signis & miraculis: vt publicè patuit in monte Sinai. Vnde Deus

Exod. 20. Deus dicit: *Vos vidistis quòd de cœlo locutus sim vobis*, Exod. 20. *Quas* contestationem & legem, mandauit *patribus nostris* ad faciendum scire ipsas filios suos. *Propterea sciens*. Hic est fructus, propter hoc generatio altera sciens. Constructio est de significato. *Filij qui generabuntur surgent, & narrabunt filiis suis: & ponent in Deo spem suam*. Ecce finis mandati, vt successiuè generatio narret generationi legem & contestationem. Et est triplex. Primus spes in Deo: *& ponent in Deo spem suam*, & non in idolis, non in homine. Secundus: *& non obliuiscentur operum Dei*, mirabilium quæ fecit coram patribus. Tertius: *& mandata eius custodient*, seruabunt legem.

Et non erunt sicut patres eorum. Promisit Propheta se per similitudinem docturum: incipit seruare promissum, apponendo ad finem mandati similitudinem non imitandam. *Et non erunt*, filij, *sicut patres eorum*. Hic debet esse fructus mandati. *Generatio rebellis & irritans*. Declarat in quo non sunt imitandi patres, explicans tria patrum crimina in Deum. Primum rebellionis irritantis Deum. Secundum *generatio quæ non præparauit cor suum*, ad subiiciendum illud Deo. Et hæc indispositio est causa rebellionis. Tertium: *& non credidit Deum spiritus eius*: adorauit enim vitulum: & complura fecit attestantia quòd non credebant Deum curam sui habere.
Exod. 32. Vnde & dixerunt de vitulo: *Hi sunt dij tui Israel qui te eduxerunt de terra Ægypti*, Exodi 32.

Vers. 9. FILII EPHRAIM. Exequendo documentum per similitudinem, incipit à filiis Ephraim tali ordine. Primùm tractat crimen filiorum Ephraim. Secundò crimen patrum egressorum de Ægypto, ibi, *& addiderunt*. Tertiò crimen patrum ingressorum terram promissionis, ibi, *& duxit eos ad confine*. Quartò electionem tribus Iuda & Sion ac Dauidis, ibi, *& spreuit*.

Quæstio hic circa filios Ephraim. Circa filios Ephraim aduerte non paruam esse hîc quæstionem de verificatione eorum quæ hîc dicuntur de filiis Ephraim: & ratio est: quòd vsque ad tempora Asaph qui fuit contemporaneus Dauidi, nulla occurrit authentica historia verificans ea quæ hîc dicuntur de filiis Ephraim. Dixi autem authentica historia: quia Chaldaïca translatio (seu rectiùs loquendo paraphrasis, quæ
Thargum. Thargum appellatur) habet hîc: *Cum habitarent in Ægypto magnificati sunt filij Ephraim: numerauerunt autem terminum & errauerunt. Et egressi sunt 30. annis ante terminum cum armamentis bellicis & cum hominibus gestantibus arcum: verterunt ceruicem, & interturbati sunt ordines belli: quoniam non obseruauerunt mandata Dei, & in lege eius ambulare noluerunt*. Hæc ibi. Sed hæc prætensa historia, quia auctoritate Scripturæ non fouetur, eâdem facilitate reiicitur quâ dicitur. Et eo facilius quòd non est verisimile quòd Ægyptij permiserint tribum Ephraim egredi Ægyptum 30. annis ante egressionem populi de Ægypto: cùm post tot miracula noluerint sufferre quòd egrederentur requirente Moyse. Quicquid tamen de hac prætensa historia sit, constat quòd ista particula Psalmi non loquitur de filiis Ephraim pro tempore quo erant in Ægypto: nam expressè hîc subditur: *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti, diuisit mare*, &c. Vbi manifestè patet quòd loquitur de filiis Ephraim oblitis miraculorum factorum in Ægypto & in mari rubro: & non solum oblitis, sed etiam filiis patrum coram quibus facta sunt illa miracula. Vnde excluduntur etiam filij Ephraim qui fuerunt tempore egressionis ex Ægypto: quia particula ista de posteris eorum loquitur.

Dicendum itaque videtur quòd particula ista prophetica est: prædicens futuram decem tribuum auersionem à diuino cultu, auctore Hieroboam de tribu Ephraim. Vnde & à Prophetis regnum decem tribuum appellatur Ephraim: regnum verò duarum tribuum appellatur Iuda. Ex eadem enim radice appellantur hîc filij Ephraim: quia licet secundùm naturalem originem fuerint diuersarum tribuum, secundùm tamen crimen fuerunt filij Ephraim: vtpote geniti quoad crimen à Hieroboã de tribu Ephraim: ipse enim primus rex statuit vitulos colendos à regno suo. Prophetatur itaque hic auersio decem tribuum à diuino cultu & lege. Et hoc directè seruit intentioni Prophetæ, intendentis per similitudines docere: nam proponit auersionem Israëlis velut speculum populo Dei remanenti in Iuda, &c. iuxta illud Hierem. 3. *Et vidit præuaricatrix soror eius Iuda, quia pro eo quòd mœchata esset auersatrix Israël, dimisissem eam & dedissem ei libellum repudij: & non timuit præuaricatrix Iuda soror eius, sed abiit & fornicata est etiam ipsa*. Ierem. 3. 8 *Regnum decem tribuum appellatur Ephraim: regnum vero duarum tribuum appellatur Iuda.*

Filij Ephraim, decem tribus filij quoad crimen Ephraim, Hieroboam de tribu Ephraim, *armati*, armis defensiuis, *intendentes arcus*, armis offensiuis, *verterunt se*, à diuino cultu, *in die belli*, contra domum Dauidis: armis enim & defensiuis & offensiuis tutati sunt regnum. *Non custodierunt pactum Dei*, sui, quod pepigerant cum Deo vt essent populus Dei & Deus esset eorum Deus: *& in lege eius*, Dei, *renuerunt ambulare*, quoniam de cætero spreta est lex Dei apud eos.

Et obliti sunt. Exaggerat crimen auersionis à Deo, ex ingratitudine & cæcitate. *Et obliti sunt operum eius*, Dei: *& separatorum eius quæ fecit videre eos*: viderunt enim in dedicatione templi à Salomone miraculum ignis descendentis de cœlo in holocaustum: viderunt & nebulam diuinæ gloriæ: hæc enim fuerunt coram omni populo. Et præter moderna illa miracula obliti sunt mirabilium ostensorum patribus. *Coram patribus eorum fecit separatum*, hoc est, multiplex miraculum, *in terra Ægypti: campo Zoban*. Nomen est regionis. *Diuisit mare*, rubrum, *& fecit transire eos: & stare fecit aquas*, maris rubri hinc inde, *sicut murum*. *Et duxit eos in nube die: & tota nocte in lumine ignis*, columnæ igneæ.

Scindet petras in deserto. Futurum *scindet* non refertur ad tempus Psalmi: sed ad tempus præteriti *duxit eos in nube*, explanat enim per hanc connexionem futuri ad præteritum, sequelam istius miraculi ad illud. *Petras* pluraliter, quæstionem inducit an miraculum eductionis aquarum de petra fuerit bis, & propterea dixerit petras. Et soluitur quæstio dicendo quòd textus Exod. 17. & Num. 20. præ se ferunt bis fuisse patratum miraculum eductionis aquæ de petra. Primum antequam fabricatum esset tabernaculum fœderis Domini: secundum autem post fabricatum tabernaculum. Clarè enim Num. 20. dicitur quòd Moyses & Aaron tunc ingressi sunt tabernaculum fœderis, & quòd virga erat in conspectu Domini, Exod. autem 17. virga describitur *An bis de petra educta aquæ.*

scribitur qua percusserat Moyses fluuium. Et propterea textus hîc pluraliter dicit petras

Fecit bibere quasi abyssos, profundas aquas, *multitudinem*, tam magnam. *Et fecit exire fluenta de petra, & fecit descendere quasi flumina aquas*. Ordo præposterus. Prius fecit exire & descendere aquas: & deinde fecit bibere multitudinem. Hæc sunt signa & mirabilia quorum obliti dicuntur filij Ephraim.

Vers. 17. ET ADDIDERVNT ADHVC. Ascendit Propheta ad describendum crimina generationis egressæ de Ægypto, tali ordine. Primò describitur crimen eorum quo offenderũt Deum diffidendo de cibo: deinde tractatur multiplex aliud crimen eorumdem, ibi, *in omni hoc*. Describit ergo crimen incipiens à perseuerantia. *Et addiderunt adhuc ad peccandum ei*: quia prius peccauerunt tentando Deum circa aquam Exod. 17. Estne Deus in nobis: *& ad prouocandum excelsum in siccitate*, deserti. *Et tentauerunt Deum*, non solum verbis, sed *in corde suo: ad petendum cibum animæ suæ*, concupiscentiæ suæ.

Et locuti sunt in Deum; dixerunt, hoc quod sequitur: *nunquid poterit Deus ad parandum mensam in deserto? Ecce percussit petram, & fluxerunt aquæ*, de petra: *& flumina*, hoc est per modum fluminum, *aquæ inundabunt*. Hoc futurum respicit præteritum *percussit* & *fluxerunt*: significans inundationis (hoc est, abundantis aquæ) magnitudinem. *Nunquid & panem poterit dare, si præparabit carnem populo suo?* panis enim & caro integrant mensam quoad cibum.

Aduerte hîc duo spectantia ad historiam. Alterum quòd hæ duæ petitiones (scilicet petitio panis & petitio carnis) non fuerunt simul expositæ à populo: sed prius fuit petitus panis, & habito pane per descensum mannæ postea pe-
Numer. 11. tierunt carnes: vt claré Num. 11. explicatur hic ordo. Vbi populus petens carnes meminit habiti mannæ, dicens: *Anima nostra arida est; nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man*. Psalmista autem vtramque petitionem simul describit propter similitudinem criminis. Alterum est quòd ex isto textu apparet manifestè ordo inter miraculum mannæ & miraculum eductionis aquæ de petra: quòd scilicet prius fuit miraculũ eductionis aquæ de petra, & postea miraculum mannæ. Expressè enim inducitur populus demõstrans miraculum aquæ in præterito & panis in futuro, *Ecce percussit petram & fluxerunt aquæ, nunquid etiam panem poterit dare?* Nec obstat quòd in Exodo prius describitur miraculum mannæ (scilicet cap. 16.) & postea miraculum aquæ de petra cap. 17. quoniam nõ secundùm ordinem capitulorum est ordo rerum gestarum. Nec ibi affirmatur quòd prius datum est manna & postea fluxerunt aquæ de petra. Maior enim est auctoritas huius Psalmi affirmantis ordinem quem diximus, quàm alterius scripturæ tacentis ordinem miraculorum inter se. Et ex hoc ordine euidenter conuincitur, eductionem aquæ de petra scriptam Exod. 17. esse aliam ab illa quæ scribitur Num. 20. quia ista præcessit donum mannæ, quod non dubitatur fuisse ante datam legem & conditum tabernaculum fœderis: illa autem manifestè fuit post conditum tabernaculum fœderis.

Ideo (vox est Prophetæ, descriptâ qualitate populi, describentis subsecutam dispositionem Dei) propter huiusmodi crimen tentationis, *audiuit Dominus & indignatus est*, disposuit punire ad similitudinem indignati: *& ignis accensus est in Iacob*. Ignis, inflammationis diuinæ, hoc est more hominis inflammati, *in Iacob*, contra populum Iacob: *& etiam furor* (celeritas iustitiæ significatur) *ascendit in Israël*, contra Israël. *Quia non crediderunt in Deo, & non confisi sunt in salute eius*, defecerunt & in fide & in spe.

Et præcepit nubibus desuper. Verè bonus Deus: qui etiam tam grauiter offensus & punitutus, prius satisfacit appetitibus offendentium: prius conuincit eos, monstrans opere & effectu quòd potest dare panem & carnes in deserto, reseruans punitionem succedenti tempori. *Et præcepit cœlis desuper*, hoc est, superioribus partibus aëris: *& ostia cœlorum aperuit*, more aperientis ostia se habuit. *Et fecit pluere super eos Man ad comedendum*: descendebat enim Man simul cum rore: & propterea per modum pluuiæ describitur: rorare enim velut pluere est. *Et triticum cœlorum dedit eis*. Appellat *Man* triticum, eo quòd erat velut semen ex quo conficeretur panis.

Panem fortium comedit quisque: cibum, electum, *misit eis ad saturitatem*. Explicat qualitatem & quantitatem panis ad commendationem diuini beneficij. Qualitatem quidem: quia erat panis fortium, hoc est magnatum: & rursus quia erat cibus electus: habebat enim saporem panis oleati: vt dicitur Num. 11. qui gratior est palato: vt placenta confecta cum butyro, & id genus cum sagimine. Quantitatem autem: quia vnicuique datus est non in modica quantitate sed ad saturitatem. *Manna panis fortium.*

Faciet moueri Orientalem in cœlis. Descriptâ mirabili prouisione panis, subiungit mirabilem prouisionem carnis. Subiungit autem verbo futuri temporis (*faciet moueri*) respectu præteritæ prouisionis panis: quoniam ad literam fuit futura respectu illius. Et describit prouisionem à causis secundis, ventis scilicet qui Num. 11. non explicantur in specie, sed hîc: explicando cessationem venti Orientalis. Hanc enim intendit dicendo: *faciet moueri*, recedere, *Orientalem in cœlis*, in aëre: *& duxit in fortitudine sua Austrũ*, ventum Meridionalem vehementem induxit. *Et fecit pluere super eos sicut puluerem carnes*, & specificando quales: *& quasi arenam maris volatile pennatum*, hoc est coturnices: vt ibidem dicitur. Quæ comparantur arenæ & pulueri, eo quòd fuerunt in tanta multitudine vt sufficerent innumerabili populo 30. diebus. *Et fecit cadere in medio castrorum eorum: in circuitu*, spatio itineris vnius diei, *tabernaculis eorum*. Venerunt siquidem coturnices tàm super castra quàm circumcirca per vnam dietam, volabántque in aëre duobus cubitis in altitudine supra terram: vt omnes possent eas capere. Hebræus textus habet in singulari numero *castri*, sed Latina lingua in plurali tantum numero habet *castra*: nam castrum in singulari alterius est significationis in lingua Latina: & propterea nequiuerunt interpretes reddere numerum numero. *Pluuia coturnicũ, quæ suffecerunt populo numerosissimo 30. diebus.*

Et comederunt & saturati sunt valde, & desiderium eorum veniet eis. Futurum *veniet* denotat perseuerantiam in adimplendo desiderium: perseuerauit enim 30. dies. *Non alienati sunt à desiderio suo*, quo concupierunt carnes.

Adhuc cibus eorum. Describitur punitio eorum postquam satiati sunt, pro præmisso crimine diffidentiæ. *Adhuc cibus eorum*, adhuc durabant coturnices, *in ore eorum. Et ira Dei ascendit*

[illegible] Moysi [illegible] populus [illegible] & postea [illegible]

Sicut dixit. [illegible] Ratio [illegible] afflictione quam [illegible] *& quærebant eum,* [illegible] *Deus* [illegible] *fortitudo eorum Deus,* [illegible] *& Deus excelsus redemptor eorum.*

Vers. 36. ET IACTAVERUNT [illegible] Redarguitione [illegible] *Et dilexerunt eum,* [illegible] *ore suo.* [illegible] mendacij. [illegible] ad Deum, [illegible] *Deum* [illegible] *cum eo,* [illegible]

[illegible] *non misit ira* [illegible] *Et* [illegible] Red [illegible] *Ægypto.* [illegible] Moysi [illegible] Deum [illegible] quod [illegible] *Et* [illegible] *Deus* [illegible] *erat* [illegible] *Ægyptiorum.* Textus Hebr. [illegible] *sanguinem,* sed [illegible]

Mittet [illegible] Scilicet varij generis [illegible] *& comedit eos.* Et hæc fuit quarta [illegible] sequentia huius [illegible] *& disperdidit eos.* [illegible] *Et dedit brucho* [illegible] Et hæc fuit [illegible] *Occidit* [illegible] *in grandine* [illegible] *eorum in pruina.* [illegible] Hebr. [illegible]

Misit in eos iram [illegible] *indignationem* [illegible] *ad* [illegible] *per angelos malos.* [illegible] *Ægyptiorum* [illegible] *mali* [illegible] Ægyptiorum [illegible] Angelos [illegible] Deus [illegible] Pharaonis [illegible]

Multiplex crimen Israel. egi [illegible] orum ex Ægypto.

Immissiones [illegible] irarum [illegible]

Appendet semitam furori suo. Iustitia diuina describitur appensione semitæ, librante semitam punitioni: vt intelligas Deum ponderasse omnem viam pœnæ quam exercuit in Ægyptios iuxta demerita eorum. *Non vetuit a morte animam eorum, & bestiam eorum pesti tradidit.* Duæ plagæ hîc tanguntur. Altera pestis animalium brutorum, quæ fuit plaga quinta. Altera inchoatur, scilicet mortis hominum. De quo subditur: *Et percussit omne primogenitum in Ægypto*, tam hominum quàm iumentorum: *principium filiorum in tentoriis Cham*, in Ægypto descendente à Cham filio Noë. Et hæc fuit plaga vltima.

Et fecit mouere velut oues, multitudinem ouium, *populum suum*, ex Ægypto: *& duxit eos sicut ouile in desertum.* Dum dicitur ouile, aut ponitur continens pro contento: aut significatur quòd ex integro cum omni substantia duxit eos in desertum, sicut si quis duceret non solum oues sed ouile.

Et duxit eos cum fiducia, & non timuerunt. Intellige hoc post exhortationem Moysi aperto mari rubro: nam antè timuisse valde, cùm viderunt exercitum Pharaonis sibi imminentem, Scriptura testatur. *Et inimicos eorum operuit mare*, rubrum. Hæc submersio non computatur inter plagas, quæ fuerunt ante egressum ex Ægypto: sed fuit vltimum supplicium Ægyptiorum, & plena securitas populi Israël. In Hebræo habetur *fiducia* in datiuo: sed congruitas adiunctâ præpositione *cum* mutauit.

Vers. 53. ET DVXIT EOS. Consequenter transit Propheta ad generationem ingressam terram promissionis. Vnde pronomen non demonstrat illosmet homines qui egressi sunt de Ægypto, sed filios eorum nondum vigesimum natos annum: quoniam nullus egressorum ex Ægypto ingressus est terram promissionis, nisi Iosuë & Chaleb. *Et duxit eos*, filios prædictorum, *ad confine sanctitatis suæ*, ad confinia loci sanctificati seu dicati ad cultum diuinum: *montem istum*, scilicet Sion *quem acquisiuit dextera eius*, non dextera hominis. *Et eiecit à faciebus eorum gentes*, Chananæas: *& cadere fecit eos*, id est, loca eorum, *in funiculum hæreditatis populi Israël.* Loquitur more diuidentium loca per funiculos: tanquam Deus extenderit funiculum ad diuidendum terram promissionis ab aliis: & sic fecit cadere, hoc est velut sorte accidere vt contineretur terra Chananæorum intra funiculum hæreditatis promissæ Israël. *Et habitare fecit in tentoriis eorum*, Chananæorum, *tribus Israel.*

Vers. 56. ET TENTAVERVNT. Descriptis beneficiis collatis generationi ingressæ terram promissionis, describuntur nunc eorum crimina. *Et tentauerunt & rebellauerunt Deo excelso, & testimonia eius non custodierunt.* Iam habes triplex crimen: tentationis, rebellionis & omissionis. *Et retrocesserunt*, à recta via Dei, *& præuaricati sunt.* Non solum peccarunt omittendo seruare legem, sed præuaricati sunt & retrocesserunt à Deo vt patres eorum: *versi sunt quasi arcus doli*: hoc est, sicut arcus dolosi hominis vertitur in amicum. Et intendit per hoc quòd versi sunt contra Deum, non amicum sed patrem eorum: & hoc velut dolosè: quia cùm debuissent contra hostes Dei perseuerare, versi sunt contra Deum benefactorem.

Et fecerunt indignari eum in excelsis suis: immolabant enim in locis excelsis sacrificando idolis: *& in sculptilibus suis facient æmulari ipsum.* More humano loquitur: quòd sacrificando idolis prouocant Deum ad inuidiam, velut ægrè ferentem quòd cultus sibi soli debitus aliis impendatur. Futurum *facient* respicit præterita *retrocesserunt, præuaricati sunt, fecerant*: denotans illationem huius ex illis.

Audiuit Deus. Post narrata crimina subiungitur pœna: *& indignatus est*, more indignantis se habuit: *& abominatus est valde in Israel*, hoc est, habitare in Israël. *Et reliquit tabernaculum Silo: tentorium quod habitauit in homine.* Ad literam describitur destitutio Silo tempore Heli sacerdotis. Vnde arca Domini ducta est in castra & capta à Philistæis nunquam rediit in Silo. Et propterea hîc dicitur quòd reliquit tabernaculum Silo: quod vocatur etiam tentorium, quod habitauit Deus non simpliciter & absolutè, sed in homine, hoc est inter homines: Deus enim habitat in templo secundum veritatem, & in cœlis secundum commune dictum.

Destitutio Silo tempore Heli Sacerdotis.

Et tradidit captiuitati fortitudinem suam, & gloriam suam in manu angustatoris. Arca Dei tradita in manus Philistinorum, appellatur & fortitudo Dei, quia velut testimonium erat fortitudinis diuinæ quam exercuerat: & gloria Dei quoniam ad glorificandum Deum erat facta. *Et tradidit gladio*, Philistæorum, *populum suum: & in hæreditatem suam indignatus est. Electos eius deuorauit ignis: & virgines eius non sunt nuptæ. Sacerdotes eius*, filij Heli, *in gladio ceciderunt: & viduæ eius non flebunt*: ad cumulum mali non permittebantur flere viros suos. Hæc de ruina populi à Philistæis tempore illo dicuntur.

Vers. 65. ET EVIGILAVIT. Describitur consequenter diuina vindicta in Philistæos: quæ simul fuit prouisio ad reductionem arcæ. *Et euigilauit quasi dormiens Dominus, quasi fortis exultans ex vino.* Vtraque similitudo affertur ad duo: tum ad significandam diuinam potentiam quasi dormisse seu impeditam vino, permittendo arcam suam capi ab idololatris. Et verè vt dormiens se habuit non saluando eam, cùm facillimè posset: & vt impeditus a vino iræ iustitiæ contra Iudæos, permisit. Tum ad significandam vehementiam percussionis: tam enim ex somno quàm ex vino surgens, percutit quodammodo sine discretione. *Et percussit angustiatores suos* Philistæos, *retro*, hoc est in secretiore parte natium: vt dicitur 1. Reg. 5. *Opprobrium sempiternum dedit eis*, ignominiosæ percussionis.

Diuina vindicta in Philistæos.

Vers. 67. ET SPREVIT. Vltimo loco describitur generatio Dauidis electa à Deo. *Et spreuit tentorium Ioseph.* Ad literam pertransit Propheta totam generationem tẽpore Samuelis & Saulis: & deuenit ad tempus Dauidis, quando Deus elegit Dauidem in regem posthabita tribu Ioseph: hoc est tribu Manasseh, qui fuit primogenitus Ioseph. Et meminit specialiter Ioseph: quia ipse surrogatus est in primogenitum Iacob, abiecto Ruben a primogenitura propter incestum: vt patet in Genesi. *Et tribum Ephraim non elegit*, sibi regem. Meminit quoque Ephraim: quia à Iacob præpositus fuit Manasseh fratri suo maiori in benedictione cancellatis manibus, Genes. 48. *Et elegit tribum Iuda*: de hac enim fuit Dauid: nec solum tribum Iuda, sed montem Sion, pro loco templi, quem dilexit, ad hoc vt

Ioseph subrogatus Rubeno in primogenitum Iacob.

fit

[illegible] Ratio electionis non merita [illegible] dilectio assignatur diuina: ideo enim [illegible] eligit quia diligit illum. *Et ædificauit velut excelsa*, hoc est ad similitudinem cælorum, tanquam aliud cælum, *sanctuarium suum*, templum suum: vt sicut cælum est habitaculum Dei: *quasi terram fundauit ipsum æterno.* Comparatur templum non solum excelsis cælis, sed etiam infimæ terræ quoad stabilitatem. Et intendit per hoc assimilare ædificationem templi primæ creationi mundi (de qua scriptum est: *In principio creauit Deus cælū & terram*) ædificando templum sicut cælum & sicut terram. *Et elegit in Dauid seruum suum*, hoc est, & elegit Dauid in seruum suum: *& tulit eum de gregibus ouis*, multitudinis ouium. *De post fœtas adduxit eum, ad pascendum in Iacob populum suum & in Israel hæreditatem suam*, creando eum regem: de pastore ouium fecit pastorem populi sui qui est ei vt hæreditas. *Et pauit eos*, Dauid iam rex. *Secundum perfectionem cordis*, integra voluntate: *& in intelligentiis palmarum suarum ducet eos.* Tres tangit rationes regendi & gubernandi in Dauide rege: primò quam diximus integram intentionem: secundò prudentiam & intelligentiam, dicendo *& in intelligentiis* tum diuinarum, tum humanarum actionum, fuit enim vt dicitur in primo Reg. prudens ab adolescentia sua: tertiò exemplaria facta, significata addendo *manuum suarum.* Et verè hæc omnia requiruntur in principe ad regimen populi. Futurum autem *ducet eos*, perseuerantiam regni Dauidis significat: perseuerabit ducendo eos, ducatum eorum exercens. Amen.

David ex ouium pastore assumitur in Regem.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Canticum Asaph.*

LXXVIII.

DEVS venerunt gentes in hæreditatem tuam: polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Hierusalem in pomorum custodiam.

2 *Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cæli: carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.*

3 *Effuderunt sanguinem ipsorum tanquam aquam in circuitu Hierusalem: & non erat qui sepeliret.*

4 *Facti sumus opprobrium vicinis nostris: subsannatio & illusio iis qui in circuitu nostro sunt.*

5 *Vsquequo Domine irasceris in finem: accendetur velut ignis zelus tuus?*

6 *Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt: & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt.*

7 *Quia comederunt Iacob: & locum eius desolauerunt.*

8 *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, citò anticipent nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis.*

9 *Adiuua nos Deus salutaris noster, & propter gloriam nominis tui Domine libera nos: & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.*

10 *Ne fortè dicant in gentibus vbi est Deus eorum: & innotescat in na-*

IVXTA HEBRÆVM.

Psalmus Asapho.

LXXIX.

1 *Propheta.* DEVS † venerunt gentes in hæreditatem tuam: polluerunt templum sanctitatis tuæ, posuerunt Hierusalem aceruis ruinarum. † *Dy.*

2 Dederunt cadauer seruorum tuorum escam aui cælorum: carnem gratiosorum tuorum feræ terræ.

3 Effuderunt sanguinem eorum quasi aquas in circumitibus † Hierusalem: & non sepeliens erat. † *circumitibus.*

4 Fuimus opprobrium vicinis nostris: subsannatio & derisio circumitibus nostris.

5 Vsquequo Domine irasceris, æterno? ardebit ignis zelus tuus?

6 Effunde iram tuam ad gentes quæ non cognouerunt te: & super regna quæ in nomine tuo non vocauerunt.

7 Quia comedit Iacob: & habitaculum eius desolauerunt.

8 Ne recordare nobis iniquitates priorum: festina, præuenient nos misericordiæ tuæ, quia attenuati sumus valde.

9 Auxiliare nobis Deus salutis nostræ super causa honoris nominis tui: & libera nos, & propitiare super peccatis nostris propter nomen tuum.

10 Quare dicent gentes. *Vox gentium.*
E Vbi Deus eorum? *Propheta.* Scietur

tionibus coram oculis nostris.

11 *Vltio sanguinis seruorum tuorum qui effusus est: introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.*

Secundum magnitudinem brachij tui: posside filios mortificatorum.

12 *Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: improperium ipsorum quod exprobrauerunt tibi Domine.*

13 *Nos autem populus tuus & oues pascuæ tuæ: confitebimur tibi in sæculum.*

In generatione & generationem: annunciabimus laudem tuam.

tur in gentibus ante oculos nostros † vltio sanguinis seruorum tuorum effusi. † *oculis nostris.*

11 Veniet ante facies tuas † suspirium vincti: velut magnitudo brachij est sic tui, solue filios mortis. † *faciebus tuis.*

12 Et redde vicinis nostris septuplum ad sinum eorum: opprobrium ipsorum quod exprobrauerunt tibi Domine †.

13 Et nos populus tuus & ouis pascuæ tuæ confitebimur tibi æterno: generationi & generationi narrabimus laudem tuam. † *Domini mei.*

COMMENTARIVS.

Materia. Titulus est: *Psalmus Asapho.* Qui patet ex supradictis. Sed nihil hinc habetur de materia Psalmi: sicut nec ex auctoritate primi Machab 7. vbi citatur secundus huius Psalmi versiculus: nam ibi est sermo de occisione 60. virorum quos Alcimus ex semine Aaron occidit: hîc autem Propheta loquitur de clade factâ à gentilibus: *Deus*, inquit, *venerunt gentes in hæreditatem tuam.* Ex quo patet quòd auctor libri Machabæorum versiculum hunc transumptiuè extendit ad suum propositum: vt frequenti vsu faciunt Doctores Ecclesiæ.

Colligendo itaque ex Psalmo materiam, prænotandum est quòd Psalmus iste non est historicus sed propheticus. Quod ex eo patet quòd editus est tempore Dauidis: nam constat vsque ad tempora illa nunquam fuisse patrata in Hierusalem quæ hîc dicuntur. Et rursus constat quòd templum adhuc non erat ædificatum, quod hîc describitur pollutum à gentibus. Relinquitur ergo quòd futura prædicendo describat, tanquam res gestas. Conferendo autem scripta in hoc Psalmo cum posteriis gestis, nulla apparent magis consona gesta quàm ea quæ exercuit Antiochus in Iudæos, scripta in libris Machabæorum: tunc enim venerunt gentes in hæreditatem Dei, tunc polluerunt multipliciter templum, tunc destruxerunt Hierusalem, tunc occiderunt sanguinem multum verè sanctorum: quia directè sunt occisi propter diuinum cultum: nam transeuntes ad ritus Gentilium non occidebantur. Accedit ad hoc quòd non conqueruntur se abductos à patria in captiuitatem, sed occisos, vinctos, occidendos, derisos. Amplius petunt, non reduci ad patriam, sed liberari ad laudandum Deum: tanquã desit eis libera confessio diuini nominis, &c.

Iudæorum afflictio ab Antiocho tẽpore Machabæorum. Vnde concludendum mihi videtur quòd materia Psalmi ad literam est illa Iudæorum afflictio quæ ab Antiocho facta est tempore Machabæorum, contra colentes Deum legemque diuinam seruantes.

SVMMARIVM EST.

Propheta in persona populi afflicti, supplex narratâ inuasione gentium polluendo templum, destruendo Hierusalem, &c. petit à Deo liberationem propriam & vindictam hostium. Illam ex misericordia diuina, ex propria attenuatione, ex diuini nominis gloria & officio: istam, quia non nouerunt Deum, vt vltio fiat sanctorum, vt reddatur septuplum pro diuino opprobrio. Vtramque autem vt oues diuinæ pascuæ laudent Deum & annuncient posteritati.

Persona loquens Propheta est in persona populi afflicti: vt testatur vltimus versiculus: Et nos populus tuus, *&c.*

Deus venerunt gentes. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *polluerunt.* Circa propositionem aduerte modum: nam Propheta personam agit populi non solùm afflicti sed supplicis: prophetia enim ista tota est per modum supplicationis explicata: vt patet intuenti Psalmum. Et propterea tam proponendo quàm exequendo agit quod est afflicti supplicis. Et proponendo quidem non explicat se venisse supplicem nisi supplicando, *ô Deus:* hoc enim congruit animo affecto magnâ tristitiâ: tanquam tristitia ipsa non patiatur explicare, sed trahat ad faciendum supplicationis opus. Intellige itaque proponi duo: primò supplicationem, significatam ipso recursu ad Deum. Alterum afflictionem: *Venerunt gentes*, idololatræ, *in hæreditatem tuam*, terram & populum tuum. Vers. 1.

Polluerunt. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *venerunt gentes in hæreditatem tuam*, explicando mala quæ intulerunt. Secundò illa, *Deus*, explicando supplicationem, ibi, *vsquequo Domine.* Inchoat à malis illatis templo. *Polluerunt templum sanctitatis tuæ*, dupliciter: tum ponendo ibi idolum: vt dicitur 1 Machab. 1. Tum quia templum plenum erat comessationibus & scortantibus cum meretricibus 2. Machab. 6. *Posuerunt Hierusalem aceruos.* Pollutioni templi adiungitur destructio ciuitatis quantùm ad ædificia, ab effectu aceruorum: cùm enim destruuntur ædificia, fiunt aceruì ruinarum. Hæc destructio describitur 1. Machab. 1. quòd Princeps tributorum succendit Hierusalem igni, & destruxit domos eius *Pollutio Templi.*

eius & muros eius in circumitu. Vnde multi aceruí ruinarum constituti sunt.

Dederunt cadauer seruorum tuorum. Ordine præpostero describitur prius ignominia cadauerum. *Dederunt cadauer*, multitudinem cadauerum, *escam aui*, multitudini auium, *cælorum: carnem gratiosorum tuorum feræ terræ.* Deinde occisio hominum: *Effuderunt sanguinem eorum quasi aquam*, vt intelligas magnam occisorum multitudinem, *in circumitibus Hierusalem*, & non solùm in ciuitate. In Hebræo habetur *circumitibus* in datiuo:sed addita est præpositio,&c. *Et non sepeliens*, erat: nolebant enim quòd cadauera sepelirentur: sed vt dictum est, à bestiis & auibus comederentur.

Fuimus opprobrium vicinis nostris, ex his malis quæ passi sumus emersit aliud malum quòd reputati sumus à vicinis nostris tanquam mali:*subsannatio & derisio circumitibus nostris.* Et hæc omnia in Deum redundabant: quia per hæc significabatur Hebræorum religio vana.

Vers. 5. VSQVEQVO DOMINE. Tractatur hîc supplicatio inclusa in illa particula, *Deus.* Vbi aduerte supplicationem compositam ex duabus partibus, scilicet ex clementia erga ipsos, & ex vindicta erga hostes: mixtim tamen vt congruit afflicto animo: intersecant siquidem sese pluries hæ petitiones: prout afflictus animus hac atque illac vagatus suggerit. Inchoat autem à terminatione afflictionis propriæ. *Vsquequo Domine irasceris*,quandiu durabit afflictio hæc *æterno?* quasi dicat absit: *ardebit quasi ignis zelus tuus*, amor tuus erga Israël impatiens consortij vsquequo ardebit quasi ignis,sine termino? A secunda ædificatione templi vsque ad tempus Machabæorum nihil inuenitur scriptum authenticè: & consideratâ pronitate Iudæorum ad idololatriam, verissimile est quòd propter peccata populi colendo alienos Deos,punierit eos tunc Deus. Et hoc insinuat Propheta nominando zelum Dei, impatientem consortij:quòd scilicet populus eius haberet alium Deum.

Effunde iram tuam (diuertit sermonẽ ad petitionem vindictæ) *ad gentes quæ non cognouerunt te: & super regna quæ in nomine tuo non vocauerunt.* Ac si apertè diceret: quamuis peccauerimus,in hoc tamen præstamus gentibus quòd cognouimus te,illæ autem non: & rursus quòd in nomine tuo inuocauimus, illæ autem non: & propterea effunde iram tuã in illas peiores nobis.

Antiochus expoliauit Templum & Ciuitatem.

Quia comedit Iacob. Explicat aliud malum quod intulit Antiochus, scilicet rapinam seu direptionem bonorum: expoliauit enim templum & ciuitatem: vt in 1. Machab. 1. dicitur: *Quia comedit*, Antiochus, ad similitudinem vorantis absorbuit, *Iacob*, id est,bona Iacob: *& habitaculum eius desolauerunt. Ne recordare nobis iniquitates priorum.* Reuertitur ad clementiam pro se, supplicans vt non imputet sibi iniquitates patrum. *Ne recordare nobis*, noli imputare nobis ad pœnam, *iniquitates priorum*, patrum, scilicet nostrorum: *festina, præueniant* (deprecatiuè dicitur pro præueniant) *nos misericordia tua, quia attenuati sumus valde*, & numero hominum & rebus,perditâ etiam libertate cultus tui.

Auxiliare nobis Deus salutis nostræ. Implorat officium: quia tu solus es Deus Saluator noster, adiuua nos: *super causa honoris nominis tui.* Ingerit causam esse non solius populi, sed etiam Dei, quia agebatur de honore diuini nominis? vt inferiùs clariùs explicabit. *Et libera nos*,ab his malis: *& propitiare super peccatis nostris propter nomen tuum*: repetitio est causæ diuinæ.

Quare dicent gentes. Ecce causa honoris diuini nominis. Quare dicent gentes, *vbi Deus eorum?* Blasphemiæ diuini nominis obuiandum supplicat. Ac si diceret: Si non adiuuas,blasphemabunt te gentes, *vbi Deus eorum?* quasi dicat nullibi, non potest eos saluare: quare permittes quòd dicent gentes blasphemiam, *vbi Deus eorum?*

Scietur, pro sciatur, *in gentibus ante oculos nostros*,hoc est,nunc & non amplius differatur (in Hebræo habetur in datiuo *oculis nostris*: & similiter in sequenti versiculo habetur *faciebus tuis*, in datiuo: & vtrumque mutatum est adiunctâ præpositione *ante*) *vltio sanguinis seruorum tuorum effusi.* Diuertit iterum ad vindictam obuiatricem blasphemiæ. *Veniet*, pro veniat,*ante facies tuas suspirium vincti*, populi: habebat enim vincula decretorum Antiochi quòd occiderentur nisi transirent ad ritus gentilium.

Velut magnitudo brachij tui. Regreditur ad clementiam erga se, *Velut magnitudo brachij tui*, supple est, *solue*, subintellige, *sic solue filios mortis*, addictos morti ex decreto Antiochi: hoc est, præuale & rumpe huiusmodi potestatem, decreta,&c.

Et redde vicinis nostris.Diuertit rursus ad vindictam vicinorum: prius enim petierat vindictam principalium hostium. *Et redde vicinis nostris septuplum*, mali quod intulerunt nobis, hoc est, completè vindica, *ad sinum eorum: opprobrium ipsorum quod exprobrauerunt tibi Domine*, redde eis, vt exprobretur diis eorum sicut ipsi exprobrauerunt tibi. *Et nos populus tuus & ouis pascuæ tuæ*,tum quoad animam ratione legis,tum quoad corpus ratione terræ promissionis, *confitebimur* in primis *tibi*, confessione laudis, *æterno*: & consequenter *generationi & generationi narrabimus laudem tuam*, multitudinem laudum tuarum. Vterque fructus optimus & promissio optima:vtpote comprehendens ea quæ Dei sunt & ad Deum & ad proximum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori pro lilijs testimonium Asaph canticum.*	Vincenti ad lilia testificatio Asapho Psalmus.
LXXIX.	LXXX.
2 QVI regis Israël intende: qui deducis velut ouem Ioseph.	1 *Propheta.* PAscens Israel auscultà: ducens quasi ouem Ioseph

3 *Qui sedes super Cherubim: manifestare coram Ephraim, Beniamin & Manasse.*
Excita potentiam tuam & veni: vt saluos faciat nos.

4 *Deus conuerte nos: & ostende faciem tuam, & salui erimus.*

5 *Domine Deus virtutum: quousque irasceris super orationem serui tui.*

6 *Cibabis nos pane lachrymarum: & potum dabis nobis in lachrymis in mensura.*

7 *Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: & inimici nostri subsannauerunt nos.*

8 *Deus virtutum conuerte nos: & ostende faciem tuam, & salui erimus.*

9 *Vineam de Ægypto transtulisti: eiecisti gentes & plantasti eam.*

10 *Dux itineris fuisti in conspectu eius: & plantasti radices eius, & impleuit terram.*

11 *Operuit montes vmbra eius: & arbusta eius cedros Dei.*

12 *Extendit palmites suos vsque ad mare: & vsque ad flumen propagines eius.*

13 *Vt quid destruxisti maceriam eius? & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam.*

14 *Exterminauit eam aper de sylua: & singularis ferus depastus est eam.*

15 *Deus virtutum conuertere: respice de cælo & vide, & visita vineam istam.*

16 *Et perfice eam quam plantauit dextera tua: & super filium hominis quem confirmasti tibi.*

17 *Incensa igni & suffossa: ab increpatione vultus tui peribunt.*

18 *Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ: & super filium hominis quem confirmasti tibi.*

19 *Et non discedimus à te: viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus.*

20 *Domine Deus virtutum conuerte nos: & ostende faciem tuam & salui erimus.*

Ioseph, sedens Cherubinorum, qui fecisti lucere.

2 Faciebus Ephraim & Beniamin & Manasseh: suscita fortitudinem tuam & veni ad salutem nobis.

3 Deus † fac reuerti nos: & fac lucere facies tuas, & saluabimur. † Dy.

4 Domine ⁴ Deus † exercituum vsquequo fumasti in orationem populi tui: fecisti comedere eos panem lachrymæ, & fecisti bibere eos in lachrymis tertij. † Dy.

5 Pones nos litem vicinis nostris: & inimici nostri subsannabunt eis.

6 Deus † exercituum fac nos reuerti: & fac lucere facies tuas, & saluabimur. † Dy.

7 Vitem de Ægypto mouebis: eiicies gentes, & plantasti eam.

8 Expediuisti faciebus eius: & fecisti radicare radices eius, & replesti terram.

9 Operuerunt montes vmbra sua: & ramis suis cedros Dei.

10 Mittet ramos suos vsque mare: & ad flumen germina sua.

11 Quare fregisti macerias eius? & collegerunt eam omnes transeũtes viã.

12 Vorabit eam aper de sylua: & reptile omnipotentis pascetur eam.

13 Deus † exercituum reuertere obsecro: respice de cælis & vide, & visita vitem hanc. † Dy.

14 Et plantam quam plantauit dextera tua: & super filium quem roborasti tibi.

15 Succensa pars in igne & incisa: ab increpatione facierum tuarum peribũt.

16 Erit manus tua super virum dexteræ tuæ: super filium Adam quem roborasti tibi.

17 Et non retrocedemus à te? viuificabis nos, & in nomine tuo vocabimus.

18 Domine ⁴ Deus † exercituum fac reuerti nos: fac lucere facies tuas, & saluabimur. † Dy.

COMMENTARIVS.

Liliorum appellatione populus electus intelligitur. Cant.2.2.

Titulus est: *Vincenti ad lilia testificatio Asapho Psalmus.* Et dicitur Psalmus iste, *testificatio ad lilia,* quia testificatur populo electo tribulationes futuras. Appellatione enim liliorum electus populus intelligitur: iuxta illud Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias.* Et ratione certitudinis rei futuræ tanquã visæ appellatur testificatio: *quod enim vidimus testamur,* Ioan. 3. Vnde aliqualiter patet materia Psalmi.

Dico autem *aliqualiter:* quia est de materia Psalmi aliquid certum & aliquid ambiguum. Certum est quòd Psalmus iste propheticus est: quia tempore Dauidis editus, describit tribulationes populi non præteritas nec præsentes tunc, sed subsecutas multis annis pòst. Quod conuincitur ex eo quòd deuastatio populi describitur postquam regnũ Israëlis extensum est vsque ad mare & vsque ad flumen: quod constat non fuisse adimpletum ante tempora Dauidis: subsecuta autem deuastatio constat quòd longè pòst fuit.

Ambi

Ambiguum autem est de qua deuastatione est sermo: quoniam in Psalmo generalia tantummodo tanguntur. Crediderim ego quòd de deuastatione populi facta per reges Assyriorum sit sermo & quòd petatur reductio populi in terram promissionis, quæ facta fuit tempore Cyri regis Persarum. Moueor ad hoc tum quia constat clarè ex verbis Psalmi quòd de corporali deuastatione populi educti de Ægypto, sub metaphora vineæ seu vitis est sermo: hinc enim sequitur quòd salus petita respondeat illi malo. Tum quia versiculus ter repetitus continens principale intentum, expressè dicit, *fac nos reuerti*: constat enim quòd reuersio sine additione aliqua desiderata & petita, intelligitur secundùm subiectam materiam de qua est sermo: ac per hoc de reuersione ad locum vineæ, hoc est, ad terram promissionis. Tum quia in eodem versiculo ter repetito significatur tota salutis futuræ ratio illustratio diuinæ faciei: rei siquidem gestæ euentus testatus est adimpletionem prophetiæ huiusmodi: nam cùm diuina facies illuxit Cyro Persarum regi, reuersus est populus & saluatus: & non per bellica arma, vt tempore Machabæorum. Quia igitur omnia consonat, materia Psalmi ad literam est reductio populi vastati per Babylonios, &c.

Reductio populi vastati per Babylonios.

SVMMARIVM EST.

PRopheta in persona populi deuastati ab Assyrijs recurrit ad Deum pastorem Israëlis & c. vt auscultet, commemorando mala subsecuta, quia olim non auscultauit populus. Et sub specie vitis commemorat beneficium eductionis de Ægypto & magnificationis admiratus quòd permiserit suam deuastari vineam: supplicátque vt visitet vineam hanc plantatam à dextera eius: & demum prophetat exauditionem. Interserit autem sæpe petitionem salutiferæ reductionis.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. PAscens Israelem ausculta. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Deus fac reuerti*. Proponit duo. Alterum quòd auscultet: alterum quòd veniat ad saluandum. Primum petit à Deo pastore Israëlis. Et est hoc in loco *Israël* nomen proprium non populi sed Patriarchæ, illius qui fuit pater 12. filiorum. Quod ex contextu insinuatur: nam subditur Ioseph, filius eius. Et intendit Propheta inchoando à Patriarcha populi commemorare duo diuina beneficia ante tempora Moysi exhibita populo in patribus. Alterum est quòd Deus fuit velut pastor Israëlis seu Iacobi, ducens ipsum in Mesopotamiam & reducens in terram ipsius, accumulando diuitias, &c. Alterum subditur: *Ducens velut ouem Ioseph*: duxit enim Deus Ioseph in Ægyptum velut ouem inermem, mansuetam, nescientem quorsum duceretur. Vnde ipse Ioseph postea dixit fratribus suis: *Pro salute vestra misit me Deus ante vos in Ægyptum*. Genes. 45.

Israël hic significat Iacob.

Ioseph ductus in Ægyptum vt ouis.

Genes. 45.

Sedens Cherubinorum. Nuncupato Deo à duobus beneficiis ante legem, adiungit nuncupationes duas post legem. Altera sumitur à sessione super Cherubinos: Moyses siquidem non figurauit Deum: sed sedem vacuam sustentatam à duobus Cherubinis: & propterea Deus dicitur, *sedens super Cherubim. Fecisti lucere faciebus Ephraim & Beniamin & Manasseh*. Altera nuncupatio sumitur ab illustratione in Sancto Sanctorum. Ordinauit Moyses quòd hæ tres tribus (Ephraim, Beniamin & Manasseh) haberent tentoria sua ad plagam Occidentalem tabernaculi: in qua erat illa pars tabernaculi quæ vocatur Sanctum sanctorum. Ita quòd prius describitur contentum in Sancto sanctorum per sedem super Cherubim: & postea describitur certa pars templi seu tabernaculi quæ appellatur Sanctum sanctorum in qua erant Cherubini tenentes sedem, definiendo partem illam ab his tribubus quæ habitabant circa illam. Hinc enim clarè significatur pars Occidentalis: quoniam in parte Occidentali tabernaculi habitabant tres istæ tribus: vt patet Num. 2. Dicitur autem Deus illuminare seu facere lucere in Sancto sanctorum, quia illuminabat mentes hominum recurrentium ad Deum qui ibi colebatur. Non sine mysterio autem Propheta recurrit ad Deum pastorem Israëlis, ducem Ioseph, sedentem super Cherubim, illustrantem in Sancto sanctorum: sed petiturus vt reducat populum deuastatum illustratione vultus sui, congruè inchoat à pastorali cura quam exercuit in patribus ante legem, & ab illustratione quam exercuit in templo post legem: vt qui cœpit ducere & illustrare, prosequatur vtrumque, reducendo & illustrando dispersum populum suum.

Tribus Ephraim, Beniamin & Manasse habebant tentoria sua prope Sanct. Sanctorum.

Suscita fortitudinem tuam & veni ad salutem nobis. Hæc est principalis petitio: tanquam dormierit diuina potentia dum populus est afflictus, petitur, *suscita fortitudinem tuam, & veni*, ad efficiendam salutem nostram.

Vers. 3. DEVS FAC REVERTI NOS: ET FAC LVCERE FACIES TVAS, ET SALVABIMVR. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur intentio principalis alludendo specialiter ad illam particulam, *fecisti lucere*. Secundò tractatur illa particula, *ausculta*, ibi, *Domine Deus exercituum*. Tertiò illa, *suscita fortitudinem tuam*, ibi, *vitem ex Ægypto*. Quartò illa, *& veni ad salutem nobis*, ibi, *& visita vitem hanc*. Principalis intentio Prophetæ tendit ad regressum populi salutarem ex luce diuinæ gratiæ: huc enim tendunt omnia commemorata circa Israël & Ioseph & Sanctum sanctorum, huc tendunt omnia subiungenda in Psalmo, in hoc consistit totum desideratum à disperso populo. Vnde hæc integra petitio ter in hoc Psalmo repetitur. *O Deus*, inquit, *fac reuerti*. Quamuis non dicat ad Hierusalem aut ad Sion nec etiam ad te, sed absolutè *fac reuerti nos*: constat tamen quòd intelligitur à dispersione ad locum vnde eiecti fuimus: & fac lucere facies tuas, non in seipsa (quoniam in seipsa lux est) sed nobis. Et hoc non tam metaphoricè, id est, non iratam aut turbulentam faciem sed claram demonstra (humano more loquendo) quàm significando modum quo reuersio populi effecta est: scilicet per illuminationem: *& saluabimur*, sine dubio nostra salus consurget ex luce diuinæ gratiæ.

Vers. 4. DOMINE DEVS EXERCITVVM. Tractatur hic illa particula, *ausculta*, ab opposito seu contrario (scilicet præterita non auscultatione) commemorando mala subsecuta, quia Deus non auscultauit orationem factam populi.

Vsquequo fumasti. Iram Dei humano more fumantem describit supplicante populo: intendens per hanc metaphoram quòd Deus exhibuit

se iratum etiam oranti populo: ac per hoc non auscultantem, sed velut ex calore iræ fumum emittentem: hoc est, quòd non exaudiuit orationem populi: iuxta illud Hierem. 15. *Si steterint Moyses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Ierem. 15.

Fecisti comedere eos panem lachrymæ, & fecisti bibere eos in lachrymis tertiū. Ecce subiecta mala quia Deus non attendit orationi populi quæ fiebat tempore Hieremiæ: cibus, scilicet & potus lachrymarum. Mensuræ nomen est tertium, denotans abundantiam lachrymarum ex quantitate hydriæ: tanquam biberint lachrymas ex hydria trium metretarum. *Pones nos litem vicinis nostris,* pones quoque nos materiam litis vicinis nostris, tanquam litigantibus de nobis vt de rebus suis: *& inimici nostri subsannabunt eos,* subiectioni adiicietur quòd deridebimur: quod intolerabilius est. Futurum *pones* respicit præteritum *fumasti,* significans sequelam huius effectus ex illa ira Dei. Pronomen *eos* denotat nos in tertia persona.

Tertium est nomen mensure.

Vers. 6. Devs exercitvvm. Repetit tertium versiculum, augendo nuncupationem Dei: vbi prius dixerat *Deus,* modò dicit *Deus exercituum fac nos reuerti,* &c. vt suprà. Ratio repetitionis est magnitudo affectus ad desideratam salutem.

Vers. 7. Vitem de Ægypto. Tractatur hîc illa particula, *suscita fortitudinem tuam:* narrando prius opus fortitudinis eius olim factum: & postea quasi somnum fortitudinis eius: & demum petendo excitationem eius.

Narrat itaque eductionem populi de Ægypto, & magnificationem eius vsque ad tempora Dauidis seu Salomonis, sub metaphora vitis. *Vitem,* populū Israël (nam *vinea Domini sabaoth, domus Israël est,* Isa. 5.) *de Ægypto mouebis: eiicies gentes,* Chananæas (futura *mouebis & eiicies,* non respiciunt tempus Psalmi, sed tempus beneficiorum in principio Psalmi propositorum, scilicet, *pascens israelem, ducens Ioseph:* respectu enim horum futura, imò consequens fuit eductio vitis de Ægypto) *& plantasti eam,* in terra promissionis. *Expediuisti coram ea,* seu *faciebus eius,* hoc est, abstulisti tunc omnia impedientia viam coram populo: *& fecisti radicare radices eius,* firmatus est enim populus in terra promissionis, *& repleSti terram,* tali vite.

Isai. 5. *Eductionem Israëlis de Ægypto, & magnificationem eius vsque ad Salomonem sub vitis metaphora tractat.*

Operuerunt montes vmbra sua, adeò creuerunt rami eius quòd vmbrâ suâ operuerunt montes: *& ramus suis cedros Dei,* arbores excelsas. Quantùm ad parabolam declaratur augmentum vitis in excelsum: quantùm ad rem declaratur celsitudo populi Israël supra principes & magnos reges, quod constat fuisse tempore Iosue.

Mittet ramos suos vsque mare, Mediterraneum. Futurum sequelam denotat ad antedicta: *& ad flumen,* Euphratis, *germina sua.* Hoc enim impletum est tempore Dauidis, & perseuerauit tempore Salomonis.

Quare fregisti. Descripto opere potentiæ diuinæ circa populum magnificatum, subiungit modò quasi somnum diuinæ potentiæ, describendo deuastationem vitis. *Quare fregisti,* frangi dimisisti *macerias eius,* vineæ: *& collegerunt eam,* fructus eius, *omnes transeuntes viam? Vorabit eam aper de sylua, & reptile omnipotentis pascetur eam.* Metaphora clara est, intelligenti per reptile omnipotentis significari cuncta animantia quæ serpunt seu repunt. Quæ specialiter dicuntur *omnipotentis,* vel vt etiam ipsa creata ab omnipotente Deo intelligas: vel vt significatos per ipsa gregarios vastatores, ab omnipotente Deo immissos intelligas. Per hæc enim omnia intelligit deuastationes populi factas à rege Assyriorum & exercitibus eius: rex enim ille significatur per aprum de sylua.

Deus exercituum. Petit excitationem potentiæ inuocando eum: *Deus exercituum,* omnium, *reuertere obsecro,* ad bonum populi tui: *respice de cælis,* oculo misericordiæ, *& vide,* miserando.

Vers. 15. Et visita vitem hanc. Tractatur hîc illa particula, *& veni ad salutem nobis,* tali ordine. Primò supplicat vt veniat visitans vitem hanc, populum tuum eductum de Ægypto. *Et plantam quam plantauit dextera tua,* hoc est, vitem plantatam à dextera tua: dixit enim superiùs, *& plantasti eam: & super filium roborasti tibi,* populum quem appellauit vitem & plantam appellat filium quem roborauit sibi Deus: iuxta illud Exod. 4. *filius meus primogenitus Israël.* Quem sibi Deus roborauit magnificando eum (vt dictum est superiùs) ad gloriam suam, vt esset populus peculiaris Dei. Exod. 4.

Incensa in igne. Secundò prophetat exauditionem, assignatâ prius ratione tantæ deuastationis. Et intendit prosequens metaphoram vitis: quòd sicut in vinea partes illæ quæ sunt incisæ seu combustæ pereunt, ita pars populi incisa seu igne afflictionis consumpta peribit: sed ratio tam incisionis quàm vstionis est increpatio diuina: ita quòd intendit Propheta reddere rationem deuastationis populi ex increpatione diuina: quæ proculdubio supponit scelera eorum. Et licèt metaphoricè incisio & vstio dicta sint, non abs re intelligi potest per hæc prophetari non solùm rationem deuastationis, sed derelictionem partis incisæ: hoc est, decem tribuum, quarum regnum fuit velut pars incisa à vite quam plantauit dextera excelsi, recedens à cultu Dei tempore Hieroboam & deinceps. Ita quòd intendit Propheta quòd pars huiusmodi incisa non redibit, sed erit quasi pars consumpta igne.

Erit manus tua. Prophetat reuersionem populi *Erit manus tua,* saluatrix, *super virum dexteræ tuæ.* Quem appellauerat plantam dexteræ tuæ, eundem appellat virum dexteræ tuæ, populum electum. *Et super filium Adam quem roborasti tibi.* Inter filios Adam, populus Israël est filius ille quem Deus roborauit sibi: iuxta illud Deuteron. 32. *Quando separabat filios Adam, pars Domini populus eius, Iacob funiculus hereditatis eius.* Aduerte hîc describi supplicationem exauditam, quam in versiculis 14 & 15. proposuit. Ibi enim petiit vt videat & visitet plantam dexteræ & filium: hîc autem asserit quòd erit manus eius super virum dexteræ & filium. Deut. 32.

Et non retrocedemus à te, viuificabis nos. Non corporalis tantùm salus sed spiritus vita describitur tunc futura, prophetando internæ gratiæ ordinatos effectus: præcedit viuificatio diuinæ gratiæ, & subsequitur non retrocessio nostra. *Et in nomine tuo,* non idolorum, *vocabimus,* id est, inuocabimus.

Vers. 18. Domine Devs exercitvvm. Repetit tertiò versiculum continentem principale intentum, augendo nuncupationem diuinam. Primò *Deus,* secundò *Deus exercituum,* tertiò *Domine Deus exercituum fac reuerti nos,* &c. vt suprà. Concludit enim Psalmum in principali intento. Amen.

PSAL

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori in torcularibus Asaph.*

LXXX.

2 *EXVLTATE Deo adiutori nostro: iubilate Deo Iacob.*

3 *Sumite Psalmum & date tympanum: psalterium iucundum cum cithara.*

4 *Buccinate in neomenia tuba: in insigni die solennitatis vestræ.*

5 *Quia præceptum Israël est: & iudicium Deo Iacob.*

6 *Testimonium in Ioseph posuit illud: cùm exiret de terra Ægypti, linguam quam non nouerat audiuit.*

7 *Diuertit ab oneribus dorsum eius: manus eius in cophino seruierunt.*

8 *In tribulatione inuocasti me: & liberaui te, exaudiui te in abscondito tempestatis, probaui te apud aquam contradictionis.*

9 *Audi populus meus & contestabor te: Is-*
10 *raël si audieris me, non erit in te Deus recens, neque adorabis Deum alienum.*

11 *Ego enim sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti: dilata os tuum & implebo illud.*

12 *Et non audiuit populus meus vocem meã: & Israël non intendit mihi.*

13 *Et dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinuentionibus suis.*

14 *Si populus meus audisset me: Israël si in vijs meis ambulasset.*

15 *Pro nihilo forsitan inimicos eorum humiliassem: & super tribulantes eos misissem manum meam.*

16 *Inimici Domini mentiti sunt ei: & erit tempus eorum in secula.*

17 *Et cibauit illos ex adipe frumenti: & de petra melle saturauit eos.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti super haghithith Asapho.

LXXXI.

1 *Propheta.* CANTATE Deo † fortitudini nostræ: clangite Deo Iacob. † *Dijs.*

2 Eleuate cantationem: & date tympanũ, citharam dulcia cum viola.

3 Clangite in nouo, cornu: in solennitate diei festiuitatis nostræ.

4 Quia præceptum Israeli ipsum est: iudicium Deo Iacob.

5 Testimoniũ in Ioseph posuit ipsum: in exire eius super terram Ægypti. *Populus.* Labium quod non sciui audiã.

6 *Deus.* Amoui ab onere humerum eius: palmæ eius à cophino transibunt.

7 In angustia vocasti, & erui te: respondebo tibi in abscondito tonitrui, tentabo te super aquas litis. *Selah.*

8 Audi popule mi & contestabor in te: Israel si audies me †. † *mihi.*

9 Non erit in te Deus alienus: & non curuaberis Deo extraneo.

10 Ego Dominus [4] Deus tuus, faciens ascendere te de terra Ægypti: dilata os tuum, & implebo illud.

11 Et non audiuit populus meus vocem meam † & Israel non voluit me †. † *voci meæ.* † *mihi.*

12 Et misi eum in directione cordis eorum: ibunt in consilijs suis.

13 Vtinam populus meus audiens me †: Israel in viis meis ibunt. † *mihi.*

14 Tanquam modicum inimicos eorum humiliabo: & super angustatores eorum faciam verti manum meam.

15 *Propheta.* Osores Domini [4] negabunt ei: & erit tempus eorum æterno.

16 Et fecit comedere eum de adipe tritici. *Deus.* Et de petra melle faciam saturare te.

COMMENTARIVS.

Haghithith nomen instrumenti musici. TItulus est: *Vincenti super haghithith Asapho. Haghithith* nomen dictum instrumenti musici deducti ab vrbe Ghath.

Materia. Materia Psalmi (vt Psalmus ipse præ se fert) est inuitatio ministrorum diuini cultus ad cantandum Deo & clangendum tubis in primo die mensis septimi, pro commemoratione diuinorum præceptorum ac iudiciorum. In versiculo namque

que tertio innuitur primus dies mensis septimi: qui vocabatur festum clangoris & tubarum. Et deputatus erat vt esset sabbatum memoriale: vt patet Leuit. 23 & Num. 29. Et quia non explicatur quid esset commemorandum, sed dicitur *memoriale* absolutè, ideo intelligendum est de memoria diuinorum præceptorum ac iudiciorum. Tum auctoritate scripturæ secundi Esdræ 8. executionem memorialis quæ fiebat prima die mensis septimi narrantis, in hoc quod omnis populus conuenit ad audiendum ex ore Esdræ solenniter legentis legem Domini. Tum ratione: quoniam hæc erat materia simpliciter & absolutè memoranda à populo illo. Et hæc duo explicantur in versiculo quarto. Et in his contineri constat memoriam beneficiorum: in præcepto enim de custodia sabbati clauditur memoria creationis: & in præcepto de immolatione Phase, clauditur memoria egressionis de Ægypto, &c. Hæc est igitur ad literam materia Psalmi.

SVMMARIVM EST.

Propheta inuitat ministros diuini cultus, ad cantandum & pulsandum Deo in festo tubarum, pro commemoratione diuinorum præceptorum ac iudiciorum: tangendo præceptorum quidem supremum simul cum tempore & testimonijs: iudiciorum verò præcipuas pœnas ac præmia.

Personæ loquentes sunt tres: Propheta, Populus, & Deus.

VERS. 1. CANTATE DEO. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *testimonium*. Proponit inuitando prius ad cantum. *Cantate Deo fortitudini nostræ.* Meminit fortitudinis quâ introducti sunt in terram promissionis celebraturi hoc festum, & non ante. *Clangite Deo Iacob.* Specialiter Deus sub ratione fortis seu potentis apparuit Iacob: vt patet Genes. 46. *Eleuate cantationem* ampliori voce.

Deinde ad musicum sonum: *Et date tympanum, citharam dulcem*, vtraque *cum viola: clangite cornu.* Quatuor hic habes instrumenta musica.

Quatuor instrumenta musica.

In nouo: ecce tempus, in nouilunio, non quocunque, sed *in solennitate*, decreta, *diei festiuitatis nostræ.* Nullus dies nouilunij erat ex lege sanctus per cessationem ab opere seruili & solennis, nisi septimi mensis. Et propterea per has circumlocutiones describitur primus dies mensis septimi: qui vocabatur dies clangoris & tubarum, seu sabbatum memoriale clangentibus tubis.

Primus dies mensis septimi vocabatur dies clangoris & tubarum.

Quia præceptum Israëli est, iudicium Deo Iacob. Ratio festiuitatis & clangoris tubarum redditur ex præcepto & iudicio: hoc est, quia præcepta data sunt Israëli, & quia iudicia exercuit Deus. Ad commemorandum enim hæc, institutum est festum tubarum: nec alia in locis prædictis assignatur ratio istius festi. Eadem autem est materia Psalmi istius & festi tubarum.

Vers. 5. TESTIMONIVM IN IOSEPH. Incipit hic pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *quia præceptum Israëli:* deinde illa, *iudicium Deo Iacob*, ibi, *& non audiuit.* Tractatur itaque legislatio tali ordine. Prius describitur tempus cum testimonio beneficiorum: deinde ipsa legislatio, ibi, *audi popule mi. Testimonium in Ioseph.* Tempus quo data sunt præcepta describit fuisse tempus egressionis ex Ægypto: quinquagesimo siquidem die data sunt præcepta. Appellatione *Ioseph* intelligi populum Israël, testatur contextus Psalmi, subiungens vno atque eodem contextu gesta Dei cum populo: *amoui ab onere humerum eius, respondebo tibi in abscondito tonitrui*, &c. Et est sensus: *Testimonium*, diuinæ præceptionis, *in Ioseph*, hoc est, in gente Ioseph. Populus enim Hebræus in Ægypto appellabatur gens Ioseph. Vnde & Pharao dixit ad Ioseph: *Pater tuus & fratres tui venerunt ad te.* Et rursus scriptum est: *Surrexit interea rex nouus qui ignorabat Ioseph:* insinuans Scriptura per hoc quòd tam viuens Ioseph quàm memoria ipsius, ratio apud Ægyptios erat benè tractandi Hebræos, tanquam cognominatos à Ioseph. Et propterea rex nouus non habens rationem Ioseph, malè tractauit gentem eius. *In exire eius super terram Ægypti*, in exitu ipsius gentis super terram. Egrediendo ab Ægypto versus terram promissionis ascenditur: vt in pluribus Scripturæ locis patet. Genes. enim vltim. dicit Ioseph: *Ascendam & sepeliam patrem meum.* Et Exod. 13. dicitur: *Et armati ascenderunt filij Israel de terra Ægypti.* Quia igitur ascendendo exierunt, ideo dicitur, *in exire eius super terram Ægypti.*

Populus Israel dicitur Ioseph.

Genes. 47. 5. Exod. 1. 8.

Genes. 50. 5. Exod. 13. 18.

Labium non sciui audiam. Ecce primum testimonium perhibitum à populo. Introducit enim Propheta testimonium hoc diuinorum præceptorum voce populi, dicentis: *Labium quod nesciui audiam.* Exiuit enim populus auditurus linguam quam nunquam nouit: hoc est, linguam Dei: nam audiuit Deum loquentem sibi de cælo, Exod. 19. Vnde dicit Deus Exod. 20. *Vos vidistis quòd de cælo locutus sim vobis.* Et verè diuinum labium fuit auditum & ignotum: quia populus nunquam audierat vocem Dei. Vnde & dixerunt Moysi: *Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus.* Moyses autem solitus erat audire: scriptum est enim: *Moyses loquebatur & Dominus respondebat ei.*

Exod. 20.

Amoui ab onere. Secundum testimonium introducitur ex ore Dei, narrantis beneficium quod contulit genti Ioseph. *Amoui ab onere humerum eius:* affligebant enim Ægyptij eos oneribus: vt dicitur Exod. 1. *Palmæ eius à cophino transibunt.* In opere luti & lateris & reliquo famulatu quo in terræ oneribus premebantur, *cophinus* computatur: qui fodiendo terram implebatur vt portaretur: vt per has duas afflictiones (manuum ad fodiendum & implendum cophinos, & dorsi ad portandum) intelligamus reliquum famulatum. Futurum autem *transibunt*, refertur ad præteritum diuinæ actionis *amoui:* quoniam hæc releuatio fuit effectus diuinæ actionis.

Oppressio populi Israelitici ab Ægyptijs.

In angustia. Declarat modum secundi testimonij. *In angustia vocasti*, me. Apostrophat Deus ad populum. *In angustia*, oppressionis ab Ægyptiis, *vocasti*, me (iuxta illud Exod. 2. *Ingemiscentes filij Israel propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum.*) *Et erui te*, de Ægypto.

Exod. 2.

Respondebo tibi. Declaratur modus primi testimonij. *Respondebo tibi in abscondito tonitrui*, in monte Sinai: iuxta illud Exod. 19. *Et ecce cœperunt audiri tonitrua ac micare fulgura, & nubes densissimas operire montem.* Ecce absconditum tonitrui in quo respondit Deus: subditur enim ibidem quòd Moyses loquebatur & Dominus respondebat

Exod. 19.

spondebat ei, quæ erant præcipienda populo. Futurum *respondebo*, denotat sequelam ad præteritum *& erui te*.

Probabo te super aquas litis. Tertium testimonium est beneficium aquæ eductæ de petra in egressu de Ægypto antequam venirent ad montem Sinai. Et appellatur *aqua litis* propter iurgium filiorum Isr. el ibidem contra Moysen : vt dicitur Exod. 17. Et introducitur hoc miraculum sub ratione tentationis populi : hoc est quòd Deus vt probaret confidentiam populi in Deo fecit eos pati penuriam aquæ. Quod intellige metaphoricè : quoniam more tentantis Deus se habuit vt populus cognosceret seipsum, quòd non confideret in Deo post tot mirabilia visa in Ægypto & in mari rubro. Hæc enim inducuntur vt testimonia perceptionis diuinæ in monte Sinai.

Vers. 8. AVDI POPVLE MI. Post testimonia præceptorum inducuntur præcepta non in singulis sed in supremo eorum. *Audi populæ mi & contestabor in te*, certificatione: *Israël si audies me.* In Hebræo habetur *mihi*. *Non erit in te Deus alienus.* Ecce præceptum supremum. *Et non curuaberis Deo extraneo. Ego*, solus, *Dominus*, vniuersorum, *Deus*, naturâ, *tuus*, per gratiam, non renuo enim vocari Deus tuus: *faciens ascendere te de terra Ægypti*, vt ex hoc libertatis beneficio me cognoscas. *Dilata os tuum.* Benignissimus Deus non dat præceptum sine præmio. Si me audieris, dilata os tuum, ad petendum, pete quicquid vis, *& implebo illud*, & donabo totum plenè.

Vers. 11. ET NON AVDIVIT. Tractatur hîc illa particula, *iudicium Deo Iacob*. Post præcepta subduntur iudicia : & prius iudicium pœnale. *Et non audiuit populus.* Deus non est prius vltor quàm homo sit peccator. Et propterea ante punitionem permittitur offensa. Quoniam *non audiuit populus vocem*, Dei obediendo præceptis eius : *& Israël non voluit me*, sed vitulum in Deum. Duplex crimen : inobedientiæ & idololatriæ.

Populi duplex crimen: inobedientia & Idololatria.

Et misi eum. Ecce pœna maxima interna scilicet quòd Deus derelinquit hominem sibiipsi. *Et misi.* Metaphorica est locutio, qua derelictio significatur per missionem : quia Deus derelinquit, dicitur misisse populum ipsimet. *Et misi eum in directione cordis sui*, ego destiti à directione populi & misi eum prout cor eorum diriget eos. *Ibunt.* Ecce effectus derelictionis: *ibunt in consiliis suis*, destituti à lumine directionis meæ.

Vtinam populus meus. Subditur iudicium quoad pœnam extrinsecam moræ in deserto annos 40. Sed describitur hæc pœna tanquam contra diuinum appetitum inflicta : narrando præmium illis paratum, quo seipsos priuauerunt non obediendo *Vtinam populus meus* Considera in aduerbio *vtinam*, affectum diuinum ad hoc quòd simus boni, ad hoc vt seruemus legem Dei. *Vtinam populus meus*, erit, *audiens me: vtinam Israël*, populus, *in viis meis ibunt. Tanquam modicum*, breuissimo tempore, *inimicos eorum humiliabo*, sicut quod est modicum facillimè vincitur: *& super angustatores eorum faciam verti manum meam*, punitiuam, quâ punio populum meum in deserto tot annis. Et intendit per hæc describere affectum diuinum ad præmia populi sui & ad punitionem inimicorum. Ac si apertè diceret Deus : Quantum est ex parte mea ego præcepi volens vt populus obediens præmia consequeretur victoriæ inimicorum, & non vt punirem populum : ego desideraui vt obediret & non vt punirem. Et futura *ibunt* cum reliquis referuntur ad præteritum desiderium Dei subintellectum in aduerbio *vtinam*. Sunt enim hæc verba Dei explicantia diuinum affectum more humano, antequam filij Israël exacerbassent Deum in deserto.

Vers. 15. OSORES DOMINI NEGABVNT EI. Accumulatio diuinorum iudiciorum, prius ad pœnam deinde ad præmium describitur. *Osores Domini.* Concludit Propheta accumulando pœnam pœnæ. Descripta fuit pœna internæ desertionis cum pœna detentionis in deserto : adiungitur modò pœna æternæ damnationis. *Osores Domini negabunt ei*, obedientiam. *Et erit tempus eorum æterno.* Exod 32. de idololatria vituli loquens Deus ad Moysem ait : Ego in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum, reseruans pœnam ad tempus vltionis. Quod non est in hac vita sed in futura : tempus enim præsentis vitæ est tempus misericordiæ : illud autem erit tempus vltionis, quo nullum malum remanebit impune. Iuxta hunc sensum hîc dicitur : *Erit tempus eorum*, inimicorum Dei, tempus enim vltionis & tempus inimicorum Dei idem est, *æterno*, sine fine. Notant Theologi hinc doctrinam inter præmium beatorum & pœnas damnatorum : quoniam illud erit sine tempore, hoc est in æternitate : pœnæ verò istorum erunt in tempore, semper tamen durante: quia erunt successiuæ (tempus enim mensura est successiuorum) beatitudo autem sanctorum erit tota simul.

Præmium beatorũ erit sine tempore: Pœna verò damnatorum in tempore.

Et fecit comedere eum. Descripto iudicio pœnali, describitur modò præmium exhibitum introductionis in terram promissionis. *Et fecit comedere eum*, populum, *de adipe tritici*. Iosuë 5. dicitur quòd filij Israël transito Iordane (hoc est ingressi terram promissionis) comederunt azymos panes & polentam eiusdem anni, defecitque manna, vt intelligas terram promissionis significari per hoc quòd dicitur, fecit eos comedere de adipe tritici.

Et de petra melle faciam saturare te. Iterum introducit Deum loquentem conferentem terram promissionis, significando eam à melle genito in petra. Promittitur terra promissionis, terra lacte & melle manans. Et propterea hîc meminit mellis. Quòd autem dicit *de petra*, dispositionem petrosam illius terræ tangit, non inutilem sed productiuam mellis : hoc est, frugiferam seu fructiferam. Futurum *saturabo*, respicit præteritum *fecit comedere* : quia hoc fuit consequens ad illud. Statim enim comederunt panes : & postea deleuerunt Chananæos, & potiti sunt terrâ tam fructiferâ. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus Asaph.*

LXXXI.

DEVS stetit in synagoga Deorum: in medio autem Deos diiudicat.

2 *Vsquequo iudicatis iniquitatem: & facies peccatorum sumitis?*

3 *Iudicate egeno & pupillo: humilem & pauperem iustificate.*

4 *Eripite pauperem & egenum: de manu peccatoris liberate.*

5 *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant: mouebuntur omnia fundamenta terræ.*

6 *Ego dixi dij estis: & filij excelsi omnes.*

7 *Vos autem sicut homines moriemini: & sicut vnus de principibus cadetis.*

8 *Surge Deus iudica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.*

IVXTA HEBRÆVM.

Psalmus Asapho.

LXXXII.

1 *Propheta.* DEVS † stans in congregatione Dei: in medio Deos iudicabit. † Dij.

2 Vsquequo iudicabitis iniquitatem: & facies impiorum suscipietis? *Selah.*

3 Iudicate pauperi & pupillo: egenum & inopem iustificate.

4 Saluate pauperem & mendicum: de manu impiorum liberate.

5 Non cognouerunt & non intelligent, in obscuritate ambulabunt: labentur omnia fundamẽta terræ.

6 Ego dixi, Dij vos, & filij excelsi omnes vos.

7 Verè tanquam Adam moriemini: & sicut vnus principum cadetis.

8 Surge Deus † iudica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. † Dij.

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Psalmus Asapho.* Qui patet ex supradictis.

Materia. Materia Psalmi nec ex titulo habetur, nec ex auctoritate Domini, qui Ioan.10. affert sextum huius Psalmi versiculum scilicet: *Ego dixi dij estis:* quoniam inde nihil aliud habetur nisi quòd verba hæc sunt vera, & quòd appellatione Deorum intelliguntur illi ad quos sermo Dei factus est: dum dicit: *si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura.* (Ioann.10.35) Quia enim sermo Dei factus est ad diuersos, & præcipuè ad Prophetas, de quibus non apparet Psalmum loqui, ideo hinc non certificatur materia Psalmi.

Ex discursu autem Psalmi apparet quòd sermo Psalmi dirigitur ad iudices, arguendo & monendo eos. Vnde iungendo verba Domini cum progressu Psalmi, infertur quòd non ad omnes iudices sed ad illos ad quos sermo Dei factus est (hoc est ad Iudices populi Israël) dirigitur sermo. Et si amplius perspectum fuerit, apparebit quòd ratio monitorij est iudicium vniuersale: quod tum in quinto tum in vltimo versiculo insinuatur: ac per hoc Psalmus iste ad literam tractat de aduentu Messiæ ad iudicium, introducens illum pro ratione arguendi monendique iudices populi Dei. Et hæc est ad literam materia Psalmi. (*Aduentus Christi ad iudicium.*)

SVMMARIVM EST.

PRopheta arguit & monet Iudices Israël, tum ratione diuinæ præsidentiæ, tum ratione diuini iudicij futuri, quòd Deus iudicabit terram hæres omnium gentium.

Persona loquens Propheta est.

DEVS STANS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *vsquequo.* Proponit duo. Primum præsidentiam Dei in populo Israël. *Deus stans,* præsidens, *in congregatione Dei,* hoc est, in populo Dei. Secundò vniuersale iudicium *In medio,* coram, publicè, *Deos,* id est, iudices, *iudicabit.* Exod.22. clarè patet iudices Deos appellari dum dicitur: *ad Deos vtriusque causa perueniet, & si illi iudicauerint.* &c. (VERS. 1. *Iudices, Dij appellantur.*) (Exod.22.)

Vers. 2. VSQVEQVO. Incipit hic pars executiua tali ordine. Primum monentur iudices circa actum iudicij. Secundò arguuntur cæcitatis circa ambo proposita, ibi, *non cognouerunt.* Monet autem prius reprehendendo iudicium iniquum. *Vsquequo iudicabitis iniquitatem?* Iniustum iudicium ex obiecto, est iudicare iniquitatem: cùm proprium obiectum iudicij sit iudicare iustum: immò iudicare est dicere ius, id est, iustum. *Et facies impiorum suscipietis?* Acceptio personarum reprehenditur: cùm deberent respicere ad causas respiciunt ad personas: & ad cumulum mali, impias.

Iudicate pauperi & pupillo. Reprehenso iniquo iudicio, præcipit iudicium iustum circa personas miserabiles & impotentes: vt à fortiori intelligas circa alios. *Iudicate,* ius dicite, *pauperi & pupillo,* quando sunt actores: *egenum & inopem*

pem iustificate, quando sunt conuenti. *Saluate pauperem & mendicum*, cùm opprimuntur: nec solum saluate: sed *de manu impiorum liberate*, liberos facite.

Non cognouerunt. Præmissâ monitione ad iudicandum, arguit cæcitatem eorum circa ambo proposita. *Non cognouerunt*, in præterito, *& non intelligent*: quia *in obscuritate ambulabunt*. Perseuerantia ambulandi in tenebris (hoc est operandi opera tenebrarum) ratio est quare iniqui iudices neque intellexerunt neque intelligent hæc duo, videlicet. *Labentur omnia fundamenta terræ*. Primum quod nolunt intelligere est futurum Dei iudicium: quod describitur à lapsu omnium fundamentorum terræ: non quantùm ad substantiam terræ, sed quantùm ad dispositionem quam habet: cessabunt enim tunc omnes motus cœlorum: qui sunt sustentantes terram, id est, totam elementarem sphæram in hac dispositione actiuorum & passiuorum, generationis & corruptionis.

Cessabunt omnes motus cœlorum.

Ego dixi dij vos. Alterum quod nolunt intelligere est celsitudo proprij officij: quòd scilicet exercent diuinum officium: quod tamen ego dixi eis. Propheta eis in persona docentis sacram scripturam ait: *Ego dixi*, aperui, manifestaui iudicibus populi: *Dij vos, & filij excelsi omnes vos*. Secundum Apostolicam doctrinam omnes iudices ministri sunt Dei, *ad vindictam malorum & laudem bonorum*, 1.Petr.2. sed iudices populi Israël præter hoc quòd erant ministri Dei (sicut & omnes alij iudices gentium) habebant hoc proprium quòd erant filij Dei & Dij. *Filij* quidem tanquam ab eo geniti: quia à Deo instituti erant Num. 11. Et *Dij*: quia ad eos sermo Dei factus est in prima eorum institutione: nam vt ibidem dicitur, *Auferens Dominus de spiritu qui erat in Moyse dedit 70. viris* ad sustentandum cum eo onus populi: *Cumque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt, nec vltra cessauerunt*. Factus præterea est sermo Dei ad iudices populi eius per instructionem diuinæ legis specialiter illis commissæ vt capitibus populi. Et vt intelligas quòd hæc gratia non est personæ sed officij, subdidit *omnes vos*, tam boni quàm mali iudices. Vbi videre potes ambo proposita: præsidentiam quidem diuinam, dicendo: *Dij estis & filij excelsi omnes vos*. Vnde & Iosaphath Rex 2 Paralip.19. præcipiens iudicibus, *videte*, ait, *quid faciatis: non enim hominis exercetis officium sed Domini*.

1.Petr.2.

Num.11.25.

2.Paralip.19

Verè tanquam Adam moriemini. Prosequitur ea quæ sunt futuri iudicij: declarando quòd impunitas eorum in præsenti vita non reddet eos securos: quoniam manet eos iudicium post hanc vitam. Impunitas itaque quam sæpe conspicimus, significatur à simili morte & casu sicut cæteri moriuntur & cadunt. *Verè sicut Adam*, sicut homo, *moriemini*: hoc est, non deteriori morte moriemini vos quàm alij homines: *& sicut vnus principum*, hoc est sicut alij principes, *cadetis*, à principatu: vel per exauctorationem vel per mortem, &c.

Surge Deus, more surgentis ab otio te habe, *iudica terram*, non hanc vel illam, ne impunes sint iniqui iudices: *Quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus*. Hinc apparet quòd de Messia loquitur Propheta: nam Deus futurus hæres in omnibus gentibus, Messias est: iuxta illud secundi Psalmi, *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*. Vnde non dixit: Tu hæreditabis bona omnium gentium, sed *in omnibus gentibus*: quoniam ipsæ gentes erunt hæreditas eius: ipse est enim quem (ad Hebr.1.) constituit Deus hæredem vniuersorum. Hoc desiderans Propheta adimpleri, supplicantis affectu introducit futurum iudicium. *Surge Deus iudica terram*: quoniam illo iudicio hæreditabis, hæres eris, in omnibus gentibus, quibusdam amore, quibusdam subiectione: omnes enim gentes tam damnatæ quàm beatæ erunt ipsius: sed illæ iunctæ amore amicitiæ, istæ possessæ vt seruæ. Amen.

Psalm.2.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Canticum Psalmus Asaph.*	Canticum Psalmi Asapho.
LXXXII.	LXXXIII.
2 *DEVS quis similis erit tibi? ne taceas neque compescaris Deus.*	1 *Propheta.* DEvs † ne tace tibi: ne obsurdesce & ne quiesce Deus. († Dij.)
3 *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: & qui oderunt te extulerunt caput.*	2 Quia ecce inimici tui tumultuabuntur: & osores tui eleuauerunt caput.
4 *Super populum tuum malignauerunt consilium: & cogitauerunt aduersus sanctos tuos.*	3 Super populum tuum callebunt secretum: & consiliabuntur super reconditos tuos.
5 *Dixerunt: venite & disperdamus eos de gente: & non memoretur nomen Israël vltra.*	4 Dixerunt. *Vox hostium recitata.* Venite & desolemus eos de gente: & non memorabitur nomen Israël vltra.
6 *Quoniam cogitauerunt vnanimiter simul: aduersum te testamentum disposuerunt.*	5 *Propheta.* Quoniam consiliati sunt corde pariter: super te fœdus ferient.

6 Tentoria

7 *Tabernacula Idumaeorum & Ismaëlitæ: Moab & Agareni.*

8 *Gebal & Ammon, & Amalech: alienigenæ cum habitantibus Tyrum.*

9 *Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filiis Lot.*

10 *Fac illis sicut Madian & Sisaræ: sicut Iabin in torrente Cisson.*

11 *Disperierunt in Endor: facti sunt vt stercus terræ.*

12 *Pone principes eorum sicut Oreb: & Zeb & Zebee & Salmana.*

13 *Omnes principes eorum qui dixerunt: hæreditate possideamus sanctuarium Dei.*

14 *Deus meus pone illos vt rotam: & sicut stipulam ante faciem venti.*

15 *Sicut ignis qui comburit syluam: & sicut flamma comburens montes.*

16 *Ita persequeris illos in tempestate tua: & in ira tua turbabis eos.*

17 *Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum Domine.*

18 *Erubescant & conturbentur in seculum seculi: & confundantur & pereant.*

19 *Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus altissimus in omni terra.*

6 Tentoria Edom & Ismaëlitarum: Moab & Agareni.

7 Ghebal & Ammon & Amalec: Palæstina cum habitatoribus Zor.

8 Etiam Assur associatus est cum eis: fuerunt brachium filiis Lot. *Selah.*

9 Fac illis sicut Madian sicut Sisaræ: sicut Iabin in flumine Chison.

10 Destructi sunt in fonte Dor: fuerunt sterquilinium terræ.

11 Pone ipsos duces eorum sicut Oreb, sicut Zeeb, sicut Zenach, sicut Salmona: omnes principes eorum.

12 Qui dixerunt. *Vox hostium recitata.* Hæreditabimus nobis habitacula Dei †. † *Deorum.*

13 *Propheta.* Deus meus pone eos vt rotam: quasi glumam faciebus venti.

14 Velut igne combures syluam: & sicut flamma inflammabis mõtes.

15 Sic sequeris eos in tempestate tua: & in turbine tuo terrebis eos

16 Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum Domine +.

17 Confundentur & terrebuntur vsque semper: & erubescent & peribunt.

18 Et scient quia tu (es cui) nomen tuum (proprium) Dominus +: solus tu excelsus super omnem terram.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Canticum Psalmi Asapho.* De quo vt suprà.

Materia. Circa materiam Psalmi apparet ex ipso Psalmo quòd tractatur de bello quod fuit tempore Dauidis: & scriptum est 2. Reg. 10. 11. & 12. & tangitur 2. Reg. 8. quando scilicet Anon rex Ammonitarum ignominiosè tractauit legatos Dauidis, & propterea conduxit multas nationes secum ad pugnandum contra Dauidem.

Hoc autem bellum esse materiam Psalmi huius, apparet tum ex confœderatione nationum in Psalmo nominatarum, expressè siquidem in Psalmo explicantur decem nationes confœderatæ contra Israël. Et ne libera tribuatur interpretandi facultas, expressè subiungitur statim post nominatos confœderatos: *fuerunt brachium filiis Lot.* Vbi apertissime explicat omnes confœderatos ad hoc fuisse confœderatos vt essent velut brachium Ammonitis: quos constat esse filios Lot. Testatur enim historia libri Regum quòd videntes filij Ammon quod iniuriam fecissent Dauidi, miserunt & conduxerunt mercede Syrum Rooh & Syrum Soba, viginti millia peditum, & à Rege Maacha mille viros, & ab Istob decem millia virorum. Et postea subditur quòd Adadezer eduxit Syros qui erant trans fluuium. Et rursus: videntes autem vniuersi reges qui erant in præsidio Adadezer se victos esse ab Israël, expauerunt & fugerunt &c. timuerunt-que Syri auxilium præbere filiis Ammon. Quod autem nationes quæ hic nominantur confœderatæ in auxilium filiorum Lot, sint illæmet quas subegit Dauid, testatur capitulum octauum secundi Regum, vbi explicantur septem illarum nationum subactæ à Dauide scilicet Moab, Ammon, Philistiim, Amalec, Edom, Ghebal, Assur. Et tres aliæ (scilicet Zor, Ismaëlitæ, & Agareni) implicite vt puto comprehenduntur sub Syriæ nomine & dominio adepto vsque ad Euphraten. Ismaëlitæ enim & Agareni fortè ideò in libro Regum tacentur, quia terræ eorum non fuerunt subactæ: vtpote remotiores: quamuis ipsi auxiliares filiis Lot, fuerint superati. Zor autem si pars est vt dicitur Syriæ, sub Syria comprehenditur.

Bellum Dauidis in Ammonitas & Syros.

Tum ex victoria insinuata in Psalmo. Ideo enim dicitur *fac illis sicut Madian,* &c. vt intelligamus omnes gentes istas confœderatas fuisse victas Et verè factum est illis nationibus sicut Madian & Sisaræ, &c. Tum ex ignominia petita: imple facies eorum ignominia. Hoc enim directè respondet ignominiæ illatæ à filiis Ammon legatis Dauidis, radendo medias eorum barbas & præcidendo vestes vsque ad nates. Nec obstat quòd Psalmus describit nationes istas confœderatas contra Deum, *vt non memoretur nomen Israel vltra.* Testatur siquidem Ioab bellum hoc contra Deum esse, dicens Abisai fratri suo 2. Reg. 10. *Esto vir fortis & pugnemus pro populo nostro & ciuitate Dei nostri.* 2. Reg. 10.

Est

Est igitur materia Psalmi ad literam recursus Dauidis ad Deum in bello tot nationum confœderatarum aduersus eum pro Ammonitis.

SVMMARIVM EST.

Propheta contra confœderatas nationes decem ad delendum populum Dei, supplicat Deo vt faciat illis gentibus sicut olim fecit Madianitis & Chananæis: quia sic superstites quærent & cognoscent ipsum solum esse Dominum & excelsum super omnem terram.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. DEVS NE TACE TIBI. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *quia ecce inimici.* Proponit tria, sic ordinanda quòd secundum primum teneat locum, scilicet, *Deus ne obsurdesce*, ne agas surdum, ne tanquam surdus adsis petitionibus nostris. Secundum: *ne tace tibi.* Dicere Dei est, facere: & consequenter tacere Dei est non facere. Vnde supplicando *ne tace*, supplicat vt faciat sibi, ciuitati suæ, templo seu tabernaculo suo, populo suo. Causam populi arrogat Deo: vt humano more loquendo facilius impetret: & quia in veritate contra honorem diuinum fuisset oppressio populi in causa tam iusta; & quod plus est omnibus, quia hostium maligna intentio populum colentem vnum Deum intendebat desolare. Tertium: *Et ne quiesce Deus:* hoc est, prosequere, ne desistas. Ac si apertè diceret: fac pro populo tuo, & non desistas adiuuando nos & deuastando hostes.

Dicere Dei est facere: Tacere verò est non facere.

Vers. 2. QVIA ECCE. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primùm tractatur illa particula *ne obsurdesce.* Secundò illa, *ne tace tibi*, ibi, *quoniam consiliati sunt.* Tertiò illa, *& ne quiesce*, ibi, *Deus meus pone.*

Supplicando itaque ne obsurdescat, affert primò rationem ex parte insurgentium. *Quia ecce inimici tui tumultuabuntur*, more accensorum ad inuadendum: *& osores tui eleuauerunt caput*, in superbiam elati.

Secundò ex parte patientium. *Super populum tuum callebunt secretum.* Ammonitæ temerè iudicantes secretum cordis Dauidis (scilicet quòd legatos non humanitatis officio sed explorandi gratiâ miserit ad Anon regem) significantur, callidè interpretantes secretum quod non erat. *Et consiliabuntur super reconditos tuos*, filios Israël sub tua protectione susceptos.

Tertiò ab insurgentium proposito. *Dixerunt*, definierunt Ammonitæ: hoc scilicet, *venite*, confœderati, *& desolemus eos*, Hebræos, *de gente*, hoc est, vt non sit gens: *& non memorabitur nomen Israël vltra.* Ex quo apparet quo tendebant Ammonitæ: ad bellum scilicet offensiuum & exterminatiuum Israëlis. Ex quibus tribus apparet congruè supplicari Deo ne obsurdescat.

Vers. 5. QVONIAM CONSILIATI SVNT. Tractatur hîc illa particula, *ne tace tibi:* excitando primo Deum à multitudine confœderatorum contra ipsum Deum. *Quoniam consiliati sunt corde*, non ore tantùm, *pariter*, simul: *super te*, debellandum, *fœdus ferient.* Futurum *ferient*, respicit præteritum *consiliati sunt.*

Tentoria Edom (ecce decem nationes confœderatæ) *& Ismaelitarum, Moab.* Istæ gentes claræ sunt: nam *Edom* sunt Idumæi ab Esau: *Ismaelitæ* ab Ismaële filio Abrahæ: *Moab*, Moabitæ à Moab filio Lot. *Et Agareni.* Hi ab Agar concubina Abrahæ, nomen matris retinuerunt. *Ghebal*, hi sunt de quibus 2 Reg. 8. dicitur quòd Dauid percussit & in Gebelem ad viginti tria millia. Et nihil aliud de istis inuenio. *Et Ammon*, Ammonitæ ab Ammon altero filio Lot: *& Amalech:* Amalechitæ, ab Amalech nepote Esau: *Palæstinorum:* hi sunt Philistæi. *Cum habitatoribus Zor.* Aiunt Zor esse Tyrum. Sed minus consonat historiæ: quoniam rex Tyri iunctus amicitiâ cum Dauide scribitur 3. Reg. 5. *Etiam Assur* (Assyrij ab Assur filio Sem significantur qui in libro Regum dicuntur Syri diuersis cognominibus: vt ibidem patet. Syria enim & Assyria nomina eiusdem regionis dicuntur, diuisæ in multas partes: quarum fortè superior pars Assyria vocata est) *affectatus est cum eis.* Duxit enim Adadezer rex Soba etiam Syros vltra Euphraten: qui forte speciali nomine Assyrij dicebantur. *Fuerunt brachium*, tanquam instrumentum, *filiis Lot*, Ammonitis.

Decem nationes confœderatæ in Iudæos.

Syria & Assyria eadem regio.

Quoniam inquam, hi omnes *ferierunt fœdus contra te*, ideo *fac illis sicut Madian:* Excitato Deo à fœdere decem nationum contra ipsum, petit modò Propheta vt faciat illis sicut olim fecit aliis hostibus suis. Et commemorat specialiter Madian & Iabin. *Madian* bis legitur mirabiliter deuastatus. Primò tempore Moysi Num. 31. quando missis duodecim millibus pugnatorum exterminarunt Madianitas, & nec vnus quidem Israëlitarum occisus est. Alterâ vice tempore Gedeonis, Iudic. 7. & 8. quando Gedeon cum trecentis viris aggressus est exercitum Madianitarum cum aliis Orientalibus. De vtraque prostratione potest intelligi: *fac illis sicut Madian*, id est, Madianitis à Madian filio Abrahæ ex Cethura vxore. Genes. 25. *Sicut Sisare*, principi exercitus Iabin regis Chanaan, Iudic. 4. Et tangitur prostratio exercitus eius tempore Delboræ & Barac, ibidem scripta. Vnde sequitur *sicut Iabin*, hoc est, exercitui Iabin, *in flumine Chison.*

Madian bis ab Hebræis deuastatus.

Destructi sunt in fonte Dor: nomen est loci. Sed aduerte hîc quòd hîc sunt duæ dictiones: altera *En*, hoc est fons seu latitudo: altera *Dor*, quod est nomen proprium loci. Inuenitur tamen alibi (scilicet 1. Reg. 28.) *Endor* vna dictio secundùm Iosephum in fine sexti lib. Antiquit. nomen proprium ciuitatis in qua erat Pythonissa consulta à Saule: & fortè ciuitas illa à fonte *Dor* denominata est *Endor*. *Fuerunt sterquilinium terræ*, in casu datiuo: hoc est, cadauera eorum inhumata, fuerunt vt sterquilinium ad impinguandum terram.

Endor quid.

Pone ipsos duces eorum. Prostrationi exercituum adiungit prostrationem ducum eorum: vt non tantùm in exercitus, sed in principes eorum vindicta fiat. *Pone ipsos duces eorum sicut Oreb, sicut Zeeb, sicut Zebeb, sicut Salmana.* Nomina sunt hæc principum exercitus Madian & Orientalium, qui fuerunt tunc occisi à Gedeone & Ephraim: vt ibi dicitur. *Omnes*, nullo excepto, *principes eorum. Qui dixerunt: hæreditabimus nobis habitacula Dei*, terram promissionis: quæ erat velut habitatio Dei: pro quanto Deus appellabat terram illam suam, vt habitaret nomen suum ibi per cultum, &c.

Vers. 13. DEVS MEVS. Tractatur hîc illa particula, *& ne quiesce Deus:* supplicando pro exterminatrice

terminatrice vindicta. *Deus meus pone eos vt rotam, quasi glumam facie bus venti.* Appellatione rotæ intellige similitudinem rotæ, coloris albi, naturæ leuissimæ, consurgentem ex flore cardui ad perfectionem perducto, quæ à vento facillimè impellitur: vt ad sensum videmus. Vnde solus ventus commemoratur mouens tam respectu huiusmodi rotæ quàm respectu glumæ, quæ est folliculus frumenti. Et intendit per has metaphoras quòd absque difficultate eiiciat Deus exercitus istos.

Rota quid hic significet?

Velut igne combures syluam, & sicut flamma inflammabis montes: sic sequeris eos in tempestate tua. Claræ sunt similitudines: allatæ ad hoc quòd sicut sine delectu mediante igne Deus comburit syluam & flamma montes, cùm accenditur ignis in syluis aut in montibus, ita sine delectu omnes istos persequatur hostes. Et explicat persecutionem ad similitudinem tempestatis & turbinis: non solum ad denotandam vehementiam diuinæ persecutionis tanquam desuper venientis, sed ad petendum executionem similem executioni factæ contra Chananæos, Iudic. 4. quando perterruit eos Dominus intantum vt Sisara de curru exiliens, pedibus fugeret; & contra Orientales, Iudic. 7. quando omnia castra eorum turbata sunt, & vociferantes vlulantesque fugerunt.

Diuina vltio sicut tempestas & turbo.

Imple facies eorum. Non sufficit Prophetæ vt pereant, sed petit vt ignominiosè pereant, sicut ipsi ignominiam intulerunt legatis. *Et quærent nomen tuum Domine.* Ecce quorsum petit vindictam, vt superstites quærant nomen Domini. Nouerat Propheta inimicos non trahi ad quærendum nomen Domini amore, sed timore, sed verberibus & afflictionibus: & propterea tanquam eis vtile & Deo honorabile, petit vt impleat facies eorum ignominia, & sic quærent nomen Dei nosse & honorare.

Confundentur & conturbentur. Describit effectus punitionis diuinæ, vt manifestet fructum eorum. *Confundentur* non assequentes intentum, *& terrebuntur* (ad literam Syri timuerunt præbere amplius auxilium) non ad horam sed vsque semper, quantum est ex natura facti: *& erubescent,* ob ignominiam, *& peribunt:* magna enim multitudo periit: hi enim sunt effectus persecutionis diuinæ.

Et scient. Ecce fructus. *Et scient,* superstites, *quia tu,* supple es qui pugnas pro nobis: rursus scient *quia nomen tuum,* tibi proprium, *Dominus,* non horum aut illorum sed *Dominus,* absolutè, hoc est vniuersorum: & iterum scient *quia solus tu,* & alius nullus Deus aut homo, *excelsus super omnem terram,* vtpote non habens parem. Hic est fructus desiderabilis à sanctis: vtpote vtilis hominibus & honorem exhibens Deo. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori pro torcularibus filiis Core Psalmus.*	Vincenti super Ghithith filiis Core Psalmus.
LXXXIII.	LXXXIV.
2 3 *QVAM dilecta tabernacula tua Domine virtutum? concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*	1 *Propheta.* QVAM dilecta tabernacula tua, Domine † exercituum?
Cor meum & caro mea: exultauerunt in Deum viuum.	2 Concupiuit & etiam consumpta est anima mea atriis Domini: cor meum & caro mea laudabunt ad Deum viuum.
4 *Etenim passer inuenit sibi domum: & turtur nidũ sibi vbi ponat pullos suos.*	3 Etiam passer inuenit domum, & hirundo nidum sibi in quo posuit pullos suos: altaria tua Domine † exercituum, rex meus & Deus meus.
Altaria tua Domine virtutum: rex meus & Deus meus.	
5 *Beati qui habitant in domo tua: in secula seculorum laudabunt te.*	4 Beatitudines habitatorum domus tuæ: adhuc laudabunt te. *Selah.*
6 7 *Beatus vir cuius est auxilium abs te: ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit.*	5 Beatitudines hominis cui est fortitudo ipsi in te: eleuationes erunt in corde eorum.
	6 Transeuntes in valle fletus fontem ponent illam: etiam benedictionibus amicietur doctor.
8 *Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.*	7 Ibunt de fortitudine ad fortitudinem: apparebit ad Deum † in Siõ.

† *Deos.*

8 Domine

9 Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.
10 Protector noster aspice Deus: & respice in faciem christi tui.
11 Quia melior est dies vna in atrijs tuis: super millia.
Elegi abiectus esse in domo Dei mei: magis quã habitare in tabernaculis peccatorũ.
12 Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.
13 Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum beatus homo qui sperat in te.

8 Domine [4] Deus † exercituum audi orationem meam: ausculta Deus Iacob. *Selah.* † Dij.
9 Clypeus noster vide Deus †: & respice facies christi tui. † Dij.
10 Quoniam bonus dies in atriis tuis super mille: elegi esse ad limen in domo Dei mei magis quàm habitare in tentoriis impietatis.
11 Quia sol & scutũ Dominus [4] Deus †: gratiam & honorem dabit Dominus, non prohibebit bonum ambulantibus in perfectionibus. † Dij.
12 Domine [4] exercituum: beatitudines hominis confidentis in te.

COMMENTARIVS.

TItulus est, *Vincenti super ghithith filijs Core Psalmus.* *Ghithith* instrumentum dicitur musicum denominatum ab vrbe Gath. Filij Core inter cantatores computantur, denominati à patre seditioso seu schismatico contra sacerdotium Aaron Num. 16. eâ etiam ratione quia vt dicitur Num. 26. *factum est grande miraculum vt pereunte Core non perirent filij eius.* Significatur itaque quòd Psalmus iste deputatus est cantandus à filiis Core super illo instrumento musico: vel quòd filij Core materiam Psalmi præbuerunt. *Num. 26. 10.*

Materia. Templũ Dei. Materia Psalmi (vt ex ipso colligitur Psalmo) est templum Dei vt amabile, desiderabile ac delectabile: clara enim mentio atriorum & altarium & apparitionis coram Deo in Sion, testatur quòd de Templo Dei in Sion est sermo ad literã.

SVMMARIVM EST.

PRopheta domum Dei & illius atria amabilia describit ex Deo viuo, ex altaribus, ex tam habitantium quàm concurrentium beatitudine, & ex doctrina: ita quòd elegit melius esse in limine domus Dei quàm in penetralibus impiorum: profitens beatos esse confidentes in Deo, quia Dominus sol, scutum, largitor gratiæ & honoris, &c. est.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. QVAM DILECTA. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *cor meum.* Proponit duo. Alterum ex parte templi Dei: quod scilicet est dilectum: *Quàm dilecta tabernacula tua.* Pluraliter dixit, *tabernacula*, propter diuisionem inter Sanctum & Sanctum sanctorum. Vel quia iam multiplicata erant, nam Dauid non transtulit tabernaculum quod fecerat Moyses in Sion: sed construxit aliud, transferendo arcam in tabernaculum nouum. Ad significandum ergo & quòd prius tabernaculum fuit dilectum, & quòd nouum tabernaculum est dilectum, dixit pluraliter, *tabernacula.* Quamuis etiam hoc possit intelligi ratione adiunctorum habitaculorum: quæ erant habitacula ministrorum templi. Alterum ex parte Prophetæ, scilicet desiderium & delectatio. *Concupiuit & etiam consumpta est anima mea atrijs Domini*, construẽdis seu habitandis. Animæ consumptio magnitudinem affectus significat ad manendum in atriis Domini: aut magnitudinem delectationis, vsque adeo vt videatur consumi anima, hoc est, abstrahi ab operationibus animalibus: vt contingit in ecstasi: & ad literam explicatur magnitudo affectus Dauidis ad domum Dei. *Cur pluraliter dicit Tabernacula?*

Vers. 2. COR MEVM. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *quàm dilecta tabernacula tua.* Secundò illa, *concupiuit, & etiam consumpta est*, ibi, *Domine Deus.*

Tractatur itaque amabilitas domus Dei ex capitibus sex. Primò ex parte Dei: declarando quòd Deus est ratio totius amoris & cultus templi. *Cor meum*, mens mea, *& caro mea.* Siue per carnem intelligas partem sensitiuam, siue etiam carnalia membra, de vtrisque enim verificatur quòd *cantabo laudando Deum:* Dauid enim etiam corporali ministerio laudauit Deum in translatione arcæ: vt patet 2. Regum 6. Et dictio Hebraica quæ hîc ponitur, significat laudem mixtam cantui. *Amabilitas domus Dei ex sex capitibus.*

Etiam passer. Secundò ex parte altaris, sumptâ metaphorâ ab auibus quoad duo: hoc est, *habitaculum*, pro eis, & *nidum* pro pullis earum. Ita quòd comparantur altaria & habitaculo & nido: quia præstant bonum homini pro se & pro genere: & cum hoc describitur delectatio Dauidis in sacrificiis Dei quemadmodum delectantur aues inuento habitaculo & inuento nido. *Altaria* dicit: quia in rei veritate plura erant altaria: aliud enim erat altare holocaustorum, & aliud altare thymiamatis. *Rex meus & Deus meus.* Gratias agendo de tanto beneficio, appellat regem à regendo, quia prouidit nobis de altaribus conferentibus & quod est domus & quod est nidi: & Deũ ratione cultus qui exhibetur super altaribus.

Beatitudines. Tertiò à beatitudine habitantium in domo Dei. *Beatitudines*, in spe, sunt *habitatorum domus tuæ*, Sacerdotum, Leuitarum, & vniuersaliter ministrorũ tuorum: quia *adhuc*, hoc est, sine cessatione, *laudabunt te.* Propriè aduerbiũ *adhuc*, significat semper superesse futurã laudem. Quod constat adimpleri in successiuis laudibus Dei in hac vita: quia laus succedit laudi.

Beatitudines hominis. Quartò à beatitudine communi omnibus concurrentibus ad domum Dei in veritate cordis sui. *Beatitudines*, in spe, sunt *hominis fortitudo ipsi in te:* hoc est, cuius fortitudo

titudo est in te,non in seipso: hoc est, non ponit in seipso spem, confidendo in viribus humanis, sed fortitudinem suam ponit in Deo. Ita quòd denominantur verè concurrentes ad Deũ, ex cordis proprij æstimatione,quâ Deum recognoscunt esse fortitudinem suam. *Quia eleuationes in corde eorum*, non habent corda depressa ad terrena tales homines,sed eleuata ad ea quæ Dei sunt.

Vallis fletus.

Transeuntes in valle fletus. Quintò à fiducia afflictorum: ex hoc scilicet quòd afflicti transeuntes in valle fletus(omnia afflictionum genera comprehendit in valle fletus, & omnes afflictos comprehendit,dicendo, *transeũtes in valle fletus*) *fontem ponent illam*:scilicet domum Dei:habebũt enim domum Dei vt fontem refrigerij,vt locum consolationum, vt locum ad quem suspirabunt vt ad fontem gratiarum & consolationum. At si textus iste meminit certi loci qui Iudic. 2. appellatur *locus flentium*(pro eo quòd omnis Israël reprehensus ibi ab Angelo quòd violassent fœdus diuinum in sui ruinam, fleuerint) tractatur hic amabilitas domus Dei ab affluentia bonorum inde proueniente. Et est sensus quòd Israëlitæ videntes affluentiam diuinorum beneficiorum ex templo Dei, transeuntes in valle fletus (hoc est, recordati violati fœderis diuini & diuinarũ monitionum ac comminationum:sicut illi transeuntes per illam vallem, fleuerunt ex loco recordantur)non solùm flebunt,sed fontem lachrymarum ponent, efficient illam vallem, recognoscendo quantum damnum incurrerunt tanto tempore, sustinentes idola: ex affluentia enim diuinorum beneficiorum ex cultu in domo Domini, conuicti quòd abundassent bonis si Deum coluissent, tanta abundantia lachrymarum effluent quòd fontem non locum lachrymarum efficient vallem illam.

Doctores benedictionibus vestiti.

Sextò à cõditionibus doctorum in domo Domini. *Etiam benedictionibus amicietur doctor*:hoc est, erunt doctores vestiti benedictionibus internarum virtutum, id est, erunt doctores præditi virtutibus,docentes non solùm verbo sed vitâ & exemplo. Et ecce fructus talium doctorum. *Ibunt*, populi discentes, *de fortitudine ad fortitudinem*,& non de fortitudine ad otium aut ingratitudinem,sed progredientur de fortiter gestis ad alia fortiter gerenda: & tandem *apparebit*,quilibet eorum,*ad Deum in Sion*, loco templi,cultum exhibendo,gratias agendo,&c.

Vers. 8. DOMINE DEVS EXERCITVVM. Tractatur hîc illa particula,*concupiuit,& etiam consumpta est anima mea atrijs Domini*,tali ordine. Primò petit quod hîc concupiuit. *Audi orationem meam, ausculta Deus Iacob: clypeus noster vide Deus,& respice faciem christi tui*,Dauidis.Hoc est, quod desiderauit:vt Deus respiciat benigno oculo faciem Dauidis apparentis coram se in templo seu tabernaculo Dei. Humano more petitionem explicat: quo quos diligimus respicimus in facie,exosos autem non respicimus.

Secundò rationẽ reddit quare concupiuit atriis Domini. *Quoniam bonus dies*, supple vnicus, *in atrijs tuis super mille*,dies alibi: ideo *elegi esse ad limen in domo Dei mei magis quàm habitare in tentorijs impietatis*. Et consistit ratio maioris boni, tum quia dies vnus in atriis Dei est bonus animę, habitatio autem cum impiis est mala animæ:tum quia etiam bona temporalia cultus Dei tunc temporis præstabat, multo potentius quàm societas impiorum. Aduerte hic quòd dictio Hebraica quam interpretes exponendo dixerunt *esse ad limen*, sonat si Latina lingua admitteret *liminare* infinitiuum.

Tertiò à conditionibus Dei: *Quia sol*,iustitiæ & omnis veritatis, *& scutum*, contra cuncta aduersantia, *Dominus Deus*:rursus quia *gratiam*,tam internam quàm externam, *& honorem dabit Dominus*:item quia *non prohibebit bonum ambulantibus in perfectionibus*, morum,vitæ, cultúsque diuini. Ideo *Domine exercituum*, *beatitudines sunt hominis confidentis in te*. Collige triplex genus beneficij descriptum:& perspicies meritò illatum quòd beatitudines in spe sunt cuiuslibet qui confidens est in Deo: vtpote habens Deum pro sole & scuto, vtpote obtenturus gratiam & honorem etiam coram hominibus,vtpote cui accumulanda sunt bona animæ & corporis & in hac vita & in alia. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori filiorum Core Psalmus.*

LXXXIV.

2 BENEDIXISTI *Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob.*

3 *Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.*

4 *Mitigasti omnem iram tuam: auertisti ab ira indignationis tuæ.*

5 *Conuerte nos Deus salutaris noster: & auerte iram tuam à nobis.*

6 *Nunquid in æternum irasceris nobis: aut extendes iram tuam à generatione in generationem.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti filiis Core Psalmus.

LXXXV.

1 *Propheta.* VOLVISTI Domine terram tuam: reduxisti captiuitatem Iacob.

2 Condonasti iniquitatem populo tuo; operuisti omne peccatum eorum. *Selah.*

3 Collegisti omnem iram tuam: fecisti redire ab indignatione furorẽ tuũ.

4 Reduc nos Deus salutis nostræ: & frange iram tuam nobiscum.

5 Nunquid æterno indignaberis in nobis: protrahes iram tuam generationi & generationi?

6 Nonne

7 *Deus tu conuersus viuificabis nos : & plebs tua lætabitur in te.*
8 *Ostende nobis Domine misericordiam tuam : & salutare tuum da nobis.*
9 *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam.*
Et super sanctos suos : & in eos qui conuertuntur ad cor.
10 *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius : vt inhabitet gloria in terra nostra.*
11 *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi : iustitia & pax osculatæ sunt.*
12 *Veritas de terra orta est : & iustitia de cælo prospexit.*
13 *Etenim Dominus dabit benignitatem : & terra nostra dabit fructum suum.*
14 *Iustitia ante eum ambulabit : & ponet in via gressus suos.*

6 Nōne tu reuerteris, nonne viuificabis nos ? & populus tuus lætabuntur in te.
7 Fac nos videre Domine gratiā tuam : & salutem tuam da nobis.
8 Audiam quid loquetur ipse Deus Dominus[a]: quoniam loquetur pacem ad populum suum & ad gratiosos suos, & non reuertentur ad stultitiam.
9 Tantum prope timentes † eius salus ipsius : ad habitandum honor in terra nostra. †timentibus
10 Gratia & veritas obuiauerunt : iustitia & pax osculatæ sunt.
11 Veritas de terra germinabit : & iustitia de cælis prospecta est.
12 Etiam Dominus + dabit ipsum bonum : & terra nostra dabit fructum suum.
13 Iustitia faciebus eius ibit : & ponet viæ gressus eius.

COMMENTARIVS.

Titulus est : *Vincenti filiis Core Psalmus.* De quo vt suprà.

Materia. Materia Psalmi (vt verba Psalmi præ se ferunt) est redemptio quæ tunc expectabatur per Messiā. Ad cuius euidentiam aduertendum est, Psalmum tractare duas captiuitates. *Duæ Iudæorū captiuitates hic tractantur.* Alteram præteritam, in primis tribus versiculis: alteram futuram, quantùm ad redemptionem à quarto versiculo vsque ad finem. Et de præterita non est quæstio : cùm constet esse reductionem ex seruitute Ægyptiaca: de futura autem in dubium vertitur an sit Babylonica captiuitas, an captiuitas quæ expectabatur redimenda per Messiam.

Apparet autem ex duobus quòd non sit sermo de reductione ex captiuitate Babylonica, sed de redemptione per Messiam. Primò ex pace hîc prophetatâ. Redeuntes enim ex captiuitate Babylonica non habuerunt tantam pacem, quanta hic describitur, nam & impediti sunt ædificare templum cœptum ab hominibus & Cambyse rege Persarum, 1. Regum 4. & postea licentiâ obtenta à Dario ædificandi, nihilominus tanto timore hostium premebantur quòd vnâ manu ædificabant murum Hierusalem, & altera faciebant opus, Nehemiæ 4. Secundò ex iustitia descripta, seu prophetata : nam tunc qui redierunt ex captiuitate non habuerunt iustitiam ante oculos suos, sed vt patet 1. Esdræ 9. & Principes & Sacerdotes & Leuitæ & populus transgressi sunt mandata Dei, miscentes semen sanctum cum prohibitis gentibus : Ethæis, Pherezæis, Iebusæis &c. Quia itaque ea quæ prophetantur in Psalmo dissonant ab iis quæ acciderunt in reductis ex captiuitate Babylonica, & valde consonant redemptioni per Messiam (quæ iustitiam, pacem, gratiam & veritatem secum tulit plenissimè) ideo materia Psalmi ad literam est redemptio tunc à patribus expectata adimplenda per Messiam. Vnde & in textu non describitur captiuitas vt futura, sed vt præsens, liberatio autem vt futura: vt patet intuenti.

SVMMARIVM EST.

Propheta pro redimenda per Messiam humani generis captiuitate supplicans, describit Messiæ præsentiam à prædicatione pacis, à concursu gratiæ & veritatis, iustitiæ & pacis : cum fructificatione pacis & cælestis iustitia, &c.

Persona loquens Propheta est.

Volvisti Domine. Diuiditur Psalmus in partes duas : propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *nunquid æterno.* Proponendo materiam commemorat prius simile antiquum beneficium Dei: scilicet eductionem populi de Ægypto in terram promissionis. *Voluisti Domine,* habitare. Genes. 15. differre se dicit Deus executionem habitandi terram promissionis, quia *nondum sunt completæ iniquitates Amorrhæorum :* quibus completis habitauit Deus terram promissionis per populum suum. Et ideo tanquam iam aduenerit tempus habitādi dicit Propheta *Voluisti Domine,* supple habitare per populum tuum, *terram tuam,* hoc est, terram promissionis: iuxta illud Leuit. 25. *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ & coloni estis.* *Reduxisti captiuitatem Iacob*, populi Israël ex seruitute Ægyptiaca. Et dicit *reduxisti :* quia Genes. 15. promittitur, *generatione quartâ reuertentur huc. Condonasti iniquitatem populo tuo.* In itinere dum populus reduceretur à Deo in terram in qua prius fuerant patres eius, peccauit populus pluries : ita quòd merebatur non introduci in terram promissam: & propterea hîc dicitur quòd non obstantibus peccatis Deus reduxit eos. *Operuisti omne peccatum eorum.* Vbi multitudinem peccatorum in itinere commissorum significat. *Collegisti omnem iram tuam*, à dispersione populi:

Vers. 1.
Leuit. 25.

fecisti redire ab indignatione furorem tuum, quo volebas populum disperdere.

Reduc nos. Postquam redemisti ex Ægypto & condonasti tot crimina, superest vt reducas nos. de captiuitate peccati, *Deus salutis nostræ: & frange iram tuam nobiscum*, quam contra nos habes ex communi generis humani peccato. Et hæc duo sunt quæ proponit: quæ sancti patres expectabant adimplenda per Messiam.

Vers. 5. NVNQVID ÆTERNO. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *frange iram tuam nobiscum.* Secundò illa, *reduc nos Deus salutis nostræ*, ibi, *audiam quid loquetur.* Fractionem iræ tractat à terminatione illius. *Nunquid æterno indignaberis in nobis?* quasi dicat, absit: *protrahes*, hoc est, nunquid protrahes, *iram tuam generationi & generationi*, successiuè, sine fine? quasi dicat, absit.

Nonne tu reuerteris. More humano loquitur, tanquam indignatus abierit Deus, quòd quandoque reuertetur. Et intendit quòd recessit subtrahendo gratiam, reuertetur conferendo eam. *Viuificabis nos*, hoc est, nonne tu viuificabis nos, vitâ gratiæ: *& populus tuus lætabuntur* (constructio de significato) *in te*: effectus internæ vitæ spiritualis est lætitia in Deo. *Fac nos videre Domine gratiam tuam.* Non solùm terminabitur ira tua, sed cum prouentu gratiæ tuæ. Perspice in hac petitione quod Dominus ait: *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt. Et salutem tuam dabis nobis*, non solùm videbimus gratiam tuam, sed dabis cum illa salutem, non humanam, sed tuam.

Lætitia in Deo est effectus internæ vitæ.

Vers. 8. AVDIAM QVID LOQVETVR. Tractatur hîc illa particula, *reduc nos Deus salutis nostræ*: describendo reductionem primò à doctrina Messiæ. *Audiam quid loquetur ipse Deus Dominus. Sermonem*, inquit Christus, *quem audistis non est meus, sed eius qui misit me.* Audiam, inquit, id quod prædicabit tunc Deus: *quoniam loquetur pacem*, Euangelium pacis, *ad populum suum, & ad gratiosos suos*, discipulos, quibus mandauit, *Gratis accepistis, gratis date.* Gratiosos appellat gratis dantes. *Et non reuertentur ad stultitiam.* Nota hunc effectum aduentus Christi, quòd non sunt amplius reuersi Iudæi ad stultitiam idololatriæ.

Ad idololatriã non sunt reuersi Iudæi post Christi aduentum.

Tantum prope timentes eius salus ipsius. Duplex potest esse sensus. Alter significans effectũ Euangelij pacis: quòd licet, sit propositum omnibus, non tamen effectum salutis pariet omnibus, sed tantum apud timentes Deum: hoc est, apud eos quos Deus tangit intus suo timore: *Nemo*, inquit Christus, *venit ad me nisi Pater qui me misit traxerit eum*, interno motu. Alter est significans corporalem præsentiam Christi prædicantis Euangelium pacis non apud omnes, sed apud Iudæos, significatos per *timentes Deum*: quoniam cùm totus mundus idololatriæ vacaret, sola gens Iudæorum timebat Deum. Et tunc est sensus quòd salus eius, id est, prædicatio salutifera Messiæ, erit tantum prope Iudæos timentes Deum: iuxta illud: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Et iuxta hunc secundum sensum continuanda est hæc particula cum immediatè sequenti, *ad habitandum honor in terra nostra*: vt sit continuatio appositiua: salus, appositiuè honor ad habitandum in terra nostra. Et tunc hoc est, Messias, honor Dei & totius mundi ad habitandum præsentiâ corporali in sola terra promissionis. Quam Propheta appellat, *terram nostram*: quia erat Iudæorum quantum ad vsum & fructum, Dei autem quantum ad proprietatem: vt dictum est in principio Psalmi. Iuxta primum verò sensum non est cum præcedentibus, sed cum sequentibus continuanda hæc particula, *ad habitandum honor in terra nostra.* Et est sensus: honor erit ad habitandum in terra nostra cùm *gratia & veritas obuiauerunt*: ita quòd gratia & veritas obuiauerunt quando honor Messiæ habitabit in terra nostra per mysterium incarnationis. Quouis autem modo continues, proculdubio per obuiationem gratiæ & veritatis. &c. describitur Messias, prophetando quòd in aduentu eius gratia & veritas obuiauerunt: *Vidimus*, inquit Ioannes, *eum plenum gratiæ & veritatis: & de plenitudine eius omnes accepimus.* Ita quòd gratia & veritas non solùm obuiauerunt, in persona Messiæ coniunctæ, sed per ipsum ad vniuersos diffundendæ. *Iustitia & pax osculatæ sunt.* Considera horum quatuor concursum, & videbis nihil deficere.

Veritas de terra germinabit, & iustitia de cælis prospecta est. Aduerte hîc quòd dictio Hebraica significat *germinare*, seu *florere*, ita quòd non dicit veritatem germinari, sed germinare: hoc est, quòd ipsa veritas emittit florem, seu germen. Vnde prouenit quòd potest esse duplex sensus literæ. Alter: veritas de terra, hoc est, terrestris, germinabit. Et sic significatur quòd veritas producet flores, germina & fructus suos. Et verè hoc adimpleri videmus tempore Messiæ: in quo nullus est locus figmentis, sed soli veritati: iuxta verbum Domini: *Ego ad hoc natus sum vt testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate audit verba mea.* Et sic dicitur veritas de terra, hoc est, veritas humanis mentibus naturaliter insita, germinabit germen fidei. Nam veritas naturalis tanquam irrigata prędicatione Euangelica, proferet assensum fidei velut suum florem seu germen. Verum quippe vero germanum est: & veritas fidei nonnullus est fructus veritatis naturalis, ex dono tamen Dei: & præter hoc veritas nobis insita germinabit rectitudinem morum & operum.

Veritas de terra quomodo germinabit

Alter sensus est: *Veritas germinabit de terra*: hoc est, ex terra, ex terrenis hominibus, emittet germina sua. Et hoc est valde mirabile quòd veritas quæ rarum inuenit in hominibus locum, tempore Messiæ germinat, profert germina sua ex terrenis hominibus. Quod adimpletum videmus in vniuersis nationibus conuersis ad veritatem Euangelicam.

Similiter duplici sensu exponi potest, *& iustitia de cælis prospecta est.* Alter est: Et iustitia de cælis, hoc est, iustitia cœlestis, prospecta est: quæ est iustitia fidei. Alter est: Et iustitia prospecta est de cælis. Ante Messiam iustitia non est visa, nisi de terris, nisi ab hominibus terrenis dicta & exercitata: tempore Messiæ iustitia visa est à cælis instituta (qualis est iustitia fidei) promissa, prædicata, &c. propter multitudinem miraculorum approbantium illam.

Vers. 12. ETIAM DOMINVS. Accumulat diuina beneficia futura tempore Messiæ. *Etiam Dominus dabit ipsum bonum*, tum dando deitatem homini: *pater meus quod dedit mihi maius est omnibus.* Tum largiendo veræ bonitatis abundantiam humano generi: *& terra nostra dabit fructum suum*, hominem Messiam vltimum expectatum

ex terra nostra. Tum multitudinem bonorum operum. *Iustitia faciebus eius*, Messiæ, *ibit*, dirigens ipsum ad omnia iusta opera: *decet* enim *nos implere omnem iustitiam*, dixit ipse Ioanni Baptistæ: *& ponet via gressus eius*, Christi: hoc est, non solùm dirigendo sed exequendo iustitia coram eo erit: multi enim habent iustitiam ante mentis oculos directricem, sed non ponentem in executione gressus eorum in via huius vitæ: quia quandoque in executione deficiunt. Messiæ autem gressus iustitia non solùm diriget tanquam ante eum præcedens, sed etiam ponet exequendo toti viæ huius vitæ gressus illius: ipse enim solus est qui peccatum non fecit. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Oratio Dauid.

LXXXV.

1 *INCLINA Domine aurem tuam & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego.*

2 *Custodi animam meam quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te.*

3 *Miserere mei Domine quoniam ad te clamabo tota die:*
4 *lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuabo.*

5 *Quoniam tu Domine suauis & mitis & multæ misericordiæ: omnibus inuocantibus te.*

6 *Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.*

7 *In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me.*

8 *Non est similis tui in dijs Domine: & non est secundùm opera tua.*

9 *Omnes gentes quascunque fecisti venient: & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.*

10 *Quoniam magnus es tu & faciens mirabilia: tu es Deus solus.*

11 *Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum vt timeat nomen tuum.*

12 *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.*

13 *Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.*

14 *Deus iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.*

15 *Et tu Domine Deus miserator & misericors: patiens & multæ misericordiæ & verax.*

16 *Respice in me & miserere mei: da imperium tuum puero tuo: & saluum fac filium ancillæ tuæ.*

IVXTA HEBRÆVM.

Oratio Dauidi.

LXXXVI.

1 *Propheta.* INCLINA Domine * aurem tuam, responde mihi: quia pauper & mēdicus ego.

2 Custodi animam meam, quia gratiosus ego: salua seruum tuum tu Deus meus confidentem in te.

3 Miserere mei Domine †: quoniam ad te vocabo tota die. † *Domini mei.*

4 Lætifica animam serui tui: quia ad te Domine † animam meam leuabo. † *Domini mei.*

5 Quoniam tu Domine † bonus & ignoscens & multus gratia: omnibus vocantibus te. † *Domini mei.*

6 Ausculta Domine * orationem meam: & ausculta in vocem deprecationum mearum.

7 In die angustiæ meæ vocabo te: quia respondebis mihi.

8 Non sicut tu in diis Domine †: & non sicut opera tua † *Domini mei.*

9 Omnes gentes quas fecisti venient: & curuabunt se faciebus tuis Domine * & honorabūt nomen tuū †. † *nomini tuo.*

10 *Professio gentium.* Quia magnus tu, & faciens separata tu: Deus † solus tu. † *Dij.*

11 *Propheta.* Doce me Domine * viam tuam, ibo in veritate tua: vni cor meum timori nominis tui.

12 Confitebor te Domine † Deus meus in toto corde meo: & honorabo nomen tuum sempiterno. † *Domini mei.*

13 Quia gratia tua magna super me: & eruisti animam meam à fouea inferiori.

14 Deus † superbi surrexerunt super me, & cœtus robustorum quæsierunt animam meam: & non posuerunt te coram se. † *Dij.*

15 Et tu Domine † Deus miserator & misericors: longus furorum, & multus gratia & veritas. † *Domini mei.*

16 Vertere ad me & miserere mei: da fortitudinem seruo tuo, & salua filium † ancillæ tuæ. † *filio.*

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Filiorum Core Psalmus Cantici.*

LXXXVI.

2 *FVNDAMENTA eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.*

3 *Gloriosa dicta sunt de te: ciuitas Dei.*

4 *Memor ero Raab & Babylonis: scientium me.*

Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Æthiopum: hi fuerunt illic.

5 *Nunquid Sion dicetur, homo & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam altissimus?*

6 *Dominus narrabit in scripturis populorum & principum horum: qui fuerunt in ea.*

7 *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

IVXTA HEBRÆVM.

Filiis Core Psalmus Cantici.

LXXXVII.

1 *Propheta.* FVNDAMENTVM
ciuitatis Dei
eius in montibus sanctitatis.

est
2 Diligens Dominus ⁴ portas Sion
plusquam
super omnia tabernacula Iacob.

te sunt
3 Honoratæ (dictum est) in te ciuitas Dei †. *Selah.* † *Deorum.*

4 *Deus.* Recordabor superbam & Babel scientibus me. *Propheta.* Ecce Palæstina & Tyrus cum Æthiopia, iste natus est ibi. *Selah.*

5 Et Sion dicetur. *Vox Euangelica.* Vir & vir natus est in ea, & ipse fundabit eam excelsus.

6 Dominus ⁴ numerabit in scribendo populos: iste natus est ibi. *Selah.*

erunt
7 *Propheta.* Et principes sicut parturientes. *Deus.* omnes fontes mei
erunt
in te.

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Filiis Core Psalmus Cantici.* De quo vt suprà.

Materia. Circa materiam Psalmi scito constare quòd Psalmus tractat de ciuitate Dei: vt patet in principio eius. Cùm autem ciuitas Dei sit vel terrestris Hierusalem (quam Deus elegit à tempore Dauidis vt esset nomen Dei ibi) vel spiritualis Hierusalem, & non possit Psalmus iste verificari de terrestri Hierusalem (tum quia in quarto versiculo dicitur: *Ecce Palæstina & Tyrus cum Æthiopia, iste natus est ibi:* tum quia describitur fundamentum ciuitatis huius in montibus sanctitatis: quod de terrestri Hierusalem non verificatur) consequens est vt sit sermo de spirituali Hierusalem. *De qua ciuitate Dei?* Nec opus est subdistinguendo inquirere an de Hierusalem cœlesti an militante sit sermo: quoniam Hierusalem spiritualis vnica tantùm ciuitas est: *non habemus hîc manentem ciuitatem sed futuram inquirimus.* Cuius non sumus hospites & aduenæ sed ciues, non solum conuersatione (quia *nostra conuersatio in cœlis est*) sed natiuitate: quia illa quæ sursum est Hierusalem est mater nostra, in libertatem filiorum Dei generans Palæstinos & Tyrios & Æthiopes: hoc est omnes gentes. Congrueréque ei nomen Sion, testatur Apostolus ad Hebræos 12. *Accessistis ad Sion montem & ad ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestem.* Hebr. 12. Est igitur ad literam materia Psalmi ciuitas Dei cœlestis Hierusalem communis omnibus gentibus in suis initiis quæ in terra habet.

SVMMARIVM EST.

PRopheta describit ciuitatem Dei à fundamento, portis, & doctrina: declarans ciuitatem communem omnibus gentibus, non vt adscitis sed natis ibi, Deo fundante, numerante & scribente: principésque eius vt parturientes, & omnes diuinos fontes in illa.

Personæ loquentes sunt Propheta, Deus & vox Euangelica.

FVNDAMENTVM EIVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *recordabor.* Proponit de ciuitate Dei tria. Vers. 1. *Tria de Ciuitate Dei proponit.* Primò fundamentum. *Fundamentum eius,* scilicet ciuitatis Dei, est in montibus sanctitatis: *Fundamentum aliud nemo potest ponere,* inquit, Apostolus, *præter id quod positum est quod est Christus Iesus.* Per montes sanctitatis celsitudines virtutum omnium intellige. *Montes sanctitatis, quinam?* Christus plenus gratiæ

gratiæ & veritatis, fundamentum significatur ciuitatis Dei. Potes quoque per montes sanctitatis, sanctos Angelos intelligere: vt significetur Christus super sanctos Angelos fundare ciuitatem Dei, eo quòd fundauit eam super bona cœlestis beatitudinis. Et intendit Propheta ciuitatem Dei esse fundatam in virtutibus & in bonis veræ beatitudinis.

Sacramenta sunt porta Sion.

Secundò portas: *Diligens*, supple est, *Dominus portas*, Sacramenta Ecclesiastica, *Sion*, cœlestis: per Ecclesiastica enim sacramenta ingressus fit ad cœlestem patriam: *super omnia tabernacula Iacob*, plus quàm omnia quæ sunt veteris Testamenti.

Tertiò doctrinam: *Honorata*, supple res, *dictum est in te ciuitas Dei*. Sic habetur in Hebræo. Et nec apparet congruitas Grammaticæ: sed apparet quòd dicendum fuisset, *Honoratæ dictæ sunt in te ciuitas Dei*: vt numerus participij ac verbi congrueret nomini. Sensus tamen ac constructio est. Dictum est, ô ciuitas Dei, quòd res honoratæ, res honore dignæ, in te sunt. Et post descriptionem fundamenti & portarum significantur interiora ciuitatis: non quæ sunt, sed quòd honore digna sunt: spiritualia enim bona sunt interiora ciuitatis Dei, quibus maximè debetur honor. Et ne quæras à Propheta vnde scis hæc? respondet, quia dictum est, reuelatum est, auditum est, fide tenetur: vt vndique intelligas quòd de spirituali Dei ciuitate loquitur.

Vers. 4. RECORDABOR. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *Honorata dictum est in te*. Secundò illa, *super omnia tabernacula Iacob*, ibi, *& Sion*. Tertiò illa, *fundamentum eius*, ibi, *& ipse fundabit*. Quartò illa, *in montibus sanctitatis*, ibi, *& principes*. Quintò illa, *portas Sion*, ibi, *omnes fontes*.

Introducit itaque Deum constituentem ciuitatem suam communem omnibus mundi nationibus. *Recordabor*, in ciuitate mea, *superbam & Babel scientibus me*. Per *superbam & Babel* significantur vniuersæ nationes gentium: Babel enim nomen est Babylonis. *Superba* vero nomine Ægyptus significatur, & apparet quòd est in loco hoc nomen regionis, ex hoc ipso quòd Propheta copulat cum Babylone. Et est sensus quòd dando mandata scientibus me, recordabor harum regionum quæ specialiter subegerunt populum Dei: vt à fortiori intelligantur cæteræ. Quod fuit adimpletum dum Christus mandauit discipulis: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit*, &c. Hæc est enim doctrina Euangelica.

Superba nomine Ægyptus significata.

Ecce Palæstina. Demonstratur effectus statim subsecutus. *Ecce Palæstina & Tyrus cum Æthiopia*: numero trinario vniuersæ mundi nationes significantur ob perfectionem trinarij. *Iste natus est ibi*. Cùm debuisset dicere isti nati sunt ibi, in ciuitate Dei per baptismum (iuxta illud: *oportet vos nasci denuo*) dixit in singulari *iste natus est ibi*, tum ad denotandam indifferentiam omnium per baptismum nascentium: quia *in Christo non est mas aut fœmina, non est barbarus aut Scytha*, &c. Vt Apostolus, inquit, ad Coloss. 3. Tum ad significandam singularitatem nascentium: quia non nascitur in ciuitate Dei populus (non enim baptizatur communitas) sed quilibet singillatim nascitur in ciuitate Dei.

Numero trinario omnes mundi nationes significantur.

Coloss. 3.

Et bene nota: quia non dicit, iste ascitus est sed natus est: quia vt dictum est, *oportet nos nasci denuo*. Aduerte quoque aduerbium demonstratiuum *ecce*, significare statim secutum fructum conuersionis gentium ad Christum: nam breuissimo tempore Ecclesia Christi in Asia, Aphrica, & Europa nata est.

Vers. 5. ET SION DICETVR. Tractatur hîc dilectio ciuitatis Dei super omnia tabernacula Iacob. Vbi aduerte duo. Alterum quòd *Sion* in textu Hebræo est casus datiui. Alterum quòd *Sion* in hoc versiculo significat populum Hebræum vacantem cultui diuino in monte Sion. Et propterea aliter sumitur hîc *Sion* quàm in secundo versiculo: nam hîc inducitur *Sion* absolutè, superius autem qualificata: scilicet habens fundamentum suum in montibus sanctitatis. Consequenter itaque Propheta introducit quòd *Sion*, id est, populo Hebræo admiranti seu inuidenti de conuersione Gentium ad ciuitatem Dei fundatam in Christo (tanquam soli ipsi Hebræi sint ciues nati in ciuitate Dei, & Gentiles conuersi sint proselyti seu ciues asciti) huic inquam querelæ seu admirationi dicetur Euangelica voce, hoc quod sequitur: scilicet *vir & vir natus est in ea*: hoc est tam vnus vir quàm alter natus est in ciuitate Dei, nulla est disparitas Iudæi & Gentilis, seu vterque natus (non ascitus) est in ea, ciuitate Dei: *& ipse excelsus*, Deus, *fundabit*, perseuerabit fundando, *eam*, in vtraque. Per quod simul declaratur fundamentum ciuitatis ex parte fundatoris. Lege in Actibus Apostolorum disceptationem Hebræorum aduersus Petrum redeuntem à conuersione Cornelij & aliorum Gentilium: & inuenies dictum ad Sion quod hîc prophetatur, vt patet Act. 11.

Sion significat hîc populum Hebræũ colentẽ Deum in Sion.

Dominus numerabit in scribendo populos, iste natus est ibi. Magna dignitas nascentium in ciuitate Dei: quando Dominus describitur & numerans & scribens populos, ita quòd singulorum computum tenet: vnumquemque sigillatim scribit ex quocunque sit populo, *iste natus est ibi*, in ciuitate Dei. Et intendit Propheta per hoc declarare quòd magnifacit Deus singulos siue Iudæos siue Gentiles qui baptizantur: vt intelligas quòd natiuitas per baptismum, non est adinuentio humana sed diuina, ex hoc quòd Deus numerat & scribit singulos natos ibi.

Vers. 7. ET PRINCIPES SICVT PARTVRIENTES. Declaratur hic illa particula, *in montibus sanctitatis*: declarando celsitudines virtutum in principibus non solum pro seipsis sed pro aliis. Et propterea describuntur principes ciuitatis Apostoli & alij similes sicut parturientes, generantes alios. *Filioli mei*, inquit Apostolus, *quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis*. Totum studium principum fuit & esse debet ad salutem aliorum.

Principes Ciuitatis Apostoli generantes alios.

Omnes fontes mei in te. Introducitur iterum Deus alloquens ciuitatem: declarando quòd omnes fontes mei sunt conclusi in te. Ac si apertè diceret: nullus quærat extra te meum fontem: sed *omnes fontes mei*, tam ad potum quàm ad ablutionem, irrigationem, &c. sunt *in te*, ciuitate mea. Vbi aduerte quòd quas superiùs dixit portas, modò vocat fontes: quoniam & fontes ipsi tam doctrinæ quàm sacramentorum sunt portæ per quas ingredimur cœlestem patriam. Amen.

PSAL

que tertio innuitur primus dies mensis septimi: qui vocabatur festum clangoris & tubarum. Et deputatus erat vt esset sabbatum memoriale: vt patet Leuit. 23 & Num. 29. Et quia non explicatur quid esset commemorandum, sed dicitur *memoriale* absolutè, ideo intelligendum est de memoria diuinorum præceptorum ac iudiciorum. Tum auctoritate scripturæ secundi Esdræ 8. exequutionem memorialis quæ fiebat prima die mensis septimi narrantis, in hoc quod omnis populus conuenit ad audiendum ex ore Esdræ solenniter legentis legem Domini. Tum ratione: quoniam hæc erat materia simpliciter & absolutè memoranda à populo illo. Et hæc duo explicamus in versiculo quarto. Et in his contineri constat memoriam beneficiorum: in præcepto enim de custodia sabbati clauditur memoria creationis: & in præcepto de immolatione Phase, clauditur memoria egressionis de Ægypto, &c. Hæc est igitur ad literam materia Psalmi.

SVMMARIVM EST.

PRopheta inuitat ministros diuini cultus, ad cantandum & pulsandum Deo in festo tubarum, pro commemoratione diuinorum præceptorum ac iudiciorum: tangendo præceptorum quidem supremum simul cum tempore & testimonijs: iudiciorum verò præcipuas pœnas ac præmia.

Personæ loquentes sunt tres: Propheta, Populus, & Deus.

VERS. 1. CANTATE DEO. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *testimonium*. Proponit inuitando prius ad cantum. *Cantate Deo fortitudini nostræ.* Meminit fortitudinis quâ introducti sunt in terram promissionis celebraturi hoc festum, & non ante. *Clangite Deo Iacob.* Specialiter Deus sub ratione fortis seu potentis apparuit Iacob: vt patet Genes. 46. *Eleuate cantationem*, ampliori voce.

Deinde ad musicum sonum: *Et date tympanum, citharam dulcem*, vtraque, *cum viola: clangite cornu.* Quatuor hic habes instrumenta musica. *In nouo:* ecce tempus, in nouilunio, non quocunque, sed *in solennitate*, decreta, *diei festiuitatis nostræ.* Nullus dies nouilunij erat ex lege sanctus per cessationem ab opere seruili & solennis, nisi septimi mensis. Et propterea per has circumlocutiones describitur primus dies mensis septimi: qui vocabatur dies clangoris & tubarum, seu sabbatum memoriale clangentibus tubis.

Quatuor instrumenta musica.

Primus dies mensis septimi vocabatur dies clangoris & tubarum.

Quia præceptum Israeli est, iudicium Deo Iacob. Ratio festiuitatis & clangoris tubarum redditur ex præcepto & iudicio: hoc est, quia præcepta data sunt Israëli, & quia iudicia exercuit Deus. Ad commemorandum enim hæc, institutum est festum tubarum: nec alia in locis prædictis assignatur ratio istius festi. Eadem autem est materia Psalmi istius & festi tubarum.

Vers. 5. TESTIMONIVM IN IOSEPH. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *quia præceptum Israeli:* deinde illa, *iudicium Deo Iacob*, ibi, *& non audiuit.* Tractatur itaque legislatio tali ordine. Prius describitur tempus cum testimonio beneficiorum: deinde ipsa legislatio, ibi, *audi popule mi. Testimonium in Ioseph.* Tempus quo data sunt præcepta describit fuisse tempus egressionis ex Ægypto: quinquagesimo siquidem die data sunt præcepta. Appellatione *Ioseph* intelligi populum Israël, testatur contextus Psalmi, subiungens vno atque eodem contextu gesta Dei cum populo: *amoui ab onere humerum eius, respondebo tibi in abscondito tonitrui*, &c. Et est sensus: *Testimonium*, diuinæ præceptionis, *in Ioseph*, hoc est, in gente Ioseph. Populus enim Hebræus in Ægypto appellabatur gens Ioseph. Vnde & Pharao dixit ad Ioseph: *Pater tuus & fratres tui venerunt ad te.* Et rursus scriptum est: *Surrexit interea rex nouus qui ignorabat Ioseph:* insinuans Scriptura per hoc quòd tam viuens Ioseph quàm memoria ipsius, ratio apud Ægyptios erat bene tractandi Hebræos, tanquam cognominatos à Ioseph. Et propterea rex nouus non habens rationem Ioseph, malè tractauit gentem eius. *In exire eius super terram Ægypti*, in exitu ipsius gentis super terram. Egrediendo ab Ægypto versus terram promissionis ascenditur: vt in pluribus Scripturæ locis patet. Genes. enim vltim. dicit Ioseph: *Ascendam & sepeliam patrem meum.* Et Exod. 13. dicitur: *Et armati ascenderunt filij Israel de terra Ægypti.* Quia igitur ascendendo exierunt, ideo dicitur, *in exire eius super terram Ægypti.*

Populus Israel dicitur Ioseph.

Genes. 47. 5.
Exod. 1. 8.

Genes. 50. 5.
Exod. 13. 18.

Labium non sciui audiui. Ecce primum testimonium perhibitum à populo. Introducit enim Propheta testimonium hoc diuinorum præceptorum voce populi, dicentis: *Labium quod nesciui audiam.* Exiuit enim populus auditurus linguam quam nunquam nouit: hoc est, linguam Dei: nam audiuit Deum loquentem sibi de cælo, Exod. 19. Vnde dicit Deus Exod. 20. *Vos vidistis quòd de cælo locutus sim vobis.* Et verè diuinum labium fuit auditum & ignotum: quia populus nunquam audierat vocem Dei. Vnde & dixerunt Moysi: *Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus.* Moyses autem solitus erat audire: scriptum est enim: *Moyses loquebatur & Dominus respondebat ei.*

Exod. 20.

Amoui ab onere. Secundum testimonium introducitur ex ore Dei, narrantis beneficium quod contulit genti Ioseph. *Amoui ab onere humerum eius:* affligebant enim Ægyptij eos oneribus: vt dicitur Exod. 1. *Palmæ eius à cophino transibunt.* In opere luti & lateris & reliquo famulatu quo in terræ oneribus premebantur, *cophinus* computatur: qui fodiendo terram implebatur vt portaretur: vt per has duas afflictiones (manuum ad fodiendum & implendum cophinos, & dorsi ad portandum) intelligamus reliquum famulatum. Futurum autem *transibunt*, refertur ad præteritum diuinæ actionis *amoui:* quoniam hæc releuatio fuit effectus diuinæ actionis.

Oppressio populi Israelitici ab Ægyptijs.

In angustia. Declarat modum secundi testimonij. *In angustia vocasti*, me. Apostrophat Deus ad populum. *In angustia*, oppressionis ab Ægyptiis, *vocasti*, me (iuxta illud Exod. 2. *Ingemiscentes filij Israel propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum.*) *Et erui te*, de Ægypto.

Exod. 2.

Respondebo tibi. Declaratur modus primi testimonij. *Respondebo tibi in abscondito tonitrui*, in monte Sinai: iuxta illud Exod. 19. *Et ecce cœperunt audiri tonitrua ac micare fulgura, & nubes densissimas operire montem.* Ecce absconditum tonitrui in quo respondit Deus: subditur enim ibidem quòd Moyses loquebatur & Dominus respondebat

Exod. 19.

ſpondebat ei, quæ erant præcipienda populo. Futurum *reſpondebo*, denotat ſequelam ad præteritum *& erui te.*

Probabo te ſuper aquas litis. Tertium teſtimonium eſt beneficium aquæ eductæ de petra in egreſſu de Ægypto antequam venirent ad montem Sinai. Et appellatur *aqua litis* propter iurgium filiorum Iſraël ibidem contra Moyſen: vt dicitur Exod. 17. Et introducitur hoc miraculum ſub ratione tentationis populi: hoc eſt quòd Deus vt probaret confidentiam populi in Deo fecit eos pati penuriam aquæ. Quod intellige metaphoricè: quoniam more tentantis Deus ſe habuit vt populus cognoſceret ſeipſum, quòd non confideret in Deo poſt tot mirabilia viſa in Ægypto & in mari rubro. Hæc enim inducuntur vt teſtimonia perceptionis diuinæ in monte Sinai.

Verſ. 8. Avdi popvle mi. Poſt teſtimonia præceptorum inducuntur præcepta non in ſingulis ſed in ſupremo eorum. *Audi popule mi & conteſtabor in te*, certificatione: *Iſraël ſi audies me.* In Hebræo habetur *mihi*. *Non erit in te Deus alienus.* Ecce præceptum ſupremum. *Et non curuaberis Deo extraneo. Ego*, ſolus, *Dominus*, vniuerſorum, *Deus*, naturâ. *tuus*, per gratiam, non tantùm enim vocari Deus tuus: *faciens aſcendere te de terra Ægypti*. vt ex hoc libertatis beneficio me cognoſcas. *Dilata os tuum.* Benigniſſimus Deus non dat præceptum ſine præmio. Si me audieris, dilata os tuum, ad petendum, pete quicquid vis, *& implebo illud*, & donabo totum plenè.

Verſ. 11. Et non avdivit. Tractatur hîc illa particula, *iudicium Deo Iacob.* Poſt præcepta ſubduntur iudicia: & prius iudicium pœnale. *Et non audiuit populus.* Deus non eſt prius vltor quàm homo ſit peccator. Et propterea ante punitionem permittitur offenſa. Quoniam *non audiuit populus vocem*, Dei obediendo præceptis eius: *& Iſraël non voluit me*, ſed vitulum in Deum. Duplex crimen: inobedientiæ & idololatriæ.

Populi duplex crimen: inobedientia & Idololatria.

Et miſi eum. Ecce pœna maxima interna ſcilicet quòd Deus derelinquit hominem ſibiipſi. *Et miſi.* Metaphorica eſt locutio, qua derelictio ſignificatur per miſſionem: quia Deus derelinquit, dicitur miſiſſe populum ipſimet. *Et miſi eum in directione cordis ſui*, ego deſtiti à directione populi & miſi eum prout cor eorum diriget eos. *Ibunt.* Ecce effectus derelictionis: *ibunt in conſiliis ſuis*, deſtituti à lumine directionis meæ.

Vtinam populus meus. Subditur iudicium quoad pœnam extrinſecam moræ in deſerto annos 40. Sed deſcribitur hæc pœna tanquam contra diuinum appetitum inflicta: narrando præmium illis paratum, quo ſeipſos priuauerunt non obediendo *Vtinam populus meus* Conſidera in aduerbio *vtinam*, affectum diuinum ad hoc quòd ſimus boni, ad hoc vt ſeruemus legem Dei. *Vtinam populus meus*, erit, *audiens me: vtinam Iſraël*, populus, *in viis meis ibunt. Tanquam modicum*, breuiſſimo tempore, *inimicos eorum humiliabo*, ſicut quod eſt modicum facilimè vincitur: *& ſuper angustiatores eorum faciam verti manum meam*, punitiuam, quâ punio populum meum in deſerto tot annis. Et intendit per hæc deſcribere affectum diuinum ad præmia populi ſui & ad punitionem inimicorum. Ac ſi apertè diceret Deus: Quantum eſt ex parte mea ego præcepi volens vt populus obediens præmia conſequeretur victoriæ inimicorum, & non vt punirem populum: ego deſideraui vt obediret & non vt punirem. Et futura *ibunt* cum reliquis referuntur ad præteritum deſiderium Dei ſubintellectum in aduerbio *vtinam*. Sunt enim hæc verba Dei explicantia diuinum affectum more humano, antequam filij Iſraël exacerbaſſent Deum in deſerto.

Verſ. 15. Osores Domini negabvnt ei. Accumulatio diuinorum iudiciorum, prius ad pœnam deinde ad præmium deſcribitur. *Oſores Domini.* Concludit Propheta accumulando pœnam pœnæ. Deſcripta ſiue pœna internæ deſertionis cum pœna detentionis in deſerto: adiungitur modò pœna æternæ damnationis. *Oſores Domini negabunt ei*, obedientiam. *Et erit tempus eorum æterno.* Exod 32. de idololatria vituli loquens Deus ad Moyſem ait: Ego in die vltionis viſitabo & hoc peccatum eorum, reſeruans pœnam ad tempus vltionis. Quod non eſt in hac vita ſed in futura: tempus enim præſentis vitæ eſt tempus miſericordiæ: illud autem erit tempus vltionis, quo nullum malum remanebit impune. Iuxta hunc ſenſum hic dicitur: *Erit tempus eorum*, inimicorum Dei, tempus enim vltionis & tempus inimicorum Dei idem eſt, *æterno*, ſine fine. Notant Theologi hinc doctrinam inter præmium beatorum & pœnas damnatorum: quoniam illud erit ſine tempore, hoc eſt in æternitate: pœnæ verò iſtorum erunt in tempore, ſemper tamen durante: quia erunt ſucceſſiuæ (tempus enim menſura eſt ſucceſſiuorum) beatitudo autem ſanctorum erit tota ſimul.

Præmium beatorũ erit ſine tempore: Pœna verò damnatorum in tempore.

Et fecit comedere eum. Deſcripto iudicio pœnali, deſcribitur modò præmium exhibitum introductionis in terram promiſſionis. *Et fecit comedere eum*, populum, *de adipe tritici.* Ioſuë 5. dicitur quòd filij Iſraël tranſito Iordane (hoc eſt ingreſſi terram promiſſionis) comederunt azymos panes & polentam eiuſdem anni, defecitque manna, vt intelligas terram promiſſionis ſignificari per hoc quòd dicitur, fecit eos comedere de adipe tritici.

Et de petra melle faciam ſaturare te. Iterum introducit Deum loquentem conferentem terram promiſſionis, ſignificando eam à melle genito in petra. Promittitur terra promiſſionis, terra lacte & melle manans. Et propterea hîc meminit mellis. Quòd autem dicit *de petra*, diſpoſitionem petroſam illius terræ tangit, non inutilem ſed productiuam mellis: hoc eſt, frugiferam ſeu fructiferam. Futurum *ſaturabo*, reſpicit præteritum *fecit comedere*: quia hoc fuit conſequens ad illud. Statim enim comederunt panes: & poſtea deleuerunt Chananæos, & potiti ſunt terrâ tam fructiferâ. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus Asaph.*

LXXXI.

DEVS stetit in synagoga Deorum: in medio autem Deos dijudicat.

2 *Vsquequo iudicatis iniquitatem: & facies peccatorum sumitis?*

3 *Iudicate egeno & pupillo: humilem & pauperem iustificate.*

4 *Eripite pauperem & egenum: de manu peccatoris liberate.*

5 *Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant: mouebuntur omnia fundamenta terræ.*

6 *Ego dixi dij estis: & filij excelsi omnes.*

7 *Vos autem sicut homines moriemini: & sicut vnus de principibus cadetis.*

8 *Surge Deus iudica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.*

IVXTA HEBRÆVM.

Psalmus Asapho.

LXXXII.

1 *Propheta.* DEVS † stans in congregatione Dei: in medio Deos iudicabit. † Dij.

2 Vsquequo iudicabitis iniquitatem: & facies impiorum suscipietis? *Selah.*

3 Iudicate pauperi & pupillo: egenum & inopem iustificate.

2 Saluate pauperem & mendicum: de manu impiorum liberate.

5 Non cognouerunt & non intelligent, in obscuritate ambulabunt: labentur omnia fundamēta terræ.

6 Ego dixi, Dij vos, & filij excelsi omnes vos.

7 Verè tanquam Adam moriemini: & sicut vnus principum cadetis.

8 Surge Deus † iudica terram: quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. † Dij.

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Psalmus Asapho.* Qui patet ex supradictis.

Materia. Materia Psalmi nec ex titulo habetur, nec ex auctoritate Domini, qui Ioan. 10. affert sextum huius Psalmi versiculum scilicet: *Ego dixi dij estis*: quoniam inde nihil aliud habetur nisi quòd verba hæc sunt vera, & quòd appellatione Deorum intelliguntur illi ad quos sermo Dei factus est: dum dicit: *si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est, & non potest solui scriptura.* (Ioan. 10. 35) Quia enim sermo Dei factus est ad diuersos, & præcipuè ad Prophetas, de quibus non apparet Psalmum loqui, ideo hinc non certificatur materia Psalmi.

Ex discursu autem Psalmi apparet quòd sermo Psalmi dirigitur ad iudices, arguendo & monendo eos. (*Aduentus Christi ad iudicium.*) Vnde iungendo verba Domini cum progressu Psalmi, infertur quòd non ad omnes iudices sed ad illos ad quos sermo Dei factus est (hoc est ad Iudices populi Israël) dirigitur sermo. Et si amplius perspectum fuerit, apparebit quòd ratio monitorij est iudicium vniuersale: quod tum in quinto tum in vltimo versiculo insinuatur: ac per hoc Psalmus iste ad literam tractat de aduentu Messiæ ad iudicium, introducens illum pro ratione arguendi monendique iudices populi Dei. Et hæc est ad literam materia Psalmi.

SVMMARIVM EST.

PRopheta arguit & monet Iudices Israel, tum ratione diuinæ præsidentiæ, tum ratione diuini iudicij futuri, quòd Deus iudicabit terram hæres omnium gentium.

Persona loquens Propheta est.

DEVS STANS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *vsquequo.* Proponit duo. Primum præsidentiam Dei in populo Israël. *Deus stans*, præsidens, *in congregatione Dei*, hoc est, in populo Dei. Secundò vniuersale iudicium. *In medio*, coram, publicè, *Deos*, id est, iudices, *iudicabit.* Exod. 22. clarè patet iudices Deos appellari: dum dicitur: *ad Deos vtriusque causa perueniet, & si illi iudicauerint*, &c. (VERS. 1. *Iudices, Dij appellantur.*) (Exod. 22.)

Vers. 2. VSQVEQVO. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primum monentur iudices circa actum iudicij. Secundò arguuntur cæcitatis circa ambo proposita, ibi, *non cognouerunt.* Monet autem prius reprehendendo iudicium iniquum. *Vsquequo iudicabitis iniquitatem?* Iniustum iudicium ex obiecto, est iudicare iniquitatem: cùm proprium obiectum iudicij sit iudicare iustum: immò iudicare est dicere ius, id est, iustum. *Et facies impiorum suscipietis?* Acceptio personarum reprehenditur: cùm deberent respicere ad causas respiciunt ad personas: & ad cumulum mali, impias.

Iudicate pauperi & pupillo. Reprehenso iniquo iudicio, præcipit iudicium iustum circa personas miserabiles & impotentes: vt à fortiori intelligas circa alios. *Iudicate*, ius dicite, *pauperi & pupillo*, quando sunt actores: *egenum & inopem*

pere iustificate, quando sunt conuenti. *Saluate pauperem & mendicum*, cum opprimuntur: nec solum saluate, sed *de manu impiorum liberate*, liberos facite.

Non cognouerunt. Præmissâ monitione ad iudicandum, arguit cæcitatem eorum circa ambo proposita. *Non cognouerunt*, in præterito, *& non intelligent*: quia *in obscuritate ambulabunt*. Perseuerantia ambulandi in tenebris (hoc est operandi opera tenebrarum) ratio est quare iniqui iudices neque intellexerunt neque intelligent hæc duo, videlicet. *Labentur omnia fundamenta terræ*. Primum quod nolunt intelligere est futurum Dei iudicium: quod describitur à lapsu omnium fundamentorum terræ: non quantùm ad substantiam terræ, sed quantum ad dispositionem quam habet: cessabunt enim tunc omnes motus cœlorum: qui nunc sustentantes terram, id est, totam elementarem sphæram in hac dispositione actiuorum & passiuorum, generationis & corruptionis.

Cessabunt omnes motus cœlorum.

Ego dixi dij vos. Alterum quod nolunt intelligere est celsitudo proprij officij: quòd scilicet exercent diuinum officium: quod tamen ego dixi eis. Propheta eis in persona docentis sacram scripturam ait: *Ego dixi*, aperui, manifestaui iudicibus populi: *Dij vos, & filij excelsi omnes vos.* Secundum Apostolicam doctrinam omnes iudices ministri sunt Dei, *ad vindictam malorum & laudem bonorum*, 1. Petr. 2. sed iudices populi Israël præter hoc quòd erant ministri Dei (sicut & omnes alij iudices gentium) habebant hoc proprium quòd erant filij Dei & Dij. *Filij* quidem tanquam ab eo geniti: quia à Deo instituti erant Num. 11. Et *Dij*: quia ad eos sermo Dei factus est in prima eorum institutione: nam vt ibidem dicitur, *Auferens Dominus de spiritu qui erat in Moyse dedit 70. viris* ad sustentandum eum eo onus populi: *Cumque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt, nec vltra cessauerunt.* Factus præterea est sermo Dei ad iudices populi eius per

1. Petr. 2.

Num. 11. 25.

instructionem diuinæ legis specialiter illis commissæ vt capitibus populi. Et vt intelligas quod hæc gratia non est personæ sed officij, subdidit *omnes vos*, tam boni quam mali iudices. Vbi videre potes ambo proposita: præsidentiam quidem diuinam, dicendo: *Dij estis & filij excelsi omnes vos.* Vnde & Iosaphath Rex 2. Paralip. 19. præcipiens iudicibus, *videte*, ait, *quid faciatis: non enim hominis exercetis officium sed Domini.* 2. Paralip. 19

Verè tanquam Adam moriemini. Prosequitur ea quæ sunt futuri iudicij: declarando quod impunitas eorum in præsenti vita non reddet eos securos: quoniam manet eos iudicium post hanc vitam. Impunitas itaque quam sæpe conspicimus, significatur à simili morte & casu sicut cæteri moriuntur & cadunt. *Verè sicut Adam*, sicut homo, *moriemini*: hoc est, non deteriori morte moriemini vos quàm alij homines: *& sicut vnus principum*, hoc est sicut alij principes, *cadetis*, à principatu: vel per exauctorationem vel per mortem, &c.

Surge Deus, more surgentis ab otio te habe. *iudica terram*, non hanc vel illam, ne impunes sint iniqui iudices: *Quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.* Hinc apparet quod de Messia loquitur Propheta: nam Deus futurus hæres in omnibus gentibus, Messias est: iuxta illud secundi Psalmi, *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Vnde non dixit: Tu hæreditabis bona omnium gentium, sed *in omnibus gentibus*: quoniam ipsæ gentes erunt hæreditas eius: ipse est enim quem (ad Hebr. 1.) constituit Deus hæredem vniuersorum. Hoc desiderans Propheta adimpleri, supplicantis affectu introducit futurum iudicium. *Surge Deus iudica terram*: quoniam illo iudicio hæreditabis, hæres eris, in omnibus gentibus, quibusdam amore, quibusdam subiectione: omnes enim gentes tam damnatæ quàm beatæ erunt ipsius: sed illæ iunctæ amore amicitiæ, istæ possessæ vt seruæ. Amen. Psalm. 2.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Canticum Psalmus Asaph.*	Canticum Psalmi Asapho.
LXXXII.	LXXXIII.
2 *DEVS quis similis erit tibi? ne taceas neque compescaris Deus.*	1 *Propheta.* DEvs † ne tace tibi: ne obsurdesce & ne quiesce Deus.
3 *Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: & qui oderunt te extulerunt caput.*	2 Quia ecce inimici tui tumultuabuntur: & osores tui eleuauerunt caput.
4 *Super populum tuum malignauerunt consilium: & cogitauerunt aduersus sanctos tuos.*	3 Super populum tuum callebunt secretum: & consiliabuntur super reconditos tuos.
5 *Dixerunt: venite & disperdamus eos de gente: & non memoretur nomen Israël vltra.*	4 Dixerunt. *Vox hostium recitata.* Venite & desolemus eos de gente: & non memorabitur nomen Israël vltra.
6 *Quoniam cogitauerunt vnanimiter simul: aduersum te testamentum disposuerunt.*	5 *Propheta.* Quoniam consiliati sunt corde pariter: super te fœdus ferient.

† Di

6 Tentori

7 *Tabernacula Idumæorum & Ismaelitæ:*
Moab & Agareni.
8 *Gebal & Ammon, & Amalech: alienigenæ cum habitantibus Tyrum.*
9 *Etenim Assur venit cum illis: facti sunt in adiutorium filiis Lot.*
10 *Fac illis sicut Madian & Sisaræ: sicut Iabin in torrente Cisson.*
11 *Disperierunt in Endor: facti sunt vt stercus terræ.*
12 *Pone principes eorum sicut Oreb: & Zeb & Zebee & Salmana.*
13 *Omnes principes eorum qui dixerunt: hæreditate possideamus sanctuarium Dei.*
14 *Deus meus pone illos vt rotam: & sicut stipulam ante faciem venti.*
15 *Sicut ignis qui comburit syluam: & sicut flamma comburens montes.*
16 *Ita persequeris illos in tempestate tua: & in ira tua turbabis eos.*
17 *Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum Domine.*
18 *Erubescant & conturbentur in seculum seculi: & confundantur & pereant.*
19 *Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus altissimus in omni terra.*

6 Tentoria Edom & Ismaelitarum, Moab & Agarenum.
7 Ghebal & Ammon & Amalec: Palæstina cum habitatoribus Zor.
8 Etiam Assur associatus est cum eis: fuerunt brachium filiis Lot. *Selah.*
9 Fac illis sicut Madian sicut Sisaræ: sicut Iabin in flumine Chison.
10 Destructi sunt in fonte Dor: facerunt sterquilinium terræ.
11 Pone ipsos duces eorum sicut Oreb, sicut Zeeb, sicut Zebach, sicut Salmona: omnes principes eorum.
12 Qui dixerunt. *Vox hostium recitata.* Hæreditabimus nobis habitacula Dei †. Deorum.
13 *Propheta.* Deus meus pone eos vt rotam: quasi glumam faciebus venti.
14 Velut igne combures syluam: & sicut flamma inflammabis mõtes.
15 Sic sequeris eos in tempestate tua: & in turbine tuo terrebis eos.
16 Imple facies eorum ignominia: & quærent nomen tuum Domine ‡. eius cui
17 Confundentur & terrebuntur vsque semper: & erubescent & peribunt. proprium
18 Et scient quia tu nomen tuum Dominus +: solus tu excelsus super omnem terram.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Canticum Psalmi Asapho.* De quo vt suprà.

Materia. Circa materiam Psalmi apparet ex ipso Psalmo quòd tractatur de bello quod fuit tempore Dauidis: & scriptum est 2.Reg.10.11.& 12.& tangitur 2. Reg.8. quando scilicet Anon rex Ammonitarum ignominiosè tractauit legatos Dauidis, & propterea conduxit multas nationes secum ad pugnandum contra Dauidem.

Hoc autem bellum esse materiam Psalmi huius, apparet tum ex confœderatione nationum in Psalmo nominatarum, expressè siquidem in Psalmo explicantur decem nationes confœderatæ contra Israël. Et ne libera tribuatur interpretandi facultas, expressè subiungunt [illegible] nominatos confœderatos: *fuerunt brachium filiis Lot.* Vbi apertissime explicat omnes confœderatos ad hoc fuisse confœderatos vt essent velut brachium Ammonitis: quos constat esse filios Lot. *Bellum Dauidis in Ammonitas & Syros.* Testatur enim historia libri Regum quod videntes filij Ammon quod iniuriam fecissent Dauidi, miserunt & conduxerunt mercede Syrum Rooh & Syrum Soba, viginti millia peditum, & à Rege Maacha mille viros, & ab Istob decem milia virorum. Et postea subditur quòd Adadezer eduxit Syros qui erant trans fluuium. Et rursus [illegible] videntes autem vniuersi reges qui erant in præsidiis Adadezer se victos esse ab Israël, expauerunt & fugerunt & [illegible] que Syri auxilium præbere filiis Ammon. Quòd autem nationes quæ hic nominantur confœderatæ in auxilium filiorum Lot, sint illæmet quas subegit Dauid, testatur capitulum octauum secundi Regum, vbi explicantur septem illarum nationum subactæ à Dauide, scilicet Moab, Ammon, Philistiim, Amalec, Edom, Ghebal, Assur. Et tres aliæ (scilicet Zor, Ismaëlitæ, & Agareni) implicite vt puto comprehenduntur sub Syriæ nomine & dominio adepto vsque ad Euphratem. Ismaëlitæ enim & Agareni forte ideò in libro Regum tacentur, quia [illegible] eorum non fuerunt subactæ, vtpote remotiores: quamuis ipsi auxiliares filiis Lot, fuerint superati. Zor autem [illegible] pars est vt dicitur Syriæ, sub Syria comprehenditur.

Tum ex victoria insinuata in Psalmo. Ideo enim dicitur *fac illis sicut Madian* &c. vt intelligamus omnes gentes istas confœderatas fuisse victas. Et vere factum est illis [illegible] sicut Madian & Sisaræ, &c. Tum ex ignominia petita: imple facies eorum ignominia. Hoc enim directe respondet ignominiæ illatæ à filiis Ammon legatis Dauidis, radendo medias [illegible] barbas & præcidendo vestes vsque ad [illegible]. Nec obstat quòd Psalmus [illegible] scribit nationes istas confœderatas contra Deum: [illegible] *non memoretur nomen Israel vltra.* Testatur [illegible] bellum hoc contra Deum esse, dicens Abisai fratri suo 2. Reg. [illegible] *[illegible] pro populo nostro & ciuitate Dei nostri.*

Eſt igitur materia Pſalmi ad literam recurſus Dauidis ad Deum in bello tot nationum confœderatarum aduerſus eum pro Ammonitis.

SVMMARIVM EST.

Propheta contra confœderatas nationes decem ad delendum populum Dei, ſupplicat Deo vt faciat illis gentibus ſicut olim fecit: Madianitis & Chananæis: quia ſic ſuperſtites quærent & cognoſcent ipſum ſolum eſſe Dominum & excelſum ſuper omnem terram.

Perſona loquens Propheta eſt.

VERS. 1. DEVS NE TACE TIBI. Diuiditur Pſalmus in partes duas: propoſitiuam materiæ, & executiuam, ibi, *quia ecce inimici.* Proponit tria, ſic ordinanda quòd ſecundum primum teneat locum, ſcilicet, *Deus ne obſurdeſce*, ne agas ſurdum, ne tanquam ſurdus adſis petitionibus noſtris. Secundum: *ne tace tibi.* Dicere Dei eſt, facere: & conſequenter tacere Dei eſt non facere. Vnde ſupplicando *ne tace*, ſupplicat vt faciat ſibi, ciuitati ſuæ, templo ſeu tabernaculo ſuo, populo ſuo. Cauſam populi arrogat Deo: vt humano more loquendo facilius impetret: & quia in veritate contra honorem diuinum fuiſſet oppreſſio populi in cauſa tam iuſta; & quod plus eſt omnibus, quia hoſtium maligna intentio populum colentem vnum Deum intendebat deſolare. Tertium: *Et ne quieſce Deus:* hoc eſt, proſequere, ne deſiſtas. Ac ſi apertè diceret: fac pro populo tuo, & non deſiſtas adiuuando nos & deuaſtando hoſtes.

Dicere Dei eſt facere: Tacere verò eſt non facere.

Verſ. 2. QVIA ECCE. Incipit hic pars executiua tali ordine. Primùm tractatur illa particula *ne obſurdeſce.* Secundò illa, *ne tace tibi*, ibi, *quoniam conſiliati ſunt.* Tertiò illa, *& ne quieſce*, ibi, *Deus meus pone.*

Supplicando itaque ne obſurdeſcat, affert primò rationem ex parte inſurgentium. *Quia ecce inimici tui tumultuabuntur*, more accenſorum ad inuadendum: *& oſores tui eleuauerunt caput*, in ſuperbiam elati.

Secundò ex parte patientium. *Super populum tuum callebunt ſecretum.* Ammonitæ temerè iudicantes ſecretum cordis Dauidis (ſcilicet quòd legatos non humanitatis officio ſed explorandi gratiâ miſerit ad Anon regem) ſignificantur, callidè interpretantes ſecretum quod non erat. *Et conſiliabuntur ſuper reconditos tuos*, filios Iſraël ſub tua protectione ſuſceptos.

Tertiò ab inſurgentium propoſito. *Dixerunt*, definierunt Ammonitæ: hoc ſcilicet, *venite*, confœderati, *& deſolemus eos*, Hebræos, *de gente*, hoc eſt, vt non ſit gens: *& non memorabitur nomen Iſraël vltra.* Ex quo apparet quo tendebant Ammonitæ: ad bellum ſcilicet offenſiuum & exterminatiuum Iſraëlis. Ex quibus tribus apparet congruè ſupplicari Deo ne obſurdeſcat.

Verſ. 5. QVONIAM CONSILIATI SVNT. Tractatur hic illa particula, *ne tace tibi:* excitando primo Deum à multitudine confœderatorum contra ipſum Deum. *Quoniam conſiliati ſunt corde*, non ore tantùm, *pariter*, ſimul: *ſuper te*, debellandum, *fœdus ferent.* Futurum *ferient*, reſpicit præteritum *conſiliati ſunt.*

Tentoria Edom (ecce decem nationes confœderatæ) *& Iſmaelitarum*, *Moab.* Iſtæ gentes claræ ſunt: nam *Edom* ſunt Idumæi ab Eſau: *Iſmaelitæ* ab Iſmaële filio Abrahæ: *Moab*, Moabitæ à Moab filio Lot. *Et Agareni.* Hi ab Agar concubina Abrahæ, nomen matris retinuerunt. *Gebal*, hi ſunt de quibus 2 Reg. 8. dicitur quòd Dauid percuſſit & in Gebelem ad viginti tria millia. Et nihil aliud de iſtis inuenio. *Et Ammon*, Ammonitæ ab Ammon altero filio Lot: *& Amalech:* Amalechitæ, ab Amalech nepote Eſau: *Palæſtinorum:* hi ſunt Philiſtæi. *Cum habitatoribus Zor.* Aiunt Zor eſſe Tyrum. Sed minus conſonat hiſtoriæ: quoniam rex Tyri iunctus amicitiâ cum Dauide ſcribitur 3. Reg. 5. *Etiam Aſſur* (Aſſyrij ab Aſſur filio Sem ſignificantur qui in libro Regum dicuntur Syri diuerſis cognominibus: vt ibidem patet. Syria enim & Aſſyria nomina eiuſdem regionis dicuntur, diuiſæ in multas partes: quarum fortè ſuperior pars Aſſyria vocata eſt) *aſſectatus eſt cum eis.* Duxit enim Adadezer rex Soba etiam Syros vltra Euphraten: qui forte ſpeciali nomine Aſſyrij dicebantur. *Fuerunt brachium*, tanquam inſtrumentum, *filiis Lot*, Ammonitis.

Decem nationes confœderatæ in Iudæos.

Syria & Aſſyria eadem regio.

Quoniam inquam, hi omnes *ferierunt fœdus contra te*, ideo *fac illis ſicut Madian:* Excitato Deo à fœdere decem nationum contra ipſum, petit modò Propheta vt faciat illis ſicut olim fecit aliis hoſtibus ſuis. Et commemorat ſpecialiter Madian & Iabin. *Madian* bis legitur mirabiliter deuaſtatus. Primò tempore Moyſi Num 31. quando miſſis duodecim millibus pugnatorum exterminarunt Madianitas, & nec vnus quidem Iſraëlitarum occiſus eſt. Alterâ vice tempore Gedeonis, Iudic. 7. & 8. quando Gedeon cum trecentis viris aggreſſus eſt exercitum Madianitarum cum aliis Orientalibus. De vtraque proſtratione poteſt intelligi: *fac illis ſicut Madian*, id eſt, Madianitis à Madian filio Abrahæ ex Cethura vxore. Geneſ. 25. *Sicut Siſaræ*, principi exercitus Iabin regis Chanaan, Iudic. 4. Et tangitur proſtratio exercitus eius tempore Delboræ & Barac, ibidem ſcripta. Vnde ſequitur *ſicut Iabin*, hoc eſt, exercitui Iabin, *in flumine Chiſon.*

Madian bis ab Hebræis deuaſtatus.

Deſtructi ſunt in fonte Dor: nomen eſt loci. Sed aduerte hîc quòd hîc ſunt duæ dictiones: altera *En*, hoc eſt fons ſeu latitudo: altera *Dor*, quod eſt nomen proprium loci. Inuenitur tamen alibi (ſcilicet 1. Reg. 28.) *Endor* vna dictio ſecundùm Ioſephum in fine ſexti lib. Antiquit. nomen proprium ciuitatis in qua erat Pythoniſſa conſulta à Saule: & fortè ciuitas illa à fonte *Dor* denominata eſt *Endor.* *Facti ſunt ſterquilinium terræ*, in caſu datiuo: hoc eſt, cadauera eorum inhumata, fuerunt vt ſterquilinium ad impinguandum terram.

Endor quid.

Pone ipſos duces eorum. Proſtrationi exercituum adiungit proſtrationem ducum eorum: vt non tantùm in exercitus, ſed in principes eorum vindicta fiat. *Pone ipſos duces eorum ſicut Oreb, ſicut Zeeb, ſicut Zebee, ſicut Salmana.* Nomina ſunt hæc principum exercitus Madian & Orientalium, qui fuerunt tunc occiſi à Gedeone & Ephraim: vt ibi dicitur. *Omnes*, nullo excepto, *principes eorum.* *Qui dixerunt: hæreditabimus nobis habitacula Dei*, terram promiſſionis: quæ erat velut habitatio Dei: pro quanto Deus appellabat terram illam ſuam, vt habitaret nomen ſuum ibi per cultum, &c.

Verſ. 13. DEVS MEVS. Tractatur hic illa particula, *& ne quieſce Deus:* ſupplicando pro exterminatrice

terminatrice vindicta. *Deus meus pone eos vt rotam, quasi glumam faciebus venti.* Appellatione rotæ intellige similitudinem rotæ, coloris albi, naturæ leuissimæ, consurgentem ex flore cardui ad perfectionem perducto, quæ à vento facillimè impellitur: vt ad sensum videmus. Vnde solus ventus commemoratur mouens tam respectu huiusmodi rotæ quàm respectu glumæ, quæ est folliculus frumenti. Et intendit per has metaphoras quòd absque difficultate eiiciat Deus exercitus istos.

Rota quid hic significet?

Velut igne combures syluam, & sicut flamma inflammabis montes: sic sequeris eos in tempestate tua. Claræ sunt similitudines: allatæ ad hoc quòd sicut sine delectu mediante igne Deus comburit syluam & flamma montes, cùm accenditur ignis in syluis aut in montibus, ita sine delectu omnes istos persequatur hostes. Et explicat persecutionem ad similitudinem tempestatis & turbinis: non solum ad denotandam vehementiam diuinæ persecutionis tanquam desuper venientis, sed ad petendum executionem similem executioni factæ contra Chananæos, Iudic.4. quando perterruit eos Dominus intantum vt Sisara de curru exiliens, pedibus fugeret; & contra Orientales, Iudic.7. quando omnia castra eorum turbata sunt, & vociferantes vlulantesque fugerunt.

Diuina vltio sicut tempestas & turbo.

Imple facies eorum. Non sufficit Prophetæ vt pereant, sed petit vt ignominiosè pereant, sicut ipsi ignominiam intulerunt legatis. *Et quærent nomen tuum Domine.* Ecce quorsum petit vindictam, vt superstites quærant nomen Domini. Nouerat Propheta inimicos non trahi ad quærendum nomen Domini amore, sed timore, sed verberibus & afflictionibus: & propterea tanquam eis vtile & Deo honorabile, petit vt impleat facies eorum ignominia, & sic quærent nomen Dei nosse & honorare.

Confundentur & terrebuntur. Describit effectus punitionis diuinæ, vt manifestet fructum eorum. *Confundentur* non assequentes intentum, *& terrebuntur* (ad literam Syri timuerunt præbere amplius auxilium) non ad horam sed vsque semper, quantum est ex natura facti: *& erubescent*, ob ignominiam, *& peribunt*: magna enim multitudo periit: hi enim sunt effectus persecutionis diuinæ.

Et scient. Ecce fructus. *Et scient*, superstites, *quia tu*, supple es qui pugnas pro nobis: rursus scient *quia nomen tuum*, tibi proprium, *Dominus*, non horum aut illorum sed *Dominus*, absolutè, hoc est vniuersorum: & iterum scient *quia solus tu*, & alius nullus Deus aut homo, *excelsus super omnem terram*, vtpote non habens parem. Hic est fructus desiderabilis à sanctis: vtpote vtilis hominibus & honorem exhibens Deo. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori pro torcularibus filiis Core Psalmus.*

LXXXIII.

2 *QVAM dilecta tabernacula tua*
3 *Domine virtutum? concupiscit & deficit anima mea in atria Domini.*

Cor meum & caro mea: exultauerunt in Deum viuum.

4 *Etenim passer inuenit sibi domum: & turtur nidū sibi vbi ponat pullos suos.*

Altaria tua Domine virtutum: rex meus & Deus meus.

5 *Beati qui habitant in domo tua: in secula seculorum laudabunt te.*

6 *Beatus vir cuius est auxilium abs te:*
7 *ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit.*

8 *Etenim benedictionem dabit legislator: ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti super Ghithith filiis Core Psalmus.

LXXXIV.

1 *Propheta.* QVAM dilecta tabernacula tua, Domine † exercituum?

2 Concupiuit & etiam consumpta est anima mea atriis Domini: cor meum & caro mea laudabunt ad Deum viuum.

3 Etiam passer inuenit domum, & hirundo nidum sibi in quo posuit pullos suos: altaria tua Domine † exercituum, rex meus & Deus meus.

4 Beatitudines habitatorum domus tuæ: adhuc laudabunt te. *Selah.*

5 Beatitudines hominis cui fortitudo est ipsi in te: eleuationes erunt in corde eorum.

6 Transeuntes in valle fletus fontem ponent illam: etiam benedictionibus amicietur doctor.

7 Ibunt de fortitudine ad fortitudinem: apparebit ad Deum † in Siō.

† *Deo.*

8 Domine

9 *Domine Deus virtutum exaudi orationem meam: auribus percipe Deus Iacob.*

10 *Protector noster aspice Deus: & respice in faciem christi tui.*

11 *Quia melior est dies vna in atrijs tuis: super millia.*
Elegi abiectus esse in domo Dei mei: magis quā habitare in tabernaculis peccatorū.

12 *Quia misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.*

13 *Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia: Domine virtutum beatus homo qui sperat in te.*

8 Domine [4] Deus † exercituum audi orationem meam: ausculta Deus Iacob. *Selah.* † *Dy.*

9 Clypeus noster vide Deus †: & respice facies christi tui. † *Dy.*

10 Quoniam bonus dies in atriis tuis super mille: elegi esse ad limen in domo Dei mei magis quàm habitare in tentoriis impietatis.

11 Quia sol & scutū Dominus [4] Deus †: gratiam & honorem dabit Dominus, non prohibebit bonum ambulantibus in perfectionibus. † *Dy.*

12 Domine [4] exercituum: beatitudines hominis confidentis in te.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Vincenti super ghitbith filijs Core Psalmus.* *Ghitbith* instrumentum dicitur musicum denominatum ab vrbe Gath. Filij Core inter cantatores computantur, denominati à patre seditioso seu schismatico contra sacerdotium Aaron Num. 16. eā etiam ratione quia vt dicitur Num. 26. *factum est grande miraculum vt pereunte Core non perirent filij eius.* Significatur itaque quòd Psalmus iste deputatus est cantandus à filiis Core super illo instrumento musico: vel quòd filij Core materiam Psalmi præbuerunt. (Num. 26. 10.)

Materia. Templū Dei. Materia Psalmi (vt ex ipso colligitur Psalmo) est templum Dei vt amabile, desiderabile ac delectabile: clara enim mentio atriorum & altarium & apparitionis coram Deo in Sion, testatur quòd de Templo Dei in Sion est sermo ad literā.

SVMMARIVM EST.

Propheta domum Dei & illius atria amabilia describit ex Deo viuo, ex altaribus, ex tam habitantium quàm concurrentium beatitudine, & ex doctrina: ita quod elegit melius esse in limine domus Dei quàm in penetralibus impiorum: profitens beatos esse confidentes in Deo, quia Dominus sol, scutum, largitor gratiæ & honoris, &c. est.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. Qvam dilecta. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *cor meum.* Proponit duo. Alterum ex parte templi Dei: quod scilicet est dilectum: *Quàm dilecta tabernacula tua.* Pluraliter dixit, *tabernacula*, propter diuisionem inter Sanctum & Sanctum sanctorum. Vel quia iam multiplicata erant, nam Dauid non transtulit tabernaculum quod fecerat Moyses in Sion: sed construxit aliud, transferendo arcam in tabernaculum nouum. Ad significandum ergo & quòd prius tabernaculum fuit dilectum, & quòd nouum tabernaculum est dilectum, dixit pluraliter, *tabernacula.* Quamuis etiam hoc possit intelligi ratione adiunctorum habitaculorum: quæ erant habitacula ministrorum templi. Alterum ex parte Prophetæ, scilicet desiderium & delectatio. *Concupiuit & etiam consumpta est anima mea atrijs Domini*, construēdis seu habitandis. Animæ consumptio magnitudinem affectus significat ad manendum in atriis Domini: aut magnitudinem delectationis, vsque adeo vt videatur consumi anima, hoc est, abstrahi ab operationibus animalibus: vt contingit in ecstasi: & ad literam explicatur magnitudo affectus Dauidis ad domum Dei. (*Cur pluraliter dicit Tabernacula?*)

Vers. 2. Cor mevm. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *quàm dilecta tabernacula tua.* Secundò illa, *concupiuit, & etiam consumpta est*, ibi, *Domine Deus.*

Tractatur itaque amabilitas domus Dei ex capitibus sex. Primò ex parte Dei: declarando quòd Deus est ratio totius amoris & cultus templi. *Cor meum*, mens mea, *& caro mea.* Siue per carnem intelligas partem sensitiuam, siue etiam carnalia membra, de vtrisque enim verificatur quòd *cantabo laudando Deum:* Dauid enim etiam corporali ministerio laudauit Deum in translatione arcæ: vt patet 2. Regum 6. Et dictio Hebraica quæ hîc ponitur, significat laudem mixtam cantui. (*Amabilitas domus Dei ex sex capitibus.*)

Etiam passer. Secundò ex parte altaris, sumptâ metaphorâ ab auibus quoad duo: hoc est, *habitaculum*, pro eis, & *nidum* pro pullis earum. Ita quòd comparantur altaria & habitaculo & nido: quia præstant bonum homini pro se & pro genere: & cum hoc describitur delectatio Dauidis in sacrificiis Dei quemadmodum delectantur aues inuento habitaculo & inuento nido. *Altaria* dicit: quia in rei veritate plura erant altaria: aliud enim erat altare holocaustorum, & aliud altare thymiamatis. *Rex meus & Deus meus.* Gratias agendo de tanto beneficio, appellat regem à regendo, quia prouidit nobis de altaribus conferentibus & quod est domus & quod est nidi: & Deū ratione cultus qui exhibetur super altaribus.

Beatitudines. Tertiò à beatitudine habitantium in domo Dei. *Beatitudines*, in spe, sunt *habitatorum domus tua*, Sacerdotum, Leuitarum, & vniuersaliter ministrorū tuorum: quia *adhuc*, hoc est, sine cessatione, *laudabunt te.* Propriè aduerbiū *adhuc*, significat semper superesse futurā laudem. Quod constat adimpleri in successiuis laudibus Dei in hac vita: quia laus succedit laudi.

Beatitudines hominis. Quartò à beatitudine communi omnibus concurrentibus ad domum Dei in veritate cordis sui. *Beatitudines*, in spe, sunt *hominis fortitudo ipsi in te:* hoc est, cuius for-

titudo est in te, non in seipso: hoc est, non ponit in seipso spem, confidendo in viribus humanis, sed fortitudinem suam ponit in Deo. Ita quòd denominantur verè concurrentes ad Deû, ex cordis proprij æstimatione, quà Deum recognoscunt esse fortitudinem suam. *Quia elevationes in corde eorum*, non habent corda depressa ad terrena tales homines, sed eleuata ad ea quæ Dei sunt.

Valle fletus. *Transeuntes in valle fletus.* Quintò à fiducia afflictorum: ex hoc scilicet quòd afflicti transeuntes in valle fletus (omnia afflictionum genera comprehendit in valle fletus, & omnes afflictos comprehendit, dicendo, *transeũtes in valle fletus*) *fontem ponent illam*: scilicet domum Dei: habebût enim domum Dei vt fontem refrigerij, vt locum consolationum, vt locum ad quem suspirabunt vt ad fontem gratiarum & consolationum. At si textus iste meminit certi loci qui Iudic. 2. appellatur *locus flentium* (pro eo quòd omnis Israël reprehensus ibi ab Angelo quòd violassent fœdus diuinum in sui ruinam, fleuerint) tractatur hic amabilitas domus Dei ab affluentia bonorum inde proueniente. Et est sensus quòd Israëlitæ videntes affluentiam diuinorum beneficiorum ex templo Dei, transeuntes in valle fletus (hoc est, recordati violati fœderis diuini & diuinarũ monitionum ac comminationum: sicut illi transeuntes per illam vallem, flentium ex loco recordantur) non solùm flebunt, sed fontem lachrymarum ponent, efficient illam vallem, recognoscendo quantum damnum incurrerunt tanto tempore, sustinentes idola: ex affluentia enim diuinorum beneficiorum ex cultu in domo Domini, conuicti quòd abundassent bonis si Deum coluissent, tanta abundantia lachrymarum effluent quòd fontem non locum lachrymarum efficient vallem illam.

Doctores benedictionibus vestiti. Sextò à cõditionibus doctorum in domo Domini. *Etiam benedictionibus amicietur doctor*: hoc est, erunt doctores vestiti benedictionibus internarum virtutum, id est, erunt doctores prædìti virtutibus, docentes non solùm verbo sed vitâ & exemplo. Et ecce fructus talium doctorum. *Ibunt*, populi discentes, *de fortitudine ad fortitudinem*, & non de fortitudine ad otium aut ingratitudinem, sed progredientur de fortiter gestis ad alia fortiter gerenda: & tandem *apparebit*, quilibet eorum, *ad Deum in Sion*, loco templi, cultum exhibendo, gratias agendo, &c.

Vers. 8. DOMINE DEVS EXERCITVVM. Tractatur hîc illa particula, *concupiuit, & etiam consumpta est anima mea atrijs Domini*, tali ordine. Primò petit quod hîc concupiuit. *Audi orationem meam, ausculta Deus Iacob: clypeus noster vide Deus, & respice faciem christi tui*, Dauidis. Hoc est, quod desiderauit: vt Deus respiciat benigno oculo faciem Dauidis apparentis coram se in templo seu tabernaculo Dei. Humano more petitionem explicat: quo quos diligimus respicimus in facie, exosos autem non respicimus.

Secundò rationẽ reddit quare concupiuit atriis Domini. *Quoniam bonus dies*, supple vnicus, *in atrijs tuis super mille*, dies alibi: ideo *elegi esse ad limen in domo Dei mei magis quàm habitare in tentorijs impietatis*. Et consistit ratio maioris boni, tum quia dies vnus in atriis Dei est bonus animę, habitatio autem cum impiis est mala animæ: tum quia etiam bona temporalia cultus Dei tunc temporis præstabat, multo potentius quàm societas impiorum. Aduerte hîc quòd dictio Hebraica quam interpretes exponendo dixerunt *esse ad limen*, sonat si Latina lingua admitteret *liminare* infinitiuum.

Tertiò à conditionibus Dei: *Quia sol*, iustitiæ & omnis veritatis, *& scutum*, contra cuncta aduersantia, *Dominus Deus*: rursus quia *gratiam*, tam internam quàm externam, *& honorem dabit Dominus*: item quia *non prohibebit bonum ambulantibus in perfectionibus*, morum, vitæ, cultúsque diuini. Ideo *Domine exercituum*, *beatitudines sunt hominis confidentis in te*. Collige triplex genus beneficij descriptum: & perspicies meritò illatum quòd beatitudines in spe sunt cuiuslibet qui confidens est in Deo: vtpote habens Deum pro sole & scuto, vtpote obtenturus gratiam & honorem etiam coram hominibus, vtpote cui accumulanda sunt bona animæ & corporis & in hac vita & in alia. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Victori filiorum Core Psalmus.*	Vincenti filiis Core Psalmus.
LXXXIV.	LXXXV.
2 *BENEDIXISTI Domine terram tuam: auertisti captiuitatem Iacob.*	1 *Propheta.* VOLVISTI Domine terram tuam: reduxisti captiuitatem Iacob.
3 *Remisisti iniquitatem plebis tuæ: operuisti omnia peccata eorum.*	2 Condonasti iniquitatem populo tuo: operuisti omne peccatum eorum. *Selah.*
4 *Mitigasti omnem iram tuam: auertisti ab ira indignationis tuæ.*	3 Collegisti omnem iram tuam: fecisti redire ab indignatione furorẽ tuũ.
5 *Conuerte nos Deus salutaris noster: & auerte iram tuam à nobis.*	4 Reduc nos Deus salutis nostræ: & frange iram tuam nobiscum.
6 *Nunquid in æternum irasceris nobis: aut extendes iram tuam à generatione in generationem.*	5 Nunquid æterno indignaberis in nobis: protrahes iram tuam generationi & generationi?

6 Nonne

7 *Deus tu conuersus viuificabis nos : & plebs tua lætabitur in te.*	6 Nõne tu reuerteris, [nonne] viuificabis nos ? & populus tuus lætabuntur in te.
8 *Ostende nobis Domine misericordiam tuam : & salutare tuum da nobis.*	7 Fac nos videre Domine gratiã tuam : & salutem tuam da nobis.
9 *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam. Et super sanctos suos : & in eos qui conuertuntur ad cor.*	8 Audiam quid loquetur ipse Deus Dominus *: quoniam loquetur pacem ad populum suum & ad gratiosos suos, & non reuertentur ad stultitiam.
10 *Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius : vt inhabitet gloria in terra nostra.*	9 Tantum prope timentes † eius salus ipsius : ad habitandum honor in terra nostra. († timentibus.)
11 *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi : iustitia & pax osculatæ sunt.*	10 Gratia & veritas obuiauerunt : iustitia & pax osculatæ sunt.
12 *Veritas de terra orta est : & iustitia de cælo prospexit.*	11 Veritas de terra germinabit : & iustitia de cælis prospecta est.
13 *Etenim Dominus dabit benignitatem : & terra nostra dabit fructum suum.*	12 Etiam Dominus * dabit ipsum bonum : & terra nostra dabit fructum suum.
14 *Iustitia ante eum ambulabit : & ponet in via gressus suos.*	13 Iustitia faciebus eius ibit : & ponet viæ gressus eius.

COMMENTARIVS.

Titulus est : *Vincenti filijs Core Psalmus.* De quo vt suprà.

Materia. Materia Psalmi (vt verba Psalmi præ se ferunt) est redemptio quæ tunc expectabatur per Messiã. Ad cuius euidentiam aduertendum est, Psalmum tractare duas captiuitates. (*Duæ Iudæorũ captiuitates hic tractantur.*) Alteram præteritam, in primis tribus versiculis: alteram futuram, quantùm ad redemptionem à quarto versiculo vsque ad finem. Et de præterita non est quæstio : cùm constet esse reductionem ex seruitute Ægyptiaca: de futura autem in dubium vertitur an sit Babylonica captiuitas, an captiuitas quæ expectabatur redimenda per Messiam.

Apparet autem ex duobus quòd non sit sermo de reductione ex captiuitate Babylonica, sed de redemptione per Messiam. Primò ex pace hîc prophetatâ. Redeuntes enim ex captiuitate Babylonica non habuerunt tantam pacem, quanta hîc describitur, nam & impediti sunt ædificare templum cœptum ab hominibus & Cambyse rege Persarum, 1. Regum 4. & postea licentiâ obtentâ à Dario ædificandi, nihilominus tanto timore hostium premebantur quòd vnâ manu ædificabant murum Hierusalem, & altera faciebant opus, Nehemiæ 4. Secundò ex iustitia descripta, seu prophetata : nam tunc qui redierunt ex captiuitate non habuerunt iustitiam ante oculos suos, sed vt patet 1. Esdræ 9. & Principes & Sacerdotes & Leuitæ & populus transgressi sunt mandata Dei, miscentes semen sanctum cum prohibitis gentibus : Ethæis, Pherezæis, Iebusæis &c. Quia itaque ea quæ prophetantur in Psalmo dissonant ab iis quæ acciderunt in reductis ex captiuitate Babylonica, & valde consonant redemptioni per Messiam (quæ iustitiam, pacem, gratiam & veritatem secum tulit plenissimè) ideo materia Psalmi ad literam est redemptio tunc à patribus expectata adimplenda per Messiam. Vnde & in textu non describitur captiuitas vt futura, sed vt præsens, liberatio autem vt futura : vt patet intuenti.

SVMMARIVM EST.

Propheta pro redimenda per Messiam humani generis captiuitate supplicans, describit Messiæ præsentiam à prædicatione pacis, à concursu gratiæ & veritatis, iustitiæ & pacis : cum fructificatione pacis & cælestis iustitiæ, &c.

Persona loquens Propheta est.

VOLVISTI DOMINE. Diuiditur Psalmus in partes duas : propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *nunquid æterno.* Proponendo materiam commemorat prius simile antiquum beneficium Dei: scilicet eductionem populi de Ægypto in terram promissionis. *Voluisti Domine.* habitare. Genes. 15. differre se dicit Deus executionem habitandi terram promissionis, quia *nondum sunt completæ iniquitates Amorræorum* : quibus completis habitauit Deus terram promissionis per populum suum. Et ideo tanquam iam aduenerit tempus habitãdi dicit Propheta. *Voluisti Domine,* supple habitare per populum tuum, *terram tuam,* hoc est, terram promissionis: iuxta illud Leuit. 25. *Terra non vendetur in perpetuum, quia mea est, & vos aduenæ & coloni estis.* *Reduxisti captiuitatem Iacob*, populi Israël ex seruitute Ægyptiaca. Et dicit *reduxisti* : quia Genes. 15. promittitur, *generatione quartâ reuertentur huc.* *Condonasti iniquitatem populo tuo.* In itinere dum populus reduceretur à Deo in terram in qua prius fuerant patres eius, peccauit populus pluries : ita quòd merebatur non introduci in terram promissam: & propterea hîc dicitur quòd non obstantibus peccatis Deus reduxit eos. *Operuisti omne peccatum eorum.* Vbi multitudinem peccatorum in itinere commissorum significat. *Collegisti omnem iram tuam*, à dispersione populi: (VERS. 1.; Leuit. 25.)

fecisti redire ab indignatione furorem tuum, quo volebas populum disperdere.

Reduc nos. Postquam redemisti ex Ægypto & condonasti tot crimina, superest vt reducas nos. de captiuitate peccati, *Deus salutis nostræ: & frange iram tuam nobiscum*, quam contra nos habes ex communi generis humani peccato. Et hæc duo sunt quæ proponit: quæ sancti patres expectabant adimplenda per Messiam.

Vers. 5. NVNQVID ÆTERNO. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *frange iram tuam nobiscum.* Secundò illa, *reduc nos Deus salutis nostræ*, ibi, *audiam quid loquetur.* Fractionem iræ tractat à terminatione illius. *Nunquid æterne indignaberis in nobis?* quasi dicat, absit: *protrahes*, hoc est, nunquid protrahes, *iram tuam generationi & generationi*, successiuè, sine fine? quasi dicat, absit.

Nonne tu reuerteris. More humano loquitur, tanquam indignatus abierit Deus, quòd quandoque reuertetur. Et intendit quòd recessit subtrahendo gratiam, reuertetur conferendo eam. *Viuificabis nos*, hoc est, nonne tu viuificabis nos, vitâ gratiæ: *& populus tuus lætabuntur* (constructio de significato) *in te*: effectus internæ vitæ spiritualis est lætitia in Deo. *Fac nos videre Domine gratiam tuam.* Non solùm terminabitur ira tua, sed cum prouentu gratiæ tuæ. Perspice in hac petitione quod Dominus ait: *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre quæ vos videtis & non viderunt. Et salutem tuam dabis nobis*, non solùm videbimus gratiam tuam, sed dabis cum illa salutem, non humanam, sed tuam.

Lætitia in Deo est effectus internæ vitæ.

Vers. 8. AVDIAM QVID LOQVETVR. Tractatur hîc illa particula, *reduc nos Deus salutis nostræ:* describendo reductionem primò à doctrina Messiæ. *Audiam quid loquetur ipse Deus Dominus. Sermonem*, inquit Christus, *quem audistis non est meus, sed eius qui misit me.* Audiam, inquit, id quod prædicabit tunc Deus: *quoniam loquetur pacem*, Euangelium pacis, *ad populum suum, & ad gratiosos suos*, discipulos, quibus mandauit, *Gratis accepistis, gratis date.* Gratiosos appellat gratis dantes. *Et non reuertentur ad stultitiam.* Nota hunc effectum aduentus Christi, quòd non sunt amplius reuersi Iudæi ad stultitiam idololatriæ.

Ad idololatriã non sunt reuersi Iudæi post Christi aduentum.

Tantum prope timentes eius salus ipsius. Duplex potest esse sensus. Alter significans effectū Euangelij pacis: quòd licet, sit propositum omnibus, non tamen effectum salutis pariet omnibus, sed tantum apud timentes Deum: hoc est, apud eos quos Deus tangit intus suo timore: *Nemo*, inquit Christus, *venit ad me nisi Pater qui me misit traxerit eum*, interno motu. Alter est significans corporalem præsentiam Christi prædicantis Euangelium pacis non apud omnes, sed apud Iudæos, significatos per *timentes Deum:* quoniam cùm totus mundus idololatriæ vacaret, sola gens Iudæorum timebat Deum. Et tunc est sensus quòd salus eius, id est, prædicatio salutifera Messiæ, erit tantum prope Iudæos timentes Deum: iuxta illud: *Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.* Et iuxta hunc secundum sensum continuanda est hæc particula cum immediatè sequenti, *ad habitandum honor in terra nostra:* vt sit continuatio appositiua: salus, appositiuè honor ad habitandum in terra nostra. Et tunc hoc est, Messias, honor Dei & totius mundi ad habitandum præsentiâ corporali in sola terra promissionis. Quam Propheta appellat, *terram nostram:* quia erat Iudæorum quantum ad vsum & fructum, Dei autem quantum ad proprietatem: vt dictum est in principio Psalmi. Iuxta primum verò sensum non est cum præcedentibus, sed cum sequentibus continuanda hæc particula, *ad habitandum honor in terra nostra.* Et est sensus: honor erit ad habitandum in terra nostra cùm *gratia & veritas obuiauerunt:* ita quòd gratia & veritas obuiauerunt quando honor Messiæ habitabit in terra nostra per mysterium incarnationis. Quouis autem modo continues, proculdubio per obuiationem gratiæ & veritatis, &c. describitur Messias, prophetando quòd in aduentu eius gratia & veritas obuiauerunt: *Vidimus*, inquit Ioannes, *eum plenum gratiæ & veritatis: & de plenitudine eius omnes accepimus.* Ita quòd gratia & veritas non solùm obuiauerunt, in persona Messiæ coniunctæ, sed per ipsum ad vniuersos diffundendæ. *Iustitia & pax osculatæ sunt.* Considera horum quatuor concursum: & videbis nihil deficere.

Veritas de terra germinabit, & iustitia de cælo prospecta est. Aduerte hîc quòd dictio Hebraica significat *germinare*, seu *florere*, ita quòd non dicit veritatem germinari, sed germinare: hoc est, quòd ipsa veritas emittit florem, seu germen. Vnde prouenit quòd potest esse duplex sensus literæ. Alter: veritas de terra, hoc est, terrestris, germinabit. Et sic significatur quòd veritas producet flores, germina & fructus suos. Et verè hoc adimpleri videmus tempore Messiæ: in quo nullus est locus figmentis, sed soli veritati: iuxta verbum Domini: *Ego ad hoc natus sum vt testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate audit verba mea.* Et sic dicitur veritas de terra; hoc est, veritas humanis mentibus naturaliter insita, germinabit germen fidei. Nam veritas naturalis tanquam irrigata prędicatione Euangelica, proferet assensum fidei velut suum florem seu germen. Verum quippe vero germanum est: & veritas fidei nonnullus est fructus veritatis naturalis, ex dono tamen Dei: & præter hoc veritas nobis insita germinabit rectitudinem morum & operum.

Veritas de terra quomodo germinabit

Alter sensus est: *Veritas germinabit de terra:* hoc est, ex terra, ex terrenis hominibus, emittet germina sua. Et hoc est valde mirabile quòd veritas quæ tantum inuenit in hominibus locum, tempore Messiæ germinat, profert germina sua ex terrenis hominibus. Quod adimpletum videmus in vniuersis nationibus conuersis ad veritatem Euangelicam.

Similiter duplici sensu exponi potest, *& iustitia de cælis prospecta est.* Alter est: Et iustitia de cælis, hoc est, iustitia cœlestis, prospecta est: quæ est iustitia fidei. Alter est: Et iustitia prospecta est de cælis. Ante Messiam iustitia non est visa, nisi de terris, nisi ab hominibus terrenis dicta & exercitata: tempore Messiæ iustitia visa est à cælis instituta (qualis est iustitia fidei) promissa, prædicata, &c. propter multitudinem miraculorum approbantium illam.

Vers. 12. ETIAM DOMINVS. Accumulat diuina beneficia futura tempore Messiæ. *Etiam Dominus dabit ipsum bonum*, tum dando deitatem homini: *pater meus quod dedit mihi maius est omnibus.* Tum largiendo veræ bonitatis abundantiam humano generi: *& terra nostra dabit fructum suum*, hominem Messiam vltimum expectatum

ex terra nostra. Tum multitudinem bonorum operum. *Iustitia faciebus eius,* Messiæ, *ibit*, dirigens ipsum ad omnia iusta opera: *decet* enim *nos implere omnem iustitiam,* dixit ipse Ioanni Baptistæ: *& ponet via gressus eius,* Christi: hoc est, non solùm dirigendo sed exequendo iustitia coram eo erit: multi enim habent iustitiam ante mentis oculos directricem, sed non ponentem in executione gressus eorum in via huius vitæ: quia quandoque in executione deficiunt. Messiæ autem gressus iustitia non solùm diriget tanquam ante eum præcedens, sed etiam ponet exequendo toti viæ huius vitæ gressus illius: ipse enim solus est qui peccatum non fecit. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Oratio Dauid.

LXXXV.

1 *INCLINA Domine aurem tuam & exaudi me: quoniam inops & pauper sum ego.*
2 *Custodi animam meam quoniam sanctus sum: saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te.*
3 *Miserere mei Domine quoniam ad te*
4 *clamabo tota die: lætifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuabo.*
5 *Quoniam tu Domine suauis & mitis & multæ misericordiæ: omnibus inuocantibus te.*
6 *Auribus percipe Domine orationem meam: & intende voci deprecationis meæ.*
7 *In die tribulationis meæ clamaui ad te: quia exaudisti me.*
8 *Non est similis tui in dijs Domine: & non est secundùm opera tua.*
9 *Omnes gentes quascunque fecisti venient: & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum.*
10 *Quoniam magnus es tu & faciens mirabilia: tu es Deus solus.*
11 *Deduc me Domine in via tua, & ingrediar in veritate tua: lætetur cor meum vt timeat nomen tuum.*
12 *Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo: & glorificabo nomen tuum in æternum.*
13 *Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam ex inferno inferiori.*
14 *Deus iniqui insurrexerunt super me, & synagoga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo.*
15 *Et tu Domine Deus miserator & misericors: patiens & multæ misericordiæ & verax.*
16 *Respice in me & miserere mei: da imperium tuum puero tuo: & saluum fac filium ancillæ tuæ.*

IVXTA HEBRÆVM.

Oratio Dauidi.

LXXXVI.

1 *Propheta.* INCLINA Domine † aurem tuam, responde mihi: quia pauper & mendicus ego.
2 Custodi animam meam, quia gratiosus ego: salua seruum tuum tu Deus meus confidentem in te.
3 Miserere mei Domine †: quoniam † *Domini mei.*
ad te vocabo tota die.
4 Lætifica animam serui tui: quia ad te
Domine † animam meam leuabo. † *Domini mei.*
5 Quoniam tu Domine † bonus & † *Domini mei.*
ignoscens & multus gratia: omnibus vocantibus te.
6 Ausculta Domine † orationem meam: & ausculta in vocem deprecationum mearum.
7 In die angustiæ meæ vocabo te: quia respondebis mihi.
8 Non sicut tu in diis Domine †: & † *Domini mei.*
non sicut opera tua.
9 Omnes gentes quas fecisti venient: & curuabunt se faciebus tuis Domine † & honorabũt nomen tuũ †. † *nomini tuo.*
10 *Professio gentium.* Quia magnus tu, & faciens separata tu: Deus † solus tu. † *Dij.*
11 *Propheta.* Doce me Domine † viam tuam, ibo in veritate tua: vni cor meum timori nominis tui.
12 Confitebor te Domine † Deus meus † *Domini mei.*
in toto corde meo: & honorabo nomen tuum sempiterno.
13 Quia gratia tua magna super me: & eruisti animam meam à fouea inferiori.
14 Deus † superbi surrexerunt super me, † *Dij.*
& cœtus robustorum quæsierunt animam meam: & non posuerunt te coram se.
15 Et tu Domine † Deus miserator & † *Domini mei.*
misericors: longus furorum, & multus gratia & veritas.
16 Vertere ad me & miserere mei: da fortitudinem seruo tuo, & salua filium † ancillæ tuæ. † *filij.*

17 *Fac mecum signum in bonum & videant qui oderunt me & confundantur: quoniam tu Domine adiuuisti me & consolatus es me.*

17 Fac mecum signum bonitati: & videbunt osores mei & confundentur, quia tu Domine [4] auxiliatus es mihi & consolatus es me.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Oratio Dauidi.* Iste est secundus Psalmus habens pro titulo *oratio:* quia per modum orationis conditus est.

Materia. Materia eius (quantum ex ipso Psalmo apparet) est ipsemet Dauid constitutus in persecutione ab Absalom. Quòd enim Dauid pro seipso oret in hoc Psalmo, facilè intelligitur ex Apostolica regula: scilicet quia nihil eorum quæ de seipso dicit excedit personam eius, sed omnia verificantur de ipso: vt facile esset discurrendo per singula monstrare.

Quòd autem de persecutione ab Absalom loquatur, apparet ex eo quòd manifestè petit saluari à congregatione quærentium animam suam: adiungens vt videant, *quoniam tu Domine adiuuisti me & consolatus es me.* Hinc enim apparet quòd aut de persecutione à Saule, aut de persecutione ab Absalom loquitur: tertia enim non inuenitur congregatio odientium quærentium animam eius, propriè loquendo. Hostilia siquidem bella exterorum tendebant directè contra statum regni & non contra vitam Dauidis: sed persecutio tam Saulis quàm Absalom directè tendebat contra vitam Dauidis. *Persecutio Saulis & Absalom directè tendebant in vitā Dauidis.* Constat autem ex tertiodecimo versiculo quòd tempore istius Psalmi anima Dauidis erat eruta ex fouea inferiori: per hoc quòd remissum erat ei crimen quo meruerat foueam inferiorem: hoc est, infernum. Et quòd toto tempore persecutionis à Saul nunquam legitur crimen aliquod Dauidis: sed postquam factus est rex commisit crimen homicidij & adulterij ante persecutionem ab Absalom: & quòd audierat à Nathan Propheta remissum sibi peccatum.

At si obiecerit quispiam Dauidem etiam persequente ipsum Saule incurrisse crimen homicidij: dicente ipso 1.Regum 22. *Ego sum reus omnium animarum patris tui: sciebam enim in die illa quòd cum ibi esset Doech Idumæus, proculdubio annunciaret Sauli.* *1.Reg.22.* Agnoscat se errare: quoniam secundùm veritatem Dauid tunc non incurrit crimen aliquod. Tum quia sciens quòd Doëch annunciaret Sauli se vidisse Dauidem apud Achimelech &c. non tamen sciebat nec suspicabatur, nec suspicari tenebatur quòd propterea Saul sæuiret in deceptum & innocentem sacerdotem. Tum quia Saluator declarauit Dauidem tunc in gestis ibidem iustum: assumendo in exemplum à Dauide tunc iusto quòd comedit panes sanctos: constat enim ex eo quòd Dauid tunc iustus comedit panes sanctos, Saluatorem declarare actum comedendi panes sanctos fuisse licitum in necessitate. Non enim à viro tanti sceleris tunc exemplum assumpsisse ad excusandum discipulos intelligi potest: cùm hoc sit à ratione alienum. Non igitur crimen incurrit propter præsentiam Doëch: sed Dauid dixit se reum non affectu aut imprudentiâ, sed facto, sed opere gesto coram Doëch. Et locutus est more humano quo consueuimus quibuscumque malis occasionaliter secutis ex facto nostro quantumcunque simus innocentes dicere, Ego fui causa tot malorum. Et ad consolandum Abiathar dixit Dauid: Ego sum reus, hoc est, ego debeo facere satis pro omnibus animabus patris tui, ego constituo me debitorem, satisfacturum, &c.

Igitur ad literam Dauid constitutus in tribulatione ob persecutionem ab Absalom, in hoc Psalmo orat pro seipso.

SVMMARIVM EST.

Dauid eiectus ab Absalom, orans petit vt Deus ad se pauperem, gratiosum, confidentem in Deo seruum, inclinet aurem suam & respondeat, quia ipse Deus bonus, ignoscens & multus gratia. Et videns quia Deus respondit: contemplatur inde inter Deos quidem nullum similem Deo, in genere verò humano omnes gentes adoraturas quandoque Deum: ipse verò Dauid prius gratias aget de percepta venia criminis, petens vt dirigat se in via Dei cum plenitudine timoris Dei: & vltimò petet saluari ab hac temporali tribulatione, & lætificari, &c.

Persona loquens Propheta est.

Inclina Domine. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *quoniam tu Domine.* Proponit sex petitiones. Prima est: *Inclina Domine aurem tuam.* Humano more tanquam pauper ad principem recurrens, non audet petere audi me: sed vt dignetur aures pauperi præstare: hoc enim denotat petendo *inclina.* *Vers. 1.* *Sex Dauidis petitiones.*

Secunda petitio est. *Responde mihi.* Diuitibus non est opus supplicare vt princeps respondeat: quoniam suapte naturâ diuites respondent diuitibus: sed pauper etiam supplicans, vix obtinet vt princeps sibi respondeat. *Quia pauper & mendicus ego.* Indigentiam simul & rationem duarum præmissarum petitionum aperit. Et quamuis metaphoricè possit intelligi Dauid profitens se pauperem & mendicum (scilicet comparens coram Deo tanquam pauper & mendicus coram principe: & hic sensus literalis consonet metaphoricæ petitioni *inclina aurem tuam*) potest tamen etiam propriè intelligi quòd Dauid profitetur se pauperem & mendicum respectiuè ad statum regium à quo ceciderat: ita quòd erat rex *pauper* (vtpote manifestè indigens) & *mendicus:* vtpote ex alienis opibus viuens (vt patet 2.Regum 16. & 17.) tanquam ex mendicitate.

Tertia: *Custodi animam meam*, vitam meam, *quia gratiosus ego.* Docuit Dominus orando dicere: *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.* Petens Dauid custodiri vitam suam, allegat quia ipse fuit gratiosus aliis: saluauit enim bis vitam Saulis: & in proposito gratiosè indulserat Absalom qui interfecerat Amnon.

Quarta petitio: *Salua seruum tuum tu Deus meus,* seruum tuum, inquam, *confidentem in te.*

Quinta:

Quinta: *Miserere mei Domine*, in hac miseria constituti: *quoniam ad te vocabo*, recurram, *tota die, sine intermissione.*

Sexta: *Lætifica animam serui tui, quia ad te Domine animam meam leuabo*, per contemplationem. Aduerte hîc Dauidem citare vndique rationes. Ex parte malorum, indigentiam, periculúmque vitæ. Ex parte bonorum spiritualium, gratiositatem, seruitutem Dei, confidentiã, recursum, & contemplationem: vt vndique ex parte animi & corporis humano more prouocet Dei gratiam. Vbi simul aduerte quòd docet conditiones quas debet habere nostra oratio: vt scilicet sit fulta virtutum meritis, & recursu ad Deum cum fiducia, seruitute, eleuationeque mentis, petendo necessaria.

Docentur hic conditiones Orationis.

Vers. 5. Qvoniam tv Domine. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *Inclina Domine aurem tuam*, simul cum illa *gratiosus ego.* Secundò tractatur illa, *responde mihi quia pauper & mendicus ego*, ibi, *in die angustiæ.* Tertiò tractatur illa, *custodi animam meam*, simul cum reliquis, ibi, *Deus superbi.* Tractatur itaque, *inclina Domine aurem tuam mihi:* assignando rationem ex conditionibus Dei tribus. *Quoniam tu Domine bonus*, omnibus, & *ignoscens*, peccatoribus, & *multus*, non semel aut bis sed multiplicatis vicibus, *gratiâ* gratis præstâsi *omnibus*, nullo excepto, *vocantibus te.* Ideo *ausculta Domine orationem meam, & ausculta in vocem deprecationum mearum.*

Vers. 7. In die angvstiæ meæ. Tractatur hîc illa particula, *responde mihi quia pauper & mendicus ego:* assignando rationem ex effectibus bonis consequentibus ad responsionem Dei. Et intendit quòd ideo ipse in die angustiæ suæ recurret ad Deum, quia Deus respondebit sibi: hoc est, quia Deus curam se habere afflictorum perseueranter monstrabit, ideo ipse recurret in afflictione sua ad Deum. Ideo nullus inter Deos similis Deo apparebit: vtpote nullo habente curam afflictorum, nullo faciente opera prouidentiæ circa homines quæ tu facis. Et similiter ideo omnes gentes quandoque te adorabunt: ideo ego petam vt dirigas viam meam, &c. Et vt vno verbo dicatur, intendit quòd quia Deus respondet operibus prouidentiæ quibuscumque afflictis recurrentibus ad se, ideo nullus similis inter Deos, ideo omnes gentes adorabunt, &c. Adimpleri que prophetiam hanc non est dubium.

Quia magnus tu. Professio est hæc omnium gentium. *Quia magnus tu*, & hoc quoad excellentiam: & *faciens separata tu*, & hoc quoad opera: *Deus solus tu*, & hoc quoad naturam.

Doce me Domine. Proposuit *in die angustiæ mea vocabo te:* modò exprimit ad quid vocabit. Vbi nota ordinem. Primò vocat largitatem spiritualis gratiæ. *Doce me*, intus, *viam tuam*, cum efficacia, ita quòd *ibo in veritate tua:* hoc est, ad hoc vt eam in veritate tua, in veritate doctrinæ tuæ, morum tuorum, fidei tuæ, &c. *Vni cor meum.* Non sufficit quòd doceas, quòd instruas partem intellectiuam: sed oportet vt illabaris in partem affectiuam, in voluntatem meam. *Vni cor meum timori nominis tui*, vt ex integro te timeat, & non sit cor meum sicut prius ex parte tantum te timens. Et sicut promitto: *confitebor te Domine in toto corde meo*, confessione fidei: & *honorabo nomen tuum sempiterno. Quia gratia tua magna super me*, fuit: & *eruisti animam meam à fouea inferiore*, ab inferno damnatorum quem merueram ex adulterio & homicidio.

Quænam hic fouea inferior?

Aduerte hic quòd si de fouea sepulchri intelligeret, non apposuisset illud adiectiuum *inferiore:* cùm fouea suapte naturâ significet locum inferiorem. Ex hoc ergo adiectiuo apparet quòd de inferno loquitur: quæ est fouea inferior sepulchro. Immo ad literam dixit *ex fouea inferiore* propter foueam superiorem animæ, non corporis: ad quam descendebant tunc temporis iusti morientes. Ita quòd fouea damnatorum appellatur fouea inferior respectu limbi patrum qui est fouea superior: qui in sacris literis appellatur infernus.

Vers. 14. Devs svperbi svrrexervnt. Tractatur hîc illa particula, *custodi animam meã.* Vbi nota duo. Alterum quòd Propheta continuat orationem, ponendo tertio loco petitionem bonorum corporalium: postquam enim petiit id quod erat spiritualis salutis, & gratiarum actiones promisit pro recepta venia, subiungit petendo salutem corporis. Alterum quòd simul tangit Propheta reliqua proposita in principio Psalmi. *Deus, superbi*, Absalom & complices, *surrexerunt super me*, deiiciendum: & *cœtus robustorum*, illi adhærentium, *quæsierunt animam meam*, tollere, occidere me: & *non posuerunt te coram se.* Non solùm peccant superbiâ, extollendo se super regem, sed peccant impietate, posthabentes te: qui præcepisti honorari patrem, qui prohibuisti iniustitias. Quamuis enim Dauid tunc pateretur iustè à Deo, Absalom tamen & complices iniustè surrexerunt contra Dauidem: & propterea dicitur quòd non posuerunt te coram se. Hæc est angustia & regni & vitæ.

Et tu Domine Deus. Cerne hîc tractari illam particulam *ad te Domine vocabo. Miserator*, opere, & *misericors*, affectu: *longus furorum*, hoc est, tardus ad vindictas, tanquam in longum protrahens moueri ad iram, & *multus gratia*, multiplicatis vicibus conferens gratis, sine meritis, & *veritas.* Deus enim est ipsa veritas, sicut est ipsa bonitas. Aduerte hîc Prophetam exequi quod proposuit: scilicet *ad te Domine animam meam leuabo:* magna enim mentis eleuatio in hac contemplatione diuinarum conditionum relucet.

Vertere ad me. More humano loquitur. Tanquam auersus à Dauide fuit Deus occupante Absalom regnũ Dauidis. Et propterea petit: *vertere ad me*, per effectũm gratiæ, & *miserere mei*, quod superius proposuerat: *da fortitudinem tuam*, ad sustinendum & vincendum, *seruo tuo*, mihi: & *salua me filium ancillæ tuæ.* Cuncta proposita exequitur, ampliando: & vbi prius se dixerat *seruum Dei*, modò non solum dicit se seruum, sed natum seruum Dei: vtpote filium seruæ. Sicut inter homines filius seruæ non solum est seruus, sed natus seruus: partus enim sequitur ventrem.

Partus sequitur ventrem.

Fac mecum signum bonitati. Non credebatur Deum remisisse crimina adulterij & homicidij Dauidi: & propterea Dauid petit vt Deus reducat se ad regnum in signum bonitatis diuinæ quæ indulsit peccatum. *Fac mecum*, inquit, *signum bonitatis tuæ*, qua mihi indulsisti, signum, inquam, quod palam sit apud omnes: & *videbunt osores mei & confundentur, quia tu Domine auxiliatus es mihi & consolatus es me*, reducendo in regnum. Et sic compleuit particulam, *lætifica animam meam*, &c. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Filiorum Core Psalmus Cantici.*

LXXXVI.

2 *FVNDAMENTA eius in montibus sanctis: diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.*

3 *Gloriosa dicta sunt de te: ciuitas Dei.*

4 *Memor ero Raab & Babylonis: scientium me.*

Ecce alienigenæ & Tyrus & populus Æthiopum: hi fuerunt illic.

5 *Nunquid Sion dicetur, homo & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam altissimus?*

6 *Dominus narrabit in scripturis populorum & principum horum: qui fuerunt in ea.*

7 *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.*

IVXTA HEBRÆVM.

Filiis Core Psalmus Cantici.

LXXXVII.

1 *Propheta.* FVNDAMENTVM
ciuitatis Dei
eius in montibus sanctitatis.

est
2 Diligens Dominus † portas Sion
plus quam
super omnia tabernacula Iacob.

te sunt
3 Honoratæ (dictum est) in te ciuitas Dei †. *Selah.* † *Deorum.*

4 *Deus.* Recordabor superbam & Babel scientibus me. *Propheta.* Ecce Palæstina & Tyrus cum Æthiopia, iste natus est ibi. *Selah.*

5 Et Sion dicetur. *Vox Euangelica.* Vir & vir natus est in ea, & ipse fundabit eam excelsus.

6 Dominus † numerabit in scribendo populos: iste natus est ibi. *Selah.*

erunt
7 *Propheta.* Et principes sicut parturientes. *Deus.* omnes fontes mei
erunt
in te.

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Filiis Core Psalmus Cantici.* De quo vt suprà.

Materia. Circa materiam Psalmi scito constare quòd Psalmus tractat de ciuitate Dei, vt patet in principio eius. Cùm autem ciuitas Dei sit vel terrestris Hierusalem (quam Deus elegit à tempore Dauidis vt esset nomen Dei ibi) vel spiritualis Hierusalem, & non possit Psalmus iste verificari de terrestri Hierusalem (tum quia in quarto versiculo dicitur: *Ecce Palæstina & Tyrus cum Æthiopia, iste natus est ibi:* tum quia describitur fundamentum ciuitatis huius in montibus sanctitatis: quod de terrestri Hierusalem non verificatur) consequens est vt sit sermo de spirituali Hierusalem. *De qua ciuitate Dei?* Nec opus est subdistinguendo inquirere an de Hierusalem cœlesti an militante sit sermo: quoniam Hierusalem spiritualis vnica tantùm ciuitas est: *non habemus hîc manentem ciuitatem sed futuram inquirimus.* Cuius non sumus hospites & aduenæ sed ciues, non solum conuersatione (quia *nostra conuersatio in cœlis est*) sed natiuitate: quia illa quæ sursum est Hierusalem est mater nostra, in libertatem filiorum Dei generans Palæstinos & Tyrios & Æthiopes: hoc est omnes gentes. Congrueréque ei nomen Sion, testatur Apostolus ad Hebræos 12. *Accessistis ad Sion montem & ad ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cœlestem.* Hebr. 12. Est igitur ad literam materia Psalmi ciuitas Dei cœlestis Hierusalem communis omnibus gentibus in suis initiis quæ in terra habet.

SVMMARIVM EST.

PRopheta describit ciuitatem Dei à fundamento, portis, & doctrina: declarans ciuitatem communem omnibus gentibus, non vt adscitis sed natis ibi, Deo fundante, numerante & scribente: principésque eius vt parturientes, & omnes diuinos fontes in illa.

Personæ loquentes sunt Propheta, Deus & vox Euangelica.

FVNDAMENTVM EIVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *recordabor.* Proponit de ciuitate Dei tria. Primò fundamentum. *Fundamentum eius,* scilicet ciuitatis Dei, est in montibus sanctitatis: *Fundamentum aliud nemo potest ponere,* inquit, Apostolus, *præter id quod positum est quod est Christus Iesus.* Per montes sanctitatis celsitudines virtutum omnium intellige. Christus plenus gratiæ

Vers. 1. *Tria de Ciuitate Dei proponit.* *Montes sanctitatis, quinam?*

gratiæ & veritatis, fundamentum significatur ciuitatis Dei. Potes quoque per montes sanctitatis, sanctos Angelos intelligere: vt significetur Christus super sanctos Angelos fundare ciuitatem Dei, eo quòd fundauit eam super bona cœlestis beatitudinis. Et intendit Propheta ciuitatem Dei esse fundatam in virtutibus & in bonis veræ beatitudinis.

Sacramenta sunt porta Sion. Secundò portas: *Diligens*, supple est, *Dominus portas*. Sacramenta Ecclesiastica, *Sion*, cœlestis: per Ecclesiastica enim sacramenta ingressus fit ad cœlestem patriam: *super omnia tabernacula Iacob*, plus quàm omnia quæ sunt veteris Testamenti.

Tertiò doctrinam: *Honorata*, supple res, *dictum est in te ciuitas Dei*. Sic habetur in Hebræo. Et nec apparet congruitas Grammaticæ: sed apparet quòd dicendum fuisset, *Honorata dicta sunt in te ciuitas Dei*: vt numerus participij ac verbi congrueret nomini. Sensus tamen ac constructio est. Dictum est, ô ciuitas Dei, quòd res honoratæ, res honore dignæ, in te sunt. Et post descriptionem fundamenti & portarum significantur interiora ciuitatis: non quæ sunt, sed quòd honore digna sunt: spiritualia enim bona sunt interiora ciuitatis Dei, quibus maximè debetur honor. Et ne quæras à Propheta vnde scis hæc? respondet, quia dictum est, reuelatum est, auditum est, fide tenetur: vt vndique intelligas quòd de spirituali Dei ciuitate loquitur.

Vers. 4. Recordabor. Incipit hic pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *Honorata dictum est in te*. Secundò illa, *super omnia tabernacula Iacob*, ibi, *& Sion*. Tertiò illa, *fundamentum eius*, ibi, *& ipse fundabit*. Quartò illa, *in montibus sanctitatis*, ibi, *& principes*. Quintò illa, *portas Sion*, ibi, *omnes fontes*.

Introducit itaque Deum constituentem ciuitatem suam communem omnibus mundi nationibus. *Recordabor*, in ciuitate mea, *superbam & Babel scientibus me*. Per *superbam & Babel* significantur vniuersæ nationes gentium: Babel enim nomen est Babylonis. *Superba* vero nomine Ægyptus significatur, & apparet quòd est in loco hoc nomen regionis, ex hoc ipso quòd Propheta copulat cum Babylone. Et est sensus quòd dando mandata scientibus me, recordabor harum regionum quæ specialiter subegerunt populum Dei: vt à fortiori intelligantur cæteræ. Quod fuit adimpletum dum Christus mandauit discipulis: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit*, &c. Hæc est enim doctrina Euangelica.

Superba nomine Ægyptus significata.

Ecce Palæstina. Demonstratur effectus statim subsecutus. *Ecce Palæstina & Tyrus cum Æthiopia*: numero trinario vniuersæ mundi nationes significantur ob perfectionem trinarij. *Iste natus est ibi*. Cùm debuisset dicere isti nati sunt ibi, in ciuitate Dei per baptismum (iuxta illud: *oportet vos nasci denuo*) dixit in singulari *iste natus est ibi*, tum ad denotandam indifferentiam omnium per baptismum nascentium: quia *in Christo non est mas aut fœmina, non est barbarus aut Scytha*, &c. Vt Apostolus, inquit, ad Coloss. 3. Tum ad significandam singularitatem nascentium: quia non nascitur in ciuitate Dei populus (non enim baptizatur communitas) sed quilibet singillatim nascitur in ciuitate Dei.

Numero trinario omnes mundi nationes significantur.

Coloss. 3.

Et bene nota: quia non dicit, iste ascitus est sed natus est: quia vt dictum est, *oportet nos nasci denuo*. Aduerte quoque aduerbium demonstratiuum *ecce*, significare statim secutum fructum conuersionis gentium ad Christum: nam breuissimo tempore Ecclesia Christi in Asia, Aphrica, & Europa nata est.

Vers. 5. Et Sion dicetur. Tractatur hîc dilectio ciuitatis Dei super omnia tabernacula Iacob. Vbi aduerte duo. Alterum quòd *Sion* in textu Hebræo est casus datiui. Alterum quòd *Sion* in hoc versiculo significat populum Hebræum vacantem cultui diuino in monte Sion. Et propterea aliter sumitur hîc *Sion* quàm in secundo versiculo: nam hîc inducitur *Sion* absolutè, superius autem qualificata: scilicet habens fundamentum suum in montibus sanctitatis. Consequenter itaque Propheta introducit quòd *Sion*, id est, populo Hebræo admiranti seu inuidenti de conuersione Gentium ad ciuitatem Dei fundatam in Christo (tanquam soli ipsi Hebræi sint ciues nati in ciuitate Dei, & Gentiles conuersi sint proselyti seu ciues asciti) huic inquam querelæ seu admirationi dicetur Euangelica voce, hoc quod sequitur: scilicet *vir & vir natus est in ea*: hoc est tam vnus vir quàm alter natus est in ciuitate Dei, nulla est disparitas Iudæi & Gentilis, seu vterque natus (non ascitus) est in ea, ciuitate Dei: *& ipse excelsus*, Deus, *fundabit*, perseuerabit fundando, *eam*, in vtrisque. Per quod simul declaratur fundamentum ciuitatis ex parte fundatoris. Lege in Actibus Apostolorum disceptationem Hebræorum aduersus Petrum redeuntem à conuersione Cornelij & aliorum Gentilium: & inuenies dictum ad Sion quod hic prophetatur, vt patet Act. 11.

Sion significat hic populum Hebræū colentē Deum in Sion.

Dominus numerabit in scribendo populos, iste natus est ibi. Magna dignitas nascentium in ciuitate Dei: quando Dominus describitur & numerans & scribens populos, ita quòd singulorum computum tenet: vnumquemque sigillatim scribit ex quocunque sit populo, *iste natus est ibi*, in ciuitate Dei. Et intendit Propheta per hoc declarare quòd magnifacit Deus singulos siue Iudæos siue Gentiles qui baptizantur: vt intelligas, quòd natiuitas per baptismum, non est adinuentio humana sed diuina, ex hoc quòd Deus numerat & scribit singulos natos ibi.

Vers. 7. Et principes sicut parturientes. Declaratur hic illa particula, *in montibus sanctitatis*: declarando celsitudines virtutum in principibus non solum pro seipsis sed pro aliis. Et propterea describuntur principes ciuitatis Apostoli & alij similes sicut parturientes, generantes alios. *Filioli mei*, inquit Apostolus, *quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis*. Totum studium principum fuit & esse debet ad salutem aliorum.

Principes Ciuitatis Apostoli generantes alios.

Omnes fontes mei in te. Introducitur iterum Deus alloquens ciuitatem: declarando quòd omnes fontes mei sunt conclusi in te. Ac si apertè diceret: nullus quærat extra te meum fontem: sed *omnes fontes mei*, tam ad potum quàm ad ablutionem, irrigationem, &c. sunt *in te*, ciuitate mea. Vbi aduerte quòd quas superiùs dixit portas, modò vocat fontes: quoniam & fontes ipsi tam doctrinæ quàm sacramentorum sunt portæ per quas ingredimur cœlestem patriam. Amen.

PSAL

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Canticum carminis filiorum Core victori per chorum ad præcinendum, intellectus Eman Ezraitæ.*

LXXXVII.

2 *DOMINE Deus salutis meæ: in die clamaui & nocte coram te.*

3 *Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam.*

4 *Quia repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquauit.*

5 *Æstimatus sum cum descendentibus in*
6 *lacum: factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos liber.*

Sicut vulnerati dormientes in sepulchris: quorum non es memor amplius, & ipsi de manu tua repulsi sunt.

7 *Posuerunt me in lacu inferiori: in tenebrosis & in vmbra mortis.*

8 *Super me confirmatus est furor tuus: & omnes fluctus tuos induxisti super me.*

9 *Longè fecisti notos meos à me: posuerunt me abominationem sibi.*

10 *Traditus sum & non egrediebar: oculi mei languerunt præ inopia.*
Clamaui ad te Domine: tota die expandi ad te manus meas.

11 *Nunquid mortuis facies mirabilia: aut medici suscitabunt & confitebuntur tibi?*

12 *Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam: & veritatem tuam in perditione?*

13 *Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: & iustitia tua in terra obliuionis?*

14 *Et ego ad te Domine clamaui: & mane oratio mea præueniet te.*

15 *Vt quid Domine repellis orationem meam: auertis faciem tuam à me?*

16 *Pauper sum ego & in laboribus à iuuentute mea: exaltatus autem humiliatus sum & conturbatus.*

17 *In me transierunt iræ tuæ: & terrores*

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum Psalmi filiis Core, Vincenti super Machalath: ad affligendum intelligentia Heman Ezrachitæ.

LXXXVIII.

1 *Propheta.* DOMINE [4] Deus salutis meæ: die clamaui, in nocte coram te.

coram
2 Veniet faciebus tuis oratio mea: inclina autem tuam laudationi meæ.

3 Quia satiata in malis anima mea: &
ad
vitæ meæ foueam appulerunt.

4 Reputatus sum cũ descendẽtibus pu-
cui
tei: fui quasi homo non fortitudo.
Ego reputatus
5 In mortuis liber: sicut interfecti iacentes sepulchri, quòd non meministi ipsorum amplius, & ipsi à manu tua excisi sunt.

6 Posuisti me in puteo inferiorum: in obscuritatibus, in profundis.

est
7 Super me confirmata ira tua: & cunctis fractionibus tuis afflixisti. *Selah.*

8 Longè fecisti notos meos à me: posuisti me abominationem eis, carceratum, & non exibo.

9 Oculus meus languit ab afflictione mea: vocaui te Domine [4], in tota die expandi ad te palmas meas.

10 *Oratio.* Nunquid mortuis facies sepa-
&
ratum? an mortui surgent, confitebuntur te? *Selah.*

11 Nunquid narrabitur in sepulchro
&
gratia tua: veritas tua in perditione?

12 Nunquid cognoscetur in obscuritate separatum tuum: & iustitia tua in terra oblita?

13 *Propheta.* Et ego ad te Domine [4] clamaui: & in mane oratio mea præueniet te.

14 *Oratio.* Quare Domine [4] relinques animam meam: abscondes facies tuas à me?

15 Pauper ego & obiens à puero: portaui timorem tuum, conturbabor.

16 Super me transierunt iræ tuæ: & terrores

tui conturbauerunt me.
18 *Circundederunt me sicut aqua: tota die circundederunt me simul.*

19 *Elongasti à me amicum & proximum: & notos meos à miseria.*

rores tui contristauerunt me.
17 Circundederunt me quasi aquæ tota die: circumiérunt super me pariter.
18 Longè fecisti à me amicum & sodalem: notos meos in mea obscuritate.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Canticum Psalmi filiis Core, Vincenti super Machalath: ad affligendum intelligentia Heman Ezrachita.* Vbi aduerte hunc titulum mentionem facere insolitam: scilicet filiorum Core & Heman. Consueuerunt enim tituli vnum genus cantorum nominare, non duo. Et filij quidem Core videntur nominari vt cantores: Heman verò velut Propheta: erat enim de numero videntium: vt dicitur 1. Paralip. 25. Vnde & Psalmus iste dicitur *eruditio*, seu *intellectus Heman*. Ezrachitæ denominatio videtur à patria: sicut Hieremias vocabatur *Anathotites*. Quod autem dicitur ad affligendum, materiam tangit Psalmi: quia à principio vsque ad finem plenus afflictionis est. *Machalath* nomen dicitur instrumenti musici, super quo cantandus erat iste Psalmus.

Heman Ezrachita.

Machalath instrumentum musicum.

Materia.

Circa materiam autem Psalmi ambiguum restat de cuius afflictione Psalmus loquitur. Sequendo autem Apostolicam regulam quia finis legis & Prophetarum est Christus, videtur mihi rationi valde consentaneum vt Psalmus iste ad literam loquatur de afflictione Christi viui & mortui.

Moueor autem ad hoc: quia quatuor dicta in hoc Psalmo, aut non verificantur, aut non propriè nisi de Christo. Primum est in versiculo quinto: *in mortuis liber.* Nulla enim persona, nullus populus fuit in mortuis liber: sed solus Messias in triduo mortis suæ fuit in mortuis liber.

Secundum est in versiculo sexto: *Posuisti me in puteo inferiorum.* Nunquam enim legitur populus in captiuitatem ductus quòd fuerit addictus carceri: & tamen non solum in isto versiculo sed etiam in versiculo 8. persona loquens dicit se carceratam. Quod verè conuenisse Messiæ quantum ad animam posito in puteo inferni, & quantum ad corpus signato sepulchro cum custodibus, Euangelica prodit historia.

Multus sermo de mortuis in hoc Psalmo.

Tertium est multus sermo de mortuis in hoc Psalmo in 3.4.5.6.10 11.& 12. versiculis. Tantus enim de inferno & mortuis sermo insinuat personam loquentem inter mortuos: ac per hoc Messiam: qui solus à mortuis ascendit ad vitam.

Quartum est coæua perpessio malorum significata in versiculo 15. secundùm textum Hebraïcum. *Pauper ego & obiens à puero, portaui furorem tuum*, &c. Non enim potest de populo Hebræo quamuis captiuo verificari quòd semper afflictus fuerit: cùm fuerit plurimum exaltatus & tempore Dauidis & Salomonis. Messias autem in hac vita passibili à primo natiuitatis suæ die semper afflictus est.

Est itaque materia Psalmi afflictio Messiæ viui & mortui.

SVMMARIVM EST.

Propheta in persona Messiæ mortui & apud inferos morantis, recurrit ad Deum pro propria resurrectione: citans tum pœnalitates quas tunc sufferebat, tum merita pœnarum quas passus erat viuens.

Persona loquens Propheta est.

Domine Devs. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *reputatus sum*. Proponit duo: scilicet orationem suam & causam. *Domine Deus salutis meæ*, auctor & finis, *die clamaui & in nocte coram te.* Nota tres conditiones huius orationis: *clamorem* cordis: rectitudinem, *coram te*, non coram hominibus: continuitatem, *die & nocte.* Vers. 1.

Tres huius orationis conditiones.

Veniet facie tua oratio mea. Ac si diceret: quia ex parte mea, oratio habet suas conditiones, habeat quoque ex parte tua duas conditiones. Altera est quòd ingrediatur velut meus nuncius vsque ad conspectum tuum: *veniet* enim deprecatiuè intelligendum est. Altera, *inclina aurem tuam laudationi meæ.* More humano petit inclinationem auris ad attendendum orationi suæ. Quam ideo vocat laudationem, quia ad laudandum Deum tendit. Et Hebraïca dictio significat laudem mixtam cantui: ad hoc enim tendit vniuersa hæc oratio vt Christus resurgat laudando & cantando Deum.

Quia, (ecce causa duplex) *satiata est*, in hac vita, *in malis*, pœnæ, *anima mea.* Non dixit *spiritus meus*, sed *anima mea*: quoniam pars superior animi non fuit passa, sed pars inferior, quàm propriè significat anima ab animandi officio, quo respicit corpus inferius se. Significanter quoque describitur *satiata*: quia in Christo vnicuique vitium permissum est pati quod suum erat, sine consolatione aliqua redundante ex parte animi superiore in inferiorem: vt Damascenus & Theologi docent. *Et vita mea.* Altera causa est passio mortui. *Et vita mea ad foueam appulerunt.* Non solùm in hac vita repletus sum malis, sed etiam vita mea terminata est ad foueam, & tumuli quoad corpus & inferni quoad animam: quia verè mortuus sum & descendi ad inferos.

Anima, pars animi inferior.

Vers. 4. Repvtatvs svm. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *vita mea foueam appulerunt.* Secundò illa, *die vocaui in nocte*, &c. ibi, *oculus meus.* Tertiò illa, *satiata in malis anima mea*, ibi, *& ego ad te Domine. Reputatus sum.* Inter pœnas quas Christus mortuus sustinere pro nobis voluit, explicatur prima, credulitas hominum quòd ipse descenderit ad infernum sicut alij homines. *Reputatus sum cum descendentibus putei*, inferni: hoc est, similis aliis descendentibus in puteum inferni:

Varia pœna quas Christus mortuus sustinere pro nobis voluit.

ferni: *fui sicut homo cui non est fortitudo.* Explanatio est dictæ pœnæ: quia fui apud homines reputatus, sicut homo cui non est fortitudo superans infernum, sed succumbens pœnis inferi sicut reliqui homines. *In mortuis liber,* cùm tamen ego sim in mortuis, inter mortuos liber, in libertate mea est morari in inferno & non morari: sicut in libertate mea fuit mori & non mori, descendere ad infernum & non descendere.

Sicut interfecti. Alia pœna est, nulla spes hominum de Christi resurrectione. *Reputatus sum sicut interfecti*, non à quocunque, sed & ipsi à manu tua excisi sunt: hoc est tanquam iustè diuinâ manu abscissi, de hac vita, id est, sicut interfecti à iustitia pro criminibus suis: *iacentes sepulchri quod non meministi ipsorum amplius:* hoc est sicut sepulti ab antiquo quorum non est amplius recordatio. Vbi duas causas desperationis humanæ de Resurrectione Christi perspice. Alteram, quòd reputatus est abscissus à Deo de hac vita: ac per hoc non rediturus ad vitam. Alteram, quòd reputatus est sicut sepulti ab antiquo, quorum non est recordatio, quorum resurrectionem nullus expectabat.

Posuisti me. Tertia pœna non est æstimationis sed facti. Vnde Deum auctorem eius significat. Et est pœna loci; quia anima eius fuit in inferno, loco vilissimo. *Posuisti me in fouea inferiorum.* Infernus fouea inferiorum dicitur respectu fouearum quæ sunt super terram. *In obscuritatibus, in profundis.* Exaggerationes sunt describentes infernum ab obscuritate & situ remoto à nobis.

Infernus dicitur fouea inferiorum.

Super me confirmata ira tua. Quarta pœna est dilatio resurrectionis: *Super me confirmata ira tua*, differendo resurrectionem meam: *& cunctis fractionibus tuis afflixisti.* Vocat sæpe Propheta hîc tribulationes *fractiones*, ab vndis maris fractis ab obstaculis, assimilando mala sua illis vndis. Ac si apertè diceret quòd vniuersa mala à te patior. Prius enim dixerat *reputatus sum,* &c. modò declarat à Deo cuncta sibi mala prouenisse. Et verè sic est.

Tribulationes, fractiones.

Longè fecisti notos meos à me. Explicatio est in specie quòd discipuli eius perdiderunt fidem. Et sic *longè*, elongatione infidelitatis, *fecisti*, subtrahendo donum fidei, *notos meos*, discipulos meos, *a me.*

Et quod plus est, *posuisti me abominationem eis.* Quinta est hæc pœna, qua habitus est vt abominabilis etiam viris probis: vnde vt abominabile die sabbati, remotum est corpus eius à cruce. Et sic etiam discipulis fuit abominabilis in die sabbati. *Carceratum & non exibo:* hoc est, clausum in sepulchro sigillato cum custodibus vt non possim exire: *ne fortè veniant discipuli eius & furentur eum.* Huiusmodi enim conclusio & subsecuta est ad abominationem communem ne corpora manerent sabbato in cruce, & annexam habuit abominationem in causa: quoniam tanquam seductoris corpus custodiebatur vsque in diem tertium.

Vers. 9. OCVLVS MEVS. Tractatur hîc illa particula, *Domine Deus salutis meæ die clamaui,* &c. describendo recursum suum ad Deum. Tum quoad modum, ex parte oculorum. *Oculus meus languit ab afflictione*, suspensus in oratione: *vocaui te Domine*, actus orandi est. Ex parte temporis: *in tota die.* Et ex parte manuum: *expandi ad te palmas meas.* Et intendit per hæc corporalia signa recursum animæ Christi ad Deum ex omnibus viribus suis.

Tum quoad petitionem: *Nunquid mortuis.* Hæc est petitio resurrectionis. Vbi aduerte aduentum Messiæ ordinatum à Deo ad officium prædicandi & prædicationem confirmandi miraculis. Quòd ipse Christus per seipsum executus est: & vtrumque commisit discipulis. Vnde scriptum est: *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* Fructus autem est vt cognoscatur & laudetur Deus. Hæc omnia in hac petitione afferuntur velut impossibilia nisi ipse Christus resurgat. *Nunquid mortuis facies separatum*, hoc est, multitudinem miraculorum, me non resurgente sed inter mortuos morante, nunquid officium meum faciendi miracula adimplebis in mortuis? quasi dicat non: *an mortui surgent*, me in inferno morante, *& confitebuntur te*, confessione laudis? quasi dicat nec ista vilitas erit.

Officiū Messia per se adimpleuit Christus & cōmisit illud Discipulis.

Marc. 16. 20

Nunquid narrabitur in sepulchro gratia tua, officium prædicandi nunquid exercebitur inter mortuos? *in sepulchro*, id est, in hominibus qui fuerunt sepulti: *veritas tua in perditione*, in vano, seu in terra perditionis, in inferno? Et describit vniuersam materiam prædicationis per gratiam & veritatem: quia *vniuersæ viæ Domini gratia & veritas:* quasi dicat, nec hoc erit.

Nunquid cognoscetur in obscuritate separatum tuum, & iustitia tua in terra oblita? Tangit reliquum fructum velut impossibilem in inferno. Ex quibus omnibus infertur necessitas propriæ resurrectionis, vt prædicetur viuentibus tam gratia quàm veritas Dei, & fiant mirabilia, & viuentes laudent Deum cognitis mirabilibus & iustitia eius.

Vers. 13. ET EGO AD TE DOMINE. Tractatur hîc illa particula, *satiata est in malis anima mea*, repetendo recursum ad Deum: quoniam in principio Psalmi proposita est oratio pro vtraque causa. *Et ego ad te Domine clamaui*, clamore cordis: *& in mane*, diluculo, *oratio mea præueniet te.*

Quare Domine. Incipit afferre merita passionum suarum in hac vita ad petendam resurrectionem. Hactenus enim petiit illam ex officio prædicandi & fructu prædicationis, præmissis malis quæ mortuus sustinuit. *Quare Domine relinques animam meam*, in inferno: *abscondes facies tuas à me*, differendo resurrectionem. Tanquam diceret: nulla est causa, sed adsunt merita resurgendi.

Et in primis *pauper ego*, fui: ad literam in tota vita sua fuit pauper. *Et obiens à puero:* hoc est, à pueritia semper fui velut moriens, præ multitudine passionum: *portans timorem tuum*, plenus fui semper timoris tui. *conturbabor* seu, dubitabo: hoc est, inde secutum est quòd fui turbatus pluribus modis, à Iudæis, &c. Vel (& in idem redit) inde secutum est quòd fui similis dubitanti ob varias Iudæorum persecutiones. Futurum *conturbabor*, respicit præteritum *portaui.*

Christus pauper & in laboribus à pueritia.

Super me transierunt iræ tuæ. Mala pœnæ appellat iras Dei: quia iratorum est punire. *Et terrores tui*, velut comminantes mala pœnæ, *conturbauerunt me.* Terrores Dei appellat præuisa mala quæ erat passurus: sustinuit enim Christus non solum cruciatum passionis, sed etiam propassionis,

Mala pœna vocat iras Dei.

passionis præcogitando futuram passionem: vnde & ipse dixit, *tristis est anima mea.*

Circundederunt me quasi aqua tota die, penetrantes circumcirca: *circumierunt super me pariter*, nam simul passus est omnia genera passionum secundùm omnes partes: vt facile est ex Euangelio colligere.

Longè fecisti à me amicum & sodalem, notos meos obscuritate. Superiùs dixit mortuus, *longè fecisti notos meos à me* elongatione fidei: modò de iis quæ passus est in vita dicit quòd *longè fecit notos suos à se.* Et declarans quando dicit *obscuritate*: hoc est, tempore quo fui in statu ignominiæ: tempore siquidem passionis nullus amicorum comparuit coram Pilato, aut Herode, aut Pontificibus pro ipso. Hæc sunt merita ratione quorum petit resurgere: iuxta illud: *factus obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum.* Et rursus: oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam. Amen.

Tempore Passionis Christi nullus amicorum comparuit pro eo. Philipp. 2.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Intellectus Ethan Ezrachitæ.*

LXXXVIII.

2 *MISERICORDIAS Domini: in æternum cantabo.*
In generatione & generatione: annunciabo veritatem tuam in ore meo.
3 *Quoniam dixisti in æternum misericordia ædificabitur in cælis: præparabitur veritas tua in eis.*
4 *Disposui testamentum electis meis: iura-*
5 *ui Dauid seruo meo, vsque in æternum præparabo semen tuum.*
Et ædificabo in generatione & generatione: sedem tuam.
6 *Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia sanctorum.*
7 *Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino: similis erit Domino in filiis Dei?*
8 *Deus qui glorificatur in consilio sanctorum: magnus & terribilis super omnes qui in circumitu eius sunt.*
9 *Domine Deus virtutum quis similis tibi? potens es Domine & veritas tua in circumitu tuo.*
10 *Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas.*
11 *Tu humiliasti sicut vulneratum superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos.*
13 *Tui sunt cæli & tua est terra: orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti, Aquilonem & mare tu creasti.*
14 *Tabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: brachium tuum cum potentia.*
15 *Firmetur manus tua & exaltetur dextera tua: iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ.*

IVXTA HEBRÆVM.

Intelligentia Ethan Ezrachitæ.

LXXXIX.

1 *Propheta.* GRATIAS Domini [4] æterno cantabo: generationi & generationi notificabo veritatem tuam in ore meo.
2 Quia dixi, mundus gratia ædificabitur, cælos firmabis: veritas tua in eis.
3 *Deus.* Ferij fœdus electo meo: iuraui Dauid seruo meo.
4 Vsque æternum stabiliam semen tuum: & ædificabo generationi & generationi thronum tuum. *Selah.*
5 *Propheta.* Et confitebuntur cæli separatum tuum Domine [4]: etiam veritatem tuam in ecclesia sanctorum.
6 Quoniam quis in cælo æstimabitur Domino [4]: assimilabitur Domino [4] in filiis deorum?
7 Deus roboratus in secreto sanctorum multo: & timendus super cunctis circumdantibus eum.
8 Domine [4] Deus exercituum quis sicut tu? fortis Domine, & veritas tua circumitibus tuis.
9 Tu dominans in superbia maris: & eleuante vndas suas tu comprimes eas.
10 Tu contriuisti quasi vulneratum superbam: in brachio fortitudinis tuæ dispersisti inimicos tuos.
11 Tibi cæli etiam tibi terra: orbem & plenitudinem eius tu fundasti ipsa.
12 Aquilonem & dextrum tu creasti ipsos: Tabor & Hermon in nomine tuo laudabunt.
13 *Vox montium.* Tibi brachium cum fortitudine: roborabitur manus tua, & exaltabitur dextera tua.
14 Iustitia & iudicium præparatio throni

Misericordia & veritas præcedent fa-
16 *ciem tuam: beatus populus qui scit iu-*
bilationem.

Domine in lumine vultus tui ambula-
17 *bunt: & in nomine tuo exultabunt*
tota die, & in iustitia tua exalta-
buntur.
18 *Quoniam gloria virtutis eorum tu es: &*
in beneplacito tuo exaltabitur cornu
nostrum.
19 *Quia Domini est assumptio nostra: &*
sancti Israël regis nostri.

20 *Tunc locutus es in visione sanctis tuis &*
dixisti, posui adiutorium in potente: &
exaltaui electum de plebe mea.

21 *Inueni Dauid seruum meum: oleo sancto*
meo vnxi eum.
22 *Manus enim mea auxiliabitur ei: &*
brachium meum confortabit eum.

23 *Nihil proficiet inimicus in eo: & filius*
iniquitatis non apponet nocere ei.
24 *Et concidam à facie ipsius inimicos eius:*
& odientes eum in fugam conuertam.
25 *Et veritas mea & misericordia mea cum*
ipso: & in nomine meo exaltabitur
cornu eius.
26 *Et ponam in mari manum eius: & in flu-*
minibus dexteram eius.
27 *Ipse inuocabit me: pater meus es tu, Deus*
meus & susceptor salutis meæ.
28 *Et ego primogenitum ponam illum: ex-*
celsum præ regibus terræ.
29 *In æternum seruabo illi misericordiam*
meam: & testamentũ meum fidele ipsi.
30 *Et ponam in seculum seculi semen eius: &*
thronum eius sicut dies cæli.
31 *Si autem dereliquerint filij eius legem*
meam: & in iudicijs meis non ambu-
lauerint.
32 *Si iustitias meas prophanauerint: & man-*
data mea non custodierint.
33 *Visitabo in virga iniquitates eorum: & in*
verberibus peccata eorum.
34 *Misericordiam autem meam non disper-*
gam ab eo: neque nocebo in veritate
mea.
35 *Neque prophanabo testamentum meum:*
& quæ procedunt de labijs meis non
faciam irrita.
36 *Semel iuraui in sancto meo si Dauid men-*
37 *tiar? semen eius in æternum ma-*
nebit.
38 *Et thronus eius sicut sol in conspectu meo,*
& sicut luna perfecta in æternum: &
testis in cælo fidelis.

ni tui: gratia & veritas præuenient
facies tuas.

erunt
15 *Propheta.* Beatitudines populi scien-
tium clangorem: Domine + in lu-
ce facierum tuarum ambulabunt.
16 In nomine tuo exultabunt tota die: &
in iustitia tua exaltabuntur.
17 Quia gloria fortitudinis eorum tu: &
in voluntate tua eleuabis cornua
nostra.
18 Quia Domino + scutum nostrum: &
ascribitur
sancto Israelis rex noster.
19 *Populus.* Tunc locutus es in visione
gratioso tuo, & dixisti. *Vox Dei re-*
citata. Posui adiutorium super for-
tem, exaltaui electum de populo.
20 Inueni Dauid seruum meum: in oleo
sanctitatis meæ vnxi eum.
21 Quòd manus mea firma erit cum eo:
etiam brachium meum roborabit
eum.
22 Non eleuabitur inimicus in eo: & fi-
lius iniquitatis non affliget eum.
23 Et conteram à faciebus suis angusta-
tores ipsius: & osores eius percutiã.
24 Et veritas mea & gratia mea cum eo:
& in nomine meo exaltabitur cor-
nu eius.
25 Et ponam in mari manum eius: & in
fluminibus dexteram eius.
26 Ipse vocabit me, pater meus tu, Deus
meus & fortitudo salutis meæ.
27 Etiam ego primogenitum dabo eum:
excelsum regibus terræ.
28 Æterno custodiam ei gratiam meam
& pactum meum fidele ei.
29 Et ponam æterno semen eius: & thro-
num ipsius sicut dies cælorum.
30 Si derelinquent filij eius doctrinam
meam: & in iudiciis meis non am-
bulabunt.
31 Si statuta mea maculabunt: & præ-
cepta mea non custodient.
32 Et visitabo in virga rebellionem eo-
rum: & in plagis iniquitatem eo-
rum.
33 Et gratiam meam non frangam ab eo:
& non mentiar in veritate mea.
34 Non maculabo pactum meum: &
exitum labiorum meorum non
mutabo.
35 Semel iuraui in sanctitate mea: si Da-
uid mentiar?
36 Semen eius sempiterno erit: & thro-
nus eius sicut sol coram me.
37 Sicut luna stabilietur semper: & testis
in cælo fidelis. *Selah.*

38 *Popu*

39 *Tu verò repulisti & despexisti: distulisti christum tuum.*

40 *Auertisti testamentum serui tui: prophanasti in terra sanctuarium eius.*

41 *Destruxisti omnes sepes eius: posuisti firmamentum eius formidinem.*

42 *Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis.*

43 *Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti omnes inimicos eius.*

44 *Auertisti adiutorium gladij eius: & non es auxiliatus ei in bello.*

45 *Destruxisti eum ab emundatione: & sedem eius in terra collisisti.*

46 *Minorasti dies temporis eius: perfudisti eum confusione.*

47 *Vsquequo Domine auertes in finem: exardescet sicut ignis ira tua?*

48 *Memorare quæ mea substantia: nunquid enim vanè constituisti omnes filios hominum?*

49 *Quis est homo qui viuet & non videbit mortem: eruet animam suam de manu inferi?*

50 *Vbi sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine: sicut iurasti Dauid in veritate tua?*

51 *Memor esto Domine opprobrij seruorum tuorum: quod continui in sinu meo multarum gentium.*

52 *Quod exprobrauerunt inimici tui Domine: quod exprobauerunt commutationem christi tui.*

53 *Benedictus Dominus in æternum: fiat fiat.*

38 *Populus.* Et tu reliquisti & abominatus es: indignatus es cum christo tuo.

39 Fecisti vacare pactum serui tui: maculasti terræ coronam eius.

40 Rupisti omnes macerias eius: posuisti munitiones eius ruinam.

41 Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: fuit opprobrium vicinis suis.

42 Eleuasti dexteram angustatorum eius: lætificasti omnes inimicos illius.

43 Etiam reuerti facies aciem gladij eius: & non erexisti eum in prælio.

44 Cessare fecisti munditiam eius: & thronum illius terræ detraxisti.

45 Abbreuiasti dies pueritiarum eius: amiciuisti super eum ignominia. *Selah.*

46 Vsquequo Domine ⁴ absconderis, æterno? ardebit quasi ignis indignatio tua?

47 Memento, ego quanti temporis: super quam vanitatem creasti omnes filios Adam.

48 Quis vir viuet & non videbit mortem: saluabit animam suam de manu foueæ? *Selah.*

49 Vbi (sunt) gratiæ tuæ priores Domine †: (quas) iurasti Dauid in veritate tua? † *Domini mei.*

50 Recordare Domine † opprobrij seruorum tuorum: (quia) portaui in sinu meo omne multorum populorum. † *Domini mei.*

51 Quòd exprobrauerunt inimici tui Domine ⁴: quòd exprobrauerunt vestigia christi tui.

52 Benedictus Dominus ⁴ æterno: amen & amen.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Intelligentia Ethan Ezrachita.* Ethan vnus fuit ex cantoribus, 1. Paralip. 25. Ezrachita denominatur à loco. Cui intellectus eorum quæ in præsenti Psalmo scribuntur attribuitur: est enim *Ethan* in Hebræo datiui casus. Ita quòd Psalmus iste vocatur intelligentia tum propter doctrinam, tum propter intelligentiam futurorum.

Materia. Materia Psalmi est diuina laus perpetua ob gratiam & veritatem Dei manifestatas tum ex communibus, tum ex speciali promissione facta Dauidi de perpetuitate regni eius.

SVMMARIVM EST.

Propheta cantat gratias ac veritatem Dei. Et à supremis inchoans, Deum supra omnes spirituales substantias, Creatorem ac Dominum cælorum & terræ, mirabilem ac laudabilem in mari rubro, in Hermon, in Tabor, & beato in Hierusalem populo pertransiens declarat: ad diuinamque promissionem de perpetuo Dauidis regno deuenit. Et vbi velut violatam plorandam prædixit à populo, supplicantem tunc desolatum populum pro acceleratione aduentus Messiæ describit.

Personæ loquentes sunt Propheta, Deus, montes, & populus.

Gratias Domini. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *& confitebuntur.* Proponit duo, scilicet cantaturum se gratias Domini, & notificaturum veritatem Dei. *Vniuersæ viæ Domini sunt gratia* *Vers. 1.*

gratia & veritas. Duplici modo promittit: scilicet cantando: in quo intellige omnem modum laudis: & notificando: in quo comprehenditur omnis modus doctrinæ. Primum extendit ad æternitatem: quia diuina laus nunquam cessabit, sed perseuerabit etiam in æterna patria. Secundum successiuis generationibus applicat: quia doctrina secundùm successionem generationum durabit. Quod autem dicit *in ore meo*, refertur ad vtrumque: cantum scilicet & notificationem. Quod impletur, dum proprio ore Propheta protulit hunc Psalmum & laudis & doctrinæ.

Cantando & notificando gratias agit Deo Propheta.

Quia dixi. Duplicem subiungit rationem promissorum. Ita quòd ordo est: Ideo *gratias Domini æterno cantabo*, ideo *generationi & generationi notificabo veritatem tuam in ore meo, quia dixi*, interiori verbo cordis, & intellexi, & explicaui, hæc videlicet: *mundus gratia ædificabitur*: verè mundus creatus est ex sola diuina gratia: nulla enim merita præcesserunt quibus deberetur creatio mundi. Futurum autem *ædificabitur*, non significat futurum respectu Prophetæ, sed respectu gratiæ: insinuauit enim Propheta quòd respectu diuinæ gratiæ mundus fuit futurus: vt hinc etiam omnifariam intelligas gratiâ ædificatum mundum. *Cælos firmabis.* Primæ partes mundi sunt cæli, & ipsi cæli sunt verè firmissima elementa generantur & corrumpuntur secundùm partes. Non solùm intellexi quòd gratiâ mundus ædificabitur, sed quòd gratiâ cælos naturâ incorruptibili firmabis. *Veritas tua in eis.* Dixi quoque quòd non sola gratia, sed & veritas tua in eis, cælis ac mundo est.

Gratiâ ædificatus est mundus.

Cæli, primæ mūdi partes.

Et inter alias veritates tuas existentes in eis est vna hæc: scilicet. *Ferij fœdus.* Introducit Propheta Deum explicantem hanc specialem veritatem: *ferij fœdus electo meo*, Dauidi. Vnde & ipse Dauid 2. Regum 23. dicebat: *Nec tanta est domus mea apud Deum vt pactum æternum iniret mecum, firmum in omnibus atque munitum. Iuraui Dauid seruo meo*, hoc scilicet: *vsque æternum stabiliam semen tuum, & ædificabo generationi & generationi thronum tuum.* Perspice in hac promissione perpetuitatem seminis & regni. Cæsaris enim regnum adhuc durat in Cæsaribus, sed non semen: & Saulis semen durauit, sed non regnum. Vtrumque itaque promittit Deus Dauidi. Quod adimpletum est in Messia ex semine Dauidis rege æterno. Collige ergo quòd ideo Propheta gratias & veritatem Domini dicet, quia perspexit quòd gratiâ & veritate tam mundus, quàm promissio Messiæ constat. Et hæc est materia Psalmi.

2.Reg.23.

Vers. 5. Et confitebuntur. Incipit hic pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *gratias Domini*, &c. ratione mundi & cælorum. Secundò tractatur eadem particula ratione promissionis factæ Dauidi, ibi, *tunc locutus es in visione.* Tractando itaque quòd mundus & cæli præbent materiam laudandi diuinam gratiam & docendi diuinam veritatem, tali procedit ordine. Primum aperit veritatem de Deo ex cœlestibus notam: deinde gratiam mirabilium mundo manifestatam vsque ad tempora Dauidis, ibi, *tu dominans.*

Et confitebuntur, materiam confitendi dabunt, *cæli*, cœlestia corpora, *separatum*, hoc est mirabile, *tuum Domine.* Familiare est Hebreæ linguæ vti singulari numero tanquam genere multa comprehendente: *separatum tuum*, id est, genus mirabilium tuorum, quod constat esse opus gratiæ Dei: *& veritatem tuam*, rerum diuinarum, non apud quoscunque, sed *in ecclesia*, in conuentu, *sanctorum*, hoc est, hominum mundæ mentis & dicatæ diuinis: non enim omnibus datum est ex diuinis cognitis per cœlestia corpora, laudare Deum. Vnde & ad Rom. 1. reprehenduntur Philosophi: qui cùm Deum cognouissent non sicut Deum glorificauerunt.

Hebræi vtūtur singulari numero tanquam genere multa comprehendente.

Quoniam quis in cælis æstimabitur Domino. Ecce veritas diuina quam cæli confitentur: scilicet excellentia Dei super omnes substantias spirituales, quas Angelos dicimus: *Inuisibilia enim Dei per ea quæ facta sunt* (& præcipuè cœlestia corpora) *intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius & diuinitas*, inquit Apostolus ad Rom. 1. Et propterea Propheta dicit: *Quoniam quis in cælis*, in quibus dicimus habitare Deos, *æstimabitur Domino*, non solùm non æquabitur, sed nec æstimabitur relatus ad Dominum? quasi dicat nullus. Et verè sic est: quoniam Dominus est actus purus, reliquæ autem intelligentiæ sunt actus admixti potentiæ. *Assimilabitur Domino in filijs deorum?* Filij deorum appellantur eædem intelligentiæ, pro quanto sunt naturæ spiritualis: spiritus enim est Deus: & quoad hoc sunt quasi eiusdem naturæ cum Deo: sicut filij sunt eiusdem naturæ cum patre Quia tamen maior est dissimilitudo earum ad Deum quàm similitudo, ideo appellando eas *filios*, negat similitudinem, dicēdo, *quis assimilabitur?* quasi dicat, nullus: quia solus Deus est actus purus, infinitè distans ab omnibus admixtis potentiæ.

Rom.1.

Filij deorum sunt Angeli.

Deus roboratus in secreto sanctorum multo. Ne putares ex imbecillitate intellectus nostri pronunciari tantam Dei excellentiam, declarat Propheta quòd relatus Deus ad secretum (hoc est à nobis remotissimum) consortium sanctorum spirituum quos Angelos dicimus, inuenitur magis roboratus. More humano describit maiorem excellentiam cognosci de Deo in illo secreto quàm à nobis dicatur. Et propterea dicitur metaphoricè *roboratus*, vtpote cognitus maioris excellentiæ, potentiæ, &c. *Et timendus super cunctis circumdantibus eum.* Potestas illatiua mali supernis spiritibus, significatur in Deo per hoc quòd describitur timendus (proculdubio vt potens inferre malum) super cunctis circumdantibus eum, cœlestibus spiritibus: omnia enim in nihilum redigerentur nisi ea manus Dei conseruaret.

Domine Deus exercituum quis sicut tu? q. d. nullus, *fortis Domine*, fortitudine omnipotentiæ: *& veritas tua circumitibus tuis*, clara est, quia à nobis satis obscurè cognoscitur, sicut lux solis à noctua. Hæc sunt quæ cæli confitenda præbent de veritate diuina Ecclesiæ sanctorum.

Vers. 9. Tu dominans. Declaratâ veritate diuinâ confitendâ, subiungit gratiam mirabilium manifestatorum in mundo, inchoans à notioribus effectibus mirabilibus, scilicet à mirabilibus in elemento aquæ, diuidendo mare rubrum tum ad saluandos Hebræos, tum ad submergendos Ægyptios.

Tu dominans in superbia maris, & eleuante vndas suas tu comprimes eas. Mare rubrum describitur à conditionibus contrariis miraculo, scilicet eleuatione vndarum excellentium: has enim habet suapte naturâ mare. Et Deus ostendit se Dominum vndarum excellentium maris: dum diuisit aquas, & velut murum solidas

Mare rubrū describitur ab eleuatione vndarum.

solidas reddidit à dextris & à sinistris, quod est totaliter contrarium fluctibus marinis. Et hoc quoad salutem populi Israël Futurum *comprimes*, respicit dominium diuinum.

Tu contriuisti quasi vulneratum superbam, Ægyptum, hoc est, Ægyptiacum populum in mari rubro. Assimilat submersionem Ægyptiorum vulneri: vt intelligas quòd fuit velut actio diuina sicut vulnus est actio percutientis. Vnde & tunc dixerunt Ægyptij: *Fugiamus Israëlem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos. In brachio fortitudinis tuæ dispersisti*, mortuos, *inimicos tuos*. Ægyptios per littora maris.

Tibi cæli. Post dominium aquarum probatum à mirabili effectu, subiungitur dominium reliquarum partium mundi, non solùm eâdem ratione, sed etiam ratione creationis. *Tibi cæli*, subduntur, *etiam tibi terra*, subditur: quia *orbem & plenitudinem eius*, animalia & vegetabilia, *tu fundasti*, à fundamentis creasti, *ipsa*.

Dextrum hic est primum mobile.

Aquilonem & dextrum tu creasti. Per *dextrum* intellige primum mobile, quod est supremum cælum, significatum per *dextrum* quia motus eius incipit à dextera parte: vt Philosophi tradunt in secundo cæli. Per Aquilonem intellige reliqua corpora cælestia, significata per Septentrionem: quia motus eorum incipit versus Septentrionem: quoniam incipit ab Ariete versus Taurum: constat autem Septentrionalem viam esse ab Ariete versus Taurum. Et sic probauit cælos esse Dei, quia Aquilonem & dextrum creauit: & terram esse Dei, quia orbem terræ & plenitudinem eius fundauit.

Cæli Aquilone significantur.

Cur hic Tabor & Hermon nominati.

Tabor & Hermon. Post dominium omnium partium mundi, subiungitur gratia mirabilium gestorum in introductione populi Israël in terram promissionis, quam nominat à duobus montibus. Ab *Hermone* quidem ratione principij: quia ibi fuit prima possessio terræ: ibi enim Ruben & Gad & media tribus Manasse, portiones suas acceperunt, deuastatis Regibus Amorræorum Seon & Og viuente adhuc Moyse. *Tabor* verò ratione victoriæ tempore Delboræ inde habitæ diuinitus: vt dicitur Iudic. 4. & 5. Meminit autem specialiter horum: quoniam summariè pertransire intendit Propheta: & propterea tangit alterum circa initium, & alterum circa prosecutionem post mortem seniorum: scilicet Iosue & aliorum timentium Deum, quando in populo insurrexerunt mala multa. Vnde & intermedia vix quodammodo tangit. *Tabor* itaque & *Hermon*, initium & prosecutio victoriæ, *in nomine tuo laudabunt tuum brachium cum fortitudine*, contra inimicos.

Roborabitur manus tua. Intermedia tanguntur introducendo montes, hoc est populum victoriosum, laudantes Deum, humano more supplicando pro prospero successu. *Roborabitur manus tua*, contra inimicos nostros, *& exaltabitur dextera tua*, prosternendo eos.

Iustitia & iudicium. Ne putes iniustum peti, *iustitia*, inquit, in executione, *& iudicium*, in sententia contra hostes, *præparatio throni tui*. Sedes Dei locanda erat in Hierusalem: ob quod oportuit ius dicere & iustitiam exercere in idololatras habitatores locorum illorum. Sic enim iudicium & iustitia præparauerunt sedem Dei, pro quanto exterminarunt idololatras vt habitarent cultores Dei, & sic ibi locaretur sedes Dei. In Sancto sanctorum erat tabella sustentata à Cherubinis quæ appellabatur *sedes Dei*. *Gratia & veritas præuenient facies tuas*: contra hostes *iustitia & iudicium*, pro nobis *gratia & veritas*. *Gratia* quidem, quia sine nostris meritis: *veritas* autem, quia promisisti patribus terram hanc.

Sedes Dei erat tabella sustentata à Cherubinis in Sancto sanctorum.

Beatitudines sunt, *populi scientium clangorem*. Effectus intentus describitur felicitas populi scientis per experientiam clangorem, festiuum sonum diuinarum solemnitatum. Et intendit quòd introducto populo & quietem adeptâ sede Domini, beatus est populus concurrens ad solemnitates Domini.

Domine in luce facierum tuarum. Vt intelligas rationem quare populi dixerit esse beatitudines, declarat partes beatitudinis. Prima est in intellectu. *Domine in luce facies tuæ*, gratiæ tuæ, *ambulabunt*, gubernabunt se. *In nomine tuo* (secunda pars spectat ad effectum) *exultabunt tota die*, non in nomine proprio gaudebunt. *Et in iustitia tua*. Tertia pars ad prosperitatem exteriorum rerum spectat. *Et in iustitia tua*, in obseruatione iustificationum tuarum, *exaltabuntur*, quoad temporales res. Et meritò: *Quia gloria fortitudinis eorum tu*: ratio enim glorificandæ fortitudinis populi tu es, non virtus eorum: *& in voluntate tua*, non ex debito, *eleuabis cornua nostra*, potestates nostras. *Quia Domino* (datiui casus est) *scutum nostrum*: hoc est, quia defensio nostra non nobis sed Domino ascribenda est: *& sancto* (datiui quoque casus est) *Israelis rex noster*: hoc est, & noster rex Dauid sancto Israëlis, id est, Deo ascribitur: factus enim est Dauid rex quia Deus elegit ipsum in regem: vt scriptum est tam in primo quàm in secundo Regum, & propterea dicitur quòd rex noster ascribitur sancto Israëlis. Hæ sunt gratiæ diuinæ in mundo visæ simul cum veritate diuina (quas Propheta dicturum se spopondit) vsque ad tempora Dauidis: vnde & ad regem Dauidem terminauit eas.

Vers. 19. TVNC LOCVTVS ES. Tractatur hîc iterum gratia & veritas Domini super promissione facta Dauidi (vt in principio Psalmi propositum fuit) tali ordine. Primò refertur diuina promissio. Secundò introducitur populus tanquam querulus non seruatæ promissionis, ibi, *& tu reliquisti*. Tunc, quando Dauid rex noster datus est à te, *locutus es in visione gratioso tuo*, Nathan Prophetæ, vt patet 2. Regum 7. *& dixisti*: hæc quæ sequuntur: *Posui adiutorium super fortem*, Dauidem, fortem quidem contra vrsum & leonem: adiutum verò contra Goliath, & mediante hoc adiutorio *exaltaui electum*, à me Dauidem, *de populo*: erat enim vir popularis: vtpote vacans pascendis ouibus. *Inueni Dauid seruum meum*, timentem Deum: *in oleo sanctitatis mea vnxi eum*, in regem, primò per Samuelem: deinde super Iuda: & demum super totum Israël. Sic autem vnxi eum: *quòd manus mea* conseruatiua, *firma erit cum eo*: *etiam brachium meum*, augmentatiuum, *roborabit eum*. *Non eleuabitur inimicus*, Saul, *in eo*, in eius depressione: *& filius iniquitatis*, idem Saul, *non affliget eum*, conterendo. *Et conteram à faciebus eius angustiatores ipsius, & osores eius percutiam*, quod fuit adimpletum in monte Gelboë. *Et veritas mea*, adimplens promissa, *& gratia mea* sine Dauidis meritis, *cum eo: & in nomine meo exaltabitur cornu eius*, ad regnum. Ad literam siquidem Dauid fuit promotus ad regnum nomine Dei, tanquam Deus hoc testelaue

Dauid vocatur Fortis.

reuelauerit: vt clarè patet in secundo Regum: & rursus bella Dauid gerebat in nomine Domini: & sic exaltabatur potestas eius, tanquam agentis prælia Domini. *Et ponam in mari*, Mediterraneo, *manum eius: & in fluminibus*, Syriæ vsque ad Euphratem, *dexteram eius*. Quod constat adimpletum, 2. Regum 8.

Non inuenitur quòd Dauid ausus fuerit vocare Deū Patrem suum.

Ipse vocabit me, hoc est, vocare poterit me *pater meus tu*. Dixi *vocare poterit*: quia nusquam inueni Dauidem ausum fuisse vocare Deum patrem, quamuis tantâ diuinâ gratiâ donatus fuerit vt vocare potuerit Deum patrem suum. Et intendit per hoc quòd Dauid regnum recognoscet à Deo tanquam à patre: quia non ex successione regiæ originis regnum obtinuit, sed ex adoptione: ita quòd Deus cuius est regnum adoptauit sibi Dauidem in filium, velut successorem regni. Et propterea dicitur: *ipse vocabit me, pater meus*, adoptione, *tu*, es: *Deus meus, & fortitudo salutis meæ*. Quia pater, à te habeo regnum: quia Deus, à te habeo esse: quia fortitudo, à te saluatus sum: recognitio enim beneficiorum describitur. *Et ego*, pater, *primogenitum dabo eum*, conferendo ipsi regnum: primogenitorum enim est succedere in regno, *excelsum regibus terræ*: & est datiui casus *regibus*. Quod fuit adimpletum cùm Dauid excelsus fuit apud reges, non solùm prostratos ab ipso sed etiam non prostratos: vt regem Tyri, regem Thou, &c. quorum meminit liber Regum. *Æterno custodiam ei gratiam meam*, quâ elegi ipsum in regem: *& pactum meum*, quod pepigi cum eo de Messia, *fidele*, erit, *ei*. *Et ponam sempiterno semen eius*, quod adimpletum fuit in Messia, *& thronum eius*, regium, *sicut dies cælorum*, excelsum & indeficientem. Licet enim apud nos quandoque sit dies & quandoque nox propter vmbram terræ, in cælis tamen semper est dies; quia non pertransit vmbra terræ lunam.

In cælis semper est dies.

Vers. 30. Si derelinquent. Descriptâ promissione diuinâ quoad substantiam, describuntur conditiones eius in casu qui euenire posset. *Si autem derelinquent filij eius*, Dauidis, *doctrinam meam*, hoc est legem meam, non curando de ea: *& in iudicijs meis*, præceptis scilicet iudicialibus, *non ambulabunt*. *Si statuta mea*, cæremonialia, *maculabunt*. Dictio Hebraica quam interpretes vocant *statuta*, significat præcepta quorum non est ratio nisi quia sic institutum est: qualia sunt præcepta cæremonialia. *Et præcepta mea*, moralia, *non custodient*. Nota hîc quòd non dicit si ipse Dauid peccabit, sed si filij eius peccabunt: vt relinquat Dauidem in timore & suspensum an si ipse peccauerit Deus seruet ei promissionem. Vnde cùm post hanc promissionem commisisset adulterium & homicidium, timuit quòd Deus non seruaret sibi hanc promissionem, quâ se indignum reddiderat. *Et visitabo in virga*, paternâ castigatione (iuxta illud: *qui parcit virgæ odit filium suum*, Prouerb. 13.) *rebelliones eorum*, filiorum: *& in plagis*, flagellorum, *iniquitatem eorum*. *Et gratiam meam non frangam ab eo*. Nota conditiones in euentu: scilicet quòd puniet filios sed non auferet gratiam à Dauide: *& non mentiar in veritate mea*, iam dictâ de regno eius. *Non maculabo pactum meum, & exitum labiorum meorum non mutabo*. *Semel iuraui in sanctitate mea*, vtpote non habens maiorem per quem iurem: *si Dauid mentiar?* Lege hoc interrogatiè; non ad interrogandum, sed referendo quæstionem An ego mentiar Dauidi, an cum effectu adimplebo quod promisi Dauidi de Messia, an non? hanc enim tacitam quæstionem introducit Deus, vt ostendat se immobiliter promisisse: & ab hac inchoat. Ita quòd ordo litteræ est: *si Dauid mentiar?* imperfecta est locutio: & consueta homini inter loquendum confirmanti se verificaturum quod dixit se facturum. Consueuimus enim in tali locutione & dispositione positi dicere: si ego mentiar? si ego faciam? & similia: intendentes quòd non vertatur in dubium, quòd non vertatur in conditionalem *si*. Et tunc subiungitur: *Semel iuraui in sanctitate mea, semen eius sempiterno erit*, &c. excluditur enim sic conditio, excluditur dubitatio, commemorando quòd iam semel iuraui, iam iureiurando firmaui. Sed littera transposita est causa metri. *Semen eius sempiterno erit*: quod adimpletum est in Messia. *Et thronus eius*, regia dignitas, *sicut sol coram me*, æternus, *sicut luna stabilietur semper: & testis in cælo fidelis*. Apocal. 1. & à Iesu Christo qui est testis fidelis.

Cur non dicit hîc: Si Dauid peccabit: sed si filij eius peccabunt?

Prouerb. 13.

Apocal. 1.

Vers. 38. Et tu reliquisti. Hactenus locutus est Deus: deinceps loquitur populus Israël post regnum Sedechiæ vltimi regis ex semine Dauidis vsque ad tempus Messiæ. Introducit siquidem Propheta huiusmodi populum videntem non esse amplius aliquem regem de semine Dauidis, voce admirationis & lamentationis primò narrantem: & deinde supplicantem pro aduentu Messiæ, ibi, *vsquequo Domine*.

Sedecias vltimus Rex ex semine Dauid.

Nota hîc primò quòd huiusmodi voces querulæ introducuntur à Propheta ad erudiendum successores de futuro euentu: scilicet quod priuabitur multo tempore progenies Dauidis regno, antequam veniet Messias: vt cùm hoc viderint fieri, non perdant fidem de aduentu Messiæ, déque promissione facta à Deo Dauidi. Vnde meritò Psalmus iste appellatus est *eruditio*, seu *intelligentia*: quoniam eruditi sunt filij Israël vt non intelligerent promissionem diuinam sic adimplendam vt continuâ successione futuri essent reges de semine Dauidis vsque ad Messiam qui regnaturus est in æternum.

Nota secundò quòd istæ querulæ voces verificantur in populo illo intermedio tempore, non prout sonant (cùm videantur quasi blasphemiæ, arguentes Deum violati fœderis) sed vt explicant motum rationis inferioris, considerantis naturam factorum, & non rationes diuinas quibus hæc fecit Deus. Ita quòd sicut Hieremias explicans motum partis inferioris secundùm naturam facti dixit, *seduxisti me Domine & seductus sum*, ita populus facta considerans explicat id quod facta prætendunt: quod est opus rationis inferioris & non rationis deliberatæ: quoniam deliberatio exigit etiam rationem superiorem: alioquin deliberatus actus non fit.

Quomodo hæ de Deo querimonia intelligendæ?

His prælibatis intellige verba populi ad Deum post regnum Sedechiæ. *Et tu Deus reliquisti & abominatus es: indignatus es cum Christo tuo*, Dauide in ipsius successione, priuando successionem eius regno. *Fecisti vacare pactum serui tui*, hoc est, pactum tuum cum seruo tuo Dauide. Verè vacauit tanto tempore pactum de regno: quia nullus fuit ex eius semine rex tanto tempore. *Maculasti terra coronam eius*, regiam dignitatem. Dixit *terra*, cohibens linguam, ne intelligatur quòd maculauerit coronam Messiæ: quæ futura erat corona cœlestis. *Rupisti* omnes

Verba populi ad Deum post regnum Sedeciæ.

omnes macerias eius, regni eius cuſtodias, vel quia non ſolum mœnia ciuitatum ſed & macerias vinearum rupiſti: vt intelligas totalem deſolationem. *Poſuiſti munitiones eius ruinam*, loco munitionum poſuiſti ruinam ciuitatum & templi, &c. *Diripuerunt eum*, regnum eius, *omnes tranſeuntes viam*, datus eſt in prædam omnibus: *fuit opprobrium vicinis ſuis*, Ammonitis, &c. *Eleuaſti dexteram anguſtiatorum eius, lætificaſti omnes inimicos illius*.

Etiam reuerti facies aciem enſis eius. Metaphora eſt, ſumpta à retortione aciei gladij inciſorij: cùm torquetur acies ac ſi eſſet ex plumbo: & ſic non poteſt incidere. Et intendit per hanc metaphoram quòd arma propria nihil eis profuerunt, dicendo. *Etiam*, ad cumulum malorum, *reuerti facies*, id eſt, retorqueri, *aciem gladij eius: & non erexiſti eum in prælio*, *Ceſſare feciſti mundiciam eius*, hoc eſt, cærimonialia omnia per mundiciam ſignificata: quia aqua luſtrationis ad mundandum ceſſauit tanto tempore: *& thronum illius*, regium, *terræ* (datiui eſt caſus) *detraxiſti*, ad terram deiecisti. *Abbreuiaſti dies pueritiarum eius*. Locutio eſt metaphorica ad ſimilitudinem eorum qui moriuntur in pueritia. Et intendit quòd regnum mortuum eſt in pueritia. *Amiciuiſti ſuper eum ignominia*. Hæc ſunt mala pœnæ quæ populus medio tempore vidit, contraria quantùm ad ſubſtantiam facti ſuperioribus promiſſis Dauidi: vt diligens lector poteſt diſcurrendo applicare.

Verſ. 46. VSQVEQVO. Completâ narratione tranſit ad ſupplicationem. *Vſquequo Domine abſconderis?* Petit primò non differri aduentum Meſſiæ. *Vſquequo Domine abſconderis*, velut non auditurus, *in æternum?* tanquam dicat, abſit. Vel hoc quod dicitur in æternum, iungendum eſt cum ſequenti particula ſic: *in æternum ardebit quaſi ignis indignatio tua?* interrogatiuè: quaſi dicat, abſit.

Rationem affert accelerandi aduentum Meſſiæ ex breuitate humanæ vitæ. *Memento, ego quanti temporis*. Rationem affert accelerandi aduentum Meſſiæ ex breuitate vitæ humanæ. Et intendit quòd non ſumus tam longæuæ vitæ, vt poſſimus diu viuendo expectare longo tempore & videre tandem regnum Meſſiæ: ſed ſumus breuiſſimæ vitæ: & propterea accelera, vt videamus Meſſiam. *Memento*, huius ſcilicet: *quanti temporis ego*, ſum: *ſuper quam vanitatem*, breuis vitæ, *creaſti omnes filios Adam*, communis eſt iſta miſeria. Quod & probat. *Quis vir viuet & non videbit mortem?* nullus: *ſaluabit animam ſuam de manu foueæ*, inferni, ne deſcendat ad inferos? nullus. Mortem deſcribit prius ex parte corporis quod moritur, deinde ex parte loci animæ ſeparatæ. Et eſt ſermo de loco animarum ante aduentum Meſſiæ: tunc enim locus animarum erat infernus.

Vbi gratia tua priores Domine, quas iuraſti Dauidi in veritate tua? Auget ſupplicationem ex diuina promiſſione: tanquam requirens vt adimpleat promiſſam gratiam iuramento firmatam Dauidi de Meſſia rege ex ſemine eius. Et nota quòd expectantis affectu & more clamat: vbi ſunt promiſſæ gratiæ? cupit enim eas videre adimpleri, & quia non apparent, clamat: vbi ſunt?

Recordare Domine. Adiungit ſupplicationi rationem ex parte iniuriarum quas patitur populus, ſpecialiter quoad hoc quòd inimici exprobrando dicunt, quando veniet Meſſias veſter? & ſimilia. *Recordare Domine opprobrij ſeruorum tuorum*, noſtri: *portaui*, ego populus, *in ſinu meo*, patienter recondens, *omne*, opprobrium, *multorum populorum*, opprobrantium. *Quod exprobrauerunt inimici tui Domine:* vt intelligas iſtos populos eſſe inimicos Dei. Et dixit hoc ad humano more prouocandum Deum propter opprobrium ab inimicis Dei. *Quod exprobrauerunt veſtigia Chriſti tui*. Ecce materia opprobrij: exprobrant enim remanere veſtigia in fide noſtra Chriſti tui Dauidis propter ſpem Meſſiæ: erant ſiquidem velut veſtigia Dauidis vncti à Deo in patrem Meſſiæ fides & ſpes venturi Meſſiæ.

Benedictus Dominus æterno. Concludit orationem populus adiunctâ ratione ſuperiore, benedicendo Deum: hoc eſt ſubmittendo totum prouidentiæ eius, & gratias agendo de omnibus. Vel ſupplicando concludit deſiderantis affectu: ſit *benedictus Dominus in æternum: amen & amen*, verè & iterum verè. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
Oratio Moyſi viri Dei.	Oratio Moyſi viro Dei.
LXXXIX.	XC.
1 *DOMINE refugium factus es nobis: in generatione & generatione.*	1 *Propheta.* DOMINE † habitaculum tu fuiſti nobis in generatione & generatione. († Domini mei.)
2 *Priuſquam montes fierent aut formaretur terra & orbis: à ſeculo & vſque in ſeculum tu es Deus.*	2 Antequam montes nati ſunt, & creata fuit terra & orbis: & à ſeculo & vſque ſeculum tu Deus es.
3 *Ne auertas hominem in humilitatem: & dixiſti, conuertimini filij hominum.*	3 Facies reuerti hominem vſque ad contritionem: & dixiſti, reuertimini filij Adam.
4 *Quoniam mille anni ante oculos tuos*	4 Quia mille anni tui in oculis tuis:

tanquam dies hesterna quæ præteriit.

5 *Et custodia in nocte: quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.*

6 *Mane sicut herba transeat, mane floreat & transeat: vespere decidat, induret & arescat.*

7 *Quia defecimus in ira tua: & in furore tuo turbati sumus.*

8 *Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo: seculum nostrum in illuminatione vultus tui.*

9 *Quoniam omnes dies nostri defecerunt: & in ira tua defecimus.*

10 *Anni nostri sicut aranea meditabuntur: dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni.*
Si autem in potentatibus octoginta anni: & amplius eorum labor & dolor.
Quoniam superuenit mansuetudo: & corripiemur.

11 *Quis nouit potestatem iræ tuæ: & præ*
12 *timore tuo iram tuam dinumerare?*
Dexteram tuam sic notam fac: & eruditos corde in sapientia.

13 *Conuertere Domine, vsquequo: & deprecabilis esto super seruos tuos.*

14 *Repleti sumus mane misericordia tua: & exultauimus & delectati sumus in omnibus diebus nostris.*

15 *Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti: annis quibus vidimus mala.*

16 *Respice in seruos tuos & in opera tua: & dirige filios eorum.*

17 *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos: & opera manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige.*

sicut dies hesterna quando pertransiet, & [sicut] vigilia in nocte.

5 Inundasti eos: somnus erunt, in mane quasi herba mutabitur.

6 In mane florebit & mutabitur: ad vesperum † succidetur & siccabitur. † *vespere.*

7 Quoniam consumpti sumus in furore tuo: & in ira tua territi sumus.

8 Posuisti iniquitates nostras coram te: absconsionem nostram luci facierum tuarum.

9 Quoniam omnes dies nostri versi sunt in ira tua: consumpsimus annos nostros quasi sermonem.

10 Dies annorũ nostrorum, in se septuaginta anni: & si in fortitudinibus octoginta anni, & superbia eorum [est] labor & dolor: quoniam volans cito & volauimus.

11 Quis sciens fortitudinem iræ tuæ: & [exigit] sicut timor tuus iram tuam.

12 Ad numerandum dies nostros, sic fac scire: & faciemus venire cor sapientiæ.

13 Reuertere Domine, vsquequo? & [placatus] solatus esto super seruos tuos.

14 Satia nos in mane gratia tua: & laudabimus & lætabimur in cunctis diebus nostris.

15 Lætifica nos sicut dies [quibus] afflixisti nos: [quibus] annos vidimus malum.

16 Apparebit ad seruos tuos opus tuum: & pulchritudo tua super filios eorum.

17 Et erit dulcedo Domini † Dei nostri super nos: & opus manuum nostrarum dirige super nos, & opus manuum nostrarum dirige ipsum. † *Dominorum meorum.*

COMMENTARIVS.

An Moyses auctor huius Psalmi?

TItulus est: *Oratio Moysi viro Dei.* Et est tertius Psalmus intitulatus *oratio*: quia per modum contemplationis editus est. Attribuiturque oratio hæc Moysi qui scripsit Pentateuchum. Et ne intelligeres alium Moysen, adiunctum est *viro Dei*: sic enim sæpe in Scriptura vocatur ille Moyses. Et aut Moyses condidit orationem hanc metricè, insertam Psalmis Dauidis (sicut inter Epistolas Ciceronis inseruntur aliquæ aliorum Epistolæ) aut quod potius crediderim, Moyses edidit hanc orationem quantum ad materiam non metricè: quam postea Dauid extendit, in formam metri reducendo: & propterea Moysi asscribitur tanquam auctori orationis quantùm ad materiam.

Materia.

Circa materiam Psalmi aduerte esse hîc aliquid certum, scilicet quòd à principio Psalmi vsque ad versiculum vndecimum tractatur de miseria vitæ humanæ quantum ad breuitatem vitæ: vnde & concluditur dies nostros annorum 70. esse. Ita quòd clarum est primam partem Psalmi tractare de vitæ breuitate communi generi humano ex ira Dei propter peccata nostra. Quo fit vt reliqua pars Psalmi quæ in supplicatione

tione consistit, intelligenda consequenter sit de remedio huiusmodi miseriæ: alioquin non responderent vltima primis. Et quia remedium est spiritualis gratia, ideo secunda pars Psalmi proculdubio intelligenda est de petitione spiritualis gratiæ.

Verùm an petatur spiritualis gratia absolutè, an per aduentum Messiæ, non clarè patet. Consideranti tamen perspicaciter 15. versiculum (petentem *lætifica nos sicut dies afflixisti nos, annos vidimus malum*) apparebit Prophetam distinguere inter tempus afflictionis & mali, & tempus lætitiæ: ac per hoc petere gratiam aduentus Messiæ: tanquam tempus Messiæ sit tempus lætitiæ, & tempus ante Messiam sit tempus afflictionis. Et hanc temporis diuersitatem referendo ad solam gratiam, difficile est saluare: quoniam non diuersum sed vnum & idem est tempus gratiæ & tempus afflictionis. Consonatque aduentui Messiæ præcedens immediatè versiculus petens, *satia nos mane gratia tua, & laudabimus & lætabimur in omnibus diebus nostris*. Hoc enim clarè Zacharias pater Ioannis Baptistæ in Messiæ aduentu impleri dicit: *vt seruiamus illi in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris*. Luc. 1.

Consentaneum itaque rationi est vt materia Psalmi intelligatur ad literam miseria humanæ vitæ propter peccatum hominis à diuina inflicta iustitia, commemorata vt reparanda per Messiam.

SVMMARIVM EST.

Propheta ob hominis peccatum à diuina iustitia miseriam humanæ vitæ illatam contemplatur: & supplicat vt placatus Deus satiet hominem suâ gratiâ, dando & sapere secundùm timorem suum, & lætari cunctis diebus, & directionem operum: prophetans appariturum opus cum Dei pulchritudine ac dulcedine.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. DOMINE HABITACVLVM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *quoniam mille*. Proponit tria, scilicet æternitatem Dei, iustitiam eius, & gratiam eiusdem. Sed litera non proponit hæc tria hoc recto ordine: sed primò gratiam: *Domine habitaculum*, refugij, *tu fuisti nobis*, non in personis nostris, sed *in generatione & generatione*, hoc est, vniuersis generationibus. Assimilat Deum habitaculo refugij: quia intendit loqui de Deo quatenus ad eum confugit genus humanum, damnatum propter proprium peccatum: sicut homo à facie persecutorum & iniuriarum (ab imbribus, frigoribus, &c.) confugit ad habitaculum.

Deum habitaculo refugij assimilat.

Antequam montes nati sunt & creata fuit terra & orbis. Æternitas Dei proponitur, tum à parte antè per tempus imaginarium significatum, dicendo *ante creationem mundi*. Sicut enim dicendo, extra aut supra cœlum, significatur imaginarius situs, ita dicendo *antequam terra fieret*, &c. significatur tempus imaginarium: quia nullum erat tunc tempus reale. *Et à seculo & vsque in seculum tu Deus*. Ecce æternitas *à parte post*: extensio enim temporis à seculo in seculum, post mundi creationem est. *Facies reuerti hominem*. Proponitur iustitia quam Deus exercuit in primum hominem: cùm enim donasset ipsum originali iustitiâ, post peccatum fecit reuerti eum vsque ad contritionem mortis. Et dicit *reuerti*: quia rediit in conditionem propriæ naturæ. Et futurum *facies*, respicit Dei æternitatem præmissam. Et construenda est sic litera: *Tu Deus antequam montes nati essent*, &c. facies reuerti hominem ad contritionem mortis sibi naturalem.

Æternitas Dei tum à parte antè, tum à parte post.

Et dixisti. Declarat quando hoc fuit afferendo sententiam datam contra hominem: *reuertimini filij Adam: (puluis es & in puluerem reuerteris.)* Vbi & nota non solum hominem damnatum sed filios: vt intelligas primum parentem cum ipsius posteritate damnatum ad mortem, hoc est, ad necessitatem moriendi. Huc enim significat, *reuertimini in terram filij Adam*.

Vers. 4. QVIA MILLE ANNI. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractantur simul illæ particulæ, *antequam montes*, &c. *facies reuerti hominem*, &c. hoc est diuinæ æternitatis & humanæ punitionis quoad durationem vitæ. Secundò tractatur illa, *Domine habitaculum fuisti nobis*, &c. ibi, *quis sciens fortitudinem*.

Tres itaque pœnales conditiones humanæ vitæ Propheta affert, scilicet quòd est vt somnus, quòd mutationibus multis subiecta, & quòd velocissimè ac breuissimè transit. Et has omnes infert ex comparatione naturalis vitæ (quâ homo innocens viuere posset) ad æternitatem: ita quòd conferendo naturalem vitam hominis ad æternitatem, intendit monstrare non fuisse seueram Dei iustitiam quâ propter peccatum animaduertit in hominem dictis tribus pœnalitatibus. Hoc est quò tendit Propheta. Accipit itaque annos mille pro supremo tempore humanæ vitæ: vtpote quos nullus vnquam homo vixit: vt patet legenti ætates hominum ante diluuium. Et refert ad æternitatem oculatam, dicens: *Quoniam mille anni*, suprema hominis ætas, *in oculis tuis* (ecce æternitas oculata) sunt *sicut dies hesterna*, non quando durabat, sed *quando pertransiet*: prima comparatio. *Et custodia in nocte*: altera comparatio mille annorum ad æternos oculos Dei.

Tres conditiones pœnales humanæ vitæ.

Nullus homo vixit mille annos.

Et per primam comparationem intendit declarare quòd quantacunque ætas humana relata ad æternitatem, nullius est durationis, sed est sicut dies hesterna postquam pertransiit: quæ significat tempus præteritum paucissimum, quod modò nihil est. Per alteram verò comparationem intendit declarare quòd studium humanum ex omnibus naturæ viribus est sicut vna vigilia custodiæ nocturnæ. Per quod significatur & breuitas & obscuritas totius studij humani naturalis: ita quòd non meretur comparari diei nec etiam integræ nocti, sed vni custodiæ.

Studium humanum est sicut vna vigilia custodia nocturna.

Quia inquam sic se habent naturalia hominis ad æternos oculos Dei, *inundasti eos*, more impetuosæ aquæ impulisti eos homines peccantes: & per hoc significat punitionem diuinã. *Somnus erunt*. Ecce prima pœna, scilicet, quòd homines facti sunt vt somnus. Metaphoricus est sermo, & vt respondeat præmissis, duo innuit. Alterum per respectum ad diem hesternam: alterum per respectum ad custodiam noctis, scilicet, quòd vbi hominis vita naturalis erat velut dies hesterna, per peccatum facta est velut somnus. Et similiter vbi humanum studium naturale erat velut custodia nocturna, per peccatum factum est velut somnus: hoc est quòd studium hominis post peccatum tam inuolutum tenebris est quòd nec custodiæ

custodiæ nocturnæ meretur assimilari sed dormitioni: & similiter vita nostra non meretur comparari diei (quo multis vacatur exercitationibus) sed somno, qui necessitatis est. Et tu poteris extendere metaphoram prout Spiritus sanctus docuerit.

Quantis mutationibus homo subijcitur.

In mane quasi herba mutabitur. Secunda pœna describitur tot varietatum quibus homo subiicitur: & declaratur primum ex similitudine herbæ, quæ eodem die tot mutationibus subiicitur. *Mutabitur.* homo, *quasi herba in mane*, hoc est in die artificiali à suo principio nominato. Et subdit modum: *In mane*, in prima parte diei, *mutabitur*, incipiet mutari vegetatione, *& florebit: ad vesperum siccabitur & succidetur.*

Quoniam consumpti sumus. Rationem reddit tot varietatum ex diuina iustitia: vt intelligas propter peccatum hæc nobis accidisse. Et duas inducit mutationes nostri: sub quibus omnes mutationes nostri intellige comprehendi.

Vers. 7. QVONIAM CONSVMPTI SVMVS. Ecce vna mutatio, sub qua comprehenditur omnis mutatio corporis: *in furore tuo*, iustitia tua punitiua, *& in ira tua territi sumus.* Ecce altera mutatio: sub qua comprehenditur omnis mutatio passionum animi.

Posuisti iniquitates. Quia Deus non est prius vltor quàm homo sit peccator, declarat rationem iustitiæ diuinæ fuisse peccata hominis. Et loquitur more humanorum iudicum: qui quando punituri sunt crimen, ponunt crimen illud ante examen suum, & deducunt crimen quod erat occultum coram iudice in lucem iudicij. Hæc enim significat dicendo: *posuisti iniquitates nostras coram te.* iudicandas & puniendas, absconsionem nostram luci faciemm tuarum. Ad literam (vt ipse Moyses scripserat) Deus posuit peccatum primorum parentum coram se, & absconsionem Adæ, dicendo *Adam vbi es?* respondendente illo: *Abscondi me eo quòd nudus essem*, &c.

Quoniam omnes dies nostri. Tertia pœna velocissimæ breuitatis describitur. *Quoniam omnes dies nostri versi sunt in ira tua*, de bono in malum: in statu enim innocentiæ dies nostri erant boni, &c. sed *in ira Dei*, hoc est in iustitia, *versi sunt in malos: ideo consumpsimus annos nostros quasi sermonem:* volat irreuocabile verbum. Percipe labilitatem annorum nostrorum ad similitudinem locutionis.

Dies vitæ nostræ 70. anni.

Dies annorum nostrorum: ecce breuitas, *in se*, hoc est, non relati ad æternitatem, sed in seipsis (relati enim ad æternitatem iam dictum est quòd nec merentur comparari vni diei) sunt *septuaginta anni.* Considera hoc tu qui dicis ætatis nos esse breuioris quàm fuerint ætatis superioris homines: multa millia annorum iam fluxerunt à tempore editi Psalmi contemplantis ætatem humanam 70. annorum. Si enim breuior facta esset ætas, certè à tanto tempore hucusque non esset ætas hominum adhuc 70. annorum: cuius oppositum videmus. *Et si in fortitudinibus*, hoc est, in complexionibus robustioribus, *octoginta anni: & superbia eorum labor & dolor:* hoc est, & quod superire contingit tempus octoginta annorum plenum est laboris & doloris: *quoniam volans citò*, est vita nostra, *& volauimus*, magis quàm ambulauimus. Intendit enim per metaphoram volatus velocitatem cursus vitæ nostræ significare, quanto celerior est volatus

Velocitas vitæ.

ambulatione: videmur enim nobis non ambulasse sed volasse cùm sumus prope mortem.

Vers. 11. QVIS SCIENS. Tractatur hic illa particula, *Domine habitaculum fuisti nobis:* petendo scientiam, gratiam, & lætitiam ac directionem operum cum diuina placatione, apparitione operis, pulchritudinis ac dulcedinis Dei. Vide singula. Inchoat petitionem sapientiæ ab impossibilitate aliter habendi eam. *Quis sciens fortitudinem iræ tuæ*, hoc est, quantum potest iustitia tua? quasi dicat, nullus. Scimus enim fortitudinem iræ humanæ: quia vltimum quod potest est occidere hominem. Sed quantum potest iustitia diuina nullus scit naturali notitiâ: tum quia nullus naturaliter scit pœnas alterius vitæ: tum quia multo plus potest iustitia diuina quàm in inferno punire. *Et sicut timor tuus iram tuam*, hoc est, quis sciens iram tuam sicut timor tuus exigit scire? quasi dicat nullus. Vbi perpende ignorantiam: tum eius quod potest iustitia diuina: tum modi sciendi, scilicet, vt diuinus timor exigit.

Quantum potest diuina iustitia nemo scit.

Ideo ad numerandum dies nostros, sic (scilicet secundùm timorem tuum) *fac scire.* Perpende quòd petit scientiam sic, id est, secundùm timorem Dei ad numerandum dies proprios: hoc est, ad librandum tempus vitæ propriæ secundùm timorem Dei: qui enim scit computum dierum suorum tenere secundùm timorem Dei, hic scit vt diuino congruit timori & iram Dei & quantum potest ira eius: & hoc est primum remedium contra breuitatem vitæ. Vnde & subditur fructus: *& faciemus venire cor sapientiæ.* Effectus scientiæ est dare operam vt cor imbuatur sapientiâ, hoc est, notitiâ diuinorum. Et bene nota quòd non loquitur de sapientia mentis, sed de sapientia cordis: quoniam illa est speculatiua communis bonis & malis, ista est affectiua, propria bonis.

Reuertere Domine. Secunda petitio more humano Deum velut principem qui recesserat indignatus, interpellat vt reuertatur placatus. *Reuertere Domine*, ad similitudinem reuertentis te habe qui velut recessisti à nobis propter peccatum, *vsquequo*, supple differs reuerti: *& solatus esto* (passiuè vsurpatur hic *solatus*) ad similitudinem eius qui iam consolationem recipit, *esto super seruos tuos.*

Satia nos. Tertia petitio. Non parum gratiæ impetrire, sed satia nos gratiâ tuâ: & hoc non tardè, sed in mane, principio diei gratiæ & veritatis: *& laudabimus*, te, *& lætabimur*, in te, *in cunctis diebus nostris.* Pondera petitionem: petit enim nos satiari diuinâ gratiâ, & pondera fructum, lætitiam & laudem omnibus diebus nostris. Vide si de Messiæ aduentu tractat.

Lætifica nos. Quarta petitio. *Sicut dies afflixisti*, hoc est, quibus afflixisti, *nos: annos*, hoc est, sicut annos, *vidimus*, hoc est quibus vidimus, *malum.* Vbi manifestè vides peti lætitiam in diebus Messiæ, sicut in diebus ante Messiam fuit afflictio & visio malorum: afflictio in nobis, visio malorum in proximis.

Apparebit. Interserit antequam compleat petitiones omnes modum quo Deus concedet petitas gratias: quod est prophetare mysterium Messiæ. *Apparebit tunc* cùm concesseris nobis hæc, *ad seruos tuos opus*, non nostrum, sed *tuum.* Mysterium Messiæ appellat opus diuinum: quia verè sic est: quod describit appariturum seruis Dei.

Mysterium Incarnationis vocat opus diuinum.

Dei. *Et pulchritudo tua super filios eorum.* Ipse Messias est pulchritudo Dei; est enim, *splendor gloriæ & figura substantiæ eius*, &c. Et recole quòd ideo dicit, *& super filios eorum* scilicet seruorum Dei: quia in principio Psalmi proposuerat *habitaculum fuisti nobis in generatione & generatione:* verificat siquidem multitudinem generationum, inducendo seruos Dei & filios eorum.

Et erit dulcedo Domini Dei nostri super nos. Dixerat quòd apparebit opus tuum: & explicauerat opus illud esse pulchritudinem ad perficiendum intellectum: pulchra enim sunt quæ visa placent: supererat vt explicaret idem ad perficiendum affectum: & propterea dixit: *& erit dulcedo*, appetibilis, *Domini Dei nostri super nos.* Hæc omnia in mysterio Messiæ affuisse, claré constat.

Pulchra sunt quæ visa placent.

Et opus manuum nostrarum. Regreditur Propheta ad prosequendum petitiones: quæcunque enim superiùs petiit, ad intellectum & affectum spectant. Vnde reliquum erat vt peteret spectantia ad executionem operis: parum enim prodest scire & velle, nisi subsequatur operatio, cùm facultas suppetit. Et propterea duo petit circa executionem operis. Alterum est: *& opus manuum nostrarum dirige super nos.* In quo petit opera humana dirigi supra facultatem naturæ: quod tunc percipimus, cùm nostrum credere, nostrum diligere, nostrum operari ad supernaturalia tendit bona. Alterum. *Et opus manuum nostrarum dirige ipsum.* In quo petit etiam opera nostra quæ ex vi naturalium operamur dirigi à Deo. Et hoc directè attestatur recognitioni humanæ miseriæ quam incurrimus per peccatum, vt etiam in operibus ex viribus naturalibus nobis competentibus cognoscamus nos indigere directione diuinâ: sicut infirmi egent auxilio in operibus quæ sani possent. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO. XC.	IVXTA HEBRÆVM. XCI.
1 *QVI habitat in adiutorio altissimi: in protectione Dei cæli commorabitur.*	1 *Propheta.* HABITANS in abscondito excelsi in vmbra omnipotentis pernoctabit.
2 *Dicet Domino: susceptor meus es tu & refugium meum, Deus meus, sperabo in eum.*	2 *Messias.* Dicam Domino [4]: spes mea & arx mea, Deus meus, confidam in eo.
3 *Quoniam ipse liberabit te de laqueo venantium: & à verbo aspero.*	3 *Propheta.* Quia ipse liberabit te à laqueo offendiculi: à peste fallaciarum.
4 *Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.*	4 In ala sua operiet te, & sub alis eius protegeris: scutum & clypeus (tibi erit) veritas eius.
5 *Scuto circumdabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno.*	5 Non timebis à timore noctis: à sagitta (quæ) volabit die.
6 *A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris: ab incursu & dæmonio meridiano.*	6 A peste (quæ) in obscuro ambulabit: ab incisione (quæ) diruet meridie.
7 *Cadent à latere tuo mille & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.*	7 Cadet à latere tuo mille, & decem millia à dextera tua: ad te non appropinquabit.
8 *Verumtamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.*	8 Tantum in oculis tuis videbis: & retributionem impiorum cernes.
9 *Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum.*	9 Quoniam tu Domine [4] (Messia) spes mea; excelsum posuisti habitaculum tuum.
10 *Non accedet ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.*	10 (Ideo) Non accedet ad te malum: & plaga non appropinquabit in tabernaculo tuo.
11 *Quoniam Angelis suis mandauit de te:*	11 Quoniam angelis suis mandabit tibi (de te) ad

vt custodiant te in omnibus viis tuis.	ad custodiendum te in omnibus viis tuis.
12 *In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*	12 Super palmis portabunt te: nequando offendes in lapidem pedem tuum.
13 *Super aspidem & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem & draconem.*	13 Super leonem & aspidem calcabis: conculcabis leunculum & draconem.
14 *Quoniam in me sperauit liberabo eum: protegam eum quoniam cognouit nomen meum.*	14 *Deus.* Quoniam in me desiderauit & liberaui eum: exaltabo eum, quoniam cognouit nomen meum.
15 *Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum & glorificabo eum.*	15 Vocabit me & respondebo ipsi: cum ipso ego in angustia, eruam eum & honorabo eum.
16 *Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.*	16 Longitudine dierum satiabo eum: & faciam videre ipsum in salute mea.

COMMENTARIVS.

Materia.

TItulus nullus est: Materia Psalmi ex ipso Psalmo apparet quòd est Messias custoditus à Deo. Nam custodia mandata in versiculo 11. (*Angelis suis*, &c.) nulli particulari personæ, nulli populo conuenit nisi Messiæ: quilibet enim populus & quilibet singularis homo, excepto Messia, permissus est offendere pedem ad lapidem: hoc est incurrere aliquem casum quasi fortuitum, & culpæ & pœnæ: excepto inquam Messia: qui & peccatum nullum fecit, & inuoluntarium malum nullum incurrit. Accedit ad hæc quòd in principio Psalmi dicitur, *habitans in abdito excelsi*: habitare quippe est iugem quietem personalem alicubi possidere: constat autem nec Moysem nec Dauidem aut quemcunque alium iustum habitasse, sed transitoriè quodammodo hospitatos in abdito excelsi: Messiam verò habitasse: qui de seipso testatur: *Nemo ascendit in cælum nisi qui descendit de cælo filius hominis qui est in cælo*, habitans semper in abdito excelsi.

Diuina Messiæ viatoris custodia à malo.

Vnde sine dubio materia Psalmi ad literam est diuina Messiæ viatoris custodia à malo, sic vt mereretur propriâ tribulatione immortalis vitæ præmium.

SVMMARIVM EST.

PRopheta Messiam habitantem in abscondito Dei, custodiendum ab omni malo, periculo & euentu, ministrantibus ei Angelis describit: sic vt passum nil præter Deum desiderantem Deus fouerit, liberauerit, exaltauerit, immortalitate vitæ corporalis, honore & salute omni repleuerit.

Personæ loquentes sunt tres: Propheta, Messias, & Deus.

VERS. 1. HABITANS IN ABSCONDITO. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *dicam Domino.* Proponit vnum, multis tamen conditionibus fultum. Proponit quidem quòd *habitans* Messias *in abscondito excelsi* Dei (hoc est in diuinitate, quæ est summum absconditorum nobis) *pernoctabit in vmbra omnipotentis*: hoc est, noctem præsentis vitæ vsquead finem ducet *in vmbra*, in protectione omnipotentis Dei. Vbi videre facilè potes multitudinem mysteriorum: nam habes hinc vtramque Messiæ naturam: diuinam quidem per habitationem in abscondito excelsi: humanam verò subiectam passioni, per pernoctationem sub vmbra omnipotentis.

Nox. præsens vita.

Vers. 2. DICAM DOMINO. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur Messias quatenus *sub vmbra* omnipotentis. Secundò quatenus *habitans in excelso*, ibi, *quoniam tu Domine.* Tertiò quatenus *pernoctabit*, ibi, *quoniam in me.* Tractans itaque Messiam sub vmbra omnipotentis, prius introducit Messiam ipsum profitentem fiduciam suam in Deo: vt per hoc intelligas Messiam viatorem recognoscentem se subditum Deo, & omnia à Deo habere. *Dicam*, ego Messias, *Domino*, recognoscendo & recurrendo ad ipsum, tria: Primum: *spes mea*, tu solus mihi ratio sperandi. Fuit enim in Christo spes immortalitatis corporis & exaltationis sui nominis, & breuiter respectu bonorum quæ per passionem suam meruit; & assecutus partim est & partim assequetur in secundo aduentu. Secundum: *& arx mea*, ratio omnis securitatis meæ ad similitudinem arcis reddentis hominem tutum. Tertium: *Deus meus*, singularissimè per gratiam vnionis personalis. Ex quibus infert quartum: *confidam in eo*, & in nullo alio.

Deinde Propheta alloquitur Messiam, describens effectus diuinæ vmbræ & eius, id est, Messiæ, fiduciæ in Deo, dicens: *Quia ipse*, omnipotens, *liberabit te*, Messiam, *à laqueo offendiculi*. Aduerte prudens lector Psalmum istum metaphorico stylo tanquam sub parabola describere Messiam custoditum. Vnde statim inducit tres metaphoras periculorum & custodiarum. Prima sumitur à periculis venationum. Et explicatur *à laqueo offendiculi*, hoc est, in quem offenditur: in laqueos enim venatorios offendunt & animalia terrestria & aliquæ aues. Et ne quæras quid significent, ipsemet Propheta exponit à peste fallaciarum. Ac si apertè diceret: ipse liberabit te ab omnibus fallaciis pestiferis, significatis per laqueos offendiculi. Signanter autem addidit *à peste*: vt intelligeres laqueos esse mortiferos: hoc est positos non solù ad capiendum sed ad mortē.

Tres metaphoræ periculi & custodiæ.

In ala sua. Secunda metaphora sumitur à periculo imminente pullis ex volucribus rapacibus. *In ala sua,*Deus,*operiet te,*velut gallina pullos:*& sub alis eius protegeris.*

Scutum & clypeus. Tertia metaphora sumitur à periculo præliorum: post pericula enim venationum & pericula ex auibus rapacibus, subiungit pericula bellorum. Et propterea nominat arma defensiua in bello. *Scutum*, rotundum satis notum,& *clypeus*, genus scuti cooperientis totum hominem, *veritas eius,*tam pro scuto quàm pro clypeo erit tibi veritas diuina. Lege Euangelium: & reperies Christum veritate vsum pro sui defensione:nam & cum tentaretur in deserto, veritate diuinæ scripturæ se defendit. Et Iudæis dicebat: *Si veritatem dico vobis quare non creditis mihi?* Et Pilato: *Ad hoc natus sum vt testimonium perhibeam veritati.*

Veritas est scutum.

Ioan.8.46.
Ioan.18.37.

Antequam vltrà progrediamur, aduerte per primam metaphoram significari liberationem Messiæ à morte per resurrectionem: mors enim eius fuit ex parte occidentium ipsum velut laqueus offendiculi & pestis fallaciarum: vt clarè patet in Euangelica historia: nam principes Iudæorum sub prætextu læsæ maiestatis fallacissimè extorruerunt Pilatum: cùm regnum Messiæ non esset de hoc mundo. Vnde non dicit Propheta quia ipse præseruabit te, sed *liberabit te:* vt intelligas quòd velut comprehensum à laqueo liberauit. Fuit enim Christus quodammodo comprehensus, pro quanto fuit occisus secundùm corpus: sed fuit liberatus à laqueo, quia resurrexit immortalis,& fidem suam propagauit. Ad quam extinguendam tendebant Iudæi: vt ipsimet testantur: *ne forte veniant discipuli eius & furentur eum, & dicant plebi: surrexit à mortuis, & erit nouissimus error peior priore.* Vbi manifestè ad extinguendum fidem Christi se tendere sunt professi.

Mat.27.64.

Per secundam autem parabolam custodia Messiæ ab insidiis dæmonum (vtpote ab habitantibus in aëre per volucres rapinæ significatorum)intelligitur: quòd scilicet nihil profecerunt tentando Christum: iuxta illud, *Venit princeps mundi huius & in me non habet quicquam.* Vnde & significantius describitur non liberatus sed protectus,*sub alis eius protegeris.*

Ioan.14.25.

Per hanc autem tertiam metaphoram,clarè significatur custodia Messiæ docentis & prædicantis populo: dum veritas diuina describitur scutum & clypeus eius.

Vnde & sequuntur fructus. *Non timebis à timore noctis.* Effectus veritatis defendentis primus ponitur exclusio timoris à quattuor malis. Primum est à *timore noctis:* secundum est à *sagitta quæ volabit die:* tertium est à *peste quæ in obscuro ambulabit*; quartum est *ab incursione quæ diruet meridie.* Et prosequendo metaphoram belli, tanguntur quatuor mala bellica. Duo occulta,scilicet periculorum nocturnorum & insidiarum, quæ significantur per pestem ambulantem in obscuro. Et duo manifesta, scilicet sagittarum, & ensium lancearúmque incidentium.

Exclusio timoris à quatuor malis.

Sed secundùm parabolæ sensum vniuersæ rationes timendi videntur hîc comprehendi: nam ratio timendi ex parte obiecti,aut est ex magnitudine imminẽtis mali manifesti:& sic est incisio diruttura meridie. Et parabolam belli sequendo, hostilis gladius manifestè imminens ad deuastandum valde timendus est. Et aptè malum magnum manifestè imminens significatur: *ab incisione,*ecce malum, quæ *diruet,*ecce magnitudo imminens,*meridie,*ecce manifestè.

Cur noctis malum imminens magis timetur?

Aut ex non apparentia mali imminentis. Et hoc significatur per *timorem noctis:* imminentia enim mala nocte, redduntur timenda, quia non apparent quæ & quanta,qualia,&c.sint.

Aut ex parte modi occulti. Quandoque enim licet malum imminens sciatur, & non timeatur absolutè, timendum tamen redditur ex modo occulto diuersarum insidiarum & huiusmodi fallaciarum. Et hoc tangitur per *pestem* quæ *in obscuro* ambulabit. Metaphora ista sumpta est à morbo epidimiæ,quæ vulgo vocatur pestis:quæ ambulat, crescit, grassatur cùm est tempus nubilosum. Et aptè per hoc significatur malum magnum imminens per insidias & fallacias, tanquam nube tectum. Aut rursus ex parte modi repentini. Redditur siquidem malum valde timendum cùm repente superimminere videtur. Et significatur per *sagittam* quæ *volabit die.* Sagittæ enim volantes, celerrimè tendentes versus hominem,*die,*hoc est manifestè,timendas se reddunt:quia non dant tempus fugiendi Et intendit Propheta per hæc excludere à Messia prædicante timorem cuiuscumque mali temporalis.Et bene nota quòd non excluditur à Christo donum timoris: de quo scriptum est Esa.11. *Et replebit eum spiritus timoris Domini.* Nec propassio timoris: cùm scriptum sit Marc. 14. *Cœpit pauere.* Sed passio timoris: hæc enim in Christo non fuit: sicut nec cuiuscumque alterius passionis animalis defectus.

Crescit pestis cum tempus est nubilum.

Nec donum nec propassio timoris à Christo exluditur.
Esai.11.
Marc.14.

At si non sufficit tibi exclusio omnis timoris malorum temporalium, sed singula quæris, percipe timorem noctis exclusum nocte quâ proditus & captus est, cùm dixit,*quem quæritis,*&c. *Sagittam volantem in die,* agnosce furiosum clamorem, *tolle tolle crucifige eum*, cum præcipiti expeditione Pilati. *Pestis* verò *ambulans in obscuro*, machinatio mortis in concilio Pontificum executioni mandata sub prætextu læsæ maiestatis fuit. *Incisio* demum *meridiana,* in crucifixione manifesta est, quando clauis horâ sextâ fixus est. Et nihil horum timuit, sed pro veritate libens sustinuit.

Cadet à latere tuo mille. Secundus effectus veritatis describitur. Et prosequendo parabolam, describitur quòd cùm apparebit cum clypeo veritatis, cadent omnes ad latera, tanquam expeditam dantes viam:& quòd à sinistris mille cadent, *à dextris* verò *decem millia,*ita quòd nullus ei nocebit:& quòd hos casus non efficiet gladiis, lanceis, sed tantùm videbit propriis oculis pro iusta retributione impiorum. Hæc est parabola, quoniam nullis armis offensiuis descriptus est armatus,sed defensiuis tantum: puta scuto & clypeo. Nec dicit, *percuties eos,* sed quòd ipsi cadent. Et expresè excluditur omnis offensio,dicendo,*tantum in oculis tuis videbis,*hoc enim perinde est,ac si dixisset,tu non facies cadere sed videbis cadentes. Et intendit per hanc metaphoram explicare infelicem casum Iudæorum in aduentu Messiæ: quòd veniente Christo non cum armis offensiuis,sed cum prædicatione veritatis,cadent à latere eius mille, cadent in infidelitatis crimen Iudæi stantes ad latus eius(hoc est cõuersantes cum eo) mille, in magno numero: sed *à dextris tuis,* hoc est, post resurrectionem tuam (status enim immor

Christo nulla arma offensiua tribuit, sed tantùm defensiua.

Status immortalis vocatur dextera Christi.

immortalis appellatur dextera Christi) cadent decem millia, Iudæorum: quia multo maior numerus Iudæorum cecidit in crimen infidelitatis post resurrectionem Christi quàm ante: nam per totum mundum Iudæi dispersi, & non solùm illi qui erant in Iudæa, inciderunt in crimen perfidiæ. Et ipsi quidem ceciderunt, Christus autem non fuit causa casus eorum nisi veritatem manifestando: iuxta verbum eius, *si non venissem & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*. Et rursus: *si opera non fecissem quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*, scilicet infidelitatis. *Tantum in oculis tuis videbis*, non eris causa casus eorum, sed clarâ visione intueberis casum: *& retributionem impiorum cernes*. Nota hîc iusto Dei iudicio casum Iudæorum permissum, dicendo, *retributionem*, significatur enim per hoc quòd meruerunt cadere in perfidiam.

Vers. 9. QVONIAM TV DOMINE. Tractatur hîc illa particula, *habitans in abscondito excelsi:* Propheta enim prosequens sermonem ad Messiã, assumit huiusmodi celsitudinem pro ratione. *Quonia tu Domine*, Messia, *spes mea*, spes omnium Prophetarum: *excelsum posuisti habitaculum tuũ*, vtpote simul existens in terra & in cælo. *Ideo non accedet*, non eueniet casu aut fortuito, *ad te malum*, quodcunque: *& plaga non appropinquabit in tabernaculo tuo*, in corpore tuo. *Nemo* (inquit ipse) *tollit animam meam à me, sed ego pono eam:* quicquid enim passus est Christus, ex proposito, ex electione & non inuitus neque casu passus est.

Prosequendo parabolam belli, postquam descriptus est Messias veritate velut armis defensiuis munitus, describitur ex securitate sui habitaculi, & demum ex ministris custodiẽtibus ipsum. *Quoniam angelis suis*. Rationem reddit executæ custodiæ, mandatum Dei ad Angelos. Sicut enim Christus vsus est ministerio hominum ad ea quæ sunt cibi & potus, nauigationis & huiusmodi, ita vsus est ministerio Angelorum ad obuiandum occurrentibus quæ ipse nolebat sibi occurrere. Et hoc hîc significatur. *Quoniam Angelis suis mandabit*, Deus, *tibi*, pro de te: *ad custodiendum te in omnibus vijs tuis*.

Super palmas portabunt te. Metaphoricus est sermo, significans perfectam executionem custodiæ: sicut perfectè custodiretur qui portaretur manibus Angelorum. *Nequando offendes in lapidem pedem tuum*, ne minimus quidem casualis seu fortuitus casus eueniat.

Super leonem & aspidem calcabis, conculcabis leunculum & draconem. Respectu hominum descriptus est Messias defensus: modò respectu dæmonum describitur non solùm illæsus, sed victor, sed calcator: *Nunc*, inquit, *iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eijcietur foras*. Describitur autem vniuersitas dæmonum sub metaphora animalium rapacium (leonis & catuli leonum) & venenosorum, aspidis & draconis: quoniam eorum tam maiorum quàm minorum officia ad rapiendum quem deuorent & ad venenandum animas tendunt. Differentias autem morales prudenti lectori relinquo.

Leone, aspide, dracone significantur dæmones.

Vers. 14. QVONIAM IN ME Tractatur hîc illa particula, *pernoctabit*. Postquam enim descriptus est Messias vndique custoditus (tum ab hominibus, tum à malis & casualibus, tum etiam à nociuis animantibus) introducit Propheta Deum declarantem passionem, meritum ac præmium Messiæ. Vbi nota rationem contextus: oportuit enim declarare permo[t]ationem Messiæ propositam: & multo magis oportuit post expressam custodiam Messiæ ab omni malo, obuiare falsæ intelligentiæ quam concipere posses ex prædicta custodia, scilicet quòd inde intelligeres Messiam non fuisse tribulationibus subiectum, non fuisse verè mortuum. Vt igitur hunc erroneum intellectum Propheta excludat, oportuit subiungere quòd passus & tribulatus fuit: & quare, scilicet vt mereretur: & quid ei pro præmio datum est.

Loquens ergo Deus ait: *Quoniam in me desiderauit*, desiderium suum Messias posuit non in mundo sed in me Deo, *& liberabo eum*, resuscitando ipsum. Nota in desiderio meritum: in liberatione vincula mortis à quibus liberatus est. *Exaltabo eum:* ecce præmium. *Propter quod* (inquit Apostolus) *Deus exaltauit eum, & dedit illi nomen*, &c. Rursus: *quoniam cognouit nomen meum*, imò nullum aliud nomen cognouit. *Ego* (inquit Messias) *gloriam meam non quæro, sed glorifico Patrem meum*. *Vocabit me*. Nota tres actus meritorios: desiderij, glorificationis & vocationis: hoc est, recursus ad Deum. *Et respondebo ipsi*, multipliciter. Primò assistendo: *cum ipso*, Messia *Ego*, Deus, *in angustia*, passionis eius. Secundò liberando, *eruam eum*. Tertiò glorificando, *& honorabo eum*. Quartò immortalitate corporis donando, *longitudine dierum satiabo*. Et demum totaliter beando, *& faciam videre ipsum*, Messiam, *in salute mea*, hoc est in omni mea salute effecta ipsius: hoc est, faciam quòd videbit omnem meam salutem in seipso. Amen.

Philipp. 2.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	*IVXTA HEBRÆVM.*
1 *Psalmus cantici in die Sabbati.*	Psalmus cantici diei Sabbati.
XCI.	XCII.
2 *BONVM est confiteri Domino: & psallere nomini tuo altissime.*	1 *Propheta* BONVM ad confitendum Domino [a]: & ad cantandum nomini tuo excelse.
3 *Ad annunciandum mane misericordiam tuam: & veritatem tuam per noctem.*	2 Ad annunciandum in mane gratiam tuam: & veritatem tuam in noctibus.

3 Super

4 *In decachordo psalterio : cum cantico in cithara.*
5 *Quia delectasti me Domine in factura tua : & in operibus manuum tuarum exultabo.*
6 *Quam magnificata sunt opera tua Domine? nimis profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.*
7 *Vir insipiens non cognoscet : & stultus non intelliget hæc.*
8 *Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum : & apparuerint omnes qui operantur iniquitatem.*
9 *Vt intereant in seculum seculi : tu autem altissimus in æternum Domine.*
10 *Quoniam ecce inimici tui Domine, quoniam ecce inimici tui peribunt : & dispergentur omnes qui operantur iniquitatem.*
11 *Et exaltabitur sicut vnicornis cornu meũ: & senectus mea in misericordia vberi.*
12 *Et despexit oculus meus inimicos meos: & ab insurgentibus in me malignantibus audiet auris mea.*
13 *Iustus vt palma florebit : sicut cedrus Libani multiplicabitur.*
14 *Plantati in domo Domini : in atrijs domus Dei nostri florebunt.*
15 *Adhuc multiplicabuntur in senecta vberi : & bene patientes erunt vt annuncient.*
16 *Quoniam rectus Dominus Deus noster: & non est iniquitas in eo.*

3 Super denario & super viola : super meditatione in cithara.
4 Quoniam lætificasti me Domine [+] in operibus tuis : in operibus manuum tuarum cantabo.
5 Quàm magnificata sunt opera tua Domine [+]: valde profundæ factæ sunt cogitationes tuæ.
6 Vir bestialis non cognoscet : & stultus non intelliget hoc.
7 In florendo (sunt) impij sicut herba : & germinabunt omnes operantes iniquitatis, ad destructos esse se vsque semper.
8 Et tu excelsus æterno Domine [+].
9 Quoniam ecce inimici tui Domine [+] quoniam ecce inimici tui peribũt: & separabuntur omnes operantes iniquitatis.
10 Et exaltasti instar vnicornis cornu meũ : mixtura mea in oleo recenti.
11 Et respexit oculus meus in inspectoribus meis : in insurgentibus super me malignantibus audient aures meæ (sequens canticum).
12 *Canticum.* Iustus vt palma florebit : vt cedrus in Libano crescet.
13 Plantati in domo Domini [+] : in atriis Dei nostri florebunt.
14 Adhuc fructificabunt in senectute : pingues & viuidi erunt.
15 Ad annunciandum quia rectus Dominus [+] rupes mea, & non (est) iniquitas in eo.

COMMENTARIVS.

Dies Sabbati omnem festũ diem comprehendit apud Hebræos.

Titulus est: *Psalmus cantici diei Sabbati.* Dies Sabbati omnem festiuũ diem apud Hebræos comprehẽdit, & in hoc titulo significat materiam diei festiui. Ita quòd materia Psalmi significatur eadem cum materia diei festiui: expendebatur siquidem dies festus in duobus operibus, scilicet diuinę laudis, & annunciationis diuinorũ populo. Et Psalmus iste (vt ipsemet præ se fert) laudat vtrumque opus super gratia & veritate Dei erga iustos & peccatores, ostensis in Dauide & persecutoribus eius. In principio siquidem Psalmi manifestè laudatur laudare Deum & annunciare populo super gratia & veritate Dei. In versiculis autem 7. 8. & 9. pœna impiorum patet: in 12. autem & sequentibus gratia iustorum. Ostensio autem erga Dauidem & inimicos eius explicatur in versiculis 10. & 11. & vltimo: vt patet intuenti. Hæc est itaque materia Psalmi ad literam.

SVMMARIVM EST.

Dauid vtrumque Sabbati opus (scilicet laudare Deum, & annunciare populo gratiam & veritatem Dei erga iustos & iniustos) commendat. Et veritatem quidem in omnibus iniustis, ac specialiter in persecutoribus suis : gratiam verò in seipso, in omnibus iustis, ac specialiter in ministris diuini cultus manifestat.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1.

Bonum ad confitendum Domino. Diuiditur Psalmus in partes duas : propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *quoniam lætificasti.* Proponit quidem vnam orationem, sed multas habentem partes: nam proponit bonum esse laudare & annunciare, adiungendo modos laudandi & materiam laudis ac annunciationis. Vide singula. *Bonum,* honestum quia actus religionis, vtile animæ & delectabile spiritui, supple opus est (& hoc dicit ad reprehendendum eos qui superstitionem esse docent diuinam laudem & cantum) *ad confitendum Domino,* confessione laudis: *& ad cantandum* (explicat laudandi modũ, scil. cantãdo) *nomini tuo,* vt nomineris, vt glorificeris, *excelse,* Deus.

Laudare Deum & annunciare diuina populo bonum esse docet.

Ad annunciandum : ecce secundum opus, annunciare populo. *In mane in noctibus :* ecce circumstantiæ temporis : *in mane,* in principio diei, tempore valde congruo ad vtrumque. *In noctibus,*

bus, tempore congruo ad laudandum Deum : & specialiter subiungendo modo scilicet *super meditatione :* nox enim apta est contemplationi. *Gratiam tuam:* ecce materia vtriusque : quia *vniuersa via Domini gratia & veritas. Super decario,* id est decachordo, *& super viola, super meditatione in cithara.* Tria instrumenta apponuntur operi diuinæ laudis : vt per hæc intelligas vniuersa instrumenta musica. Meditatio autem inter modos laudandi admiscetur : vt intelligas exterius laudandi opus ab interna meditatione progredi & ad illam tendere : ad hoc enim laudatur Deus cantibus & instrumentis musicis, vt tum laudantium tum audientium meditatio excitetur erga diuina. Hic est enim fructus intentus.

Nox apta cõtemplationi.

Vers. 4. QVONIAM LÆTIFICASTI. Incipit hîc pars executiua tali ordine : Primò tractatur illa particula, *bonum ad confitendum*, &c. Secundò illa, *super meditatione*, ibi, *quàm magnificata.* Tertiò illa, *veritatem tuam*, ibi, *vir bestialis.* Quartò illa, *gratiam tuam*, ibi, *& exaltasti.* Quintò illa, *ad annunciandum*, ibi, *plantati in domo Domini.* Reddit rationem quare bonum est laudare & canere laudes diuinas ex naturali origine. *Quia lætificasti me Domine in operibus tuis, ideo in operibus manuum tuarum cantabo.* Dictio Hebraica interpretata *cantabo*, significat cantum mixtum laudi & è conuerso. Naturalis origo cantandi & laudandi lætitia est : & talis lætitia talis cantus ac laudis. Vnde Propheta non dixit, lætificasti me in tali & tali re, sed *in operibus tuis :* hoc est, quatenus sunt opera tua : vt rationem lætitiæ intelligas non rem operatã, sed Deum operantem. Et proportionaliter *ideo laudabo*, seu *cantabo in operibus tuis*, quatenus tuis, id est, ratione tui. Et verè hæc debet esse tota ratio diuini cultus : cantando, sonando, &c. Et intendit ad literam Dauid in seipso exprimere reliquos : quia lætificatus fuit à Deo in multis operibus Dei (tum salutiferis, tum contemplatis) ideo assurrexit ad laudandũ & cantandum Deo. Quia ergo diuina est origo laudis diuinæ, merito bonũ est laudare & cantare.

Naturalis origo cantãdi & laudandi lætitia est.

Vers. 5. QVAM MAGNIFICATA. Tractatur hîc illa particula, *super meditatione :* Subiungendo res meditatas cantando & laudando. Et sunt duo. Primum : *quam magnificata sunt opera tua Domine?* Admirantis est & profitentis excellentem magnificationem operum diuinorum : vt per hoc intelligas mentem hominis contemplantis diuina opera, quanto magis considerat magnitudinem tanto magis admirari : quoniam semper crescit materia admirandi : nam opera Dei quanto magis contemplantur tanto inueniuntur maiora.

Quãto magis diuina contemplamur, tanto ea maiora nobis videntur.

Alterum est : *nimis profundæ factæ sunt.* Dictio Hebraica si Latina lingua permitteret, sonat *valde profundatæ sunt cogitationes tuæ.* Et intendit quòd diuinæ cogitationes sunt valdè longæ & inscrutabiles quemadmodum ea quæ sunt in valde profundo loco. Et hoc quoque admirantis mentis est & profitentis suam ignorantiam : imò summam elongationem diuinarum cogitationum non solùm à nobis, sed ab omni creatura : nullus enim nouit quæ disponit Deus circa agenda & rationes agendorum.

Vers. 6. VIR BESTIALIS. Tractatur hîc illa particula, *Veritatem tuam :* describendo cursum impiorum dispositum à Deo, incognitum ab hominibus sensualibus. Et inchoat ab hac ignorantia. *Vir bestialis*, more bestiarum præsentia tantùm cognoscens & sectans, nihil perpendens futuræ vitæ, *non cognoscet : & stultus*, non sapiens quæ Dei sunt, *non intelliget hoc*, quod dictum est in communi de prouidentia Dei, & explicabitur in specie circa dispositionem impiorum & iustorum, scilicet : *Florendo impij sicut herba*, hoc est, impij sunt in florẽdo sicut herba : florere, prosperari impiorũ non est stabile, sed *sicut herba*, cuius flos parum durat : *& germinabunt omnes operantes iniquitatem*, more fœni, ad destructos esse se vsque semper. Ita quòd prosperitas impiorum comparatur herbæ non solùm quantùm ad instabilitatem, sed deterioris conditionis quàm herba describitur : in hoc quòd impij germinant ad æternam sui destructionem : herba autem etsi crescit ad hoc vt secetur, repullulat tamen. Et est sermo de destructione impiorum æterna: quæ erit in inferno.

Florere impiorũ est sicut herba cuius flos parum durat.

Et tu excelsus æterno Domine. Vt intelligas diuinâ dispositione ordinari quod dictum est de iniquis, affert Propheta duas Domini conditiones : æternitatem, vt non mireris pœnas impiorum dilatas in aliam vitam : apud æternum quippe Dominum pro nihilo habetur huiusmodi dilatio. Celsitudinem verò vt reuerendo perspicias rationem quare Deus prosperitatem dat impiis in hac vita : ex celsitudine siquidem diuinæ prouidentiæ hoc prouenit.

Et vt absque omni hæsitatione à Deo dispositam & apud ipsum non dilatam pœnam impiorum intelligas, subdit : *Quoniam ecce inimici tui Domine : ecce* demonstrantis est æternum interitum impiorum. Quamuis enim appareat quòd differatur, secundùm tamen rei veritatem prope est. Et propterea dicit, *ecce inimici tui :* vt intelligas ratione inimicitiæ ad Deum puniendos ab ipso Deo. *Quoniam ecce inimici tui peribunt :* repetitio exaggerantis est. *Et separabuntur omnes operantes iniquitatem.*

Aduerte hîc duo. Alterum eosdem esse inimicos Dei & operatores iniquitatis. Alterum quòd duplex pœna damnatorum significatur, scilicet, *peribunt & separabuntur. Separabuntur* quidem à te pœnâ damni : *peribunt* autem pœnâ sensus. Hæc de veritate diuina erga iniquos.

Pœna damni & pœna sensus damnatorum.

Vers. 10. ET EXALTASTI. Tractatur hîc illa particula *gratiam tuam*. Primò respectu Dauidis : & deinde respectu omnium iustorum. *Et exaltasti instar vnicornis*, habentis cornu eleuatum, *cornu meum*, potentiam meam, eleuando me ad regnum, vsque ad Euphratem subactis vniuersis hostibus : *& mixtura mea*, vnguentum vnctionis meæ, *in oleo recenti :* hoc est, vnguentum vnctionis meæ non aruit vetustate, sed ex oleo recenti semper fuit.

Et respexit oculus meus in inspectoribus meis : in insurgentibus super me malignantibus audient aures meæ. Perspice hîc Dauidem gratiam Dei in quatuor suis partibus recognoscere. Primò in fronte : *& exaltasti sicut vnicornis cornu meum.* Secundò in capite : *& mixtura mea in oleo recenti.* Tertiò in oculis, videndo prostratos inimicos : consueuit enim Propheta hîc victoriam significare perfectam per visionem in inimicis, quæ est effectus victoriæ : vt aliàs dictum est. Quartò in auribus : audiendo sequens canticum laudatiuum iustorum. Quæ in libris Regum leguntur adimpleta : dum pluries vidit persecutores suos & superauit, & similiter audiuit insurgentes & superauit. Et narrauit hæc duo genera hostium, scilicet visorum & auditorum : vt per visos intelligas

In quatuor sui corporis partibus gratiam Dei recognoscit Dauid.

omnes

omnes qui prope, per auditos omnes qui à longè fuerunt contra ipsum,& quòd omnes superauit. Vbi habes Dei gratiam manifestatam in Dauide,& veritatem in inimicis Dauidis.

Vers. 12. IVSTVS. Sicut tractauit de veritate non solùm erga inimicos Dauidis, sed erga omnes iniquos, ita tractat de Dei gratia non solùm erga Dauidem,sed erga omnes iustos.

Iustus vt palma, impius vt herba floret.

Et inducit canticum in laudem iustorum, ex diuina gratia florentium. *Iustus vt palma florebit.* De iniquis dixit, *impij in florendo sicut herba*: de iustis autem, *iustus florebit vt palma.* Quanta distantia est inter herbam & palmam, tantam intellige distantiam inter florem impiorum & florem iustorum: illa hodie est & modico æstu arescit:palma æuiterna quodammodo est.*Vt Cedrus in Libano crescet*,excellentia augmenti iustorum significatur ex similitudine cedrorum in Libano.

Vers. 13. PLANTATI IN DOMO DOMINI. Continuatur canticum: simul tractando illam particulam, *ad annunciandum.* Et quia officium annunciandi conuenit ministris diuini cultus, ideo gratiam Dei erga ipsos describit ad annunciandum. *Plantati* ministri Dei ad similitudinem arborum plantati *in domo Domini*, in templo Dei (quoniam ex templo Dei aluntur sicut arbores aluntur ex agro in quo plantatæ sunt) *in atrijs Dei nostri*, ad quæ conuenit populus, *florebunt*, doctrinà *Adhuc fructificabunt in senectute*,supra naturam arborum & hominum: quoniam vtorumque est in senectute minui & deficere, isti verò fructificabunt in senectute: *pingues & vimidi erunt ad annunciandum.* Dona diuinæ gratiæ concessa euangelizantibus recensentur ex similitudine corporalium: quod erunt sicut homines pingues & corpus bonæ dispositionis habentes, ita quòd etiam in senectute generant. Dotes animi per hæc corporalia intellige. *Quia rectus Dominus.* Ecce res annunciata:*quia rectus Dominus*, omnibus. *Petra mea*: ecce gratia quà me firmauit in regno perpetuo vsque ad Messiam inclusiuè. *Et non iniquitas in eo*,est:ecce veritas.

Arbores in senectute deficiunt, iusti verò in ea magis fructificant.

Et numerauit hæc Dauid vt intelligas ministros templi semper annunciaturos:primò prouidentiam Dei erga omnes rectam, sine vlla iniquitate,sine vlla acceptione personarum,&c.deinde specialem dispositionem Dei de regno domus Dauidis vsque ad Messiam. Et propterea dixit quòd annunciabunt Deum petram meam. Et hoc etiam absque vlla iniquitate effecit Deus, transferens regnum de domo Saulis in domum meam. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO. XCII.

1 DOMINVS *regnauit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem & præcinxit se.*
Etenim firmauit orbem terræ: qui non commouebitur.
2 *Parata sedes tua ex tunc: à seculo tu es.*
3 *Eleuauerunt flumina Domine: eleuauerunt flumina vocem suam.*
4 *Eleuauerunt flumina fluctus suos: à vocibus aquarum multarum.*
Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus.
5 *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: domum tuam decet sanctitudo Domine in longitudine dierum.*

IVXTA HEBRÆVM. XCIII.

1 *Propheta.* DOMINVS † regnauit, superbia indutus est: indutus est Dominus † fortitudine & cinctus est, etiam firmabis orbem qui non labetur.
2 Firmatum est solium tuum ex tunc: ab æterno tu.
3 Eleuauerunt flumina Domine † eleuauerunt flumina vocem suam: eleuabunt flumina fractionē suam.
4 A vocibus aquarum multarum fortes fractiones maris: fortis est in celsitudine Dominus †.
5 Testimonia tua verificata sunt valde: domui tuæ pulchruit sanctitas Domine † longitudini dierum.

COMMENTARIVS.

Materia.

Initiū regni Messiæ.

TItulus nullus est. Materia Psalmi vt ex ipso colligitur, est initium regni Messiæ. Tum ex eo quòd vbi Dominus regnauit, conflictus mundi contra ipsum sub specie fluminum & marium manifestè describitur: quod post resurrectionem Christi impletum esse constat. Tum ex eo quòd testimonia eius valdè verificata introducuntur:& simul subiungitur sanctitas pro pulchritudine domus Dei in æternum. Hæc enim adimpleta quotid testimonia tempore Martyrum videmus: & quotidie docemus & prædicamus pulchritudinem Ecclesiæ consistere in sanctitate.

Est igitur ad literam materia Psalmi regnum Christi in sui initio: hoc est à tempore resurrectionis eius.

SVMMARIVM EST.

PRopheta *contemplatur Messiam incipientem regnare: describens eum tum à conditionibus personæ, tum à firmitate regni, tum à pugna contra mundum testimonijs veris & domo sancta.*

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. DOMINVS REGNAVIT. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *etiam firmabis* Proponit quatuor. Primum: *Dominus*, Messias, *regnauit*: hoc est, vbi Messias Dominus non horum aut illorum, sed vniuersorum regnauit, regnum suscepit, *superbia indutus est*, qui prius indutus fuerat humilitate passionis & cæterarum miseriarum humanarum. Et est sermo de superbia, hoc est, excellentia superante omnia. Hanc siquidem induit Christus vbi regnauit resurgendo à mortuis. Tunc enim inchoasse Christi regnũ non solùm patet Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*: sed etiam Matth. 16. *Sunt quidam de hic stantibus qui non videbunt mortem donec videant filium hominis venientem in regno suo.* Quod impletum non fuisset si Christus post resurrectionem suam non incepisset regnare. *Indutus est Dominus fortitudine*, immortalitatis corporalis. Et quartò cinctus est. Per quod denotatur quòd non quieuit, sed parauit se ad operandum, ad pugnandum: cingulo siquidem dispositio ad futuras operationes significatur. Et ad litteram Christus in resurrectione sua incipiens regnare, exaltatus est super omne nomen, & stolam immortalitatis accepit: operaturus quæ sunt fidei in Ecclesia sua, & pugnaturus contra mundum insurgentem contra ipsum.

Superbia, id est, excellentia.

Matth. 28.
Mat. 16. 28.

Cingulo dispositio ad futuras operationes significatur.

ETIAM FIRMABIS Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primum tractatur illa particula, *Dominus regnauit*. Secundò reliquæ tres particulæ simul, ibi, *eleuauerunt*. Tractat autem initium regni Messiæ à tribus. Et incipiendo ab vltimo dicit: *etiam firmabis orbem*. Alloquitur ipsum Messiam quòd prima operatio eius erit firmare orbem. Et est sermo de mundo futuro: de quo Apostolus ad Hebr. 2. *Non enim Angelis subiecit Deus orbem futurum*. Et propterea declarando de quo orbe loquitur, subditur: *non labetur*, id est, qui non labetur: ad differentiam mundi huius, qui labetur à suo statu, à dispositione motus & generationis & corruptionis, &c. Et dedit hanc operationem primam Messiæ: vt intelligeremus quòd ipse firmabit sibi regnum suum: mundus enim futurus est regnum Messiæ. Et aptè describit regem quòd vbi regnauit, operam dedit ad firmandum regnum, non multarum prouinciarum sed mundi futuri. Et hoc describitur futurum quantùm ad consummationem, sed statim quòd regnauit inchoatum. Firmitas enim futuri mundi est resurrectio Christi: iuxta verbum Apostoli, *Si Christus resurrexerit & nos resurgemus.*

Hebr. 2.

Resurrectio Christi est firmitas futuri mundi.

Firmatum solium ex tunc. Ne putares dubio alicui aut vacillationi cuicunque subiici regnum Christi, explicat Propheta quòd solium regnum firmatum est ex tunc, quo regnare cœpit: accepit enim ex tunc firmitatem æternitatis.

Et ne hoc mireris subdit rationem. *Ab æterno tu.* Duo per hoc declarat. Alterum quòd ipse est verè ille qui ab Hebræis vocatur Dominus: quia *ab æterno tu*: vt hinc intelligas Messiam esse verum Deum. Alterum quòd non est mirandum quòd ipse firmabit orbem immobilem, & quòd solium eius firmatum est: quia *ab æterno tu*, hoc est, quia tu es Deus.

Vers. 3. ELEVAVERVNT. Tractantur hîc illæ particulæ, *superbia indutus es*, &c. ab effectu pugnæ & victoriæ contra mundum. Vnde inchoat ab insurgente mundo contra Christum.

Vbi aduerte quòd inducit mundum sub figura fluminum & maris. Et tam de fluminibus quàm de mari inducit quòd dupliciter insurrexerunt contra Christum: vocibus scilicet & fluctibus. Et per *voces* intellige non solùm verba sed doctrinas, sed præcepta & decreta contra fidem Christi: per *fluctus* autem (qui *fractio* in Hebræa dicuntur à fractione vndarum ad obstacula) persecutionum facta. Et intendit per flumina speciales principes seu magistratus: per mare autem generalem principem seu magistratum. Nam ad litteram primum flumen fuit magistratus Iudæorum: & deinde plures alij principatus spirituales. Præter hos autem fuit mare Romani Imperij, immaniter persequens fidem Christi.

Mundus sub figura maris & fluminum inducitur.

Et aduerte vt bene punctes: & iungas illa verba *à vocibus aquarum multarum*, cum sequentibus, scilicet *fortes fractiones maris*. Sic enim maris describuntur fractiones fluctuum fortes simul cum vocibus aquarum multarum, multorum populorum.

Fortis in celsitudine Dominus. Insurgentibus fluminibus & mari apparuit Dominus fortis in celsitudine. Recole quod dixerat, indutus est superbiâ, & indutus est fortitudine: & perspice vtrumque, dum dicitur, fortis in celsitudine. Et verè in hac pugna comprobatus est Christus Dominus fortis, immortalis, & celsitudine, super omnia.

Modus autem quo apparuit fortis in celsitudine, subiungitur: *Testimonia tua verificata sunt valde.* Hæc fuerunt & sunt arma Christi in cælo regnantis testimonia verificata. Testimonia quippe Christi in verbis sunt Euangelica documenta, in factis sunt miracula: iuxta illud Marc. vltim. *Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* Et præter hæc in vita discipulorum sunt opera charitatis: *in hoc cognoscent homines quòd discipuli mei estis si dilectionem seruaueritis.* In persecutionibus assistentia: dans & internum robur, *& os & sapientiam cui non poterunt resistere omnes aduersarij.* Hæc enim omnia Christi testimonia verificata sunt valde: quibus comprobatus est Dominus fortis in celsitudine.

Marc. 16.

Quorum effectus est: *Domui tuæ pulchruit sanctitas, Domine longitudinis dierum.* Domum Dei esse Ecclesiam (hoc est, congregationem omnium fidelium) testatur Apostolus 1. ad Timoth. 3. *In domo Dei quæ est Ecclesia Dei viui.* Vnde est sensus quòd sanctitas fuit, est, & erit pulchritudo Christianorum. Et intendit Propheta aperte quòd hæc pugna Christi aduersus mundum non tendit ad habendam Ecclesiam cuius pulchritudo consistat in diuitiis, honoribus, gloriâ, principatu, & aliis huiusmodi temporalibus bonis: sed cuius pulchritudo sit sanctitas. Et vtitur præterito *pulchruit*, & *longitudine dierum*: vt intelligas omni tempore sanctitatem esse pulchritudinem Ecclesiæ. Aduerte hîc quòd dictio Hebraica interpretata *pulchruit*, sonat vnum verbum quod lingua Latina non habet: quod vulgariter diceretur, *starli bello.* Intendit enim Propheta quòd sanctitas congruit Ecclesiæ Christi non solùm quasi substantia, sed etiam vt pulchritudo eius: vt delectaremur in sanctitate sicut delectamur pulchritudine. Amen.

Domus Dei est Ecclesia.

Sanctitas pulchritudo Ecclesiæ.

PSAL

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

XCIII.

1 *DEVS vltionum Dominus : Deus vltionum liberè egit.*

2 *Exaltare qui iudicas terram : redde retributionem superbis.*

3 *Vsquequo peccatores Domine : vsquequo peccatores gloriabuntur.*

4 *Effabuntur & loquentur iniquitatem: loquentur omnes qui operantur iniustitiam?*

5 *Populum tuum Domine humiliauerunt: & hæreditatem tuam vexauerunt.*

6 *Viduam & aduenam interfecerunt : & pupillos occiderunt.*

7 *Et dixerunt : non videbit Dominus : nec intelliget Deus Iacob.*

8 *Intelligite insipientes in populo : & stulti aliquando sapite.*

9 *Qui plantauit aurem non audiet : & qui finxit oculum non considerat?*

10 *Qui corripit gentes non arguet : qui docet hominem scientiam?*

11 *Dominus scit cogitationes hominum: quoniam vanæ sunt.*

12 *Beatus homo quem tu erudieris Domine: & de lege tua docueris eum.*

13 *Vt mitigés ei à diebus malis : donec fodiatur peccatori fouea.*

14 *Quia non repellet Dominus plebem suam: & hæreditatem suam non derelinquet.*

15 *Quoadusque iustitia conuertatur in iudicium : & iuxta illam, omnes qui recto sunt corde.*

16 *Quis consurget mihi aduersus malignantes : aut quis stabit mecum aduersus operantes iniquitatem?*

17 *Nisi quia Dominus adiuuit me: paulominus habitasset in inferno anima mea.*

18 *Si dicebam motus est pes meus: misericordia tua Domine adiuuabat me.*

19 *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo : consolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

IVXTA HEBRÆVM.

XCIV.

1 *Propheta.* DEVS vltionum Domine [4] : Deus vltionum fulge.

2 Eleuare iudex terræ : redde retributionem super superbos.

3 Vsquequo impij Domine [4] vsquequo impij lætabuntur?

4 Affluent, loquentur forte : extollent se omnes operantes iniquitatis?

5 Populum tuum Domine [4] conterent: & hæreditatem tuam affligent?

6 Viduam & aduenam interficient : & pupillos occident?

7 Et dixerunt. *Vox superborum.* Non videbit Dominus, & non intelliget Deus Iacob.

8 *Propheta.* Intelligite bestiales in populo : & insipientes quando intelligetis?

9 Plantans autem nunquid non audiet ? si creans oculum nunquid non videbit?

10 Erudiens gentes nonne castigabit, docens hominem scientiam?

11 Dominus cognoscens cogitationes hominis : quia ipsæ [sunt] vanitas.

12 Beatitudines viri quem castigabis ipsum Domine: & de doctrina tua docebis eum.

13 Ad faciendum quiescere ipsum † à diebus mali : donec fodietur impio fouea. † *ipsi.*

14 Quoniam non derelinquet Dominus [4] populum suum : & hæreditatem suam non deseret.

15 Quoniam vsque iustitiam reuertetur iudicium : & post ipsum omnes recti cordis.

16 Quis surget mihi cum malignis? quis stabit mihi cum operantibus iniquitatis?

17 Nisi Dominus [4] adiutorium mihi [fuit] : velut modicum habitauit deserta anima mea.

18 Si dixi lapsus est pes meus : gratia tua Domine [4] sustentabit me.

19 In multitudine cogitationum mearum in medio mei : consolationes tuę deliciabuntur animam meam.

20 *Nunquid adhæret tibi sedes iniquitatis: qui fingis laborem in præcepto?*

21 *Captabunt in animam iusti : & sanguinem innocentem condemnabunt.*

22 *Et factus est mihi Dominus in refugium: & Deus meus in adiutorium spei meæ.*

23 *Et reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos : disperdet illos Dominus Deus noster.*

20 Nûquid sociabitur tibi thronus prauitatum : formans laborem super præcepto ?

21 Pugnabunt super animã iusti : & sanguinem innocentẽ condemnabũt.

22 Et fuit Dominus [4] mihi fortitudini: & Deus meus fuit petræ spei mei.

23 Et vertet super eos iniquitatem eorum : & in malitia eorum cædet eos Dominus [4] Deus noster.

COMMENTARIVS.

Materia. Titulus nullus est. Materia Psalmi ex iis quæ Psalmus præ se fert intelligenda est. Apparet in principio Psalmi manifestè postulari à Deo iudicium & iustitiam contra impios oppressores populi Dei, negantes diuinam prouidentiam. *Diuina prouidentia.* Apparet deinde beatum prædicari hominem doctum à Deo *donec fodiatur peccatori fouea*, &c. Apparet demum affirmari quòd Deus puniet impios.

Ex quibus omnibus facilè patere potest materiam Psalmi esse retributionem diuinam futuram tum ad damnationem iniquorum, & specialiter opprimentum pauperes & iustos, & negantium diuinam prouidentiam : tum ad beandum rectos corde, doctos à Deo, &c.

Ita quòd materia Psalmi ad literam est Deum habere prouidentiam humanorum actuum in præsenti, retributricem in futuro.

SVMMARIVM EST.

Propheta impios negantes diuinam prouidentiam respectu humanorum actuum oppressores populi Dei considerans diutius perseuerare, supplicat Deo vt manifestet se iudicem puniendo, &c. Et vbi reprehendit negantes diuinam prouidentiam, reddit rationem quare & quousque superbi perseuerant & iusti patiuntur, scilicet ratione futuri iudicij & vsque ad illud, desideratum à iustis fidentibus in diuina gratia. Et demum punitionem iniquorum describit separatione à Deo & succisione.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. Devs vltionvm. Diuiditur Psalmus in partes duas : propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *vsquequo.* Proponit tria. Primum: *Deus vltionum*, cuius est vlcisci, *Domine:* & exaggerando repetit *Deus vltionum*, cui reseruantur vindictæ, *fulge.* Tanquam obscurus lateat, tanquam non credatur Deus quatenus est Deus vltionum (hoc est, quatenus habet officium vindicandi) rogat Propheta vt fulgeat vltionum Deus.

Deinde *eleuare iudex terræ*, qui modò in æstimatione hominum iaces tanquam non exercens iudicia eleuare secundùm officium iudicis quo fungeris respectu vniuersæ terræ. Insinuat autem petendo *eleuare*, actionem iudicij diuini retributiuam iustis interueniente gratiâ Dei : iuxta illud : *Misericordia exaltat iudicium*, Iacob. 2. & Iacob. 2. rursus : *Exaltabitur parcens vobis Deus iudicij Dominus*, Esa. 30. Isai. 30. Et demum *redde retributionem super superbos.* Actus iudicis & vltionis describitur.

Vers. 3. Vsqveqvo Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *super superbos.* Secundò illa, *Deus vltionum*, ibi, *intelligite.* Tertiò illa, *fulge*, ibi, *beatitudines viri.* Quartò illa, *eleuare iudex terræ*, ibi, *quoniam vsque in iustitiam.* Quintò illa, *redde retributionem*, ibi, *nunquid sociabitur tibi.*

Describuntur superbi de quibus est sermo à multiplici scelere diuturno. Et inchoans à diuturnitate scelerum ait : *Vsquequo* (nota diuturnitatis est omnium sequentium criminum) *impij Domine ?* rursus exaggerando, *vsquequo impij latabuntur ?* Primum crimen ab animi lætitia incipit, significante perfectam eorum iniquitatem, ita quòd lætantur in criminibus. *Superbi describuntur à multiplici & diuturno scelere.*

Affluent, vsquequo affluent, crescent abundanter, *loquentur*, vsquequo loquentur, *forte?* Secundum crimen in locutione est quòd velut confluendo loquuntur forte : hoc est verba potentiæ, præferentia eos potentes, comminantes & huiusmodi.

Extollent se. Tertium crimen proprium superbis, & hoc in opere, *extollent se.* Prima superborum intentio est extollere seipsos : hic est finis proprius omnium operum eorum. Vnde & meritò subdit : *omnes operantes iniquitatem.*

Populum tuum. Post crimina superborum in seipsis numerat crimina eorundem contra alios, scilicet Deum, publicum bonum, personásque miserabiles *Vsquequo populum*, ecce offensio publici boni, *tuum*, ecce offensa Dei, *Domine contererent ? & hæreditatem tuam* iustos quos tibi hæredes construisti, *affligent ? Viduam*, miserabilem ex sexu & statu, *& aduenam* fouendum extra patriam, *interficient ? & pupillos*, vndique miserandos, *occident ?* Noli quærere historiam particularem horum criminum : quoniam de genere superborum negantium diuinam prouidentiam sermo est, quos sæuire in populum Dei (hoc est, in cultores expectantes regnum cœleste) & personis miserabilibus non parcere, innumerabilia gesta testantur. *Et dixerunt*, pro impunitate suorum criminum : *non videbit Dominus, & non intelliget Deus Iacob*, gesta nostra. Vbi clarè negant Deum videre & intelligere actus nostros.

Etsi perspicaciùs Prophetæ verba fuerint considerata, simul narrat errorem & rationem erroris. Duplex à Philosophis negantibus diuinam prouidentiam respectu humanorum actuum, ratio affertur. Prima est ex ratione intelligendi : quia scilicet intellectio & præcipuè diuina est *Dua rationes Philosophorũ contra prouidentiam diuinam.*

omnino

omnino immaterialis, imò remota ab omni non ſolùm materiâ, ſed potentialitate. Et hinc volunt non eſſe fas tantæ excellentiæ diuini intellectus vt immiſceatur actibus materialibus, ſingularibus, influxu, varietate & omnimodâ potentialitate conſtitutis: quales ſunt actus noſtri. Et hæc ratio tangitur, dicendo: *non intelliget Deus Iacob:* Deus qui adoratur à populo Iſraël: hoc eſt, verus Deus. Altera ratio ex parte vilitatis rerum viſarum ſumitur: ſcilicet quòd quædam melius eſt non videre quàm videre, propter eorum vilitatem, turpitudinem, &c. Et hanc rationem tangit, dicens: *non videbit Dominus.*

Verſ. 8. INTELLIGITE BESTIALES. Tractat hîc Propheta particulam illam, *Deus vltionum*, ex parte radicis (ſcilicet cognitionis actuum noſtrorum) arguendo ſtatim blaſphemiam impiorum, dicentium: *Non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob. Intelligite beſtiales*, homines more beſtiarum viuentes, *in populo*, prælati tamen populo tanquam magiſtri populorum: *& inſipientes*, de altiſſima cauſa malè ſentientes, *quando intelligetis*, quando penetrabitis intellectu veritatem?

Præſcientiam omnium humanorum actuum in Deo à quatuor Dei effectibus docet.

Plantans autem nunquid non audiet? ſi creans oculum nunquid non videbit? Erudiens gentes nonne caſtigabit, docens hominem ſcientiam? A quatuor effectibus Dei intendit docere in Deo eſſe ſcientiam actuum humanorum, ſcilicet ex hoc quòd fecit ſenſum auditus, ſenſum viſus, ſynderesim, & intellectum ſpeculatiuum in nobis. Et intendit talem rationem, quòd quicquid eſt perfectionis in auditu, viſu, in ſynderesi ſeu ratione practica, & in intellectu ſpeculatiuo hominis; totum, eminentiori tamen modò eſt in Deo. Meminit ſpecialiter auditus & viſus, quia ſpiritualiores ſunt inter omnes ſenſus. Non arguit ab effectibus miraculoſis: quia ad illos loquitur qui negant miracula, ſed arguit ab effectibus quos ipſi Philoſophi fatentur produci à Deo mediante miniſterio naturæ. Et fundat rationem ſuper communi animi conceptione Philoſophorum, ſcilicet quicquid perfectionis habet effectus, præexiſtit longè excellentiori modo in ſuprema illius cauſa.

Deus ſolâ cognitione ſuâ modò excellentiori audit & videt.

Siſte hîc minus erudite in Philoſophia ſeu ſpeculatiua Theologia: & ſcito quòd non intendit Propheta inferre quòd Deus audit ſeu videt: ſed quòd Deus cognitione ſuâ cognoſcit quicquid ſenſu viſus videtur, quicquid ſenſu auditus auditur, hoc eſt enim excellentiori modo videre & audire. Ad ſignificandum ergo ſynderesim, dicit *erudiens gentes:* Deus enim erudit gentes mediante ſynderesi inditâ animæ noſtræ. Ipſa ſiquidem arguit noſmetipſos cùm malè operamur, & inſtigat ad bene operandum: eſt enim naturalis quidam habitus animi ad bonum ſecundùm rectam rationem probandum & contrarium reprobandum, qui omnibus gentibus naturalis eſt: ac per hoc eſt effectus largitoris naturæ. Lumen autem intellectus agentis & habitus principiorum in ſpeculatiuis, ſignificatur dicendo: *docens hominem ſcientiam*, nam illo naturali lumine acquirimus ſcientiam, ſiue inueniendo ſiue diſcendo. Et hoc ſimiliter naturale eſt omnibus hominibus: ac per hoc effectus largitoris naturæ.

Dominus cognoſcens cogitationes hominis, quia ipſæ vanitas. Concludit Propheta quòd Dominus cognoſcit cogitationes cuiuſque ſingularis hominis. Et ne putes quòd cognoſcit cogitationes hominis ſecundùm id quod habent de ſpirituali ſeu immateriali, & non ſecundùm quòd fluxæ potentialéſque ſunt, ſubiungit *quia vanæ ſunt*, immò ſunt vanitas. Rationem rei cognitæ reddit coniunctio *quia*, & eſt ſenſus: cognoſcit etiam eas ſecundùm quòd vanæ ſunt. Et per hoc reſpondet Propheta dicentibus, *non intelliget, non videbit Deus:* ex eo enim quòd affirmat Deum cognoſcere cogitationes etiam ſecundùm quòd vanæ ſunt, intelligi vult falſum eſſe quòd aliquid non videatur à Deo: & falſum eſſe quòd quædam melius eſt non videre quàm videre, ſimpliciter & abſolutè loquendo. Sicut per rationem inductam de plaſmatione auris, viſus, &c. monſtrauit falſum eſſe *non intelliget Deus Iacob*. At ſi diffuſiùs cupis iſta diſcuti, lege Theologos ſpeculatiuos.

Melius eſſe quædam videre, quàm non videre ſimpliciter falſum eſt.

Verſ. 12. BEATITVDINES VIRI. Tractatur hîc illa particula, *fulge:* declarando apud quos & quomodo fulget Deus vltionum. *Beatitudines*, erunt, *viri quem caſtigabis ipſum Domine: & de doctrina tua docebis eum. Ad faciendum quieſcere ipſum à diebus mali donec fodietur impio fouea.* Innuere duas actiones Dei erga futuros beatos: ſcilicet caſtigationis & doctrinæ, non qualiſcunque ſed legis diuinæ. Et perpende effectum caſtigationis & talis doctrinæ, nam effectus deſcribitur quies à diebus mali. Et eſt ſermo de quiete perpetua futuræ vitæ, quæ paratur docto à Deo à diebus mali: hoc eſt, à multis ſucceſſiuis afflictionibus quibus diebus vitæ præſentis caſtigatur.

Nec prætereas tempus temporiſque rationem, *donec fodietur impio fouea.* Vnum idémque tempus deſcribitur afflictionis iuſtorum pro quiete perpetua, & foſſionis foueæ impiorum: vt intelligas afflictionem iuſtorum ab impiis, eſſe ipſam foſſionem foueæ impiorum. Quaſi foueam eternam ſibiipſis fodiunt impij, dum affligendo iuſtos adimplent iniquitates ſuas quibus parant ſibi foueam inferni. Et reſpondet hoc directè præmiſſis ſuperiùs. *Vſquequo Domine populum tuum humiliabunt, viduam & aduenam interficient*, &c. Ac ſi apertè reſponderet, *donec fodietur peccatori fouea.* Vnde ſequitur: *Quoniam non derelinquet Dominus populum ſuum*, contritum à ſuperbis: *& hereditatem ſuam*, iuſtos, *non deſeret*, quamuis affligi ſinat.

Foueam ſibi fodiunt impy, dum iuſtos affligũt.

Verſ. 15. QVONIAM VSQVE IVSTITIAM. Tractatur conſequenter illa particula, *eleuare iudex terræ:* declarando iuſtitiam Dei eleuandam in retributione iuſtorum. Cùm dixiſſet itaque quòd non derelinquet populum ſuum, ſubiungit quid faciet populo ſuo: *Quoniam vſque iuſtitiam*, hoc eſt, executionem iuſtitiæ in alia vita, *reuertetur iudicium*, præſentis vitæ, hoc eſt, iudicia quæ in præſenti vita exercentur, reducentur ad rectitudinem iuſtitiæ in futura vita: *& poſt ipſum*, hoc eſt ſequentur ipſum, affectabunt ipſum iudicium reuocatum ad iuſtitiam, *omnes recti corde.* Iniqui nollent futurum eſſe tale iudicium veræ iuſtitiæ: iuſti autem deſiderant tale iudicium. Et dixit hoc Propheta non ſolum quia multa iudicia humana ſunt iniuſta, ſed præcipuè quia iudicium diuinum in præſenti vita non exercet iuſtitiam. Nec intelligas ex hoc quòd diuinum iudicium in hac vita ſit iniuſtum: ſed intellige quòd abſtinet à iuſtitia: non enim punit peccatores & reprobos

reprobos in hac vita, sed reseruat executioni iustitiæ futuræ vitæ.

Quis surget mihi. Præmisit *& post ipsum omnes recti corde*, & proposuerat *eleuare iudex terræ*. Et propterea vtrumque declarare intendens quomodo fiet, explicat quâ fiduciâ recti corde affectant iudicium iustitiæ, cùm ipsi habeant vnde timeant: declarando enim hoc, declarat quòd Deus iudex terræ exaltatur iudicando iustos, & quòd iusti habent vnde desiderent iudicium iustitiæ. Agens itaque Propheta iustum considerantem seipsum relatiuè ad futurum iudicium iustitiæ, ait: *Quis surget mihi*, habenti rectum cor, hoc est pro me, *cum malignantibus*, simul iudicandis ante tribunal iudicis? *quis stabit mihi*, habenti rectum cor, hoc est pro me (exaggeratio est,) *cum operantibus iniquitatem*, simul iudicandis à iudice vniuersæ terræ. Quasi dicat: ego non sufficio pro me, merita propria non sat sunt.

Vnde & subdit declarans illum *quis*: *Nisi Dominus adiutorium mihi*: ecce *quis surget*, *quis stabit pro me*: ecce quomodo eleuabitur iudex terræ iudicando iustos. *Adiutorium mihi*, adiuuãs merita mea, adiutorium mihi ad merendum æternam vitam, *velut modicum habitauit deserta anima mea*. Mos Hebraïci sermonis est: & significat apud nos *paulominus*, *parum defuit* quando anima mea habitauit deserta à societate patriæ cœlestis. Dicit autem *velut modicum*, & non dicit absolutè: quia meritum iustorum non ex toto sed pro maxima sui ratione est ex adiutorio diuinæ gratiæ, & pro aliquo modico est ex nostro libero arbitrio. Inde enim fit quòd nisi adiutorium diuinæ gratiæ adsit nostris operibus parum deest quin remaneamus deserti: illud siquidem modicum est aliqualis ratio merendi ex parte liberi arbitrij.

Meritum pro maxima sui parte est ex adiutorio gratiæ, & pro aliquo modico ex nostro libero arbitrio.

Si dixi lapsus est pes meus. Considerat vir recti cordis in seipso vtrumque scilicet bonũ opus, & malum opus: meritum & demeritum propriũ. Et proprium quidem meritum attribuit diuino adiutorio. De proprio autem peccato, quod impune relinqui nequit, ait: *Si dixi*, si consideraui, si professus sum coram te, quòd *lapsus est pes meus*, quòd peccaui ex fragilitate humana, ad similitudinem eius cuius pes labitur: *gratia tua Domine sustentabit me*: ecce remedium, ecce *quis surget pro me* ratione peccatorum quæ commisi: gratia tua Domine præbet mihi fiduciam quòd ipsa sustentabit me in iudicio iustitiæ.

Et ne discurram per singulas partes meas, vnico verbo omnia comprehendam. *In multitudine cogitationum mearum in medio mei*, hoc est, intra me, hoc est cogitationum mearum de intimis meis. Commune est omnibus cogitationibus esse intra cogitantem: sed differentia ponitur inter cogitationes ex parte rei cognitæ: nam ex hac parte aliquæ cogitationes sunt intra me, illæ, scilicet quibus cogito de intimis meis: & aliquæ sunt extra me, illæ, scilicet quibus cogito de agris, de diuitiis, & aliis exterioribus. *In multitudine*, ergo *cogitationum in medio mei*, hoc est secundùm multitudinem cogitationum de multis intimis meis, *consolationes tuæ delectabuntur animam meam*, id est, non solum delectationem sed delicias facient animæ meæ. Et intendit quòd quascunque sui internas partes cogitet iustus relatiuè ad diuinum iudicium, in omnibus inuenit rationem diuinæ gratiæ consolatricis, sicut inuenit in explicatis duobus, scilicet merito boni & lapsu peccati.

Quædam cogitationes intra me, quædam extra.

Vers. 20. NVNQVID SOCIABITVR TIBI. Tractatur hîc illa particula, *redde retributionem super superbos*: inchoando à contrarietate iniquorum iudicum respectu Dei iudicantis terram: à quo petitur *redde retributionem superbis*. *Nunquid sociabitur tibi thronus prauitatum*, hoc est principes iudicésque praui, *formans laborem super præcepto?* Duas contrarietates principum seu iudicum respectu principatus diuini tangit. Altera est thronus prauitatis: cùm thronus Dei sit thronus rectitudinis & iustitiæ. Altera est quòd thronus superbus format laborem super præcepto: hoc est, ad hoc præcipit vt affligat: addit præcepta ad laborem afflictionis, angustiarum, &c. thronus autem diuinus format salutem & consolationem nostram super præcepto: quoniam ad hoc præcipit vt ea quæ sunt salutis & consolationis habeamus. Vnde patet quòd thronus prauitatum formans laborem super præcepto, non associabitur Deo iudicanti terram. Et propterea dixit, *sociabitur tibi?* quasi dicat, non.

Thronus Dei longè distat à throno Principum.

Pugnabunt super animam iusti. Ecce opera throni prauitatum. *Pugnabunt*, assessores, consiliarij, & reliqui huiusmodi, *super animam*, contra vitam, *iusti*: *& sanguinem innocentem condemnabunt*. Hæc est conclusio pugnæ superborum, in qua illorum sententia contraria iusto iudici, & innocentum passio simul tangitur.

Et fuit Dominus mihi fortitudini, & Deus meus petra spei meæ. Antequam retributionem reddendam superbis describat, interponit iustorum in hac vita oppressorum ab iniquis iudicibus consolationem diuinam: occasione sumptâ quia eos condemnatos introduxerat. Vnde duplicem opem diuinam in hac vita tangit. Alteram fortitudinis ad sustinendum illatas iniurias. Alteram firmitatis spei futuræ beatitudinis: his enim duobus præcipuè egent iniustè patientes.

Duplex Dei auxilium.

Et vertet, Deus, *super eos*, iudices prauitatum, *iniquitatem eorum*, in futuro iudicio: quam exercuerunt contra iustos. Hæc est enim retributio reddenda superbis. *Et in malitia eorum*, interna, *cadet eos*. Vbi aduerte tam exterioris iniquitatis, quàm interioris malitiæ retributionem describi, & tandem *cadet eos Dominus Deus noster*. Bis dicit, *cadet*, propter cædem animæ & cædem corporis in futura vita: nam & corpus & anima æternaliter morientur, volendo mori, *& mors fugiet ab eis*, Apocal. 9. Apocal. 9.
Amen.

PSAL

PSALMVS

VVLGATA EDITIO. XCIV.

1 *VENITE: exultemus Domino, iubilemus Deo salutari nostro.*

2 *Praeoccupemus faciem eius in confessione: & in psalmis iubilemus ei.*

3 *Quoniam Deus magnus Dominus & rex magnus: super omnes Deos.*

4 *Quia in manu eius sunt omnes fines terrae: & altitudines montium ipsius sunt.*

5 *Quoniam ipsius est mare & ipse fecit illud: & aridam manus eius formauerunt.*

6 *Venite adoremus & procidamus & ploremus ante Dominum qui fecit nos:*

7 *quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius & oues pascuae eius.*

8 *Hodie si vocem eius audieritis: nolite obdurare corda vestra.*

9 *Sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto: vbi tentauerunt me patres vestri, probauerunt & viderunt opera mea.*

10 *Quadraginta annis proximus fui generationi huic: & dixi semper hi errant corde.*

11 *Ipsi verò non cognouerunt vias meas: quibus iuraui in ira mea si introibunt in requiem meam.*

IVXTA HEBRÆVM. XCV.

1 *Propheta.* VENITE: cantabimus Domino, clangemus petrae salutis nostrae.

2 Praeueniemus facies eius in confessione: in canticis clangemus ei.

3 Quoniam Deus magnus Dominus ✝ & rex magnus: super omnes Deos.

4 Quia in manu eius (sunt) inquisitiones (subsunt) terrae: & vires montium ipsi.

5 Quoniam ipsi (subest) mare & ipse fecit illud: & aridam manus eius formauerunt.

6 Venite: curuabimus nos & genuflectemus, procumbemus faciebus Domini ✝ factoris nostri.

7 Quia ipse Deus noster, & nos populus pascui eius & ouis manus eius: hodie si in voce eius audietis.

8 Non indurate cor vestrum: sicut lite, sicut die tentationis in deserto.

9 *Deus.* Quòd tentauerunt me patres vestri: probauerunt me, etiam viderunt opus meum.

10 Quadraginta annis contendam in generatione, & dixi: populus errantes cordis (sunt) ipsi: & ipsi non cognouerunt vias meas.

11 Quòd iuraui in furore meo: si introibunt ad requiem meam.

COMMENTARIVS.

Materia. TItulus nullus est. Circa materiam Psalmi ambiguitas quaedam est propter verba Pauli Apostoli ad Hebr. 3. & 4. nam verba Apostoli prae se ferunt quòd Psalmus iste loquitur de tempore Messiae, introducentis in aeternam requiem humanum genus. Ait enim quòd si Iosuë praestitisset populo requiem diuinam, nunquam Spiritus sanctus tempore Dauidis dixisset, *hodie si vocem eius audieritis*, &c. Verba autem Psalmi nihil de aeterna requie explicant, nihil de Messia explicitè sonant: sed inuitant populum Hebraeum in primis ad laudandum Deum, deinde ad adorandum, monendo ne obdurati sint si vocem Domini hodie audierint, subiungendo exempla antiquorum patrum: vt patet intuenti Psalmum.

Hunc Psalmum in sensu mystico citat Apostolus. In hac autem ambiguitate videtur mihi secunda pars amplectenda ad literam: quoniam Paulus Apostolus mystico sensu vsus est. Quod apparet ex duobus. Primum est quòd mystico sensu interpretatur *requiem meam* ex principio Genesis, *requieuit Deus ab operibus suis*: hoc enim est signum quòd non literalem sed mysticum sensum tractabat. Secundum, quòd cùm in Psalmo non fiat comparatio nisi quantùm ad obdurationem cordis, & crimina contentionis & tentationis, Apostolus apposuit comparationem quietis aeternae terrae promissionis: ea proculdubio ratione quia quies terrae promissionis figura fuit quietis coelestis patriae. Hoc autem spectare ad sensum mysticum, clarè constat.

Sequendo itaque literalem sensum, dicimus quòd materia Psalmi est inuitatio populi Hebraei ad laudandum & adorandú Deum: monendo ne quacumque die aliquid audierint ex mandato Dei, sint obdurati vt patres eorum, qui fuerunt puniti, &c. *Inuitatio populi Hebraei ad laudandum Deum.*

SVM

SVMMARIVM EST.

PRopheta inuitat Iudæos tum ad laudandum Deum ex excellentia Dei regis magni cui subsunt penetralia terræ, mare, &c. tum ad adorandum Deum ratione beneficiorum creationis nostræ & peculiaris fœderis quo ipse Deus noster & nos populus eius: monens ne imitentur obdurationem patrum in die litis & in die tentationis, explicata pœna qua priuati fuerunt ingressu terræ promissionis.

Personæ loquentes sunt Propheta & Deus.

VERS. 1. *Cantus humanam vocē, clangor musicum instrumentum significat.*

VENITE CANTABIMVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *quoniam Deus.* Proponit tria. Primò inuitat Iudæos, *venite.* Secundò narrat ad quid: *cantabimus Domino, clangemus petræ salutis nostræ.* Cantus humanæ est vocis: clangor instrumenti musici: & circumloquitur sonum festiuum. Ratio autem laudis cum cantu & sono, significatur Deus quatenus est firmitas salutis nostræ. In qua firmitate clauditur gubernatio diuina ad salutem nostram. Tertium. *Præoccupabimus facies eius in confessione, in canticis clangemus ei.* Ad gratiarum quoque actionem eisdem solemnitatibus inuitat: scilicet cum cantu & festiuo sono, adiunctâ celeritate præuentionis, in signum maioris gratitudinis. Et refertur *præuenire* non ad beneficia diuina, sed ad tempus accusandæ ingratitudinis. Et est sensus, antequam accusemur ingratitudinis, laudes illi persoluemus.

Vers. 3. QVONIAM DEVS MAGNVS Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *præueniemus*, &c. Secundò illa, *cantabimus*, &c. ibi, *venite & curuabimus nos.* Tertiò illa, *venite*, ibi, *hodie si in voce.*

Reddit itaque primò rationem quare præuenire debemus Dominum in confessione laudis, ex duobus excellentibus conditionibus Domini. Altera est quòd *Deus magnus*: altera quòd est *rex magnus*: & vterque *super omnes Deos.* Et significatur per primum excellentia Dei super omnes intelligentias & spiritus quos Angelos & Dæmones vocamus: & etiam super omnes Deos secundùm opinionem hominum. Per secundum autem, dominium ac regimen omnium eorundem: multi enim Philosophi sentiunt Deum esse Deum magnum super omnes Deos, qui tamen non concedunt eundem esse regem magnum super omnes Deos: vt patet de Auicenna: negant enim Deum gubernare spirituales substantias.

Deum gubernare substantias spirituales negat Auicenna.

Quia in manu eius inquisitiones terræ. Declarat regem magnum ex subiectione penetralium terræ, *virium montium & maris*: quæ tria constat nullius alterius potestati ac regimini subiici, vt ex eo quòd quæcunque occultæ viæ per quas inquiri potest aliquid in penetralibus & cauernis terræ. & omnes montium vires, & tam spatiosum ac inquietum mare potestati ac gubernationi ipsius subduntur, intelligatur verè rex magnus super omnes Deos: quibus hæc non subdi constat.

Et ipse fecit illud. Declarat Deum magnum super omnes Deos, quia ipse creauit terram & mare: & eâdem ratione reliqua. Et significanter dicit manus eius formasse aridam: vt intelligeres quòd ipse immediatè per seipsum (velut propriis manibus) creauit terram, quæ est infimum omnium elementorum: vt per hoc intelligeres multo magis ipsum per seipsum creasse superiora.

Vers. 6. VENITE, CVRVABIMVS NOS. Tractatur hîc illa particula, *cantabimus*, &c. *petræ salutis nostræ.* Postquam enim inuitauit ad laudandum Deum ratione excellentiæ diuinæ, modò inuitat ad adorandum Deum ratione beneficiorum nobis collatorum. Et ad triplex genus reuerentiæ exhibendum inuitat. Primum est, *curuabimus nos*: quod facimus dum flexum caput simul cum pectore demittimus: *& genuflectemus*: quod maioris est reuerentiæ: *procumbemus* (quod summæ est reuerentiæ) *faciebus Domini factoris nostri*: ecce beneficium creationis nostræ.

Triplex reuerentiæ genus.

Quia ipse Deus noster. Peculiaris gratiæ beneficium (quod etiam fœdere quandoque sancitum est) affert pro ratione totius reuerentiæ. Et continet duas partes: Alteram ex parte nostra: scilicet quia ipse Deus noster: hoc est, quia ipsum promisimus habere in Deum, quia ipse dignatur esse noster Deus: ipse enim est suapte naturâ Deus: sed dignatus est vocari noster peculiari gratiâ cultus, separando nos ab aliis. Et nos promisimus habere eum in nostrum: *En Dominum elegisti hodie vt sit tibi Deus.* Deuter. 26.

Deuter. 26.

Alteram ex parte Dei: *& nos populus pascui eius & ouis manus eius.* Apparet in superficie error vt *populus* referatur *pascui*; & *ouis* referatur *manus eius*: quoniam debuisset dici, Populus manus eius & ouis pascui eius. Placuit tamen Spiritui sancto commutare adiectiua propter mysterium: vt intelligeremus nos eùm ouem agimus, proximos Deo velut sub manu eius: & cùm velut vnum de populo nos exhibemus, pasci à Deo. Ad literam Iudæi dicuntur populus pascui Dei quoad cibum corporeum: quia pascebantur in terra promissionis, quam sibi appropriauerat Deus: quoad animam autem, quia pascebantur verbo diuinæ legis. Oues autem dicuntur *manus eius*: quoniam ducti sunt ab Ægypto in terram promissionis sicut oues à pastore, manuducente eos per columnam ignis in nocte & nubis in die. Et intendit quòd ipse Deus habet nos vt populum à se pascendum, & vt oues regendas sub manu sua: quod est specialis gratiæ. De qua alibi dicitur: *non fecit taliter omni nationi.*

Vers. 7. HODIE SI IN VOCE EIVS. Tractatur hîc illa particula, *venite*: monendo eos ab exemplo ne imitentur patres. *Hodie*, hoc est quocunque die, *si in voce eius*, prophetas seu nuncios Dei in voce Dei loquentes (vnde & Prophetæ dicebant, *hæc dicit Dominus*: significando se loqui in voce Dei) *audietis*, quemadmodum audierunt patres vestri Moysem &c. loquentes in voce Dei, *non indurate cor vestrum.* Metaphora à duritie sumpta (quæ non cedit tangenti) appellatur indurare cor qui non admittit vocem Dei intra cor, patendo illi. *Sicut in irritatione*: hoc est, sicut obdurauerunt patres vestri corda litigando & contendendo, timentes progredi ad terram promissionis. Tangit enim historiam scriptam Num. 13. & 14. quando reuersis exploratoribus terræ promissionis, populus voluit lapidare Iosue & Chaleb, & constituere sibi ducem & reuerti in Ægyptum, non curantes audire vocem Domini. *Sicut die tentationis in deserto.* Tangit aliud crimen scilicet quo tentauerunt

Qui vocem Dei in cor non admittit illud indurat.

tauerunt

tauerunt Deum: quod pluribus historiis apparet. Quod autem dicit *in deserto*, locum vtriusque criminis significat. Et meminit horum duorum criminum tanquam comprehendentium omnia: quia crimine litis recesserunt à Deo, diffidendo: crimine autem tentationis accedebant ad Deum dubitando.

Quòd tentauerunt me. Proposuit Propheta monitionem ne imitentur obdurationem cordis patrum in duobus specialiter excessibus: introducit modò Deum loquentem declarando vtrumque excessum. Et primò tentationis pluries commissæ. *Quòd tentauerunt me*, Deum, *patres vestri: probauerunt*, experti sunt me, *etiam viderunt opus meum*, multiplex: dando manna, dando aquas, dando carnes, &c iuxta illud: *& tentauerunt me iam per decem vices.* Aduerte hîc quòd tentare Deum est ex intentione experiri velle potentiam, aut scientiam, aut voluntatem Dei. Quod manifestè criminosum est: vtpote procedens ex illicito dubio circa potentiam, scientiam aut voluntatem Dei.

Tentare Deū quid?

Quadraginta annis contendam in generatione. Explicat crimen litis sine ordine. Nam primò explicatur duratio pœnæ: puniti sunt enim morâ 40. annorum in deserto, donec omnes numerati morerentur. Futurum autem *contendam*, refertur ad præteritum *probauerunt & viderunt opus meum.* Et est sensus: propterea contendam, id est, effectum contentionis durare faciam 40. annis: seu per modum litigantis 40. annis me habebo, *occidendo eos*, *in generatione*, hac egressa de Ægypto. Et verè sic fecit: quia non nisi completis 40. annis placatus fuit.

Et dixi. Definitionem meritorum subiungit. *Et dixi*, definiui conditiones populi egressi de Ægypto duas. Altera est: *populus errantes cordis ipsi.* In quo error cordis, hoc est voluntatis, significatur, id est, error affectatus. Altera est: *& ipsi non cognouerunt vias meas.* In quo significatur materia erroris affectati: quod scilicet errauerunt ignorando vias Domini, quas tam manifestis signis & miraculis cognoscere debuerant.

Quòd iuraui in furore meo. Sententia condemnationis describitur immutabilis ex iuramento apposito, & iusta ex furore: hoc est, iustitia vindicatiua. *Si introibunt ad requiem meam*: hoc est, ad quiescendum in terra mea, scilicet terra promissionis. Hæc enim fuit pœna illis illata: nam nullus eorum introiuit in terram promissionis, exceptis Iosue & Chaleb innocentibus.

Describitur autem hæc pœna sub conditione, *si introibunt*, non quòd conditionale fuerit iuramentum: sed quia Propheta introducit Deum iurantem in ira, consequens fuit vt verba quoque irati more subiungeret: nos autem iratorum est mutilo sermone & conditionali comminatoriâ vti. Consueuimus enim irati dicere comminando: si vnquam habebit à me gratiam, si vnquam reuertetur in domum, & similia: intendentes negatiuam quòd nunquam admittetur ad domum, nunquam admittetur ad gratiam. Sic enim in proposito humano more Deus iratus dicit: *si introibunt ad requiem meam:* intendens quòd non introibunt ad requiem meam. Amen.

Irati mutilo sermone, & sæpe conditionali comminatoriâ vtūtur.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
XCV.	XCVI.
1 CANTATE Domino canticum nouum: cantate Domino omnis terra.	1 *Propheta.* CANTATE Domino ⁴ canticum nouum: cantate Domino ⁴ omnis terra.
2 *Cantate Domino: benedicite nomini eius, annunciate de die in diem salutare eius.*	2 Cantate Domino ⁴: benedicite nomen eius, annunciate de die in diem salutem eius.
3 *Annunciate inter gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius.*	3 Narrate in gentibus honorem eius: in omnibus populis separata eius.
4 *Quoniam magnus Dominus & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos.*	4 Quia magnus & laudatus valde, timendus ipse super omnes deos.
5 *Quoniam omnes dij gentium dæmonia: Dominus autem cælos fecit.*	5 Quia omnes dij populorum vacuitates: & Dominus cælos fecit.
6 *Confessio & pulchritudo in conspectu eius: sanctimonia & magnificentia in sanctificatione eius.*	6 Pulchritudo & decor faciebus eius: fortitudo & gloria in sāctuario eius.
7 *Afferte Domino patriæ gentium, afferte* 8 *Domino gloriam & honorem: afferte Domino gloriam nomini eius.*	7 Parate Domino ⁴ familiæ populorum: parate Domino ⁴ honorem & fortitudinem.
Tollite hostias & introite in atria eius:	8 Parate Dño ⁴ honorē nominis eius: eleuate munus, & introite ad atria eius.
9 *adorate Dominum in atrio sancto eius.* *Commoueatur à facie eius vniuersa terra:*	9 Curuamini Domino ⁴ in decore sanctitatis: tremite à faciebus eius omnis terra.
10 *dicite in gentibus quia Dominus regnauit.*	10 Dicite in gentibus. *Prædicanda.* Dominus ⁴ regnabit, etiam firmabitur

Etenim correxit orbem terræ qui non commouebitur : iudicabit populos in æquitate.

11 *Lætentur cæli & exultet terra, commoueatur mare & plenitudo eius : gaude-*
12 *bunt campi & omnia quæ in eis sunt.*

13 *Tunc exultabunt omnia ligna syluarum à facie Domini : quia venit : quoniam venit iudicare terram.*

Iudicabit orbem terræ in æquitate : & populos in veritate sua.

qui
tur orbis qui non labetur : iudicabit populos in rectitudinibus.

11 *Propheta.* Lætabuntur cæli & exultabit terra : tonabit mare & plenitudo eius.

est
12 Gaudebit campus & omne quod in eo : tunc laudabunt omnia ligna syluæ.

Coram
13 Faciebus Domini [4] : quoniam venit, quoniam venit ad iudicandum terram : iudicabit orbem in iustitia & populos in veritate sua.

COMMENTARIVS.

Materia. TItulus nullus est. Materia Psalmi (vt facilè ex ipso accipitur) est tempus Messiæ. Tum ex eo quòd in principio inuitat ad canticum nouum, tanquam succedens Veteris Testamenti cantico : tum ex eo quòd inuitat omnem terram : tum ex eo quòd describitur cultus Dei apud vniuersos cum destructione idololatriæ : tum ex eo quòd describitur lætitia cælorum, terræ, maris, &c. quia Dominus venit ad iudicandum terram. Hæc enim ad tempus Messiæ spectare non est dubium. *Vterque Messiæ aduentus.*

Est igitur materia Psalmi ad literam aduentus Messiæ vterque.

SVMMARIVM EST.

P*Ropheta inuitat omnem terram ad canticum nouum ob aduentum Messiæ destruentis idololatriam, constituentis cultum diuinum plenum virtutis, pulchritudinis & decoris, regnantis firmantisque orbem immutabilem, ac iudicantis mundum cum gaudio & laude cælorum & vniuersa creatura.*

Persona loquens ***Propheta est.***

Vers. 1. CAntate Domino. Diuiditur Psalmus in partes duas : propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Benedicite.* Proponit vnum : hoc est, inuitat ter omnem terram ad cantandum Domino canticum nouum. Trinæ autem inuitationis ratio non solùm est perfectio numeri trinarij, sed alia reddetur à Propheta. Canticum nouum (ad differentiam cantici veteris) fert secum differentiam Testamenti noui à Testamento veteri. Et quia Testamentum nouum commune est toti mundo, ideo inuitatur omnis terra : cùm Testamentum vetus ad solam terram promissionis se extenderet.

Vers. 2. Benedicite. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò explicatur qualitas cantus. Secundò redditur ratio trinæ inuitationis, ibi, *annunciate.* Tertiò tractatur illa particula, *omnis terra,* ibi, *quia magnus Dominus.* Quartò tractatur illa, *canticum nouum,* ibi, *dicite in gentibus.*

Explicatur itaque qualitas cantus dicendo : *Benedicite nomen eius.* Non enim ad vanum cantum inuitat, sed ad cantum laudantem diuinum nomen, gratias agendo, &c.

Annunciate de die in diem. Reddit rationem quare ter inuitauit *cantate*, ex triplici effectu in tempore Messiæ. *Salutem eius :* ecce primus effectus : *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum*, dixit Angelus ad Ioseph sponsum B. Virginis. *Narrate in gentibus honorem eius.* Ecce secundus effectus, honor Deo debitus & exhibitus tempore Messiæ : dum destructis idolis, vnus à gentibus omnibus adoratus est Deus. Propter quod signanter dicitur : *Narrate in gentibus*, quæ erant idololatræ, *honorem eius*, honorem Deo debitum. *In omnibus populis separata*, id est, mirabilia *eius*. Ecce tertius effectus, comprehendens non solùm mirabilia miraculorum tempore Messiæ, sed mirabilia promissa adimplenda in cœlesti patria. Quæ verè magis possumus mirari quàm scire. *Cur ter inuitat hic ad cantum?*

Vers. 4. Qvia magnvs Dominvs. Tractatur hîc illa particula, *omnis terra* : reddendo rationem quare inuitatur omnis terra. Et reddit rationem ex fructu duplici communicato omni terræ. Alter est destructio idololatriæ, manifestato vno vero Deo. Quod & fecisse Messiam in toto mundo iam patet. Et describitur dicendo : *Quia magnus, non mole sed virtute, Dominus*, qui ab Hebræis dicitur *Dominus, & laudatus valde : timendus ipse super omnes deos.* Hæc tria adiectiua (*magnus, laudatus & timendus*) omnia referuntur ad hoc vltimum, *super omnes deos :* hoc est, super omnes qui vocantur dij, ipse Deus apparuit magnus, laudatus est valde, monstratus est timendus plus quàm omnes qui vocantur dij. *Quia omnes dij populorum vacuitates, & Dominus cælos fecit*, quia compertum est quòd omnes dij populorum sunt vacuitates, hoc est, sunt sicut vasa vacua nihil in se continentia : & ex altera parte cognitum est quòd Dominus non est vacuitas, sed est creator cælorum. *Deus magnus, laudatus, timendus super omnes Deos.*

Aduerte hîc quòd dictio Hebraica interpretata *vacuitates*, si lingua Latina pateretur rectius interpretata fuisset *nihila :* hoc est, cogniti sunt dij populorum quòd quilibet eorum est nihil, Dominus autem non solùm non est nihil sed fecit cælos. Et verè hæc differentia cognita est postquam Christus mundum illuminauit.

Pulchritudo & decor. Alter fructus communis toti mundo describitur : scilicet Ecclesiasticus cultus

Ecclesiastici cultus tempore Messiæ quàm decorus.

cultus tempore Messiæ: non in immolatione vitulorum & animalium, nō in turpibus & obscœnis actibus, nec in superstitionibus: sed pulchritudo & decor faciei eius. Metaphoricè introducit, more humano de Deo loquens: quòd in cultu qui exhibetur coram eo, nihil turpe aut indecorum, sed pulchritudo & decor inuenitur. *Fortitudo & gloria in sanctuario eius.* In Ecclesia Dei tempore Christi exteriùs *pulchritudo & decor*: interiùs *fortitudo* animi, propria Christianæ religionis virtus (vtpote quæ omnes sanctos eius constituit, præcipuo fortitudinis actu qui est sustinere) & *gloria*: hoc est actus digni gloriâ: qui soli sunt actus virtutum. Et propterea *parate Domino familia populorum*, omnium: *parate*, inquam, *Domino honorem & fortitudinem: parate* tertiò *Domino honorem nominis eius*. Clara est hæc monitio, consequens ex antedictis. *Eleuate munus*, Eucharistiæ, *& introite ad atria eius*, loca orationis Deo dicata. *Curuamini Domino*, adorādo illum, *in decore sanctitatis*, non in decore vestium: *tremite à faciebus eius omnis terra.*

Collige prudens lector quæ exigit Propheta ab vniuersa terra in cultu Dei tempore Messiæ, & vide vniuersa ad spirituale bonum animi spectare: quia verè lex spiritualis vitæ, est lex Christi.

Vers. 10. DICITE IN GENTIBVS. Tractatur hîc illa particula, *canticum nouum*: declarando materiam noui cantus. *Dicite in gentibus*, prædicate, euangelizate vniuersis nationibus: hæc, scilicet, *Dominus regnauit*, Dominus Deus in homine Messia regnare inchoauit resurgēdo à mortuis: hoc enim est primum prædicandum gentibus. Et tunc regnum Messiæ inchoauit: iuxta illud: *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* (Matth. 28.) Tūnc inchoauit regnum Dei: quod Ioannes Baptista, quod Christus prædicauerat: *appropinquauit regnum cælorum*. Hæc est præcipua cantici noui materia. Et meritò: quia nouæ immortalitatis aditus apertus est humano generi.

Etiam firmabitur orbis qui non labetur, hoc est, mundus futurus: de quo ad Hebr. 2. (Hebr. 2.) *Non enim Angelis subiecit Deus orbem terræ futurum*. Ratio firmitatis venturi seculi est inchoatio regni Christi per resurrectionem: iuxta illud 1. ad Corinth. 15. *Si Christus resurrexit & nos resurgemus.* Et ad differentiam mundi præsentis cuius dispositio labetur, descripsit orbem futurum à non lapsu: vt immobilitatem eius depingeret. *Indicabit populos in rectitudinibus.* Executio significatur orbis immobilis: per hoc enim quòd Dominus regnauit, radicata est firmitas futuri mundi: per hoc autem quòd iudicabit populos vniuersos in eorum rectis actibus (*Esuriui & dedistis mihi manducare*, &c.) executioni mandabitur futurus mundus: nam tunc erit secundus Christi aduentus & mūdus venturus. Hæc tria sunt materia noui cantici, in quibus comprehenditur mysterium Incarnationis, & humanorum meritorum in fide Christi, & felicitatis futuri mundi.

Hic mundus labilis: alter firmus immobilis.

Lætabuntur cæli. Ad literam lætati sunt cæli tum in primo aduentu, missis Angelis cantantibus ad pastores, & apparente nouâ stellâ Magis: & multò magis lætati sunt resurgente & ascendente Christo in cælum: & longè incomparabilius lætabuntur in nouitate futuri mundi. *Et exultabit terra*, in primo quidem aduentu gaudio Spiritus sancti afflata: in secundo autem totaliter. *Tonabit mare.* Metaphora est à multitudine soni cœlestis significans gaudium maris: hoc est, insularum & elementorum. *Et plenitudo eius:* plenitudo maris, pisces & reliqua quæ nascuntur in aquis sunt. *Gaudebit campus & omne quod in eo*, est: *tunc laudabunt*, cantando, *omnia ligna syluæ*. Intendit per has differentias maris & plenitudinis eius, camporum & plenitudinis eorum & syluarum, vniuersas differentias creaturarum materiam diuinæ laudis præbituras. Et reuera adimpletum videmus in miraculis Christi, vniuersa elementa, vniuersáque rerum genera materiam laudis diuinæ præbuisse: vt patet intuenti sacras historias. Rursus homines in mari, in insulis, in campis, in syluis, & breuiter vbilibet existentes ad Dei laudem surrexerunt: & si qui desunt surgent. Nec vacat mysterio quòd præter elementa quæ sola sunt partes substantiales vniuersi, nullius mixti specialis mentio fit, nisi ligni syluestris: quoniam in hoc Messias mortem superauit: & *hoc signum crucis erit in cælo cùm Dominus ad iudicandum venerit*: propterea enim descriptum tempus illud est tanquam materia gaudij & laudis omnium lignorum syluestrium: quia tunc in vno eorum (scilicet crucis ligno) exaltati meruerunt.

Gaudiū cæli, terræ, maris, &c.

Cur hic ligni specialis fit mentio.

Gaudebunt, inquam, *& laudabunt faciebus Domini*, coram facie Domini: *quoniam venit*, Messias in carne, *quoniam venit*, in secundo aduentu, *ad iudicandum terram: Iudicabit orbem in iustitia*, reddendo vnicuique secundùm quòd meruit: *& populos*, omnes, *in veritate sua*, non in veritate attestata per homines, sed *suâ*, diuina, infallibili, certâ & clarâ. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO. XCVI.	IVXTA HEBRÆVM. XCVII.
1 *DOMINVS regnauit exultet terra: lætentur insulæ multæ.*	1 *Propheta* DOMINVS [4] regnauit: exultabit terra: lætabuntur insulæ multæ.
2 *Nubes & caligo in circumitu eius: iustitia & iudicium correctio sedis eius.*	2 Nubes & obscuritas circumitibus eius: iustitia & iudicium firmamentum solij eius.
3 *Ignis ante ipsum præcedet: & inflammabit in circumitu inimicos eius.*	3 Ignis faciebus eius ibit: & inflammabit circumitu angustatores eius.

4 *Illuxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit & commota est terra.*	4 Fecit illucere fulgura sua orbi: vidit & contremuit terra.
5 *Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini: à facie Domini omnis terræ.*	5 Montes sicut cera liquefacti sunt à faciebus Domini [4]: à faciebus Domini omnis terræ.
6 *Annunciauerunt cæli iustitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius.*	6 Annunciauerunt cæli iustitiam eius: & viderunt omnes populi honorem eius.
7 *Confundantur omnes qui adorant sculptilia: & qui gloriantur in simulachris suis.*	7 Confundētur omnes seruitores sculptilis, gloriantes in vanitatibus: incuruamini ei omnes dij (Angeli).
8 *Adorate eum omnes Angeli eius: audiuit & lætata est Sion. Et exultauerunt filiæ Iudæ: propter iudicia tua Domine.*	8 Audiuit & lætata est Sion, & exultauerunt filiæ Iudæ: propter iudicia tua Domine [4].
9 *Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes deos.*	9 Quoniam tu Dominus [4] excelsus super omnem terram: valde eleuatus es super omnes deos.
10 *Qui diligitis Dominum odite malum: custodit Dominus animas sanctorū suorum, de manu peccatoris liberabit eos.*	10 Diligentes Domini [4] odite malum: custodiens animas gratiosorū suorum, de manu impiorū eruet eos.
11 *Lux orta est iusto: & rectis corde lætitia.*	11 Lux sata est iusto: & rectis cordis lætitia.
12 *Lætamini iusti in Domino: & confitemini memoriæ sanctificationis eius.*	12 Lætamini iusti in Domino [4]: & confitemini memoriæ sanctitatis eius.

COMMENTARIVS.

Titulus nullus est. Materia ex auctoritate Apostoli Pauli ad Hebr. 1. habetur: inducentis calcem septimi versiculi huius Psalmi, dicendo: *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit adorent eum omnes Angeli Dei.* Vnde clarè patet quòd de aduentu Messiæ Psalmus loquitur. Ita quòd in his verbis Apostoli, Psalmi huius materia significatur: nam per pronomen *eum* exponit Apostolus Messiam: & per *primogenitum* monstrat gloriosum eius aduentum, vt intelligas primogenitum quatenus primogenitum Dei, non quatenus vilis & abiectæ formæ. Dicendo *iterum*, monstrat secundam introductionem Messiæ in orbem terræ: primus enim aduentus Messiæ fuit humilis: alter futurus est gloriosus. Dicendo *in orbem terræ*, significat quòd de aduentu Messiæ ad accipiendam possessionem regni in terra (quæ fiet in aduentu ad iudicium) Psalmus iste tractat. Et sic esse testatur progressus Psalmi, describentis apparatum Messię venientis ad iudicandum mundum. Est itaque materia Psalmi ad literam, aduentus Christi gloriosus ad vniuersale iudicium.

Hebr. 1. *Materia.* *Aduentus Christi ad vniuersale iudicium.*

SVMMARIVM EST.

Propheta describit Messiam venientem ad iudicandum mundum magno apparatu: scilicet adorantibus Angelis, annunciantibus cælis, videntibus vniuersis populis, praeunte igne vrente reprobos coruscātibus fulguribus, tremente terrā, liquescentibus montibus, gaudentibus Iudæis: proindéque monet dilectores Domini vt odiant malum: quia Deus custodiet & liberabit eos à malo, & quia lucem ac lætitiā habent insitā iusti, lætentur & laudent Deū.

Persona loquens Propheta est.

Dominvs regnavit. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *nubes*. Proponit tria. Primò regnum Messiæ: *Dominus regnauit.* Acclamantis vox est cùm rex possessionem regni accipit: clamant enim omnes festiuā voce, *Dominus regnauit.* Et Christus quidem in sua resurrectione regni potestatem accepit (dicente ipso tunc, *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*) in sua autem Ascensione accepit possessionem regni in cælo: in aduentu verò ad iudicium accipiet possessionem regni in terra. Et in singulis horum congruit acclamatio *Dominus regnauit.* In proposito autem ratione tertij acclamatur *Dominus regnauit*: veniet enim tunc in maiestate regia, regnum terræ possessurus: cui interim dicitur, *sede à dextris meis donec ponam*, &c. Vers. 1.

Dominus regnauit, acclamatio est festiua, quasi diceretur: Viue le Roy.

Exultabit terra. Secundò proponitur effectus regni quoad Iudæos: quòd exultabit terra promissionis ob salutem totius Israël.

Lætabuntur insulæ multæ. Proponitur tertiò effectus regni in gentibus, significatis ab insulis multis: velut à soliditate terræ separatis propter idololatriam cui subiacebant tempore quo editus est Psalmus.

Vers. 2. Nvbes et obscvritas. Incipit hic pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *Dominus regnauit.* Secundò illa, *exultabit terra*, ibi, *audiuit.* Tertiò illa, *lætabuntur insulæ multæ*, ibi, *diligentes Domini.* Describitur itaque Messias accipiens regnum in terra, ab apparatu multiplici: scilicet quòd veniat adorantibus Angelis, annunciantibus cælis, videntibus omnibus populis, præcedente igne, nube, obscuritate, multitudine fulgurum, tremente terra, liquescentibus montibus, &c. Sed non seruatur

Multiplex Christi iudicis apparatus.

seruatur hic ordo in descriptione literæ: sed potius primò describuntur ea quæ spectant ad maiestatem tremendam. *Nubes & obscuritas circumitibus eius.* Ad literam scriptum est: *videbunt filium hominis venientem in nube & maiestate,* Luc 21. Sed nubes illa videtur intelligenda nubes gloriæ, similis nubi quæ in Ascensione Domini subtraxit eum ab oculis Apostolorum: nubes autem hæc cùm obscuritati iungatur, & non suppedanea Christo sed in circumitibus eius describatur, tenebrosa nubes intelligitur, subtrahens iniquis solatium lucis solaris. Et propterea ponitur *in circumitibus:* in quibus describentur inflammandi peccatores.

Luc. 21.

Iustitia, in executione, *& iudicium*, in pronunciatione sententiæ, *firmamentum solij eius,* Messiæ, non quòd Messiæ solium regale in seipso firmetur, iudicio & iustitiâ: sed quia in suo effectu (hoc est in gubernatione regni sui) firmatur iudicio & iustitia. Et verè firmabitur, quia erit vltimum: quoniam non erit opus amplius iudicare & iustitiam facere: quia nulla succedet varietas.

Ignis, corporeus qui appellatur ignis conflagrationis, *faciebus eius,* Messiæ regnantis, *ibit: & inflammabit circumitu*, non in vna tantum parte terræ, *angustatores eius.* Hoc erit mirabile quòd ignis ille non erit molestus electis, sed reprobis inimicis Messiæ: cùm tamen ignis futurus sit in circuitu, & non seorsum in vna parte, in qua potuisses putare congregatos reprobos solos.

Ignis conflagrationis non erit molestus reprobis.

Fecit illucere fulgura sua orbi. Hinc manifestè colligitur quòd de nube tenebrosa fuit sermo: ex tali enim nube coruscant fulgura. Et nota quòd non vni regioni sed orbi describuntur coruscare fulgura.

Vidit & contremuit terra: hoc est, viderunt homines terreni & tremuerunt. Vel terræmotus describitur tunc futurus. Et metaphoricè attribuitur terræ videre & tremere: quia ad similitudinem videntis & trementis se habebit.

Montes sicut cera liquefacti sunt. Ad literam renouante Christo mundum, montes non erunt: sed ipsi sicut & cætera mixta (excepto corpore humano) dissoluentur in elementa. Et propterea hic inter effectus regni Christi, computatur liquefactio montium. *A faciebus Domini*, à faciebus, inquam, *Domini omnis terra,* hoc est, accipientis possessionem dominij vniuersæ terræ.

Mõtes liquefient & dissoluentur.

Annunciauerunt cæli iustitiam eius. Possunt ad literam intelligi per annunciationem cælorum, signa quæ apparebunt in cælis: *Et erunt signa in sole & luna & stellis.* Sed præcipuè intelligenda videtur apparitio cœlestis maiestatis: puta signi crucis velut de cælo descendentis, & multorum sensibilium signorum spectantium ad gloriam tanti regis. Verisimile est enim quòd sicut in primo aduentu veniens homo humilis impleuit omnia quæ fuerunt humanæ humilitatis humano more, ita in secundo aduentu veniens gloriosus implebit ea quæ maiestatis sunt etiam humano more: nam ad homines veniet homo gloriosus rex. Et propterea rationi consentaneum videtur vt aduentus ille quamuis in principio futurus sit sicut fur in nocte (hoc est improuisus) tamen non in ictu oculi, sed multo interiecto temporis spatio durabit: multo magis quàm duret ingressus alicuius principis in aliquam ciuitatem. Et sic tot mirabilia, durante descensu de cælo ad terras, executioni mandabuntur. Quòd enim ibi interueniat ordo temporis, testatur Paulus Apostolus describens ordinem temporis inter resurrectionem priorum iustorum & raptum viuorum obuiam Christo in aëra, 2. ad Thessal. 4.

Maiestas & gloria Christi descendentis.

Et viderunt omnes populi honorem eius. Tam iusti quàm iniusti videbunt honorem Christi: sed illi ad cumulum doloris, isti ad cumulum gaudij.

Confundentur omnes seruitores sculptilis, gloriantes in vacuitatibus: hoc est, in dijs qui sunt velut vasa vacua. Cùm omnes populi videbunt Christum cum honore diuino, confundentur omnes cultores idolorum: clarè videntes quòd dij sui nihil sunt, & quòd Christus est verus Deus. In quorum pleniorem confusionem subditur: *Incuruamini ei*, Messiæ, *omnes dij,* hoc est, Angeli Dei: vt Apostolus exposuit. Apostrophat enim Propheta ad ipsos Angelos vt incuruentur adorando Messiam: vt per hoc attestentur ipsum non esse purum hominem, sed etiam verum Deum.

Vers. 8. Audivit. Tractatur hic illa particula, *exultabit terra* quantùm ad Iudæos. Scriptum est enim quòd *cùm intrauerit plenitudo gentium, tunc omnis Israël saluus fiet.* Quia igitur reliquiæ Israël tunc inuentæ saluæ erunt, credentes in Christum, ideo Propheta specialiter eorum meminit gaudij. *Audiuit*, venientem regem, *Sion*, populus Hebræus significatus per Sion in quo erat templum Dei, *& læta est*, charitatis gaudio: *& exultauerunt filiæ Iudæ*, velut festum celebrantes etiam mulieres Iudæorum, *propter iudicia tua Domine.* Per *iudicia*, descripsit aduentum ad iudicium, propter multas partes illius iudicij: dum alios damnabit, alios beabit, idololatras confundet, &c.

Sion populum Hebræum significat.

Quoniam tu Dominus. Specialis ratio gaudij Iudæis colentibus vnum Deum erit in illo aduentu, quia Messias tandiu expectatus ab eis apparuit *excelsus super omnem terram, & eleuatus valde super deos,* tam nuncupatiuè (vt dæmones, Iupiter, Mars, &c.) quàm participatiuè: vt sancti Angeli, qui dij participatiuè dicuntur.

Vers. 10. Diligentes Domini. Tractatur hîc illa particula, *lætabuntur insulæ multæ:* declarando saluãdos in omni natione. Facit autem hoc per modum monentis, ita quòd vtrunque officium simul exercet: & monentis & describentis. *Diligentes Domini audite malum.* Duas describit partes: dilectionem erga Deum, odium erga malum, quod simpliciter & absolutè est malum: ad differentiam eorum quæ sunt mala secundùm quid: qualia sunt omnia mala pœnalia præsentis vitæ. Solum enim malum culpæ cum malo damnationis æternæ est malum absolutè: quod præcipitur odio haberi. Et addit dilectioni Domini odium mali: quoniam multi sunt qui diligunt Deum, non tamen odio habent peccata: & hoc quia dilectio non est formata charitate.

Solum malũ culpæ cũ malo damnationis æternæ est malum absolutè.

Custodiens animas gratiosorum suorum, de manu impiorum eruet eos. Merito dilectionis Dei & odij mali adiungitur præmium simul cum auxilio diuino. Custodia quippe diuina auxilium gratiæ est: quod impenditur gratiosis actiuè, hoc est misericordibus: præmium autem est liberatio de manu impiorum. Ac si apertè diceret: facite quod ex vobis est actibus internis, diligendo Deum & odiendo malum, quia Deus faciet quod suum est: custodiet siquidem animas vacan-

vacantium operibus misericordiæ ne ruant in crimina, & liberabit eos de potestate impiorum, tam dæmonum quàm hominum.

Vbi aduerte quòd ideo dilectioni Dei & odio mali suppositum benefactricem gratiam, quia vana esset dilectio quæ non exhiberet opera: iuxta illud: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit.*

Lux sata est iusto, & rectis corde lætitia. Ne putes præmium iustorum in sola custodia & liberatione à malo sistere, adiungit affluentiam bonorum internorum: lucis, scilicet quoad intellectum, & lætitiæ quantum ad affectum. Et vtramq; dicit satam: quoniam in partibus animæ nostræ sata est. Lucis quidem semen satum in anima, est tum naturale lumen intellectus, tum gratuitum lumen fidei infusum animæ. Lætitiæ quoque semen satum in anima, est tum naturalis appetitus ad bonum rationi consentaneum, tum infusus charitatis amor. Et intendit per hæc Propheta duo. Alterum deseruiens monitioni, scilicet aperire rationes odiendi malum ex iis quæ in nobis sunt sata. Alterum est seruiens descriptioni futuræ beatitudinis: vt sciamus felicitatem futuram consistere in luce & lætitia quas non sumus experti, quarum non vidimus fructus, sed semina tantum in iustis & rectis corde sunt. Vt ex talibus seminibus conijcere possimus qualitatem, magnitudinem, suauitatem, &c. futuræ lucis & lætitiæ: tantò enim excellentiores sunt, quantò arbores & fructus præstant seminibus.

Lux & lætitia sata in anima nostra.

Lætamini iusti in Domino. Conclusio vniuersalis est in officiis quæ ita in præsenti vita inchoant quòd perseuerant in futura: scilicet lætari in Deo & laudare Deum. *Lætamini*, inquit, *iusti*, non in vobilmetipsis, sed *in Domino: & confitemini*, confessione laudis, *memoriæ sanctitatis eius*: hoc est, laudate quòd recordatus est exequendo, quòd ad similitudinem recordantis se habuit exequendo id quod sanctitatis suæ est: hoc est exequendo sanctificationem nostram. Sanctificabit siquidem sanctificatione consummatâ in anima, in corpore & in vniuerso, iustos omnes. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Psalmus.

XCVII.

1 CANTATE *Domino canticum nouum: quia mirabilia fecit.*
Saluauit sibi dextera eius: & brachium sanctum eius.
2 *Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam.*
3 *Recordatus est misericordiæ suæ & veritatis suæ domui Israël.*
Viderunt omnes termini terræ: salutare Dei nostri.
4 *Iubilate Deo omnis terra: cantate & exultate & psallite.*
5 *Psallite Domino in cithara, in cithara & voce Psalmi: in tubis ductilibus & voce tubæ corneæ.*
7 *Iubilate in conspectu regis Domini: moueatur mare & plenitudo eius, orbis terrarum & qui habitant in eo.*
8 *Flumina plaudent manu, simul montes*
9 *exultabunt à conspectu Domini: quoniam venit iudicare terram.*
Iudicabit orbem terrarum in iustitia: & populos in æquitate.

IVXTA HEBRÆVM.

Psalmus.

XCVIII.

1 *Propheta.* CANTATE Domino [4] canticum nouum: quia separata fecit. Saluauit sibi dextetera sua & brachio sanctitatis suæ.
2 Notificauit Dominus salutem suam: oculis gentium reuelauit iustitiam suam.
3 Recordatus est gratiæ suæ & veritatis suæ domui Israel: viderunt omnes fines terræ salutem Dei nostri.
4 Clangite Domino [4] omnis terra: aperite os & laudate & canite.
5 Canite Domino [4] in cithara: in cithara & voce cantus.
6 In tubis & voce cornu: clangite faciebus regis Domini [4].
7 Tonabit mare & plenitudo eius: orbis & habitantes in eo.
8 Flumina percutient vola: simul montes laudabunt.
9 Faciebus Domini [4], quia venit ad iudicandum terram: iudicabit orbem in iustitia & populos in rectitudinibus.

COMMENTARIVS.

TItulus est. *Psalmus.* Ex quo nihil aliud habetur nisi quòd est canticum.

Materia Psalmi quòd sit Messias, facilè patet ex eo quòd apertè dicitur: *Viderunt omnes fines terræ*

Materia.

terra salutem Dei nostri, & gaudium vniuersæ creaturæ describitur in conspectu regis Domini. Hæc enim ad tempus spectare Messiæ constat. Et quoniam describitur Messias rex & veniens ad iudicandum mundum, consequens est quòd sit hic sermo non de aduentu Christi in humilitate passibilis carnis, sed de aduentu Christi in regno suo. Cautus tamen esto: quia describitur etiam publicatio Euangelij in vniuerso mundo.

Quo fit vt Psalmus iste ad literam tractet de regno Christi quantùm ad initia regni: hoc est resurrectionem eius & aduentum ad iudicium. Hæc enim duo sunt initia regni Christi. Alterum quantùm ad acceptionem dominij: nam in re-
Matth.28. surrectione sua testatur ipse, *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*. Alterum quoad acceptionem possessionis: nam vsque ad aduentum ad iudicium quiescit à dextris Dei, differens accipere possessionem regni terrarum. Et propterea tractatur hîc de resurrectione Christi prædicata mundo vsque ad diem iudicij.

SVMMARIVM EST.

Monet Propheta mundum ad cantandum canticum nouum Domino: quia mirabilia fecit resuscitando seipsum, publicando Euangelium gentibus & domui Israel, veniendo cum maiestate ad iudicandum mundum cum gaudio vniuersæ creaturæ.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. CANTATE DOMINO. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *saluauit sibi*. Proponit duo. Alterum est: *Cantate Domino canticum nouum*, noui testamenti: ad differentiam testamenti veteris. Alterum est: *quia separata*, id est, mirabilia, *fecit*, in nouo testamento. Et verè separata ab omni facultate naturæ fecit.

SALVAVIT SIBI. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *separata fecit*. Secundò illa, *cantate Domino*, ibi, *clangite Domino*. Tertiò illa, *canticum nouum*, ibi, *clangite faciebus*. Tractando itaque mirabilia quæ fecit Dominus, inchoat à maximo miraculo quo resuscitauit seipsum à mortuis. *Saluauit sibi*. Non dicit, saluauit alios, sed, sibiipsi salutem fecit. Non huius passibilis vitæ (quoniam venit ad ponendum vitam suam pro salute mundi) sed fecit sibi salutem immortalis vitæ per resurrectionem
Sub dextera & Brachij metaphora Humanitas Christi significatur. à mortuis. *Dextera sua & brachio sanctitatis suæ*. Significatur sub metaphora dexteræ & brachij humanitas Christi: quia est instrumentum coniunctum personaliter Deo. Vtrumque autem nominatur: quia & anima & corpus Christi organum coniunctum fuit deitatis. Et anima quidem assimilatur brachio, corpus verò manui dexteræ: quia sicut manus mediante brachio iungitur personæ humanæ, ita corpus mediante animâ iunctum est personæ diuinæ: anima enim fuit ratio quòd corpus vniretur filio Dei: vt in Theologia speculatiua patet. Attribuitúrque vtrique salutem facere: quia anima & corpus Christi non solum meritoriè, sed etiam effectiuè quatenus organa deitatis, effecerunt resurrectionem ipsius Christi: propterea enim dexteræ & brachij nominibus quæ sonant instrumenta coniuncta, appellata sunt.

Notificauit Dominus. Miraculo resuscitationis propriæ adiungit miracula publicationis Euangelij in gentibus & Iudæis: quâ constat inchoasse post resurrectionem Christi. Et gentibus quidem notificauit duo: Alterum *salutem* quam
Publicatio Euangelij in Gentibus & Iudæis. attulit vniuerso mundo. *Suam* dixit, vt intelligeres salutem animæ, salutem æternæ felicitatis quæ propria est Deo: non salutem communem hominibus & pecoribus, non salutem communem bonis & malis hominibus, non salutem denique quam homo aut creatura quæcunque dare potest: sed suam, quam solus dare potest. Alterum *iustitiam suam*, hoc est iustitiam fidei, verè suam: quia solus illam dare potest, & sola est iustificans hominem coram Deo.

Recordatus est gratiæ suæ. Respectu Iudæorum salus Christi sub ratione recordatæ gratiæ & veritatis describitur: quia verè ad similitudinem recordati gratiæ olim promissæ Abrahæ & verificantis promissa, Deus executus est veniendo in Messia ad saluandum populum Israël. Simili quoque modo Beata Virgo descripsit hanc salu- Luc.1.54.
tem: *Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiæ suæ, sicut locutus est ad patres nostros.*

Viderunt omnes fines terræ. Aduerte prudens lector quæstionem speculatiuorum in Theologia: quo pacto mundus vidit salutem Messiæ, quam non nisi credendo cognouit: cùm nullus videat quod credit. Soluitur autem quæstio, di-
Credibilitatē resurrectionis &c. videmus: ipsam verò resurrectionē credimus. cendo quòd aliud vident & aliud credunt: videmus enim credibilitatem salutis Dei, videmus credibilitatem resurrectionis, regni & deitatis Christi: credimus autem ipsam salutem, resurrectionem, regnum, deitatem. Tot enim miracula totque testimonia videntes, videmus credibilitatem regni, deitatis, &c. sicut habentes innumeros fide dignos testes de animali viso in Galliis, videmus credibilitatem quòd illud animal fuerit ibi visum, credimus tamen illud fuisse ibi. Hoc siquidem modo conuicti à miraculis non solum homines sed etiam Dæmones credunt & contremiscunt, videntes credibilitatem rei creditæ: hoc est videntes quòd credendum sit. Et sic omnes fines terræ viderunt quatenus credibilem salutem Dei nostri, *Domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis*. Marc. 16.

Vers. 4. CLANGITE DOMINO. Tractatur hîc illa particula, *Cantate Domino*: declarando solemnitatem cantus. *Clangite Domino*, festiuo
Tubis in Iubileo; Cornu in festo Propitiationis vtebantur. sono festum agite, *omnis terra*, nullâ exceptâ: *aperite*, supple os ad cantandum, *& laudate & canite*. *Canite*, inquam, *Domino in cithara*: non sola, sed *in cithara & voce cantus*, musici. *In tubis*, quarum vsus erat in Iubilæo, *& voce cornu*, cuius vsus erat in festo propitiationis. Et intendit per hæc omnia instrumenta musica & modulationes humanas, vniuersam festiuitatem cantus exhibendam Messiæ.

Vers. 6. CLANGITE FACIEBVS REGIS DOMINI. Tractatur hîc illa particula, *canticum nouum*: explicando materiam noui cantici esse Dominum regem, Messiam regem regnantem iam in cœlis, venturum in maiestate ad iudicandum mundum.

Clangite, agite festum festiuo sono. Dictio siquidem Hebraica interpretata *clangite*, significat sonum festiuum, seu sonum ad excitandum publicam festiuitatem. *Faciebus regis*, non humilis iam Messiæ, *Domini*.

Tonabit mare & plenitudo eius, orbis & habitantes in eo. Flumina percutient vola, hoc est ad

 similitu

similitudinem festiuantium percutiendo volas: *simul montes laudabunt : faciebus Domini quia venit ad iudicandum terram.* Describitur gaudium vniuersæ creaturæ inferioris (hoc est terræ & aquarum) in aduentu Messiæ ad iudicium: quia tunc veniet Messias ad accipiendum possessionem regni horum inferiorum : ac per hoc inferiora omnia sub tanto rege materia gaudij & laudis diuinæ erunt : & si sensum haberent, gauderent & laudarent.

Iudicabit. Subdit qualitatem iudicij quod exercebit Messias. In communi quidem *iudicabit orbem*, non regionem vnam, *in iustitia*, exequendo iustitiam, reddendo vnicuique ius suum: *& populos in rectitudinibus.* Determinat in specie merita iuris non fore consanguinitatem, nobilitatem, diuitias & huiusmodi, sed rectitudines: ac per hoc & obliquitates. Hæ enim solæ erunt merita iuris vniuscuiusque in vniuersali iudicio quod faciet Messias. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO. XCVIII.	IVXTA HEBRÆVM. XCIX.
1 *DOMINVS regnauit, irascantur populi : qui sedes super Cherubim moueatur terra.*	1 *Propheta.* DOMINVS [4] regnauit, hinc trement populi: sessor Cherubinorum, hinc commouebitur terra.
2 *Dominus in Sion magnus : & excelsus super omnes populos.*	2 Dominus [4] in Sion magnus : tunc excelsus ipse super omnes populos.
3 *Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctum est: & honor regis iudicium diligit.*	3 Confitebuntur nomen tuum magnum & timendum : sanctum ipsum.
4 *Tu parasti directiones : iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti.*	4 Et fortitudo regis iudicium dilexit: tu firmasti rectitudines, iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti.
5 *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius : quoniam sanctum est.*	5 Exaltate Dominum [4] Deum nostrum : & curuamini scabello pedum eius, quoniam sanctus ipse.
6 *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius: & Samuel inter eos qui inuocant nomen eius.*	6 Moyses & Aaron in sacerdotibus eius, & Samuel in vocantibus nomen eius : fuerunt vocantes ad Dominum [4] & ipse respondebit eis.
7 *Inuocabant Dominum & ipse exaudiebat eos : in columna nubis loquebatur ad eos. Custodiebant testimonia eius : & præceptum quod dedit illis.*	7 In columna nubis loquetur ad eos: custodierunt testimonia eius, & quod præceptum dedit eis.
8 *Domine Deus noster tu exaudiebas eos: Deus tu propitius fuisti eis, & vlciscens in omnes adinuentiones eorum.*	8 Domine [4] Deus noster tu respondisti eis: Deus ignoscens fuisti eis, & vltor super operibus eorum.
9 *Exaltate Dominum Deum nostrum & adorate in monte sancto eius: quoniam sanctus Dominus Deus noster.*	9 Exaltate Dominum [4] Deum nostrum : & curuamini monti sanctitatis eius, quia sanctus Dominus [4] Deus noster.

COMMENTARIVS.

Materia.

TItulus nullus est. Materia Psalmi (vt facilè ex ipso apparet) est regnum Dei in veteri

Regnum Dei in veteri Testamento.

Testamento : hoc est ab egressu de Ægypto & deinceps. Ita quòd ex rebus prius gestis in dicto regno, docet agenda deinceps : hoc est postquam regnauit Deus in monte Sion : quod inchoauit tempore regni Dauidis. Quòd enim tractetur de regno Dei in statu veteris Testamenti, patet tum ex principio Psalmi : *Dominus regnauit sessor Cherubinorum, Dominus in Sion magnus.* Tum

ex

ex medio: *curuamini scabello pedum eius*, quod constat appellari arcam Domini. Tum ex fine: *curuamini monti sanctitatis eius*.

Quòd verò ex prioribus gestis moneat quæ postea sunt agenda, totus ferè decursus Psalmi testatur: dum referuntur gesta à Deo in principio regni eius, scilicet tempore Moysi: & refertur iustitia Dei vlciscens etiam in Moysen & Aaron & Samuelem: & demum concluditur exaltandus Deus, & venerandus etiam mons in quo colitur.

SVMMARIVM EST.

Propheta describit regnum Dei in veteri Testamento à tempore egressionis populi de Ægypto, sanctum, terribile, legem ferens, iustum vsqueadeo vt nec Moysi, Aaron, & Samueli quamuis sibi familiaribus & obseruatoribus præceptorum suorum pepercerit: & propterea exaltandum laudibus, esse Deum, & venerandum tum scabellum eius tum montem sanctitatis eius.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. DOMINVS REGNAVIT. Diuiditur Psalmus in duas partes: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *confitebuntur*. Proponit duo. Alterum est initium regni Dei in veteri Testamento. *Dominus regnauit*, regnare cœpit in populo Israël. Hoc ad literam fuit in egressu filiorum Israël de Ægypto: tunc enim primum filij Israël fuerunt populus liber, vt posset haberi pro regno: & Deus dignatus est regnare in illo tanquam rex eorum: iuxta illud Exod. 19. *Vos eritis mihi in regnum sacerdotale & gens sancta*: & 1. Reg. 12. Samuel reprehendit populum quòd petierit regem, allegans: *Cùm Dominus Deus vester regnaret in vobis*.

Regnum Dei super Hebræos incepit in egressu filiorũ Israel de Ægypto. Exod. 19.

1. Reg. 12.

Sessor Cherubinorum. Ad literam in principio quo Deus incepit habere populum Israël pro regno descriptus est à Moyse *sessor Cherubinorum*: pro quanto fecit duas statuas Cherubinorum velut gestantes tabellam quasi sedem Dei. Et propterea hoc in loco Propheta simul describit initium regni & sessionem super Cherubim: vt hinc intelligas quòd de regno tunc inchoante est sermo.

Sessor Cherubinorum cur Deus dicitur?

Trement populi, commouebitur terra. Effectus regnantis Domini describitur commotio terræ, tremor populorum: hoc est timor magnus. Futurum autem tam *trement* quàm *commouebitur*, respicit præteritum *regnauit*, & denotat ad sceptrum tanti regis, maximi timoris sequelam. Qui communis fuit & populis externis & populo Israël: vt patet legenti sacras historias subsecutas.

Dominus in Sion magnus. Alterum propositorum describitur: scilicet profectio diuini regni in monte Sion. *Dominus*, idem regnat, *in Sion*, in monte Sion (illuc enim Dauid transtulit arcam Dei, ibi in illius summitate ædificandum constituit templum Dei) *magnus*, non mole sed virtute: *& excelsus*, potentiâ, *super omnes populos*. Ad literam significatur celsitudo Dei monstrata in prostratione & subiectione omnium populorum aduersantium regno eius, quæ etiam apparuit tempore Dauidis: cùm subactis hostibus omnibus regnum Israel sublimatum est sub cultu Dei.

Collige prudens lector ambo proposita: quòd quamprimum regnauit secutus est timor: vbi autem regnauit in Sion, affuit magnitudo & celsitudo super omnes populos.

Vers. 3. CONFITEBVNTVR. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *Dominus regnauit*. Secundò illa, *sessor Cherubinorum*, ibi, *exaltate Dominum*. Tertiò illa, *trement populi, commouebitur terra*, ibi. *Moyses & Aaron*. Quartò illa, *Dominus in Sion*, &c. ibi, *exaltate*.

Tractatur itaque initium regni diuini in veteri Testamento à quatuor: scilicet à *nomine*, à *potentia*, à *voluntate*, à *lege*.

Initium regni Dei in veteri testamento à quatuor describitur.

Et de nomine quidem tanti regis: *Confitebuntur nomen tuum magnum & timendum, sanctum ipsum*, affirmabunt, laudabunt nomen tuum esse magnum, esse timendum, esse sanctum. *Magnum* in miraculis tot patratis in eductione de Ægypto & in deserto: *timendum* ob pœnas Ægyptiorum & filiorum Israël multas in deserto: *sanctum* in apparitione cœlesti.

Et fortitudo (ecce potentia) *regis* ipsius Dei, *iudicium dilexit*: ecce voluntas. Et bene nota scribi quòd potentia regis dilexit, non facere quod vult, sed *iudicium*, sed ius dicere: vt intelligas Deum regem poni in exemplum aliorum regum: vtpote qui dilexit facere non quod potuit, non quod voluit, sed quod ius exigit.

Tu firmasti. Ecce legislatio. Decet enim regem legem statuere in regno suo. In tres autem partes distinctam describit legem: moralem, iudicialem, & cæremonialem. *Tu firmasti rectitudines*. Ecce præcepta moralia. Quæ aptè describuntur non tunc data sed firmata: quoniam præcepta moralia indita sunt menti humanæ ab initio, sed firmantur auctoritate diuinâ. Colere vnum Deum, honorare parentes, non furtum facere, & huiusmodi, recta ratio dictat: sed firmantur hæc quia Deus præcepit hæc eadem in sacra Scriptura. *Iudicium*, præcepta iudicialia, *& iustitiam*, præcepta cærimonialia quæ appellantur iustitiæ legis, *in Iacob tu fecisti*. Duas apponit his duobus generibus præceptorum conditiones. Alteram *in Iacob*, hoc est, in populo descendente ex Iacob: ad differentiam moralium quæ ligant omnes gentes. Alteram *fecisti*, hoc est vim iuris tribuisti: ad doctrinam etiam moralium, quæ vim iuris habent etiamsi à nullo rege statuantur. Sunt enim præcepta cærimonialia atque iudicialia iuris positiui (diuini tamen) respectu illius populi.

Lex in tres partes diuisa: Moralem, Iudicialem, Ceremonialem.

Vers. 5. EXALTATE. Tractatur hîc illa particula, *sessor Cherubinorum*: inferendo debitam laudem ac reuerentiam tanto regi. *Exaltate*, non in seipso sed in vestris animis & laudibus. *Dominum Deum nostrum, & curuamini*, in signum reuerentiæ, *scabello pedum eius*, hoc est, arcæ Domini: quæ erat sita inter duos Cherubinos, sic, vt si quis sedisset super tabellam gestatam à Cherubinis, pedes posuisset super arcam Domini: & propterea ad literam ipsa arca appellatur scabellum pedum Domini. *Sanctus ipse*. Rationem venerationis arcæ (ne superstitionem aut idololatriæ speciem putares) adiungit esse sanctitatem Dei: hoc est, quòd veneratur arca ratione Dei. Qui appellatur *sanctus*: quoniam sanctitas proprietatem diuinæ naturæ liberam ab omni potentialitatis immunditia significat: quam vocant Philosophi actum purum. Per hoc enim cognoscimus

Arca erat scabellum pedum Domini.

cognoscimus naturam eius eleuatam supra omnem etiam excogitabilem naturam. Propter hoc apud Esaiam Angeli laudant Deum, *sanctus, sanctus, sanctus*: hoc est, celsus, eleuatus & liber ab omni potentialitate.

Nec Moysi Aaroni & Samueli pepercit Deus.

Vers. 6. MOYSES ET AARON. Tractatur hîc illa particula, *trement populi, commouebitur terra*: declarando quàm timendum se exhibuerit Deus vniuersis, ex hoc quòd Moysi, Aaron, & Samueli sacri status, familiaribus Dei, custodientibus præcepta eius Deus non pepercerit, sed vindictam exercuit in eos. Hæc est intentio literæ: per quam maximus incutitur timor cæteris.

Moyses & Aaron in sacerdotibus eius. Ecce status sacerdotalis eorum: Aaron siquidem fuit summus sacerdos: & Moyses fons sacerdotij inuenitur, dum ipse consecrauit Aaron. *Et Samuel in vocantibus nomen eius.* Status Samuelis describitur, non sacerdoralis (cùm non fuerit de tribu Leui) sed inter vocantes nomen Domini præcipuus. De ipso enim legitur, 1. Reg. 19. quòd erat stans super cuneum Prophetarum, & post Moysem primus fuit excellens Propheta Domini: de quo scriptum est quòd *cognouit vniuersus Israël à Dan vsque Bersabee quod fidelis Samuel Propheta esset Domini*, 1. Reg. 3.

Samuel eximius Propheta.

1. Reg. 3.

Vocantes ad Dominum. Descripto statu horum trium, describitur familiaritas eorum cum Deo. *Vocantes*, erant, *ad Dominum: & ipse*, Dominus, *respondebit eis.* Futurum *respondebit* non respicit tempus Psalmi, sed tempus vocationis: denotans responsionem diuinam subsecutam ad vocationem eorum: in quo notatur familiaritas, quòd illis vocantibus Deus respondebat. Et hoc testantur historiæ sacræ.

An etiam ad Samuelem in columna nubis locutus fuerit Deus?

In columna nubis loquetur ad eos. Hoc de Moyse & Aaron non habet dubium. De Samuele verò nullus alius Scripturæ locus testatur Deum ei locutum fuisse in columna nubis, nisi fortè extenso nomine, columna nubis etiam ad nubes extendatur. Legitur 1. Reg. 12. quòd Samuele inuocante Dominum facta sunt tonitrua & pluuiæ tempore messis. Hic tamen scripturæ locus sufficit fidei.

Custodierunt. Describitur tertiò iustitia eorundem in obseruatione testimoniorum & præceptorum: hoc est iudicialium & cærimonialium (quæ sunt testimonia diuini regiminis: vtpote testantia Deum suum auctorem) & moralium quæ *præcepti* nomine significantur, propter connexionem eorum. Et hanc obseruationem intellige non ad amussim, sed ferè semper: quia studium eorum erat ad obseruanda hæc: quandoque tamen lapsi sunt, vt subiungitur.

Domine Deus noster. Apostropha: Propheta ad Deum, illaturus conclusionem intentam: *Domine*, inquit, *tu respondisti eis*, familiariter: *tu*, idem Deus, *ignoscens fuisti eis*: & cum hoc *vltor super operibus eorum* (Moysi, Aaron, & Samuelis) *fuisti.* De Moyse & Aaron nulla est ambiguitas quando peccauerint & puniri fuerint exclusione ab ingressu terræ promissionis: vt patet Num. 20. Samuelis autem punitio apertè in scriptura reperitur, nam senex priuatus est principatu populi. Culpa autem implicitè insinuatur in Scriptura in historia primi Regum: dum dicitur quòd senex instituit filios suos iudices populi nequiter agentes: & quòd populo querelam proponente coram eo de filiis eius, & proptere a petente regem, Samuel ægrè tulit deiici se cum filiis suis à principatu. Vnde inducitur Deus verbis consolatoriis ad Samuelem; *non enim te, sed me abiecerunt ne regnem super eos.* Cùm tamen Samuel impotens per seipsum, & malè exercens principatum per filios, non debuisset ægrè ferre petitionem populi.

Vers. 9. EXALTATE DOMINVM DEVM. Tractatur hîc illa particula, *Dominus in Sion magnus*: monendo ad laudandum Deum, *exaltate Dominum Deum nostrum*: & ad reuerentiam exhibendam monti Sion, loco templi eius. *Et curuamini*, signo venerationis, *monti sanctitatis eius*, in quo colitur sanctitas eius. *Quia sanctus Dominus Deus noster.* Ratio reuerentiæ exhibendæ monti declaratur non sanctitas montis sed sanctitas Dei: sicut de arca dictum est. Ita quòd Propheta monet reuerentiam exhibendam non soli Deo in seipso: sed ratione eius tum arcæ vt scabello pedum, tum monti vt dicato diuinâ electione ad exhibẽdum ibi cultum Deo. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Psalmus in confessione.*	Dauidi Psalmus.
XCIX.	C.
2 *IVBILATE Deo omnis terra: seruite Domino in lætitia. Introite in conspectu eius: in exultatatione.*	1 *Propheta.* CLANGITE Domino [4] omnis terra. 2 Seruite Domino [4] in lætitia: ingredimini faciebus eius in laude.
3 *Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: ipse fecit nos & non ipsi nos.*	3 Scite quoniam Dominus [4] ipse est Deus † : ipse fecit nos, & sibi fecit nos: populus eius & ouis pascui eius. † *Dij.*
4 *Populus eius & oues pascuæ eius introite portas eius in confessione, atria eius in hymnis: confitemini illi.*	4 Ingredimini portas eius in confessione, atria eius in laude: confitemini

5 *Laudate nomen eius quoniam suauis est Dominus : in æternum misericordia eius, & vsque in generationem & generationem veritas eius.*

mini ei, benedicite nomini eius.
5 Quia bonus Dominus * : sempiterno gratia eius, & vsque generationem & generationem veritas eius.

COMMENTARIVS.

Materia. Inuitatio ad confessionem fidei.

TItulus est : *Psalmus confessioni*: hoc est, Psalmus ad confessionem fidei & laudis. Est enim materia Psalmi huius inuitatio ad confessionem fidei, tum quòd Dominus est Deus, tum quòd est creator noster, tum quòd est finis noster, tum quòd est bonus & gubernator noster, & ad laudandum hæc eadem : vt facilè patet inuenti Psalmum.

Restat tamen vna ambiguitas : an inuitetur omnis terra absolutè, an omnis terra promissionis. Est ratio ambiguitatis : quia clarè inuitatur omnis terra in principio sine vlla limitatione : in prosecutione tamen ad populum Israel sermo dirigi videtur, dum dicitur *populus eius & ouis pascui eius*, &c. Soluitur quæstio : dicendo quòd Propheta cupiendo inuitat omnem terram, sed ad exequendum vocat populum Israel.

SVMMARIVM EST.

PRopheta cupiens Deum ab omnibus laudari, describit monendo tria quæ nosse debet mundus de Deo, scilicet quòd est Deus, quòd fecit nos, & quòd fecit nos ad se. Inuitátque credentem populum ad confitendum & laudandum Deum in atriis templi : ad confitendum, inquam, & laudandum bonitatem Dei, gratiam eius, & veritatem eiusdem.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. CLANGITE DOMINO. Diuiditur Psalmus in partes duas : propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *scite*. Proponendo inuitat omnem terram ad duo : ad festiuè se habendum Domino. *Clangite*, sono festiuo festum agite, *Domino : omnis terra*, nullâ exceptâ. Alterum est: *seruite Domino in lætitia*, non tristes. Et specificat seruitutem : *Ingredimini faciebus eius in laude*, venite ad templum eius laudando eum. Hæc est seruitus ad quam cum lætitia exhibendam inuitat : cupiens vniuersum mundum venire ad adorandũ Deum in templo eius cũ gaudio & laude.

Vers. 3. SCITE QVONIAM DOMINVS. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *clangite Domino omnis terra.* Secundò illa, *seruite Domino, ingredimini*, &c. ibi, *populus eius*. Tractatur itaque extensio inuitationis ad omnem terram ex ratione communi omni terræ, hoc est, ex desiderata fide Dei in omni terra. *Scite quoniam Dominus ipse Deus.* Accedentem (inquit Apostolus) ad Deum oportet credere quòd Deus est. Et propterea primum cognoscendum ab omni terra monet quòd Dominus, quòd ille qui ab Hebræis vocatur *Dominus*, ipse est naturâ Deus, non opinione hominum. Secundum cognoscendum fide est quòd *ipse fecit nos*, quòd est creator noster: tum creando nos simul cum mundo; tum creando singulorum animas rationales cùm nascimur in maternis vteris. Tertium credendum est *& sibi nos.* Et est sensus : Et fecit nos sibi Deo. *Fecisti*, inquit Augustinus, *nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te.* Ita quòd hoc tertio loco numeratum à Propheta, est id quod ad Hebr. 11. Apostolus subiungit secundo loco, oportere credere accedentem ad Deum : & quòd inquirentibus se remunerator sit. Ratione enim beatitudinis diuinæ ad quam nanciscendam facti sumus, dicitur *& sibi nos*. Hæc si nosset vniuersa terra, clãgeret & seruiret Domino in lætitia.

Tria de Deo primùm credenda.

Augustin.

POPVLVS EIVS. Tractatur hîc illa particula, *seruite Domino, ingredimini* : inuitando ad executionem propositorum populum credentem, qui tunc erat populus Israel. *Populus*, peculiaris, *eius*, Dei : *& ouis pascui eius*, & velut ouis pascui Domini (quia pascebatur & quoad animam lege diuina, & quoad corpus fructibus terræ Deo appropriatæ) *ingredimini portas eius* (portæ Dei appellantur portæ locorum dicatorum ad diuinum cultum) *in confessione*, fidei : *atria eius* (non enim populus intrabat in templum, sed ad atria templi) *in laude : confitemini ei : benedicite*, non solum ei, sed *nomini eius. Quia bonus Dominus*, verè bonus omnibus (cùm sit ipsa bonitas: à qua est quicquid boni in quocunque inuenitur) *sempiterno gratia eius, & vsque generationem & generationem veritas eius.* Hæc tria ad creationem & gubernationem diuinam spectant : quia enim Deus bonus est, ideo sumus : & quia gratia & veritas eius (sub quibus comprehenduntur vniuersæ viæ Domini) sine fine durant, ideo suauiter gubernamur & ad beatitudinem perducimur. Et propterea meritò hæc confitenda & laudanda sunt. Amen.

Quicquid boni in quocunque inuenitur, à Deo est, qui est ipsa bonitas.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus Dauid.*

C.

1 M*ISERICORDIAM & iudicium cantabo, tibi Domine.*

IVXTA HEBRÆVM.

Dauidi Psalmus.

CI.

1 *Propheta.* GRATIAM & iudicium cantabo : tibi Domine * cantabo.

2 Intel

2 *Psallam & intelligam in via immaculata: quando venies ad me.*
Perambulabam in innocentia cordis mei: in medio domus meæ.
3 *Non proponebam ante oculos meos rem iniustam: facientes prævaricationes odiui.*
4 *Non adhæsit mihi cor prauum: declinantem à me malignum non cognoscebam.*
5 *Detrahentem secretò proximo suo: hunc persequebar.*
Superbo oculo & insatiabili corde: cum hoc non edebam.
6 *Oculi mei ad fideles terræ vt sedeant mecum: ambulans in via immaculata hic mihi ministrabat.*
7 *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam: qui loquitur iniqua non direxit in conspectu oculorum meorum.*
8 *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

2 Intelligam in via perfectionum: quando venies ad me, ibo in perfectione cordis mei in medio domus meæ.
3 Non ponam coram oculis meis verbum belial: facere volutiones odiui, nec adhærebit in me.
4 Cor tortum recedet à me: malum nesciam.
5 Accusantem in abscondito socium suum hunc incidam: celsitudinem oculorum & latitudinem cordis ipsam non sufferam.
6 Oculi mei in fidelibus terræ ad sedendum mecum: ambulans in via perfectionum ipse seruiet mihi.
7 Non sedebit in medio domus meæ faciens dolum: loquens mendacium non firmabitur coram oculis meis.
8 Matutinis cædam omnes impios terræ: ad faciendum excidi de ciuitate Domini [4] omnes operantes iniquitatis.

COMMENTARIVS.

TItulus est, *Dauidi Psalmus.* Qui patet ex superiùs dictis.

Materia. Materiam Psalmi, Psalmus ipse clarè præ se fert esse rectam dispositionem personæ ac familiæ regiæ: nam totus decursus Psalmi in recta dispositione personæ regiæ & ministrorum eius occupatur.

SVMMARIVM EST.

D*Auid se cantaturum Deo gratiam & iudicium, & simul intellecturum vias perfectionum profitetur, sic vt disponat agenda ac cauenda per seipsum, suosque ministros, & quales ministros habiturus sit.*

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. GRATIAM ET IVDICIVM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *quando venies.* Proponit duo scilicet cantare gratiam & iudicium, & intelligere eadem in via perfectionum. Et intendit se laudaturum gratiam & iudicium trifariam, scilicet vt vias Domini: *Vniuersæ siquidem viæ Domini gratia & veritas.* Et ad hunc modum spectat quod dicitur, *gratiam & iudicium cantabo.* Et hîc fiat punctum: & subiungatur: *Tibi Domine cantabo*, scilicet gratiam & iudicium vias tuas. Et demum subiungatur: *intelligam in via perfectionum.* Sic enim punctatur in Hebræo. Non solùm vt vias Domini, sed vt exempla viarum propriarum intelligam gratiam & iudicium in via perfectionum habenda esse. Tertio autem modo (scilicet vt dona Dei sibi concessa) hæc eadem tractabit prosequendo Psalmum. Propterea enim in prima particula Psalmi dixit, *gratiam & iudicium cantabo*, non explicando Deo aut sibi: quia tot modis laudare intendebat gratiam & iudicium. In his enim duobus non solùm viæ Domini sed viæ principum consistunt. *In gratia & iudicio via Domini & Principum consistunt.* Altera ad benefaciendum sine meritis: altero ad ius dicendum & discernendum: hoc est ad sciendum reprobare malum & eligere bonum. Et aduerte connexionem. Ait enim Propheta: *cantabo tibi intelligam.* Ac si apertè diceret quòd laudando te, laudando vias tuas, intelligam vias perfectionum per quas ire debeo.

Vers. 2. QVANDO VENIES AD ME. Incipit hic pars executiua tali ordine. Primò tractantur simul gratia & iudicium ad vias perfectionum, quantùm ad dispositionem personæ Dauidis regis. Secundò tractantur eadem simul quantùm ad dispositionem ministrorum regis, ibi, *oculi mei.* Et est inter hæc aduertendum quòd totus tractatus vtriusque partis simul, inchoat à gratia Dei, *quando venies ad me:* & terminatur ad exercendum iudicium exterminando iniquos, *matutinis cædam.* Vt & hinc percipiamus Dei gratiam velut commune principium omnium sequentium anteponi: & iudicium ad disperdendum iniquos de ciuitate Domini, velut vltimum finem totius dispositionis regiæ ad calcem reseruatum. *Gratia, principium: Iudicium finis.* Principium atque radix omnis rectæ dispositionis consequenter scribendæ describitur Dei gratia, determinando tempus rectæ dispositionis tunc fore *quando venies*, quando veniet Deus ad animam: iuxta verbum Domini, *Et ad eum veniemus.* Inquit enim: *Quando venies ad me*, per gratiam, tunc *ibo in perfectione cordis in medio domus meæ.* *Principium rectæ dispositiones.*

Prima recta dispositio à corde incipit. Et est cordis integritas cum Deo: vt quâ nihil in corde admittitur

admittitur contra honorem Dei. Et hoc manifeste in propria domo: quod enim fit in media domo, manifeste fit: ad differentiam eorum quæ occultè fiunt in angulis. Describit autem integritatem cordis manifestam domui: vt eam non solùm exemplarem domui, sed etiam absque omni simulatione intelligeremus: impossibile est enim huiusmodi simulationes latere domesticos: quamuis possint latere alios. Vnde ex hoc quòd manifesta est domui propriæ integritas cordis principis, vera esse comprobatur.

Non ponam. Secunda recta dispositio est negatiua exponendi se periculo iniquè agendi. Quia enim reges superioribus carent, & legibus soluti sunt, magni periculi res agitur cùm proponitur eis libertas agendi quicquid volunt seu possunt. Hoc iniquæ libertatis verbum significatur per verbum *belial*: hoc est, fine iugo, fræno, lege agere Huiusmodi libertatem non solùm recusat exercere, sed disponit non ponere ante oculos: ne posita ante mentis oculos alliciat & trahat ad iniquè agendum.

Volutiones, id est, duplicitates, proditiones.

Facere volutiones. Tertia recta dispositio est abominari duplicitates seu proditiones significatas *volutionum* nomine. Duplicitas enim proditio & huiusmodi eò quòd vertunt vnum in aliud, volutiones appellatæ sunt. *Facere volutiones odiui nec adhærebit in me.* Naturali inclinatione Dauid exosas habebat huiusmodi proditiones. Et propterea non solùm proposuit, non adhærebit in me: sed explanauit congenitum sibi odium talis vitij.

Cor tortum. Quarta recta dispositio est: *Cor tortum recedet à me:* hoc est, etsi quandoque habui non rectum cor (vt fuit in adulterio cum Bersabee & homicidio Vriæ) non tamen perseuerabit mecum, sed recedet à me.

Malum nesciam. Quinta recta dispositio est nescire malum: hoc est, non dissimulare scitum malum, quasi me nesciente illud fiat. Errant enim plerunque principes sciendo malum patrandum, & simulando se nescire approbant illud fieri. Contra quod crimen disponit: *malum nesciam:* hoc est, malum patrandum nesciam dissimulatione approbando.

Detractores quibus aures Principū patent valde nociui.

Accusantem. Sexta recta dispositio est excludere à se detractores: sunt enim valde nociui cùm patent eis aures principum. *Accusantem in abscondito socium suum,* hoc est, detractorem, *ipsum incidam*, à contubernio meo, ab auribus meis.

Celsitudinem oculorum. Septima recta dispositio est carere animo insatiabili: quem describit à celsitudine oculorum & à vastitate cordis. Et intendit per hoc, procul à se abiicere crimen insatiabilis animi: quo principes mentis oculos semper ad celsiora leuant, & cor tam vastum habent vt mundus eis non sufficiat, anhelant ad aliena regna, &c.

Bonæ dispositiones respectu ministrorum.

Vers. 6. OCVLI MEI. Postquam Dauid declarauit dispositiones rectas propriæ personæ quas veniente Deo ad se (hoc est cum diuina gratia) habebit, subiungit modò dispositiones suas rectas respectu ministrorum. Prima est quòd eliget fideles. *Oculi*, inquit, *mei*, non cæco intuitu nec alienâ relatione, sed *oculi mei*, erunt, *in fidelibus terræ*, in iis qui fideles inueniuntur in terra, *ad sedendum mecum*, pro consilio, pro iudicio & aliis publicis negotiis

Ambulans in via perfectionum ipse seruiet mihi. Hæc est secunda conditio ministrorum. Et prima quidem fidelitatem, secunda autem studium ad bonos mores, ad progressum in via virtutum continet: tales enim oportet esse ministros regios, vt & in seipsis virtutibus prædıti cum rege & populo fideliter agant.

Non sedebit in medio domus meæ faciens dolum, loquens mendacium non firmabitur coram oculis meis. Humana electio quantumcunque oculata quandoque fallitur: & si aliquando contingit reges errasse in electione ministrorum, ne videantur errasse sustinent illos: & malunt regimen malum quàm apparere errasse. Contra hoc vitium dicit Dauid quòd nec faciens nec loquens dolum, firmabitur secum. Dicendo *firmabitur*, significat quòd quamuis ascitus fuerit, comperto quòd mendax est non firmabitur. Et dicendo, *non sedebit*, significat quòd quamuis ascitus ingressus fuerit, comperto quòd est dolosus non quiescet sedendo in medio domus meæ regiæ: hoc est in publico officio.

Matutinis cædam. Postremò post tot sanctas dispositiones & personæ suæ & ministrorum, declarat dispositionem suam circa exercitium iustitiæ per se & per alios: quòd disponit matutinis (hoc est, celeriter) cædere, succidere, omnes impios terræ, iudicando eos: *ad faciendum excidi*, per ministros, *de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatis.* Nota rationem: quia indigni sunt operarij iniquitatis ciuitate Domini Deo dicatâ, quæ ad literam erat tunc temporis Hierusalem: quæ erat caput regni, electa à Deo vt coleretur nomen suum ibi. Et specialem fecit mentionem Hierusalem: quoniam specialior cura ciuitatis illius incumbebat Regi: aliæ enim ciuitates suos habebant præfectos.

Quæstio de impunitate Ioab.

Quæstio, quæ hîc mouetur de impunitate Ioab qui interfecit duos principes meliores se: quo pacto scilicet illius impunitas stat cum obseruatione istius scripturæ, *matutinis cædam omnes impios terræ.* Soluitur quòd celeriter puniuit puniens eum quamprimum potuit commodè: & quòd non priùs commodè potuit quàm firmatum esset regnum in semine suo. Et propterea firmato Salomone in regno, mandauit ei vt iustitiam hanc exequeretur: quod & ille fecit. Et sic obseruauit quod hîc scripsit. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Oratio pauperis cùm anxius fuerit,*
& coram Domino fuderit
eloquium suum.

CI.

2 *DOMINE exaudi orationem*
meam : & clamor meus ad te
veniat.
3 *Non auertas faciem tuam à me : in qua-*
cunque die tribulor inclina ad me au-
rem tuam.
In quacunque die inuocauero te : velociter
exaudi me.
4 *Quia defecerunt sicut fumus dies mei :*
& ossa mea sicut cremium aruerunt.
5 *Percussus sum vt fœnum & aruit cor*
meum : quia oblitus sum comedere
panem meum.
6 *A voce gemitus mei : adhæsit os meum*
carni meæ.
7 *Similis factus sum pelicano solitudinis: fa-*
ctus sum sicut nycticorax in domicilio.
8 *Vigilaui : & factus sum sicut passer soli-*
tarius in tecto.
9 *Tota die exprobrabant mihi inimici mei :*
& qui laudabant me aduersum me
iurabant.
10 *Quia cinerem tanquam panem mandu-*
cabam : & potum meum cum fletu
miscebam.
11 *A facie iræ indignationis tuæ : quia ele-*
uans allisisti me.
12 *Dies mei sicut vmbra declinauerunt : &*
ego sicut fœnum arui.
13 *Tu autem Domine in æternum permanes:*
& memoriale tuum in generatione &
generatione.
14 *Tu exurgens misereberis Sion : quia tem-*
pus miserendi eius, quia venit tem-
pus.
15 *Quoniam placuerunt seruis tuis lapides*
eius : & terræ eius miserebuntur.
16 *Et timebunt gentes nomen tuum Domi-*
ne : & omnes reges terræ gloriam
tuam.
17 *Quia ædificauit Dominus Sion : & vide-*
bitur in gloria sua.
18 *Respexit in orationem humilium : & non*
spreuit precem eorum.
19 *Scribantur hæc in generatione altera :*

IVXTA HEBRÆVM.

Oratio pauperi, quando exanimabitur,
& faciebus Domini [4] fundet
eloquium suum.

CII.

1 *Propheta* DOMINE [4] audi oratio-
nem meam : & cla-
meus ad te veniet.
2 Non abscondc facies tuas à me : in
accidentis
die angustiæ mihi inclina ad me
qua
aurem tuam, in die vocabo te, ci-
to responde mihi.
3 Quoniam finiti sunt sicut fumus dies
mei : & ossa mea quasi incendio
adusta sunt.
4 Percussum est quasi herba & aruit
cor meum, quia oblitus sum à co-
medendo panem meum : à voce
suspirij mei adhæsit os meum car-
ni meæ.
5 Assimilatus sum pelicano deserti : fui
quasi nictycorax ruinarum.
6 Solicitaui : & fui sicut passer solus su-
per tectum.
7 Tota die exprobrauerunt mihi ini-
mici mei : insanientes, in me iura-
uerunt.
8 Quia cinerem sicut panem comedi :
& potus meos in fletu meo mi-
scui.
9 A faciebus indignationis tuæ & iræ
tuæ : quia eleuasti me & proiecisti
me.
10 Dies mei quasi vmbra declinata : &
ego quasi herba arescam.
11 Et tu Domine [4] æterno sedebis : &
memoria tui generationi & gene-
rationi.
12 Tu surges, misereberis Sion : quia
tempus ad miserendum eius, quo-
niam venit testificatio.
13 Quoniam voluerunt serui tui lapides
eius : & pulueris eius misere-
buntur.
14 Et timebunt gentes nomen Domi-
ni [4] : & omnes reges terræ hono-
rem tuum.
15 Quia ædificauit Dominus [4] Sion : vi-
sus est in honore suo.
16 Vertit se ad orationem suspirantis :
& non despexit orationem eorum.
17 Scribetur hoc generationi posteræ :
&

& populus qui creabitur laudabit Dominum.

20 *Quia prospexit de excelso sancto suo: Dominus de cælo in terram aspexit.*

21 *Vt audiret gemitum compeditorum: vt solueret filios interemptorum.*

22 *Vt annuncient in Sion nomen Domini: & laudem eius in Hierusalem.*

23 *In conueniendo populos in vnum: & reges vt seruiant Domino.*

24 *Respondit ei in via virtutis suæ: paucitatem dierum meorum nuncia mihi.*

25 *Ne reuoces me in dimidio dierum meorum: in generatione generationum anni tui.*

26 *Initio tu Domine terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cæli.*

27 *Ipsi peribunt tu autem permanes: & omnes sicut vestimentum veterascent.*
Et sicut opertorium mutabis eos & mu-
28 *tabuntur: tu autem idem ipse es & anni tui non deficient.*

29 *Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum in seculum dirigetur.*

&, populus creatus laudabit Dominum.

18 Quoniam prospexit de excelso sanctitatis suæ: Dominus + de cælis ad terram respexit.

19 Ad audiendum suspirium vincti: ad soluendum filios mortis.

20 Ad narrandum in Sion nomen Domini +: & laudem eius in Hierusalem.

21 In congregando populos simul & regna: ad seruiendum Domino +.

22 Afflixit in via virtutem meam: abbreuiauit dies meos.

23 Dicam: Deus meus ne destrue me in dimidio dierum meorum: in generatione generationum anni tui.

24 Initio terram fundasti: & opus manuum tuarum cæli.

25 Ipsi peribunt & tu stabis: & omnes ipsi sicut pannus atterentur, sicut vestimentum mutabis illos & mutabuntur.

26 Et tu ipse es: & anni tui non complebuntur.

27 Filij seruorum tuorum habitabunt: & semen eorum faciebus tuis firmabitur.

COMMENTARIVS.

Titulus est, *Oratio pauperi, quando examinabitur & faciebus Domini fundet eloquium suum.* Psalmus iste appellatur *Oratio:* quia per modum orationis conditus est. Et est quartus Psalmus habens orationis titulum. *Pauperi* verò (hoc est, indigenti) appropriatur, nec determinatur cui: sed qualitas indigentiæ aperitur *quando exanimabitur*, hoc est, velut semianimis cadet. In quo paupertas istius significatur paupertas animi: sicut quando aliquis collabitur semianimis præ dolore vel timore, &c. defectus animi significatur. Per reliquum autem recursus ad Deum ex intimo & pleno corde significatur: fundere enim eloquium suum ante faciem Domini, ex plenitudine cordis ad Deum prouenit.

Materia. Ex quibus simul iunctis non apparet materia Psalmi, nisi in genere, quandiu nescitur quis sit iste pauper semianimis recurrens ad faciem Dei. Paulus Apostolus ad Hebr. 1. tradit quòd vltima pars istius Psalmi tractat de diuinitate Messiæ: affert enim ad hoc illos in calce Psalmi versiculos: *Initio tu Domine terram fundasti*, &c. Vnde hinc ordiendo oportet consequenter dicere Psalmum hunc tractare de aduentu Messiæ. Et huic sensui facile consentit Psalmus ab vndecimo versiculo & deinceps: quoniam tractat manifestè de diuina miseratione & ædificatione Siō cum conuentu & timore omnium regum & gentium: hæc enim spectare ad tempus Messiæ constat. Sed hinc adhuc non apparet quis sit iste pauper qui tot malis afflictus describitur vsque ad versiculum vndecimum.

Consentaneum autem rationi est vt vniuersali saluatori vniuersalis miseria subleuanda proponatur: quia causæ vniuersali respondet effectus vniuersalis: ac per hoc Messiæ saluatori humani generis, miseria humani generis propulsanda offeratur. Ita quòd pauper iste in titulo nominatus & vsque ad vndecimum versiculum descriptus est humanum genus subiectum multis miseriis, præcipuè animi: & propterea semianimis describitur. *Pauper iste est humanum genus.* Et quamuis vniuersum genus humanum indigens ac semianime sit: quia tamen non omnes recurrerunt ad Deum, sed isti pro se & toto humano genere expectabant Messiam rogando Deum pro illius aduentu, ideo ad differentiam non recurrentium ad Deum nec expectantium aduentum Messiæ dicitur in titulo: *quando fundet eloquium suum coram Domino.* Ac si apertè diceret quòd Psalmus iste est oratio humano generi pauperi quando recurret ad faciem Dei: hoc est suspiranti ad aduentum Messiæ.

SVMMARIVM EST.

Propheta miserias humani generis plorans, supplex recurrit ad Deum: & prædicit non solùm surrecturum Deum ad miserendum reliquiarum Sion cum timore diuini nominis ac honoris apud gentes & reges omnes, sed prospecturum de cælis ad terram ad audiendum suspirium vinctorum, ad soluendos filios mortis, ad annunciandum in Sion vt

vt congregentur omnia regna ad seruiendum Deo: cum afflictione & abbreuiatione vitæ confitentium diuinitatem Messiæ, quorum semen coram Deo firmabitur.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. DOMINE AVDI. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *quoniam finiti sunt*. Proponit tria, scilicet. orationem, angustiam, & vocationem suam. *Domine audi*, pro exaudi, *orationem*, mentis eleuationem ad te, *meam: & clamor meus*, non oris, sed affectus, *ad te veniet*. Deprecatiuè vtitur futuro, ex fiducia affirmans quòd magnitudo affectus sui veniet vsque ad Deum: humano more loquitur. *Non abscondas faciem tuam à me*. Alibi dixit, *auerte faciem tuam à peccatis meis*: hîc supplicat, *non abscondas faciem tuam à me*, creatura tua. Pauper indignus habetur facie principis: multi enim principes si occurrat pauper clamaturus, afflictus. abscondunt faciem suam ab eo, diuertendo vultum aliò: vel si locus permittit, retrahunt se à fenestra vel huiusmodi. Et propterea hîc pauper clamans, &c petit à supremo principe: *ne abscondas faciem tuam à me*.

Pauper indignus habetur facie Principis.

In die angustiæ mihi inclina ad me aurem tuam. Ecce secundum propositorum, dies angustiæ accidentis mihi: nec sufficit videri à principe, sed petit audiri tempore angustiæ. Humiliter autem petit, dicendo: *Inclina*, flecte, *aurem tuam*, ad audiendam pauperis angustiam.

In die vocabo te. Ecce quod tertiò proponit cum tanta fiducia vt temeritas videatur. *In die*, qua *vocabo te, citò responde mihi*. Verè temeraria esset petitio nisi diuina gratia tantam homini præstitisset fiduciam vt audeat petere: quacumque die vocabo te citò responde mihi: ac si Deus ad nutum se homini præstiterit. Et significatur per hoc differentia inter statum noui & veteris Testamenti. In nouo enim Deus respondet operè beatitudinis, quacumque die vocatus fuerit meritis iustorum morientium: in veteri autem quantumcunque merita Patriarcharum & Prophetarum clamarent, semper distulit respondere, semper distulit beare: nullus enim ante Christi mortem fuit beatus.

In nouo Testam. te Deus citò respōdet, in veteri non item.

Vers. 3. QVONIAM FINITI SVNT. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *in die angustiæ*. Secundò illa, *Domine audi orationem meam*, ibi, *& tu Domine*. Tertiò illa, *non abscondas faciem, inclina aurem*. ibi, *scribetur hoc*. Quartò illa, *in die vocabo te*, ibi, *afflixit in via*.

Tractando itaque angustias humanas inchoat à prima, scilicet temporalitate vitæ: prima enim pœna quam incurrit homo fuit priuatio perpetuæ vitæ: iuxta illud: *In quacumque die comederis, morte morieris*: hoc est, necessitatem moriendi incurres. *Quoniam finiti sunt sicut fumus dies mei*. Inter dies perpetuos & eos qui finiuntur hæc est differentia, quòd isti quanto magis protenduntur tanto magis desinunt: & propterea assimilantur fumo, qui quanto magis protenditur tanto magis desinit. Perpetui autem dum protenduntur non desinunt: quoniam semper supersunt perpetui. Nos autem experimur quòd continuò nati desinimus esse: quilibet enim dies quo viuimus subtrahitur durationi futuræ.

Fumus quāto magis protenditur, tāto magis desinit: tales sunt dies nostri.

Et ossa mea quasi incendio adusta sunt: hoc est, firmitates vitæ meæ sicut ea quæ ardendo aduruntur desierunt: dum naturale humidum à contrariis quasi in incendio positum consumitur. Et hæc duo (scilicet temporalitatem vitæ & consumptionem vitæ naturalis) mutuò se inferre in nostra vita experimur. Et licet sit vna pœna totalis comprehensa sub necessitate moriendi, distinguitur tamen in has duas partes: vt intelligamus etiam id temporis quod viuimus, malè viuere: vtpote velut in incendio. Significantius autem dicit *ossa*: ad denotandum quòd hæc consumptio non conuenit nobis à principio vitæ (quia tunc vegetamur, augemur & perficimur) sed postquam perfecta sunt ossa, post ætatem consistentiæ. Et sic dimidium vitæ nostræ in consumptione positum est: & totum tempus nostrum in desitione.

Miseria vitæ nostræ.

Percussum est quasi herba & aruit cor meum. Tertia miseria hominis describitur perditio viroris animi ad similitudinem herbæ percussæ ab æstu solis & arefactæ. Perdidit siquidem homo virorem animi: non enim viret voluntas (per cor significata) in affectu boni: sed velut arida est, destituta virore originalis iustitiæ, & percussa ab æstu sensualitatis: vt continua experientia testatur.

Quia oblitus sum à comedendo panem meum. Quarta miseria quæ est ratio tertiæ, & spectat ad intellectum. Miser homo non solùm non vescitur pane suo, pane non communi sibi & brutis, sed pane suo, sibi proprio, veritate doctrinæ: sed (quod peius est) oblitus est comedere panem veritatis. Progressu enim temporis non multò post peccatum primi hominis, vsque adeò desueuit homo vesci veritate vt obliuioni tradiderit cibare seipsum veritate: plenus fuit enim mundus fabellis, idololatriis, corruptis moribus: & breuiter assuetus est pani communi nobis & brutis.

A voce suspirij mei. Quinta describitur miseria peruersi ordinis quo caro regit spiritum, quo carnalis appetitus dominatur spiritui. Hanc enim peruersitatem significat *adhæsit os meum carni meæ*: naturalis siquidem ordo est vt caro adhæreat ossi, vt ossa sustentent carnem: iste autem conqueritur quòd ossa adhærent carni, quòd ossa sustentantur in carnibus. Quod metaphoricè denotat solidiorem hominis partem quæ est mens & ratio, adhærere inferiori & fluidæ parti quæ est appetitus sensibilium & temporalium bonorum, ita quòd sustinetur ab illa. Huius autem peruersi ordinis ratio redditur non ab appetitu boni delectabilis, sed à fuga mali contristantis: dum dicitur, *à voce suspirij mei*. Quia communius est humano generi peruersum hunc ordinem habere fugiendo malum non quàm appetendo delectabile: multi enim non sequentes delectabilia sed fugientes tristia, in hanc inciderunt peruersitatem: vt clarè patet.

Carnalis appetitus ordine peruerso dominatur spiritui.

Assimilatus sum pelicano deserti. Sexta hominis miseria describitur in studiis humanis trifariam diuisis. Vbi nota sic esse ordinandum literam. Solicitaui, assimilatus sum pelicano deserti. Rursus solicitaui, *fui quasi nycticorax ruinarum: solicitaui, & fui sicut passer solus super tectum*. Per *solicitudinem* manifestè significatur studium humanum. Per triplicem autem comparationem tres humani studij partes. Prima respectu posteritatis per comparationem ad pelicanum. De quo Hieronymus ad

Tres similitudines humani studij.

Præsi

1. Pelicani. Præsidium dicit quòd cùm filios suos à serpente occisos inuenit, luget, & se suáque latera percutit: & de sanguine excusso ad latera, mortuorum corpora reuiuiscunt. Et dicitur Pelicanus auis Ægyptia, similis cygno, habitans in solitudinibus: ad differentiam Pelicani aquatici. Vnde ex hac similitudine significatur illorum hominum studium qui tanto se labore cruciant pro posteritate sua Et hæc humana miseria tam frequens est vt non egeat teste.

2. Nycticoracis.

Secunda pars est humani studij circa scientiam, significata per similitudinem ad *nycticoracem ruinarum:* qui dicitur nocturnus coruus, non die sed nocte volans: manifestè significans intellectum animæ nostræ similem noctuæ: vtpote impotentem videre intelligibilia clarè. Et aptè describitur *ruinarum:* quoniam inter ruinas intelligibilium (hoc est, inter res sensibiles, fluxas, ruentes, &c) versatur intellectus noster.

3. Passeris.

Vltima demum pars humani studij (quæ est circa honorem, gloriam & similia vana) significatur per assimilationem ad *passerem solum super tectum. Solum* quidem tanquam non curam habeat posteritatis suæ. *Super tectum* autem, tanquam in celsitudine honoris seu gloriæ commorantem, & ibidem volando tanquam spectaculum se præbendo aliis, tempus consumentem. Vbi manifestè vides describi humanum studium erga honores.

Et nota quòd omnia humana studia sunt assimilata non animalibus gressibilibus aut piscibus, sed volatilibus: eâ ratione quia humano ingenio congenitæ sunt alæ, quibus possit ad superiora, ad veram & æternam felicitatem studium suum eleuare: sed ipsum alis suis vtitur ad has miserias.

Tota die exprobrauerunt mihi. Septima miseria hominis describitur quòd homo homini exprobrat bonum: ita quòd boni odio habentur & persecutionem etiam patiuntur, quia vacant veræ pœnitentiæ, quia recognoscunt Deum, &c. Hæc miseria (quam vtinam non videremus) describitur. *Tota die*, continuè, *exprobrauerunt mihi*, colenti Deum, *inimici mei*, interno odio: *insanientes*, quorum infinitus est numerus, *in me iurauerunt*, contra me firmauerunt animum etiam iurando, tanquam arbitrantes se benefacere.

Cineris status pœnitentialis tegitur.

Quia cinerem. Ecce ratio inimicitiæ & exprobrationis: *quia cinerem sicut panem comedi.* Appellatione cineris intellige statum pœnitentialem, in luctuoso cinere solitum describi. Et est sensus, quia paui me statu pœnitentiali sicut homo libenter vescitur pane. *Et potum meum in fletu meo miscui*, delectationes meas temperaui fletu sicut qui temperaret potum vini lachrymis. Et hoc non vanè, non frustrà: sed *à faciebus indignationis tuæ*, ob culpam meam, *& iræ tuæ*, iustitiæ tuæ. Vniuersæ siquidem hæ miseriæ sunt generi humano & naturales & pœnales: naturales quidem quia comitantur naturam sibi derelictam: pœnales autem quia ex propria culpa meruit primus homo naturam humanam relinqui sibiipsi. Et propterea culpæ suæ & iustitiæ diuinæ illas tribuit quatenus pœnales. Vnde & subdit: *quia eleuasti me & proiecisti me.* Metaphorâ vtitur, sumptâ à re in excelsum eleuatâ & inde proiectâ: cuius casus eò peior est quò excelsiori loco

Casus hominis.

proiicitur. Iuxta hanc similitudinem dicit homo Deo: *Eleuasti me*, ex puris naturalibus in celsitudinem status originalis iustitiæ, *& proiecisti me*, & eleuatum proiecisti (subintellige ob culpam meam) in inferiorem statum quàm puræ naturæ: vt experimur.

Dies nostri vmbra quàm bellè comparantur.

Dies mei quasi vmbra declinata. Præter superiùs dictam miseriam temporalitatis, altera nunc miseria temporis vitæ humanæ describitur, scilicet quòd dies vitæ apparent longiores cuilibet quàm ipsius natura sustineat. Et hoc experimur: dum omnes putamus dies nostros diuturniores, & nemo sit tam senex qui non putet annum se posse viuere. Hæc miseria explicatur ex assimilatione durationis vitæ ad vmbram declinatam. Videmus enim ad sensum quòd vmbra declinata valde longior est quàm corpus cuius est sit: vmbra siquidem hominis per parum spatij ante solis occasum (quæ vocatur vmbra declinata) est vmbra centum cubitorum quodammodo, & tamen homo cuius est vmbra, paruulum est corpus. Similes quippe vmbræ declinatæ sunt dies vitæ nostræ: qui apparent nobis valde longi, & tamen in intrinseco vitæ parum temporis superest viuendi.

Vnde & radicem non respondentem tantæ & tali apparentiæ subiungit. *Et ego quasi herba arescam.* Ac si apertè diceret: Dies mei videntur longiores, & tamen ego sicut herba arescam: hoc est in breui moriar, sicut herba breuissimo tempore arescit percussa modico æstu. Hæc de humanis miseriis.

Vers. 11. Et tu Domine. Tractatur hîc illa particula, *Domine audi orationem meam*, &c. declarando exaudiendam orationem eius in aduentu Messiæ. *Et tu Domine æterno sedebis.* Inchoat ab æterna Dei quiete: vt describat eundem esse Deum quem & Messiam. *Et memoria tui generationi & generationi*, non solùm tu in æternum regnas: sed memoria tui nulli defutura est generationi. Et dixit hoc, vt describeret Deum non propter aliquam suam indigentiam missurum Messiam.

Aduentus Messiæ.

De cuius aduentu subdit: *Tu surges*, qui modò videris dormire, vel etiam, tu surges à mortuis, *misereberis Sion*, hoc est, colentium te Iudæorum: à loco cultus significauit colentes: *quia tempus ad miserendum eius*, Sion (*At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum*, &c. inquit Apostolus) quia tempus definitum à te *ad miserendum eius*, supple venit: *quoniam venit testificatio*, hoc est, tempus Messiæ testificatum à Prophetis.

Quoniam voluerunt serui tui, Apostoli, *lapides*, viuos, *eius*, Sion: *& pulueris eius*, Sion, *miserebuntur.* Reddit rationem miserendi Sion (hoc est, saluandi Iudæos) ex affectu seruorum Dei ad hoc anhelantium in aduentu Messiæ vt salui fierent Iudæi: iuxta illud: *Vobis oportebat prædicari primum regnum Dei.* Et rursus: *Vobis verbum salutis huius missum est.* Et Paulus ad Roman. 11. *Si quomodo ad æmulandum prouocem carnem meam, & saluos faciam aliquos ex illis*, scilicet Iudæis. Loquitur autem hîc de Sion metaphoricè tanquam destructa cuius lapides & puluis remanserint: præuidens populum Iudæum velut destructum in reliquiis saluandum. Rom. 11.

Et timebunt gentes, quæ modò sunt idololatræ, *nomen tuum: & omnes reges terræ honorem tuum.* Iunge hæc duo simul (scilicet salutem reliquiarum Sion per lapides & puluerem desi-

gnatarum, & quòd omnes reges terræ timebunt honorem Christi) & videbis quòd de glorioso Messiæ aduentu non de primo est ad litteram sermo: quando si *fuerit numerus Israël tanquam arena maris, reliquiæ saluæ fient*: vt dicitur ad Rom. 10. ex Esaia: quando omnes reges terræ timebunt Christum honoratum, hoc est, gloriosum.

Rom. 10.

Ædificium Sionis ex viuis lapidibus.

Quia ædificauit Dominus Sion. Non potest de corporeo ædificio hoc intelligi: quia nulla est, fuit aut erit ædificatio materialis Sion in qua omnes reges terræ timebunt honorem Messiæ. Sed de ædificatio spirituali Sion ex viuis lapidibus: iuxta illud ad Hebr. 12. *Accessistis ad Sion montem & ad ciuitatem Dei viuentis Hierusalem cælestem.*

Hebr. 12.

Visus est in honore suo. Quantùm ad aliquos adimpletum est hoc infra tempus Resurrectionis & Ascensionis: in quo decies visus est Christus in honore immortalitatis suæ. Simpliciter autem & absolutè in secundo verificabitur aduentu: quando vniuerso mundo apparebit in honore maiestatis suæ.

Vertit se ad orationem suspirantis, humani generis: *& non despexit orationem eorum.* Vbi vides suspirantis pauperis orationem auditam & ingressam ad penetralia Dei.

Vers. 17. SCRIBETVR HOC. Tractatur hîc illa particula, *ne abscondas faciem tuam, inclina aurem tuam*: describendò primum Christi aduentum. *Scribetur hoc*, de aduentu Messiæ, *generationi posteræ*: quod impletum est & per Prophetas & per Euangelistas: *& populus creatus*, per regenerationem baptismi, *laudabit Dominum. Quoniam* (ecce ratio) *prospexit de excelso sanctitatis suæ*, de seipso, de sua deitate: *Dominus de cælo ad terram respexit.* Ecce quòd non abscondit faciem suam: sed *respexit ad terram*, ad terrenos homines, cùm Verbum caro factum est.

Humanum genus vinctum.

Ad audiendum suspirium vinctî. Ecce inclinauit aurem suam ad audiendum suspirium humani generis, vincti pœnâ peccati in limbo, vincti nexibus peccatorum in mundo: *ad soluendum filios mortis*, hoc est, merentes mortem, damnandos ad mortem. *Omnes* enim *naturâ eramus filij iræ & mortis.* Hi sunt effectus ad quos venit Messias.

Ad narrandum in Sion nomen Domini, & laudem eius in Hierusalem. (*Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israël.*) Et propterea officium prædicationis Euangelicæ primò describitur in Sion & Hierusalem.

In congregando pauperes simul. Aduerte prudens lector quòd *in congregando* est Gerundiuum passiuum: significans efficaciam prædicationis Euangelicæ extensæ ad mundum, esse congregari populos simul *& regna ad seruiendum Domino. Congregari* intellige non vnitate loci, sed vnitate Ecclesiasticæ charitatis, *ad seruiendum* non homini, sed *Domino.* Hæc spectare ad primum Christi aduentum clarè patet: cointelligendo primo aduentui tempus Euangelicæ diuulgationis.

Status Christianus tripliciter describitur.

Vers. 22. AFFLIXIT IN VIA. Tractatur hîc illa particula, *in qua die vocabo te, citò responde mihi*: describendo statum Christianum tripliciter. Primò quantùm ad passionem, ne crederemus quòd per aduentum Messiæ homines liberi fierent ab afflictionibus & passionibus, & quod in secundo promittitur Messiæ aduentu intelligeremus adimplendum in primo, describit Propheta statum noui Testamenti plenum afflictionibus.

Afflixit, Messias, *in via*, Christiana, *virtutem meam*, robur meum naturale: (*Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*: Et *eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum*:) *abbreuiauit dies meos*: vt patet in multis Martyribus.

Dicam, patiens & afflictus & moriens Messiæ. *Deus meus ne destruas me in dimidio dierum meorum.* Oratio est naturalis affectus remanentis in Christiano statu: eodem siquidem affectu Martyres hîc orant quo Christus, *Pater si possibile est transeat à me calix iste*: quo nolumus expoliari sed superuestiri. Et induxit hunc affectum viuendi & refutandi mortem in sequacibus Messiæ Propheta: ne putares quòd afflictiones non sentirent, quòd mors eis non displiceret: vt tanto laudabilior monstretur eorum passio, quantò magis contrariam illam sentiunt naturali affectui: profitenti illam sibi displicere, subijciendo tamen totum diuino beneplacito. Ad vtrumque enim significandum dicitur: *dicam Deo*, non sequar ego affectum fugientem mortem, sed submittam Deo illum appetentem, *ne destruas me in dimidio dierum meorum.*

In generatione. Describitur secundò status Christianus quoad professionem fidei in præcipuo articulo, scilicet diuinitatis Messiæ. Et inducitur vt professio afflicti populi: ita quòd *dicam Deo*, referetur non solùm ad submissionem naturalis appetitus, sed ad subiunctam fidei professionem.

Diuinitatem Christi à tribus profitetur.

Profitetur itaque diuinitatem Christi à tribus. Primò ab æternitate. *In generatione generationum anni tui.* Generationes quippe omnes temporales sunt: idémque est dicere *in generatione generationum* ac dicere *in generatione temporum.* Generatio temporum ab æternitate est: iuxta illud Boëtij *Qui tempus ab æuo Ire iubes.* In æternitate ergo à qua proficiscuntur tempora, annos Messiæ profitetur.

Initio terram fundasti. Secundò declarat diuinitatem Christi à creatione mundi. *Initio* (*in principio creauit Deus cælum & terram*) *terram fundasti*, à fundamentis creasti, seu fundamentum mundi posuisti: est enim terra in infimo mundi loco: *& opus manuum tuarum*, non mediante alienâ manu, *cæli*, hoc est corpora cœlestia. Per quod patet quòd Messias est idemet Deus qui creauit mundum.

Ipsi peribunt. Declarat tertiò diuinitatem Messiæ ab immutabilitate: describendo eius immutabilitatem ex negatione trium generum mutationis inuentorum in vniuerso corporeo. *Ipsi peribunt*, mutatio substantialis tangitur: attribuendo eam cælis ratione cælorum inferiorum: qui corrumpuntur substãtialiter modò secundùm vnam partem & modò secundùm aliam, & excludendo eam à Messia quatenus Deo, dicendo *& tu stabis.*

Cæli inferiores corruptibiles.

Et omnes ipsi sicut pannus atterentur. Tangitur motus alterationis ab intrinseco, qui inter omnia inanimata manifestè apparet in panno: dum ex seipso atteritur, veterascit. Et de iisdem dicitur quòd atterentur quasi pannus: quoniam habent in se vnde alterentur. Quo contra ad Messiam subdetur: *& anni tui non complebuntur.* Quæ enim veterascunt, eorum anni tandem finiuntur: Deus autem omnis alterationis expers, annos habet indeficientes. Et sub hac mutatione

compre

comprehenditur etiam mutatio secundùm augmentum & decrementum: quæ sine alteratione fieri nequit: & propterea contraposuit, *anni tui non deficient*: vt omnis decrementi expertem significaret.

Mutatio communis etiam cœlis superioribus. Sicut *vestimentum mutabis eos & mutabuntur.* Mutatio localis tangitur: quâ solâ mutamus vestimenta ad nutum, nullâ mutatione secundùm qualitatem, quantitatem, aut substantiam interueniente. Et hæc mutatio communis est etiam superioribus cœlis. Quo contra ad Messiam dicitur: *Et tu ipse*, hoc est, tu sine omni varietate. Adiectio enim pronominis *ipse* ad pronomen *tu*, ad varietatis exclusionem significandam inducta est: quia si aliquid varietatis haberet, minus ipse esset: quantum enim res aliqua varietatis sapit, tantum à seipsa recedit.

Inter quæ nota prudens lector, quòd Propheta exclusis his tribus generibus mutationum à Messia, eum verum Deum omnino immutabilem depinxit: quia sub his tribus generibus omnes mutationes comprehenduntur. Ante quoque descripsit priores mutationes sine auctore (*ipsi peribunt, sicut pannus atterentur*) motum autem secundùm locum descripsit cum auctore Deo: quia mutationes illæ insunt rebus ex necessitate materiæ: motus autem localis ab ipso Deo in corporibus seruatur cœlestibus ad vitam inferioris mundi. Vnde & à Philosophis primus motor appellatur.

Status Christianus quoad durationem. *Filij seruorum.* Describitur postremò status Christianus quoad durationem: *Filij*, per Euangelium geniti, *seruorum tuorum*, quorum abbreuiati sunt dies per martyrium, *habitabunt*. Electi relati ad temporalia bona non habent hîc manentem ciuitatem aut domum in qua habitent, sed peregrinantur: relati autem ad spiritualia bona, habitant in domo Dei quæ est Ecclesia: non enim sunt *hospites & aduenæ, sed ciues sanctorum & domestici Dei.* Et propterea ex hac parte describuntur habitantes. *Et semen eorum coram faciebus tuis firmabitur.* Magna firmitas coram Messia definita est, dicendo: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi.* Matth. 28. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *David.*	Dauidi.
CII.	CIII.
BENEDIC anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius.	1 *Propheta.* BENEDIC anima mea Dominum [4]: & omnia interiora mea nomen sanctitatis eius.
2 *Benedic anima mea Domino: & noli obliuisci omnes retributiones eius.*	2 Benedic anima mea Dominum [4]: & ne obliuiscere omnium retributionum eius.
3 *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.*	3 Ipse ignoscens cunctis iniquitatibus tuis: ipse medens omnibus ægritudinibus tuis.
4 *Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia & miserationibus.*	4 Ipse redimens de fouea vitas tuas: ipse coronans te gratia & misericordiis.
5 *Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.*	5 Ipse satians in bono ora tua: innouabuntur sicut aquila adolescentiæ tuæ.
6 *Faciens misericordias Dominus & iudicium: omnibus iniuriam patientibus.*	6 Faciens iustitias Dominus [4] & iudicia: cunctis oppressis.
7 *Notas fecit vias suas Moysi: filiis Israel voluntates suas.*	7 Notas fecit vias suas Moysi: filiis Israël opera sua.
8 *Miserator & misericors Dominus: longanimis & multum misericors.*	8 Misericors & gratiosus Dominus [4]: longus furorum & multæ gratiæ.
9 *Non in perpetuum irascetur: neque in æternum comminabitur.*	9 Non sempiterno litigabit: & non æterno seruabit.
10 *Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.*	10 Non secundùm peccata nostra fecit nobis: & non secundùm iniquitates nostras retribuit super nos.
11 *Quoniam secundum altitudinem cæli à terra: corroborauit misericordiam suam super timentes se.*	11 Quoniam secundùm altitudinem cœlorum supra terram: roborata est gratia eius super timêtes eum.

12 *Quantum distat ortus ab occidente: longè fecit à nobis iniquitates nostras.*

13 *Quomodo miseretur pater filiorum mi-*
14 *sertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum.*
Recordatus est quoniam puluis sumus:
15 *homo, sicut fœnum dies eius, tanquam flos agri sic efflorebit.*

16 *Quoniam spiritus pertransibit in illo & non subsistet: & non cognoscet amplius locum suum.*

17 *Misericordia autem Domini ab æterno & vsque in æternum: super timentes eum.*

18 *Et iustitia illius in filios filiorum: iis qui seruant testamentum eius.*
Et memores sunt mandatorum ipsius: ad faciendum ea.

19 *Dominus in cœlo parauit sedem suam: & regnum ipsius omnibus dominabitur.*

20 *Benedicite Domino omnes Angeli eius, potentes virtute: facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius.*

21 *Benedicite Domino omnes virtutes eius: ministri eius qui facitis voluntatem eius.*

22 *Benedicite Domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius benedic anima mea Domino.*

12 Sicut longitudo orientis ab occidente: elongare fecit à nobis rebelliones nostras.

13 Sicut miserendo pater super filios: misertus est Dominus + super timentes se.

14 Quoniam ipse nouit pronitatem nostram: recordatus est quia puluis (sumus) nos.

(sic est)
15 Homo, quasi herba dies eius: sicut flos campi sic florebit.

(est)
16 Quia spiritus transiuit in eo, & non (homo) ipse: & non cognoscet eum (spiritum) amplius locus eius.

17 Et gratia Domini + à seculo & vsque seculum super timentes eum: & iustitia eius filiis filiorum

18 Custodientibus pacti eius: & recordantibus mandatorum eius ad faciendum ea.

19 Dominus + in cœlis stabiliuit thronum suum: & regnum ipsius in omne dominatum est.

20 Benedicite Domino + Angeli eius, fortes roboris: facientes verbum eius ad audiendum in voce verbi eius.

21 Benedicite Domino + omnes exercitus eius: ministri eius facientes voluntatem ipsius.

22 Benedicite Domino + omnia opera eius: in omnibus locis potestas eius, benedic anima mea Dominum.

COMMENTARIVS.

Materia. TItulus est, *Dauidi*. Ex quo iuncto progressui Psalmi, non apparet materia Psalmi, nisi quantùm ad hoc quòd Dauid excitat animam suam ad laudandum Deum. Verùm Psalmus ipse manifestè præ se fert materiam Psalmi esse excitationem animi Dauidis ad laudandum Deum, tum pro beneficiis specialiter collatis, tum pro beneficiis diuinis populo Israelis collatis, tum demum pro diuino beneficio vniuersalis regiminis totius mundi.

Hanc esse ad literam materiam Psalmi, quoad primam & tertiam partem probatione non eget. Quoad mediam verò ex eo patet quòd clarè post propria ipsi Dauidi beneficia, nominat beneficia collata Moysi & populo Israel: & deinceps seipsum connumerat, dicendo & repetendo pronomen *nobis, nostra, nos*, vt hinc intelligeremus quòd de illis loquitur quorum ipse est vnus: hoc est de filiis seu populo Israel.

SVMMARIVM EST.

D*Auid excitat animam suam ad laudandum Deum: tum ob ei præstita beneficia sex scilicet veniæ, medicinæ, vitæ, coronæ, satietatis, & renouationis. Tum ob populo Israel præstita beneficia quatuor: scilicet iustitiæ, reuelationis, veniæ, & firmitatis. Tum ob beneficium vniuersalis regiminis mundo præstitum: ob quod etiam Angelos ad diuinam laudem inuitat.*

Persona loquens Propheta est.

BENEDIC. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *ipse ignoscens*. Proponit repetitam excitationem animæ propriæ ad duo: ad laudandum Deum, & ad non obliuioni tradendum retributiones Dei. *Benedic*, benedictione laudis, *anima mea Dominum: & omnia interiora mea*, intellectus, voluntas, cogitatio & cæteræ animi vires, *benedicite nomen sanctitatis eius*, non solum ipsum sed *VERS. 1.*

sed nomen eius laudate. *Benedic*, iterum, *anima mea Dominum*: non solùm exaggerantis est, sed insinuantis aliam materiam laudis. *Et ne obliuiscere omnium retributionum eius*, misericordiæ, iustitiæ, gratiæ, longanimitatis.

Vers. 3. IPSE IGNOSCENS. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *Benedic anima mea Dominum*, &c. Secundò illa, *ne obliuiscere omnium retributionum eius*, ibi, *faciens iustitias*. Tertiò illa repetitio, *benedic anima mea Dominum*, ibi, *Dominus in cœlo*.

Benedicit Deum ob sex beneficia ei collata. Reddit itaque Dauid rationem quare anima sua & intima sua debent benedicere Dominum, à sex beneficiis diuinis ei collatis. *Ipse ignoscens cunctis iniquitatibus tuis.* Ecce beneficium *1. Venia peccatorum.* veniæ peccatorum, non aliquorum sed omnium: Impium siquidem est dimidiam à Deo sperare veniam.

Ipse medens omnibus ægritudinibus tuis. Secundum medicinæ beneficium. Quod de infirmi- *2. Medicina.* tatibus animi intelligendum est, si proprius est sermo, nam de infirmitatibus corporis non est verificatum: quia Dauid cùm non excederet septuagesimum ætatis annum, infirmus corpore comprobatur, ex eo quòd homo militaris robustus cùm cooperiretur pannis non calefiebat: vt patet in principio tertij Regum: & tamen erat etiam in regione satis temperata. Sed infirmitates animi (iræ scilicet & aliarum passionum) dicit medicatas à Deo.

3. Vita. *Ipse redimens de fouea vitam tuam.* Hoc tertium beneficium verum est de vita corporis, ex eo quòd pluries fuit ferè in fouea sepulchri tempore persecutionis à Saule. Et ideo dicitur redemptus de fouea, tanquam ereptus de sepulchro, dum saluatus est de periculo mortis.

4. Corona. *Ipse coronans te* (quartum describitur beneficium regni: quo scilicet factus est rex) *gratia*, non ex propriis meritis, & misericordiis, hoc est, non solum sine meritis sed etiam subleuando à multis miseriis: vt enim patet in sacra historia, Dauid multis fuit subiectus miseriis antequam esset rex.

5. Affluentia bonorum. *Ipse satians in bono ora tua.* Quintum beneficium affluentiæ bonorum est vsque ad satietatem non vnius appetitus sed omnium appetituum: & propterea dixit *ora tua*, à similitudine multiplicati oris multiplicem appetitum significans. Quod ad literam adimpletum est assecuto regno: nam & honores, delectationes & victorias, diuitias & reliqua temporalia, & nihilominus bona spiritualia habuit affluenter.

6. Renouationis. *Innouabuntur sicut aquila adolescentia tua.* Sextum beneficium describitur recuperationis deperditæ adolescentiæ. Ad literam Dauid consumpserat adolescentiam suam in angustiis plurimis, profugus, &c. à facie Saul, & propterea inter alia beneficia assecuta cum regno computat beneficium restaurandæ adolescentiæ, quoad qualitatem victus, quoad accidentia animi, quoad iucunditatem, &c. Et ad hoc affert similitudinem aquilæ: quæ reparat tempus quo afflicta est, propter rostrum nimis aduncum non valendo sumere necessarium cibum. Aiunt enim ipsam deponere aduncitatem rostri allidendo ad petram, & sic reparare tempus afflictionis præteritæ, sumendo cibum restaurantem totius perditi. *Adolescentia* in plurali numero dicitur: quia caret singulari in Hebræo.

Vers. 6. FACIENS IUSTITIAS. Tractatur hîc illa particula, *ne obliuiscere omnium retributionum eius*. Post excitatum animum ad diuinam laudem ratione propriorum, auget extendendo rationem ad diuina beneficia communia sibi & toti populo Israel. Et inchoat à tempore Moysi: quoniam tunc inceperunt filij Israel esse populus liber.

Primum itaque beneficium collatum populo, describitur liberatio de Ægypto sub specie iudicij & iustitiæ contra Ægyptios pro filiis Israel oppressis. Et dicit pluraliter *iudicia & iustitias*, propter multas sententias datas & multas executiones factas contra Ægyptios. Et quoniam non inducuntur hîc hæc nisi vt beneficia præstita filiis Israel, ideo dicitur *Deus faciens iudicia & iustitias oppressis cunctis*: quia nullus remansit filiorum Israel cui hoc beneficium non fuerit collatum. *Diuina beneficia communia sibi & toti populo.*

Notas fecit. Secundum beneficium populo præstitum describitur bipartitum: scilicet in donationem legis quâ manifestantur viæ Dei. Et hoc præstitum est populo mediante Moyse. Et propterea dicitur *notas fecit vias suas Moysi*. Et in demonstrationem mirabilium operum: in transitu maris rubri, in cibo mannæ, in eductione aquæ de petra, &c. & propterea dicitur *filiis Israel opera sua*: huiusmodi enim opera oculatâ fide filij Israel cognouerunt.

Misericors & gratiosus Dominus, longus furorum & multæ gratiæ. Tertium beneficium diuinum populo collatum describitur consistens in venia peccatorum, tali ordine. Primo conditiones Dei erga populum Israel peccantem in deserto, describit à quatuor. *Misericors*, voluntatis affectu, *& gratiosus*, passiuè, *Dominus*: humano enim more describit Deum intùs in corde misericordem, & extrà in vultu gratiosum: ad differentiam eorum qui etsi intus sunt misericordes, exteriùs tamen præ se ferunt seipsos seueros, turbatos. Et significatur per hoc quòd Deus præbet fiduciam peccatoribus ad se recurrendi: sicut homo gratiosi vultus allicit alios ad veniendum ad se, ad petendum à se. *Longus furorum*, hoc est, tardus ad iram humano more significatur: non enim punit peccatores statim vt peccant, sed protrahit in longum vindictam. *Et multæ gratiæ*, impendendo bona sine meritis, & condonando absque satisfactione.

Non sempiterno litigabit, & non æterne seruabit. Secundò manifestat diuinam misericordiam, gratiam & tarditatem ad vindictam in populo peccante in deserto: inchoans à gratiositate quâ rogatus non exterminauit populum vt merebatur: vt patet Exod. 32. huiusmodi enim negatio significatur in his verbis. Litigare Dei est punire, affligere, & huiusmodi: ad similitudinem litigantis qui vexat eum cum quo litigat. Seruare Dei est voluntatem habere puniendi: ad similitudinem seruantis odium in animo ad vindictam seu malum alterius. Vnde non seruare & non litigare est non habere voluntatem puniendi nec punire. Sed non dicitur in litera, quòd Deus non litigabit & non seruabit, sed apponitur tempus, scilicet quòd non litigabit in æternum, non seruabit in æternum. Quod ad literam verificatum est respectu populi peccantis in deserto: de quo est sermo: nam cùm meruissent deleri, abstinuit Deus ab eorum deletione & exterminatione, & sic neque seruauit neque litigauit ad *Litigare Dei, est punire, affligere, &c.*

æternum

æternum exterminium, ad æternam deletiõnem. Apparet quoque quòd ad literam non loquitur Propheta hîc de pœna damnationis æternæ in inferno: nam Exod. 32. de pœna illius populi dicit Deus oppositum ad Moysem, postquam placatus fuit. *Duc populum istum quò locutus sum tibi, Angelus meus præcedet te: ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Vbi patet quòd reseruauit peccatum eorum puniendum in die vltionis æternæ. Et propterea quod hîc dicitur (*non litigabit æterno & non seruabit æterno*) ad punitionem populi in hoc mundo exterminatricem refertur: quam ipso Deo reste meruerant. Futurum, *non ligabit, non seruabit,* non refertur ad tempus Psalmi: sed ad conditiones Dei, *misericors*, &c. & denotat sequelam horum (scilicet non in æternum litigare aut seruare) ex Dei conditionibus.

Exod. 32.

Non secundum peccata nostra fecit nobis. Declarat ab opere, quod dixerat: quòd scilicet non puniuit delendo in æternum, prout merebamur. Vbi aduerte quòd dicendo *nobis*, manifestat quòd de populo Israël loquitur.

Quoniam secundum altitudinem cælorum supra terram, roborata est gratia eius super timentes eum. Ratio clementiæ dictæ assignatur ex parte diuinæ gratiæ respectu timentium Deum. Et intendit ad literam quòd propter gratiam diuinam erga Abraham, Isaac, Iacob, Moysem, non retribuit Deus populo secundùm merita eius. Manifestè siquidem Exod. 32. Moyses orans pro hac remissione ait: *Recordare Abraham, Isaac & Israel.* Et rursus: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro tuo.* Vnde significanter inducit diuinam gratiam non concessam sed roboratam super patres timentes Deum: quia promissa patribus gratia, ex peccatis populi non est abolita nec debilitata, sed roborata resistendo tot demeritis: est enim sermo metaphoricus, quo roboratum dicimus quod multis impugnantibus firmitatem suam retinet. Propter quod affertur similitudo, scilicet *secundùm altitudinem cælorum à terra.* Nullæ mutationes quæ fiunt circa terram, & vniuersaliter sphæram actiuorum & passiuorum, perueniunt ad altitudinem cœlorum; ita quòd cœli suâ altitudine à terra, firmi perseuerant in sua dispositione: quorumcumque & quàtumcunque circa inferiora mutationes fiant. Similiter siquidem in suo robore perseuerauit gratia Dei erga patres timentes Deum, nec est mutata propter peccata populi: tanquam tam excelsa supra peccata populi quàm excelsum est cœlum supra terram. Et ideo apposuit coniunctionem causalem *quoniam*: quia gratia erga patres est ratio quare non deleuit populum.

Exod. 32.

Nulla mutationes inferiores perueniunt ad altitudinem cælorum.

Sicut longitudo Orientis ab Occidente, elongare fecit à nobis rebelliones nostras. Ne putares propter patres paruum fuisse beneficium veniæ donatæ populo, declarat ex similitudine distantiæ maximæ inuentæ in toto vniuerso corporeo magnitudinem beneficij: nulla est enim maior distantia illâ quæ est inter punctum Orientis & punctum Occidentis: cùm sit distantia secundùm diametrum maximi circuli primi mobilis. Et per hanc declarat quòd non parum aut mediocriter, sed maximè distare fecit quantùm ad pœnam à nobis rebelliones nostras, quibus rebellauimus Deo in deserto. Et hoc directè spectat ad illam Dei conditionem, *longus furorum.*

Maxima distantia est à puncto Orientis ad punctum Occidentis.

Sicut miserendo pater super filios. Prosequitur reddere rationem tantæ benignitatis ex alia supradicta Dei conditione, scilicet, *misericors*: assimilando misericordiam Dei erga populum misericordiæ patris erga filios Et appellat hîc filios Israel quamuis peccatores, *timentes Deum*: tum ratione status, quia erant etsi non quoad meritum, tamen quoad statum profitentes timorem Dei: tum ratione generis: quia profitebantur se filios Patriarcharum, timentium Deum.

Quoniam ipse nouit promtatem nostram. Declarat similitudinem Dei ad patrem noscentem conditiones filiorum suorum. Quattuor autem conditionum miseratione dignatum notitiam affert pro ratione paternæ misericordiæ erga populum. Prima est pronitas animi humani: *Sensus enim & cogitatio hominis* (vt dicitur Genes. 8.) *prona sunt ad malum.*

Quatuor conditiones venia digna.

Genes. 8.

Recordatus est quia puluis nos. Secunda conditio est ex materia corporis humani: quia *puluis sumus & in puluerem reuertemur.*

Homo. Tertia conditio est instabilis fluxáque tam vita quàm prosperitas. Et propterea ait: *Homo*: fac ibi lineam, subintelligendo huiusmodi est, *quasi herba dies eius.* Tempus seu ætas hominis est sicut herba: cuius duratio valde parua est & multis facilè subiecta periculis: nam & facilè inciditur, facile aduritur æstu, aut frigore siccatur, &c. *Sicut flos campi sic florebit,* scilicet homo: hoc est, prosperitas hominis est sicut flos campi, qui longè caducior est quàm herba.

Quia spiritus transiuit in eo. Quarta conditio est irreuocabilitas mortui ad hanc vitam. *Quia spiritus,* anima intellectiua quæ spiritus est rationalis, *transiuit in eo,* homine. Non dicit *definet cum eo,* sed *transiuit in eo*: quoniam spiritus deforis veniens (hoc est, à Deo per creationem emanans) ad similitudinem transeuntis in homine tanquam in via, remanet post pergens in locum suæ miseriæ vel felicitatis. *Et non ipse,* homo supple est amplius. Postquam enim pertransiit spiritus, non remanet amplius ipse homo. *Et non cognoscet eum amplius locus eius.* Pronomen *eum,* non demonstrare hominem sed spiritum, testatur Iob cap. 7. vnde Dauid sumpsit hanc sententiam. Ibi enim dicitur. *Qui descendit ad inferos non ascendet, nec reuertetur vltra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus eius.* Et verè sic est secundùm naturæ cursum: quoniam nunquam corpus quod locus fuit spiritus rationalis cognoscet eum amplius, nunquam experietur eum amplius: resurrectio enim mortuorum non est naturalis: sed diuino miraculo fiet & facta est quandoque. Affertur autem hic transitus, hæc irreuocabilitas cum coniunctione causali, quoniam spiritus transiuit: vt intelligas transitum spiritus rationalis in homine rationem esse reliquarum præmissarum conditionum: nam ex hoc consurgit pronitas ad malum, consequens mixtionem sensus cum spiritu: ex hoc venit breuitas vitæ, consequens æqualitatem mixtionis contrariorum in homine: ex hoc instabilitas prosperitatis, consequens varietatem cogitationis & appetitus humani.

Iob 7.

Vers. 17. ET GRATIA DOMINI. Quartum beneficium collatum populo Israel describitur: scilicet perseuerantia diuini fauoris erga eos si iusti fuerint: hoc enim infinities in libris Moysi scriptum est, & data venia tot peccatis populi executioni

Perseuerantia diuini fauoris.

executioni demandatum: & deinceps. Describiturque tum à gratia. Quarta enim conditio Dei superius præmissa fuit *& multa gratia.* Et propterea illam comprobando dicit: *Et gratia Domini à seculo & usque seculum,* successiuè, *super timentes eum,* filios Israel Tum à iustitia contra impugnantes eos: *Et iustitia eius filiis filiorum,* hoc est successiuè de generatione in generationem, *custodientibus pacti eius,* de cultu vnius Dei, & recordantibus mandatorum eius, circa operanda, non ad memorandum aut recensendum, sed ad faciendum ea, ad exequendum præcepta diuina.

Vers. 19. DOMINVS IN CÆLIS. Tractatur hîc illa particula, *benedic anima mea Dominum,* Dauid post laudatum Deum ob beneficia sibi collata, & ob beneficia præstita populo Israel, auget extendendo orationem ad laudandum Deum ob diuinum beneficium commune toti mundo, scilicet vniuersale regimen quo Deus dignatur gubernare vniuersum non solum corporeum sed constans ex corporibus & spiritibus.

Et humano more à loco regij solij incipiens: *Dominus,* inquit, *in cælis stabiliuit thronum suum:* omnes enim confitentes Deum, arbitrantur eum in cælis esse: cùm nullo loco ambiatur, & illocabilis existens vbique sit. Asseritur tamen verè in cælis esse: tum propter manifestiores effectus diuinos in cælis: tum ad explicandum dominium Dei super cælos. *Stabiliuit thronum suum:* quia stabiles, incorruptibiles cælos effecit, vbi regnare describitur dictis rationibus. *Et regnum illius in omne,* non in aliquam rem sic, & aliquam non, sed in omnem rem *dominatum est,* semper & dominabitur.

Deus quomodo in cælis dicatur esse

Benedicite Domino. Vbi Dauid beneficia sibi & populo collata recensuit, animam suam ad benedicendum Deo excitauit, hominis esse arbitrans gratias agere de beneficiis humanis: modò cùm de beneficio totius vniuersi agit, totum inuitat vniuersum ad gratias agendum Deo, inchoans ab Angelis. *Benedicite Domino Angeli,* spiritus qui sunt nuncij, *fortes roboris:* humano more potentiam Angelorum describit. *Facientes verbum eius.* Obedientia Angelorum commendatur in exequendo mandatum, immo quodcunque minimum verbum Dei. *Ad audiendum in voce verbi eius.* Finis officij Angelici describitur auditus eorum in voce verbi Dei, hoc est in persona Dei. Ad hoc enim spiritus illi fiunt Angeli, ad hoc fortia efficiunt, ad hoc exequuntur imperium Dei, vt ipsi in voce sermonis Dei audiantur. Quod verum esse apparitiones Angelorum visibiles testantur.

Obedientia Angelorum.

Benedicite Domino omnes exercitus eius: hoc est omnes spiritus Angelici innumerabilium legionum ad similitudinem multorum exercituum militum: ministri eius, Angeli ministrantes Deo ad similitudinem ministrorum principis (*millia enim millium ministrabant ei*) *facientes voluntatem eius,* hoc est, in nullo à Dei voluntate deficientes.

Benedicite Domino omnia opera eius. Prosopopœia est, familiaris Psalmis. Et cum hoc subest veritas: quia materia benedicendi Deum sunt omnia opera Dei. *In omnibus locis potestas eius.* Ne putares regnum Dei cuius solium in cælis stabilitum dixit non se extendere ad infima quæque, ac per hoc aliqua esse exempta ab hac inuitatione (vtpote exempta à regimine Dei) subiungere studuit quòd in omnibus locis viget potestas eius. *Benedic anima mea Domino.* Redeundo ad excitandum animam suam concludit vniuersum. Vbi aduerte solas rationales creaturas inuitatas in specie, reliquas autem creaturas in genere, tanquam Dei opera. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO. CIII.	IVXTA HEBRÆVM. CIV.
1 *BENEDIC anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer.*	1. *Propheta.* BENEDIC anima mea Dominum [a]: Domine [a] Deus meus magnificatus es valde, gloria & decore indutus es.
2 *Confessionem & decorem induisti: amictus lumine sicut vestimento. Extendens cælum sicut pellem: qui tegis*	2 Amictus luce quasi pallio: extendens cælos vt cortinam.
3 *aquis superiora eius. Qui ponis nubem ascensum tuum: qui ambulas super pennas ventorum.*	3 Contignans in aquis solaria sua: ponens densitates equitatum suum, ambulans super alas spiritus.
4 *Qui facis Angelos tuos spiritus: & ministros tuos ignem vrentem.*	4 Faciens Angelos suos spiritus: seruitores suos, ignem inflammantem.
5 *Qui fundasti terram super stabilitatem suam: non inclinabitur in seculum seculi.*	5 Fundauit terram super stabilitates suas: non labetur seculum & semper.
6 *Abyssus sicut vestimentum amictus eius: super montes stabunt aquæ.*	6 Abysso quasi vestimento operuisti eam: super montes stabunt aquæ.

7 Ab

7 *Ab increpatione tua fugient : à voce tonitrui tui formidabunt.*

8 *Ascendunt montes & descendunt campi: in locum quem fundasti eis.*

9 *Terminum posuisti quem non transgredientur : neque conuertentur operire terram.*

10 *Qui emittis fontes in conuallibus : inter medium montium pertransibūt aquæ.*

11 *Potabunt omnes bestiæ agri : expectabunt onagri in siti sua.*

12 *Super ea volucres cœli habitabunt : de medio petrarum dabunt vocem.*

13 *Rigans montes de superioribus suis : de fructu operum tuorum satiabitur terra.*

14 *Producens fœnum iumentis : & herbam seruituti hominum.*

15 *Vt educas panem de terra : & vinum lætificet cor hominis.*
Vt exhilaret faciem in oleo : & panis cor hominis confirmet.

16 *Saturabuntur ligna campi, cedri Libani*
17 *quas plantauit : illic passeres nidificabunt.*

18 *Herodij domus dux est eorum, montes excelsi ceruis : petra refugium herinaciis.*

19 *Fecit lunam in tempora : sol cognouit occasum suum.*

20 *Posuisti tenebras & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ.*

21 *Catuli leonum rugientes : vt rapiant & quærant à Deo escam sibi.*

22 *Ortus est sol : & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.*

23 *Exibit homo ad opus suum : & ad operationem suam vsque ad vesperam.*

24 *Quàm magnificata sunt opera tua Domine : omnia in sapientia fecisti, impleta est terra possessione tua.*

25 *Hoc mare magnum & spatiosum manibus : illic reptilia quorum non est numerus.*

26 *Animalia pusilla cum magnis : illic naues pertransibunt.*

27 *Draco iste quem formasti ad illudendum ei : omnia à te expectant vt des illis escam in tempore.*

28 *Dante te illis colligent : aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate.*

29 *Auertente autem te faciem turbabuntur:*

7 Ab increpatione tua fugient : à voce tonitrui tui accelerabunt.

8 Ascendent montes & descendent
quem
valles : ad locū hunc fundasti eis.

quem
9 Terminum posuisti non pertransibunt: non reuertentur ad operiendum terram.

10 Emittens fontes in flumina : inter montes ibunt.

11 Potabunt omnem bestiam agri: frangent onagri sitim suam.

12 Super ea volatile cælorum habitabit : de medio frondium dabunt vocem.

13 Potans montes de excelsis suis : de fructu operum tuorum satiabitur terra.

14 Faciens germinare fœnum bestiæ : & herbam seruituti Adam, ad educendum panem de terra.

15 Et vinum lætificabit cor hominis : ad exhilarandas facies ex oleo, & panis cor hominis sustentabit.

16 Saturabuntur ligna Domini [a] : cedri Libani quas plantauit.

17 Quòd ibi aues nidificabunt : cico-
est quòd
nia abietes domus eius.

18 Montes excelsi capreis : petræ opertorium cuniculis.

19 Fecit lunam temporibus : sol cognouit occasum suum.

20 Pones obscuritatē, & erit nox : in ipsa mouebitur omnis bestia syluæ.

21 Leunculi rugientes ad rapinam †: & ad quærēdam à Deo escam suam. † rapina.

22 Orietur sol : colligentur, & ad habitacula sua cubabunt.

23 Egredietur homo ad opus suum & ad seruitium suum : vsque vesperum.

24 Quàm multiplicata sunt opera tua Domine [a] : omnia illa in sapientia
est
fecisti, plena terra acquisitionum tuarum.

25 Hoc mare magnum & latum mani-
est
bus : ibi reptile, & non numerus, animalia parua cum grandibus.

26 Ibi naues ibunt: liuiathan istum plasmasti ad illudendum in ipso.

27 Omnia in te sperabunt : ad dandum cibum eorum in tempore suo.

28 Dabis illis, colligent : aperies manum tuam, satiabuntur bono.

29 Abscondes facies tuas, terrebuntur:
consumes

Auferes spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur.	consumes spiritum eorum, obibunt, & ad puluerem suum reuertentur.
30 Emitte spiritum tuum: & creabuntur, & renouabis faciem terræ.	30 Emitte spiritum tuum: creabuntur, & renouabis facies terræ.
31 Sit gloria Domini in seculum: lætabitur Dominus in operibus suis.	31 Erit honor Domini [4] sempiterno: lætabitur Dominus[4] in operibus suis.
32 Qui respicit terram & facit eam tremere: qui tangit montes & fumigant.	32 Respiciens terram † & tremuit: tanget in montibus, & fumabunt. († terra.)
33 Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo quandiu sum.	33 Cantabo Domino [4] in vitis meis: psallam Deo meo in esse meo.
34 Iucundum sit ei eloquium meum: ego verò delectabor in Domino.	34 Dulcescet super ipso eloquium meum: ego lætabor in Domino [4].
35 Deficiant peccatores à terra & iniqui ita vt non sint: benedic anima mea Domino.	35 Consumentur peccatores de terra, & impij amplius non ipsi (sint): benedic anima mea Dominũ [4] Halelu Iah

COMMENTARIVS.

Materia. Titulus nullus est. Materiam Psalmi, ipsemet clarè præ se fert esse vniuersa Dei opera quatenus in eis magnificatur & laudatur Deus: vt patet discurrenti per totum Psalmum.

SVMMARIVM EST.

Propheta excitat animam suam ad laudandum Deum ex vniuersalibus operibus Dei, tum condendo tum conseruando res: sic vtiles quòd nihil est in eis vanum.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. BENEDIC ANIMA MEA DOMINVM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *amictus luce*. Proponit duo. Alterum est excitatio animi ad laudandum Deum: *Benedic anima mea Dominum*. (*Excitat animum ad laudandum Deũ.*) Alterum est ratio laudis: *Domine Deus meus magnificatus est valde.* Tota materia laudis est quòd Deus magnificatus est non mediocriter sed valde. Et ne intelligas Deum effectum magnum in seipso, exponit huiusmodi magnificationem, apponendo: *gloria & decore indutus es.* Si notabis *indutus es*, perspicies magnificationem Dei non in seipso sed in extrinsecis, in vestibus: ideo enim similitudinem ex indumento induxit, vt magnificationem Dei non in seipso sed extra ipsum intelligeremus: hoc est in creaturis, quæ sunt velut decora vestis & gloria ipsius Dei. Cùm enim Deum in seipso non videamus, sed in creaturis eius (quia *inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt* cognoscimus) vniuersitas creaturarum est velut decor præ se ferens excellentissimam auctoris pulchritudinem: est & materia gloriæ diuinæ. Et sic magnificatur valde Deus, non in seipso sed in operibus suis, in laudibus suis. Et verè hæc est materia Psalmi.

Vers. 2. AMICTVS LVCE. Incipit hic pars executiua tali ordine. Propheta colligit opera sex dierum (scilicet creationis, distinctionis & ornatus mundi) adiungens & perficiens opus conseruationis inchoatum in operibus sex dierum. Ita quòd primum tractat opus creationis, distinctionis & ornatus: deinde opus conseruationis, ibi, *omnia in te sperabunt.*

Verum aduerte vnum peculiare huic Psalmo: quòd non sufficit Prophetæ laudare Deum de operibus ipsius Dei, sed singulis operibus annectit singulas vtilitates inde prouenientes: vt patet in progressu, & declarabitur exponendo. (*Hic singulis operibus Dei singulas vtilitates annectit Propheta.*)

Circa ordinem autem operum non seruat Propheta hic eundem ordinem quem seruauit Moyses. (*Ordo Moysis in creatione mundi.*) Ille enim historicè scribens, ordinatè procedit: primum ponens creationem vniuersi quoad partes substantiales, *In principio creauit Deus cælum & terram:* hæ enim sunt primæ essentiales partes vniuersi secundùm Philosophiam, scilicet natura circulariter mobilis quæ vocatur cælum, & natura immobilis centri circa quod mouetur, quod vocatur terra: propterea enim tradunt Philosophi totum vniuersum non esse de natura cæli, quia oportuit esse immobilem naturam centri circa quod cælum moueretur. (*Cur totus mundus non est de natura cæli.*) Hinc enim sapientissimus Moyses primum descripsit, In principio fecit Deus cælum & terram: deinde dispositiones in quibus creati sunt cælum & terra. Terræ quidem dicendo: *terra autem erat inanis & vacua & tenebræ erant super faciem abyssi.* (*Genes. 1.*) Cæli autem dicendo: *& spiritus Domini commouens seu cubans seu volans super aquas:* hoc est, ad literam spiritus Angelicus commouens velocissimo motu seu fouens primum mobile, super cælos: iuxta illud Ecclesiastis 1. *Lustrans in circuitu pergit spiritus:* intendit enim ad literam dicere quòd cælum creatum est in motu vitali. (*Eccli. 1.*) Deinde describit creationem lucis. Et sic terminat primum diem, *& factum est vespere & mane dies vnus.* Postea secundo die describit extensionem cæli in medio aquarum, hoc est aquarum inferiorum (scilicet sphæræ actiuorum & passiuorum) & aquarum superiorum: hoc est, cæli aquei, quod vocatur à Philosophis primum mobile.

Propheta autem hic alio progreditur ordine, per modum cantici scribens. (*Ordo Prophetæ.*) Et incipit à luce. *Amictus luce quasi pallio.* Et intendit metaphoricè Deum vestitum luce corporali tanquam pallio: (*Lux.*) quod est non immediatum vestimentum, sed velut mediatè adhærens. Vbi declarat primi diei lux, & vtilitas eius ad similitudinem pallij:

non quòd Deo redundet vtilitas aliqua:sed more humano describitur vestitus luce, quâ nihil est inter omnes creaturas quas videmus, nobilius. Hinc enim dignitatem Dei humano more depingit intellectui humano, qui ex sensibilibus accipit notitiam.

Extendens cælos vt cortinam. Opus secundæ diei tangit: vtendo extensione cæli non ad diuisionem aquarum sed ad ornatum. Et propterea dicit extensionem cæli instar cortinæ: intendens quòd quemadmodum cortinæ extenduntur ad ornatum, ita cælum extensum est ad ornamentum diuinæ domus. Vbi similiter vides & opus Dei extensionem cælorum (quæ proculdubio creatio ipsorum est) & vtilitatem ornamenti. Quamuis possit hæc vtilitas referri ad inferiorum continentiam: quòd Deus extendit tam facilè cælos ad continendum sphæram elementarem quàm facilè homo extendit cortinam.

Creatio calorum ad similitudinem cortinæ.

Contignans in aquis solaria sua. Idem opus extensionis explicatur alio vsu Recole eius quod in XIX. Psalmo scripsimus, scilicet quòd vbi in Genesi nos legimus *firmamentum*, textus Hebræus habet *extensio*: ita quòd secundæ diei opus est extensio cæli. Hanc extensionem Propheta hîc dupliciter interpretatur. Primò ad similitudinem cortinæ: vt expositum est. Secundò quantùm ad soliditatem, ex metaphora contignati tabulati: ita quòd intendit cælum sic extensum vt tamen sit solidum, sicut tectum contignatione fit firmum. Solaria itaque Dei vniuersa cœlestia corpora sunt: vtpote celsiora velut tecta vniuersi corporei. Et hæc Deus contignat, solidat velut iungendo trabes, in aquis, in natura diaphana: & rursus in aquis, quia in Genesi describitur extensio in medio aquarum inferiorum & superiorum: hoc est, diaphanorum sub astris & supra astra. Significantius autem vtitur metaphorâ contignati solarij, propter vtilitatem significandam humano more: quod est sicut solarium domus delectabile ac vtile in regionibus illis quarum domus solariis finiuntur. De quarum numero erat terra promissionis: vt patet 2. Regum 11. vbi describitur Dauid deambulans in solario domus regiæ, & videns mulierem lauantem se super solarium suum. Non quòd Deus indigeat aut delectetur solariis: sed ad describendum humano more excellentiam diuini cœnaculi.

Et solarij.

Ponens densitates equitatum suum. Aduerte hîc quòd dictio Hebraica interpretata *equitatum*, significat si dici liceret *equitaturam*: interpretes autem ob penuriam vocabulorum interpretati sunt *equitatum*. Describit itaque hîc motum cæli ab ipso Deo tanquam ab equitante: vt intelligamus quòd motus cæli causatur à Deo tanquam ab agente à proposito: tale enim est equitans. Equos autem appellat densitates seu nubes, metaphoricè tam equos quàm nubes inducens. Cœlestis enim natura nubes appellatur propter celsitudinem, habilitatem ad motum, cum propria terminatione absque sustentaculo. Nubes enim celsior est aquis, & propriis terminatur suę densitatis terminis, in quo differt ab aëre: facilisque est ad hoc vt moueatur, in quo differt à terra: nec eget sustentante, in quo differt ab auibus, quæ etsi mouentur in aëre, non tamen sine adminiculo alarum sustentantium ipsas: caderent enim nisi alis sustinerentur. Vnde natura cœlestis corporis eleuata supra naturas elementares, habilis ad motum, non fluida sed propriis terminis constans. & per seipsam subsistens, per nubem significatur. Ponit itaque Deus corpus cœleste tanquam equos, hoc est vehiculum suum: hoc est corpus cœleste motum esse vehiculum virtutis suæ. Et verè sic est: quoniam mediante motu cæli dat Deus vitam & actionem toti vniuersitati corporeorum. Et hæc est vtilitas magna.

Equitatu nubes significatur: nube verò natura cælestis.

Legendo autem *densitates* non interuenit nisi metaphora equitaturæ Sed subtiliter describitur ratio cœlestis motus per densitates: nam apud Philosophos astra sunt densitates cœlestes, & quilibet motus cœlestis ordinatur ad astra. Et propterea dicendo, *ponens densitates:* hoc est, astra equitatum suum, describit ex parte cœlestis corporis partem illam quæ est ratio cœlesti corpori quòd equitetur. Et per hoc describitur opus primæ diei quo cælum factum est in motu.

Motus cælestis.

Ambulans super alas spiritus. Prosequitur adhuc opus primæ diei: & *spiritus Domini volans super aquas.* Describitur enim Deus velut ambulans vectus super alas Angelici spiritus volantis. Aptè postquam dixerat Deum præsidere corpori cœlesti, subiungit quòd præsidet etiam spiritui mouenti cælum. Propter velocitatem motus cœlestis describitur motor volans: ac per hoc habens alas. Moyses describit spiritum volantem: iste Propheta consequenter loquendo describit alatum.

Faciens Angelos suos spiritus. Sistens adhuc in opere primæ diei, affert vtilitatem spirituum triplicem: non quòd omnis hæc vtilitas spectet ad opus primæ diei: sed occasione ex illo textu accepta, in quo dicitur *spiritus Domini volans super aquas*, explicare curauit tria de spiritibus Angelicis: vt Apostolus ad Hebr. 1. exposuit. Primum quòd ipsos spiritus facit Angelos suos: hoc est, nuncios suos: spiritus enim nomen est naturæ: Angelus autem nomen est officij: & Deus illos qui naturâ sunt spiritus, facit suos nuncios: quod sæpe legimus factum. *Seruitores seu ministros suos.* Ecce secundum: eosdem spiritus facit Angelos respectu nostri, & facit seruitores seu ministros respectu sui, scilicet Dei. *Millia millium ministrabant ei.* Tertium autem est *ignem inflammantem.* Iidem spiritus ministri Dei, dicuntur fieri ad similitudinem ignis inflammantis, tum quoad seipsos: quia ardent amore erga Deum: tum quoad alios: quia inflammant corda aliorum ad amandum Deum. Tum in specie sensibili: sumpsit namque Dauid hoc ex Exodi cap. 3. vbi iuxta Hebræum habetur, quòd *apparuit Angelus in flamma ignis.* In quibus apparent manifestæ vtilitates.

Triplex Angelorum vtilitas.

Vers. 5. FUNDAUIT TERRAM. Completis iis quæ spectant ad opus primæ diei quantùm ad cælos, tractat spectantia ad terram. *Fundauit terram*, in fundamento posuit terram, *super stabilitates suas*, non super aliquod sustentaculum sed super propriam ipsius terræ stabilitatem: quæ est esse centrum mundi. *Non labetur seculum & semper:* hoc est, nullum est periculum ne aliquando labatur. Et hoc est vtilitas securitatis nostræ.

Terra à se solida.

Abysso quasi vestimento operuisti eam. Describit faciem terræ in primo die quando erat cooperta aquis. Et est Philosophica descriptio secundùm naturalem situm elementorum. Super montes stabunt aquæ. Ne intelligeres terram tunc coopertam aquis sicut nunc, sed quòd omnes partes

tes terræ quantumcunque excelsæ erant coopertæ aquis, ideo subiunxit quòd *super montes stabunt aquæ*. Et futurum *stabunt*, refertur ad præteritum *operuisti*: denotans hoc quòd est manere aquas super omnes partes terræ, esse sequelam ad actionem diuinam quâ creauit terram sub aquis. In eo quòd assimilauit vestimento aquas super terram, futuram prænotauit vtilitatem: nam ex hoc significauit quandoque spoliandam terram vestimento aquarum ad vtilitatem animalium: vestes enim corruptibiles non perpetuò retinentur.

Gene. 1. *Vers.* 7. AB INCREPATIONE TVA. Ad opus distinctionis (quo dixit Deus *congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum vnum & appareat arida*) transit Propheta. *Ab increpatione tua fugient*, aquæ operientes terram, *à voce tonitrui tui accelerabunt*. Metaphoricus est sermo: tanquam Deus reprehenderit aquas: nec solùm reprehenderit sed intonuerit contra eas: & sic aquæ non solùm fugam inierunt, sed cum festinatione abierunt. Si naturales actiones Dei mediantibus cœlestibus corporibus ad segregandum aquas à superficie terræ propter vitam animalium terrestrium Propheta significare intenderet per has metaphoras, contradiceret principio Genesis: quoniam huiusmodi segregatio per actiones naturales multo eget tempore: in Genesi autem describitur facta statim. Et propterea per huiusmodi increpationem & tonitruum, diuinum imperium significatum est; per modum quidem reprehensionis, quia aquarum mansio super terram, impedimentum præstabat tanto bono: per modum autem tonitrui, ad significandam efficaciam diuini imperij ad statim faciendum quod agentia naturalia multis annorum curriculis vix efficerent. Vnde non paulatim defluere, sed fugere & accelerare describuntur aquæ, plus moræ ab imperio diuino quàm mouerentur ab agentibus naturalibus: ab iis enim paulatim, ab illo autem statim exclusæ sunt. Quanquam non vacat mysterio modus tonitrui, nam significat etiam effectum scissionis terræ, quibusdam terræ partibus eleuatis tanquam tonitrui scissione exilientibus in excelsum. Ita quòd euectio partium terræ in hoc quòd sint eminentiores, facta primum imperio diuino significatur.

Tonitruo diuinū imperiū significatur.

Ascendent montes & descendent valles ad locum hunc fundasti eis. Deus in prima rerum dispositione quamuis in modo agendi non naturâ mediante egerit, res tamen effectas fecit quales natura perfecta fecisset. Et propterea Propheta segregationem aquarum à terra vt appareat arida, postquam imperio diuino factam descripsit, connaturalia conscribit: scilicet distinctionem montium & vallium: hæc enim secundùm naturæ ordinem antecedunt segregationem aquarum à terra: eleuata siquidem terra secundùm aliquas partes, & aquas demittens in decliuiora loca, montes constituit & valles: quæ omnia in prima rerum dispositione imperio diuino facta sunt. Et propterea Propheta dicit tam montes quàm valles in locis sibi propriis à diuina fundatione stabilitos esse: istos eleuatos, istas imas. Et vtrasque partes ex eo quòd diuersarum rationum esse describit, mixtas esse & non purum elementum terræ insinuat: terra enim quatenus est purum elementum, non habet partes diuersarum rationum. Quo fit vt ad eandem distinctionem qua aquæ segregatæ sunt à terra, spectet distinctio partium terræ in montanas & campestres. Nec fallaris ex eo quòd in superiore versiculo cùm describeretur terra sub aquis, nominantur montes, dicendo *super montes stabunt aquæ*: quoniam secundùm rei veritatem terra sub aquis erat sphærica, & aquæ vndequaque erãt super supremas sphæricæ terræ partes: sed Propheta humano more assuetis nobis supremas terræ partes significare à montibus, descripsit aquas super montes: intelligens tamen per montes supremas terræ partes, quæ tunc non erant montes: sed in ipsa segregatione aquarum defecit terra à sphæricitate sua, eleuatis aliquibus eius partibus, quarum amplitudo appellatur arida distincta in montes & campos.

Distinctio montium & vallium.

Terra sub aquis erat sphærica.

Terminum posuisti, aquis, *non pertransibunt*, illum: *non reuertentur* aquæ, *ad operiendum terram*. Vide multitudinem operum & vtilitatum. Si quæris quis est iste terminus? scito esse decliuitatem loci aquarum respectu aridæ: ita quòd aquæ ex hoc quòd naturaliter mouentur in decliuiorem locum, & arida effecta est celsior locis marium, ideo aquæ non reuertentur operire terram. Et hic est terminus quem posuit Deus: quem conseruat mediantibus actionibus cœlestium corporum. Et propterea Propheta hîc inter segregationem aquarum à terra & fixionem termini ne reuertantur aquæ, interposuit euectionem partium terræ in montes & valles: vt hinc intelligeremus quòd vbi incipit eminentia aridæ, ibi est terminus fixus aquis.

Quemnã terminum Deus posuit mari?

Nec obstat huic conseruationi migratio terminorum: dum alicubi terra operitur aquis, & alicubi detegitur aliquis, quoniam semper saluus est terminus ne operiant terram: quamuis non semper maneat iste vel ille terminus. Similiter non obstat diluuium vniuersale tempore Noë: nam hîc describitur naturalis cursus, & non alligatur manus diuinæ potentiæ. Diluuium autem illud non fuisse naturale, ipsa sacra historia contestatur, dum describit, *Arcum meum ponam in nubibus cæli*, in naturale signum non futuri de cætero diluuij vniuersalis: ex eo enim quòd in natura est signum non futuri diluuij, sufficienti ratione naturali infertur quòd nec in præterito huiusmodi diluuium fuit naturale: quia arcus non sic apparuit post illud diluuium quin prius apparuerit: sicut prius fuerunt nubes, tonitrua, & alia huiusmodi quæ in aëre generantur.

Vers. 10. EMITTENS FONTES. Transit Propheta ad opus ornatus tali ordine. Primò ab aquis viuis. Secundò ab aquis pluuialibus. Tertiò à diuersitate temporum. Quartò à diuersitate partium terræ quæ videntur inutiles. Quintò à mari.

Transit ad ornatū terræ.

Ornatus itaque inferiorum partium terræ, à beneficio aquarum viuarum pro vtilitate & animalium terrestrium & auium describitur. *Emittens fontes in flumina*: fontes enim principia sunt fluminum, & describuntur emitti in flumina, quia extramittuntur ex terræ latebris: *inter montes ibunt*, flumina. Tacitè insinuare videtur flumina ex montibus oriri aut foueri.

Montes & flumina.

Potabunt, potu reficient, *omnem bestiam agri: frangent onagri sitim suam*. Fertur onagros valde sitire, & tamen horrere pedem ponere etiam in minimo aquæ riuulo, quò fit vt sitim non extinguant, nisi inuenerint quietam tutámque aquam in qua sicco pede possint bibere. Vnde colligitur quòd Propheta duos fontium meatus insinuat. Alte

Alterum quo conficiunt flumina: mediante quo potant communiter bestiæ campi. Alterum per imas terræ: quo onagri non satiant sitim sed frangunt sitim, velut delibantes paululum aquæ.

Auium cantus iuxta aquas. *Super ea*, flumina, *volatile cælorum habitabit: de medio frondium dabunt vocem*, cantando. Vtilitas auium habitantium in arboribus iuxta flumina manifestè describitur.

Pluuia. *Potans montes de excelsis suis.* Ornatus terræ ex beneficio pluuiæ describitur. *Potans montes de excelsis suis.* Excelsa Dei appellat vel supremas regionis aëreæ partes: quandoquidem in illis non versantur homines, sed sunt velut ad solarium Dei: vel ipsa cœlestia corpora causantia pluuias: nam superius cælos dixit solaria Dei structa in aquis.

De fructu operum tuorum, mediante pluuiâ, *satiabitur terra.* Apostrophat ad Deum in secunda persona: describens per hoc in genere fructus pluuiæ. In specie autem fructus pluuiæ describitur multiplex: scilicet, *faciens germinare fœnum bestiis*, hoc est, ad pabulum bestiarum: *& herbam seruituti Adam*, hoc est hominis, *ad educendum panem de terra.*

Ex pluuia vinum, panis, oleum. *Et vinum lætificabit cor hominis, ad exhilarandas facies*, hominis, *ex oleo.* Iuxta illorum consuetudinem loquitur qui tempore hilaritatis vtebantur vnctionibus. *Et panis cor hominis sustentabit.* Vide tot fructus pluuiæ, & perspice tot vtilitates rerum inde productarum: vini, panis, olei.

Ligna Domini quæ sit, fructifera. *Saturabuntur*, ex aquis pluuialibus, *ligna Domini.* Per *ligna Domini* ligna fructifera intelligi possunt: specialiter attributa Domino, tanquam primaria intentione plantata propter salutem animalium, vel vt nonnullis placet, appositiuè explicantur ligna Domini per *cedros Libani*: appellata *Domini*, quia imputribilia, *quas plantauit*, Deus.

Quòd ibi aues nidificabunt. Vtilitas naturalis cedrorum describitur nidificatio auium in eis. *Ciconia*, etiam sic est, *abietes domus eius.* Abietes saturatæ aquis, describuntur tanquam habitaculum ciconiarum: vt abietum vtilitas non sit prætermissa.

Rupes excelsæ & cauernæ. *Montes excelsi capreis.* Post beneficium pluuiæ describit beneficium partium terræ quæ apparent inutiles, & sunt duæ: scilicet excelsæ rupes, & cauernæ. Et propterea vtrasque tangit. Tum quo ad rupis celsitudinem: quia montes excelsi sunt refugium capreis. Tum quoad cauernas: *petra opertorium cuniculis*, habitantibus sub petris.

Et dixit hæc vt intelligas diuina prouidentia & non casu hæc effecta. Psalmus enim iste ad literam editus est ad instruendum fideles omnes quòd omnes etiam minimæ vtilitates quas videmus ex rebus consurgere tam inanimatis quàm animalibus & hominibus, sunt ex diuina prouidentia ordinatæ, & non à casu nec ex sola necessitate materiæ. Hoc enim significat Propheta laudando Deum de multis minimis vtilitatibus commemoratis in hoc Psalmo.

Dies & nox. *Vers.* 19. Fecit lunam. Describit ornatum inferiorum ex diuersitate temporum: inchoans ab ipsis luminaribus. *Fecit lunam temporibus*, menstruis: *Sol cognouit occasum suum*, quotidianum. *Pones obscuritatem*, ex occasu solis, *& erit nox*: priuatio enim lucis ex vmbra terræ post occasum solis, nox vocatur. *In ipsa mouebitur omnis bestia syluæ.* Ecce vtilitas noctis in genere. In specie autem *leunculi*, catuli leonum, *rugientes ad rapinam: & ad quærendam à Deo escam suam.* Vt hinc intelligas etiam minimis animalibus prouisum esse à Deo, & non solùm adultis: & rursus viuere de rapina, huiusmodi animalibus ex prouidentia diuina datum, & non casu contingere. *Viuere de rapina animalibus ex diuina prouidentia datū non casu.*

Orietur sol (vtilitas Dei describitur) *colligentur*, bestiæ syluæ quæ nocte vagatæ sunt: *& ad habitacula sua cubabunt. Egredietur homo*, ortô sole, *ad opus suum*, liberale, *& ad seruitium suum*, opus mœchanicum seu seruile: *vsque vesperum.*

Quàm multiplicata sunt. Exclamat Propheta laudando tum multitudinem diuinorum operum, quàm *multiplicata sunt opera tua Domine:* tum ordinem, *omnia illa in sapientia fecisti:* tum diuitias, *plena est terra acquisitionum tuarum*: nihil enim est in terra quod non sit diuinâ actione acquisitum: cùm ipse sit auctor omnium.

Maris ornatus. *Vers.* 21. Hoc mare magnum. Restabat ornatus in mari. *Hoc mare*, aquarum Oceani, *magnum*, profunditate, & latum, diffusum in latitudine, manibus, hoc est, protensionibus diuersis ad diuersos sinus mediterraneos: huiusmodi enim extensiones (quæ *brachia maris* quandoque vocantur) appellantur hic metaphoricè manus. *Ibi reptile*, genus reptilium replentium mare, *& non numerus*, hoc est, sine numero: *animalia parua cum grandibus.*

Leuiathan quid? *Ibi naues ibunt.* Ecce vtilitas extrinseca: vtilitas enim maris intrinseca descripta est in vita piscium: extrinseca autem in nauigatione. *Leuiathan istum plasmasti ad illudendum ei ipso. Leuiathan* Hebraicè, Latinè significat *additamentum eorum:* ita quòd ab excellentia magnitudinis, marina bellua nuncupatur *liuiathan*: quia est magnitudinis ac quantitatis superadditæ respectu omnium animaliū. Dicitur enim tam magnus quòd occupat quatuor iugera terræ: hoc est, spatium tantum quantum quatuor diebus par boum arat: vnde videtur quòd sit sicut mons, de quo multa scribuntur Iob 40. & 41. Hîc autem describitur velut animal singulare & notum per pronomen *istum*: & quantum ad eius productionem à Deo, *plasmasti*: & quantùm ad vtilitatem, *ad illudendum in ipso.* Fertur enim quòd cùm in aquis magnis in quibus natat capi nequeat, insequendo pisces fugientes versus terram, sperans illos capere in cibum, impingit in loca minoris profunditatis aquarum: & impotens ibidem natare occiditur ab hominibus: iuxta illud Iob 40. *Ecce spes eius frustrabitur eum.* Et hoc appellatur hîc illusio eius: illuditur enim dum prædam insequens fit ipse aliis præda: & per hoc cedit in vtilitatem hominum. *Cetus quomodo capiatur.* *Iob 40.*

Conseruatio rerum. *Vers.* 27. Omnia in te sperabunt. Expedito progressu de conditione rerum cum tot vtilitatibus, tractat Propheta consequenter de conseruatione rerum à Deo: inchoans à conseruatione indiuiduorum mediante alimento. *Omnia in te sperabunt, ad dandum cibum eorum in tempore suo.* Diuersis enim temporibus prouidetur proprius cuique animali cibus: vt patet.

Alimenta animalium. *Dabis illis, colligent*, cibos datos à te. Vbi nota duas actiones: Dei dantis, & animalium colligentium cibum pro tempore opportuno, quod non solus homo sed etiam formica facit. *Aperies manum tuam*, hoc est, largiter dabis, *satiabuntur bono:* hoc est, tempore abundantiæ significatæ per apertionem manus satiantur bono.

Abscon

Abscondes faciem tuam. More humano penitum describit ad similitudinem principis abscondentis faciem, vnde subditi terrentur. Et intendit per hæc tria (scilicet *dabis illis, aperies manum, abscondes faciem*) describere tres status, modos seu vicissitudines quibus Deus prouidet de cibo animalibus, scilicet vel cum abundantia, vel cum penuria, vel medio modo: quia Deus hæc exequitur mediantibus causis secundis, quæ his tribus modis variantur respectu huiusmodi effectus.

Conseruatio specierum per generationẽ.

Consumes spiritum eorum. Post conseruationem indiuiduorum subiungit conseruationem specierum: quæ fit per generationem. Et ab illius necessitate inchoat. *Consumes spiritum eorum & obibunt*, necessitas seruandi speciem per generationem est mors indiuiduorum: quę fit paulatim per consumptionem, & propterea Deum auctorem consumptionis describit. *Consumes spiritum eorum*, spiritum vitalem actione contrariorum ex quibus sunt composita, *& obibunt*, morientur: *& ad puluerem suum reuertentur*, ex quo corpora eorum facta sunt.

Emittes spiritum tuum. Describitur conseruatio specierum. Mortuis animalibus non desinent species eorundem: quia non solùm consumes speciem eorum, sed *emittes* quoque *spiritum tuum*, similitudinem seu imitationem spiritus tui, animas animalium: *creabuntur*, hoc est, de nouo fient animalia: *& sic renouabis facies terræ*, per successiuam siquidem generationem mortuis parentibus renouatur facies terræ succedentibus filiis.

Erit honor Domini sempiterno. Vtilitas conseruationis tam indiuiduorum quàm specierum describitur duplex. Altera est: *Erit honor Domini in sempiternum*, perpetuò enim conseruatis rebus, honorabitur quoque Dominus in sempiternum. Altera est: *Lætabitur Dominus in operibus suis.* Honor Deo impenditur à nobis: lætitia autem Dei in operibus suis, à seipso est. Et hæc est ratio conseruationis ex parte Dei: quia scilicet ad similitudinem opificis gaudentis operibus propriis se habet. Et significatur per hoc in Deo ad literam liberalissimus amor ipsius erga esse creaturarum.

Vers. 32. Respiciens terram. Post conseruationem rerum (quam etiam Moyses in operibus sex dierum descripsit: dum Deum prouidisse de cibo & benedixisse, *crescite & multiplicamini*, descripsit) transit Propheta ad conseruationem diuini cultus: describens illum conseruari timore. Et verè apparet quòd timor Dei homines in cultu diuino seruat: ex eo quòd pauci amore ducerentur ad cultum diuinum. Et locupletissimum testimonium habemus ex gestis Patrum in veteri Testamento: qui non nisi afflicti redibant ad Deum.

Timor Dei homines in diuino cultu seruat.

Timorem autem Dei describit Propheta à terræmotu & incendio. *Respiciens terram.* Metaphoricè loquitur, introducens Deum terribili aspectu respicientem terram: *& tremuit*: ecce terræmotus. *Tanget in montibus*, velut ignem apponens, *& fumabunt*, incendio. Et per hæc duo intellige omnes plagas quas Deus dat hominibus.

¶ *Cantabo Domino.* Ecce vtilitas diuinorum terrorum in genere humano. *Cantabo Domino in vita mea.* Diuinus cultus à cantu describitur diuturno. *Cantabo Deo meo in esse meo.* Vbi nota quòd non dicit *cantabunt*, seu *cantabimus*: vt intelligas non omnes sed paucos seu paucissimos etiam ex timore moueri ad veri Dei cultum. Et verè sic erat tunc: quia totus ferè mundus colebat idola. *Dulcescet super ipso.* Describitur demum conseruatio diuinæ amicitiæ inter Deum & hominem: quæ consistit in charitate: quâ Deus diligit hominem ad æternam patriam, & homo diligit Deum vt patrem cœlestis patriæ. Cuius conseruationem describit humano more vltrò citróque. Ex parte quidem Dei quòd dulcescant continuè ei eloquia hominis: hoc est, quòd ei sint continuè gratiora non solùm obsequia animi, sed etiam obsequia sermonis nostri: ex parte autem hominis lætitia in Deo maximè conseruat diuinam amicitiam. *Dulcescet*, inquit, *super ipso*, Deo (Hebraicus mos loquendi videtur) hoc est, ipsi Deo, *eloquium meum*, & non solùm animus meus: *ego lætabor in Domino.*

Conseruatio diuinæ amicitiæ inter Deum & hominem.

Consumentur peccatores. Ecce fructus seu vtilitas amicitiæ inter Deum & hominem, odium peccati & consequenter peccatorum vt sic. Quocirca non prædicendo, sed exosos habendo & demeritum iniquorum describendo ait: *Consumentur peccatores*, consumi merentur, & si fieri posset vellem eos consumi, *de terra, & impij amplius non ipsi.* Explanatio est consumptionis quòd non amplius ipsi sint. *Benedic anima mea Dominum.* Regreditur Propheta ad principium: vt intelligamus totum hunc progressum inchoatum vt laudetur Deus, & finiri in laude Dei. Verùm non sufficit ei inuitare suam animam, sed inuitat omnes, subiungendo *Halelu Iah*, hoc est, laudate Deum. Amen

Alleluia est dictio composita ex Halelu, id est, laudate, & Iah quod est nomen Dei.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Halelu Iah. CIV.

1 *CONFITEMINI Domino & inuocate nomen eius: annunciate inter gentes opera eius.*

2 *Cantate ei & psallite ei: narrate omnia mirabilia eius.*

3 *Laudamini in nomine sancto eius: lætetur cor quærentium Dominum.*

IVXTA HEBRÆVM.

CV.

1 *Propheta.* CONFITEMINI Domino [4], vocate in nomine eius: notas facite in populis operationes eius.

2 Canite ei, psallite ei: loquimini in omnibus separatis eius.

3 Gloriamini in nomine sanctitatis eius: lætabitur cor quærentium Dominum [4].

4 *Quarite Dominum & confirmamini: quarite faciem eius semper.*

5 *Mementote mirabilium eius quæ fecit: prodigia eius & indicia oris eius.*

6 *Semen Abraham serui eius: filij Iacob electi eius.*

7 *Ipse Dominus Deus noster: in vniuersa terra iudicia eius.*

8 *Memor fuit in seculum testamenti sui: verbi quod mandauit in mille generationes.*

9 *Quod disposuit ad Abraham: & iuramenti sui ad Isaac.*

10 *Et statuit illud Iacob in præceptum: & Israël in testamentum æternum.*

11 *Dicens: tibi dabo terram Chanaan: funiculum hæreditatis vestræ.*

12 *Cum essent numero breui: paucissimi & incolæ eius.*

13 *Et pertransierunt de gente in gentem: & de regno ad populum alterum.*

14 *Non reliquit hominem nocere eis: & corripuit pro eis reges.*

15 *Nolite tangere christos meos: & in prophetis meis nolite malignari.*

16 *Et vocauit famem super terram: & omne firmamentum panis contriuit.*

17 *Misit ante eos virum: in seruum venundatus est Ioseph.*

18 *Humiliauerunt in compedibus pedes eius: ferrum pertransiit animam eius, do-*
19 *nec veniret verbum eius.*
Eloquium Domini inflammauit eum:
20 *misit rex & soluit eum, princeps populorum & dimisit eum.*

21 *Constituit eum dominum domus suæ: & principem omnis possessionis suæ.*

22 *Vt erudiret principes eius sicut semetipsum: & senes eius prudentiam doceret.*

23 *Et intrauit Israël in Ægyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham.*

24 *Et auxit populum suum vehementer: & firmauit eum super inimicos eius.*

25 *Conuertit cor eorum vt odirent populum eius: & dolum facerent in seruos eius.*

26 *Misit Moysen seruum suum: Aaron quem elegit ipsum.*

4 Quærite Dominum * & fortitudinem eius: quærite facies eius iugiter.

5 Recordamini separata eius quæ fecit: miracula eius, & iudicia oris eius.

6 Semen Abraham serui eius: filij Iacob electi eius.

7 Ipse Dominus * Deus noster: in vniuersa terra iudicia eius.

8 Recordatus est in æternum † pacti sui: verbi quod præcepit mille generationi. † *æterno.*

9 Quod feriit cum Abraham: & iuramenti sui Isaac.

10 Et fecit stare illud Iacob in præceptum†: Israeli pactum sempiternũ. † *præcepto.*

11 Dicendo. *Vox Dei recitata.* Tibi dabo terram Chanaan, funiculum hæreditatis vestræ.

12 *Propheta.* Existentibus ipsis gentibus numeri, velut parum: & peregrinantibus in ea.

13 Et iuerunt de gente ad gentem: de regno ad populum alterum.

14 Non dimisit hominem ad calumniandum eos: & corripuit super eos reges.

15 *Deus.* Ne tangite in christis meis: & prophetis meis ne malefacite.

16 *Propheta.* Et vocauit famem super terram: omne sustentaculum panis fregit.

17 Misit faciebus eorum virum: in seruum † venundatus est Ioseph. † *serui.*

18 Afflixerunt in compede pedem eius: ferrum ingressa est anima eius.

19 Vsque ad tempus veniendi verbum eius: dictum Domini * purificauit eum.

20 Misit rex & soluere fecit eum: potestas populorum & aperuit illi.

21 Posuit eum dominum domui suæ: & potestatem in omni acquisitione sua.

22 Ad ligandum principes eius in anima sua: & senes eius sapientes faciet.

23 Et venit Israel in Ægyptum: & Iacob peregrinatus est in terra Cham.

24 Et crescere fecit populum suum valde: & roborauit eum super angustatores eius.

25 Vertit cor eorum ad odiendum populum suum: ad machinandum in seruos suos.

26 Misit Moysen seruum suum: Aaron quem elegit in se.

27 Posue

27 *Posuit in eis verba signorum suorum & prodigiorum: in terra Cham.*

28 *Misit tenebras & obscurauit: & non exacerbauerunt sermones eius.*

29 *Conuertit aquas eorum in sanguinem: & occidit pisces eorum.*

30 *Edidit terra eorum ranas: in penetralibus regum ipsorum.*

31 *Dixit & venit cynomÿa & cynifes: in omnibus finibus eorum.*

32 *Posuit pluuias eorum grandinem: ignem comburentem in terra ipsorum.*

33 *Et percussit vineas eorum & ficulneas eorum: & contriuit lignum finium eorum.*

34 *Dixit & venit locusta & bruchus: cuius non erat numerus.*

35 *Et comedit omne fœnum in terra eorum: & comedit omnem fructum terræ eorum.*

36 *Et percussit omne primogenitum in terra eorum: primitias omnis laboris eorum.*

37 *Et eduxit eos cum argento & auro: & non erat in tribubus eorum infirmus.*

38 *Lætata est Ægyptus in profectione eorum: quia incubuit timor eorum super eos.*

39 *Expandit nubem in protectionem eorum: & ignem vt luceret eis per noctem.*

40 *Petierunt & venit coturnix: & pane cæli saturauit eos.*

41 *Dirupit petram & fluxerunt aquæ: abierunt in sicco flumina.*

42 *Quoniam memor fuit verbi sancti sui: quod habuit ad Abraham puerum suum.*

43 *Et eduxit populum suum in exultatione: & electos suos in lætitia.*

44 *Et dedit illis regiones gentium: & labores populorum possederunt.*

45 *Vt custodiant iustificationes eius: & legem eius requirant.*

27 Posuerunt in eis verba signorum suorum & separatorum: in terra Chã.

28 Misit obscuritatem & obscurauit: & non rebellarunt verbis eius.

29 Vertit aquas eorum in sanguinem †: & fecit mori piscem eorum. † sanguini.

30 Ebulliuit terra eorum ranas: in cubiculis regum eorum.

31 Dixit, & venit mixtura: pediculi in omnem terminum eorum.

32 Dedit pluuias eorum grandinem: ignem flammarum in terra eorum.

33 Et percussit vitem eorum & ficum eorum: & confregit lignum finis eorum.

34 Dixit, & venit locusta & bruchus: & non erat numerus.

35 Et comedit omnem herbam in terra eorum: & comedit fructum humi eorum.

36 Et percussit omne primogenitum in terra eorum: primitias omnis fortitudinis † eorum.

37 Et fecit exire eos in argento & auro: & non fuit in tribubus eorum imbecillis.

38 Lætata est Ægyptus egredientibus ipsis: quoniam cecidit timor ipsorum super eos.

39 Expandit nubem in opertorium †: & ignem ad lucendum nocte. † opertorio.

40 Petiit: & fecit venire coturnicem, & pane cælorum saturabit eos.

41 Aperuit petram & fluxerunt aquæ: iuerunt in siccitatibus flumen.

42 Quia recordatus est verbum sanctitatis suæ: cum Abraham seruo suo.

43 Et exire fecit populum suum in exultatione: in cantu electos suos.

44 Et dedit eis terras gentium: & laborem populorum hæreditabunt.

45 Propterea custodient præcepta eius: & leges eius seruabunt, halelu Iah.

COMMENTARIVS.

Materia. Titulus nullus est. Materia Psalmi ex ipso clarè apparet. Est enim historia rerum gestarum à promissione facta Abrahæ de terra promissionis vsque ad introductum populum in terram promissionis: non vt historia sed vt materia diuinæ laudis.

SVMMARIVM EST.

Propheta inuitat filios Israel ad laudandum colendumque Deum, & narrandum opera Dei erga illos: inchoans ab Abraham vsque ad possessam terram promissionis.

Personæ loquentes sunt Propheta & Deus.

CONFITEMINI DOMINO. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *canite ei.* Proponit tria filiis Israel, scilicet, *Confitemini Domino*, confessione laudis, *vocate in nomine eius:* hoc est petite non in nomine alicuius Dei (Baal, &c.) sed *in nomine* *eius,* VERS. 1. *Inuitantur filij Israel ad laudandum Deum.*

eius, scilicet Domini: *notas facite in populis operationes eius*: non solùm laudate & adorate Dominum: sed etiam prædicate in populis diuersarum ciuitatũ operationes quas operatus est Dominus, Abrahæ aliisque Patriarchis & populo Israel.

Vers. 2. CANITE EI. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *confitemini*. Secundò illa, *vocate*, ibi, *lætabitur*. Tertiò illa, *notas facite operationes*, ibi, *ipse Dominus Deus noster*.

Declarat itaque laudandum Dominum, tum quoad modum laudandi, scilicet cantu: *Canite ei, psallite ei*. Geminat monitionem cantus, ad exaggerandam rationem canendi. Tum quoad materiam: *Loquimini in omnibus separatis*, hoc est, mirabilibus *eius*, cantando. Tum quoad modum ex parte laudantium: *Gloriamini in nomine sanctitatis eius*. Ad gaudium immo iactantiam quandam non in nomine proprio, sed in nomine diuinæ sanctitatis manifestatæ in eis, inuitat cantantes. Et intendit vt cantando mirabilia Dei, simul glorientur se sub nomine sanctitatis diuinæ viuere militare, &c.

Vers. 3. LÆTABITUR. Tractatur hîc illa particula, *vocate*: tum quoad modum ex parte vocantium. *Lætabitur cor quærentium Dominum*. Vocandus seu quærendus est Deus læto corde: hoc est ex amore tanto quòd pariat lætitiam in actu quærendi Dominum. Tum quoad rem quæsitam. *Quærite Dominum*. Tria explicat quærenda in Deo. Primo Dominum: non vt sit Dominus (quia velimus nolimus est Dominus) sed ex parte nostri: vt scilicet simus digni serui eius: ac per hoc dominetur nostri vt dignorum seruorum. *Et fortitudinem eius*. Potentia eius secundò quærenda est: vt pugnet pro nobis. *Quærite faciem eius*. Gratia eius tertiò per *faciem* significata quærenda describitur *iugiter*, continuè: virtualiter quidem (hoc est secundùm intentionem) sine intermissione: actualiter autem locis & temporibus congruis.

Tria in Deo quærenda.

Tum quoad memoriam. *Recordamini separata eius quæ fecit*. Recurrentes ad Dominum, monet etiam ad memoriam reuocare opera quæ Deus fecit admiratione digna: quæ sunt innumera. Et specialiter miracula eius, quæ excedunt facultatem naturæ, *& iudicia oris eius*: hoc est, quæ per seipsum velut ore proprio sententiam protulit Deus, vt in subuersione Sodomæ & Gomorræ, in flagellis & submersione Ægyptiorum, in punitione Dathan & Abiron, Core, &c.

Semen Abraham. Dixerat *confitemini, vocate, quærite, recordamini*, nec explicauerat quos alloquitur: modò explicat se alloqui populum Israel. *Semen Abraham serui eius*. Nuncupatur specialiter Abraham seruus Dei, quia fuit primus separatus ab Idololatris Gentibus ad colendum vnum Deum. Appellatúrque populus non semen Adam, Noë, aut Sem sed Abrahæ: quia fuit primus cui promissa est terra promissionis, & est primus pater fidei: de quo scriptum est: *Credidit Abraham Deo*, &c. *Filij Iacob*. Non suffecit appellare populum semen Abrahæ: quia sub Abrahæ semine poterat comprehendi Ismael cum filiis Cethuræ & Esau. Et propterea ad specificandum semen Abrahæ, subiungit *filij Iacob*. Ac si apertè diceret: non inuito totum semen Abrahæ, sed semen Iacob. *Electi eius*. Nominatiuus pluralis est *electi*: & adiacet substantiuo *filij*, & est sensus quòd filij Iacob sunt electi Dei. Et hoc ad differentiam filiorum Abrahæ & Isaac: nullus siquidem filiorum Iacob exclusus est ab electione Dei: hoc est, quin fuerit pars populi Dei. Sed inter filios Abrahæ multi sunt exclusi: & solus Isaac est electus, & inter filios Isaac solus Iacob est electus.

Abraham cur specialiter seruus Dei dicitur?

Vers. 7. IPSE DOMINUS. Tractatur hîc illa particula, *notas facite in populis operationes eius*. Inchoando à communibus toti mundo. *Ipse Dominus, Deus noster*, gratia cultus: *in vniuersa terra iudicia eius*, hoc est, cuius iudicia se extendunt ad vniuersam terram. *Recordatus est*. Incipit narrare operationes Dei erga populum Israel: & ad magnificandum hoc beneficium præmisit curam Dei erga vniuersam terram. Ac si apertè diceret quòd ille cui incumbit curam habere vniuersæ terræ, in tam magna mole regiminis recordatus est fœderis minimi. *In æternum pacti sui*, Genes. 15. scripti: *verbi quod præcepit mille generationi*. Ipsum fœdus appellatur verbum præceptum à Deo, non vni aut tribus aut decem, sed *mille generationi*, numerus finitus pro infinito. Præceptum autem dicitur: quia ordinatum à Deo est.

Narrat operationes Dei erga populum Israel.

Quod ferit cum Abraham. Explicat primam personam cum qua Deus contraxit fœdus, scilicet Abraham. *Et iuramenti sui ad Isaac*. Genes. 26. firmatur promissio facta Abrahæ, dicente Deo ad Isaac. *Tibi & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abraham patri tuo*. Et appellatione iuramenti intellige immobilem voluntatem.

Fœdus Dei cum Abraham. Isaac. Iacob. &c.

Et fecit stare illud Iacob, datiui casus, *præcepto*, hoc est ad præceptum. Ideo etiam datiui casus: diuinum pactum firmatum dicitur Iacobo in præceptum, propter vinculum obligatorium quod peperit in ipso Iacob ad cultum Dei, & ad decimarum oblationem: vt apparet Genes. 28. vbi post firmatam eandem promissionem Iacobo, clarè dicitur quòd *vouit votum Domino*, &c. *Israeli pactum sempiternum*, Genes. 35. *Dixit Deus ad Iacob: non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum: terram quam dedi Abraham & Isaac, dabo tibi & semini tuo post te*: hoc est pactum Israeli sempiternum: quod prius fuerat eidem vocato Iacob in præceptum, ordinatum à Deo cum subsecuto vinculo.

Genes. 35.

Dicendo: Vox Dei introducitur paciscentis: *Tibi dabo terram Chanaan*: hoc est pactum cum Abraham initum. *Tibi*, Abrahæ in semine tuo. *dabo terram Chanaan funiculum hæreditatis vestræ*, tanquam hæreditatem vestram funiculo distinctam à reliquis partibus mundi. Cùm dixisset *tibi*, subiunxit *hæreditatis vestræ*, explicans successores.

Existentibus ipsis gentibus numeri. Descriptâ operatione Dei promissoriâ terræ promissionis, describit consequenter diuinam custodiam respectu Patriarcharum. Existentibus itaque ipsis, scilicet Abraham & Isaac & Iacob, *gentibus numeri velut paruum*, hoc est, qui facilè numerari possent: quia pauci erant filij, serui & vernaculi eorum: & peregrinantibus in ea. Explanat quod dixerat *gentibus numeri* quoad qualitatem: & *peregrinantibus*, non habentibus arcem seu ciuitatem sed *peregrinantibus in ea*, terra Chanaan: iuxta verbum Stephani Act. 7. de Abraham: *Et non dedit ei hæreditatem in ea nec passum pedis, sed promisit*, &c.

Act. 7.

Et

Et ierunt de gente ad gentem. Et quidem de Abraham triplex legitur peregrinatio, scilicet de Chaldæa per Syriam in terram Chanaan:& inde in Ægyptum: & post reuersionem ex Ægypto peregrinatus est in Gerara, quæ Palæstina dicitur. Isaac autem vnica legitur peregrinatio in terram Palæstinorum. Iacob verò primò iuit in Syriam: & reuersus cum vxoribus & filiis habitauit apud Sichimitas: & inde progressus est in Bethel. Huiusmodi migrationes describuntur ex diuersitate gentium & regnorum, propter diuersitatem principum.

Abraha, Isaaci, & Iacob peregrinationes.

Non dimisit hominem ad calumniandum eos. Ecce custodia diuina, existentibus paucis, peregrinis, in tot itineribus: inter tantas diuersitates, non permisit opprimi eos. *Et corripuit super eos reges:* Pharaonem scilicet regem Ægypti, Abimelech regem in Geraris.

Ne tangite. Vox Dei introducitur facta ad Abimelech regem de Abraham Genes.20 *Redde viro suo vxorem & orabit pro te,quia Propheta est. Ne tangite in Christis meis, & prophetis meis ne malefacite.* Appellat Patriarchas vnctos & Prophetas: explicando vnctionem eorum fuisse in Prophetas. Et quidem Abraham Deus appellauit Prophetam. Isaac verò Genes. 27. manifestatur Prophera, post benedictionem Iacob prædicens ventura vtrique filio. Iacob quoque Genes.49. clarè prophetat ventura futuris temporibus. Pluraliter autem dicitur, *ne tangite*, ne malefacite: quoniam pluries Deus legitur has inhibitiones fecisse: vt patet Genes. 3 1.& 35.

Genes.20.

Abraham vocatur à Deo Propheta.

Vers.16. Et vocavit famem. Tertia diuina operatio describitur in diuina prouidentia pro sustentatione filiorum Israel.præmittendo,custodiendo, & exaltando Ioseph. *Et vocauit famem super terram*, tempore Iacob: *& omne sustentaculum panis fregit.* Metaphoricus est sermo: ad similitudinem frangentis baculum quo sustentatur, describendo caritatem annonæ.

Misit faciebus eorum virum. Vbi aduerte quòd licet fratres Ioseph vendiderint ipsum, Deus tamen ex intentione misit Ioseph mediante venditione fratrum. Et propterea hanc mediam causam subdidit: *in seruum venundatus est Ioseph.*

Mira Dei prouidentia in Iosepho.

Afflixerunt in compede pedem eius. Afflictio Ioseph quia noluit consentire adulterio cum domina sua describitur. *Ferrum ingressa est anima eius*, non solum libertatem pedum perdidit, sed tristitiam animi incurrit ex ferro compedum.Per quod significantur compedes afflictiui.

Vsque ad tempus veniendi verbum eius, hoc est, vsque ad tempus quo venit tempus manifestandi somnium Pharaonis: *dictum Domini*, contestatum in illo à principe pincernarum, *purificauit eum*, ad literam à corporalibus immundiciis: totonderunt enim Ioseph vt mundus compareret coram Pharaone.

Misit rex, Pharao, *& soluere fecit eum*, à vinculis: *potestas populorum*, idem Pharao habens potestatem super populos, *& aperuit illi*, hoc est, aperuit carceres vt liberaret illum. *Posuit*, Pharao, *eum*, Ioseph, *Dominum domui sua*, scilicet Pharaonis: *& potestatem in omni acquisitione sua.*

Ad ligandum principes eius in anima sua, scilicet ipsius Ioseph: *& senes eius*, Pharaonis, *sapientes faciat.* Duæ describuntur prærogatiuæ Ioseph. Altera datæ à Pharaone potestatis ad obligandum etiam Principes prout ipsi Ioseph videretur. Altera expectata, ad efficiendum sapientes etiam senes eius.

Et venit Israel Ægyptum, sub vmbra Ioseph: *Et Iacob peregrinatus est in terra Cham.* Ægyptus ipsa vocatur terra Cham à filio Noë.

Ægyptus est terra Cham.

Vers.24. Et crescere fecit. Prosequendo historiam tractat mirabilia opera Dei in Ægypto patrata. *Et crescere fecit populum suum valde*, post mortem Ioseph: *& roborauit eum super*, hoc est plusquam, *angustatores eius*, Ægyptios.

Vertit cor eorum, dominantium in Ægypto, *ad odiendum populum suum*, Dei. Vertit autem, subtrahendo gratiam & permissiuè,non incitando ad odium: Deus enim non est incitator ad peccandum. *Ad machinandum in seruos suos*, non solùm ad odio habendum sed etiam ad machinandum contra populum Dei:machinati sunt enim affligere eos operibus duris luti & lateris, & occidere infantulos eorum tum per obstetrices tum per expositionem in flumine.

Mira Dei opera in Ægypto.

Misit Moysen seruum suum: nec solum Moysen, sed *Aaron*, fratrem eius, *quem elegit in se*, hoc est sibi ad sacerdotium. *Posuerunt*, filij Israel ad quos missi sunt à Deo Moyses & Aaron, *in eis*, Moyse & Aaron. *verba signorum suorum*, sibi datorum à Deo: *& separatorum*, id est, mirabilium, *in terra Cham*, in Ægypto: hoc est acceptauit populus, & constituerunt vt Moyses & Aaron verba facerent coram Pharaone iuxta signa & mirabilia Dei promissa.

Misit obscuritatem. A nona Ægypti plaga incipit: *& obscurauit*, factæ sunt enim tenebræ in Ægypto: *& non rebellarunt verbis eius.* Ista particula secundùm ordinem sententiarum iungitur cum præcedenti versiculo: *Posuerunt in eis verba signorum suorum & separatorum in terra Cham: & non rebellarunt verbis eius.* Describit enim populi (vt dictum est) assensum verbis Moysi ex parte Dei propositis: & deinde incipit narrare prodigia: *Misit obscuritatem*, &c. Metricus enim stylus intercepit sententias.

Plaga Ægypti.

Vertit aquas eorum in sanguinem (prima fuit hæc plaga) *& fecit mori piscem eorum*, multitudinem piscium.

Ebulliuit terra eorum ranas (secunda est plaga) *in cubiculis regum*: hoc est vsque ad cubicula regia.

Dixit: & venit mixtura, multimodi generis muscarum, & fuit quarta plaga. *Pediculi in omnem terminum eorum:* & fuit tertia plaga.

Dedit pluuias (septima est plaga) *grandinem:* nec solum grandinem, sed *ignem flammarum in terra eorum* (*ignis enim & grando pariter ferebantur.*) *Et percussit vitem eorum & ficum eorum: & confregit lignum finis eorum*, effectus describitur grandinis.

Dixit, & venit locusta. Octaua fuit plaga bruchi & locustarum innumerabilium. Inter locustas & bruchos differentia est: locustæ alatæ, bruchi sine alis sunt. Commune tamen est vtrisque comedere seu corrodere herbas. *Et comedit omnem herbam in terra eorum.* Damnum à locustis illatum describitur.

Locustæ alatæ, bruchi sunt sine alis.

Et percussit (decima est plaga mortis primogenitorum) *primitias omnis fortitudinis eorum.* Primos partus appellat primitias fortitudinis, potentiæ eorum.

Et exire fecit, de Ægypto, *eos*, populum suum, *in argento & auro*, spoliatis Ægyptiis: *& non in*

tribubus

tribubus eorum imbecillis. Mirabilis gratia quòd in tam excessiua multitudine nec vnus ægrotaret.

Lætata est Ægyptus egredientibus ipsis, filiis Israel: *quoniam cecidit timor ipsorum*, filiorum Israel, *super eos*, Ægyptios, videndo mortuos omnes primogenitos. Et hic fuit fructus tot miraculorum: vt scilicet exirent filij Israel de seruitute Ægyptiorum.

Miracula in itinere populi ad terrã promissionis. *Vers.* 39. EXPANDIT NVBEM. Prosequendo historiam, narrat mirabiles operationes Dei in itinere populi ad terram promissionis. *Expandit nubem in opertorium*, ab æstu in die: *& ignem*, columnam igneam, *ad lucendum nocte*, coram populo. *Fecit venire coturnicem*, in cibum eorum: & *pane cælorum*, hoc est manna, *saturabit eos.* Futurum *saturabit* ad denotandam perseuerantiam mannæ per totum illud tempus 40. annorum apponitur. *Aperuit petram & fluxerunt aquæ: iuerunt*, aquæ, *in siccitatibus*, deserti, *flumen*, hoc est tanquam flumen, seu conficientes flumen.

Quia recordatus est verbum sanctitatis suæ. Rationem tot mirabilium operum diuinorum reddit diuinum verbum habitum cum Abraham Patriarcha.

Et exire fecit. Recordatio Abrahæ non solùm prædictorum sed etiam subsequentium ex ipsa coniunctione monstratur ratio.

Et exire fecit populum suum in exultatione, de deserto: *in cantu electos suos. Et dedit eis terras gentium*, Amorrhæorum & Chananæorum: *& laborem populorum*, qui priùs ibi habitauerant, *hæreditabunt*, hæreditario iure Abrahæ possidendo perseuerabunt.

Propterea custodient præcepta eius, Dei, obediendo: *& leges eius seruabunt*, viuendo & operando secundùm eas. Hic est fructus reddendus à populo propter tot beneficia. *Halelu Iah*, hoc est laudate Deum. Regreditur enim ad initium vnde Psalmus incepit: vt intelligamus omnia esse dicta quatenus sunt materia laudis diuinæ. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Halelu Iah.

CV.

1 CONFITEMINI Domino: quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.

2 Quis loquetur potentias Domini: auditas faciet omnes laudes eius?

3 Beati qui custodiunt iudicium: & faciunt iustitiam in omni tempore.

4 Memento nostri Domine in beneplacito populi tui: visita nos in salutari tuo.

5 Ad videndum in bonitate electorum tuorum ad lætandum in lætitia gentis tuæ: vt lauderis cum hæreditate tua.

6 Peccauimus cum patribus nostris: iniustè egimus, iniquitatem fecimus.

7 Patres nostri, in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ.
Et irritauerunt ascendentes in mare: mare rubrum.

8 Et saluauit eos propter nomen suum: vt notam faceret potentiam suam.

9 Et increpuit mare rubrum & exsiccatum est: & deduxit eos in abyssis sicut in deserto.

10 Et saluauit eos de manu odientium: & redemit eos de manu inimici.

IVXTA HEBRÆVM.

Halelu Iah.

CVI.

1 *Propheta.* CONFITEMINI Domino[+]: quoniam bonus, quoniam æterno gratia eius.

2 Quis loquetur fortitudines Domini[+]: auditam faciet omnem laudem eius?

3 Beatitudines custodientium iudicium: facientis iustitiam in omni tempore.

4 Recordare mei Domine[+] in voluntate populi tui: visita me in salute tua.

5 Ad videndum in bonitate electorum tuorum: ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ad gloriandum cum hæreditate tua.

6 Peccauimus cum patribus nostris: obliquauimus, impiè egimus.

7 Patres nostri, in Ægypto non intellexerunt separata tua: non sunt recordati multitudinis gratiarum tuarum, & rebellarunt super mare, in mari rubro †. † *mari cdos.*

8 Et saluauit eos propter nomen suum: ad faciendum scire fortitudinem suam.

9 Et increpauit in mari rubro †: & † *mari cdos.* fecit ire eos in abyssis ve-aruit, & ut deserto.

10 Et saluauit eos à manu odientis: & redemit eos à manu inimici.

11 Et

11 *Et operuit aqua tribulantes eos: vnus ex eis non remansit.*

12 *Et crediderunt verbis eius: & laudauerunt laudem eius.*

13 *Citò fecerunt, obliti sunt operum eius: & non sustinuerunt consilium eius.*

14 *Et concupierunt concupiscentiam in deserto: & tentauerunt Deum in inaquoso.*

15 *Et dedit eis petitionem ipsorum: & misit saturitatem in animas eorum.*

16 *Et irritauerunt Moysen in castris: Aaron sanctum Domini.*

17 *Aperta est terra & deglutiuit Dathan: & operuit super congregationem Abiron.*

18 *Et exarsit ignis in synagoga eorum: flamma combussit peccatores.*

19 *Et fecerunt vitulum in Choreb: & adorauerunt sculptile.*

20 *Et mutauerunt gloriam suam: in similitudinem vituli comedentis fœnum.*

21 *Obliti sunt Deum qui saluauit eos: qui*
22 *fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.*

23 *Et dixit vt disperderet eos: si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius.*

Vt auerteret iram eius ne disperderet eos:
24 *& pro nihilo habuerunt terram desiderabilem.*

25 *Non crediderunt verbo eius, & murmurauerunt in tabernaculis suis: non exaudierunt vocem Domini.*

26 *Et eleuauit manum suam super eos: vt prosterneret eos in deserto.*

27 *Et vt deijceret semen eorum in nationibus: & disperderet eos in regionibus.*

28 *Et initiati sunt Beelphegor: & comederunt sacrificia mortuorum.*

29 *Et irritauerunt eum in adinuentionibus suis: & multiplicata est in eis ruina.*

30 *Et stetit Phinees & placauit: & cessauit quassatio.*

31 *Et reputatum est ei in iustitiam: in generatione & generatione vsque in sempiternum.*

32 *Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis: & vexatus est Moyses propter*
33 *eos, quia exacerbauerunt spiritum eius.*

11 Et operuerunt aquæ angustatores eorum: vnus ex ipsis non superfuit.

12 Et crediderunt in verbis eius: cecinerunt laudem eius.

13 Festinauerunt, obliti sunt operum illius: non expectauerunt consilium † eius. *† consilio.*

14 Et desiderauerunt desiderium in deserto: & tentauerunt Deum in solitudinibus.

15 Et dedit eis petitionem ipsorum: & misit maciem in animam eorum.

16 Et zelati sunt Moysen † in castris: Aaron sanctum † Domini *. *† Moysi. † Aaroni sancto.*

17 Aperta est terra: & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abiram.

18 Et exarsit ignis in congregatione eorum: ad inflammandum flamma impios.

19 Facient vitulum in Choreb: & curuauerunt se conflatili.

20 Et mutauerunt honorem eius: in similitudinem bouis comedentis herbam.

21 Obliti sunt Dei saluatoris sui: facientis magna in Ægypto.

22 Separata in terra Cham: terribilia super mare rubrum †. *† mare cãna*

23 Et dixit ad delendum eos: nisi Moyses electus eius stetit in diuisione coram faciebus eius, ad auertendum iram eius à diruendo.

24 Et despexerunt in terra desiderabili: non crediderunt sermoni eius.

25 Et murmurauerunt in tentoriis suis: non audierunt in voce Domini *.

26 Et eleuauit manum suam super ipsos: ad faciendum cadere eos in deserto.

27 Et ad faciendum cadere semen eorum in gentibus: & ad dispergendum eos in terris.

28 Et coniuncti sunt Baalpheor: & comederunt sacrificia mortuorum.

29 Et fecerunt indignari in operibus suis: & creuit in eis mortalitas.

30 Et stetit Pinchas & iudicauit: & est restricta mortalitas.

31 Et reputatum est ei in iustitiam †: generationi & generationi vsque æternum. *† iustitia.*

32 Et fecerunt indignari super aquas litis: & fuit malum Moysi propter eos.

33 Quia fecerunt rebellare spiritum eius: & locutus est in labiis suis.

34 Non

34 *Et distinxit in labiis suis: non disperdiderunt gẽtes quas dixit Dominus illis.*
35 *Et commixti sunt inter gentes & didicerunt opera eorum,*
36 *& seruierunt sculptilibus eorum: & factum est illis in scandalum.*
37 *Et immolauerunt filios suos & filias suas dæmoniis.*
38 *Et effuderunt sanguinem innocentem: sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.*
39 *Et infecta est terra in sanguinibus & contaminata est in operibus eorum: & fornicati sunt in adinuentionibus suis.*
40 *Et iratus est furore Dominus in populum suum: & abominatus est hereditatem suam.*
41 *Et tradidit eos in manus gentium: & dominati sunt eorum qui oderunt eos.*
42 *Et tribulauerunt eos inimici eorum, &*
43 *humiliati sunt sub manibus eorum: sæpe liberauit eos.*
Ipsi autem exacerbauerunt eum in consilio suo: & humiliati sunt in iniquitatibus suis.
44 *Et vidit cum tribularentur: cum exaudiret orationem eorum.*
45 *Et memor fuit testamenti sui: & pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ.*
46 *Et dedit eos in misericordias in conspectu omnium qui ceperant eos.*
47 *Saluos fac nos Domine Deus noster: & congrega nos de nationibus.*
Vt confiteamur nomini sancto tuo: & gloriemur in laude tua.
48 *Benedictus Dominus Deus Israel à seculo & vsque in seculum: & dicet omnis populus fiat fiat.*

34 Non deleuerunt populos: quos dixit Dominus [4] eis.
35 Et commixti sunt in gentibus: & didicerunt opera eorum.
36 Et seruierunt simulachris eorum: & fuerunt eis impactioni.
37 Et immolauerunt filios suos & filias suas dæmonibus.
38 Et effuderunt sanguinem mundum, sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum quos sacrificauerunt simulachris Chanaan: & polluta est terra in sanguinibus.
39 Et coinquinati sunt in operibus suis: & fornicati sunt in operibus suis.
40 Et iratus est furor Domini [4] in populum suum: & abominatus est hæreditatem suam.
41 Et dedit eos in manu gentium: & dominati sunt in eos odientes eos.
42 Et afflixerunt eos inimici eorum: & humiliati sunt sub manu eorum.
43 Vicibus multis liberauit eos: & ipsi rebellauerunt in consilio suo, & humiliati sunt in iniquitate sua.
44 Et vidit in angustia eorum: audiente ipso eorum suspirium.
45 Et recordatus est eis pacti sui: & pœnituit secundùm multitudinem gratiæ suæ.
46 Et dedit eos ad misericordias †: faciebus omnium captiuantium eos. († *misericordias.*)
47 Salua nos Domine [4] Deus noster, & congrega nos de gentibus: ad confitendum nomini sanctitatis tuæ, ad gloriandum in laude tua.
48 Benedictus Dominus [4] Deus Israelis ab æterno & vsque æternum: & dicet omnis populus Amen. Halelu Iah.

COMMENTARIVS.

Materia. TItulus est, *Halelu Iah*: hoc est, laudate Deum. Et verè materia Psalmi significatur quòd est laus Dei. Inuitat enim Propheta filios Israel ad laudandum Deum propter bonitatem diuinam monstratam eis multiplici gratiâ veniæ & multiplici fortitudine: affert enim multas res gestas ab exitu de Ægypto vsque ad tempora Dauidis ad contestandum dictas gratias & fortitudines.

SVMMARIVM EST.

PRopheta filios Israel inuitat ad laudandum Deum propter Dei bonitatem, gratiam ac potentiam: Tum erga iustos: quorum beatitudinem statuit in bonitate electorum, in lætitia diuinæ gentis, in gloriatione diuinæ hæreditatis. Tum erga peccatores patres: quos septies in deserto, & multis vicibus in terra promissionis liberauit, glorificauit, &c.

Persona loquens Propheta est.

CONFITEMINI DOMINO. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Beatitudines*. Proponit tria, scilicet inuitationem ad laudandum Deum, *confitemini Domino*: triplicem materiam laudis, scilicet bonitatem, *quoniam bonus*: gratiam, *quoniam æterno gratia eius*: & potentiam, quam ab effectu appellat *fortitudines Domini*. Tertiò distinctè ... (Vers. 1.)

facultatem laudandi Deum: *quis loquetur fortitudines Domini, auditam faciet omnem laudem eius?* quasi dicat, nullus ad hoc est idoneus. Ubi nota quòd *bonitas* Dei refertur ad intentionem seu voluntatem diuinam: & significatur quoniam est bonæ voluntatis, quoniam non vult nisi bonum. *Gratia* autem refertur ad rationem benefaciendi: quòd scilicet non ex beneficiis receptis, non ex meritis, non ex indigentia, sed ex gratia donat. Et hæc extenditur vsque ad æternum: vt inexhausta & infatigabilis significetur perpetuis temporibus. *Fortitudines* demum, vires potentes ad omnem gratiam & ad omne benefacere significant. Et hæc omnia laudabilia ita vt enarrari non possint ad ingerendum ea auribus auditorum proponuntur: excusat enim se Propheta à plena narratione.

Bonitas, gratia, fortitudines Dei ad quid referantur?

Vers. 3. BEATITVDINES CVSTODIENTIVM. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *quoniam bonus.* Secundò gratia & fortitudo mixtim, ibi, *peccauimus.* Tertiò omnia simul, ibi, *benedictus.* Circa distinctionem huius Psalmi aduerte non separari partes in quibus tractatur de opere gratiæ, & de opere fortitudinis, sed intersecant se inuicem & miscentur: quoniam in multis partibus simul vtrumque tractatur. Et propterea noli mirari si ordo solitus in aliis Psalmis hîc non exponitur.

Beatitudines custodientium. Tractans Propheta de bonitate atque omnipotente gratia Dei erga filios Israël, inchoat suspirando à beatitudine hominum, definiendo, in quo consistit, scilicet in custodia iudicij & executione iustitiæ: hoc est in curam habendo iudicij tum diuini, tum rectæ rationis, & in tribuendo vnicuique quod ei debetur. Et statuit beatitudinem in principio tractatus consistere in virtute fidei curam habentis diuinorum iudiciorum & in executione iustorum operum. Tum vt inchoet ab effectu quasi connaturali diuinæ bonitatis: Deus enim bonus, quantùm ex se est, iustos facit omni tempore homines & beat: ex defectu autem nostro prouenit quòd non omnes omni tempore simus iusti. Tum vt ex monstrato fine nostro discernere possimus à quo deficimus, & in quo peccauimus: peccata enim & iniqua opera contrariantur, aut beatitudini quæ est finis, aut iis quæ sunt ad finem: tractaturus siquidem est de multis peccatis quibus recessimus ab huiusmodi vera beatitudine. Et est sermo de beatitudine vera præsentis vitæ.

Beatitudo hominis vitæ in quo consistat.

Recordare. Describit beatitudinem ipsam, non per modum describentis, sed supplicantis, petendo illam: ita quòd proposita beatitudine & in quo consistit (hoc est, quibus actibus nostris comparatur) modò describit partes ipsius beatitudinis quinque. Duas ex parte Dei vt causas, scilicet beneuolentiam & visitationem: & tres ex parte nostri vt partes integrales: videre, lætari, & gloriari. *Recordare mei Domine in voluntate*, hoc est, in tua volitione quâ vis populum tuum. Res nobis minus gratas nolumus, gratas autem volumus. Quos Deus odit dicitur nolle eos: & quos amat dicitur velle eos. Et propterea quoad sensum idem est dicere *in voluntate populi tui*, & *in beneuolentia populi tui.* Et dixit hoc tum ad differentiam temporis maleuolentiæ: quando scilicet Deus est iratus populo suo: petit enim vt sit memor sui non in ira, sed in beneuolentia populi sui. Et hæc est prima radix cuiuscumque boni nostri, quia enim Deus bene vult nobis, ideo boni sumus seu simus: & non è conuerso. Tum ad differentiam diuersarum beneuolentiarum: est siquidem alia Dei beneuolentia, quâ nihil odit eorum quæ fecit, & vult omnia esse: alia quâ vult aliquibus prosperitates temporales: alia quâ vult aliquibus vtrumque bonum: spirituale, scilicet & temporale. Et hæc beneuolētia significatur, addendo *populi tui.*

Partes ipsius beatitudinis quinque.

Beneuolentia Dei multiplex.

Visita me, non molestando, aut perdendo, sed *in salute tua*, non humanâ, *ad videndum in bonitate electorum tuorum.* Pondera tres partes beatitudinis esse tres effectus beneuolentiæ & visitationis diuinæ. Primus est ad videndum oculis mentis, in bonitate. Duplex potest esse constructio. Vel quòd denotetur res visa: & sit sensus, *ad videndum bonitatem electorum tuorum:* hoc est, ad essendum in bonis electorum tuorum. Ita quòd *videre* sumitur pro *habere*: iuxta vulgarem loquendi modum quo desideramus videre nuptias filiorum & similia: hoc est interesse illis. Vel quòd significetur qualitas seu modus videndi: multi enim vident in superbia cordis sui, multi in luxuria affectus sui. Describit Propheta effectum diuinæ visitationis esse *videre in bonitate* non qualicunque sed electorum Dei: hoc est, bonitate propria animis electorum. Et hæc visio extenditur tam ad bona quàm ad mala quæ occurrunt videnda: magnum siquidem donum gratiæ est videre tam bona quàm mala in illa bonitate animi quâ vident illa electi Dei.

Videre hic quid significet?

Ad lætandum in lætitia gentis tuæ. Secundus fructus secundáque pars beatitudinis est lætitia non qualiscunque sed gentis diuinæ, diuinam trahentis originem ratione diuinæ gratiæ qua efficimur filij Dei. *Ad gloriandum cum hæreditate tua.* Hæredes Dei iidem sunt qui & electi & gens Dei. Sed diuersâ ratione: in hoc enim perficitur beatitudo quòd gloriamur cum hæredibus Dei, non in nobis sed in hæreditate diuinorum bonorum. Hæc omnia promissa ad literam fuerant pro beatitudine præsenti Iudæorum obseruantium legem Dei. Petit autem Propheta hæc pro se, dicendo *recordare mei*: non quòd singularem doceat orationem, sed vt quemlibet pro propria beatitudine solicitum esse debere doceat.

Vers. 6. PECCAVIMVS. Tractantur hîc mixtim ambæ particulæ, scilicet gratiæ & potentiæ: inchoando à necessitate gratiæ. *Peccauimus*, operando præter aut contra finem nostrum: nec soli peccauimus, sed *cum patribus nostris*, imitantes eos: *obliquauimus*, non solùm peccando impedimentum præstitimus nostræ beatitudini sed à recto detorsimus actiones nostras: *impiè egimus.* Dictio Hebraica interpretata *impiè egimus*, si Latinitas admitteret sonat *impiauimus*, ita quòd peccato & obliquo addit impiam actionem, augendo semper orationem.

Peccata Israelitarum. Obliuio mirabilium Dei in Ægypto.

Patres nostri, ibi fiat linea: & construatur sic: *non intellexerunt separata*, id est, mirabilia tua *in Ægypto*: ita quòd Ægyptus significatur locus mirabilium non intellectorum. *Non sunt recordati multitudinis gratiarum*, quas feceras eis: & *rebellauerunt super mare in mari rubro*, videntes Pharaonem cum Ægyptiis se persequentem antequam transirent mare rubrum. Rebellauerunt, inquam, dicendo Moysi: *forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos vt moreremur in solitudine*, &c. Exod. 14. Exod. 14.

Et saluauit eos, ecce gratia: *propter nomen suum*, glorificandum: *ad faciendum scire fortitudinem suam*: ecce potentia.

Et increpauit in mare rubro. Modum saluandi describit ad similitudinem reprehendentis mare tanquam impeditiuum salutis populi sui: *& aruit*, mare: *& fecit ire eos in abyssis*, inter profundas aquas maris, *velut deserto*, terra arida. *Et saluauit eos*, sic, *à manu odientis*, Ægyptij: *& redemit eos à manu inimici*. *Et operuerunt aquæ*, multiplicato beneficio, *angustiatores eorum*, Ægyptios: ita quòd *vnus ex ipsis non superfuit*. *Et crediderunt in verbis eius*, dictis per Moysen: *cecinerunt laudem eius*, post transitum maris rubri: *Cantemus Domino*, &c.

Vers. 13. FESTINAVERVNT. Secundum crimen describitur. *Festinauerunt*, post tantam gratiam ad peccandum, *obliti sunt operum illius*: ingratissimi tanquam obliti tot mirabilium operum Dei, *non expectauerunt consilium eius*, scilicet Dei. Crimen quo desiderauerunt comedere carnes, describitur à diffidentia diuini consilij: hoc est, diuinæ prouidentiæ: diffisi sunt enim quòd Deus sibi prouideret. Et propterea dicitur quòd non expectauerunt seu sperauerunt consilium Dei, prouidentiam Dei sibi prouidere.

Ingratitudo & diffidentia.

Et desiderauerunt desiderium in deserto, hoc est, desiderauerunt adimplere concupiscentiam gulæ in deserto: *& tentauerunt Deum in solitudinibus*, dicendo: *Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto?*

Et dedit eis petitionem ipsorum (ecce gratia) dando coturnices Num. 14. *& misit maciem in animam eorum*: ecce fortitudo Dei. Moyses scribit propter hoc crimen fuisse multos mortuos in sepulchris concupiscentiæ: sed non scribit qualis fuerit mors illa. Hic Propheta nominat plagam illam *maciem*, dicendo: *& misit maciem in animam eorum*, in vitam eorum: fortè enim repentinâ macie consumpti sunt qui per ingluuiem carnium peccauerant.

Vers. 16. ET ZELATI SVNT. Tertium crimen inuidiæ erga Moysen & Aaron: de quo Num. 16. *Et zelati sunt*, inuidiâ Core Dathan & Abiron, *Moysen in castris*, deserti de principatu: *Aaron sanctum Domini*, hoc est, sanctificatum Domino in summum sacerdotem de ipso summo sacerdotio.

Inuidia erga Moysen & Aaron.

Aperta est terra: ecce fortitudo Dei in punitione: *& deglutiuit Dathan: & operuit super congregationem Abiram*. *Et exarsit ignis in congregatione eorum*, scilicet Core & complicum: *flamma exussit peccatores*, ad inflammandum flamma impios.

Aduerte (vt aliàs dictum est) quòd non possumus reddere numerum numero in vocabulo castrorum: quia apud nos caret singulari in illa significatione: & propterea hîc dicitur *in castris*: cùm tamen textus Hebræus habeat *in castro*.

Vers. 19. FACIENT VITVLVM. Quartum crimen idololatriæ scriptum Exod. 32. *Facient vitulum*. Futurum *facient*, non respicit tempus Psalmi, sed perseuerantiam in crimine denotat: non respectu immediatè præmissæ inuidiæ, sed aliorum supradictorum criminum. *In Choreb*, nomen est loci: *& curuauerunt se conflatili*, simulachro conflato fusorio opere adorando illud.

Idololatria.

Et mutauerunt honorem eius, Dei, *in similitudinem bouis comedentis herbam*. *Obliti sunt*, operæ, *Dei saluatoris sui*, ab Ægyptiis: *facientis magna in Ægypto*. Separata, id est, mirabilia *in terra Cham*: *terribilia super mare rubrum*: exaggeratio est ingratitudinis.

Et dixit, Deus Moysi, *ad delendum eos*, propter hoc crimen: ecce potentia. *Nisi Moyses electus eius stetit in diuisione faciebus eius*. Metaphoricus est sermo: tanquam Deo ex vna parte existente vt deleret populum, & populo existente in altera, Moyses posuerit se medium ad separandam iram Dei à populo. Et propterea subditur: *ad auertendum iram eius a diruendo*, à totali destructione populi.

Moyses medius inter Deum & populum.

Vers. 24. ET DESPEXERVNT. Quintum crimen diffidentiæ & murmuris (quando reuersis exploratoribus noluerunt progredi ad terram promissionis) scriptum Num. 14. *Et despexerunt in terra desiderabili*, non æstimantes terram promissionis tam desiderabilem: *non crediderunt sermoni eius*, quòd Deus daret sibi illam. *Et murmurauerunt in tentorijs suis*, faciamus nobis ducem & redeamus in Ægyptum: *non audierunt in voce Domini*, loquentes: Moysen, Iosue, Chaleb. *Et eleuauit manum suam ipsis*. Ecce potentia: *ad faciendum cadere eos*, morte, *in deserto*. *Et ad faciendum cadere semen eorum in gentibus*: *& ad dispergendum eos in terris*.

Diffidentia & murmur.

Harum trium pœnarum sola prima locum habuit: dum omnes numerati mortui sunt in deserto, nullo eorum intrante terram promissionis. Reliquas pœnas comminatas non mandauit executioni: vt sic etiam gratia locum haberet.

Vers. 28. ET CONIVNCTI SVNT. Sextum crimen alterius idololatriæ, scriptum Numer. 25. *Et coniuncti sunt*, sacris, *Baalpheor*: *& comederunt sacrificia mortuorum*, hoc est, immolata hominibus mortuis: de quorum numero erat Baal.

Altera idololatria.

Et fecerunt indignari, Deum, *in operibus suis*: *& creuit in eis mortalitas*: ecce fortitudo puniens. *Et stetit Pinchas & iudicauit*, facto interfectionis vtriusque coëuntis: *& est restricta mortalitas*: ecce gratia cessantis mortalitatis. *Et reputatum est ei* (Pinchas qui dicitur Phinees) *in iustitiam*, quòd interfecerit vtrumque: non solùm pro tunc, sed *generationi & generationi vsque æternum*.

Vers. 29. ET FECERVNT. Septimum crimen ad aquas contradictionis, scriptum Num. 20. *Et fecerunt indignari*, ad modum indignantis [illegible] præbere Deum, *super aquas litis*: *& fuit malum*, pœnæ & culpæ, *Moysi propter eos*, occasionaliter. *Quia fecerunt rebellare spiritum eius*, scilicet Moysi. Rebellionem appellat incredulitatem in qua tunc lapsus est Moyses: *num de petra hac poterimus eijcere aquam?* *Et locutus est in labiis suis*. Qui loquitur in labiis minùs intelligitur: [illegible] te verba infra labia retinens. Sic describit [illegible] tum fuisse Moysen: quia verba eius non [illegible] sonabant incredulitatem propriam. Sed Deus manifestauit illius incredulitatem: tum [illegible] quia in prima percussione virgæ non exiuit aqua de petra: tum iudicio, dicendo, *quia non credidistis verbis meis*, &c.

Crimen ad aquas contradictionis.

Vers. 34. NON DELEVERVNT. Hactenus Propheta retulit septem crimina populi egressi de Ægypto: modò transit ad crimina filiorum, hoc est eorum qui ingressi sunt terram promissionis.

Peccata eorum qui ingressi sunt terram promissam.

Verùm

Verùm non distinctè numerat horum crimina, sicut distinxit crimina patrum in numerum septenarium: sed narrat multis vicibus eos in crimen idololatriæ incidisse, ac propterea multis vicibus punitos, & multis vicibus diuinâ gratiâ liberatos. Historias tot criminum, tot punitionum, tot gratiarum, inuenies in libro Iudicum.

Non deleuerunt, patres nostri filij egressorum ex Ægypto, *populos*, Chananæos: *quos dixit Dominus eis*, delendos esse. Occasio criminum per hoc describitur. Et propterea subditur: *Et commixti sunt in gentibus*, idololatris non deletis: *& didicerunt opera eorum.* Ecce occasio criminis.

Et seruierunt simulachris eorum. Seruitus plus est quàm adoratio: *& fuerunt*, gentes, *eis*, Hebræis, *impactioni*, ad casum. *Et immolauerunt filios suos & filias suas dæmonibus*: dira seruitus. *Et effuderunt sanguinem mundum*: scilicet, *sanguinem filiorum suorum & filiarum suarum quos sacrificauerunt simulachris Chanaan: & polluta est terra*, promissionis, *in sanguinibus*, humanis. *Et coinquinati sunt in operibus suis: & fornicati sunt*, fornicatione spiritus deserendo Deum, & adhærendo dæmoniis, *in operibus suis.*

Et iratus est furor Domini. Ecce fortitudo puniens: *& abominatus est hæreditatem suam*, hoc est, populum quem elegerat in hæreditatem. *Et dedit eos in manu gentium*, Syrorum, Moabitarum, &c. *& dominati sunt in eos odientes eos. Et afflixerunt eos inimici eorum*, &c.

Vicibus multis (ecce gratia) *liberauit eos: & ipsi rebellauerunt*, vicibus multis, *in consilio suo: & humiliati sunt*, vicibus multis, *in iniquitate sua.*

Et vidit in angustia eorum. Describit rationem gratiæ à videndo angustias eorum, & ab audiendo: *audiente ipso suspirium eorum.* Et a memoria Abrahæ: *Et recordatus est eis*, ad bonum eorum, *pacti sui*, cum Abraham. Et demum à gratia: *& pœnituit*, ad similitudinem pœnitentis se habuit, *secundum multitudinem gratiæ suæ.*

Et dedit eos. Ecce effectus videndi, audiendi, recordandi, pœnitendi: scilicet dare eos *ad misericordias facie omnium captiuantium eos*: fecit enim quòd ij qui habebant eos captiuos, misericordes se exhiberent captiuatis Hebræis. Et intendit per hoc affluentiam diuinæ gratiæ tantam quòd non solùm multis vicibus liberauit populum habitantem in terra promissionis à dominio principum gentilium: sed quòd etiam dispersos per mundum & abactos Iudæos effecit gratiosos coram dominis suis.

Vers. 47. Salva nos Domine. Laudatis bonitate, gratiâ & potentiâ Dei in supradictis: quia minus perfecta gratia est quòd dispersi bene videantur & tractentur, sed ad perfectionem gratiæ requiritur quòd reducantur ad patriam, ideo supplicat Propheta Deo pro collectione dispersorum. *Salua nos Domine Deus noster, & congrega nos de gentibus*, in quas dispersi sumus: *ad confitendum nomini sanctitatis tuæ, ad gloriandum in laude tua*: primum respicit Deum: secundum respicit nos secundùm Deum.

Vers. 48. Benedictvs. Exequitur Propheta id ad quod hortatus est alios: tractando omnia simul gratias seu laudes Deo exhibens pro omnibus. *Benedictus*, benedictione laudis, supple sit, seu est, *Dominus Deus Israëlis: ab æterno*, à parte antè, *& vsque æternum*, à parte pòst: *& dicet omnis populus amen*, id est, verè: *Halelu Iah*, laudate Deum. Amen.

Pro dispersorum collectione supplicat Propheta.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO. *Halelu Iah.* CVI.	*IVXTA HEBRÆVM.* CVII.
1 *CONFITEMINI Domino: quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.*	1 *Propheta.* CONFITEMINI Domino *: quoniam bonus, quoniam æterno gratia eius.
2 *Dicant qui redempti sunt à Domino: quos redemit de manu inimici, de regionibus congregauit eos.*	2 Dicent redempti Domini *: quos redemit ipsos de manu angustatoris.
3 *A solis ortu & occasu: ab Aquilone & mari.*	3 Et de terris cõgregauit eos: ab Oriente & ab Occidente, ab Aquilone & à mari.
4 *Errauerunt in solitudine in inaquoso: viam ciuitatis habitationis non inuenerunt.*	4 Errauerunt in deserto, in solitudine viam: ciuitatem habitationis non repererunt.
5 *Esurientes & sitientes: anima eorum in ipsis defecit.*	5 Esurientes etiam sitientes: anima eorum in ipsis collabetur.
6 *Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: de necessitatibus eorum eripuit eos.*	6 Et clamauerunt ad Dominum * in angustia eis: de angustiis eorum liberabit eos.
7 *Et deduxit eos in viam rectam: vt irent in ciuitatem habitationis.*	7 Et fecit ire illos in viam rectam: ad eũdum ad ciuitatem habitationis.
8 *Confiteantur Domino misericordias eius: & mirabilia eius filiјs hominum.*	8 Confitebuntur Domino * gratiam eius: & separata eius filiis Adam.

9 *Quia satiauit animam inanem : & animam esurientem satiauit bonis.*

10 *Sedentes in tenebris & vmbra mortis : vinctos in mendicitate & ferro.*

11 *Quia exacerbauerunt eloquia Dei : & consilium altißimi irritauerunt.*

12 *Et humiliatum est in laboribus cor eorum & infirmati sunt : nec fuit qui adiuuaret.*

13 *Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur : de neceßitatibus eorum liberauit eos:*

14 *Et eduxit eos de tenebris & vmbra mortis : & vincula eorum disrupit.*

15 *Confiteantur Domino misericordias eius : & mirabilia eius filijs hominum.*

16 *Quia contriuit portas areas : & vectes ferreos confregit.*

17 *Suscepit eos de via iniquitatis eorũ:propter iniustitias enim suas humiliati sunt.*

18 *Omnem escam abominata est anima eorum : & appropinquauerunt vsque ad portas mortis.*

19 *Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur : de neceßitatibus eorum liberauit eos.*

20 *Misit verbum suum & sanauit eos : & eripuit eos de interitionibus eorum.*

21 *Confiteantur Domino misericordias eius: & mirabilia eius filijs hominum.*

22 *Et sacrificent sacrificium laudis : & annuncient opera eius in exultatione.*

23 *Qui descendunt mare in nauibus : facientes operationem in aquis multis.*

24 *Ipsi viderunt opera Domini : & mirabilia eius in profundo.*

25 *Dixit & stetit spiritus procellæ : & exaltati sunt fluctus eius.*

26 *Ascendunt vsque ad cælos & descendunt vsque ad abyssos : anima eorum in malis tabescebat.*

27 *Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius : & omnis sapientia eorum deuorata est.*

28 *Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur : de neceßitatibus eorum eduxit eos.*

29 *Et statuit procellam in auram : & siluerunt fluctus eius.*

30 *Et lætati sunt quia siluerunt : & deduxit eos in portum voluntatis eorum.*

31 *Confiteantur Domino misericordias eius: & mirabilia eius filijs hominum.*

32 *Et exaltent eum in ecclesia plebis : & in cathedra seniorum laudent eum.*

9 Quoniam saturauit animam vacuam: & animã esurientẽ impleuit bono.

10 Sedentes in obscuritate & vmbra mortis : alligati inopia & ferro.

11 Quia rebellauerunt sermonibus Dei: & consilium excelsi despexerunt.

12 Et humiliauit in labore cor eorum: fuit impegerunt, & non adiutor .

13 Et clamauerunt ad Dominum in angustia eis: de angustiis eorum saluabit eos.

14 Et faciet exire eos de obscuritate & vmbra mortis : & vincula eorum dirumpet.

15 Confitebuntur Domino gratiam eius : & separata eius filiis Adam.

16 Quia fregit portas æris : & vectes ferreos incidit.

17 Stulti de via rebellionis suæ, & de iniquitatibus suis affligentur.

18 Omnem cibum abominabitur anima eorum : & appulerunt vsque portas mortis.

19 Et clamauerunt ad Dominum in angustia eis : de angustiis eorum saluabit eos.

20 Mittet verbum suum : & medebitur eis,& saluabit de foueis eorum.

21 Confitebuntur Domino gratiam eius: & separata eius filiis Adam.

22 Et sacrificabunt sacrificia confessionis : & narrabunt opera eius in laude.

23 Descendentes mare in nauibus : facientes opus in aquis multis.

24 Ipsi viderunt opera Domini : & separata eius in profunditate.

25 Et dixit : & fecit stare ventum tempestatis,& eleuauit vndas eius.

26 Ascendent cælos,descendent abyssos: anima eorum in malo liquefiet.

27 Gyrabunt & mouebũtur quasi ebrius: & omnis sapientia eorum absorbebitur.

28 Et clamauerunt ad Dominum in angustia eis : & de angustiis eorum educet eos.

29 Faciet stare tempestatẽ tranquillitati: in tranquillitatem & siluerunt vndæ eorum.

30 Et lætati sunt : quoniam quiescent, & deducet eos ad regionem voluntatis eorum.

31 Confitebuntur Domino gratiam eius: & separata eius filiis Adam.

32 Et exultabunt eum in ecclesia populi : & in residentia seniorum laudabunt eum.

33 Ponet

33 *Posuit flumina in desertum : & exitus aquarum in sitim.*	in desertum 33 Ponet flumina deserto : & exitus in siccitatem aquarum siccitati.
34 *Terram fructiferam in salsuginem : à malitia inhabitantium in ea.*	in salsuginem 34 Terram fructiferam salsugini : à malitia habitantium in ipsa.
35 *Posuit desertum in stagna aquarum : & terram sine aqua in exitus aquarum.*	in paludem 35 Ponet desertum paludi aquarum : & in fontes terram siccitatis exitibus aquarum.
36 *Et collocauit illic esurientes : & constituerunt ciuitatem habitationis.*	36 Et fecit habitare ibi esurientes:& formauerunt vrbem habitationis.
37 *Et seminauerunt agros & plantauerunt vineas : & fecerunt fructum natiuitatis.*	37 Et seminauerunt agros & plantauerunt vineas : & fecerunt fructum culturæ.
38 *Et benedixit eis & multiplicati sunt nimis : & iumenta eorum non minorauit.*	38 Et benedixit eis : & multiplicati sunt valde,& bestiam eorum non faciet minui.
39 *Et pauci facti sunt : & vexati sunt à tribulatione malorum & dolore.*	39 Et imminuti sunt & humiliati sunt : à sterilitate,malo & tristitia.
40 *Effusa est contemptio super principes : & errare fecit eos in inuio & non in via.*	40 Effundens despectionem super principes:& errare eos faciet in vacuo, sine via non via.
41 *Et adiuuit pauperem de inopia : & posuit sicut oues familias.*	41 Et subleuauit mendicum de paupertate:& posuit quasi ouem familias.
42 *Videbunt recti & lætabuntur : & omnis iniquitas oppilabit os suum.*	42 Videbunt recti, & lætabuntur:& omnis iniquitas clausit os suum.
43 *Quis sapiens & custodiet hæc : & intelliget misericordias Domini?*	43 Quis sapiens & custodiet hæc ? & intelligentur gratiæ Domini ?

COMMENTARIVS.

Materia. Titulus nullus est. Circa materiam Psalmi aduerte tripliciter posse intelligi.

Primò vt narrentur res gestæ : vt Psalmus ipse sonare videtur. Et huic sensui obstat,quòd non inuenitur historia verificans huiusmodi res gestas vsque ad tempora Dauidis.

Secundò vt prophetentur tempora Messiæ.Et huic sensui obstare videtur quòd totus penè Psalmus exponendus esset metaphoricè : scilicet sub metaphora temporalium periculorum & malorum describens spiritualia mala ac pericula.

Tertiò vt describantur diuersa pericula ac necessitates humanæ, quibus Deus subuenit. Et huic sensui obstare apparet : tum quòd absque necessitate introduci videntur redempti à Domino à quatuor mundi partibus, nisi hæc pericula spectauerint ad ipsos : tum quòd absque necessitate adiunctum videtur in fine Psalmi : *quis sapiens & custodiet hæc ?* cùm in huiusmodi periculis non sit tam difficile inuenire sapientem. Tum quia minus aptè videtur repeti quater, *confitebuntur Domino*,&c si de corporalibus tantùm periculis agitur sine miraculis.

Quocirca mediâ gradiendo viâ, videtur mihi exponendus Psalmus iste ad litteram de diuina prouidentia : quæ suâ bonitate & gratiâ succurrit hominibus bonis & malis recurrentibus ad Deum in tribulationibus suis,& nihilominus dat bona bonis, & mala malis : certum est enim ex ipsa lectione Psalmi quòd hæc est materia Psalmi. Prudentis tamen lectoris gustui relinquo an pericula, mala & bona in hoc commemorata Psalmo, sint corporalia iuxta proprietatem verborum, an spiritualia ad literam significata metaphoricè per corporalia : nobis enim sufficit habere sic materiam Psalmi.

SVMMARIVM EST.

Propheta prædicit redemptos vndique & congregatos à Domino, laudaturos Deum propter bonitatem & gratiam eius : tum quia tribulatos clamantes ad se liberauit à quatuor malis : vagationis in deserto, captiuitatis, ægritudinis, & fluctuosæ nauigationis : tum quia contulit iustis quatuor bona : fertilitatis, multiplicationis, exaltationis & lætitiæ : horúmque opposita iniquis.

Persona loquens Propheta est.

CONFITEMINI. Diuiditur Psalmus in partes duas : propositiuam materiæ,& executiuam, ibi, *errauerunt*. Proponitur laus dicenda à redemptis & congregatis ex quatuor mundi partibus. Laus inquam Dei ex duplici capite, scilicet, *quoniam bonus*, & *quoniam in æternum gratia eius.* Aduertendum est enim quòd Psalmus incipit à secundo versiculo : scilicet: *Dicent redempti Domini*, vt redemptoris, *quos redemit*, &c. & non solùm redemit sed *congregauit de terris* : non ex vna plaga mundi,sed ex omnibus quatuor Orien-

VERS. 2.

Redempti à Domino ex quatuor mundi partibus laus diuina præcipitur.

te, Occidente, &c. Dicent inquam isti redempti & congregati laudando Deum: *confitemini Domino*, confessione laudis: *quoniam bonus*, ratione bonitatis, *quoniam æterno gratia eius*, gratis donans. Vbi videre prudens lector potes materiam Psalmi comprehendere redemptos & congregatos vndequaque, gratias agentes Deo tum ratione bonitatis, tum ratione gratiæ.

Et si de corporali redemptione ac congregatione placet intelligere, habes textum Iudicum 2. *Iratus Dominus tradidit eos in manus diripientium, qui vendiderunt eos hostibus qui habitabant per gyrum*. In quo omnes quatuor mundi plagæ comprehenduntur.

Vers. 4. ERRAVERVNT. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *quoniam æterno gratia eius*, quoad redemptos & congregatos. Secundò illa, *quoniam bonus*, ibi, *ponet flumina*.

Vniformiter difformiter se habet Deus ad tribulatos clamantes ad se tam iustos quàm peccatores.

Aduerte primò pro claritate & materiæ & ordinis, quòd Propheta tractans hîc de prouidentia Dei intendit tractare duo. Primum quàm vniformiter diuina gratia se habet ad tribulatos clamantes ad Deum tam iustos quàm peccatores. Secundum quàm difformiter se habet diuina bonitas secundùm se & ad malos. Et primò tractat primum, secundò secundum: cùm tamen secundùm naturæ ordinem prior sit difformis habitudo Dei ad nos hinc (hoc est, quantum est ex parte bonitatis eius) & inde (hoc est, secundùm quòd exigit malitia hominum) quàm sit vniformis habitudo Dei ad bonos & malos tribulatos clamantes ad Deum: quoniam in illa habitudine non concurrunt nisi bonitas Dei & malitia hominum: in ista autem vltra hæc adiungitur recursus hominum ad Deum: in quo includitur pœnitentia peccatorum. Vnde Propheta retrogrado procedit ordine: prius tractans vniformem Dei gratiam ad bonos & malos tribulatos clamantes ad Deum, iuxta quatuor tribulationum genera: & deinde quàm difformiter Deus se habet ad bonos & malos.

Nota secundò circa hæc quatuor tribulationum genera subiuncta, quòd primum & quartum non restringuntur ad peccatores, sed vt mala communia iustis & iniustis narrantur; vt patet in litera ex eo, quòd nulla fit mentio peccati tam in primo de vagatione in deserto, quàm in quarto de nauigatione fluctuosa. Secundum autem & tertium de captiuitate & ægritudine, iniquis appropriantur: vt expresè patet in litera. Vnde ex his habes quòd de vniformitate diuinæ gratiæ ad tribulatos bonos & malos clamantes ad Deum Propheta loquitur: describens eos vniformiter liberatos.

Nota tertiò quòd in singulis istorum quatuor Propheta simili modo procedit. Itaquòd in singulis distinguit particulas quatuor: primam narratiuam tribulationis: secundam recursus ad Deum: tertiam beneficij diuini: quartam gratiarum actionis.

Primū afflictionis genus.

Tractans itaque primum malorum genus consistens in vagatione errando per vias, colligit mala multa. *Errauerunt*, redempti & congregati, *in deserto*: prima mala conditio: *in solitudine viam*; & rursus *ciuitatem habitationis non repererunt*, nec viam repererunt, nec ciuitatem habitatam: quæ sunt duo alia mala iter agentium. *Esurientes etiam sitientes*, sine cibo & potu ad cumulum malorum: *anima eorum in ipsis collabetur*: hoc est, semianimis fiet vita eorum ad similitudinem cadentium velut deficiente spiritu. Et futurum *collabetur*, refertur ad præteritas perpessiones malorum. Hæc est narratio mali.

Et clamauerunt ad Dominum (ecce recursus ad Deum) *in angustia eis: de angustijs eorum liberabit eos*. Ecce beneficium diuinum. Et futurum *liberabit*, respicit præteritum *clamauerunt*. *Et fecit ire illos in viam rectam, ad eundum ad ciuitatem habitationis*: gratiam viæ & ciuitatis concessit. *Confiteantur* (ecce gratiarum actio) *Domino gratiam eius*, qua eos liberauit: & *separata*, id est, mirabilia *eius*, scilicet Dei, *filijs Adam*: ita quòd gratias agendo laudabunt Deum de concessa gratia, & annunciabunt hominibus mirabilia Dei. Et hoc ne oporteat repetere intellige in sequentibus: quater enim repetitur hic versiculus.

Quater repetitur hic versiculus.

Quia satiauit animam vacuam, & animam esurientem impleuit bono. Secundum numerum malorum prius enumeratorum enumerata quoque sunt bona: nam & via recta & ciuitas habitationis descripta est: & supererat respondere esurienti ac sitienti & demum collabenti animæ. Vtrique modò respondetur: collabenti quidem implendo animam vacuam: appetenti autem cibum & potum, satiando animam bono.

Et aduerte ipse duo. Alterum est quòd versiculus iste anteponendus est præcedenti: quia est complementum beneficij, quòd præcedit gratiarum actiones. Alterum est quòd tacitè Propheta insinuat idem esse esurire ac sitire animam, & animam collabi: ex hoc ipso quòd commutat vocabula propria: nam debuisset dicere: *quia impleuit animam vacuam, & animam esurientem satiauit bono*: & tamen permutauit hæc verba: scilicet, *satiauit & implebit*.

Secundum.

Vers. 10. SEDENTES IN OBSCVRITATE. Secundum afflictionis genus tractat: consistens in malo carceris, inopiæ & huiusmodi. *Sedentes in obscuritate & vmbra mortis*, præ se ferente mortem: *alligati inopia, rerum, & ferro*, vinculorum. Aduerte quòd nominatiui *sedentes* & *alligati* suspenduntur vsque ad verbum *confitebuntur*, inferiùs subiungendum *Quia rebellauerunt* (ecce culpa causa afflictionis) *sermonibus Dei*, per inobedientiam: *& consilium excelsi*, Dei, *despexerunt*. *Et humiliauit in labore cor eorum* (adhuc prosequitur narratiuam afflictionis) *impegerunt*, cadendo, *& non adiutor*, supple illis fuit.

Et clamauerunt (ecce recursus peccatorum ad Deum) *ad Dominum in angustia eis: de angustijs eorum saluabit eos. Et faciet exire* (ecce beneficium) *eos de obscuritate & vmbra mortis: & vincula eorum dirumpet*.

Hîc apponendus esset qui postea sequitur versiculus. *Quia fregit portas æris: & vectes ferreos incidit*: hoc enim spectat ad complementum beneficij. Et demum gratiarum actio: *confitebuntur Domino gratiam eius: & separata eius filijs Adam*.

Tertium.

Vers. 17. STVLTI DE VIA. Tertium tribulationis genus, consistens in ægritudine animæ vel corporis, describitur. Dixi autem sub disiunctione animæ vel corporis: quia tribulatio hæc in b specie ægritudinis manifestatur: tum dicendo *omnem cibum abominabitur anima eorum*: tum dicendo, *mittet verbum suum & medebitur eis*: medicina enim ægritudini opportuna est. Et rursus eadem tribulatio sub appellatione stultitiæ introducitur, dicendo, *stulti de via rebellionis*: stultitia enim ægritudo animi est.

Stultitia ægritudo est animi.

Vtrunque

Vtcunque sit, narratur simul malum eorum cum causa. *Stulti*, carentes iudicio eorum quæ verè eis sunt vtilia, affligentur tum *de via rebellionis suæ*, tum de iniquitatibus suis. Rebellio crimen significat contra Deum: iniquitates autem crimina contra proximum. *Omnem cibum*, siue animæ siue corporis, *abominabitur anima eorum: & appulerunt vsque portas mortis.*

Et clamauerunt, resipiscentes à stultitia, *ad Dominum in angustia eis: de angustiis eorum saluabit eos. Mittet verbum suum.* Ecce beneficium: Verbum inquam quod in principio erat apud Deum & erat Deus: vel eloquium suum internæ inspirationis in mentes eorum: vel verbum suum, curationem suam: *& medebitur eis, & saluabit à foueis eorum*, hoc est, à sepulchris ad quæ appropinquauerunt appellendo vsque ad portas mortis.

Confitebuntur Domino gratiam eius: & separata eius filiis Adam. Et sacrificabunt sacrificia confessionis, qui prius stulti fuerunt propter crimina: *& narrabunt opera eius in laude*, cantando.

Quartum. *Vers.* 23. Descendentes mare in navibus. Quartum tribulationis genus, consistens in fluctuosa nauigatione, describitur: *Facientes opus in aquis multis, ipsi viderunt opera Domini: & separata eius in profunditate*, aquarum.

Hæc sunt mirabilia opera Dei. *Et dixit*, præcepit Deus: *& fecit stare*, velut ad pugnandum, *ventum*, tempestatis: *& eleuauit vndas eius*, maris. *Ascendent cælos, descendent abyssos.* Post opera procellarum, describitur motus ipsorum nauigantium: dum naues modò ascendunt euectæ ab vndis, & modò descendunt. Et hyperbolico sermone dicuntur ascendere in cœlos & descendere in Abyssos.

Timor quodammodo liquefacit. *Anima eorum in malo liquefiet.* Describuntur consequenter passiones internæ nauigantium: inchoando à timore quo anima eorum dissoluitur velut res quæ liquefit: timor enim mouet humores versus partes inferiores: quod est quodammodo liquefieri. *Gyrabunt*, motu humorum & phantasiæ: *& mouebuntur*, intus, *quasi ebrius:* ad literam nauigantium capita gyrare videntur: *& omnis sapientia eorum absorbebitur:* fugit enim ab eis sapere in huiusmodi perturbationibus.

Et clamauerunt (ecce recursus) *ad Dominum in angustia eis: & de angustiis eorum educet eos:* ecce beneficium in genere. *Faciet stare tempestatem* (describit beneficia in specie) *tranquillitati*, hoc est quiescere: *& siluerunt vndæ eorum. Et lætati sunt*, qui prius timuerunt, &c. *quoniam quiescent*, ipsi: *& deducet eos ad regionem voluntatis eorum*, id est, quò desiderant ire. *Confitebuntur*, gratiarum actio vt suprà. *Et exaltabunt eum*, liberati à fluctibus maris, *in Ecclesia populi*, hoc est publicè coram populo: *& in residentia seniorum laudabunt eum:* gratias agent laudando Deum non solùm coram populo, sed etiam coram senioribus publicè residentibus, tanquam in loco graui.

Hactenus de prouidentia Dei circa quatuor genera periculorum. Quæ si diligentiùs perspecta fuerint, sic distinguuntur quòd extrema (primum scilicet & quartum) pericula ac discrimina viarum tractant: primum itineris terrestris: quartum maritimi. Duo verò media manentium hominum mala describunt. Secundum quidem passiones extrinsecas, scilicet vinculorum, carceris, inopiæ & huiusmodi. Tertium autem passiones internas: ægritudinis, nauseæ cibi & potus, stultitiæ, &c. A quibus omnibus secundùm planum literæ textum liberati sunt illi qui in principio Psalmi redempti & congregati dicuntur.

Vers. 33. Ponet flumina. Tractatur hîc illa particula, *quoniam bonus:* manifestando quòd diuina bonitas difformiter se habet quantùm est ex se, & quantùm est ex malitia hominum, nullâ factâ mentione de clamore ad Deum aut de pœnitentia.

Bonitatis diuinæ diuersa habitudo secundùm quatuor contrarietates. Tractatur autem huiusmodi diuinæ bonitatis diuersa habitudo secundùm quatuor contrarietates. Prima est secundùm fertilitatem & sterilitatem: inchoans à sterilitate priùs in aquis. *Ponet*, Deus, *flumina deserto*, hoc est, faciet flumina arida sicut desertum: *& exitus aquarum siccitati*, & siccabit fontes aquarum. Deinde quoad terram. *Ponet terram fructiferam salsugini*, ac per hoc reddet infructuosam, *a malitia habitantium in ipsa.* Ecce ratio sterilitatis.

Quo contrà de fertilitate. *Ponet*, ex sua bonitate, *desertum paludi aquarum: & terram siccitatis exitibus aquarum.* Et hoc quoad aquas. *Et fecit habitare ibi esurientes*, qui prius esuriebant. Et hoc quoad habitatores: *& formauerunt vrbem habitationis. Et seminauerunt agros & plantauerunt vineas: & fecerunt fructum culturæ*, hoc est, terræ cultæ. Et hoc contra id quod dixerat *terram fructiferam in salsuginem*.

Vers. 38. Et benedixit eis. Secunda contrarietas est penès multum & paucum. Et inchoat à multiplicatione. *Et benedixit*, Deus, *eis*, iustis ex bonitate sua, *& multiplicati sunt valde: & bestiam eorum*, animalia eorum, *non faciet minui.* Minus dicit & plus significat: scilicet faciet multiplicari.

Quo contra. *Et imminuti*, propter malitiam hominum *sunt, & humiliati sunt*, homines & bestiæ: *à sterilitate, malo & tristitia.* Sterilitas malum est ab intrinseco, contrarium multiplicationi. Malum sonat omne genus nocumenti extrinseci: siue ab aëris intemperie, siue à prædonibus, &c. Et hoc contrariatur etiam multitudini possessæ. Tristitia demum malum internæ passionis contrariæ vitali motui sonat.

Per quæ tria videtur Propheta describere causas vniuersas diminutionis & depressionis hominum & animalium.

Vers. 40. Effundens. Tertia contrarietas describitur penès depositionem & exaltationem: quâ scilicet *deposuit potentes de sede & exaltauit humiles. Effundens*, Deus, *despectionem super principes*, propter malitiam eorum: multa, magnáque despectio diuina significatur describendo: effundens despectionem super principes, eos qui principantur. *Et errare eos faciet in vacuo non via.* Effectus diuinæ despectionis cùm deponit principes, est excæcatio, significata per errorem in vacuo non via: hoc est ad similitudinem errantium in loco vacuo sine via: qui velut cæci discurrunt, consulunt, agunt. In qua metaphora nota triplex malum: vagationis errando per totum in vacuo loco: nam locus plenus arborum seu culturæ cuiuscunque, quantum habet pleni, tantùm non habet spatij errandi. Et ne putares vagationem in loco quidem vacuo sed per vias multas, apposuit *non via*, hoc est nulla via in

ipso vacuo existente: vt sic plenam excæcationis pœnam intelligeremus.

Quo contra: *Et subleuauit*, ex sua bonitate, *mendicum de paupertate: & posuit quasi ouem familias*, hoc est, diriget non solùm pauperem exaltatum, sed etiam familias eius quasi ouem, velut gregem ouium. In quo significatur diuina cura ac solicitudo erga exaltatum pauperem & familiam eius. Et hoc directè contrariatur excæcationi errantis in vacuo.

Vers. 42. VIDEBVNT RECTI. Quarta contrarietas describitur penès lætitiã & confusioné. *Videbunt*, hæc supradicta, *recti*, corde, *& lætabuntur.* Quo contrà: *& omnis iniquitas claudit os suum*, præ confusione: confusorum enim est tacere. *Tacebit confusi.*

Vers. 43. QVIS SAPIENS. Conclusio totius Psalmi est. *Quis sapiens*, hoc est rectè sentiens de suprema omnium causa, Deo scilicet & diuina prouidentia, *& custodiet hæc*, curam habebit horum diuinorum operum in hoc Psalmo descriptorum: *& intelligentur gratiæ Domini.* Ecce effectus sapientis: Si enim inueniantur sapientes curam gerentes operum Dei, efficient vt intelligantur non solùm à se, sed à populis gratiæ Dei, quas continuò hominibus impartitur. Et dixit *quis sapiens* interrogatiuè seu optatiuè: quia non facilè inueniuntur huiusmodi sapientes, & quia cupit inueniri huiusmodi sapientes. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Canticum Psalmus Dauid.*

CVII.

2 *PARATVM cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo & psallam in gloria mea.*

3 *Exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo.*

4 *Confitebor tibi in populis Domine: & psallam tibi in nationibus.*

5 *Quia magna est super cælos misericordia tua: & vsque ad nubes veritas tua.*

6 *Exaltare super cælos Deus, & super omnem terram gloria tua: vt liberentur dilecti tui.*

7 *Saluum fac dextera tua & exaudi me: Deus locutus est in sancto suo.*

8 *Exultabo & diuidam Sichimam: & conuallem tabernaculorum dimetiar.*

9 *Meus est Galaad & meus est Manasses: & Ephraim susceptio capitis mei.*

Iuda rex meus: Moab lebes spei meæ.

10 *In Idumæam extendam calceamentum meum: mihi alienigenæ subditi sunt.*

11 *Quis deducet me in ciuitatem munitam: quis deducet me vsque in Idumæam?*

12 *Nonne tu Deus qui repulisti nos: & non exibis Deus in virtutibus nostris?*

13 *Da nobis auxilium de tribulatione: quia vana salus hominis.*

14 *In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.*

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum Psalmi Dauidi.

CVIII.

1 *Propheta* PARATVM cor meum Deus †: cantabo & psallam, etiam honor meus. † *Dy.*

2 Expergiscere viola & cithara: expergiscar diluculo.

3 Confitebor te in populis Domine †: & cantabo te in regnis.

4 Quoniam magna super cælos gratia tua: & vsque cælos veritas tua.

5 Exaltare super cælos Deus †: & super omnem terram honor tuus. † *Dy.*

6 Propter hoc quòd liberabuntur amici tui: salua dextera tua, & responde mihi.

7 Deus † locutus est in sanctitate sua. *Promissio diuina.* Gaudebo: diuidam Sichem, & vallem Suchoth dimetiar. † *Dy.*

8 Mihi Galaad & mihi Menasseh: & Ephraim fortitudo capitis mei, Iuda præceptor meus.

9 Moab lebes lauacri mei: super Edom proiiciam calceum meum, super Philistim clangam.

10 *Propheta* Quis ducet me in ciuitatem munitionis? quis duxit me vsque Edom?

11 Nonne tu Deus † ? reliquisti nos, & non exibis Deus † in exercitibus nostris. † *Dy.* † *Dy.*

12 Para nobis auxilium ab angustatore: quia vana salus hominis.

13 In Deo † faciemus exercitum: & ipse conculcabit angustatores nostros. † *Dij.*

PSAL

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Canticum Psalmi Dauidi.* Qui patet ex superiùs dictis.

Materia. Circa materiam Psalmi aduerte quòd Psalmus iste singularissimus est: quoniam compositus est de verbo ad verbum ex extremis partibus duorum Psalmorum: scilicet LVII. & LX. Prima siquidem pars huius Psalmi vsque ad versiculum illum, *propter hoc liberabuntur amici tui*, sumpta est ex vltima parte Psalmi LVII. tractantis de Dauide in spelunca latente propter persecutionem Saulis: totum verò residuum Psalmi huius sumptum est ex vltima parte LX. tractantis de desiderata victoria super Idumæos & Ammonitas: vt ibi declaratum fuit. Et quia in hoc videtur consistere huius Psalmi materia (quia totus penè circa hoc occupatur) ideo eadem est materia huius Psalmi & LX. scilicet desiderata à Dauide victoria super Ammonitas & Idumæos. Differunt tamen hi Psalmi inter se quoad præparatoria: quoniam ibi Propheta plorat casum suorum Hebræorum cæsorum ab Idumæis: & plorando transit ad petendum victoriam attentâ promissione diuinâ: hîc verò inchoata præparatione animi sui ad laudandum Deum, tum super communibus beneficiis, tum specialiter collatis liberandis amicis eius:& sic transit ad petendum victoriam, attentâ similiter diuina promissione.

Est igitur materia huius Psalmi ad literam oblatio & tanquam quoddam votum Dauidis ad laudandum Deum: Dauidis inquam petentis victoriam super Idumæos & super regiam vrbem Ammonitarum Rabath.

SVMMARIVM EST.

Propheta offert Deo cor, honorem ac cantum paratum: tum ex magnitudine Dei super cælos & inferiora: tum ob liberationem amicorum Dei ab hostibus iuxta reuelationem diuinam de prosperitate Dauidis regis. Et recognoscens solâ diuinâ ope posse vincere, confidit in Deo quòd pugnabit pro se & conculcabit hostes, Idumæos & Ammonitas.

Persona loquens Propheta est: referens tamen diuinam promissionem.

Vers. 1. Paratvm. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *expergiscere viola.* Proponit tria: oblationem cordis sui, *paratum cor meum:* oblationem honoris sui, *etiam honor meus:* oblationem laudis diuinæ, *cantabo & psallam.* Reuoca ad memoriam dicta in Psalmo LX. scilicet quòd Dauid captâ Syriâ fecit sibi nomen, hoc est, arcum triumphalem (vt dicitur 2. Reg. 8.)& quòd credidit propter hanc vanitatem cæsas fuisse ab Idumæis custodias Hebræorum. Vnde quia peccauit in corde vano & honore mundano, ideo nunc medicamenta pœnitentiæ proponit: parati cordis, parati honoris, & parati cantus Deo: quandoquidem & cor & honor & cantica lætitiæ minus data sunt Deo: dum exhibita sunt in triumpho vanitatis.

Vers. 2. Expergiscere viola. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *cantabo & psallam.* Secundò ambæ illæ simul, *paratum cor meum, etiam honor meus,* ibi, *quis ducet me.*

Circa cantum itaque primò excitat organa musica (*expergiscere viola & cithara*) per prosopopœiam inuitans ad laudem diuinam.

Expergiscar diluculo. Promittit secundò propriam vigilantiam summo mane ad cantandum Deo.

Confitebor te. Declarat tertiò coram quibus laudabit. *Confitebor*, non me, sed *te in populis Domine: & cantabo te in regnis.*

Quoniam magna. Explicat materiam laudis: primò ex communibus. *Quoniam magna super cælos gratia tua*, in iis qui habitant cælos: *& vsque cælos*, inferiores, scilicet ignem & aërem, *veritas tua:* ideò confitebor dicens tibi. *Exaltare*, non in teipso sed in laudibus creaturarum tuarum, *super cælos Deus*, cognitus: *& super omnem terram*, exaltetur, *honor tuus.* Et intendit dicere: Laudabo te coram omnibus:ex hoc quidem quòd magnus es super cælos & aërem, quòd glorificeris communiter super cælos & terram: ex hoc autem quòd specialiter liberabis amicos tuos, cantabo aliud canticum, scilicet *salua dextera tua & responde mihi.* *Cæli inferiores sunt ignis & aër.*

Vide singula. Gratia Dei an sit super cælos, multum latet: & propterea Propheta descripsit eam magnam super cælos: quoniam super cælos est secundùm magnum gratiæ effectum, beatitudinem, scilicet Angelorum. Et similiter veritas Dei an extendatur ad sphæram rerum mutabilium latet: & propterea Propheta veritatem Dei infallibilem descripsit extendi ad inferiora. Et hinc tanquam vniuersali prouisori mediante gratiâ & veritate, cantare promittit glorificandum Deum & super cælos & super terram. Ob specialem autem curam Dei de amicis suis (scilicet ob hoc quòd liberat amicos suos: homines colentes ipsum, credentes in ipsum, & charitatis amicitiâ iunctos ipsi) speciale promittit canticum: laudando quòd saluauit eos Deus propriâ dexterâ: hoc est specialiter pugnando pro eis, ad similitudinem hominis pugnantis dexterâ propriâ; hoc enim specialissimum monstrat auxilium. Nec solum laudabit singularissimam salutem ex dextera eius, sed etiam responsionem diuinam: hoc est quòd responderis facto quod reuelatione speciali promisisti. Hoc enim speciale canticum significatur subiungendo: *Propter hoc liberabuntur*, id est, propter hoc quòd liberabuntur amici tui, cantabo hoc, scilicet *salua dextera tua*, qui ex communibus cantaui, *exaltare super cælos*, & *responde mihi*, facto.

Deus locutus est in sanctitate sua. Totum hoc reliquum Psalmi expositum est in Psalm. LX. & ideò vide ibi. Amen.

PSAL

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori Dauid Psalmus.*

CVIII.

2 *DEVS laudem meam ne tacueris: quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est.*
3 *Locuti sunt aduersum me lingua dolosa & sermonibus odij circumdederunt me: & expugnauerunt me gratis.*
4 *Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi: ego autem orabam.*
5 *Et posuerunt aduersum me mala pro bonis: & odium pro dilectione mea.*
6 *Constitue super eum peccatorem: & diabolus stet à dextris eius.*
7 *Cùm iudicatur exeat condemnatus: & oratio eius fiat in peccatum.*
8 *Fiant dies eius pauci: & episcopatum eius accipiat alter.*
9 *Fiant filij eius orphani: & vxor eius vidua.*
10 *Nutantes transferantur filij eius & mendicent: & eijciantur de habitationibus suis.*
11 *Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius: & diripiant alieni labores eius.*
12 *Non sit illi adiutor: nec sit qui misereatur pupillis eius.*
13 *Fiant nati eius in interitum: in generatione vna deleatur nomen eius.*
14 *In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini: & peccatum matris eius non deleatur.*
15 *Fiant contra Dominum semper, & di-*
16 *spereat de terra memoria eorum: pro eo quòd non est recordatus facere misericordiam.*
17 *Et persecutus est hominem inopem & mendicum: & compunctum corde mortificare.*
18 *Et dilexit maledictionem & veniet ei: & noluit benedictionem & elongabitur ab eo.*
Et induit maledictionem sicut vestimentum: & intrauit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus eius.

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti Dauidi Psalmus.

CIX.

1 Propheta. DEVS laudis meæ: ne tace.
2 Quia os impij & os doli super me aperuerunt: locuti sunt mecum lingua falsitatis.
3 Et verbis odij circundederunt me: oppugnauerunt me sine causa.
4 Pro amore meo impedient me: ego sum oratio.
5 Et posuerunt super me malum pro bono: & odium pro dilectione mea.
6 Constitue super eum impium: & Satan stabit super dextera eius.
7 In iudicari suo exibit impius: & oratio eius erit peccato.
8 Erunt dies eius pauci: præposituram eius accipiet alter.
9 Erunt filij eius pupilli: & vxor eius vidua.
10 Et vagando vagabuntur filij eius: & petent & quærent de destructionibus suis.
11 Illaqueabit mutuator omne † quod est ipsi: & prædabuntur alieni laborem eius. † omni.
12 Non erit, ipsi trahens gratiam: & non erit miserans pupillos eius.
13 Erit posteritas eius incisioni: in generatione altera delebitur nomen eorum.
14 Memorabitur iniquitas patrum eius ad Dominum ‡: & peccatum matris eius non delebitur.
15 Erunt contra Dominum ‡ continuè: & incidetur de terra memoria eorum.
16 Propterea quòd non est recordatus facere gratiam: & persecutus est virum pauperem & mendicum & contritum corde, ad interficiendum.
17 Et dilexit maledictionem, & veniet ei: & non complacuit in benedictione, & elongata est ab eo.
18 Et indutus est maledictione quasi vestimento suo: & ingressa est quasi aquæ in medium eius, & quasi oleum in ossa eius.

19 Erit

19 *Fiat ei sicut vestimentum quo operitur: & sicut zona qua semper præcingitur.*

20 *Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Dominum: & qui loquuntur mala aduersus animam meam.*

21 *Et tu Domine, Domine fac mecum propter nomen tuum: quia suauis est misericordia tua.*

22 *Libera me quia egenus & pauper ego sum: & cor meum conturbatum est intra me.*

23 *Sicut vmbra cum declinat ablatus sum: & excussus sum sicut locusta.*

24 *Genua mea infirmata sunt à ieiunio: & caro mea immutata est propter oleum.*

25 *Et ego factus sum opprobrium illis: viderunt me & mouerunt capita sua.*

26 *Adiuua me Domine Deus meus: saluum me fac propter misericordiam tuam.*

27 *Et sciant quia manus tua hæc: & tu Domine fecisti eam.*

28 *Maledicent illi & tu benedices: qui insurgunt in me confundentur, seruus autem tuus lætabitur.*

29 *Induantur qui detrahunt mihi pudore: & operiantur sicut diploide confusione sua.*

30 *Confitebor Domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.*

31 *Quia astitit à dextris pauperis: vt saluam faceret à persequentibus animam meam.*

19 Erit ei quasi pallium (quo) amicietur: & (in cingulū quo) cingulo (circum se) continuè cinget ipsam.

20 Hæc operatio impedientium me à Domino *: & loquentium malum super animam meam.

21 Et tu Domine *, Domine † mi fac mecum propter nomen tuum: quoniam bona gratia tua libera me. † Domini mei.

22 Quoniam pauper & mendicus ego: & cor meum vulneratum est in medio mei.

23 Sicut vmbra, sicut inclinari eius (vmbræ) ductus fui: excussus (fui) quasi locusta.

24 Genua mea impegerunt à ieiunio: & caro mea macruit à seruitio.

25 Et ego fui opprobrium eis: videbunt me, mouebunt caput suum.

26 Adiuua me Domine * Deus meus: salua me secundùm gratiam tuam.

27 Et scient quoniam manus tua hæc: tu Domine * fecisti eam.

28 Maledicent illi, & tu benedices: surrexerunt, & confusi sunt, & seruus tuus lætabitur.

29 Induentur impeditores mei erubescentia: & amicientur quasi pallio confusione sua.

30 Confitebor Dominum * valde in ore meo: & in medio multorum laudabo eum.

31 Quoniam stabit dexteræ mendici: ad saluandum à iudicantibus animam eius.

COMMENTARIVS.

Titulus est. *Vincenti Dauidi Psalmus.* De quo vt suprà.

Materia. Materia Psalmi ex auctoritate Petri Apostoli Act. 1. habetur. Inducit enim oportere impleri Prophetiam Dauidis, surrogando Iudæ proditori duodecimum Apostolum, dicens: *Oportet impleri scripturam quàm prædixit Spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt Iesum: scriptum est enim in libro Psalmorum, & Episcopatum eius accipiat alter:* quod in octauo huius Psalmi versiculo habetur. Act. 1. 21.

Ex quo iuncto contextui Psalmi, facilè apparet Christum esse qui loquitur in hoc Psalmo: commemorando iniquitatem persequentium ipsum, & petendo resurrectionem suam ac illius manifestationem.

SVMMARIVM EST.

Propheta in persona Christi patientis recurrit ad Deum: commemorans tum dolosas tum impias Iudæorum persecutiones, & petens primum resuscitari à mortuis, tum ob diuinam gratiam, tum ob merita passionis suæ: deinde manifestari gloriosè resurrectionem suam, cum multorum salute & confusione contradicentium.

Persona loquens Propheta est in persona Messiæ patientis.

Vers. 1. Devs lavdis meæ. Diuidiur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *locuti sunt.* Proponit quatuor. Primum: *Deus laudis mea.* Et potest tum actiuè tum passiuè laus mea intelligi. Et actiuè quidem est sensus: O Deus materia laudis meæ: hoc est quem solum laudo, cuius solius quæro laudem. Passiuè verò est sensus. O Deus ratio laudis meæ: hoc est quòd ego lauder: non enim à meipso aut ab homine sed à te est quòd ego lauder & glorificer. Vtroque autem modo verissimè conuenit Christo homini dicere, *Deus laudis meæ:* vt patet. Secundum, *ne tace.* Quia dicere Dei est facere, petendo ne tace petit vt faciat

ciat subiungenda. Tertium. *Quia os impij*. Quartum: *& os doli super me aperuerunt*. Non explicatur qui sint isti qui aperuerunt os impietatis & doli. Subintelliguntur autem Iudæi, duplici crimine descripti, scilicet dolo & impietate, non qualicunque sed *super me*, non super bonis meis sed super meipso Messia vsi sunt ore impio & ore doloso. Et verè crimina Iudæorum in passione Christi ad hæc duo capita reducuntur. Nam præter hoc quòd Iudas dolo tradidit Christum, Iudæi dolosè imposuerunt Christo læsæ maiestatis crimen, vt Pilatus eum crucifigeret tanquam contrarium Cæsari. Impietas autem tam manifesta fuit contra patrem patriæ (docentem omnes viam Dei, sanantem ægros, liberantem oppressos à dæmoniis, &c.) vt non egeat probatione.

Dolus & impietas Iudæorum in Christum.

VERS. 2. LOCVTI SVNT. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *os doli*. Secundò illa, *os impij*, ibi, *erunt contra Dominum*. Tertiò illa, *Deus laudis meæ*, ibi, *& tu Domine*. Illa autem particula *ne tace*, tractatur in singulis tribus partibus: inseritur enim singulis: primis quidem prout petit vindictam: vltimæ autem prout petit resurrectionem propriam & manifestationem illius.

De populo Iudæorum modò sub ratione vnius, modò sub ratione pluriū loquitur.

Et nota pro claritate ordinis: quòd tractando iniquitates & punitionem Iudæorum dupliciter procedit: nam primò introducit eos quoad culpam in numero plurali, *locuti sunt*, &c. quoad pœnam verò in numero singulari. *constitue super eum*, &c. Deinde è conuerso describit eosdem quoad pœnam in numero plurali, *erunt contra Dominum*: quoad culpam verò in numero singulari, *propterea quòd non est recordatus*. Et rursus regreditur ad pœnam in singulari & in plurali. Quæ ideo dixerim: vt aduertas Prophetam loqui de multitudine, de populo Iudæorum modò sub ratione vnius (quia fuerunt velut vnus contra Christum) modò sub ratione plurium: quia non solum peccauerunt vt vniuersitas sed vt singuli.

Culpas itaque Iudæorum dolosas describens, ait: *Locuti sunt mecum lingua falsitatis*, ausi sunt etiam mecum loquendo falsa imponere: *Samaritanus es tu & dæmonium habes. Tu homo cùm sis facis teipsum Deum*, &c. & demum *Aue rabbi. Et verbis odij circumdederunt me*, non solùm coram sed circumcirca prosecuti sunt me verbis non iræ sed odij insatiabilis. Lege Euangelium: & inuenies tot verba odij, sacerdotum, populi, &c. *Oppugnauerunt me*, facto, *sine causa*, sine occasione eis data: non offendi eos, non dedi eis aliquam occasionem me persequendi.

Officia amandi & orandi suscepit Iesus.

Pro amore meo, erga eos, *impedient me*, à vita, ab officio euangelizandi regnum Dei. Et futurum *impedient*, præcedentem respicit amorem. *Et ego oratio*, pro eis. Duo officia se fecisse contestatur: scilicet amandi eos, & orandi pro eis: vt intelligas quòd sine vlla data occasione ipsum impugnauerunt. Et officium quidem amandi innumeris beneficiis comprobatur: orandi autem tota vita testatur: tota siquidem Christi vita fuit meritum orans & intercedens ad Deum pro humano genere: & propterea dicit *Ego oratio*.

Et posuerunt super me malum, passionis & mortis, *pro bono*, à me eis collato: *& odium*, insatiabile, *pro dilectione mea*, erga eos.

Constitue. Descriptâ culpâ Iudæorum subiungitur punitio eorundem, inchoando à capite: hoc est à Iuda qui fuit dux eorum ad occisionem Christi. *Constitue super eum*, Iudam proditorem caput eorum, *impium*, diabolum impietatis spiritu ipsum instigantem: *& Satan stabit super dextera eius*. Inquit enim Ioannes Euangelista: *Cùm diabolus iam misisset in cor vt traderet eum Iudas*. Et rursus: *post buccellam introiuit in eum Satanas*. Ratione primi dicitur, *constitue super eum impium*: ratione secundi dicitur, *& Satan stabit super dextera eius*, ad exequendum proditionem tanquam manus dexteræ ipsius Iudæ opus: velut ad faciendam vindictam vnguenti effusi cuius pretium furari voluerat. *In iudicari suo exibit impius*: hoc est, quando iudicio discretionis iudicabitur (dicente ei Christo *quod facis fac citius*) exibit, à consortio Apostolico, *impius*, in Messiam: *& oratio eius*, immolatio agni paschalis quam tunc effecit cum Christo & Apostolis, *erit peccato*, hoc est, imputabitur ei ad peccatum: quia verè fuit peccatum ex mala mente Iudæ immolantis. *Erunt dies eius*, Iudæ, *pauci*: suspendit enim seipsum laqueo: *& præposituram eius*, Apostolatum quo erat præpositus aliis, *accipiet alter*, Matthias. *Erunt filij eius*, non naturâ sed imitatione (Iudæos enim sequaces Iudæ, filios illius appellat) *pupilli*. Et verè pupilli absque Deo patre: & ad literam multi fuerunt priuati patribus in excidio Hierosolymitano: quod hic incipit describi sub metaphora vnius viri. *Et vxor eius vidua*: innumeræ mulieres remanserunt viduæ.

A Iuda proditore punitionem Iudæorum incipit.

Ioan. 13. 2.

Et vagando vagabuntur filij eius, Iudæi: quod impletum videmus in vagatione Iudæorum. *Et petent*, mendicando, *& quærent*, dum petendo non habebunt necessaria, *de destructionibus suis*, hoc est, ex destructionibus suis eiecti quærent: ita quòd ad cumulum miseriæ describuntur eiecti non de integris habitaculis, sed de destructionibus, vt etiam viderint habitacula propria destructa.

Illaqueabit mutuator omne quod ipsi. Inter alias miserias describitur creditor laqueos inijcere vniuersis bonis quæ habet tanquam ei obligatis: *& prædabuntur alieni laborem eius*, quicquid acquisiuit laborando. *Non erit, ipsi trahens gratiam*: hoc est qui ei faciat aliquam gratiam, ad similitudinem trahentis versus ipsum gratiam: *& non erit miserans pupillos eius*.

Erit posteritas eius incisioni, hoc est, succidetur eius posteritas: *in generatione altera*, hoc est sequente, *delebitur nomen eorum*. Ad literam verificatum est, intelligendo nomen pro gloria: quoniam post 40. annos deleta est gloria Iudæorum à Romanis, & sic non remansit nomen Iudæorum vt populi seu generis vnius.

Memorabitur iniquitas patrum eius ad Dominum, quantùm ad pœnam: quoniam puniti sunt filij pro iniquitate patrum qui occiderunt Christum: *& peccatum matris*, Synagogæ, *non delebitur*, sed punietur.

Vers. 15. ERVNT CONTRA DOMINVM CONTINVE. Tractatur hic illa particula, *os impij*: commemorando impietatem Iudæorum contra Messiam, & inchoando à pœna maxima. *Erunt contra Dominum continuè*: maxima pœna est perseuerare inimicum Deo: quales videmus perseuerare Iudæos continuè. *Et incidetur de terra memoria eorum*. Ad literam potest hoc dupliciter intelligi. Vel quòd sit sermo de terra promissionis: ex qua non solùm ipsi sunt excisi sed

Impietas Iudæorum contra Christū.

succisa

succisa est eorum memoria in veritate: quia non sunt amplius ad illam reuersuri. Vel quòd sit sermo de laudabili memoria eorum secundùm quòd populus Dei, commemorantur enim modò non vt populus Dei, sed vt hostes Dei.

Propterea quòd non est recordatus. Reddit rationem pœnæ. Propter id quòd non est recordatus, populus Hebræus, *facere gratiam*, proponente Pilato, *vultis vobis dimittam regem Iudæorum?* populus non est recordatus tot miraculorum & beneficiorum ad faciendum gratiam liberationis Christi de manibus curiæ cui per inuidiam Pontificum traditurus erat. *Et persecutus est virum pauperem,* non solùm noluit ipsum liberare, sed persecutus est ipsum Messiam virum pauperem, rerum, *& mendicum*, quia viuebat alieno sumptu. *& contritum corde*, non superbum, sed humilem corde: *ad interficiendum (Tolle tolle crucifige eum.)*

Et dilexit maledictionem (sanguis eius super nos & super filios nostros,) & veniet ei, maledictio: *& non complacuit in benedictione*, oblatâ à Pilato, *& elongata est ab eo*, benedictio.

Et induit est maledictione, quoad extrinseca, *quasi vestimento suo: & ingressa est*, maledictio intrò, *quasi aqua in medium eius. & quasi oleum in ossa eius.* Describitur per hæc maledictio adscita quodammodo à Iudæis ad seipsos intùs & extrà: & intus penetrando omnia, scilicet & ossa & meatus omnes. Et intendit per hoc Propheta describere pertinaciam Iudæorum ad occidendum Christum tantam vt non curauerint quicquid inde mali eis sequi posset. Quod impletum in Euangelio legimus.

Erit ei. Subiungit consonam pœnam. Ac si apertè diceret: populus asciuit sibi maledictionem, ita *erit*, veniet *ei*, maledictio, *quasi pallium, quo amicietur: & cingulo*, hoc est, in cingulum, loco cinguli, *continuè cinget ipsam*, maledictionem sibi.

Hæc operatio impedientium me à Domino: & loquentium malum super animam meam. Concludit Propheta omnia supradicta, vnico verbo adscribens has omnes pœnas iniquitati persecutorum. *Hæc*, congeries pœnarum, *operatio*, hoc est opus operatum, hic est fructus quem ipsimet produxerunt, *impedientium me à Domino:* verè tota vita Christi erat Dei, *& loquentium malum*, passionis & mortis, *super animam meam*, contra vitam meam. Ac si dixisset: hic est fructus quem referunt Iudæi persequentes me.

Vers. 21. ET TV DOMINE. Tractatur hîc illa particula, *Deus laudis meæ*: petendo resurrectionem & manifestationem. Et inchoat à rationibus ex parte Dei. *Et tu Domine, Domine*, mi singularissime, scilicet per gratiam vnionis, *fac mecum* (more humano priùs petit, *fac mecum*, non explicando quid) *propter nomen tuum*, propter gloriam tuam: *quoniam bona gratia tua* (ecce alia ratio etiam ex parte Dei) *libera me*, à morte.

Quoniam pauper & mendicus ego. Rationibus ex parte Dei adiungit rationes ex parte propriorum meritorum. Et pro primo merito affert voluntariam paupertatem quam in hac vita sustinuit: tantam vt volucres cæli nidum habeant, filius autem Dei non habeat vbi reclinet caput suum. *Et cor meum vulneratum est in medio mei.*

Vulnus charitatis.

Potest intelligi de vulnere charitatis, quâ pro nobis voluntariè mortuus est: & potest intelligi de vulnere passionis & crucis: quod quia lethale fuit, describitur peruenisse ad cor.

Sicut vmbra, non secundùm quemcunque statum, *sicut cum declinat eius*, hoc est, sicut vmbra [illegible] declinatione (qualis est vmbra vespertina) [illegible] *fui* Christus quando apparuit valde grandis: tunc occisus est. Ante quinque dies mortis eius clamauit populus, *Benedictus qui venit in nomine Domini*: & deinceps quotidie manè ibat populus ad prædicationem eius: & sic ductus fuit ad mortem sicut vmbra inclinata: quæ cùm est maxima tunc deficit: *excussus sum quasi locusta*, reiectus sum tanquam animal nociuum nullo volente me apud se. Quod apparet verificatum tempore Passionis eius: dum primates excutiebant eum à se tanquam inimicum legis, & populus excussit eum à se: & Pilatus excussit eum à se in Herodem & è conuerso: & tandem excussus est in Caluariæ crucem.

[illegible]

Genua mea infirmata sunt à ieiunio: hoc est, sic redditus sum debilis propter ieiunium sicut hominis genua debilia impingunt. Et ad literam verificatur in baiulatione crucis, quam ob debilitatem non potuit portare vsque ad locum Caluariæ: sed tunc corruisse genua eius sub cruce [illegible] citur, & colligitur ex eo quòd angariauerunt Simonem Cyrenensem vt portaret crucem eius [illegible] eum. *Et caro mea immutata est propter oleum.* Christum ieiunasse non solùm post baptismum [illegible] quadragesima sed frequenter ex Euangeliis habemus, tum dicendo, *hoc genus dæmoniorum non eiicitur nisi in ieiunio & oratione*: tum dicentibus Pharisæis, *quare discipuli tui non ieiunant?* & non dicentibus quare tu non ieiunas, scientes ipsum ieiunare. Macrum autem fuisse quamuis non alibi legitur [illegible] tamen officiorum (prædicando, pernoctando in oratione, ieiunando, pedibus iter agendo) hoc suadet. Vnde [illegible] ob quod [illegible], illam significat seruitutem de qua ipse ait: *Filius hominis venit non ministrari sed ministrare*, & dare animam, vitam, &c. populus. Nec est remotum vt intelligatur à seruitio carnis respectu spiritus: *castigo*, inquit Apostolus, *corpus meum & in seruitutem redigo*: multo magis Christus vt carnem etiam ex ipsa dispositione corporis in seruitutem spiritus subiugaret macruit.

Christum macrum fuisse verisimile est.

Et ego fui opprobrium eis, factus sum enim eis maledictum pendens in cruce: *videbunt me* crucifixum, *& mouebunt capita sua* (prætereuntes mouebant capita sua: dicentes vah qui destruis templum Dei.

Adiuua me. Exequitur hîc *ne tace*, quantùm ad resurrectionem. *Adiuua me Domine Deus meus*, ad resurgendum: *salua me*, ad vitam immortalem, *secundùm gratiam tuam.*

Et sciant quoniam manus tua hæc. Petit manifestationem suæ resurrectionis. *Et sciant*, homines, *quòd manus tua hæc*, resurrectio mea: *tu Domine fecisti eam*, resurrectionem meã. Verè resurrectio Christi manus Dei dicitur, non solùm quia manu Dei facta est, sed quia est instrumentũ Dei velut manus ad saluandas gentes: *resurrexit enim propter iustificationem nostram.* Et rursus, *si Christus non resurrexit, inanis est fides nostra.*

Resurrectio Christi manus Dei dicitur.

Maledicent mihi, illi Iudæi, persequentes custodes sepulchri & persequentes meos discipulos, *& tu benedices*, multiplicando discipulos meos: surrexerunt Iudæi adeuntes Pilatum vt custodiretur sepulchrum vsque in diem tertium, & confusi sunt, referentibus custodibus: *& seruus tuus* (de seipso loquitur) *lætabitur*, in resurrectione.

Induentur impeditores mei, Iudæi impedientes fidem

fidem Christianam, *erubescentia : & amicientur quasi pallio confusione sua*, videntes miracula discipulorum meorum.

Confitebor Dominum valde in ore meo. Ad literam Christus post resurrectionem suam ore proprio confessus est Deum, docendo discipulos suos de diuinis. Et valde confessus est tum quantùm ad efficaciam : quoniam *aperuit illis sensum vt intelligerent scripturas* : tum quantùm ad mysteria declarata : dixerat enim ante resurrectionem, *multa habeo vobis dicere quæ non potestis portare modò.* Tum quantùm ad concursum vniuersarum partium eius : ante resurrectionem namque multæ eius partes subiiciebantur passioni, & quodammodo conquerebantur : in resurrectione autem omnes materiam lætitiæ & laudis præ se ferentes iam glorificatæ, efficiunt vt Messias ore suo laudet valde Deum. *Et in medio multorum laudabo eum*, per dies 40. & postea per discipulos meos in medio mundi.

Quoniam stabit dextera mendici (de seipso olim loquitur, cuius dextera optima pars est) *ad saluandum à iudicantibus animam eius.* Astitit Deus non sinistræ Christi sed dexteræ eius: dum saluauit vitam eius, non in statu huius mortalitatis sed resuscitando eam in statum immortalitatis : sic enim saluauit à iudicibus (Pilato, Herode, & Iudæis) vitam Christi. Et versiculus iste debet esse penultimus: est enim sensus : *Quoniam Deus stabit dextera mendici ad saluandum à iudicibus animam eius, ideo confitebor Dominum valde,* &c. Amen.

PSALMVS.

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Psalmus Dauid.*	Dauidi Psalmus.
CIX.	CX.
DIXIT Dominus Domino meo : sede à dextris meis.	1 *Propheta* DICTVM Domini [est hoc] Domino meo. *Vox Dei recitata.* Sede dexteræ meæ, donec ponam inimicos tuos scabellum pedibus tuis.
Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.	
2 *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion : dominare in medio inimicorum tuorum.*	2 *Propheta.* [O Messia] Virgam fortitudinis tuæ mittet Dominus ex Sion : dominare in medio inimicorum tuorũ.
3 *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum : ex vtero ante luciferum genui te.*	3 Populus tuus spontanei in die fortitudinis tuæ, in decoribus sanctitatis : de vulua auroræ [erit] tibi ros natiuitatis tuæ.
4 *Iurauit Dominus & non pœnitebit eum : tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedec.*	4 Iurauit Dominus & non pœnitebit. *Vox Dei.* Tu [es] sacerdos æterno supra rem Malchisedec.
5 *Dominus à dextris tuis : confregit in die iræ suæ reges.*	5 *Propheta* [O pater] Dominus † [Messias] super dextera tua scidit in die furoris sui reges. († *Domini mei.*)
6 *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquassabit capita in terra multorum.*	6 Iudicabit in gentibus : impleuit corpora, scidit caput super terra multa.
7 *De torrente in via bibet : propterea exaltabit caput.*	7 De torrente in via bibet : propterea exaltabit caput.

COMMENTARIVS.

Titulus est : *Dauidi Psalmus.* De quo vt suprà.

Materia. Materiam Psalmi esse Messiam, testatur in primis Dominus Matth. 22. inducens principium huius Psalmi, interrogando Pharisæos quomodo Dauid in spiritu vocat Messiam Dominum suum, *Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis : si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodo filius eius est ?* Ad Hebr. quoque 1. idem firmatur, dicendo : *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando sede à dextris meis quoadusque ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Et ad Hebr. 5. iterum firmatur, afferendo dictum ad Christum: *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec.* Et rursus ad Hebr. 7. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum,* &c.

(Matth. 22. — Hebr. 1. — Et cap. 5. cap. 7.)

Quid autem de Messia tractet Psalmus iste, ex ipso Psalmo apparet, scilicet quòd de Messiæ regno

gno inchoato secundùm tempus medium inter inchoationem & plenam possessionem loquitur. Principium namque Psalmi à regno inchoat, describendo Messiam sedere ad dexteram Dei. Tempus verò medium vsque ad plenam possessionem, significatur dicendo, *donec ponam inimicos tuos:* & describitur in dominatione in medio inimicorum ex virga missa ex Sion. Acceptio autem plenæ possessionis regni, circa finem describitur: *iudicabit in nationibus*, &c.

Vnde ad literam materia Psalmi est regnum Messię inchoatum in cęlo, proferens interim media in terris per quæ ad consummatam possessionem regni veniet tempore vniuersalis iudicij.

SVMMARIVM EST.

Dauid Messiam sedentem ad dexteram Dei, & dominantem spiritualiter in mundo (hoc est per Euangelicam fidem) introducit vsque ad iudicij tempus: quo sensibiliter subiectos omnes iudicabit, quia voluntariè passus fuerat.

Persona loquens Propheta est: referens tamen vocem Dei.

VERS. 1. DICTVM DOMINI. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam. ibi, *virgam*. Proponit dictum Dei ad Messiam. *Dictum Domini Domino meo.* In qua relatione significatur pluralitas diuinarum personarum: dum distinguitur Dominus qui dixit à Domino cui dixit. Et primum quidem vocat *Dominum:* sic enim vocabatur Deus apud Hebręos: alterum autem (scilicet Messiam) vocat *Dominum meum:* vt hinc Dauid significet Messiam esse verum Deum, quia Dominus eius, & duarum naturarum, scilicet humanæ, secundùm quam est filius Dauidis, & diuinæ, secundùm quam est Dominus Dauidis.

Pluralitas diuinarum personarum.

Sede dextera mea. Ecce dictum Domini ad Messiam. Petrus Apostolus Act. 2. testatur hoc impletum in Ascensione Christi, dicendo: *Non enim Dauid ascendit in cælos: dixit autem ipse, dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis* Marcus quoq; Euangelista in die Ascensionis: *assumptus*, inquit, *est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Sedere non significat hic positionem quà corpore sedemus: sed quietè regnare, ad similitudinem regis qui ascisceret primogenitum suum ad corregnandum secum. Dextera siquidem Dei non potest intelligi membrum corporeum, cùm Deus sit spiritus: sed suprema Dei bona appellatione dexteræ significantur. Ac si dixisset: quietè regna in optimis bonis meis. Et verè sic est: quoniam regnat in cœlestibus, quæ sunt longè meliora bona quàm terrestria: & rursus regnat in spiritualibus per fidem in terra: quæ sunt meliora bona quàm sensibilia.

Act. 2.

Marc. 16.

Dextera Dei quid?

Donec ponam: hoc est, vsque ad diem iudicij regna in istis, regnaturus postmodum etiam sensibiliter in toto vniuerso. Tempus intermedium ab Ascensione vsque ad iudicium, significatur per *donec ponam inimicos tuos*, incredulos & peruersorum morum, *scabellum pedibus tuis*, subiiciam tibi eos velut scabellum suppedaneum. Vbi nota quòd non dixit donec destruam seu occidam & annihilem inimicos tuos, sed donec ponam illos tanquam scabellum sub pedibus tuis: ad significandum quòd inimicos ipsius viuos subiiciet pedibus eius, quòd regnabit super inimicos suos viuos sibi subditos: ita quòd non erit rex mortuorum sed viuorum: quod nulli humano regi concessum est aut concedetur.

Vers. 2. VIRGAM FORTITVDINIS TVÆ. Incipit hic pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *sede dextera mea donec*. Secundò illa, *ponam inimicos tuos scabellum*, ibi, *Dominus super dextera*. Tertiò illa, *dictum Domini Domino meo*, ibi *de torrente*. Tractans tempus intermedium quo Christus sedet ad dexteram patris, describit spiritualem administrationem quam exercet in terris: non tanquam opus ipsius Messię sed tanquam opus Dei ad manifestationem Messiæ cum eo regnantis. Et meritò: opus enim spirituale, Deo qui spiritus est aptissimè attribuitur. Apostrophans ergo Dauid ad Messiam regnantem in cælis, ait: *Virgam fortitudinis tuæ mittet Dominus ex Sion. Virga regis*, signum est auctoritatis & directionis exercendæ. Et ad literam Spiritus sanctus datus in die Pentecostes ad prædicandum Christum & miraculis confirmandum Euangelium, est virga, auctoritas mundi directiua, fortitudinis tuæ, immortalitatis tuæ iam glorificatæ: *Nondum enim erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus*, inquit Ioan. 7. vt intelligas Spiritum sanctum esse virgam non humilitatis sed fortitudinis Christi. Et bene nota quòd vtrunque dicit, & quòd est fortitudinis tuæ, & quòd mittet Dominus illam: quia scriptum est: *Paracletus Spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo. Virgam* itaque, hoc est, potestatem in signo sensibili potentiæ tuæ iam regnantis, hoc est, Spiritum sanctum visibiliter contestantem regnum tuum, *mittet Dominus ex Sion*, hoc est, ex Hierusalem cuius pars erat Sion. Et secundùm aliquos ad literam *ex Sion:* putant enim domum in qua congregati erant Apostoli in die Pentecostes, fuisse in Sion. Significantius autē dicitur *ex Sion*, & non dicitur *in Sion*, vt intelligamus Spiritum sanctum mittendum quidem ex Sion in vniuersum mundum, sed non vt sistat in Sion.

Virga auctoritatis & directionis symbolum, Spiritum sanctum significat.

Ioan. 7.

Dominare, per fidem. Effectus describitur missionis Spiritus sancti. *Dominare in medio*, in manifesto, in publico, *inimicorum tuorum*, primò Iudæorum, & deinde gentilium incredulorum. Primo siquidem die Pentecostes trium millium dominium accepit animarum. Et propterea dixit *dominare*, velint nolint inimici tui.

Populus tuus. Describit quales sint illi in quibus Messias dominatur in medio inimicorum. *Populus tuus* (ecce vnitas omnium fidelium) *spontanei*, non subacti, non timore aut lucro ducti, sed spontanei, supple erunt: credere enim voluntarium est: *in die fortitudinis tuæ*, non in die furoris aut fallaciæ, sed in die fortitudinis tuæ, tum ad miracula operandum, tum ad sustinendum quęcunque aduersa: quoad hæc enim duo dies fortitudinis Messiæ apparuit veniente Spiritu sancto: dum discipuli in Christi virtute & miracula faciebant, & fortiter mala omnia sustinebant. Et propterea subditur: *in decoribus sanctitatis*: explicatur enim dies fortitudinis Messiæ non in quibuscunque sed in decoribus sanctitatis: hoc est, in hominibus intus tanta sanctitate prędictis quòd etiam extra decores sanctitatis præ se ferebant. Collige ergo populum Messiæ non spontaneum sed spontaneos, hoc est, quòd non solùm collegialiter vnum, sed singillatim spontaneos, non quandocunque sed in die fortitudinis Messiæ existentis in decoribus sanctitatis.

De vulua aurora. Describit qualitatem fidelium filiorum simul cum qualitate fidelium patrum, Apostolorum: reliquum erat vt describeret modum quo illi filij generandi essent. Et hunc modum describit in similitudinem generationis roris de matrice aurorae. Et intendit quòd generatio fidelium Christi non erit sicut generatio qua mater generat [illegible] filios: sed erit sicut generatio roris, qua aurora generat rorem: hoc est, quòd erit generatio innumerabilium simul: sicut enim aurora generat simul magnam roris multitudinem, ita erit generatio fidelium Christi. Lege gesta Apostolorum & Martyrum: & videbis hoc ad literam mirabiliter impletum. In primo siquidem die Pentecostes fuit generatio trium millium: & postmodum in miraculo claudi sanati à Petro, referuntur alia duo millia, &c. Significanter autem non dicit de aurora sed de vulua, hoc est, matrice aurorae: vt intelligas auroram foecunditatem ad generandum rorem: & hoc ad differentiam [illegible] parum aut nihil [illegible]. Ne [illegible] quod vulua non est nomen [illegible] Hebraeis, sed vocatae [illegible] soluendo dicta. Quod [illegible] ne turbetis à vocabulo [illegible]. Est itaque ordo & sensus [illegible]. Populus tuus in singulis spontaneis [illegible] aurorae ros natiuitatis [illegible] in decoribus sanctitatis [illegible] sicut ros de vulua aurorae [illegible] tempore quo [illegible] in decoribus sanctitatis [illegible] natiuitas Messiae [illegible] qui sicut ipse in membris suis [illegible] *Saule, Saule quid me persequeris* [illegible] suis membris natum. Valde autem [illegible] generatio fidelium [illegible] generatio roris: vt etiam intelligas coelestem esse generationem fidelium, & aurorae tempore [illegible].

Iurauit Dominus. De [illegible] populo in quo regnat per fidem Christus in medio inimicorum suorum, describit consequenter nouitatem legis. Nec [illegible] Messiae in hoc tempore medio sacerdotium legale [illegible] atque iudicialia legis Moysi prohibentur [illegible] describit Propheta nouum [illegible] Messiae sacerdotium. In quo clauditur [illegible] legalis sacerdotij & veteris legis: translato enim sacerdotio cointelligitur translatam & legem, vt dicitur ad Hebr. 7. *Iurauit Dominus*, hoc est, immobiliter definiuit, *& non poenitebit*, ad differentiam sacerdotij legalis cuius Deum poenituit: hoc est, ad modum poenitentis se habuit, quia destituit illud: *tu*, Messia non de tribu Leui, sed de tribu Iuda, *sacerdos*, supple es, *aeterno*, non ad tempus vt Aaron & quilibet alius sacerdos legalis: quorum nullus erat sacerdos in aeternum sed quandiu viuebat. Christus autem sacerdos est in aeternum: vt enim dicitur ad Hebr. 7. *Sempiternum habet sacerdotium: vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum, semper viuens ad interpellandum pro nobis. Supra rem Malchisedech*, non solùm supra sacerdotium legale quod fuit tribus Leui, sed etiam supra sacerdotium Malchisedech, quod constat praestantius fuisse legali sacerdotio: vt ad Hebr. 7. probatur. Sed & toto genere Hebraeorum: vtpote cui Patriarcha primus Hebraeorum Abraham subditus fuit, offerens illi decimas, & benedictus ab eodem. Et intendit (vt dictum est) per Messiae nouum, immutabile, aeternum ac excellentius sacerdotium, nouitatem declarare legis Messiae quam videmus: quam appellamus nouum Testamentum.

Aduerte hîc quaestionem esse an *Malchisedech* sit vna dictio, ita quòd sit nomen proprium illius viri qui fuit rex Salem, cui Abraham decimas obtulit vt sacerdoti Dei Altissimi (vt Latini Graecique Codices prae se ferunt) an sint duae dictiones, scilicet *Malchi & sedech*: vt Hebraei Codices habent tam hîc quàm Genes. 14. Imò apud Hebraeos sunt tres dictiones: nam *Malchi* aequiualet duabus dictionibus, scilicet *rex meus*, & *sedech* significat iustitiam.

Soluitur quaestio, dicendo quòd secundùm veritatem *Malchisedech* est vnicum nomen compositum ex dictis tribus dictionibus: & non erat nomen proprium viri sed dignitatis: quilibet enim rex Hierusalem vocabatur *Malchisedech*: sicut quilibet rex Aegypti vocabatur Pharao, & quilibet Imperator Romanorum vocatur Caesar. Nec hoc solo titulo contenti erant reges Hierusalem, sed etiam quilibet eorum appellabatur Adonisedech. Ita quòd à iustitia populus decorauerat titulum regis sui, appellando eum vel *Malchisedech*, hoc est, rex meus iustitiae: vel *Adonisedech*, hoc est, Dominus meus iustitiae. Et de Malchisedech quidem scribitur Genes. 14. de Adonisedech verò scribitur Iosue 10. Scribitur autem in Hebraeis Codicibus duabus dictionibus propter prolixam compositionem: sicut *Tabalcain*.

Vers. 5. DOMINVS SVPER DEXTERA TVA. Proposuit Propheta in principio Psalmi Dominum dicentem & Dominum cui dictum est, & recitato dicto statim direxit sermonem ad Dominum cui dictum est (hoc est, Messiam) dicendo *virgam fortitudinis tuae*, &c. modò apostrophat ad Dominum qui dixit, dicendo *Dominus super dextera tua*. Ita quòd sicut hactenus allocutus est Messiam de à Domino qui dixit faciendis pro ipso Messia, ita nunc alloquitur Dominum qui dixit de faciendis ab ipso Messia, dicens: *Dominus super dextera tua*.

Tractatur hîc illa particula, *ponam inimicos tuos scabellum pedibus tuis*: declarando facienda à Messia tempore vniuersalis iudicij *Dominus*, cui dixisti, sede à dextris meis, *super dexteram tuam*, super locum dexterae tuae sedens, super optima bona tua regnans, *confregit in die furoris sui reges.* Constat quòd dies furoris Messiae, tempus vocatur vniuersalis iudicij. Vbi aduerte duos dies Messiae in hoc Psalmo nominatos (primò diem fortitudinis eius, & modò diem furoris ipsius) ad significandum duo apud nos tempora Christi regnantis, vtrumque diem propter claritatem. Alterum diem furoris propter claritatem iustitiae: tunc enim clarè patebit vniuerso mundo iudicium & iustitia Christi. Alterum diem fortitudinis, propter claritatem immortalitatis Christi: quae ex tunc clarè apparuit mundo cùm Spiritus sanctus corda fidelium illustrauit, & miraculis ac fortitudine Martyrum comprobauit. Scindere autem dicitur reges metaphoricè ad similitudinem victoris confringentis reges pugnantes cum exercitibus suis. Et intendit per hoc subactionem regum.

Iudicabit in gentibus. Ne putares Messiam iudicem Iudaeorum tantùm, extendendo dixit *iudicabit in gentibus*, & non solùm in Iudaeis: & vt non solùm reges sed etiam gentes omnes subdi-

tas

Malchisedech quale nomen

Quilibet Rex Ierusalē vocabatur Malchisedech & Adonisedech.

Hebr. 7.

tas Messiæ describat. *Implenit corpora.* Appellatione corporum significantur corpora exanima: ac per hoc implere corpora est animare corpora quæ vacuata fuerunt animabus: quod est resuscitare corpora. Quod ad literam faciet Messias in vniuersali iudicio: vt sic impleatur quòd inimici sint scabellum pedum eius:non enim mortui sed viui inimici sunt scabellum pedum.

Scidit caput super terra multa: hoc est, Antichristum qui fuerat caput super multa terra. De ipso enim dicit Apostolus: *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui*, 2.ad Thessal.2. (2.Thessal.2.)

Collige prudens lector actiones quatuor Christi in iudicio. Et nota prudentiam Prophetæ: quòd vbi in principio Psalmi has actiones dixit fore à Domino dicente (dum describendo ait, *ponam inimicos tuos*) modò describit eas exequendas à Domino cui dictum est: vt intelligamus eandem actionem esse vtriusque, sicut est vna vtriusque deitas. Tres autem actiones significat in præterito & vnam in futuro,scilicet *iudicabit*: quia licet omnes sint modò futuræ, in die tamen furoris illæ tres præcedent iudicium: ita quòd respectu illarum iudicium significatur futurum.

Vers. 7. De torrente. Tractatur hìc illa particula, *dictum Domini Domino meo*: declarando meritum quo Messias meruit exaltari ad dexteram Dei. Dicere enim Dei est facere: & propterea ad dictum Dei spectat efficere etiam media quibus efficit quòd sedeat ad dexteram suam. Describitur autem meritum Christi per metaphoram bibentis de torrente: passio siquidem eius, bibitio pluries est appellata: iuxta illud: *potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Et rursus: *Pater si non potest hic calix transire nisi bibam illum.* Et significatur per hoc quod voluntariè passus est,sicut voluntariè bibimus. *In via* autem: quia ad litteram Messias viator existens passus est,& non quatenus erat comprehensor. De torrente verò:quia torrens aquam præbet turbidam ac impetuosam, significantem virulentum impetum Iudæorum,quem voluntariè Messias sustinuit. *Propterea exaltabit caput.* Propter quod inquit Apostolus, *Deus exaltauit illum & dedit ei nomen quod est super omne nomen,* &c. Amen.

Passio Christi bibitio sæpe appellatur. Cur?

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Halelu Iah.

CX.

1 *Confitebor tibi Domine in toto corde meo: in consilio iustorum & congregatione.*

2 *Magna opera Domini: exquisita in omnes voluntates eius.*

3 *Confessio & magnificentia opus eius: & iustitia eius manet in seculum seculi.*

4 *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.*

5 *Memor erit in seculum testamenti sui:*
6 *virtutem operum suorum annunciabit populo suo.*

7 *Vt det illis hæreditatem gentium: opera manuum eius veritas & iudicium.*

8 *Fidelia omnia mandata eius: confirmata in seculum seculi, facta in veritate & æquitate.*

9 *Redemptionem misit populo suo: mandauit in æternum testamentum suum.*

10 *Sanctum & terribile nomen eius:initium sapientiæ timor Domini.*

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in seculum seculi.

IVXTA HEBRÆVM.

Halelu Iah.

CXI.

1 *Propheta.* *Aleph.* Confitebor Dominũ [4] in toto corde.
Beth. quia in secreto rectorum & congregatione.
2 *Ghimel.* Magna sunt opera Domini [4].
Daleth. exquisita cũctis volẽtibus ipsa.
3 *He.* Pulchritudo & decor opus eius.
Vau. & iustitia eius manens æterno.
4 *Zain.* Memoriam fecit separatis suis.
Cheth. misericors & miserator Dominus [4].
5 *Teth.* Cibum dedit timentibus se.
Iod. recordabitur sẽpiterno pacti sui.
6 *Caph.* Fortitudinem operum suorum annunciauit populo suo.
Lamed. ad dandum eis hæreditatem gentium.
7 *Mem.* Opera manuum eius veritas & iudicium.
Nun. fidelia omnia præcepta eius.
8 *Samech.* Firmata æterno,seculo.
Hain. facta in veritate & rectitudine.
9 *Pe.* Redemptionem misit populo suo.
Zadi. præcepit æterno pactum suum.
Coph. sanctũ & timendũ nomen eius.
10 *Res.* Principiũ sapientiæ timor Dñi [4].
Sin. intellectus bonus cunctis facientibus ea.
Thau. laus eius manens semper.

COMMENTARIVS.

TItulus est : *Halelu Iah* : hoc est, *laudate Deum*. Ex quo habetur materia Psalmi in genere : quòd scilicet Psalmus iste est laudatiuus Dei. Verum vbi progressus Psalmi perspicaciùs visus fuerit, apparebit formale in Psalmo, explicatum per titulum. Materia autem diuinæ laudis in Psalmo tractata, est opus Dei in duobus temporibus, scilicet patribus ante Moysen, & postea in reductione filiorum Israël ad terram promissionis. Ita quòd ad literam intendit Propheta magnificare in his duobus opera Dei, tum relatiuè ad Deum : tum relatiuè ad humanum genus.

Quòd enim Psalmus iste ad literam tractet tempus reductionis populi in terram promissionis, testatur tum quintus versiculus : *recordabitur sempiterno pacti sui*, ad dandum eis hæreditatem gentium, cum præceptis diuinæ legis : tum nonus versiculus : *præcepit æterno pactum suum*, &c. In his enim clarè tractatur quòd Deus obseruauit pactum suum, redimendo populum de Ægypto, dando illis præcepta, hæreditatem gentium, & reliqua : & quòd Deus præcepit obseruari à populo pactum suum. Quæ omnia constat fuisse in tempore reductionis populi gesta.

Quòd autem prætractetur tempus patrum ante Moysen, insinuat tum primus versiculus, dicendo *in secreto rectorum*. Tum quartus : *memoriam fecit separatis*, id est, mirabilibus suis : vt exponendo patebit. Tum quia ordo materiæ id exposcit.

SVMMARIVM EST.

P*Ropheta pollicetur laudare Deum pro operibus Dei magnis : tum in statu priuato iustorum patrum, scilicet ante Moysen : pascendo eos tanquam memoriam diuinorum mirabilium : tum in statu politico iustorum : & seruando fœdus, redimendo, docendo, præcipiendo, dandoque promissionis terram, & mandando seruari à populo fœdus, habendo nomen Dei vt timendum & sanctum.*

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. COnfitebor Dominvm. Diuiditur Psalmus in partes duas : propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *pulchritudo*. Scito ex Hieronymo Psalmum esse alphabeticum, non secundùm integros, sed secundum semiuersiculos, qui fortè apud Hebræos sunt integri versiculi : quales apud nos sunt Adonij & Glicomei. Et est primus habens integrum Alphabetum.

Psalmus est alphabeticus.

Proponit vnum duplici motiuo fultum. *Confitebor Dominum in toto corde*, vnum quod proponit est laudare Deum integro corde, *in secreto rectorum & congregatione*. Ordina literam sic: Quia opera Domini & in secreto rectorum & in congregatione rectorum exquisita cunctis volentibus ipsa, hoc est ad vtilitatem omnium cupientium Dei opera, sunt magna. Et intendit per *secretum rectorum* statum patrum iustorum ante Moysen. Et aptè sic describitur status ille : nam tunc non erat populus dicatus diuino cultui : sed viri iusti erant sicut viri priuati, singulariter quilibet manens in timore Dei. Ita quòd secretum distinguitur contra statum publicum, popularem seu ciuilem. Per *congregationem* verò significat congregationem politicam populi ad cultum vnius Dei : quæ incepit in ingressu filiorum Israël de Ægypto.

Et in vtroque statu opera Domini fuerunt *magna*, & in seipsis & in mentibus rectorum. Et fuerunt *exquisita*, diligenter discussa, inuestigata, ad vtilitatem non omnium absolutè, sed *omnium volentium ipsa*. Et hoc ad differentiam eorum quibus opera Dei in nauseam veniunt : & ad extendendam vtilitatem ad omnes cuiuscunque generis homines, modò vellent opera Dei : hoc est, delectarentur in operibus Dei, cuperent illa adimpleri, & huiusmodi.

Vers. 3. Pvlchritvdo. Incipit hîc pars executiua tali ordine : Primò tractatur illa particula, *in secreto rectorum*. Secundò illa, *& congregatione*, ibi, *recordabitur*. Tertiò illa, *cunctis volentibus*, ibi, *præcepit æterno*.

Tractatur itaque ratio laudandi Deum in secreto, id est, priuato statu iustorum : narrando opera Domini magna spectantia ad statum illum. *Pulchritudo*, mundi consistens in debita quantitate & dispositione partium mundi, *& decor*, mundi consistens in ordine, *opus eius*, Dei : *& iustitia eius*, quâ prouidet & distribuit vnicuique suauiter, *manens æterno*. Hæc sunt opera Dei apud primos patres cognita : opus scilicet creationis mundi & opus prouidentiæ diuinæ, quæ fuerunt magna & exquisita in secreto iustorum.

Memoriam fecit separatis suis, ne aboleretur fides creationis & diuinæ prouidentiæ, conseruauit Deus patres tanquam memoriam separatis suis. Separata Dei appellantur tum opera creationis & prouidentiæ diuinæ, tum conditiones Dei : scilicet omnipotentia & excellentia, & huiusmodi reuelata patribus. Quæ verè sunt separata à facultate naturæ, potestatis & cognitionis nostræ : & propterea mirabilia vocantur à nobis.

Conseruatio patrum describitur per *dare cibum timentibus se*, tum quia cibus est naturale conseruatiuum hominum in hac vita : tum quia speciali curâ Deus prouidit de cibo Abrahæ in Ægypto, Isaac in Geraris, Iacob & filiis eius in Ægypto. Directionem autem diuinam huius officij quod est dare cibum timentibus se, ad hoc quòd sic consultum esset mirabilibus diuinis de memoria, apertè significat dicendo, *memoriam fecit separatis suis*.

Et ratio tanti beneficij adiungitur, dicendo : *misericors*, in voluntate, *& miserator*, in opere : vt intelligamus ex magna Dei gratia imò ex magna (humano more loquendo) compassione Dei erga genus humanum, prouidisse Deum de memoria, de fide conseruanda diuinorum : non per libros, non per populos, sed per successiuam conseruationem cibando timentes Deum.

Vbi etiam nota quòd cibatio illorum patrum non fuit sola cibatio hominum, & cibatio timentium Deum, sed fuit conseruatio fidei diuinorum mirabilium. Vnde patet quàm magna fuerint opera Domini in secreto rectorum.

Recor

Vers. 5. Recordabitur sempiterno pacti sui. Tractatur hîc illa particula, *& congregatione*: declarando opera Domini magna in congregatione rectorum seu iustorum: hoc est in erectione populi in congregationem politicam. Et numerans quinque opera Domini (scilicet memoriam fœderis, doctrinam, terræ possessionem ex veritate & iudicio, præcepta, & redemptionem) inchoat ab opere radicali: scilicet pacto diuino inito cum Abraham. *Recordabitur*, ad similitudinem recordantis se habebit, non quandoque, sed *sempiterno*, nunquam obliuiscetur, *pacti sui*, cum Abraham, scripti Genes. 15. ex vi enim fœderis cum Patriarchis initi reduxit Deus populum in terram promissionis. Et futurum *recordabitur*, refertur ad præteritum *memoriam fecit*, cibum dedit.

Annunciauit fortitudinem operum suorum, hoc est opera suæ potentiæ, creationis scilicet, prouidentiæ, iustitiæ, &c. *populo suo*, hoc est in publico populo, qui prius manifestauerat omnipotentiam suam non populo sed particularibus hominibus. Tunc enim primum annuntiata sunt publicè in populo mirabilia Dei: tum per ipsum Deum in monte Sina: tum mediante Moyse, qui scripsit de creatione mundi, &c.

Ad dandum eis hæreditatem gentium, opera manuum eius veritas & iudicium. In principio proposuit opera Domini magna & exquisita materiam diuinæ laudis, postea applicauit secreto rectorum opera Dei, pulchritudinem, decorem, &c. modò consequenter applicat congregationi rectorum opera Dei veritatem & iudicium. Et verè sic est: quoniam veritas Dei adimplens fœdus factum cum patribus & iudicium Dei vindictam exercens in Amorrhæos & Chananæos, fuerunt opera manuum Dei ad dandum populo suo hæreditatem gentium, terram & agros & vineas & animalia quæ hæreditariâ successione tot annorum curriculis gentes possederant.

Vers. 7. Fidelia omnia præcepta eius. Pactum Dei cum Abraham & aliis Patriarchis continebat quòd Deus esset eorum Deus: ac per hoc ad idem pactum spectabat quòd prouideret populo de præceptis regulantibus vitam & actus eorum, & quòd instrueret eos: & non solùm quòd daret eis terram promissionis. Et propterea inter opera Dei tunc gesta commemorantur præcepta. *Fidelia*, in promissis & comminatis, in præmio & pœna, *omnia*, nullo excepto, *præcepta eius: firmata*, obseruanda, *æterno*, *seculo*.

Occurrit hic scrupulus ex Paulo Apostolo ad Galat. 3. dicente legem datam vsque ad tempus donec veniret semen cui promiserat Deus, hoc est Messiam, quomodo stant verba Apostoli cum hoc textu, dicente *omnia præcepta firmata æterno, sæculo*. Solutio est quòd Propheta ad literam tractat de præceptis decalogi tantùm: ita quòd appellatione omnium præceptorum comprehenduntur præcepta omnia diuina moralia: quæ sola spectant ad decalogum: quia tractat de præceptis datis à Deo in tempore egressionis ex Ægypto: vt contextus literæ testatur. Constat autem Hierem. 7. quòd tunc non fuerunt data nisi præcepta moralia: dum expresè excludit præcepta

Ierem. 7. cærimonialia, dicens ex parte Dei: *Non præcepi patribus vestris in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocaustomatum & victimarum: sed hoc verbum præcepi eis dicens: audite vocem meam, & ero vobis Deus & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via quam mandaui vobis, vt bene sit vobis: & non audierunt, sed abierunt in voluptatibus & in prauitate cordis sui*, &c. Vbi clarè patet de solis præceptis decalogi seu moralibus mentionem fieri, excludendo cærimonialia. Constat autem præcepta decalogi æterno sæculo obligare, ratione rectitudinis diuinæ & naturalis in eis contentæ.

Facta in veritate, quæ perficit intellectum, hoc est non composita ex figmentis, & rectitudine, quæ perficit voluntatem: vt hinc intelligas perfectionem diuinorum præceptorum, excludentium omnem errorem partis intellectiuæ, & omnem obliquitatem partis affectiuæ.

Redemptionem misit populo suo. Primum opus Dei ad reducendum populum, vltimò describitur: quia metrum non seruat ordinem. Existentibus filiis Israel in seruitute Ægyptiorum, oportuit redimere eos in libertatem ad hoc vt essent populus liber in terra promissionis: & hoc etiam promiserat Deus Abrahæ. *Redemptionem*, de seruitute Ægyptiaca in libertatem, *misit populo suo*, Israel seruienti Pharaoni.

Præcepit æterno pactum suum. Tractatur hîc illa particula, *cunctis volentibus ipsa*: declarando substantiam & modum seruandi diuinum pactum. Aduerte hîc quòd Propheta tractans de obseruatione diuini pacti, prius declarauit quòd Deus obseruauit illud efficiendo ea quæ spopôdit: modò declarat quòd Deus vult à populo seruari sibi pactum: dignum enim & iustum est ex quo Deus seruauit pactum ex parte sua, vt populus etiam ex parte sua seruet pactum. *Præcepit æterno*, seruari, *pactum suum: sanctum & timendum nomen eius.* Ne obiiceres magnam multitudinem præceptorum seruandorum, & graue aut intolerabile pactum accusares, in duobus consistere pactum suum declarat, scilicet quòd nomen eius timeatur, & quòd sanctum habeatur: hoc est timeri & laudari.

Principium sapientiæ. Declarat secundum (scilicet timendum) ex hoc quòd timor Domini est principium sapiendi: ac per hoc sufficit ad perfectionem vtriusque partis: scilicet appetitiuæ & intellectiuæ. Timor enim Domini seipso perficit partem appetitiuam, & est sermo de timore reuerentiali seu filiali. Mediante verò sapientiâ quam generat, perficit partem intellectiuam. Et est sermo de sapientia rectè iudicante de omnibus credendis & agendis, secundùm altissimam causam quæ Deus est: qua mulietcula timens Deũ sapientior est omnibus Philosophis. *Timor Domini principiũ sapientiæ.*

Intellectus bonus cunctis facientibus ea. Duo subiunguntur per hæc verba. Alterum tacitæ obiectioni responsiuum, quomodo initium sapientiæ ponitur timor Domini: cùm initium sapientiæ sit intellectus, non potentia intellectiua, sed qui est vna quinque virtutum intellectualium? vnde & Moyses Deuteron. 4. ait: Hæc est sapientia vestra & intellectus coram populis. Alterum etiam tacitæ quæstioni responsiuum: quo pacto sapientia & intellectus potest esse communis singulis de populo, cùm rari in mundanis populis inueniantur sapientes. Vtrique siquidem satisfaciens ait: *Intellectus bonus*, communis est, *cunctis facientibus ea*, quæ sunt diuini timoris, vt per hoc intelligas quòd timor Domini exercitatus faciendo ea quæ sunt diuini timoris, largitur non solum sapientiam sed intellectum bonum, non aliquibus sed cunctis. Non dixit *sapientia bona*,

bona, ſed dixit *intellectus bonus*: quia ſapere comprehendit in ſeipſo bonitatem: intelligere autem penetrās intima rerum, commune eſt ad bonum & malum. Et propterea oportuit explicare quòd *intellectus*, non qualiſcunque, *ſed bonus*, ſibi & aliis eſt, *facientibus*, non cognoſcentibus aut dicentibus, *ea*, quæ ſunt timoris diuini.

Laus eius. Declarat primum: ſcilicet *ſanctum*. Nomen ſiquidem Dei quatenus ſanctum laudandum eſt. Et propterea dicit. *Laus eius*, ſancti nominis Dei, *manens*, ſupple erit apud obſeruatores pacti diuini, *ſemper*, ita quòd nunquam recedet ab ore eorũ. Et ſic vniuerſa obſeruatio pacti Dei cõprehenſa eſt in timore & laude Dei. Amẽ.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Halelu Iah.

CXI.

1 *BEATVS vir qui timet Dominum: in mandatu eius volet nimis.*

2 *Potens in terra erit ſemen eius: generatio rectorum benedicetur.*

3 *Gloria & diuitiæ in domo eius: & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.*

4 *Exortum eſt in tenebris lumen rectis: miſericors & miſerator & iuſtus.*

5 *Iucundus homo qui miſeretur & commo-*
6 *dat, diſponet ſermones ſuos in iudicio: quia in æternum non commouebitur.*

7 *In memoria æterna erit iuſtus: ab auditione mala non timebit.*

8 *Paratum cor eius ſperare in Domino: confirmatum eſt cor eius, non commouebitur donec deſpiciat inimicos ſuos.*

9 *Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi, cornu eius exaltabitur in gloria.*

10 *Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet: deſiderium peccatorum peribit.*

IVXTA HEBRÆVM.

Halelu Iah.

CXII.

1 *Aleph.* *Propheta.* BEATITVDINES viri timentis Dominum [4].
& qui
Beth. in mandatis eius voluit valde.
2 *Ghimel.* Forte in terra erit ſemẽ eius.
Daleth. generatio rectorum benedicetur.
3 *He.* Res & opulentia in domo eius.
Vau. & iuſtitia eius manens ſemper.
4 *Zain.* Splenduit in obſcuritate lux rectis.
Cheth. miſericors & miſerator & iuſtus.
5 *Teth.* Bonus vir miſerens & mutuãs.
Iod. gubernabit res ſuas in iudicio.
6 *Caph.* Quia æterno non labetur.
Lamed. memoriæ ſempiternæ erit iuſtus.
7 *Mem.* Ab auditu malo non timebit.
Nun. paratum cor eius confiſum in Domino [4].
8 *Samech.* Suſtentatum cor eius non timebit.
Hain. donec quòd aſpiciet in anguſtatoribus ſuis.
9 *Pe.* Sparſit, dedit mendicis.
Zadi. iuſtitia eius manens ſemper.
Coph. cornu eius exaltabitur in honore.
10 *Res.* Impius videbit & indignabitur.
Scin. dentibus ſuis frendebit & liqueſiet.
Thau. deſiderium impiorum peribit.

COMMENTARIVS.

Materia. TItulus eſt, *Halelu Iah*: hoc eſt, *laudate Deum*. Ex quo non apparet in ſpecie materia Pſalmi: ſed facile ex progreſſu Pſalmi intelligitur quòd eſt beatitudo timentis Deum, & multo magis miſericordis, miſeratoris & iuſti, cum miſeria iniquorum.

SVMMARIVM EST.

P*Ropheta tum timenti Deum, tum volenti in mandatis eius valde* (*ſcilicet miſericordi, iuſto & miſeratori*) *communem quidem beatitudinem, differentem verò beatitudinis gradum cantat: vano remanente iniquo, quamuis ira frendente.*

Perſona loquens Propheta eſt.

BEATITV

VERS. 1. BEATITVDINIS VIRI. Aduerte quòd hic Psalmus Alphabeticus est sicut immediatè præcedens. Et diuiditur in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi. *forte* Proponit beatitudinem tum timentis Deum, tum volentis valde mandata Dei. Et describit secundum in præterito. *volnit:* quoniam actus exteriores laudare intendit: quos multus affectus ad Dei mandata antecessit. Ita quòd per timentem Deum significat homines communi iustitia iustos: per eum autem qui voluit valde in mandatis Dei, intendit homines ex nimio affectu ad diuina mandata, perfectiora exteriora opera exercentes.

Vers. 2. FORTE IN TERRA. Incipit hic pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *beatitudines viri.* Secundò illa, *in mandatis eius voluit valde*, ibi. *splendiut.* Tertiò ambæ simul à contrario, ibi. *impius videbit.* Aduerte hîc pro claritate progressus & ordinis: quòd Propheta ordinat quatuor genera iustorum (scilicet timentes Deum, misericordes, iustos, & miseratores) describendo gradatim præmium vniuscuiusque & merita singulorum, excepto primo genere: cuius non describitur aliud meritum quàm quod descriptum est in principio, scilicet timere Deum.

Quatuor iustorum genera, cum eorum meritis & premiis.

Præmia autem eius describuntur quatuor. Primum est, *Forte in terra erit semen eius.* Beatitudo promissa timentibus Deum in veteri Testamento, erat in bonis præsentis vitæ: vt patet in fine Deuteron per multa capitula. Et propterea Propheta beatitudinem timentium Deum secundùm statum veteris Testamenti describit: inchoans à temporali potentia in successione filiorum: non parua siquidem pars beatitudinis præsentis vitæ est habere filios potentes.

Generatio rectorum benedicetur: hoc est multiplicabitur. Multiplicatio filiorum secundo loco ponitur.

Res & opulentia in domo eius. Bona quæ vocantur fortunæ, tertio loco ponuntur.

Et iustitia eius manens semper. Hoc quartum perpetuæ est felicitatis qua iustitia timētis Deum non cessabit ipso moriente, sed manebit semper beata: vel iustitia eius in huiusmodi præmiis manens erit semper, hoc est perseuerabit ex diuina promissione.

Vers. 4. SPLENDVIT IN OBSCVRITATE. Tractatur hic illa particula, *in mandatis eius voluit valde:* explicando tria genera valde affectorum mandatis Dei. Et primò quidem omnes tres simul comparat ad timentes Deum, de quibus locutus est. *Splenduit in obscuritate lux rectis, misericors, miserator & iustus.* Percipe comparationem: misericors, miserator & iustus splenduit rectis tanquam lux in obscuritate. Et intendit per misericordem, hominem ex interiori compassione mediocriter vacantem operibus misericordiæ: per miseratorem verò hominem profusè vacantem misericordiæ operibus: per iustum autem hominem constanter & indefessè certantem pro iustitia.

Tria genera eorum qui sunt valde affecti mandatis Dei.

Deinde singulos singillatim tractat. *Bonus vir* (inchoat singulorum tractatum à misericorde) *vir miserens*, quoad affectum, *& mutuans.* In quo mediocre opus misericordiæ describitur: mutuare siquidem ex compassione (vt Tobias Gabelo mutuauit) opus misericordiæ est, sed mediocre: quia reddendum est mutuum.

Gubernabit res suas in iudicio. Rationem assignat quare mutuat & non donat indigenti mutuo, quia curam habet rerum suarum in iudicio discretionis: hoc est quia discernit curam habendo rerum suarum, non competere sibi donare sed mutuare. Et intendit per hoc describere hominem misericordem, qui cùm non possit donare, mutuat, & commendare eum quòd est bonus aliis.

Quia æterno non labetur. Præmium describitur securitas æterna. Timentium Deum præmium fuit permanentia iustitiæ: misericordiam mutuantium, præmium maius describitur securitas æterna. Hanc enim significat non labi æterno: securorum siquidem est nunquam labi.

Vers. 6. MEMORIÆ SEMPITERNÆ. Post misericordem tractatur iustus: inchoando ab illius præmio. *Memoria sempiterna erit iustus.* Metire quanto maius est præmium hoc prioribus, nam præmium hoc in æterna laude consistit: quæ maior est permanentia & securitate: vtpote includens illas & addens.

Ab auditu malo. Describitur constantia iusti in præsenti vita: primò quòd *ab auditu imminentium sibi malorum non timebit:* hoc est comminata mala pœnæ à principibus, ab hostibus, à quibuscunque *non timebit:* quia *paratum est cor eius*, ad sustinenda & aggredienda pericula, confisum in Domino, ex fiducia quam in animo concepit de Deo.

Sustentatum cor eius. Ecce effectus fiduciæ in Domino: quòd in progressu sustentatum est cor eius, certantis pro iustitia, ita quòd *non timebit donec aspiciet in angustiatoribus suis:* hoc est perseuerabit intrepidus, non ad horam, non ad diem, sed vsque ad victoriam: hanc enim significat *donec aspiciet in angustiatoribus suis:* more victorum, videntium in victis personas, vestes, &c.

Vers. 9. SPARSIT. Tractatur demum miserator, descriptus ab actu profusæ miserationis. *Sparsit*, res suas, *dedit mendicis*, non hystrionibus & huiusmodi: *iustitia eius manens semper.* Filij huius seculi accusant amentiæ spargentes res suas dando pauperibus. Et propterea Propheta confutans hanc sententiam, declarauit hanc sparsionem esse gratam Deo, iungendo huic profusioni iustitiam manentem semper, in diuinâ acceptatione.

Premium profusi miseratoris.

Cornu eius exaltabitur in honore. Præmium profusi miseratoris longè excellentius cæteris describitur à tribus: à potestate, *cornu eius:* ab exaltatione, *exaltabitur:* à gloria, *in honore.* Et descripsit præmium in his tribus: quia ad hæc tria seruanda seu promouenda acquirunt, retinent, augent homines huius seculi diuitias: ad potestatem scilicet, exaltationem & honorem: vt per hæc intelligeremus quòd spargentibus res suas pauperibus, Deus cuncta bona præparauit quæ possunt per diuitias haberi. Et minus dicit quàm significet: quia multo excellentius cornu eius exaltabitur in honore quàm non spargendo pauperibus fuisset exaltatum.

Vers. 10. IMPIVS VIDEBIT. Tractantur hîc ambæ particulæ: scilicet *beatus vir timens Dominum, & beatus qui in mandatis eius voluit valde.* Tractantur autem simul à contrario communi vtriusque beatitudini. *Impius videbit*, beatitudines vtriusque, *& indignabitur*, ægrè feret: *dentibus suis fremdebit*, more bestiarum præ nimia

nimia ira, appetendo si facultas adesset deijcere eos à felicitate, *& liquefiet*, impotens exequi, ad similitudinem eorum quæ liquefiunt intus consumetur: *desiderium impiorum*, tam quoad malum quod desiderát iustis quàm quoad bonum quod desiderant sibiipsis, *peribit*. Et potes totam hanc particulã intelligere tam de impiis in statu præsentis vitæ iuxta Deuteronom. comminationes spectantes ad statum veteris Testamenti, quàm de impiis in statu futuræ vitæ. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Halelu Iah.

CXII.

1 *LAVDATE pueri Dominum: laudate nomen Domini.*
2 *Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nunc & vsque in seculum.*
3 *A solis ortu vsque ad occasum: laudabile nomen Domini.*
4 *Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cælos gloria eius.*
5 *Quis sicut Dominus Deus noster? qui in*
6 *altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra.*
7 *Suscitans à terra inopem: & de stercore erigens pauperem.*
8 *Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi sui.*
9 *Qui habitare facit sterilem in domo: matrem filiorum lætantem.*

IVXTA HEBRÆVM.

Halelu Iah.

CXIII.

1 *Propheta.* LAVDATE serui Domini [4], laudate nomen Domini.
2 Erit nomen Domini [4] benedictum: ex nunc & vsque æternum.
3 Ab ortu solis vsque occasum eius: laudatum nomen Domini [4].
est
4 Excelsus super omnes gentes Do-
est
minus [4]: supra cælos honor eius.
5 Quis vt Dominus [4] Deus noster: eleuatus ad sedendum, humiliatus ad videndum in cælis & in terra?
6 Erigens de puluere pauperem: de stercore eleuabit mendicum.
7 Ad faciendum sedere cum principibus: cum principibus populi sui.
8 Faciens sedere sterilem domi matrem filiorum hilarem: halelu Iah.

COMMENTARIVS.

Materia. TItulus est, *Halelu Iah*: hoc est, *laudate Deum.* Ex quo non habetur materia Psalmi nisi in genere. Ex superficie autem Psalmi, apparet materiam Psalmi esse laudem excellentis & incomparabilis dominij diuini: hoc enim clarè manifestant versiculi primi vsque ad sextum. Interiùs autem perspectus Psalmus, affert excellentiæ incomparabilis diuini dominij testimonia: scilicet suscitare de puluere egenum, & efficere sterilem fœcundam: hoc est prouidentiam dominij eius extendere se ad minima: quæ scilicet fortuita & casualia reputantur. Et hæc est ad literam materia Psalmi.

SVMMARIVM EST.

PRopheta inuitat seruos Dei ad laudandum nomen Domini semper & vbique, propter supremam ac incomparabilem excellentiam dominij eius extensi vsque ad fortuita & casualia.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. Omnes velint nolint sunt serui Dei. LAVDATE SERVI DOMINI. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Erit nomen.* Proponit vnum: scilicet nomen Domini laudandum à seruis eius. Vbi aduerte quòd alloquitur seruos Dei, non quòd aliqui exempti sint à seruitute Dei (quoniam omnes velimus nolimus sumus serui Dei) sed quia non omnes recognoscunt se seruos Dei, ideo ad recognoscentes se seruos Dei, sermonem dirigit inuitatorium ad laudandum nomen Domini: aliorum enim vana esset inuitatio. Geminat autem *laudate*: vt efficacior sit monitio.

Vers. 2. ERIT NOMEN. Incipit hic pars executiua tali ordine. Primò declaratur tam tempus quàm locus laudis, deinde ratio laudandi, ibi, *excelsus*. Tempus quidem quo serui Dei debent laudare nomen Domini, determinatur ex nunc vsque æternum: hoc est, sine mora, sine dilatione inchoanda est laus, & perseuerandum est in ea vsque in æternum.

Ab ortu solis. Declaratur locus: hoc est vbique: vtpote ab ortu solis vsque ad occasum. Et futurum *erit* in principio versiculi præcedentis positum, intelligendum est extendi non solum ad participium benedictum, sed ad participium laudatum. Ita quod sensus est, *erit laudatum nomen Domini.*

Excelsus. Redditur ratio laudandi, altera ex celsitudine dominij. In terra quidem non solum super Iudæos sed super omnes gentes. In cælo autem:

rem : *Supra cælos honor eius* : hoc est, honoratur etiam supra cælos ab Angelis ibi existentibus.

Quis vt Dominus. Altera laudis ratio ex incomparabilitate diuini dominij explicatur admiratiuè. *Quis*, quasi dicat nullus, *vt Dominus Deus noster*, qui à nobis colitur : *eleuatus ad sedendum , humiliatus ad videndum in cælo & in terra ?* Humano more Propheta incomparabilitatem diuini dominij describit, duabus apud nos incompatibilibus conditionibus fultu. Celsitudo siquidem solij apud nos caret visione infimorum occurrentium : tum quia non possunt principes in excelso constituti videre singula : tum quia etiam si scirent, non possent prouidere singulis occurrentibus. Et propterea Propheta hæc duo iungit in diuino dominio. Et supremam celsitudinem solij, *eleuatus ad sedendum* (hoc est in suprema dignitate & potestate regiminis regnans) & extensam prouidentiam vsque ad minima, *humiliatus ad videndum :* hoc est, extendens visionem ad similitudinem inclinati ad videndum aliquid, vt bene discernat. Et hoc tum in cælis, tum in terra: quia tam in cælis quàm in terra singula videt.

Erigens de puluere. Proposuit celsitudinem ad sedendum & humiliationem ad videndum. Primam conditionem non curat prosequi: vtpote manifestam ex antedictis, quòd super cælos est honor eius. Alteram verò proposuit respectu cælorum & terræ: sed respectu cælorum non curat illam prosequi, relinquens eam pro manifesta : quoniam in cælis omnibus singula apparent ordinatissima, & nihil inuenitur in eis per accidens.

In terra autem intendit declarare quod dixerat duobus testimoniis. Alterum est quòd erigit pauperem seu mendicum de stercore, & facit eum principem,& (quod plus est) principem in populo proprio ipsius pauperis. Alterum quòd sterilem efficit matrem filiorum.

Vbi nota quòd si hæc [illegible]
constat in Saule & Dau[illegible]
nam Saul de puluere er[illegible]
etiam factus rex sequel[illegible]
historia primi Regum. [illegible]
pasceret oues patris sui , [illegible]
dum autem verificatur i[illegible]
tre totius populi Israel [illegible]
mitelis.

Sed hæc determinata [illegible]
si dici licet indigna test[illegible]
visionis & prouidentiæ v[illegible]
perspicaciùs Prophetæ v[illegible]
vt respondeant proposita [illegible]
antedictis. Intendit itaq[illegible]
ne pauperis de stercore [illegible]
populi, significare omnia [illegible]
ximæ fortunæ attribuimu[illegible]
rum negotiorum ordinem [illegible]
fœcunditate autem mulie[illegible]
ma casualia : quæ scilicet [illegible]
eueniunt : sterilem enim [illegible]
ter naturam manifestè est [illegible]
phetæ est declarare exten[illegible]
dentiæ vsque ad minima, [illegible]
ma in vno fortuito & in[illegible]
tuita & casualia sunt vere [illegible]
minima vt multi Philosop[illegible]
tauerint inter non entia : [illegible]
veritatem sint entia per [illegible]
infimum locum in vniue[illegible]

Quòd autem hic sit se[illegible]
tum ex eo quòd hic se[illegible]
materiæ propositæ : tum [illegible]
tur quare Propheta non [illegible]
culam, *humiliatus ad vide*[illegible]
lum in terra : quia scilic[illegible]
accidens : omnes enim [illegible]
gulares & per omnia o[illegible]
sunt casualia & fortuita. [illegible]
terminatur Psalmus in H[illegible]

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Halelu Iah.

CXIII.

1 *IN exitu Israel de Ægypto : domus Iacob de populo barbaro.*

2 *Facta est Iudæa sanctificatio eius : Israel potestas eius.*

3 *Mare vidit & fugit : Iordanis conuersus est retrorsum.*

4 *Montes exultauerunt vt arietes : & colles sicut agni ouium.*

5 *Quid est tibi mare quòd fugisti : & tu Iordanis quia conuersus es retrorsum.*

6 *Montes exultastis sicut arietes : & colles sicut agni ouium.*

7 *A facie Domini mota est terra : à facie Dei Iacob.*

IVXTA HEBRÆVM.

Halelu Iah.

CXIV.

1 *Propheta.* EGREDIENTE Israel de Ægypto : domo Iacob de populo extraneo.

2 Fuit Iudas sanctificationi eius. Israel potestatibus eius.

3 Mare vidit & fugit : Iordanis gyrabit retro.

4 Montes saltauerunt quasi arietes : colles quasi filij ouis.

5 Quid tibi mare quoniam fugies. Iordanis gyrabis retro?

6 Montes saltabitis quasi arietes : colles quasi filij ouis?

7 A faciebus Domini treme terra : à faciebus Dei Iacob.

8 Qui

8 *Qui conuertit petram in stagna aquarum: & rupem in fontes aquarum.*

8 Qui conuertit petram in paludem aquarum: saxum in fontem † aquarum. † *fonti.*

COMMENTARIVS.

Hic Psalmus non habetur integer.

TItulus nullus est. Materia ex ipso colligenda esset si haberetur integer. Quod ideo dico: quia fragmentum Psalmi tantummodo inuenitur: vt patet ex eo quòd multa proponuntur in principio, & non nisi vnum executioni mandatur. Vnde creditur in collectione Psalmorum inuentus hic Psalmus fortè corrosus aut ita oblitus vt legi non posset totus. Et vtcunque acciderit, exponemus hoc fragmentum quod habemus: declarando quatuor seu quinque miracula diuinæ potestatis hic scripta.

Persona loquens Propheta est.

VERS. I. EGREDIENTE. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *mare vidit*. Proponit duo patrata in egressu populi Israel de Ægypto. Alterum spectans ad tribum Iuda: alterum spectans ad totum populum Israel. *Fuit Iudas sanctificationi eius.* Non inuenitur alibi in sacra Scriptura res gesta hîc significata. Aiunt autem quòd aperto mari rubro à Deo, populus timuit ingredi apertum mare: sed tribus Iuda animæquior, confidens in Domino & credens verbis Moysi, prima ingressa est apertum mare: & sic reliquus populus secutus est. Et propterea hîc dicitur: fuit Iudas, hoc est tribus Iudæ, sanctificationi eius, Dei: non quòd sanctificauerit Deum in seipso: sed quia sanctificauit Deum coram populo, credendo, parendo, atque honorando Deum: hoc est enim facere sanctum Deum coram populo: quia est efficere vt habeatur & honoretur vt sanctus, vt excelsus super omnia. Testatur ipse Deus hoc esse suum sanctificari à nobis Num. 20. dicens ad Moysen & Aaron, dubitantes de verbis Dei ad aquas contradictionis: quia non credidistis mihi vt sanctificaretis me coram filiis Israel. &c. *Israel potestatibus eius*, supple fuit. Iudas opere suo fuit in sanctificationem Dei: Israel autem fuit in potestates Dei exercendas. Et intendit quòd propter Israel exercuit Deus multas suas potestates, secundùm multitudinem miraculorum quæ sua potentia egrediente Israel de Ægypto vsque ad terram promissionis fecit.

Describitur potestas Dei circa mare, flumen, montes, &c.

Vers. 3. MARE VIDIT. Incipit hic pars executiua. Sed id quod habetur in hoc fragmento, totum spectat ad illam particulam. *Israel potestatibus eius*: nam describitur potestas Dei circa mare, flumen, montes & colles quoad motum localem, & circa saxa quoad motum generationis.

Mare, rubrum, *vidit*, Deum, *& fugit*. Apertio maris rubri scripta Exod. 14. describitur ac si esset animatum, habens sensum quo videret terrentem Deum & fugeret. *Iordanis gyrabit retro*, Miraculum factum in Iordane scriptum Iosue 3. quando aquæ steterunt & cumulum retro fecerunt, scribitur ad similitudinem nauis gyrantis ad redeundum retro.

Montes saltauerunt. Historiæ istæ montium & collium saltantium, alibi in sacra historia non leguntur: iste tamen textus sufficit ad fidem faciendam rei gestæ, quamuis nesciamus aliter. Quòd enim iste textus ad literam narret miracula facta circa montes & colles, in hoc quòd moti sunt miraculosè, ex eo conuincitur quòd inter res gestas eodem contextu absque vlla dissimilitudine narrat Mare rubrum diuisum, Iordanem redeuntem, montes & colles motos ad similitudinem salientium. Et vt nullus dubitationi relinqueretur locus, subiungit statim eodem contextu allocutionem ad mare, ad Iordanem, ad montes & colles: inquirendo à mari causam fugæ, à Iordane causam gyrationis, à montibus & collibus causam saltationis. Si hoc non est scribere res gestas, nescio quo modo scribendæ essent aliter res gestæ in Psalmo.

An montes aliquando saltarint?

Dicitur scopulos Arnon inclinatos in transitu populi in confinibus Amorrhæorum & Ammonitarum: iuxta id quod Num. 21. recitatur, scilicet: *Dicitur in libro bellorum Domini, sicut fecit in mari rubro sic faciet in torrentibus Arnon: scopuli torrentium inclinati sunt vt requiescerent in Arnon, & recumberent in finibus Moabitarum.* Sed hoc non videtur satisfacere textui huic: tum quia de montibus & collibus hic est sermo: ibi autem de solis scopulis, tum quia hîc describuntur montes & colles subsilientes more saltantium: ibi verò sola inclinatio describitur. Vnde quicquid sit de literali sensu illorum verborum, non apparet tutum alligare hunc textum ad illos scopulos.

Et scito quòd saltatio montium & collium hîc descripta non est gaudij sed timoris: quia inferius subditur pro causa communi omnium horum gestorum, *tremor à facie Domini.* Hinc enim colligimus quòd sicut mare velut timens fugit, & Iordanis gyrauit retro, ita etiam montes & colles quasi timentes saltauerunt fugiendo, vt arietes & agni fugientes saltant.

Quid tibi mare quòd fugis. Apostrophat ad mare, Iordanem, montes & colles: interrogando eos causam talium motuum: scilicet fugæ, gyrationis & saltationis. Et vtitur hoc loquendi modo Propheta, vt humano more exciter animos nostros ad considerandum opera Dei mirabilia. Futuri autem temporis verba (*fugies, gyrabis, saltabitis*) non notant futurum respectu temporis Psalmi, quoniam iam præterierant: sed respectu causæ quæsitæ, ad quam fuerunt futuri isti actus. Ita quòd futurum denotat ordinem inter causam quam interrogat & has actiones: ordo enim illius causæ ad has actiones est ordo præteriti seu præsentis ad futurum.

Vers. 7. A FACIEBVS DOMINI. Explicat Propheta illam quam interrogauit causam esse faciem Domini terrentem. Ita quòd describit humano more Deum tanquam hominem facie sua terrentem mare rubrum, Iordanem, & montes & colles. Et aptè vtitur hac metaphorâ: quia descripserat mare tanquam videns & fugiens, & similiter Iordanem regyrantem, & montes & colles

colles vt arietes & agnos fugere saltando : his enim optimè congruit pro causa facies terrens : à cuius conspectu viso sequuntur hæ actiones. Vnde prosequendo Prosopopœiam dicit : *à faciebus Domini treme terra.*

Qui conuertit petram. Narratis potestatibus Dei circa quatuor antedicta, prosequitur potestatem Dei circa saxa. Et tangit miracula vtriusque eductionis aquæ de petra : alterius scriptæ Exod 17. alterius scriptæ Num. 20. *Qui conuertit petram in paludem aquarũ :* hoc est, eduxit de petra aquas in tãta copia quòd fecit paludẽ. Hyperbolica videtur locutio. Hîc nõ Psalmũ sed fragmen potes cõiicere ex hoc quòd medio sermone fit finis. Amen.

P S A L M V S

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM. CXV.
1 *Non nobis Domine non nobis : sed nomini tuo da gloriam.*	1 *Propheta.* NON nobis Domine [4] non nobis : sed nomini tuo da honorem super gratia tua & veritate tua.
2 *Super misericordia tua & veritate tua : nequando dicant gentes vbi est Deus eorum.*	2 Quare dicent gentes. *Vox gentium.* Vbi nunc Deus eorum ?
3 *Deus autem noster in cælo : omnia quæcunque voluit fecit.*	3 *Propheta.* Et Deus noster in cælis est : omnia quæ voluit fecit
4 *Simulachra gentium argentum & aurum : opera manuum hominum.*	4 Simulachra eorum argentum & aurum : opus manuum Adam.
5 *Os habent & non loquentur : oculos habent & non videbunt.*	5 Os eis est, & non loquentur : oculi sunt eis, & non videbunt.
6 *Aures habent & non audient : nares habent & non odorabunt.*	6 Aures eis sunt, & non audient : nasus est eis, & non odorabunt.
7 *Manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt : non clamabunt in gutture suo.*	7 Manus eis sunt, & non palpabunt : pedes eis sunt, & non ambulabunt, non mussabunt in gutture suo.
8 *Similes illis fiant qui faciunt ea : & omnes qui confidunt in eis.*	8 Sicut ipsi, erunt facientes ea : & omnis qui confidens est in eis.
9 *Domus Israël sperauit in Domino : adiutor eorum & protector eorum est.*	9 Israelis confidentia est in Domino [4] : adiutorium eorum & scutum eorum ipse est.
10 *Domus Aaron sperauit in Domino : adiutor eorum & protector eorum est.*	10 Domus Aaron confidite in Domino [4]: adiutor eorum & scutum eorum ipse.
11 *Qui timent Dominum sperauerunt in Domino : adiutor eorum & protector eorum est.*	11 Timentes Dominum [4] confidite in Domino [4] : adiutorium eorum & scutum eorum ipse.
12 *Dominus memor fuit nostri : & benedixit nobis. Benedixit domui Israël : benedixit domui Aaron.*	12 Dominus [4] recordatus est nostri, benedicet : benedicet domui Israëlis, benedicet domui Aaron.
13 *Benedixit omnibus qui timent Dominum : pusillis cum maioribus.*	13 Benedicet timentibus Dominum [4] : paruis cum magnis.
14 *Adyciat Dominus super vos : super vos & super filios vestros.*	14 Addet Dominus [4] super vos : super vos & super filios vestros.
15 *Benedicti vos à Domino : qui fecit cælum & terram.*	15 Benedicti vos Domino [4]: facienti cælos & terram.

16 *Cælum cæli Domino, terram autem dedit filiis hominum.*

17 *Non mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum.*

18 *Sed nos qui viuimus benedicimus Domino ex hoc nunc & vsque in sæculum.*

16 Cælorum cælos Domino: & terram dedit filiis Adam.

17 Non mortui laudabunt Dominum: & non omnes descendentes in locum silentij.

18 Et nos benedicemus Domino ex nunc & vsque æternum: Halelu Iah.

COMMENTARIUS

[illegible]

T[illegible] Deo [illegible] populo Israel [illegible] [illegible]

SVMMARIVM EST

P[illegible] Dei [illegible] Deum [illegible] Deo [illegible]

[illegible] Vers. 1.

NOn nobis Domine [illegible] [illegible] honorem Deo & non hominibus [illegible] tua & veritate tua. [illegible] Dei nisi [illegible] [illegible] nomini [illegible] Da honorem nomini tuo [illegible] honorem nominis tui, & [illegible] honorem nominis tui. Et exclamat Propheta hunc perennem debitum affectum ad diuini cultus conseruationem: quo desiderat diuinum cultum conseruari & augeri, non propter honorem ipsorum hominum, sed propter honorem diuini nominis. Ad cuius oppositum tendunt qui templa & ornamenta & alia huiusmodi Ecclesiastica efficiunt propter honorem ciuitatis, aut memoriam propriam & huiusmodi: docet enim hîc Propheta *non nobis*; & ad exaggerandam negationem repetit *non nobis*; sed Deo quærendum honorem in veritate & gratia concessi cultus diuini: cultus siquidem diuinus est qui directè ordinatur ad honorem diuini nominis.

Affectus ad conseruationem diuini cultus.

Vers. 2. QVARE DICENT GENTES. Incipit hic pars executiua tali ordine: Primò tractatur petitio illius particulæ, *super veritate tua.* Secundò ratione illius particulæ, *super gratia tua*, ibi, *Dominus recordatus est.*

Nota hîc pro clariori notitia ordinis & progressus Psalmi, quòd Propheta intendit explicare veritatem diuinam in materia diuini cultus ex duobus capitibus, scilicet ex veritate fidei, & ex veritate spei. Fidei quidem: quia qui creditur Deus est verus Deus. Spei autem: quia quod speratur diuinum auxilium, verè obtinetur.

Tractans itaque veritatem Dei, duobus vtitur locis. Altero ab euitanda iniuria. *Quare dicent gentes vbi nunc Deus eorum?* Si non das honorem nomini tuo, seruando cultum tuum, occasionem sument gentes blasphemandi te, tanquam non sis Deus, tanquam non potueris nos seruare in cultu tuo. Et propterea *quare*, qua vilitate, *dicent gentes*, opprobrando & blasphemando, *vbi nunc Deus eorum?* Modus loquendi est, significando aut quòd nullibi est aut quòd non potest. *Veritas diuini cultus.*

Et Deus noster. Alter locus est ab incomparabili disparitate inter Deum nostrum, & deos gentium. *Et Deus noster in cælo.* Dicit *in cælis*, confutans vocem gentium, *vbi Deus eorum? Omnia quæ voluit fecit:* intellige de voluntate non quæ vocatur antecedens (hoc est, velleitate) sed de voluntate consequente; hoc est, quæ humano more loquendo deliberatâ omnibus consideratis voluntate vult. De tali enim volitione verificatur absque omni exceptione quòd *omnia quæcunque voluit fecit*: quia omnipotens est, nec aliquid potest impedire executionem voluntatis eius. Et hoc dixit tum ad ostendendam omnipotentiam Dei: tum ad confutandam vocem gentium quâ dicebant: *vbi nunc*, hoc est, deficiente cultu Dei, *Deus eorum*, tanquam non potuerit illum conseruare. Confutat enim dicendo quòd omnia quæ voluit fecit: per hoc siquidem monstrat quòd non ex impotentia Dei sed ex voluntate eius hoc fieret. *Voluntas Dei antecedens & consequens.*

Vers. 4. SIMVLACHRA EORVM. Descripto Deo nostro, è regione describuntur dij gentium: tum quoad materiam, *argentum & aurum*: tum quoad formam, *opus manuum Adam*, id est, hominis: tum quoad operationes oris, oculorum, aurium, nasi, manuum, pedum, & interni spiritus: vt hinc videas disparitatem incomparabilem: dum isti omni

omni carent operatione & effecta sunt manibus hominum, ille in cælis, & omnia quæ voluit fecit.

Vers. 8. SICVT IPSI ERVNT. Declarata veritate Dei crediti, declarat modò veritatem rei spectatæ per cultum veri Dei. Et procedit similiter, scilicet ex differentia inter cultum idolorum & cultum Dei nostri. *Sicut ipsi,* dij gentium, *erunt facientes ea,* simulachra: *& omnes qui confidunt in eis,* supple, est. Et intendit quòd vani erunt omnes confidentes, hoc est colentes huiusmodi deos, sicut ipsi sunt vani, sine omni opere, sine omni fructu. Et hoc extendit etiam ad facientes: intendit enim explicare quòd sicut dij qui coluntur sunt sine opere, ita colentes eos erunt sine fructu.

Quo contra de cultoribus veri Dei subiungit: *Israelis confidentia in Domino,* supple est: *adiutorium eorum,* Israëlitarum: adiutorium inquam ad bonum, *& scutum,* seruans à malo, *eorum,* Israëlitarum, *ipse,* Dominus est. Vbi claré vides è regione contraponi fructum cultorum Dei confidentium in Domino. Describitur enim cultus à confidentia, vt intelligas cultum internum: alioquin scriptum est: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.*

Vers. 10. DOMVS AARON CONFIDITE IN DOMINO. Apostrophat ad sacerdotes integrantes domum Aaron. *Qui timetis Dominum, confidite in Domino.* Aduerte hîc primò quòd Propheta non meminit exterioris cultus tam apud idola, quàm apud Deum, sed interioris tantùm consistentis in confidentia: ad significandum quòd cultores deorum quantumcunque ex intimo corde confidant in diis suis, vani erunt & digni vt sint similes suis simulachris: cultores verò Dei si ex corde in Deo confidunt, opem plenissimam assequi, & auxilij ad bonum & seruationis à malo.

Duæ erant quasi vniuersitates in toto populo Israël. Aduerte secundò quòd duæ tantùm erant congregationes vniuersales tanquam vniuersitates in toto populo Israël. Altera vnitatis totius populi. Et hanc à patris nomine describit, dicens *Israëlis.* Altera vnitatis sacerdotalis: quæ comprehendebat totam tribum Leui communem toti populo. Et hanc describit à primo summo sacerdote, *domus Aaron.* Reliquæ autem vniuersitates, reliqua collegia, particularia erant. Et propterea Propheta harum tantùm meminit. Quo factum est vt timentes Deum non nuncupati fuerint à patre aliquo aut à nomine collectiuo: vt intelligas ad singulos timentes Deum sermonem dirigi, postquam vnitatis populi & vnitatis sacerdotij mentio facta est. Nec est remotum intentionem Prophetæ esse, quòd populi Israël confidentia in Deo est velut innixa meritis patrum (Abrahæ, Isaac & Iacob) domus verò Aaron tanquam innixa diuinæ institutioni huiusmodi sacerdotij: singulorum autem timentium Deum tanquam innixa filiali timori Dei.

Potes nihilominus intelligere Israëlis nomine totum populum Israël: & cum hoc specialem mentionem fieri domus Aaron, cui ex officio incumbit vacare diuino cultui. Specialem quoque mentionem fieri timentium Deum, tum ad significandum quòd neque Israëlitarum, neque Aaronitarum confidentia in Deo prodest nisi sint timentes Deum: tum ad comprehendendum omnes timentes Deum etiamsi non descenderint ex filiis Israël.

Vers. 12. DOMINVS RECORDATVS. Tractatur hîc illa particula, *super gratia tua.* Et intendit quòd ex diuina gratia processit & procedit benedictio populi, sacerdotum & timentiū Deum: ad hoc vt essent addicti diuino cultui præsentis vitæ: hæc est enim gratia Dei concessa populo quoad diuinum cultum: quam petit in principio seruari ad honorem Dei.

Tractans itaque diuinam erga populum gratiam circa cultum, inchoat à suprema gratia. *Dominus recordatus nostri,* non prouocatus meritis nostris, aut sacrificiis, sed solâ memoriâ nostri. Et intellige recordatione metaphoricâ: quia ad similitudinem recordati se habuit educendo eos de Ægypto in terram promissionis. *Benedicet.* Futurum *benedicet,* respicit præteritum *recordatus:* significans benedictionem sequi ad recordationem. *Benedicet domui Israelis.* Ecce quos benedicet: domum Israël, domum Aaron & timentes Dominum: eosdem repetit prius enumeratos. Et recole quòd Deum istis benedicere, est Deum istis benefacere. *Deum benedicere alicui, est benefacere.*

Addet Dominus super vos. Quamuis benedictionis nomine in scriptura multiplicatio intelligatur (*benedixit illis, crescite & multiplicamini,* &c.) explicare tamen curauit Propheta quod erat ad propositum, scilicet multiplicationem populi esse effectum benedictionis.

Benedicti vos Domino, datiui casus est. Ecce quorsum benedictio multiplicans eos: vt scilicet sint benedicti Domino: hoc est, sint benedicti tanquam dicati Domino, tanquam addicti ad colendum Dominum. *Facienti cælos & terram.* Non suffecit Prophetæ simplici sermone explicasse diuinam gratiam, ex hoc quòd benedixit eos ad hoc vt sint benedicti Domino: sed addidit gratiam diuinæ electionis, quâ Deus cùm fecisset cælos & terram, cælos quidem habitaculum constituit diuinum, terram autem dedit habitaculum filiis Adam: vos verò benedictos fecit Domino. Ita quòd conclusio illa, *benedicti vos Domino,* & infertur tanquam finis diuinæ benedictionis, & declaratur ex diuina electione seu distributione. Et propterea continuatur, dicendo: *facienti cælos & terram.*

Cælorum cælos Domino. Et appellat *cælos cælorum,* quos prius appellauerat cælos: hoc est, totam congeriem corporum cœlestium: quia continent inferiores cælos: sphæras, scilicet ignis & aëris. Et est sensus: cælorum elementarium cælos. Vel dicuntur *cæli cælorum,* id est, multorum corporum cœlestium: vt dicantur cæli cælorum ad significandam multitudinem cœlestium corporum in quæ cæli distribuuntur. *Et terram dedit filijs Adam.* Vbi videre potes distributionem: Domino cælos, filiis Adam terram, vobis, benedicti vos Domino. *Cæli cælorum cur sic dicti*

Vers. 17. NON MORTVI. Declaratâ benedictione populi ad hoc quòd sit addictus Deo, declarat modò hanc dicationem intelligi in præsenti vita: ne putares populū esse benedictum Domino, eâ ratione quia in futura vita erit Domini. Quamuis enim hoc sit verum non tamen hoc significatur per hoc quod dictum est, *benedicti vos Domino:* sed significatur quòd benedicti sunt ad laudandum & colendum Dominum in præsenti vita.

Hoc itaque declarans ait: *Non mortui,* secundùm corpus ex qua parte homines dicuntur mortui, *laudabunt Dominum, neque omnes descendentes silentij:* hoc est, neque secundùm animam descen-

descendentes in locum silentij: hoc est in limbum, in quo silet laus tua. *Et nos*, supple viuentes, *benedicimus Domino ex nunc*, sine dilatione aliqua, *& vsque aeternum*.

Aduerte quòd pronomen *nos*, non habet demonstrationem personalem sed simplicem: hoc est, non demonstrat determinatè nos modò viuentes, sed demonstrat nos & filios nostros, & deinceps succedentes in praesenti vita. Et propterea dicit quòd *benedicimus ex nunc vsque aeternum*: quia vsque in finem mundi durabimus nos viuentes. *Halelu Iah*, laudate Deum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO

Halelu Iah. CXIV.

1 *DILEXI: quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meae.*

2 *Quoniam inclinauit aurem suam mihi: & in diebus meis inuocabo.*

3 *Circundederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me.*

4 *Tribulationem & dolorem inueni: & nomen Domini inuocaui.*

5 *O Domine libera animam meam: miseri-*
6 *cors Dominus & iustus, & Deus noster miseretur.*

6 *Custodiens paruulos Dominus: humiliatus sum & liberauit me.*

7 *Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi.*

8 *Quia eripuit animam meam de morte: oculos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu.*

9 *Placebo Domino: in regione viuorum.*

Halelu Iah. CXV.

10 *CREDIDI propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.*

11 *Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.*

12 *Quid retribuam Domino: pro omnibus quae retribuit mihi.*

13 *Calicem salutaris accipiam: & nomen Domini inuocabo.*

14 *Vota mea Domino reddam coram omni*
15 *populo eius: preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius.*

16 *O Domine quia ego seruus tuus: ego seruus tuus & filius ancillae tuae.*

17 *Dirupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini inuocabo.*

IVXTA HEBRAEVM.

CXVI.

1 *Propheta* [Quoniam] DILEXI quoniam: [ideo] audiet Dominus ⁴ vocem meã deprecationum mearum.

2 Quoniam inclinauit aurẽ suam mihi: & in diebus meis vocabo.

3 Circundederunt me funes mortis, & obsidiones foueae inuenerunt me: angustiam & tristitiam reperiam.

4 Et in nomine Domini ⁴ vocabo: obsecro Domine ⁴ libera animã meã.

5 Misericors Domine ⁴ & iuste: & Deus noster miserans.

6 Custodiens simplices Domine ⁴: attenuatus sum, & mihi salus.

7 Reuertere anima mea in requies tuas †: quia Dominus ⁴ retribuit super te. † *requiebus tuis.*

8 Quoniam eripuisti animam meam à morte: oculum meum à lachryma, pedem meum ab impulsu.

9 Ambulabo [coram] faciebus Domini ⁴ in terris viuorum.

10 [Quoniam] Credidi quoniam: [ideo] loquar ego humiliatus valde.

11 Ego dixi in festinare meo: omnis homo mentiens.

12 Quid reddam Domino: omnibus retributionibus eius super me?

13 Calicem salutum leuabo: & in nomine Domini ⁴ vocabo.

14 Vota mea Domino ⁴ soluam [nunc] coram nunc omni populo eius.

15 [Quia] Cara in oculis Domini ⁴, [imminens] mors gratiosis eius.

16 Obsecro Domine ⁴: quia ego seruus tuus, ego seruus tuus filius ancillae tuae, [& tamen] dissoluisti vincula mea †. † *vinculis meis*

17 [Ideo] Tibi sacrificabo sacrificium confessionis: & in nomine Domini ⁴ vocabo.

18 Vota

18 *Vota mea Domino reddam in conspectu*
19 *omnis populi eius : in atrijs domus Domini , in medio tui Hierusalem.*

18 Vota mea Domino [4] soluam nunc coram nunc omni populo eius.
19 In atriis domus Domini [+], in medio ô tui Hierusalem: Halelu Iah.

COMMENTARIVS.

Materia. Titulus nullus est. Materiam Psalmi oportet ex ipso accipere. Ad cuius euidentiam aduertendum est quòd in Psalmo loquitur vnus homo in periculo mortis constitutus, recurrens ad Deum pro liberatione, & liberatus, redditurus vota sua Deo coram omni populo in atriis domus Domini in medio Hierusalem. Et cum his describitur homo iste quòd dilexit, quòd credidit, quòd dixit in festinare suo, omnis homo mentiēs. Hæc sunt quæ claré apparent in Psalmo. Quis sit autem iste homo, & consequenter quæ sint ista pericula, &c. inuestigandum restat. Ex auctoritate Pauli Apostoli 2. ad Corinth. 4. habetur quòd credere istius hominis est credere laudabile : ait
2.Cor.4. enim : *Habentes autem eundem spiritum fidei, sicut scriptum est : credidi propter quod locutus sum : & nos credimus, propter quod & loquimur.* Ex Psalmo 31. (*In te Domine speraui*, qui Dauidis titulo prænotatur) ansa nobis datur existimandi quòd Dauid est ille homo qui hîc loquitur : dum in calce illius Psalmi eisdem verbis vtitur, scilicet : Ego dixi in festinare meo. Et dictum vtrobique valde consonat : nam in illa festinatione mentis quam passus est cùm circumdaretur in modum coronæ à Saulis militibus, 1. Regum 23. consonat & quòd dixerit Deum se dereliquisse, & quòd dixerit Samuelem istâ vice mentitum: imò hæc duo mutuò se consequuntur in illo casu. In principio quoque Psalmi 18. *Diligam te Domine*, eadem pericula mortis sibi imminuisse Dauid refert quæ hîc narrat quodammodo de verbo ad verbum. Et constat secundùm historiam omnia quæ de viro hoc dicuntur, verificari de Dauide in persecutione Saulis. Accedit ad hæc quòd *vota reddere coram omni populo & in medio Hierusalem*, non est personæ priuatæ sed regiæ : ad regale enim sacrificium par est vt omnis concurrat populus. Et quoniam bis in hoc Psalmo homo iste dicit: *nunc soluam vota mea coram omni populo Dei*, &c. manifestat quòd iam Hierusalem erat ciuitas regia, quòd iam ipse erat rex totius populi Dei (hoc est non solùm rex super Iuda, sed etiam super Israël) quando edidit hunc Psalmum: alioquin non bis dixisset se nunc redditurum vota ibi.

Et si cum his perspectum fuerit quòd afflictio Dauidis commemorata in Psalmo, in qua præcipiti mente dixit, *omnis homo mentiens*, nulli rei gestæ quadrat, nisi quando Dauid cinctus est à Saule in modum coronæ (quoniam in illo solummodo periculo legitur Dauidem desperasse) consentaneum rationi apparebit quòd materia Psalmi istius ad literam est memoria illius liberationis: commemorando periculum & dispositionem animi proprij, & beneficium diuinum, & se nunc regem paratum ad publicas gratiarum actiones in Hierusalem.

SVMMARIVM EST.

Dauid iam rex recolit liberationis suæ quando cinctus est à Saule in modum coronæ rationes : & commemorat tum propriam deiectionem ac periculi magnitudinem : tum dispositionem suæ fidei, spei, dilectionis ac recursus ad Deum : tum Dei misericordiam, miserationem, iustitiam, & custodiam simplicium. Et ad gratiarum actiones publicè in atrijs domus Domini in medio Hierusalem recognoscendo hoc beneficium se præparat.

Persona loquens Propheta est.

Dilexi quoniam. Scito quòd licet in Ecclesiastico vsu Psalmus iste distinguatur in duos (scilicet, *Dilexi* & *Credidi*) in Hebræo tamen textu vnicus est Psalmus, comprehendens vtramque partem. Diuiditur itaque Psalmus in partes duas : propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *circumdederunt.* Proponit vnum tribus fultum rationibus. Quod proponit est hoc, scilicet, *audiet Dominus vocem meam.* Prima ratio est, quoniam *dilexi.* Secunda, quoniam *inclinauit aurem suam mihi.* Tertia, quoniam *in diebus meis vocabo.* *Vers. 1. In Hebræo vnicus est Psalmus.*

Vide singula. Auditionem proponit dicendo : *Audiet*, pro *exaudiet*, *Dominus vocem meam deprecationum mearum.* Et quia dictio Hebraica interpretata *deprecationum* sonat preces flebiles, ideo nota Prophetam cùm dixisset, *vocem meam*, explicasse qualitatem vocis à vocibus fletui mixtis : vt hinc intelligeremus statum eius flebilem. Prima ratio cùm dicere debuisset *quoniam dilexi*, causâ metri postposuit coniunctionem. Nec explicat personam aut rem dilectam : quia integra ac notoria erat iam dilectio Dauidis. Integra quidem : quia Deum, proximum, ac inimicum Saulem dilexit. Notoria autem : quia tempore istius Psalmi editi, iam notoria erat dilectio quam habuerat Dauid propter Deum erga Saulem inimicum, totiens nolendo occidere ipsum. Et intendit quòd ideo Deus adiuuit eum profugum, quoniam ipse non odio habuit sed dilexit Saulem, ita quòd meritum dilectionis eius affertur pro causa ex parte Dauidis. Et hæc causa respicit diuinam iustitiam vt meritum congrui. *Charitas Dauidis.*

Ex parte autem diuinæ misericordiæ subiungitur alia causa : *quoniam inclinauit aurem suam mihi.* Ne merito dilectionis arrogaret Dauid diuinam auditionem tanquam debitam, addidit inclinationem auris diuinæ : significans gratuitam Dei auditionem : principem siquidem inclinare aurem ad audiendum hominem immeritabilem, gratiæ est.

Vltima demum ratio fructus est producendus. Et intendit quòd ideo etiam audiuit Deus Daui-

dem vt prouenitet inde fructus diuini cultus. Dauid enim fuit primus institutor solemnis ordinis & loci celebris ad diuinum cultum. Et quamuis non potuerit executioni cuncta mandare per seipsum, sed per Salomonem, non destitit tamen diebus vitæ suæ cultui diuino studiosè vacare. Et propterea dicit: *& in diebus meis vocabo*, hoc est, inuocabo Deum solemni cultu.

Vers. 3. CIRCVMDEDERVNT ME. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *deprecationum mearum*. Secundò illa, *vocem meam*, ibi, *& in nomine Domini*. Tertiò illa, *audiet Dominus*, ibi, *& mihi salus*. Quartò illa, *dilexi*, ibi, *quia eripuisti*. Quintò illa, *quoniam inclinauit aurem suam mihi*, ibi, *credidi*. Sextò illa, *& in diebus meis vocabo*, ibi, *quid reddam Domino*. Declarat causam miserabilium precum. *Circumdederunt me funes mortis*. Ad literam historia tangitur scripta, 1 Regum 23. quando Saul cum suis cinxit Dauidem & suos in modum coronæ. Hanc circumdationem appellat *funes mortis*: quia assimilatur funibus impedientibus euasionem hominis quæsiti ad mortem: qualis erat ipse.

Funes mortis quinam?

Et obsidiones foueæ inuenerunt me. Eosdem appellat *obsidiones*, quia verè obsidebant eum: *foueæ* autem: quia ad similitudinem obsidentium hominem seu animal vsque adeo vt impellant ipsum ad præcipitem se dandum in foueam, erant.

Angustiam & tristitiam reperiam. Futurum *reperiam*, respicit præteritum *circumdederunt*, *inuenerunt*: ex extrinseca enim circumdatione secuta est in animo angustia & tristitia: angustia quidem tanta vt desperarem me posse euadere: vt ibidem dicitur: tristitia verò, quia paratam mihi videbam mortem.

Vers. 4. ET IN NOMINE DOMINI. Tractatur hic illa particula, *vocem meam*. Et primò describit sequelam recursus sui ad Deum per futurum, *& in nomine Domini vocabo*: deinde vocem ipsam, *obsecro Domine*. Hæc est vox qua recursum habuit ad Deum. *Obsecro* (aduerbialiter tenetur vt est obsecrandi aduerbium) *Domine libera animam meam*, vitam meam: *misericors*, affectu, *Domine*, quia in miseria sum, *& iuste*, quia iniustè patior: *& Deus noster*, per gratiam cultus, *miserans*, opere.

Custodiens simplices Domine. Addidit hoc attributum custodiæ simplicium, tacitè significando propriam simplicitatis virtutem: duo siquidem propria merita in toto hoc progressu commemorat, scilicet dilectionis in principio, & simplicitatis modò. Et aptè Dauid commemorat meritum simplicitatis suæ: quia cùm ipse absque omni duplicitate simplici corde seruiret Sauli, & prosperè cuncta ageret, imputatum est ei quòd aspiraret ad regnum, quòd per hæc intenderet eripere regnum à domo Saulis.

Attenuatus sum. Explicat in oratione passionem ex persecutione Saulis. Valde enim attenuatus est, cùm ex principe & genero regis, &c. in paupertatem deuenit profugus & destitutus auxilio.

Vers. 6. ET MIHI SALVS. Tractatur hîc illa particula, *audiet Dominus*: describendo saluatum se à Deo ex recursu ad ipsum. *Et mihi salus*, fuit. *Reuertere anima mea*. Apostrophat ad suam animam, describens fructum salutis. *Reuertere*, ab angustia & tristitia quibus occupata fuisti, *anima mea in requiem tuam*, confidendo in Deo absque omni hæsitatione: *quia Dominus retribuit super te*, super merita tua & dilectionis & simplicitatis.

Vers. 8. QVIA ERIPVISTI. Tractatur hîc illa particula, *dilexi*: manifestando qualis fuit sua dilectio ab affectu & effectu proprio post allectum beneficium: & regreditur ad Deum alloquendum. *Quia eripuisti animam meam*, vitam meam, *à morte*, ne occideretur: *oculum meum à lachryma, pedem meum ab impulsu*. De periculo mortis dixerat, *circumdederunt me funes mortis*: de lachrymis dixerat, *angustiam & tristitiam reperiam*: de periculo pedum dixerat, *obsidiones foueæ inuenerunt me*. Et propterea ab omnibus se liberatum commemorat, & subdit: *ambulabo faciebus Domini*. Quia eripuisti, ideo *ambulabo faciebus Domini*, id est, coram facie Domini, vt decet considerantem præsentiam Domini (vt Deus præcepit Abrahæ. *Ambula coram me*, Genes. 17.) *in terris viuorum*, hoc est, adhuc viuens. Circumloquitur enim per ambulationem coram Domino in terris viuorum, se adhuc victurum rectè operando & progrediendo de virtute in virtutem in veritate, teste Deo. Potes nihilominus intelligere per terras viuorum, terras intra ambitum terræ promissionis: tanquam reliquæ terræ sint terræ mortuorum Deo, & sola terra promissionis sit terra viuentium Deo, seu ad diuinum cultum.

Vers. 10. CREDIDI. Tractatur hîc illa particula, *inclinauit aurem suam mihi*, ex parte ipsius Dauidis demonstrati pronomine *mihi*, declarando deiectionem seu humilem statum ipsius ad quem inclinauit Deus aurem.

Fides Dauidis.

Et aduerte coniunctionem causâ metri postpositam, est enim ordo literæ: quoniam credidi loquar. Nec mireris si Apostolus introduxit in præterito, *locutus sum*: quoniam Corinthiis scribebat, qui vtebantur translatione LXX. Est itaque sensus: Quoniam credidi, Samueli dicendo mihi in nomine Domini quòd vnxit me Dominus in regem: hoc enim credere fuit laudabile. Et tanquam notorium, absolutè dixit *credidi*, non determinando cui aut quid. *Ideo loquar*. Futurum *loquar* respicit præteritum *credidi*: & denotat sequelam sermonum Dauidis ex fide quam dedit sermonibus Samuelis. Quid autem dixerit non explicat: sed facilè colligitur ex regno credito: intelligimus enim hinc quòd Dauid profugus communicauit sociis verba Samuelis, vt animæquiores essent secum, & in Domino ponerent spem suam, &c. *Ego humiliatus valde*, loquar inquam credita quamuis humiliatus valde. Et intendit quòd non obstante tantâ deiectione sua in statu profugo, loquebatur de suo futuro regno, quia credidit Samueli.

Ego dixi in festinare meo. Postquam Dauid descripsit propriam dispositionem quantùm ad dilectionem, dicendo *dilexi*, & quantum ad fidem, dicendo *credidi*: modò describit quantum ad spem. Et intendit quòd perdidit spem: iuxta id quod scriptum est, 1 Regum 23. Dauid desperabat se posse euadere à facie Saul. Verùm hanc desperationem non quieto sed turbato animo incurrisse se significat, dicendo: *Ego dixi*, apud me, & fortè consociis, *in festinare meo*, in præcipitatione mentis meæ præ anxietate animi: *omnis homo mentiens*. Vsitatum prouerbium (scilicet quòd omnis homo quandoque mentitur) dixit

Spes Dauidis.

Omnis homo mendax.

dixit: sed in hoc non erravit. Sed errauit in hoc quòd intendebat hoc prouerbium applicare ad Samuelis vaticinium: intendens dicere quòd etiam Samuel mentitus est in hoc vaticinio de futuro regno meo. Cernens siquidem Dauid se non posse euadere, ac per hoc statim se occidendum, præcipitauit sententiam quòd etiam Samuel falsum dixisset. Et hanc falsitatem insinuauit, vtendo illo communi prouerbio ad hoc. Et pinxit Dauid seipsum: qualis scilicet erat, cùm profugus esset & in periculo mortis constitutus: vt tanto magis elucescat diuinæ gratiæ beneficium, quanto ipse erat minus dispositus ad illud.

Vers. 12. QVID REDDAM DOMINO. Tractatur hîc illa particula, *& in diebus meis vocabo:* declarando præsentem dispositionem animi sui ad recognoscendum tantum beneficium à Deo. *Quid reddam Domino*, appositiuè omnibus retributionibus eius super me. Significat enim ex modo loquendi se non habere quod reddat Domino, quod reddat tot retributionibus diuinis: vt hinc intelligamus quàm magnifacit diuina beneficia. Quæ appellauit retributiones, non suis meritis sed suis demeritis: intendit enim quòd Deus retribuit sibi bonum pro malo: hoc est non obstante desperatione eius. *Calicem salutum leuabo.* Ecce quid reddam, sacrificium gratiarum actionis: hoc enim describit à leuatione calicis salutum, hoc est, pro salutibus habitis. Quia enim libamina in huiusmodi sacrificiis pro gratiarum actione interueniebant, ideo à calice descripsit. *Et in nomine* non alicuius Idoli, sed *Domini vocabo*, pro, *inuocabo*.

Quis hic calix?

Vota mea Domino soluam. Sacrificium quod offeram, votiuum erit, desideratum ac debitum, *coram nunc omni populo eius:* reddam nunc, iam rex, reddam coram omni populo eius: quia rex iam sum Israel: alioquin non dixisset *omni populo eius*.

Cara in oculis Domini mors gratiosis eius. Ratio votorum reddendorum explicatur: quia in oculis Domini mors imminens seu intentata gratiosis eius est cara: hoc est magno æstimata, in magno pretio habita: ac per hoc non facilè permittitur. Et intendit per hoc quòd Deus se computauit inter gratiosos suos, multum appreciando mortem eius: dum non permisit illum occidi à Saule, quamuis mors tunc immineret ipsi Dauidi. *Gratiosos Dei*, intellige actiuè: eos scilicet qui gratis propter Deum donant.

Obsecro Domine. Duo promiserat: calicem, scilicet & inuocationem. De calice dixit, *vota mea*, &c. Inuocationem modo subiungit. *Obsecro*, aduerbium obsecrantis est: introducit enim seipsum obsecrantem. *Quia ego seruus tuus*, profitetur supra sua merita diuinum beneficium: dum profitetur bis se seruum Dei, nec solum seruum sed filium seruæ Dei: vt etiam se natum seruum profiteatur: partus enim sequitur ventrem. Et tamen dissoluisti vincula, dignatus es liberare me à vinculis. Vincula appellat circundationem militum Saulis, qua tanquam vinculis ligatus tenebatur ne posset fugere.

Militum circundationem vocat vincula.

Ideo tibi sacrificabo sacrificium confessionis, hoc est laudis tuæ: *& in nomine Domini vocabo*. Grati animi est non satiari repetitione suscepti beneficij. Et propterea cùm gratus animus hic describatur, idem beneficium pluries repetit: & simul quas potest referre gratias, gaudet repetendo promittere. Et propterea repetit non solum beneficium, sed sacrificium & inuocationem & vota reddenda, accumulans locum gratiarum actionis: *In atriis domus Domini in medio tui Hierusalem.* Atria domus Domini loca erant sacrificiorum. Et quia tunc temporis altare holocaustorum non erat in Hierusalem sed in excelso Gabaon, vbi erat tabernaculum factum à Moyse (vt dicitur, 1. Paralipom. 21.) ad illius differentiam addidit Propheta in medio tui Hierusalem: hoc est in publico ciuitatis Hierosolymæ: in qua erant atria domus Dei: hoc est tabernaculi facti à Dauide in quo erat arca Domini.

Atria domus Domini loca erant sacrificiorum.

Nec mireris quòd apostrophat ad Hierusalem: cùm familiaris sit huic Prophetæ varia apostrophatio. *Halelu Iah*, laudate Deum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
Halelu Iah. CXVI.	CXVII.
1 LAVDATE *Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.*	1 *Propheta.* LAVDATE Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.
2 *Quoniam confirmata est super nos misericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.*	2 Quia roborata est super nos gratia eius & veritas Domini æterno. Halelu Iah.

COMMENTARIVS.

Materia. Titulus nullius est. Materia Psalmi ex auctoritate Pauli Apostoli ad Rom. 15. habetur: quòd scilicet inuitantur gentes ad honorandum Deum super misericordia in aduentu Messiæ.

SVMMARIVM EST.

Propheta inuitat vniuersum mundum ad laudandum Deum, quia venit Messias plenus gratiæ & veritatis.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. LAVDATE DOMINVM. Aduerte, ter in ho- paruulo Psalmo repeti laudate Dominū (bi scilicet in hoc versiculo & tertiò in calce: finitu enim Psalmus iste per *Halelu Iah*) vt trinari numero ad perfectam inuitet laudem. Omne gentes & omnes populi inuitantur: vt nullu exceptum intelligas. *Quia roborata est super no* Pronomen *nos*, demonstrat inuitatas gentes populos secum: vt nec seipsum Propheta exclu dat à tanto beneficio.

Aduentus Messiæ ex triplici conditione describitur. Vbi aduerte aduentum Messiæ describi ex tr plici conditione. Prima est vniuersalis extensi significata per omnes gentes & omnes popul vnà cum Propheta. Secunda est robur vniuer sarum viarum Domini, significatum dicend *Quia roborata est gratia eius & veritas Domin* Vniuersæ siquidem viæ Domini sunt gratia veritas. Ante aduentum enim Messiæ viæ Do mini gratia & veritas infirmæ, imbecilles & d biles erant: per aduentum verò Messiæ conua luerunt & roboratæ sunt: quoniam venit *plenus gratia & veritatis*: & *gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. Manifestè namque gratia conualuit, valde affluens: & similiter veritas doctrinæ, vitæ & iustitiæ vbique robur accepit.

Æterno. Et est datiui casus pro ablatiuo: vt prædictum est. Tertia significatur conditio sempiternitatis: hoc est quòd robur gratiæ & veritatis effectum est æternum. Ante aduentū siquidem Christi gratia & veritas erant temporales: tum quoad promissiones: quia bona temporalia in veteri promittebantur Testamento: tum quoad durationem status. Per aduentum autem Christi roborata est tam gratia quàm veritas ad æternum: tum ratione promissionum æterni præmij: tum ratione immutabilis status noui Testamenti vsque ad consummationem seculi. *Halelu Iah*, tertiò laudare Deum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Halelu Iah. CXVII.

1 *CONFITEMINI Domino: quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.*

2 *Dicat nunc Israel: quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.*

3 *Dicat nunc domus Aaron: quoniam bonus, quoniā in seculū misericordia eius.*

4 *Dicant nunc qui timent Dominum: quoniam in seculum misericordia eius.*

5 *De tribulatione inuocaui Dominum: & exaudiuit me in latitudine Dominus.*

6 *Dominus mihi adiutor: non timebo quid faciat mihi homo.*

7 *Dominus mihi adiutor: & ego despiciam inimicos meos.*

8 *Bonum est confidere in Domino: quàm confidere in homine.*

9 *Bonum est sperare in Domino: quàm sperare in principibus.*

10 *Omnes gentes circundederunt me: & in nomine Domini quia vltus sum in eos.*

11 *Circundantes circundederunt me: & in nomine Domini quia vltus sum in eos.*

12 *Circundederunt me sicut apes, & exarse-*

IVXTA HEBRÆVM.

CXVIII.

1 *Propheta.* CONFITEMINI Domino [4]: quoniam bonus, quoniam æterno est gratia eius.

2 Dicet nunc Israel quoniam æterno est gratia eius.

3 Dicent nunc domus Aaron quoniam æterno est gratia eius.

4 Dicent nunc timentes Dominum [4] quoniam æterno est gratia eius.

5 *Messias.* De angustia vocaui Dominum: respondit mihi in latitudine Dominus.

6 Dominus [4] adest mihi: non timebo quid faciet mihi homo.

7 Dominus [4] adest mihi in adiutoribus meis: & ego respiciam in osoribus meis.

8 Melius est sperare in Domino [4] quàm confidere in homine.

9 Melius est sperare in Domino [4] quàm confidere in principibus.

10 Omnes gentes circundederunt me: in nomine Domini [4] quoniam excidam eas.

11 Circundederunt me, etiam circundederunt me: in nomine Domini [4] quoniam excidam eas.

12 Circundederunt me quasi apes, extinctæ

sunt sicut ignis in spinis: & in nomine Domini quia vltus sum in eos.

13 *Impulsus euersus sum vt caderem: & Dominus suscepit me.*

14 *Fortitudo mea & laus mea Dominus: & factus est mihi in salutem.*

15 *Vox exultationis & salutis: in tabernaculis iustorum.*

16 *Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me, dextera Domini fecit virtutem.*

17 *Non moriar sed viuam: & narrabo opera Domini.*

18 *Castigans castigauit me Dominus: & morti non tradidit me.*

19 *Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus*
20 *in eas confitebor Domino: hæc porta Domini iusti intrabunt in eam.*

21 *Confitebor tibi: quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.*

22 *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes: hic factus est in caput anguli.*

23 *A Domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.*

24 *Hæc est dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea.*

25 *O Domine saluum me fac, ô Domine bene prosperare: benedictus qui venit in nomine Domini.*

26 *Benediximus vobis de domo Domini: Deus Dominus & illuxit nobis.*

27 *Constituite diem solemnem in condensis: vsque ad cornu altaris.*

28 *Deus meus es tu & confitebor tibi: Deus meus es tu & exaltabo te.*
Confitebor tibi: quoniam exaudisti me, & factus es mihi in salutem.

29 *Confitemini Domino: quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia eius.*

tinctæ sunt quasi ignis spinarum: in nomine Domini ⁺ quoniam excidam eas.

13 Impellendo impulisti me [ô popule] ad cadendum: & Dominus ⁺ adiuuit me.

14 Fortitudo mea: & cantus Domini fuit mihi saluti.

15 Vox cantus & salutis in tentoriis iustorum: [hæc vox ⁺] dextera Domini ⁺ faciens fortitudinem.

16 Dextera Domini ⁺ excelsa: dextera Domini ⁺ faciens fortitudinem.

17 Non moriar: sed viuam, & narrabo opera Domini.

18 Castigando castigauit me Dominus: & morti non tradidit me.

19 [Apostoli] Aperite mihi portas iustitiæ: introibo in eas, confitebor Dominum.

20 Hæc porta Domino ⁺: iusti intrabunt in eam.

21 Confitebor te: quoniam respondisti mihi, & fuisti mihi saluti.

22 *Iusti.* Lapis [quem] despexerunt ædificantes, fuit capiti anguli.

23 A Domino ⁺ fuit istud: hoc separatum in oculis nostris.

24 Hæc dies [quam] fecit Dominus ⁺: exultabimus & lætabimur in ea.

25 Obsecro Domine ⁺ saluifica nunc: obsecro Domine ⁺ fac proficere nunc.

26 Benedictus qui venit in nomine Domini ⁺: benediximus vos de domo Domini ⁺.

27 Deus Dominus ⁺ & illuxit nobis: ligate festum in frondibus vsque cornua altaris.

28 *Propheta.* Deus meus tu, & confitebor te: Deus meus exaltabo te.

29 Confitemini Domino ⁺: quoniam [est] bonus, quoniam æterno gratia eius.

COMMENTARIVS.

Materia. Titulus nullus est. Materia Psalmi ex auctoritate Domini Matth. 21. Marc. 12. & Luc. 20. monstratur Messias, cùm ex hoc Psalmo inducitur: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes hic factus est in caput anguli: à Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.* Idémque firmatur ex auctoritate Petri Apostoli, *Act. 4.* tum Act. 4. dicentis: *hic est lapis qui reprobatus est à vobis ædificantibus: qui factus est in caput anguli, & non est in alio aliquo salus.* Tum in 2. capitulo primæ Epistolæ dicentis: *Ad quem accedentes lapidem viuum: ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum.* Et infrà: *Vobis igitur credentibus honor: non credentibus autem lapis quem reprobauerunt ædificantes hic factus est in caput anguli.* *c. 2.*

Ex contextu nihilominus Psalmi apparet Psalmum totum de Christo tractare. Nam persona descripta in hoc Psalmo angustata, circumdata, impulsa ad casum, castigata, morti non tradita, saluata

saluata ac excisura persecutores suos, introducitur vt materia ratióque gaudij iustorum, & vt ratio laudandi Deum ab Israele, à domo Aaron & à timentibus Deum. Hinc enim apparet salutem ac victoriam personæ istius ad vniuersorum iustorum gaudium & salutem spectare: eandémque esse personam de qua sub specie lapidis dicitur, *lapis quem desþexerunt ædificantes*, de qua postea subditur, *benedictus qui venit in nomine Domini*, quæ dicit *non moriar sed viuam*, & *aperite mihi portas iustitiæ*. Nulli siquidem mortalium hominum conuenit verè dicere, non moriar sed viuam: nulli puro homini potest verè dici, *benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis*, &c. Ex his enim apparet quòd materia Psalmi ad literam est Messias à passione & morte liberatus per resurrectionem puniturus Iudæos & adorandus ab omnibus iustis, &c.

SVMMARIVM EST.

P*Ropheta Messiam multipliciter patientem, Deo confidentem, resuscitatum, erectum in caput anguli, adoratumque à iustis canit: inuitando propterea omnes ad laudem diuinæ gratiæ æternæ.*

Personæ loquentes sunt Propheta, Messias & Iusti.

Vers. 1. CONFITEMINI. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Dominus mihi*. Proponit tria. Primò inuitat communiter omnes ad laudandum Deum ratione bonitatis & gratiæ æternæ, monstratæ in resurrectione Messiæ. *Confitemini Domino*, confessione laudis: *quoniam bonus*, & in seipso & toti vniuerso resuscitando Messiam, *quoniam in æternum*, non tempori, *gratia eius*, non ex meritis nostris. Et dicitur ad æternitatem extensa gratia eius, propter æternitatis aditum deuictâ morte reseratum omnibus in Christi resurrectione.

Ob resurrectionem Christi ad laudes diuinas inuitat.

Dicet nunc. Inuitatis communiter omnibus, prædicit specialiter illos qui acceptabunt hanc inuitationem. Et primò populum Israel. *Dicet*, confitendo, *nunc*, resuscitato Messia, *Israel*, genus Iudæorum: *quoniam æterno gratia eius*. Ecce quod confitebuntur, vt suprà.

Dicent nunc domus Aaron. Secundò genus Sacerdotale. Et de fide in Christum tam Israelitarum quam sacerdotum, testantur Actus Apostolorum: vbi multitudo magna Iudæorum post Christi resurrectionem credens describitur in Christum. Et de sacerdotibus dicitur Act. 6. *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.* Meminit autem specialiter horum, quia fuerunt primitiæ fidei Christianæ.

Act. 6.

Dicent nunc timentes Dominum. Tertio loco vniuersi timentes Deum prædicuntur acceptaturi fidem.

De angustia. Tertium propositorum explicatur, introducendo Messiam proponentem materiam antedictæ diuinæ gratiæ extensæ ad æternitatem. *De angustia*, passionis & mortis, *vocaui Dominum*, recurrendo ad ipsum: *respondit*, facto, *mihi in latitudine*, impassibilitatis & vitæ, *Dominus*. Et rursus: *de angustia* prædicationis inter Iudæos, *respondit mihi in latitudine* fidei totius mundi. In vtraque siquidem angustia Christus constitutus fuit: & vtrumque Iudæi persecuti sunt, intendentes & vitam corporalem Christi tollere, & fidem in eum extinguere. Et vtriusque latitudinem, resurgendo assecutus est: quia & ad vitam resurrexit immortalem, & ad fidem suam in vniuerso mundo propagandam.

Vers. 6. DOMINVS MIHI. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *de angustia vocaui Dominum*. Secundò illa, *respondit mihi in latitudine Dominus*, ibi, *vox exultationis*. Tertio illa, *Confitemini Domino*, &c. ibi, *lapis*.

Tractatur itaque vocatio Domini in tribulatione, assignando rationem recursus ad Deum ex efficacia diuinæ opis quæ præstatur recurrentibus ad Deum. Declarat itaque efficaciam diuinæ opis multipliciter.

Vocatio Dei in tribulatione.

Primò quantùm ad securitatem *Dominus mihi*, adest: *non timebo*, ecce effectus, *quid faciet mihi homo*, hoc est, quæcunque humana potentia. Hanc autem securitatem constat fuisse in Christo: vtpote qui voluntariè subiit mortem, securus de resurrectione. Nec obstat quòd Marc. 14. dicitur quòd *cœpit pauere*: quoniam timor ille non fuit timoris passio sed propassio: hoc est, non simpliciter timuit, sed dimisit appetitum sensitiuum fungi officio proprio, fugiendo malum futurum imminens, absque vlla redundantia in rationem & voluntatem. Hic autem est sermo de timore simpliciter & absolutè: quo timentes cupiunt vitare malum imminens & euitarent si possent.

Secundò quantùm ad victoriam. *Dominus mihi in adiutoribus meis*: hoc est, inter omnes qui possent me adiuuare solus Dominus mihi adiutor: *& ego respiciam in osoribus meis*. Victoriam describit à visione inimicorum consequente victoriam completam: consueuerunt enim victores perfectâ victoriâ videre hostes suos, scrutando in eis qui sint, & quæ eorum sunt. Et ab hoc actu videndi hostes, pluries in hoc psalterio significatur victoria. Ita quòd sensus est: *& ego perfectam victoriam consequar de osoribus meis.* Hanc victoriam assecutum fuisse Christum constat sine aliquo humano adiutorio.

Tertiò quoad spem: *Melius sperare in Domino quàm confidere in homine.* Vbi aduerte non comparationem fieri inter hominem & Deum in adiuuando, sed inter spem & confidentiam: cùm enim maius sit confidere quàm sperare, inquit quòd melius est sperare in Deo quàm confidere in homine: & rursus *melius sperare in Domino quàm confidere in principibus*. *Homo* cuius in prima comparatione meminit, nomen est naturæ: *princeps* autem nomen est potentiæ. Intendit enim quòd melior est simplex spes in Deo quàm quæcunque confidentia in homine quantùm ad vires quascumque humanæ naturæ, humani ingenij, humanæ facultatis, humanarum virium: & similiter quàm confidentia quæcunque in principibus, cuiuscunque dominij fuerint, etiam comprehendendo principes tenebrarum: hoc est dæmones.

Simplex spes in Deo melior est quacunque confidentia in homine.

Quartò quoad executionem: *Omnes gentes circundederunt mè*, tum quia omnis generis homines contra ipsum fuerunt: nam vt Euangelica testatur historia, passus est à Iudæis & Gentibus, à maribus & fœminis, à sacerdotibus & laicis, à religiosis (Pharisæis scilicet) & secularibus, &c. Tum præcipuè quia omnium nationum aliqui qui conuenerant ad solemnitatem paschalem,

Omnis generis homines contra Christum.

paschalem, fuerunt contra ipsum clamando *crucifige*: quia illi qui conuenerant ad Pilatum pro opere misericordiæ (scilicet pro liberando vno vincto: quos Euangelista dicit *cum ascendisset turba*) versi sunt ad petendum mortem Christi. Vnde Petrus Act. 2. dixit Israelitis, *ex omni natione quæ sub cælo est conuenientibus in die pentecostes, hunc* (scilicet Iesum) *affligentes interemistis*. Et propterea dicit, *omnes gentes circundederunt me*. Et intendit ad literam quòd passus est non solùm à pontificibus & magnatibus, sed etiam à popularibus omnium nationum, clamando, *crucifige, crucifige. In nomine Domini quoniam excidam eas*, de terra in excidio Hierosolymitano per Romanos principes. Et vt clara sit constructio, ordina literam sic: *Quoniam omnes gentes circundederunt me, in nomine Domini excidam eas.* In hoc enim ordine apparet non solum demeritum Iudæorum circundantium, sed causa excidij: apparet etiam quòd non fuor vindictæ, sed sanctitas (*in nomine Domini*) ad excidium faciendum inducet Christum. Et eodem modo ordinato literam duorum versiculorum sequentium, inchoando semper à coniunctione causali. Vbi aduerte repeti *circundederunt me etiam circundederunt me*: ad similitudinem circundantium hostium describendo pertinaciam Iudæorum persistentium ad volendum, *crucifige crucifige*.

Act. 2.

Apibus occisores Christi assimilantur.

Circundederunt me quasi apes. Assimilantur occisores Christi apibus: eo quòd sicut apes aculeis lædendo, parum offendunt læsos & seipsas necant aut eneruant, inutiles deinceps se reddentes, ita Iudæi circundantes Christum parum læserunt Christum: quia intra triduum resurrexit immortalis, gloriosus, &c. Sibiipsis autem ex percussione Christi intulerunt maximum damnum, non solùm æternæ damnationis, sed in hac vita destructionis Hierusalem, captiuitatis propriæ ac dispersionis irreparabilis. *Extinctæ sunt quasi ignis spinarum.* Gentes circundantes me ad mortem extinctæ sunt, & secundùm quòd erant vna gens habebantque ciuitatem, templum, sacerdotium, & secundùm potentiam persequendi facto me in meis membris: quasi ignis spinarum, hoc est velociter, sicut velociter extinguitur ignis spinarum. Et dixit hoc vt describeret comminatum iam tertiò excidium citò futurum post persecutionem Christi. Et verè sic fuit: quia non præteriit generatio illa quando superuenit excidium Hierosolymitanum per Romanos factum. Et ordina literam sic. *Quoniam circundederunt me sicut apes, in nomine Domini excidam eas: extinctæ* sunt quasi ignis spinarum. Sic enim optimè quadrat, Quintò quantùm ad resurrectionem. *Impellendo impulisti me ad cadendum.* Apostrophat Messias ad populum volẽtem ipsum crucifigi. Et Hebrææ linguæ more dicit impellendo *impulisti*, ad significandam vehementiam impulsus. Et vtitur metaphorâ quasi vehementer impulsus fuerit ad corporalem casum: intendens quòd facto passionis & crucis vehementer impulit eum populus ad cadendum à vita.

Et Dominus adiuuit me, fortitudo mea. Aduerte quòd hactenus Messias non descripserat angustiam suam nisi quia circundatus ab omnibus gentibus tanquam apibus. Et propterea modò describit se vehementer impulsum ad casum: significans per hoc mortem suam. Quam non mortem sed impulsum ad casum à vita nominat: quia non cecidit à vita secundùm intentionem impellentium. Illi enim intendebant vt Christus caderet à vita sicut cæteri homines, sine reditu ad vitam infra triduum: quod non sunt assecuti. Et propterea dicit: *& Dominus adiuuit me* non qualitercunque sed *fortitudo mea*, factus est ne caderem: hoc est, adiuuit me factus fortitudo mea: hoc est ratio immortalis vitæ meæ.

Et cantus Domini fuit mihi saluti. Non solum Dominus adiuuit me vt fortitudo mea, sed etiam cantus Domini: hoc est meritum prædicationis publicè, & sponte velut cantando & laudando Dominum, fuit mihi in salutem immortalis vitæ: meruit enim Christus per opera sua ad Dei laudem (quæ cantus Domini appellantur) resurrectionem ad vitam immortalem.

Vers. 15. VOX CANTVS ET SALVTIS. Tractatur hic illa particula *respondit mihi in latitudine Dominus*: inchoando à latitudine effectus duplicis: lætitiæ scilicet & salutis. *Vox*, in resurrectione mea, *cantus*, lætitiæ in diuinis laudibus, *& salutis*, æternæ: non apud omnes, sed *in tentoriis iustorum*. Describuntur iusti non in domibus sed tentoriis: quia non habent hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirunt peregrinantes ac militantes.

Iusti in tentoriis non in domibus describuntur. Cur?

Dextera Domini. Ecce vox cantus & salutis. *Dextera Domini faciens fortitudinem.* Messias ipse dextera Domini appellatur: quia humanitas eius est Dei organum coniunctum, sicut dextera est organum coniunctum personæ humanæ. Ipse ergo Messias cantatur in tabernaculis iustorum faciens fortitudinem, & in seipso immortalis corporis, & rursus faciens fortitudinem Christianæ fidei in mundo. Et nihilominus cantatur excelsus, quoniam in nomine eius omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum. In idem autem redit sensus, si per dexteram Domini intelligis fauorabilem assistentiam seu potentiam diuinam: fecit enim in Christi resurrectione vtramque fortitudinem, & excelsâ quoad factum fuit: quia opus fuit valde excelsum.

Non moriar sed viuam. Explicat Messias immortalitatem suam & opus proprium. *Non moriar*, amplius, *sed viuam*, sine fine: *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. Et narrabo opera Domini.* Ecce opus Christi post resurrectionem. *Narrabo*, per meipsum instruendo discipulos, & per eos vniuerso mundo, *opera Domini*, eredenda.

Castigando castigauit me Dominus. Primum opus narrandum est mysterium passionis Christi: hoc enim significatur dicendo more Hebræo, *castigando castigauit*: vt magnam castigationem intelligas. Et verè magna fuit: vt acerbitas passionis & mortis testatur. *Et morti non tradidit me.* Metaphoricus est sermo ad similitudinem patris castigantis filium sed non occidentis illum. Sed sensus intentus est quòd non tradidit me morti, sicut subiiciuntur morti alij homines: alij siquidem dantur morti sic quòd non est in eorum potestate resurgere: me autem non sic dedit morti, sed sic vt in potestate mea esset resurgere. *Potestatem*, inquit ipse, *habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* Et rursus quia non fuit traditus morti nisi triduo, ideo dicitur *& morti non tradidit me*: sed potiùs mortem subdidit mihi. Et hoc est alterum opus narrandum spectans ad mysterium gloriæ Christi.

In morte & Resurrectione Christi pendet tota Christi fides.

In

In his enim duobus mysteriis pendet vniuersa fides Christi.

Aperite mihi portas. Apostrophat Messias ad discipulos suos, quos mittit ad prædicandum vniuerso mundo ad narrandum hæc opera Domini. *Aperite,* Apostoli, *mihi,* non vobis, *portas iustitiæ*, Euangelicam doctrinam & potestatem faciendi miracula ad confirmationem Euangelij: hæ siquidem sunt portæ iustitiæ fidei: per has enim aditus ordinatus est ad iustitiam fidei: dicente ipso Christo: *Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium, signa autem eos qui crediderint hæc sequentur*, &c.

Porta sunt Euangelium & miracula. *Introibo in eas.* Introitus Christi in has portas (scilicet Euangelium & miracula) est interior cooperatio ad mouendum mentes hominum ad iustitiam fidei: vanas vtrasque portas esse sine huiusmodi ingressu Christi, testatur Ioan. Euangelista: dicens aliquos eorum qui interfuerunt resurrectioni Lazari iuisse ad persecutores Christi obstinatos: inde enim collegerunt concilium & concluserunt de morte Christi. Vnde & Marcus Euangelista de huiusmodi ingressu dicit: *illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante.*

Confitebor Dominum Effectus introitus Christi in has portas describitur actus fidei confitendo Dominum, seu laudare Deum de gratia fidei. Et dicit Christus se confessurum Dominum in membris suis: iuxta illud: *Viuo ego iam non ego, viuit autem in me Christus.* Et rursus, *an experimentum quæritis eius qui in me loquitur Christus.*

Hæc porta Domino, hoc est, quod confitebor Domino, hoc est, quod credent & laudabunt fideles mei: scilicet: *hæc porta Domino*, hæc fides Euangelica est porta Domino, per quam solam aditus est ad Deum. *Iusti intrabunt in eam*, non prius iusti, postea intrant: sed introeundo iustificantur, & iustificando intrant: *non est enim datum aliud nomen sub cœlo in quo oporteat nos saluos fieri,* dixit Petrus Apostolus Act. 4. Act. 4.

Confitebor te. Reuocat sermonem ad Deum. *Confitebor te.* laudabo te Domine, per meipsum & fideles meos: *quoniam respondisti mihi.* Conclusio est gratiarum actionis: *quia respondisti mihi*, facto resurrectionis gloriosæ: *& fuisti mihi salutis*, æternæ immortalitatis.

Vers. 22. LAPIS. Tractatur hic illa particula, *confitemini Domino*: cum consequentibus, *dicat nunc, dicent nunc*, &c. Tractatur autem introducendo iustos (Apostolos scilicet & alios confitentes Christi resurrectionem) & inchoando ab admiratione facti, quòd Christus reprobatus à pontificibus & primatibus Iudæorum exaltatus est à Deo.

Christus, lapis angularis. *Lapis.* Parabola assumitur lapidis refutati ab ædificatoribus & tamen demum positi in caput anguli, in loco honorabili significato per caput, & multum officioso, significato per angulum: vtpote ad officium coniungendi vtrumque parietem coeuntem in angulum Et intendit per hanc parabolam sub specie lapidis Messiam solidum (de quo inquit Apostolus. *Petra autem erat Christus*) despectum & reprobatum à Pontificibus Iudæorum, habentibus officium ædificandi domum viuam Dei: quæ ex hominibus colentibus Deum construitur. Reprobatus enim ab his fuit tanquam indignus & inhabilis vt esset in numero colentium Deum. Et tamen hic idem fuit in caput anguli: factus est enim caput spiritualis ædificij Christianæ religionis, coniungens hinc Iudæos inde Gentiles: *Ipse namque est pax nostra qui fecit vtraque vnum*: vt dicitur ad Ephes. 2. Ephes. 2.

A Domino, non ab humana arte, non casu, *fuit istud: hoc separatum*, id est, mirabile & verè admiratione dignum, est *in oculis nostris.* Hinc clarè apparet quòd iusti introducuntur loquentes: alioquin non dicerent *in oculis nostris*, nec subderent in numero plurali primæ personæ *exultabimus & lætabimur.*

Dies Resurrectionis Christi singularissimè dicitur facta à Deo. *Hæc dies*, supple est, *fecit Dominus*, supple quam fecit Dominus. Omnes dies fecit Dominus: sed hæc dies immortalitatis singularissimè dicitur facta à Domino: quoniam dies est omnino supernaturalis, quòd carneum corpus effectum fuerit immortalis vitæ, quòd inchoata fuerit immortalitas humani generis secundùm corpus: & propterea *exultabimus*, nos iusti, *& lætabimur in ea.*

Obsecro Domine. Vox est iustorum exultantium & lætantium ob Resurrectionem Christi alloquendo Christum: & aduerbium obtecrantis est *obsecro. Obsecro Domine salua nunc*, ex quo aduenit tempus salutis: obsecro Domine fac proficere nunc, fac augeri, profectum facere Euangelium fidei Christianæ. *Benedictus qui venit in nomine Domini. Ego veni in nomine patris mei*, prædicabat Christus. Et propterea credentes recipiunt ipsum cantando *benedictus qui venit in nomine Domini.* Et per hoc confitentur eius humanitatem.

Deus Dominus, & illuxit nobis. Dicendo *Deus Dominus*, confitentur eius diuinitatem: *& illuxit nobis*, per gratiam internam & claritatem Euangelicæ doctrinæ: Aperuit enim ad literam in die Resurrectionis suæ Apostolis sensum vt intelligerent scripturas: & continuè lucet nobis per lumen fidei: qui tunc longè clariùs illuxit per dies 40. apparens eis, & loquens de regno Dei, & postea mittens Spiritum sanctum visibiliter, &c.

Benediximus vos de domo Domini. Aduerte quòd more metrico interponuntur quinque sententiæ: vnde litera sic est ordinanda vt exposuimus, scilicet, *benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus & illuxit nobis*, & postea subiungendum est, *benediximus vos*, &c. quamuis iuxta metri compositionem hæc clausula *benediximus vos de domo Domini*, media locetur inter *benedictus* & *Deus*. Apostrophant itaque iusti receptâ Christi fide ad cultores templi Dei: hoc est, ad Iudæos colentes Deum secundùm ritum veteris testamenti, dicendo: *Benediximus vos*, existentes de domo Domini, cultores templi: non malediximus vos, quoniam sequimur illum qui non venit soluere legem: sed benediximus vos, benedictionem promissam Abrahæ in qua benedicentur omnes gentes prædicamus vobis. Et propterea *ligate festum in frondibus vsque cornua altaris*: hoc est præparate diem festiuum. Ligate festum quid? Alludit enim ad antiquum morem quo frondosos ramos ligabant in atriis templi hinc & inde pro solemnitate festi vsque ad altare in quo offerebantur sacrificia. Et vsque hodie in multis Ecclesiis huiusmodi ornatus seruatur: dum appenduntur rami lauri, myrti, &c. Intendit enim per hoc declarare quòd Iudæi cum gaudio festino amplecti deberent fidem resurrectionis

Christi: quem tanto desiderio patres expectauerunt.

Vers. 28. DEVS MEVS TV. Hactenus iusti locuti sunt: modò Propheta qui inchoauit Psalmum loquitur, alloquendo Messiam iam resuscitatum à mortuis. *Deus meus tu, & confitebor*, non erubescam confiteri te esse Deum meum: *Deus meus exaltabo te*, non in teipso sed laudibus extollendo.

Confitemini Domino: quoniam bonus, quoniam æterno gratias eius. Post professionem fidei suæ hortatur omnes ad laudandum Deum de tanto beneficio: repetendo quod in principio proposuerat. Amen.

PSALMVS

	VVLGATA EDITIO. *Halelu Iah.* CXVIII.		*IVXTA HEBRÆVM.* CXIX.
1	Aleph. BEATI *immaculati in via: qui ambulant in lege Domini.*	1	*Aleph. Propheta.* BEATITVDINES (sunt) perfectorum viæ, ambulantium in doctrina Domini.
2	*Beati qui scrutantur testimonia eius: in toto corde exquirunt eum.*	2	*Aleph.* Beatitudines (sunt) custodientium testimonia eius: (qui) in toto corde requirent eum.
3	*Non enim qui operantur iniquitatem: in viis eius ambulauerunt.*	3	*Aleph.* Etiam non operati iniquitatem, in viis eius ambulauerunt.
4	*Tu mandasti mandata tua: custodiri nimis.*	4	*Aleph.* Tu mandasti præcepta tua, ad custodiendum valde.
5	*Vtinam dirigantur viæ meæ: ad custodiendas iustificationes tuas.*	5	*Aleph.* Vtinam dirigentur viæ meæ: ad custodiendum statuta tua.
6	*Tunc non confundar: cùm perspexero in omnibus mandatis tuis.*	6	*Aleph.* Tunc non erubescam: in meo respicere ad omnia mandata tua.
7	*Confitebor tibi in directione cordis: in eo quòd didici iudicia iustitiæ tuæ.*	7	*Aleph.* Confitebor te in rectitudine cordis: in meo discere iudicia iustitiæ tuæ.
8	*Iustificationes tuas custodiam: non me derelinquas vsquequaque.*	8	*Aleph.* Statuta tua custodiam: ne derelinque me vsque valde.

COMMENTARIVS.

Materia. TItulus nullus est. Materia Psalmi ex ipso euidenter apparet moralis: quia à principio vsque ad finem morales actus tractat. Circa rationem autem tractandi, aduerte Prophetam in hoc Psalmo connectere tria, scilicet gratiam diuinam, legem diuinam, & motus humanos. Ita quòd intentio Prophetæ, est horum trium connexionem describere secundùm diuersos seu vniuersos motus humani animi ad Deum tendentis. Et propterea tot induit personas quot genera motuum humanorum introducit, quatenus formandi seu formati sunt diuina gratia, & similiter quatenus formandi seu formati sunt diuinâ lege. Et gratia quidem diuina significatur diuersis actibus: puta dirigere, docere, viuificare, saluare, confirmare, &c. Lex verò significatur mandato, præcepto, testimonio, verbo, &c. Actus autem humani significantur desiderio, electione, oratione, &c. Vnde materia Psalmi est homo tendens ad Deum, formandus seu formatus in actibus suis diuina tam gratia quàm lege.

Et quia Psalmus iste ex 22. Octonariis constat iuxta 22. literas Alphabeti Hebraici, sicque Hebræâ linguâ conditus est vt quilibet Octonarius vendicet sibi propriam Alphabeti literam non solùm in primo versiculo, sed in singulis octo versiculis (ita quòd totus primus Octonarius in capitibus singulorum octo versuum incipit ab *Aleph*, & similiter secundus à *Beth*, & sic deinceps) ideo reseruato secretiore mysterio Spiritui sancto, accipiendum hinc censeo quòd Alphabetum integrum hoc in Psalmo significet vniuersitatem motuum ambulantium in via Dei: & quòd diuersitas literarum significet diuersas esse materias diuersorum Octonariorum: & quòd vnitas literæ in vno Octonario significet vnitatem materiæ in illo. Et propterea Psalmus iste vtpote singulare mysterio sibi vendicat singularem exponendi modum.

Persona loquens Propheta est.

BEATITVDINES PERFECTORVM. Diuiditur Psalmus in 22. partes iuxta 22. Octonarios. Ita quòd 22. personas agit Propheta in hoc Psalmo.

mo: singulas in singulis Octonariis explicandas. In hoc itaque primo Octonario agit Propheta personam desiderantis vt dirigantur viæ suæ ad Deum. Et exprimitur persona hæc in versiculo 5. *Vtinam dirigantur viæ meæ ad custodiendum statuta tua.* Aptum profectò principium: quoniam primus humanæ mentis motus versus Deum, est desiderare dirigi ad Deum.

Persona desiderantis.

Describitur autem persona hæc tum ex motiuis desiderij, tum quoad rem desideratam, tum quoad fructum rei desideratæ.

Motiua sunt duo seu tria. Primum ex parte finis seu præmij, quod est primum in intentione. A quo inchoat suspirando *Beatitudines*, in hac vita in spe & in alia in re, sunt *perfectorum*, non scientiâ aut decore, sed viâ hominum *ambulantium in doctrina Domini.* Et intendit quòd beati sunt non quicunque sed perfecti. Ac si apertè dixisset: O felices eos qui sunt perfecti inter ambulantes in doctrina Domini. *Inter ambulantes*, dixit, non inter scientes. Congruit personæ desideranti dirigi vias suas ad Deum, vt primum suspiciat contemplando præmium ambulantium in via Dei, & suspirando ad illud felicitatem eorum præferat.

Beatitudines custodientium. Non solùm perfectos sed proficientes in via Dei beatos exclamat: Custodientes à duplici actu describuntur, scilicet ab exteriori obseruatione dicendo *custodientium testimonia eius.* Diuina præcepta appellantur etiam testimonia Dei: tum quia testimonium perhibent Deo vt legislatori quatenus vera, iusta sancta que sunt: & testimonium perhibent nobis seruantibus ipsa quòd filij Dei sumus. *In toto corde.* Exterior obseruatio nisi ex integro corde sequatur Deus, nihil prodest: & propterea non dicuntur beati custodientes, nisi simul sint ex toto corde quærentes Deum. Toto autem corde quærere Deum, est quærere Deum sic quòd in corde quærentis nihil sit contrarium officio quærendi Deum: si enim in corde esset locus contrario, iam non ex toto corde quæreretur.

Diuina præcepta sunt testimonia Dei.

Vers. 3. ETIAM NON OPERATI INIQVITATEM. Triplex ordo ambulantium in via Dei descriptus est, scilicet perfectorum in primo, proficientium in secundo, & incipientium in hoc tertio versiculo. Et vtrique quidem illi dicti sunt beati, isti autem non: vt hinc insinuetur duo motiua desiderij diuersi. Alterum ex beatitudine: alterum ex cunctis ordinibus ambulantium in via Dei. Magnum siquidem motiuum desiderij est beatitudo: sed non despiciendum motiuum est multiplex ordo ambulantium in via Dei. Accenditur enim desiderium non solùm ex præmio, sed ab exemplo: præcipuè diuersorum ordinum ambulantium in via Dei. Perfectis itaque & proficientibus adiungit studentes ad cauendum à peccatis: hoc est enim incipientium studium. Et hoc significatur dicendo: *etiam non operati iniquitatem.* In quo studium ad cauendum à peccatis cum victoria, describitur per *non operari iniquitatem. In vijs eius*, Dei, *ambulauerunt*: hoc est, etiam ipsi sunt de numero ambulantium in via Dei.

Varia motiua desiderij.

Vers. 4. TV MANDASTI. Tertium motiuum desiderij, ex parte agentis (hoc est Dei præcipientis) describitur. *Tu*, Deus, non Moyses, aut Angelus, aut homo quicunque, *mandasti præcepta tua*, non humana decreta: *ad custodiendum*, non ad audiendum aut sciendum seu docendum sed ad obseruandum, *valde*, non parum, non tepidè, non segniter. Constat enim multum conferre ad mouendum humanum animum, auctoritatem tanti principis præcipientis.

Vtinam (ipsum aduerbium explicat personam desiderantem) *dirigentur*, à diuina gratia, *viæ meæ.* Hebræi nullum habentes futurum nisi Indicatiui, illo vtuntur loco Optatiui. Ecce res desiderata: quòd *dirigantur viæ meæ*, cogitationes, volitiones, passiones, operationes, locutiones, studia mea: hæc enim sunt viæ per quas in humana vita humanus graditur animus. *Ad custodiendum statuta tua*, ad obseruandam legem tuam.

Aduerte hic pro toto hoc Psalmo quòd statuti nomine ex industria interpretes nostri vtuntur ad significandum præcepta cærimonialia: vt hinc discernant lectores quando in hoc Psalmo fit specialis mentio de præceptis cærimonialibus. Et in hoc versiculo aduerte personam desiderantem describi ab obseruatione cærimonialium (vtpote minimorum) præceptorum: ad significandum quòd persona hæc desiderat vias suas dirigi ad plenam obseruationem diuinæ legis vsque ad minima præcepta.

Vers. 6. TVNC NON ERVBESCAM. Tractatur fructus duplex directionis desideratæ, simul explicando duplicem directionis modum. Reddit enim rationem ex parte fructus quare dixit, *Vtinam dirigentur*, quia *in meo respicere ad omnia mandata tua non erubescam.* Vbi respicere ad omnia mandata, est vna species directionis. Diuina siquidem gratia dirigit per hoc quòd facit hominem respicere non ad aliqua sed ad omnia mandata diuina: alioquin non sufficienter dirigeret: cùm connexa sint omnia Dei mandata: & vno non viso, erraretur ita quòd fieret homo omnium reus: iuxta Iacobi Apostoli sententiam cap. 2.

Fructus directionis desideratæ.

Omnia Dei mandata connexa sunt.

Fructus autem visionis significatur dicendo, *tunc non erubescam.* Ratio siquidem erubescendi, est cùm non tota lege perspectâ occurrit aliquid contrarium, quòd si totam legem vidissemus non fuissemus confusi. Et sicut hoc accidit in erubescentia exteriori, ita contingit intus animum confundi non respectis mandatis Dei omnibus.

Confitebor te. Hic est alter fructus directionis desideratæ: laudare scilicet Deum corde recto. Et hic fructus nasci describitur ex desiderata directione significata dicendo: *In meo discere iudicia iustitiæ tuæ.* Iudicia iustitiæ Dei vocantur quæcunque iustitia Dei iudicat debita esse à nobis, siue Deo siue hominibus. Et diuina gratia dirigit nos faciendo nos discere quæcunque secundùm diuinam iustitiam debemus, siue Deo siue hominibus.

Iudicia iustitia Dei, quæ?

Vbi etiam nota ordinatum progressum: nam rectissimus directionis ordo significatur, prius considerare omnia Dei mandata: per quod vitia præcipitationis, inconsiderationis & negligentiæ excluduntur. Deinde discere ab illis mandatis quæcunque sunt debita: quia ad hoc ordinatur videre omnia mandata vt discamus quod debemus tam Deo quàm hominibus. Et singulis speciebus directionis congrui accommodantur fructus: illi non erubescere, huic recto corde confiteri Deum.

Vers. 8. STATVTA TVA. Duo desiderauerat (scilicet dirigi & custodire legem) dicendo, *vtinam dirigentur viæ meæ ad custodiendum statuta*

tua:

unexplicauit prius fructum duplicem directionis: explicat modò fructum custodiæ. Et (vt iam dictum est) per custodiam statutorum intendit obseruationem legis plenam vsque ad minima quæ sunt præcepta cærimonialia.

Fructus plenæ obseruationis legis. NE DERELINQVE. Fructus plenæ obseruationis legis describitur quòd Deus non derelinquit hominem *vsque valde*: hoc est, vsque ad enormem lapsum, quamuis relinquat eum citra magnum casum. Et describitur fructus hic deprecatiuè: quia Dei auxilium custodiens hominem ad perseuerandum in gratia sua, non est donum aliquod positum in anima nostra, sicut sunt charitas & aliæ virtutes infusæ: sed est specialis cura quam diuersis actionibus, moribus & occasionibus, &c. Deus exercet, custodiendo hominem ne vsqueadeo labatur vt perdat gratiam: quod esset derelinqui hominem vsque valde. Continuis itaque precibus recognoscendum hunc fructum Propheta significauit, deprecatiuè ipsum subiungendo: tanquam non in sua sed in Dei actione consistentem.

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
9 Beth. *IN quo corrigit adolescentior viam suam, in custodiendo sermones tuos?*	1 *Beth.* IN quo mundabit puer viam suam, ad custodiendum [se] secundùm verbum tuum?
10 *In toto corde meo exquisiui te: ne repellas me à mandatis tuis.*	2 *Beth.* In toto corde meo exquisiui te: ne aberrare me fac à mandatis tuis.
11 *In corde meo abscondi eloquia tua: vt non peccem tibi.*	3 *Beth.* In corde meo abscondi dictum tuum: propterea non peccabo tibi.
12 *Benedictus es Domine: doce me iustificationes tuas.*	4 *Beth.* Benedictus tu Domine: doce me statuta tua.
13 *In labijs meis pronunciaui: omnia iudicia oris tui.*	5 *Beth.* In labiis meis narraui, omnia iudicia oris tui.
14 *In via testimoniorum tuorum delectatus sum: sicut in omnibus diuitijs.*	6 *Beth.* In via testimoniorum tuorum lætatus sum: quasi super omni opulentia.
15 *In mandatis tuis exercebor: & considerabo vias tuas.*	7 *Beth.* In præceptis tuis loquar: & respiciam semitas tuas.
16 *In iustificationibus tuis meditabor: non obliuiscar sermones tuos.*	8 *Beth.* In statutis tuis deliciabor: non obliuiscar verbum tuum.

COMMENTARIVS.

VERS. 1. *Persona innocentis pueri.* IN QVO MVNDABIT. In hoc secundo Octonario Propheta induit personam innocentis pueri curantis se custodire mundum secundùm legem Dei. Hæc enim persona explicatur in primo versiculo, dicendo interrogatiuè: *In quo mundabit*, mundam habebit, *viam suam*, actiones & mores vitæ suæ, *puer*, innocens. Ab ætate innocentiæ & principio viuendi ratione nominauit innocentem: *mundabit*, inquam, *ad custodiendum*, seipsum, *secundum verbum tuum*, non secundùm consilia carnis aut mundi.

Vers. 2. IN TOTO CORDE. Describitur cura huius personæ dupliciter secundùm duas partes iustitiæ. Primò secundùm declinare à malo: & deinde secundùm facere bonum: in vtramque cointelligendo secundùm legem Dei.

Cura circa vtramque iustitiæ partem. Cura ad declinandum à malo, describitur in secundo & tertio versiculis, in duobus assumptis ad hoc mediis. Primum est: *In toto corde meo exquisiui te*: hoc est, quæ tua sunt, regnum tuum, voluntatem tuam, gloriam tuam, &c. & sic consequar, *ne aberrare me fac à mandatis tuis*: hoc est, ne permittas me peccare. Et describitur fructus iste deprecatiuè propter rationem superiùs dictam in vltimo versu primi Octonarij: quia scilicet actio ista non est in potestate personæ sed Dei. Similque significatur primo medio ad declinandum à malo, coniunctum esse continuum recursum ad Deum, supplicando ne aberrare me fac à mandatis tuis.

Vers. 3. IN CORDE MEO. Secundum medium ad declinandum à malo, describitur: *in corde meo abscondi dictum tuum*: hoc est, tanti feci & tam chara habui dicta tua quòd recondidi ea in secretissimo loco cordis mei, ad similitudinem rerum pretiosarum quæ seruandæ reconduntur in locis occultis.

Fructus autem subditur: *propterea non peccabo tibi*, non offendam te. Libra prudens lector, hæc duo media: quia inuenies ea efficacissima.

Vers. 4. BENEDICTVS TV. Cura eiusdem personæ ad alteram iustitiæ partem (scilicet ad faciendum bonum) describitur triplici medio. Primum est recursus ad Deum: tum gratias agendo, *benedictus tu Domine*: tum supplicando ei vt dignetur esse doctor internus etiam in minimis legis, *doce me statuta tua*.

Vers.

Vers. 5. IN LABIIS MEIS. Post recursum ad Deum, adiungit media propriorum studiorum. Quorum primum est exercere se in locutione diuinorum. *In labijs meis narraui omnia iudicia oris tui.* Non dicit *omnia iudicia tua* (sciebat enim quòd inenarrabilia sunt omnia iudicia Dei) sed dicit *omnia iudicia oris tui*, hoc est, manifestata nobis ore tuo: hæc enim sunt narrabilia. Nec dicit quòd simul aut vno die omnia narrauit, sed quòd narrauit: hoc est, quòd exercuit se in narrationibus iudiciorum Dei continuando vsque ad narrationem omnium, quæ tamen Deus manifestauit. Quod est significare continuam exercitationem in locutione diuinorum operum: hoc est enim magnum medium ad faciendum bonum.

Media ad faciendum bonum.

Vers. 6. IN VIA TESTIMONIORVM TVORVM. Vltimum medium describitur lætitia in via Dei. *In via testimoniorum tuorum*: hoc est, operum charitatis, fidei, spei: hæc enim sunt testimonia Dei in hominibus: iuxta verbum Domini: *In hoc cognoscent homines quòd discipuli mei estis si dilectionem meam seruaueritis*, Ioan. 13. *Quasi super omni opulentia.* Non appareat tibi valde magna virtus lætari in via Dei *sicut in omnibus diuitijs*: quandoquidem Paulus ad Rom. 6. fragilitati humanæ compatiens dicit se non plus exigere, dicendo: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, sicut exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Rom. 6.

Vers. 7. IN PRÆCEPTIS TVIS. Vtriusque medij assumpti ad faciendum bonum (scilicet locutionis de diuinis & lætitiæ in via Dei) fructus describit: vt intelligamus quantum vtilitatis afferant dicta media. Fructum itaque locutionis continuæ de diuinis describit, repetendo locutionem. *In præceptis tuis loquar*, perseuerabo loquens. *Et respiciam.* Hic est fructus: respicere *semitas Dei*, illuminari ad videndum etiam arctas vias Dei ducentes ad vitam per quas pauci gradiuntur.

Vers. 8. IN STATVTIS TVIS DELECTABOR. Repetit quoque medium lætitiæ in perseuerantia solatio etiam in minimis legis. *Non obliuiscar.* Ecce fructus lætitiæ & solatij in diuinis. Et verè magnus fructus est non obliuisci verbum Dei. Intellige per non obliuisci non solam memoriam: sed memoriam de qua alibi scriptum est, *& memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea*, non omittam exequi verbum tuum.

Non obliuisci verbum Dei magnus est fructus.

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
17 Ghimel. *Retribue seruo tuo: viuifica me, & custodiam sermones tuos.*	1 *Ghimel.* Retribue super seruum tuum: vitam & custodiam verbum tuum.
18 *Reuela oculos meos: & considerabo mirabilia de lege tua.*	2 *Ghimel.* Reuela oculos meos: & videbo separata de doctrina tua.
19 *Incola ego sum in terra: non abscondas à me mandata tua.*	3 *Ghimel.* Peregrinus ego in terra: ne absconde à me mandata tua.
20 *Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore.*	4 *Ghimel.* Fracta anima mea ex desiderio ad iudicia tua: in omni tempore.
21 *Increpasti superbos: maledicti qui declinant à mandatis tuis.*	5 *Ghimel.* Increpasti superbos: maledicti aberrantes à mandatis tuis.
22 *Aufer à me opprobrium & contemptum: quia testimonia tua exquisiui.*	6 *Ghimel.* Volue desuper me opprobrium & contemptum: quoniam testimonia tua custodiui.
23 *Etenim sederunt principes & aduersum me loquebantur: seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis.*	7 *Ghimel.* Etiam sederunt principes, in me locuti sunt: seruus tuus loquetur in statutis tuis.
24 *Nam & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meum iustificationes tuæ.*	8 *Ghimel.* Etiam testimonia tua erunt solatia mea: erunt viri consilij mei.

COMMENTARIVS.

RETRIBVE SVPER SERVVM TVVM. In hoc tertio Octonario Propheta induit personam peregrini in hoc mundo: de quo Apostolus: *Non habemus hìc manentem ciuitatem sed futuram inquirimus*, ad Hebr. vlt. Et explicat illam in tertio versiculo: *Peregrinus ego in terra.* Per quod aperit se non esse in terra vt ciuem mundi huius: sed versari in hoc mundo tanquam in aliena patria.

Persona peregrini in hoc mundo. Hebr. vlt.

Describitur autem peregrini persona dupliciter. Primò relata ad bonum desideratum: secundò relata ad malum præsens quod patitur. Ad triplex autem bonum desideratum se refert. Primò ad præmium æternum, supplicando: *Retribue super seruum tuum.* Primum enim desideratum à peregrino in terra est æternæ retributionis præmium: iuxta illud 2. ad Timoth. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ quam reddet mihi Dominus* 2. Timoth. 4.

in illa die iustus iudex. Super seruum tuum, mercedem seruienti tibi.

Viuam & custodiam. Secundum bonum desideratum à peregrino est continuum meritum, commune obsequii Deo. Vnde per hoc comprobans se seruum Dei ait: *Viuam*, non mihi, sed ad hoc vt *custodiam verbum tuum*, vniuersam vitam meam dicaui ad custodiendum verbum tuum.

Vers. 2. REVELA OCVLOS MEOS. Tertium bonum à peregrino desideratum est exercitatio mentis in consideratione diuinorum. Et quoniam mentis visio, ad similitudinem visionis corporalis impeditur quandoque ex parte videntis habentis aliquod velamen in oculis, quandoque autem ex parte rei videndæ quæ occultatur, ideo peregrinus vtrumque impedimentum internæ considerationis desiderat tolli.

Et primò quidem velamen obtusi sensus, dicendo. *Reuela oculos meos*, tolle velamen ab oculis meis internis. *Obtusi*, inquit Apostolus 2. ad
2. Cor. 3. Corinth 3. *sunt sensus eorum & velamen est super cor eorum cum legitur Moyses.* Hoc velamen abstulit Christus, dum aperuit Apostolis sensum vt intelligerent scripturas Luc. vlt.

De altero verò impedimento postea petit: *ne abscondas à me mandata tua. Vobis*, inquit Christus Luc. 8. *datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis*, sub quibus occultatur mysterium regni Dei.

Et videbo separata, id est, mirabilia, *de doctrina tua.* Sublatis impedimentis hinc & inde, exercebor videndo mirabilia quæ admiratione sui excitant & trahunt mentem ad considerandum, non in curiosis doctrinis sed in doctrina tua.

Vers. 4. FRACTA ANIMA MEA. *Retribue super seruum tuum*, desiderando retributionem æternam. Et quia retributio æterna actus est diuini iudicii (Deus enim iustus iudex retribuit vnicuique secundùm opera eius: seruis suis æternum præmium, iniquis autem æternum supplicium) ideo modò declarat effectum in seipso subsecutum ex desiderio æternæ retributionis integro: hoc est ex desiderio diuini iudicij integri: hoc est, quoad vtramque partem iudicij, scilicet retributionem tam iustis quàm iniquis. Desiderans enim æternum præmium, desiderat semiiudicium: desiderans autem iudicium Dei erga iustos & iniustos, desiderat integrum iudicium. Et propterea peregrinus desiderium suum æternæ retributionis in principio positum, modò integrat: vt declaret effectum in se subsecutum ex tali integro desiderio.

Retributio æterna actus est diuini iudicij.

Huiusmodi itaque effectum describit, dicendo: *Fracta anima mea.* Infractus animus hominum huius mundi dicitur animus celsus, & fortem se exhibens ad ea quæ sunt honoris, gloriæ, imperij, & id genus reliqua. Peregrinus iste ex desiderio æterni iudicij Dei, fractum suum affecit animum: vtpote retractum ab appetitu honorum gloriæ, & reliquorum quæ mundi sunt. *Desiderio* datiui casus est iuxta modum Hebraicæ linguæ. *Ad iudicia tua* (pluraliter dixit iudicia propter pluralitatem vindictarum quas postea subdit) *in omni tempore*: hoc est æterna.

Animus infractus quis?

Vers. 5. INCREPASTI SVPERBOS. Pluralitas iudiciorum diuinorum subiungitur. *Increpasti superbos, maledicti, aberrantes.* Duæ vindictæ describuntur. Altera communis omnibus iniquis. *Maledicti aberrantes à mandatis tuis*, (*Ite maledicti in ignem æternum*) Altera specialis superbis.

Increpasti superbos: quia cùm cætera vitia fugiant à Deo, sola superbia se opponit. Et propterea superbis Deus resistit: & specialiter increpari describuntur. Et meminit horum iudiciorum peregrinus: quia desiderans bonum diuinæ iustitiæ hinc in suo præmio inde in vindicta superborum & contemnentium mandata Dei, fregit sibipsi animum à prosecutione mundanorum quæ superbi & aberrantes à mandatis Dei infracto animo prosequuntur.

Sola superbia Deo se opponit.

Vbi nota quòd peregrinus non dicit se propter timorem horum iudiciorum, sed propter desiderium iudiciorum fractum habere animum: quia tantæ perfectionis est vt desideret diuinam iustitiam: iuxta verbum Pauli: *Non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.* Et non dixit, *sed & iis qui timent.*

Vers. 6. VOLVE DESVPER ME. Postquam relatus est peregrinus ad bonum desideratum, modò refertur ad malum quod patitur: malum scilicet opprobrij & contemptus. Despicitur enim & opprobrio afficitur quia reliquit quæ sunt huius mundi & dicauit se mandatis Dei: iuxta illud Iob 12. *Deridetur iusti simplicitas, lampas contempta.* Nec supplicat tolle opprobrium & contemptum huiusmodi, sed *volue*: hoc est, in alteram partem verte, scilicet in lætitiam & dignitatem: iuxta illud: Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Diuina enim gratia voluitur opprobrium & despectio in dignitatem filiorum Dei, cùm ideo contemnimur quoniam testimonia Dei custodimus. Iob 12.

Vers. 7. ETIAM SEDERVNT PRINCIPES. Explicat contemptores non solùm populares, sed etiam *principes*, non impetu furoris, sed cùm *sederunt*, non tacità cogitatione, sed *in me locuti sunt.*

Seruus tuus. Explicat qualis ipse peregrinus sit contemnentibus & loquentibus aduersus se etiam principibus. Et de seipso loquitur in tertia persona. Primò quoad loquelam. *Seruus tuus loquetur*, perseuerabit loquens: *in statutis tuis*, etiam in minimis legis.

Deinde quoad delectationem. *Etiam testimonia tua*, sacræ Scripturæ testimonium perhibentes de te, *solatia mea*, supple sunt.

Et tertiò quoad consilium: *viri consilij mei*: hoc est, testimonia tua sunt & solatia mea & viri consilij mei, hoc est, tanquam viri consilij mei. Ita quòd supplent materiam solacij & locum consiliariorum: dum in testimoniis scripturarum delector, & ab ipsis consilium capio.

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
25 Daleth. ADhæsit pauimento anima mea: viuifica me secundùm verbum tuum.	1 Daleth. ADhæsit puluere anima mea, viuifica me iuxta verbum tuum. 2 Daleth.

26 *Vias meas enunciaui & exaudisti me: doce me iustificationes tuas.*	2 *Daleth.* Vias meas enarraui & respondisti mihi: doce me statuta tua.
27 *Viam iustificationum tuarum instrue me: & exercebor in mirabilibus tuis.*	3 *Daleth.* Viam præceptorum tuorum fac me intelligere: & loquar in separatis tuis.
28 *Dormitauit anima mea præ tædio: confirma me in verbis tuis.*	4 *Daleth.* Stillauit anima mea præ tristitia: confirma me iuxta verbum tuum.
29 *Viam iniquitatis amoue à me: & de lege tua miserere mei.*	5 *Daleth.* Viam falsitatis fac cessare à me: & doctrina tua miserere mei.
30 *Viam veritatis elegi: iudicia tua non sum oblitus.*	6 *Daleth.* Viam veritatis elegi: iudicia tua coæquaui.
31 *Adhæsi testimonijs tuis Domine: noli me confundere.*	7 *Daleth.* Adhæsi in testimoniis tuis Domine[+]: ne confunde me.
32 *Viam mandatorum tuorum cucurri: cum dilatasti cor meum.*	8 *Daleth.* Viam mandatorum tuorum curram: quoniam dilatabis cor meum.

COMMENTARIVS.

Vers. 1. Persona hominis mente seruientis legi Dei; carne autem legi peccati.

ADHÆSIT PVLVERI. In hoc quarto octonario Propheta induit personam hominis mente seruientis legi Dei, carne autem legi peccati. Explicatque hanc personam in primo versiculo: *Adhæsit pulueri anima mea.* Caro humana corruptioni obnoxia vocatur puluis: dicente Deo primo parenti post peccatum: *puluis es & in puluerem reuerteris,* Genes. 3. Tali pulueri anima adhæret non solùm vt naturalis forma eius, sed vt sentiens in opere suo carnalem fomitem. De qua adhæsione inquit Apostolus ad Rom. 7. *Non quod volo bonum hoc ago, sed quod odi malum illud facio.* Et legenda est hæc particula ingemiscentis affectu: ita quòd ingemiscens persona hæc ait: *Adhæsit.* velit nolit, *pulueri.* carnali fomiti, *anima mea*, volens tendere ad superiora. Sentit enim persona hæc contraria: dum ex parte superiori mentem, legem spiritus ac Dei habet, ex parte verò inferiori carnales passiones legémque fomitis trahentis animam ad peccatum.

Viuifica me. Describitur persona hæc tripliciter. Primò relata ad perfectionem partis superioris: secundò relata ad perfectionem partis inferioris: & demum relata ad effectum vtriusque perfectionis.

Triplex in superiori parte perfectio.

Triplex autem in superiori parte perfectio tangitur. Primò vita, nō naturæ sed gratiæ. Quam suppliciter petit à Deo: *Viuifica me iuxta verbum tuum: (non in solo pane viuit homo sed in omni verbo quod procedit de ore Dei,* Deuter. 8. Secundò recognitio sui, quòd iustè hoc patitur: quam explicat: *vias meas enarraui.* vias inquam internas: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Has coram te enarraui, *& respondisti mihi,* reuelasti mihi iustè me hoc pati: quia per inobedientiam vnius peccatores constituti sumus. Hæc enim diuina responsio non datur nisi confitentibus diuersitatem viarum in seipsis in hoc quòd anima adhæsit pulueri: hæc siquidem confessio longè est ab infidelibus omnibus, & negantibus peccatum originale.

Deuter. 8.

Doce me. Tertia perfectio diuinæ est instructionis. Quam petit dupliciter: *Doce me statuta tua,* etiã minima præcepta: *viam præceptorum tuorum fac me intelligere.* Docere commune est Deo & aliis Doctoribus: facere aut intelligere, officium est Dei. Et propterea subiungendo hunc effectum, ostendit quòd internum docere petiit tam efficax vt pareret in eo intelligentiam, non quorumcunque sed viæ præceptorum Dei. *Et loquar.* Tanquam proprium mentis organum est lingua in officio locutionis. Et propterea cum parte superiori connumeratur perfectio linguæ. *Et loquar in separatis,* id est, mirabilibus, *tuis,* tam rebus quàm operibus.

Vers. 4. STILLAVIT ANIMA MEA PRÆ TRISTITIA. Postquam relata est persona hæc ad perfectionem partis superioris, describitur modò relata ad perfectionem partis inferioris. In qua primò occurrit magna animi tristitia de sensata repugnantia quam significat. *Stillauit,* lachrymis, *anima mea,* non caro mea, *præ tristitia,* de repugnantia quæ nobis nolentibus inest. Lege hanc in Apostolo: *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius!*

CONFIRMA ME SECVNDVM VERBVM TVVM. Primum requisitum ad perfectionem inferioris partis est firmitas animi ad resistendum insurgenti seu repugnanti fomiti sensus. Et propterea primò petit: *confirma me iuxta verbum tuum.*

Perfectio partis inferioris.

Vers. 5. VIAM FALSITATIS. Secundum requisitum ad perfectionem inferioris partis est debilitatio fomitis. Et ideo petit, *viam falsitatis.* Via carnis, via iniquitatis, via peccati & via falsitatis, in idem redeunt: sed appellatur via falsitatis, quia est via consona falsitati: hoc est, habens secum non esse quod est, & esse quod non est: omnis enim huiusmodi via fallit: tanquam ducens ad bonum delectabile, seu vtile, seu etiam honestum: & tamen ducit ad æternum damnum, ad æternam tristitiam, & ad æternum inhonestum. *Fac cessare à me.* Via fomitis quæ via falsitatis dicitur, & congenita est nobis in peccato originali. Et propterea persona hæc non audet dicere, viam falsitatis abstuli à me: sed suppliciter rogat *fac cessare à me:* ne scilicet abducat me.

Et doctrina tua miserere mei. Petitã firmitate animi & debilitate fomitis, superest ad perfectionem

tionem inferioris partis medium quo habeatur ſeueritas ſuperius & debilitas inferius, vt bonum expeditè operetur bonum non obſtante fomite. Hoc autem medium conſtat ex redundantia documentorum diuinorum ſeu diuinæ legis ad partem inferiorem, cum triplici actione ſubordinata. Et ideo redundantiam diuinæ doctrinæ ſeu legis petit adiunctâ commiſeratione, dicendo: *& doctrina tua edoce*, ſeu *miſerere mei*. Eſt enim ſenſus: commiſerando extende legem tuam, doctrinam tuam: eget enim pars animi inferior ſpeciali commiſeratione ad hoc vt diuina lex vſque ad ipſam redundet: cùm ſit in infimo gradu participantium rationem.

Verſ.6. VIAM VERITATIS ELEGI. Prima actio diuinæ doctrinæ ſeu legis, in animo concurrens ad perfectionem inferioris partis, explicatur. Non dicit veritatem ſed viam veritatis: tum quia elegit viam morum veritati concordem: tum quia elegit non vnum aut duos aut quoſdam actus veritatis ſeu veritati concordes, ſed elegit vniuerſitatem actuum veritatis: elegit enim non progredi aliâ viâ quàm viâ veritatis.

Iudicia tua coæquaui. Secunda actio cui prima ſubordinatur explicatur. Vnuſquiſque princeps alicuius ſectæ profitetur ſe viam veritatis eligere: ſed mentiuntur ſi in via quam elegerunt iudicia diuina non coæquant, ſi à iudiciis diuinis diſcrepant, ſi veritatem aliam dicunt quàm eam quæ conformis eſt iudiciis diuinis. Et propterea perſona hæc manifeſtat ſe viam veritatis elegiſſe, ſubiungens: *Iudicia tua coæquaui*: hoc eſt, conformaui omnes electiones meas iudiciis tuis, nihil elegi difforme ſeu iniquũ iudiciis tuis.

Verſ. 7. ADHÆSI IN TESTIMONIIS TVIS DOMINE. Tertia actio cui ſubordinatur ſecunda, explicatur: Magna quæſtio ſuboriri poſſet quæ ſunt iudicia Dei & quæ non, & conſequenter quæ eſt veritas ſecundùm iudicia Dei & quæ non, niſi adeſſent diuina teſtimonia: hoc eſt ſacræ Scripturæ, prohibentes teſtimonium de iudiciis diuinis. Et propterea perſona hæc tanquam ad vltimam reſolutionem electæ veritatis recurrit, aſſerens: *Adhæſi teſtimoniis tuis Domine*, adhæſi ſcripturis tuis ad eligendum viam veritatis ſecundùm iudicia tua. Et cum his omnibus ſuppliciter rogo *ne confunde me*. Et addidit hinc ſupplicationem ad ſignificandum quòd quantumcunque perfecta ſit pars ſuperior animi & redundans in partem inferiorem nihilominus indiget recurſu ad Deum ne confundatur. Videmus enim viros perfectos confuſos ex parte inferiori, Deo paululum eos deſerente: vt patet in Dauidis adulterio, Moyſi hæſitatione, & Petri negatione.

Viri perfecti confunduntur ex parte inferiori.

Verſ.8. VIAM MANDATORVM. Deſcriptâ perſonâ hac ſecundùm perfectionem vtriuſque partis, deſcribitur modo ſecundùm effectum conſequentem ad vtriuſque partis perfectionem. *Viam mandatorum tuorum curram*, non ambulabo ſed curram expeditus; iuxta illud: *Sic currite vt comprehendatis* 1. ad Cor. 9. & rurſus: *Curſum conſummaui.*

Quoniam dilatabis cor meum. Cor terrenis ſeu carnalibus affectum anguſtatur: eo quòd anguſta ſunt mundana omnia. Spiritualibus autem & diuinis affectum, dilatatum eſt: quoniam latiſſima & ampliſſima ſunt ſpiritualia & diuina. Habent enim ſe ſpiritualia ad mundana ſicut amplitudo cæli ad anguſtiam terræ. Et propterea perſona hæc complectens vtriuſque partis perfectionem, ex dilatatione cordis (hoc eſt tanto affectu cordis ad ſpiritualia & diuina vt cor lætetur in eis) deſcribitur, ex hac enim lætitia cordis dicit cauſari curſum in via mandatorum Dei. Et verè ſic eſt.

Cor terrenum anguſtatur, ſpirituale dilatatur.

VVLGATA EDITIO.

33 He. LEGEM *pone mihi Domine viam iuſtificationum tuarum: & exquiram eam ſemper.*

34 *Da mihi intellectum: & ſcrutabor legem tuam, & cuſtodiam illam in toto corde meo.*

35 *Deduc me in ſemitam mandatorum tuorum: quia ipſam volui.*

36 *Inclina cor meum in teſtimonia tua: & non in auaritiam.*

37 *Auerte oculos meos ne videant vanitatem: in via tua viuifica me.*

38 *Statue ſeruo tuo eloquium tuum in timore tuo.*

39 *Amputa opprobrium meum quod ſuſpicatus ſum: quia iudicia tua iucunda.*

40 *Ecce concupiui mandata tua: in æquitate tua viuifica me.*

IVXTA HEBRÆVM.

1 *He.* DOCE me Domine [4] viam ſtatutorum tuorum: & cuſtodiam eam calcaneo. (obſeruando veſtigia)

2 *He.* Fac me intelligere: & ſeruabo doctrinam tuam, & cuſtodiam eam in toto corde.

3 *He.* Induc me in ſemitam mandatorũ tuorum: quia in ea deſideraui.

4 *He.* Inclina cor meum ad teſtimonia tua: & non ad pecuniam.

5 *He.* Fac tranſire oculos meos à videndo vanitatem: in via tua viuifica me.

6 *He.* Confirma ſeruo tuo dictum tuum: quod (congruit) timori tui.

7 *He.* Fac tranſire opprobrium meum quod timui: quia iudicia tua bona.

8 *He.* Ecce deſideraui præcepta tua †: in iuſtitia tua viuifica me.

† præcepta tua.

COMMEN

COMMENTARIVS.

Persona desiderantis ingredi viam Dei.

DOce me. In quo quinto Octonario Propheta induit personam desiderantis ingredi viam Dei exequendo mandata eius. Vbi in primis aduerte differentiam huius personæ à persona primi octonarij : nam illa remotior est ab executione : vtpote desiderans dirigi vias suas ad executionem mandatorum, hæc autem propinquior est, vtpote appetens ingredi ipsam executionem mandatorum. Explicatur autem hæc persona in tertio versiculo. *Induc me in semitam mandatorum tuorum :* quia in ea desideraui, supple ambulare.

Exercet autem hanc personam tripliciter : primò relatam ad introductoria : secundò relatam ad ablationem impedimentorum : & demum ad fructum.

Tria opportuna ad ingressum via Dei.

Tria opportuna ad ingressum viæ tangit deprecatiuè. Primum est : *Doce me Domine viam* (ad similitudinem volentis per ignotam viam ambulare, in primis petit doceri viam) *statutorum tuorum*, hoc est totius legis tuæ vsque ad minima, *& custodiam eam calcaneo.* More nescientis viam, petens doceri quæ sit via, subiungit quòd postquam ingressus erit viam obseruabit se ne perdat viam inspiciendo calcanea : hoc est viam calcatam, hoc est incedendo per viam pedibus tritam. Et intendit per hoc quòd seruabit se in via sectando exempla patrum.

Vers. 2. Fac me intelligere. Secundum opportunum est sic doceri quòd intelligat. Et hoc etiam consonat petitioni ignorantis viam: nam petens doceri quæ sit via, petit sic doceri vt intelligat. Sunt enim quidam docentes viam adeò obscurè vt viatores non intelligant quam debent viam accipere. Et intendit per hoc quòd Deus sic intus doceat vt faciat ipsum intelligere præcepta sua. *Et seruabo doctrinam tuam*, intellectam, executioni mandabo exterius : & intus *custodiam eam in toto corde.*

Vers. 3. Induc me. Tertium opportunum ad ingressum viæ est vt homo inducatur in principium viæ. Et propterea tanquam in multiuio timens errare, non confisus in eo quod didicit & intellexit de via, petit vt Deus se introducat in viam. Et intendit per hoc opus diuinæ gratiæ subsequentis in ipsa executione.

Quatuor impedimenta in via Dei.

Vers. 4. Inclina cor meum. Postquam persona ingressura viam Dei descripsit opportuna ad ingressum, modò petit tolli impedimenta quatuor. Impedimentum primum est affectus ad res seu bona quæ pecunia emi possunt. Et petit se expediri ab hoc per submissionem cordis ad testimonia diuina de vanitate diuitiarum. Qui enim cor suum submittit huiusmodi testificationibus quæ in sacra Scriptura abundè continentur, non apponit cor suum ad pecunias.

Vers. 5. Fac transire oculos. Secundum impedimentum est affectus ad carnales delectationes : quæ vanitas hic nuncupantur. Fac inquit transire oculos meos à videndo vanitatem, carnis, vt non figantur in huiusmodi visione. Expertus fuerat ipse Dauid quantum criminis incurrerit quia fixi sunt oculi eius videndo vanam pulchritudinem Bersabee. Et ad hoc obtinendum adiungit. *In via tua viuifica me.* Viuacitas animi in via Dei, maximè confert, immo supremum est adiutorium ad fugiendas vanitates carnis : eo quòd non compatitur negligentias per quas obrepunt animo vanitates carnis : quantum enim istæ obtinent animi, tantum adimunt viuacitatis spiritus.

Vers. 6. Confirma servo tuo. Tertium impedimentum est infirmitas humanæ fragilitatis in prosequendo iter viæ Dei. Et contra hoc petit firmari in seipso dicta diuina consentantia timorem Dei. In quo prospice firmitatem pendere à timore Dei, non qualitercumque sed rememorato in dictis à Deo : multum enim ad firmitatem animi conferunt habituata in animo consentientia secundùm diuina documenta ad timorem Dei : vt sunt frequens consideratio diuinorum iudiciorum, frequenter considerare quàm malum sit offendere Deum, priuari diuina gratia, & similia. Hæc enim sunt dicta Dei consentientia timori eius. Hoc petit dicendo : *Confirma seruo tuo dictum tuum,* quod confert, quod congruit timori tui.

Vers. 7. Fac transire. Quartum impedimentum est timor opprobrij : in quo clauditur amor honoris seu gloriæ : nam ex amore gloriæ seu honoris nascitur timor opprobrij. Et conuincitur amor gloriæ ex timore opprobrij : adeò quòd multi putant se exemptos ab amore humanæ gloriæ, quos timor opprobrij conuincit. Hoc autem tantum impedit viam Dei vt Dominus dixerit Ioan. 5. *Quomodo potestis credere qui ab inuicem gloriam quæritis*, &c. Et bene nota quòd non dicit fac transire opprobrium meum: quod esset petere, transeat à me opprobrium: sed addit *quod timui :* quod est petere, fac transire timorem opprobrij. Ioan. 5.

Et modum subdit : *Quia iudicia tua bona:* hoc est quia opprobria & iniuriæ sunt ex iudiciis tuis quæ sunt bona, hoc est vtilia electis tuis: *Diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum.* Apta ratio non solùm ad non timendum sed etiam ad amplectendum opprobria est, quia iudicia Dei inferentia huiusmodi opprobria sunt vtilia nobis.

Vers. 8. Ecce desideravi. Tractatis opportunis & impedimentis, tractat modò fructum viæ demonstrando seipsam. Ecce (inquit persona ingressura viam Dei) desideraui præcepta tua, exequi : *in iustitia tua*, hoc est in executione præceptorum tuorum : mea enim executio est tua iustitia : tum quia est debita secundùm iustitiam tuam : tum quia est iustitia à te concessa potius quàm à me facta. Sed hæc iustitia nihil mihi prodest nisi adsit viuificatio : quæ fit per charitatem. Et propterea supplico *viuifica me* charitate & gratia in obseruatione præceptorum tuorum.

VVLGATA

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
41 *Vau.* *Et veniat super me misericordia tua Domine: salutare tuum secundum eloquium tuum.*	1 *Vau.* Et venient mihi gratia tua Domine[4]: salus tua iuxta dictum tuum.
42 *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum: quia speraui in sermonibus tuis.*	2 *Vau.* Et respondebo exprobranti mihi verbum: quia confisus sum in sermone tuo.
43 *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque: quia in iudiciis tuis supersperaui.*	3 *Vau.* Et ne separa de ore meo verbum veritatis vsque valde: quoniam iudicium tuum † expectaui. († iudicia tua.)
44 *Et custodiam legem tuam semper: in seculum & in seculum seculi.*	4 *Vau.* Et custodiam doctrinam tuam iugiter: seculo & semper.
45 *Et ambulabam in latitudine: quia mandata tua exquisiui.*	5 *Vau.* Et ambulabo in latitudine: quia præcepta tua quæsiui.
46 *Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu regum: & non confundebar.*	6 *Vau.* Et loquar in testimoniis tuis coram regibus: & non erubescam.
47 *Et meditabar in mandatis tuis: quæ dilexi.*	7 *Vau.* Et delectabor in mandatis tuis quæ dilexi.
48 *Et leuaui manus meas ad mandata tua quæ dilexi: & exercebor in iustificationibus tuis.*	8 *Vau.* Et leuabo palmas meas ad mandata tua quæ dilexi: & loquar in statutis tuis.

COMMENTARIVS.

VERS. 1. *Persona Prædicatoris verbi Dei.*

Et venient. In hoc sexto Octonario Propheta induit personam prædicatoris verbi Dei. Quam explicat in vltimo versiculo: *Et leuabo palmas meas ad mandata tua quæ dilexi:* hoc est, extollam opera mea, non mihi sufficit facere quæ teneor sed ad ea quæ sunt supererogationis leuabo opera mea: hoc est enim leuare palmas ad mandata Dei quæ dilexi, non quæ timui: ex amore enim ad opera supererogationis tendit. *Et loquar in statutis tuis*, & sic prædicabo legem tuam integrè vsque ad minima præcepta. Vbi prædicator describit seipsum ex dilectione mandatorum Dei, ex studio ad opera supererogationis, ex officio loquendi integram Dei legem.

Quadrupliciter describitur Prædicator verbi Dei.

Tractatur autem hæc prædicatoris persona quadrupliciter. Primò relata ad gratiam Dei. Secundò ad locutionem. Tertiò ad operationem. Quartò ad passiones animi. Referens itaque seipsum prædicator ad diuinam opem, ait: *Et venient mihi gratia tua Domine, salus tua iuxta dictum tuum.* Primum opportunum prædicatori est diuina gratia cum salute. Et gratia quidem ad gratuitam doni rationem spectat: salus autem ad ipsum donum. Pluraliter autem dixit *& venient*, propter multiplicem gratiam & multiplicem salutem. Dantur enim à Deo prædicatori multæ gratiæ & multiplex salus, propter multitudinem periculorum occurrentium. Et vtræque dantur iuxta dicta Dei: tum quia dantur iuxta promissa diuina: tum quia dantur prout sermo diuinorum dictorum requirit.

Vers. 2. Et respondebo. Refert se prædicator ad officium loquendi per viam responsionis. *Et respondebo*, non omnibus, sed *exprobranti mihi*, non quæcumque, sed *verbum* diuinum: hoc est, vituperanti diuinum verbum in ore meo. *Quia confisus sum:* hoc respondebo quòd confisus sum non in sermone meo, non in inuentione aut eloquentia humana, sed in sermone tuo: hoc est enim quod respondebant Apostoli ac Martyres.

Vers. 3. Et ne separa de ore meo. Non solùm per viam responsionis sed absolutè officium suum loquendi Prædicator explicat, deprecando: *Et ne separa de ore meo verbum veritatis vsque valde.* Veritas circa valde, est veritas citra plenam sufficientiam: veritas autem vsque valde, est veritas vsque ad plenam sufficientiam: qualem se prædicasse Paulus describit Act. 20. dicens ad Ephesios: *Mundus sum à sanguine omnium: non enim subterfugi quò minus annunciarem omne consilium Dei vobis.* Vnde non tolli ab ore suo verbum veritatis vsque ad plenam sufficientiam, est concedi sibi vt prædicet omne consilium Dei: hoc est enim verbum veritatis vsque valde. (Act. 20.)

Quoniam iudicium tuum expectaui. Ratio integræ veritatis tangitur. In plena siquidem annuntiatione veritatis comprehenduntur multa futura, spectantia scilicet ad retributionem iustorum & peccatorum: quæ diuinorum iudiciorum opera sunt. Ac si apertè diceret: quia certâ expectatione annuncio futura iudicia tua, proponens meipsum expectantem illa.

Vers. 4. Et cvstodiam. Tertio loco refert seipsam personam ad opus: oportet enim prædicatorem non solum docere sed facere. *Et custodiam*, seruabo opere, *doctrinam tuam iugiter*, continuè, non interpolatis temporibus: *seculo & semper:* non durabit continuitas per vnum mensem aut annum, sed semper durante seculo vitæ meæ. Et

Et ambulabo in latitudine. Conuerſabor operando bona, *in latitudine*, in publico, non in latebris: *Quia præcepta tua quæſiui: Omnis qui malè agit odit lucem*: ego quia præcepta tua irreprehenſibilia plena rectitudinis quæſiui ſeruare, ambulabo in publico.

Verſ. 6. Et loqvar. Redit ad perficiendum officium loquendi: adiungens conſtantem & inuictum ſermonem coram regibus. Sicut Ioann. Baptiſta dicebat Herodi: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Habet enim actus ille ſpecialem difficultatem.

Verſ. 7. Et delectabor. Quartò declarat ſuas animi paſſiones, in præcipuâ paſſione quæ eſt delectatio. *Et delectabor*, non in gloria mundi, non in conuentibus hominum, ſed *in mandatis tuis*. Et propria delectationis cauſa ſubiungitur: *quæ dilexi*, delectamur enim in iis quæ diligimus.

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
49 Zain. *MEMOR eſto verbi tui ſeruo tuo: in quo mihi ſpem dediſti.*	1 *Zain.* MEMENTO verbi ſeruo tuo: ſuper quod me ſperare feciſti.
50 *Hæc me conſolata eſt in humilitate mea: quia eloquium tuum viuificauit me.*	2 *Zain.* Hæc (ſpes) conſolatio mea in afflictione mea: quia dictum tuum viuificauit me.
51 *Superbi iniquè agebant vſquequaque: à lege autem tua non declinaui.*	3 *Zain.* Superbi irriſerunt me vſque valde: à doctrina tua non declinaui.
52 *Memor fui iudiciorum tuorum à ſeculo Domine: & conſolatus ſum.*	4 *Zain.* Recordatus ſum iudiciorum tuorum à ſeculo Domine[4]: & conſolatus ſum.
53 *Defectio tenuit me: pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam.*	5 *Zain.* Tremor apprehendit me: ab impiis derelinquentibus doctrinam tuam.
54 *Cantabiles mihi erant iuſtificationes tuæ: in loco peregrinationis meæ.*	6 *Zain.* Cantus fuerunt mihi ſtatuta tua: in domo peregrinationum mearum.
55 *Memor fui nocte nominis tui Domine: & cuſtodiui legem tuam.*	7 *Zain.* Recordatus ſum in nocte nominis tui Domine[4]: & cuſtodiui doctrinam tuam.
56 *Hæc facta eſt mihi: quia iuſtificationes tuas exquiſiui.*	8 *Zain.* Hæc (ſpes) fuit mihi: quia præcepta tua cuſtodiui.

COMMENTARIVS.

Vers. 1. *Perſona ſperantis in Deo.*

MEMENTO. In hoc ſeptimo Octonario induit Propheta perſonam ſperantis in Deo. Quam explicat in vltimo verſiculo: *Hæc fuit mihi, quia præcepta tua cuſtodiui.* Spes non fundata ſuper meritum, temeritas aut præſumptio eſt, non ſpes. Et propterea naturam ſpei deſcribit ex obſeruatione præceptorum Dei. Per quod etiam declarat quòd non quamcunque ſpem demonſtrat per pronomen *hæc*, ſed ſpem ſimpliciter & abſolutè. Quam Apoſtolus 1. ad Corinth. 13. connumerat fidei & charitati: quæ ſcilicet eſt certa ex meritis expectatio futuræ beatitudinis.

Deſcribitur quadrupliciter.

Tractatur autem perſona ſperans quadrupliciter. Primò in ordine ad cauſas ſpei. Secundò in ordine ad mala. Tertiò in ordine ad iudicia diuina: & quartò in ordine ad legem Dei.

Referendo itaque ſe ad cauſas extrinſecas ſpei, tangit tres cauſas, ſcilicet Deum principalem cauſam (recurrendo ad Deum, *memento*) verbum diuinæ promiſſionis vt cauſam inſtrumentalem, *verbi ſuper quod me ſperare feciſti*: & in his implicitè futuram beatitudinem tanquam rem ſperatam: ad hoc enim petit vt Deus recordetur, vt rem dictam ac ſperatam donet.

Verſ. 2. Hæc consolatio mea. Secundò refert ſpem ſuam ad mala: deſcribendo efficaciam ſpei in ipſa perſona ſperante, tum tempore afflictionis; quia *hæc*, ſpes, *fuit conſolatio mea in afflictione mea*: propterea quia *dictum tuum*, in quo me ſperare feciſti, *viuificauit me.*

Nota ordinem effectuum: Spes mediante dicto Dei viuificat, & mediante viuificatione conſolatur afflictum. Tum tempore irriſionis: *Superbi deriſerunt me vſque valde*, vſque ad plenam deriſionem: & ego ſperans non declinaui à doctrina tua, ſed perſeueraui in illa.

Verſ. 4. Recordatvs svm. Tertiò ſperans perſona declarat ſe relatam ad iudicia Dei. *Recordatus ſum iudiciorum tuorum*, erga iniquos & iuſtos, quæ in diuerſis ſcripturæ locis ſunt ſcripta: & *conſolatus ſum*, ſpe quam mihi dediſti. Vnde dicebat Paulus ad Rom. 15. *Vt per conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.*

Verſ. 5. Tremor apprehendit. Moderamen conſolationis ex recordatione diuinorum

iudiciorum

iudiciorum adiungit. Pro quo aduerte quòd recordatio diuinorum iudiciorum, punientium iniquos & subleuantium iustos, parit consolationem in persona sperante præmium æternæ beatitudinis: quia delectabilis est ei executio diuinorum iudiciorum: tum in punitione iniquorum; vtpote contrariorum speranti: tum in subleuatione iustorum, vtpote similium speranti. Veruntamen punitio apostatantium à diuina lege sic est consolatoria quòd tamen ingerit tremorem speranti: ne fortè & ipse desertus à diuina gratia derelinquat legem Dei, sicut illi dereliquerunt.

Recordatio diuinorum præceptorum consolatur sperantes beatitudinem.

Hoc ergo timoris moderamen ex considerata propria fragilitate exemplo aliorum, adiungit dicendo: *Tremor apprehendit me*, consolatum ex memoria iudiciorum tuorum: *ab impiis*, non quibuscunque, sed *derelinquentibus*, in qua prius fuerant, *doctrinam tuam*, legem tuam.

Vers. 6. Cantus fuerunt. Quartò refert se persona sperans ad diuinam legem: tum quòd spes reddidit ei delectabilia diuina præcepta. Delectationem enim ab actu cantandi explicat. *Cantus fuerunt mihi statuta tua*, etiam minima legis præcepta: *In domo peregrinationum mearum.* Nullam habet sperans ciuitatem: & propterea totam terram domum peregrinationum suarum appellat. Ad futura siquidem tendens, omnes vias suas peregrinationes congruè vocat: & vbique diuina præcepta tam delectabilia ei effecit spes, vt ad similitudinem cantuum delectetur in illis.

Recordatus sum. Tum quòd spes facit ipsum custodire legem Dei: & hoc specialiter facit mediante vigilantiâ nocturnâ. Sperans enim *recordatus sum nocte nominis tui*: & mediante nocturna meditatione nominis tui *custodiui doctrinam tuam*, exequendo.

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
57 Heth. PORTIO mea Domine: *dixi custodire legem tuam.*	1 *Cheth.* PArs mea [tu] Domine [*] dixi: ad custodiendum verbum tuum.
58 *Deprecatus sum faciem tuam in toto corde meo: miserere mei secundum eloquium tuum.*	2 *Cheth.* Oraui facies tuas in toto corde: miserere mei secundùm dictum tuum.
59 *Cogitaui vias meas: & conuerti pedes meos in testimonia tua.*	3 *Cheth.* Computaui vias meas: & redire feci pedes meos ad testimonia tua.
60 *Paratus sum & non sum turbatus: vt custodiam mandata tua.*	4 *Cheth.* Festinaui & non tardaui: ad custodiendum mandata tua.
61 *Funes peccatorum circumplexi sunt me: & legem tuam non sum oblitus.*	5 *Cheth.* Funes impiorum ligauerunt me: doctrinam tuam non sum oblitus.
62 *Media nocte surgebam ad confitendum tibi: super iudicia iustificationis tuæ.*	6 *Cheth* Media nocte surgam ad confitendum tibi: super iudicia iustitiæ tuæ.
63 *Particeps ego sum omnium timentium te: & custodientium mandata tua.*	7 *Cheth.* Socius [sum] ego omnibus qui timuerunt te: & custodientibus præcepta tua.
64 *Misericordia tua Domine plena est terra: iustificationes tuas doce me.*	8 *Cheth.* Gratia tua Domine [*] plena [est] terra: statuta tua doce me.

COMMENTARIVS.

Vers. 1. Persona habentis Deum vt partem suam.

PArs mea. In hoc octauo Octonario Propheta induit personam habentis Deum vt partem suam. Quam explicat in primo versiculo: *pars mea Domine.* Diuisis rebus omnibus, ita quòd hinc Deus, inde omnia delectabilia, vtilia, honorabiliaque proponantur & detur optio, persona hæc eligit Deum vt partem suam posthabitis omnibus vtilibus, delectabilibus & honorabilibus. Et ideò introducitur sic: *Dixi*, deliberatâ ratione optaui hoc, *pars mea Domine: ad custodiendum verbum tuum.* Tribus Leuitica dicebat: *pars mea Domine ad possidendum & vtendum bonis tuis*: quoniam ad hoc erat Deus pars tribus Leuiticæ, vt decimæ & oblationes Deo exhibitæ, cederent in vsum Leuiticæ tribus. Et ideo ad differentiam Leuiticæ tribus subdit: *ad custodiendum verbum tuum.* Ac si apertè diceret. Dixi pars mea tu Domine, non ad vtendum temporalibus bonis tuis, sed ad curam habendum verborum tuorum, ad exequendum non solum præcepta tua sed etiam verba tua: puta consilia. Describitur enim per hæc, persona sic affecta Deo, vt Deus pars eius, sit ei ratio exequendi verba Dei.

Describitur autem persona hæc quadrupliciter. Primò relata ad peccata. Secundò relata ad obseruâ

Describitur quadrupliciter.

obseruationem legis diuinæ. Tertiò relata ad vniuersam Ecclesiam. Quartò relata ad seipsam. Describit itaque seipsam relatam ad peccata. Tum commissa: *Oraui faciem tuam*, non tepidè aut semicorde, sed in toto corde: hoc scilicet, *miserere mei*, (misericordia miseris est necessaria) in hoc enim peccatorem se recognoscit, *secundum dictum tuum*, non secundùm meritum meum, sed secundùm quòd promisisti veniam petentibus illam. Tum vitanda: *Computaui vias meas*, actiones, motus, locutiones: *& redire feci pedes meos*, affectus meos, *ad testimonia tua*, ad opera testificantia in nobis quòd filij Dei sumus.

Vers. 4. FESTINAVI. Secundò describit se relatam ad obseruationem diuinæ legis. Tum absolutè: *Festinaui* (nescit enim tarda molimina Spiritus sancti gratia) inchoare, *& non tardaui*, exequi: *ad custodiendum mandata tua*. Tum adinuenientibus impedimentis: *Funes impiorum* ligauerunt me. Intellige per funes impiorum omnia extrinseca impedimenta viæ Dei. *Et ego doctrinam tuam non sum oblitus*.

Funes impiorum quinam

Parum est non obliuisci: & ideo addit: *Media nocte*, tempore naturalis quietis somni, quamuis ligatus funibus impiorum *surgam*, à somno: *ad confitendum tibi*, ad laudandum te, *super iudicia iustitiæ tuæ*, infra quorum numerum est iudicium vinculorum meorum. Intendit enim quòd ligatus non solum non obliuisceretur legem Dei, sed gratias ageret laudando secreta iudicia iustitiæ Dei: & hoc mediâ nocte, hoc est omni tempore descripto à tempore maximè necessario quieti naturali: qui enim illo tempore surgit ad laudandum Deum, à fortiori alio tempore vacat diuinis laudibus.

Vers. 7. SOCIVS EGO. Tertiò describit se relatam ad vniuersam Ecclesiam. Tum præteriti temporis. *Socius ego*, non solus sum ego qui dixi *Pars mea Deus*, nec sum prælatus sed sociali amicitiâ iunctus, non alicui sed *omnibus qui timuerunt te*, in toto præterito tempore: *& custodientibus*, in præsenti tempore, *præcepta tua*.

Vers. 8. GRATIA TVA. Quartò describit se relatam ad seipsam. Tum recognoscendo quod est ex Dei gratia. *Gratia tua Domine plena terra*, in me & in sociis. Tum recognoscendo quo indiget. *Statuta tua doce me*, totam tuam legem vsque ad minima præcepta doce me intus. In hoc enim profitetur continuo indigere doctore interno ad obseruationem legis.

VVLGATA EDITIO.

65 Teth. *BONITATEM fecisti cum seruo tuo Domine: secundum verbum tuum.*

66 *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me: quia mandatis tuis credidi.*

67 *Priusquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum custodiui.*

68 *Bonus es tu: & in bonitate tua doce me iustificationes tuas.*

69 *Multiplicata est super me iniquitas superborum: ego autem in toto corde scrutabor mandata tua.*

70 *Coagulatum est sicut lac cor eorum: ego vero legem tuam meditatus sum.*

71 *Bonum mihi quia humiliasti me: vt discam iustificationes tuas.*

72 *Bonum mihi lex oris tui: super millia auri & argenti.*

IVXTA HEBRÆVM.

1 *Teth.* BONVM fecisti cum seruo tuo Domine*: secundum verbum tuum.

2 *Teth.* Bonitatem, intentionem & scientiam doce me: quia in mandatis tuis credidi.

3 *Teth.* Priusquam humiliabor, ego errans [sum]: & nunc dictum tuum custodiui.

4 *Teth.* Bonus tu & beneficus: doce me statuta tua.

5 *Teth.* Applicauerunt super me falsitatem superbi: ego in toto corde seruabo præcepta tua.

6 *Teth.* Impinguatum est velut adeps cor eorum: ego doctrina tua delectatus sum.

7 *Teth.* Bonum mihi quia afflictus sum: propterea discam statuta tua.

8 *Teth.* Melior mihi doctrina oris tui: quàm millia auri & argenti.

COMMENTARIVS.

VERS. 1. *Persona viri iusti iniustè vexati.*

BONVM FECISTI. In hoc nono Octonario Propheta induit personam viri iusti iniustè vexati. Et explicat eam in quinto versiculo: *Applicauerunt super me falsitatem superbi, ego in toto corde seruabo præcepta tua.* Vbi clarè apparet persona iusta (vtpote in toto corde perseuerans seruando præcepta Dei) & iniustè vexata, impositione falsorum: & hoc à superbis. Meminit enim superborum, quia hinc consurgit (vt patebit) solutio quæstionis.

Describitur autem persona hæc vt inquirens doceri à Deo quare iustus patitur, & in calce ponens solutionem quæstionis. Inquirendo autem, primò fatetur Deum, bonum tecum fecisse. Ac si apertè dicat: non inquiro dubitando an bonum aut malum feceris faciendo me vexari iniustè: fateor enim quòd bonum opus fecisti, non solum absolutè, sed *cum seruo tuo*, mecum. Bonum autem dico secundùm verbum tuum: hoc est, secundùm rationem apud te: quasi dicat: non

non dubito quando feceris bonum secundùm rationem agendi apud te mihi ignotam. Secundò explicat quid quærit scire. *Bonitatem*, scio quòd est bonum quod tu fecisti sed doce me istam bonitatem, *intentionem*, doce me qua intentione vexasti me iustū: *& scientiam*, legis tuæ de vexatione iusti, *doce me*. Hæc sunt tria quæ petis doceri.

Tria petit doceri.

Et rationem docilitatis suæ subiungit: *quia in mandatis tuis credidi*: credere enim diuinis, efficit hominem docilem Deo.

Tertiò reddit rationem suæ quæstionis: assignans rationem dubitandi ex diuina lege. *Priusquam humiliabor, ego errans.* Lex tua, Deuteronomium tuum dicit quòd priusquam humiliabor ego errans: hoc est quòd error peccati præcedit humiliationem, depressionem, vexationem, afflictionem. *Et nunc dictum tuum custodiui*: hoc est, & tamen in præsenti vexatione mea ego non erraui: vtpote qui dictum tuum custodiui. Vbi clarè patet quòd ratio dubitandi est: quia lex dicit, vexatio sequitur peccatum, & in præsenti causa est vexatio sine peccato.

Vers. 4. BONVS TV. Quartò affert rationem ex parte Dei quá dignetur docere & instruere in hac quæstione. *Bonus tu*, natura in teipso, *& beneficus*, non mihi aut illi sed simpliciter & absolutè: Deus enim nō nisi beneficus est: quia ab ipso nō nisi bonum procedit: & quicquid boni est, ab ipso est: & ideo *doce me statuta tua*, legē tuā vsq; ad minima.

Vers. 6. IMPINGVATVM EST. Propositá quæstione subditur quæstionis solutio: quamuis non sub forma responsionis. Et inchoat solutionem ab euidentia facti, scilicet ab euidenti differentia facti inter se & vexatores suos: penès hoc quòd illi sunt impinguati (non secundùm corpus sed secundùm animum) ex abundantia temporalium ad similitudinem adipis: iuxta illud Deuter. 32. *incrassatus est dilectus & recalcitrauit, incrassatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum.* Ego verò iniustè afflictus patienter sustinendo, *delectatus sum*, non temporalibus deliciis, sed *doctrina tua*: hoc est, in obseruatione legis tuæ instruentis me. Hæc est differentia in facti euidentia consistens. Quam sæpe videmus: intuendo iustos proficere in afflictionibus & superbos tumescere in prosperitatibus. Ex qua differentia insinuatur quòd ad vitandum superbiam (quæ per pinguedinem cordis significatur) ordinatur à Deo afflictio iustorum. Et consonat Apostolo dicenti: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ qui me colaphizet.* Et subdit: *nam virtus in infirmitate perficitur.*

Deuter. 32.
Cur iustos vexari patitur Deus.

Ex hac itaque euidenti differentia subiungitur solutio quæstionis dicendo: *Bonum mihi quia afflictus sum, propterea discam statuta tua*: vtile est mihi iusto affligi iniustè, propter hoc vt discam legem tuam vsque ad minima. Quod est dicere bonam esse afflictionem temporalem quantumcunque iniustam, propter bonum animæ: quale est discere obseruare integram legem Dei. Et intendit per hoc ad literam, multos esse quibus expedit temporaliter vexari ad hoc vt seruient legem Dei: quia vexatio conseruatiua est animi in mandatis Dei. Quod verificatur in illis qui caderent in peccata si non vexarentur.

Vexatio conseruat animū in mandatis Dei.

Vbi attende prudens lector: quòd iam persona hæc edoctam se monstrat circa duo quæsita, scilicet bonitatem & intentionem. Bonitatem quidem dicendo: *Bonum mihi quia afflictus sum.* Intentionem verò dicendo: *Propterea discam statuta tua.* Ad hoc enim Deus vexat quandoque iustos, vt plenè discant patiendo seruare legem.

Vers. 8. MELIOR MIHI DOCTRINA ORIS TVI. Tertium quæsitum fuit: *& scientia doce me.* Huic quæsito modo satisfit apertiendo quòd melior est mihi doctrina Dei, *quàm millia auri & argenti*, quàm vniuersa bona temporalia: per hoc enim soluitur nodus obiectus, *priusquam humiliabor ego errans.* Et consistit solutio in hoc quòd dans rem meliorem promissa te, non fallit, non deficit à sua promissione: ac per hoc Deus qui promisit non erranti non depressionem (hoc est bona temporalia) optimè seruat promissum dando obseruationem legis Dei meliorem omnibus bonis temporalibus. Et sic persona hæc consecutam se monstrat scientiam legis ad soluendum nodum quæstionis, explicando comparatiuam: *melior mihi doctrina oris tui*, ad quam venio per vexationem, quàm millia auri & argenti, quæ haberem non vexatus, non humiliatus.

VVLGATA EDITIO.

73 Iod. M*Anus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me: da mihi intellectum vt discam mandata tua.*
74 *Qui timent te videbunt me & lætabuntur: quia in verba tua supersperaui.*
75 *Cognoui Domine quia æquitas iudicia tua: & in veritate tua humiliasti me.*
76 *Fiat misericordia tua vt consoletur me: secundùm eloquium tuum seruo tuo.*
77 *Veniant mihi miserationes tuæ & viuam: quia lex tua meditatio mea est.*
78 *Confundantur superbi quia iniustè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis.*
79 *Conuertantur mihi timentes te: & qui nouerunt testimonia tua.*
80 *Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis: vt non confundar.*

IVXTA HEBRÆVM.

1 *Iod.* MAnus tuæ fecerunt me & firmauerunt me: fac me intelligere, & discam mandata tua.
2 *Iod* Videntes te videbunt me & lætabuntur: quia verbū tuū † expectaui. † verba tua.
3 *Iod.* Sciui Domine + quia iustitia iudicia tua: & veritate afflixisti me.
4 *Iod.* Erit nūc gratia tua ad consolandū me: secundū dictum tuū seruo tuo.
5 *Iod.* Venient mihi misericordiç tuæ & viuā: quia doctrina tua (sunt) solatia mea.
6 *Iod.* Confundentur superbi, quoniam falsitate torserunt me: ego loquar in præceptis tuis.
7 *Iod.* Reuertentur ad me † timentes te: & scientes testimonia tua. † mihi.
8 *Iod.* Erit cor meum perfectum in statutis eius: propterea nō confundar.

COMMENTARIVS.

Vers. 1. Persona viri iusti iniustè vexati, ad euadendum vexationem.

MANVS TVÆ. In hoc decimo Octonario induit Propheta iterum personam viri iusti iniustè vexati: aliâ tamen ratione à præcedenti Octonario. Nam in præcedenti Octonario induit personam iusti iniustè vexati ad sciendum quare bonitas diuina se vexaret: in hoc autem Octonario induit eandem personam ad euadendum vexationem. Et hanc personam explicat in vltimo versiculo: *Erit cor meum perfectum in statutis tuis, propterea non confundar.* Didicerat ex præcedenti Octonario se vexari ne superbiret: & propterea nunc appetens præualere, describit se perfecti cordis (futuri tamen) in tota lege. Ac si apertè diceret: Quamuis adhuc non sim, ero tamen perfecti cordis in statutis tuis, hoc est, in tota tua lege vsque ad minima: & propterea, propter talem perfectionem cordis, non confundar, iniustâ afflictione: quod est euadere illam.

Primò petit perfectionem cordis, deinde vt euadat.

Tractatur autem hæc persona dupliciter. Primò petens huiusmodi perfectionem cordis: secundò petens euadere. Recole in hac prima petitione conclusum esse in præcedenti Octonario ideo hanc personam iustam vexari vt discat seruare integram legem Dei: finem enim propter quem vexatus est petit nunc assequi, duplici vtens loco. Primò ex parte creationis. *Manus tuæ fecerunt me*, tum creando, tum etiam mediante naturâ generando, *& firmauerunt me*, anima immortali: *fac me intelligere.* Ac si apertè diceret ex quo tu me fecisti, tuum est efficere quoque vt intelligam. *Et discam mandata tua*, plenè seruare: quod est finis propter quem sum vexatus.

Secundò ex parte Angelorum seu hominum perfectorum. *Videntes te videbunt me & lætabuntur, quia verbo tuo expectaui*: hoc est, qui soli verbo tuo credens sustinui vexationem. Rectius videntes Deum intelliguntur Angeli, quos non est dubium videre Deum, & lætari de magnanima patientia iustorum: qui iuxta Euangelicam doctrinam lætantur de vno peccatore pœnitentiam agente.

Vers. 3. SCIVI DOMINE. Petitâ perfectione cordis propter quam habendam vexatur, petit consequenter præualere, quatuor vtens locis. Primò à connexione virtutum Dei, scilicet iustitiæ & gratiæ. *Sciui Domine quia iustitia sunt iudicia tua*, omnia: *& veritate*, vera iustitia, *afflixisti me.* Iusti enim quamuis iniustè affligantur ab hominibus, iustè tamen eadem afflictio est à Deo: quia *non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam quæ reuelabitur in nobis*: & similiter ad bona spiritualia. *Erit nunc gratia tua ad consolandum me, secundùm dictum tuum seruo tuo.* Ac si apertè diceret Ex quo iustitia tua habet locum suum in me, superest vt gratia tua modò habeat locum suum in me prout tu dixisti: quia *vniuersæ viæ tuæ gratia & veritas.*

Vers. 5. VENIENT MIHI. Secundus locus est à fructu vitæ in ipsa persona petente: *Veniant mihi misericordiæ tuæ*, subleuantes à vexationibus, *& viuam*, non succumbam: *quia doctrina tua solatia mea*, supple sunt, quia iam ad tantam perfectionē deductus sum quòd solatia mea sunt in lege tua.

Vers. 6. CONFVNDENTVR. Tertius locus est à fructu confusionis superborum. *Confundentur superbi, quoniam falsitate torserunt me: ego verò loquar in præceptis tuis.*

Quartus locus est à reditu iustorum. *Reuertentur ad me, tum timentes te, tum scientes testimonia tua.* Dicendo *reuertentur*, intimat se in vexatione derelictum etiam à timentibus Deum. Et propterea inter fructus subleuationis suæ affert recuperationem societatis timentium Deum & scientium testimonia Dei. Vtrique enim me præualente redibunt ad me: vt manifestè patuit in Susanna: quæ falsò accusata, derelicta est etiam à iustis: & præualens recuperauit societatem iustorum, & fauorem scientium legem.

VVLGATA EDITIO.

81 Caph *DEfecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum supersperaui.*
82 *Defecerunt oculi mei in eloquium tuum: dicentes quando consolaberis me?*
83 *Quia factus sum sicut vter in pruina: iustificationes tuas non sum oblitus.*
84 *Quot sunt dies serui tui? quando facies de persequentibus me iudicium?*
85 *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes: sed non vt lex tua.*
86 *Omnia mandata tua veritas: iniqui persecuti sunt me, adiuua me.*
87 *Paulominus consummauerunt me in terra: ego autem non dereliqui mandata tua.*
88 *Secundùm misericordiam tuam viuifica me: & custodiam testimonia oris tui.*

IVXTA HEBRÆVM.

1 *Caph.* COnsumpta est saluti tuæ anima mea: verbum tuum † expectaui. *† verbo tuo*
2 *Caph.* Consumpti sunt oculi mei dicto tuo: dicēdo quādo cōsolaberis me?
3 *Caph.* Quoniā fui quasi vter in fumo: statuta tua non sum oblitus.
4 *Caph.* Quot dies serui tui? quando facies in persequentibus me iudiciū?
5 *Caph.* Foderunt mihi superbi foueas: quæ non iuxta doctrinam tuam.
6 *Caph.* Omnia mandata tua veritas: falsitate persecuti sūt me, adiuua me.
7 *Caph* Velut modicum consumpserunt me in terra: & ego non dereliqui præcepta tua.
8 *Caph.* Secundum gratiam tuam viuifica me: & custodiam testimonium oris tui.

COM

COMMENTARIVS.

Vers. 1. Persona iusti iniustè vexari, suspirantis ad dilatam liberationem.

CONSVMPTA EST. In hoc vndecimo Octonario induit Propheta iterum personam iusti iniustè vexati relatam ad dilatam liberationem. Ita quòd in nono Octonario persona hæc in ordine ad sciendum, in decimo verò in ordine ad euadendum, in hoc autem vndecimo in ordine ad dilatam euasionem agitur. Habet enim specialem affligendi rationem ipsa dilatio: iuxta illud Prouerb. 13. *Spes quæ differtur affligit animam.* Explicatur autem hæc persona in quarto versiculo: *quando facies in persequentibus me iudicium?* Hic enim exprimitur dilatio & vexatio iniusta: dum expectatur diuina vindicta in persecutores.

Describitur autem persona hæc vexata suspitans ad dilatam liberationem. Primò ex parte diuturni affectus. *Consumpta est anima mea salutari tuæ:* hoc est, concupiscendo salutem tuam mihi, id est, saluari à te. More humano loquitur: quo diuturno affectu consumi dicimur, dum tandiu sperantibus differtur quod cupimus. *Verbum tuum expectaui.* Ratio explicatur consumptionis: quia verbo tuo credens expectaui.

Vers. 2. CONSVMPTI SVNT. Non solùm pars affectiua sed pars intellectiua consumpta describitur. *Consumpti sunt oculi mei,* interni, *dicto tuo,* credentes: *dicendo, quando consolaberis me?* Tota ratio consumptionis est dilatio consolationis.

Vers. 3. QVONIAM FVI. Secundò ex parte continui progressus in deterius. *Quoniam fui quasi vter in fumo:* hoc est, ex vexationibus persecutorum continuè magis ac magis in deterius malum meum progreditur, ad similitudinem vtris in fumo qui continuè arescit ex fumo & deteritur: & tamen *statuta tua non sum oblitus,* nihil legis tuæ sum oblitus.

Vers. 4. QVOT DIES. Tertiò ex parte breuitatis superstitis temporis. *Quot dies serui tui?* quasi dicat, pauci supersunt dies vitæ meæ: & propterea suspiro *quando facies in persequentibus me iudicium,* quando ius mihi dices contra persecutores meos? breuissimum enim superest tempus. Ac si apertè diceret: nunquid expectabis vt moriar?

Vers. 5. FODERVNT MIHI. Quartò ab offensa diuinæ legis. Iunxerat breuitati temporis superstitis locum à causa iudicij, dicendo *quando facies iudicium:* & propterea prosequendo causam iudicij, affert quòd offendunt diuinam legem: vt quasi ad causam diuinam agendam Deus accelerer. *Foderunt mihi superbi foueas, quæ non iuxta doctrinam tuam:* non solùm iniustâ causâ me vexant, sed etiam viis alienis à doctrina tua mihi periculosis (velut foueis ad casum factis) me persequuntur. Exemplum harum fouearum habes in vexatione Dauidis à Saule: quando vrgebant ipsum ad seruiendum diis alienis, ad exilium ex terra Domini: vt dicit ipse Dauid 1. Regum 26. *Maledicti sunt in conspectu Domini, qui eiecerunt me hodie, vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes: vade serui dijs alienis.* 1. Reg. 26.

Vers. 6. OMNIA MANDATA TVA VERITAS. Quintò à consonantia causæ eius ad legem Dei. Quia *omnia mandata Dei sunt veritas:* & illi *persequuntur me falsitate,* quæ contraria est veritati: & propterea *adiuua me,* non amplius differas.

Vers. 7. VELVT MODICVM CONSVMPSERVNT. Sextò à totali ferè ipsius consumptione. *Velut modicum,* absfuit, quando *consumpserunt me in terra:* & cum toto hoc ego non dereliqui præcepta tua.

Vers. 8. SECVNDVM GRATIAM TVAM. Septimò ab humili prece ad sanctum finem. *Secundum gratiam tuam.* Quamuis tot rationes attulerim vt non amplius differatur mea liberatio, non propterea petitio mea innititur iustitiæ sed gratiæ tuæ: vt gratuita beneficentia tua viuifices me, iam aridum sicut vtrem in fumo, & penè consumptum. *Et custodiam testimonium oris tui:* sic peto viuificari vt viuam & custodiam legem testificantem os tuum: hoc est, id quod tu velut ore proprio protulisti.

VVLGATA EDITIO.

89 Lamed. IN æternum Domine, verbum tuum permanet in cœlo.

90 *In generatione & generatione veritas tua: fundasti terram & permanet.*

91 *Ordinatione tua perseuerat dies: quoniam omnia seruiunt tibi.*

92 *Nisi quòd lex tua meditatio mea est: tunc fortè periissem in humilitate mea.*

93 *In æternum non obliuiscar iustificationes tuas: quia in ipsis viuificasti me.*

94 *Tuus sum ego, saluum me fac: quoniam iustificationes tuas exquisiui.*

IVXTA HEBRÆVM.

1 *Lamed.* ÆTerno Domine † verbum tuum stetit in cælis.

2 *Lamed.* Generationi & generationi veritas tua: firmasti terram, &
stetit
stetit.

omnes dies
3 *Lamed.* Iudiciis tuis steterunt hodie: quia omnia serui tui.

quia fuerunt
4 *Lamed.* Nisi doctrina tua delectationes meæ, tunc perij in humilitate mea.

5 *Lamed.* In æternum † non obliuiscar præceptorum tuorum: quia in eis viuificasti me. † *aeterno.*

sum
6 *Lamed.* Tibi ego, salua me: quoniam præcepta tua quæsiui.

95 *Me expectauerunt peccatores vt perderent me: testimonia tua intellexi.*

96 *Omnis consummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis.*

ל *Lamed.* Mihi congregati sunt impij ad perdendum me: testimonia tua intelligam.

8 *Lamed.* Omni consummationi vidi finem, latum mandatũ tuũ valde.

COMMENTARIVS.

Vers. 1. *Persona cognoscentis vitam suã consistere in obseruatione diuinæ legis.*

ÆTERNO DOMINE. In hoc duodecimo Octonario Propheta induit personam recognoscentis vitam suam consistere in obedientia diuinæ legis. Et explicat hanc personam in quarto versiculo: *Nisi doctrina tua delectationes meæ, tunc perij in humilitate mea.* Hic enim manifestè describit suum interitum si non delectatio in lege affuisset: quod est vitam eius consistere in obseruatione legis Dei.

Quatuor sensibiles creaturæ persistẽtes in obediẽtia Dei.

Tractatur autem persona hæc dupliciter. Primò ex consistentia aliorum in obedientia diuina: secundò ex efficacia diuini præcepti. Affert itaque quatuor sensibiles creaturas perpetuas, persistentes in obedientia Dei.

Primò cælos: *Verbum tuum Domine stetit in cælis æterno:* hoc est, imperium tuum perseuerauit in cælis ad æternam obedientiam.

Secundò in successiua generatione inferiorum: *Veritas tua (crescite & multiplicamini, &c.) generationi & generationi,* repete *stetit.*

Tertiò in stabilitate terræ: *Firmasti terram, & stetit.*

Quartò in indeficientia temporis ad executionem diuinorum iudiciorum: *Indicijs tuis steterunt hodie.* Totum tempus non est nisi hodie tantum quia non est nisi vnus dies repetitus: quia nihil vnquam habitum est, habetur aut habebitur nisi hodie. Semper enim quod habitum est de tempore, tunc fuit hodie: & similiter quod habebitur, tunc erit hodie: & quod nunc habetur est hodie. Appellatione itaque *hodie*, vniuersum tempus secundùm id quod habetur significatur: vnde pluraliter dicitur *steterunt hodie*, propter multiplicata *hodie*. Iudiciis autem diuinis adstare describuntur, quia exequendis diuinis iudiciis obsequuntur: quia ad hoc perseuerant tempora vt executioni mandentur diuina iudicia.

Vers. 4. NISI DOCTRINA TVA. Nota hîc quòd persona hæc ex vna parte duo simul attulit in his quatuor creaturis, scilicet earum perpetuitatem, & earum obedientiam perpetuam diuinis iudiciis, firmitati, veritati, ac verbo: ex altera verò parte affert quòd tunc in sua humilitate perijsset nisi affuisset delectatio diuinæ legis. Ac si apertè diceret quòd considerando omnes creaturas sensibiles perpetuas (cælum, terram, tempus & successum generationis) persistere in obedientia diuini imperij, tunc considerată quoque humilitate mea (hoc est, deiectione seu vilitate conditionis meæ: quòd scilicet natura mea sola inter capaces perpetuitatis deficit à perpetua persistentia in diuina obedientia) perijssem, non perdendo vitam corporis sed vitam animæ, nisi delectatio in lege tua vitam animæ meæ sustinuisset. Præsupponit enim persona hæc duas veritates. Alteram quòd habet animam immortalem, capacem æternæ beatitudinis: alteram quòd homo à principio donatus est immortalitate, sed non persistit in ea primus parens. Et his præsuppositis dicit: quòd conferendò abiectionem conditionis humanæ quam experimur, cum persistentia obedientiæ aliarum creaturarum sensibilium, perderet vitam animæ, desperaret de beatitudine, non haberet fidem eiusdem, nisi delectatio in lege diuina adesset: hoc est, nisi secundùm animam complaceret doctrina diuina de prouidentia Dei, de æterna beatitudine recuperanda &c. Ex quibus prudens lector habes quòd de vita animæ tractat persona hæc: non enim vita corporis sed animæ in delectatione legis diuinæ situatur, & quòd ideo has creaturas sensibiles perpetuas attulit, quia seipsam inter capaces perpetuitatis computat: & deiectionem naturæ suæ considerat in comparatione ad persistentes in perpetua obedientia.

Vers. 5. IN ÆTERNVM NON OBLIVISCAR. Postquam descripsit persona hæc vitam suam in diuinæ legis obedientia consistere ex relatione ad alias creaturas, modò idem describit ex efficacia huiusmodi obedientiæ in ipsa persona: tum absolutè, tum tuendo ab inimicis. Et efficacia quidem primò describitur in effectu vitæ. *Quia in eis viuificasti me*, ideo *in æternum non obliuiscar preceptorum tuorum.*

Secundò in effectu salutis. *Quoniam precepta tua quæsiui*, ideo *salua me.* Verum præponitur *Tibi ego. Dilectus meus mihi & ego illi*, scribitur Cantic. 2. Tibi ego addictus sum, sum quicquid sum: hoc enim efficit verus amor amicitiæ. Et sic quia tibi ego charitatis amicitiã, & quia præcepta tua quæsiui, salua me.

Vers. 7. MIHI CONGREGATI SVNT. (Ecce efficacia defensiua ab inimicis) *testimonia tua intelligam.* Siue congregatos intelligas impios ad perdendum vitam animæ falsis doctrinis aut suasionibus aut minis, siue ad perdendum vitam corporis (quod minus quadrat contextui: nisi comminatio mortis esset propter fidem aut veritatem aut bonos mores) optima tutela est animæ. *testimonia tua intelligam:* penetrare, scilicet diuina testimonia.

Quæ sint autem huiusmodi testimonia subiungit: *Omni consummationi vidi finem latum &c.* Mandatum diuinum, *diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. appellatur mandatum latum valde: quia amplissimum est: vtpote ratione Dei efficiens omnia amabilia, vtpote operiens etiam multitudinem peccatorum, vtpote in quo pendet vniuersa lex & Prophetæ. Hoc inquam mandatum tam amplum finis est omnis consummationis, omnis perfectionis, omnis complementi: quoniam omnis perfectio ordinatur ad dilectionem Dei vt ad finem. Hoc se vidisse intelligendo testimonia Dei, asserit persona hæc. Et intellige quòd non otiosè vidit, sed vidit ad faciendum & exequendum quod videt.

Omnis perfectio ordinatur ad dilectionem Dei.

Potest & aliter exponi latum mandatum: vt scilicet vniuersitas mandatorum diuinorum significetur

gnificetur finis omnis consummationis, non solùm moralis, sed artificialis & naturalis. Ac si apertè diceret, intelligam testimonia diuina videndo mandata diuina esse finem omni consummationi : hoc est, esse propter quæ seu ad quæ ordinatur & est omnis perfectio. Iam enim in principio Octonarij inchoauerat hoc : dicendo quòd cælum, terram, tempus & generatio perstant in obedientia diuinorum mandatorum. Et consonat vt nunc omnis operis consummationem extendat ordinari ad obedientiam diuinorum mandatorum : & sic eadem redit tutela inhæsionis ad diuina mandata : quia vidit illa esse finem omnis perfectionis.

VVLGATA EDITIO.

97 Mem. *QVomodo dilexi legem tuam Domine : tota die meditatio mea est.*

98 *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo : quia in æternum mihi est.*

99 *Super omnes docentes me intellexi : quia testimonia tua meditatio mea est.*

100 *Super senes intellexi : quia mandata tua quæsiui.*

101 *Ab omni via mala prohibui pedes meos : vt custodiam verba tua.*

102 *A iudicijs tuis non declinaui : quia tu legem posuisti mihi.*

103 *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua : super mel ori meo.*

104 *A mandatis tuis intellexi : propterea odiui omnem viam iniquitatis:*

IVXTA HEBRÆVM.

1 *Mem.* QVantum dilexi doctrinam tuam : tota die ipsa est locutio mea.

2 *Mem.* Plus inimicis meis sapere me facies mandata tua : quia vsui sempiterno ipsa doctrina mihi.

3 *Mem.* Plus omnibus instruentibus me intellexi : quia testimonia sunt tua locutio mihi.

4 *Mem.* Plus senibus intelligam : quia præcepta tua seruaui.

5 *Mem* Ab omni semita mala prohibui pedes meos : propterea custodiam verbum tuum.

6 *Mem.* A iudiciis tuis non recessi : quia tu docuisti me.

7 *Mem.* Quàm dulcificata sunt palato singula dicta meo dictum tuum : super mel ori meo.

8 *Mem.* A præceptis tuis intelligam : propterea odiui omnem semitam falsitatis.

COMMENTARIVS.

Vers. 1. Persona inhærentis legi Dei tanto affectu, vt in ea continuò occupetur.

QVANTVM DILEXI. In hoc tertiodecimo Octonario Propheta induit personam tanto affectu inhærentis legi Dei vt in ea continuè occupetur. Et hanc explicat in primo versiculo. *Quantum dilexi* (ecce magnitudo affectus) *doctrinam tuam*, legem tuam, testimonium perhibet effectus : scilicet quòd *tota die*, continuè, *locutio mea* est : *ex abundantia cordis os loquitur.*

Tractatur autem hæc persona tripliciter. Primò relata ad fructum in intellectu. Secundò ad fructum in opere. Tertiò ad fructum in affectu. *Plus inimicis meis.* Describit ex hac magnitudine affectus ad legem Dei, consecutam se fuisse plus sapientiæ & intelligentiæ quàm inimici impugnatores mandatorum Dei, quàm doctores qui ex acquisita scientia officium docendi habent, & quàm senes qui ex longa experientia prudentiores debent esse aliis. Et intendit per hoc quòd plus intelligit & sapit vetula multum diligens legem Dei quàm doctores Theologiæ, quàm seniores, & quàm omnes impij seu hæretici impugnantes mandata Dei. Et verissimum est de sapientia & intellectu quæ sunt dona Spiritus sancti : hoc est, de intelligere & sapere ad salutem propriæ animæ, qui est finis diuinæ doctrinæ.

Quia sempiterno ipsa mihi. Ipsa singularis est numeri : & demonstrat doctrinam seu legem Dei quam dilexit, esse sibi præfixam in animo ad sempiternam obseruationem.

Vers. 5. AB OMNI SEMITA TVA. Fructum operis describit in communibus operibus, declinando à malo. *Propterea custodiam verbum tuum.* Duo significat per hoc. Alterum quòd non sufficit ad custodiendum verbum Dei declinare ab aliquibus peccatis, sed oportet vitare omnia : qui enim in vno offendit, reus omnium factus est. Alterum est quòd ad hoc vitanda est omnis via mala vt seruetur lex Dei (ad hoc enim impellit amor legis diuinæ) & non propter timorem aut aliquid huiusmodi.

Ad custodiendum verbum nō aliqua sed omnia vitāda sunt peccata.

A iudicijs tuis. Non sufficit amanti prohibere affectus suos ab omni via mala sibi ad quam passiones eius inclinarent, sed oportet etiam ad bonum aliorum reddendo vnicuique ius suum intendere : quod spectat ad rectitudinem iustitiæ secundùm diuina iudicia. Et hoc significatur: *à iudicijs tuis non recessi*, in operibus meis ad alios: *quia tu docuisti me.* *Vers.*

Verſ.7. QVAM DVLCIFICATA. Deſcribit fructum tantæ dilectionis interni affectus quoad locutionem. *Quàm dulcificata ſunt palat meo dictum tuum :* conſtructio eſt de ſignificato : ſignificat enim multitudinem dictorum à Deo. Et per ſimilitudinem ad dulcedinem mellis in ore, deſcribit delectationem ſuam in ſermone dictorum à Deo: hoc eſt, reuelatorū in ſacra doctrina.

Verſ. 8. A PRÆCEPTIS TVIS INTELLIGAM. Poſt delectationem in dictis Dei, ſubiungit demum odium non vnius ſed omnis viæ falſitatis. Sub qua comprehenditur omnis via iniqua.

VVLGATA EDITIO.

105 Nun. *L Vcerna pedibus meis verbum tuum : & lumen ſemitis meis.*

106 *Iuraui & ſtatui : cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ.*

107 *Humiliatus ſum vſquequaque : Domine viuifica me ſecundùm verbum tuum.*

108 *Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine : & iudicia tua doce me.*

109 *Anima mea in manibus meis ſemper : & legem tuam non ſum oblitus.*

110 *Poſuerunt peccatores laqueum mihi : & à mandatis tuis non erraui.*

111 *Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum : quia exultatio cordis mei ſunt.*

112 *Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum : propter retributionem.*

IVXTA HEBRÆVM.

1 *Nun.* L Vcerna pedi meo [eſt] verbum tuum : & lux ſemitæ meæ.

2 *Nun.* Iuraui & firmaui: ad cuſtodiendum iudicia iuſtitiæ tuæ.

3 *Nun.* Humiliatus ſum vſque valde : Domine * viuifica me iuxta verbum tuum.

4 *Nun.* Voluntaria oris mei velis obſecro Domine * : & iudicia tua doce me.

5 *Nun.* Anima mea [eſt] in palma mea continuè : & doctrinæ tuæ non ſum oblitus.

6 *Nun.* Dederunt impij laqueum mihi: & à præceptis tuis non erraui.

7 *Nun.* Hæreditaui teſtimonia tua ſempiterno : quia gaudium cordis mei [ſunt] ipſa.

8 *Nun.* Inclinaui cor meum ad faciendum ſtatuta tua : [ſtudens] æterno fini.

COMMENTARIVS.

Vers. 1. Perſona gradiens in via perfectionis.

L VCERNA. In hoc decimoquarto Octonario Propheta induit perſonam gradientis in via perfectionis. Et explicat illam in primo verſiculo : *Lucerna pedi meo verbum tuum.* Deſcribit enim arctam viam appellatione ſemitæ : & ita arctam vt non ſimul duobus pedibus ſed altero poſt alterum pede ambulet, dicendo *pedi meo.* Tempus quoque tenebrarum inſinuat in nomine lucernæ : tanquam non in lumine Dei ſed in lumine lucernæ ambulationem ſuam peragat. Et explicat lucernæ officium agere verbum Dei, ſacram Scripturam. Ita quòd perſona hæc deſcribit ſe ambulare in via arctioris perfectionis, geſtando lucernam diuini verbi inter tenebras tam humani luminis quàm mundanarum affectionum quibus plenus eſt mundus.

Tractatur autem perſona hæc quadrupliciter. Primò ſecundùm firmitatem animi. Secundò ſecundum recognitionē diuinæ gratiæ. Tertiò ſecundùm conſtantiam in periculis : & quartò ſecundùm fomenta progrediendi.

Iuraui & firmaui. Manifeſta animi firmitas ſignificatur iuramento non præcipiti, ſed deliberato ac firmo animo ad cuſtodiendum iudicia : hoc eſt, ad ſeruandum quæcunque iudicauit debita ſeruari iuſtitia tua, regula etiam intimorum: non iuſtitia humana, quæ regulat ea quæ foris ſunt.

Verſ. 3. HVMILIATVS SVM. Secundò deſcribitur recognoſcens diuinam gratiam tam in non voluntariis quàm in voluntariis. *Humiliatus ſum vſque valde*, vſque multum depreſſus ſum in hac ſemita : iuxta illud Apoſtoli : *Supra modum grauati ſumus, ita vt tæderet nos viuere. Viuifica me* (ecce recognitio gratiæ in oppreſſionibus) *iuxta verbum tuum*, quod eſt vita animæ.

Verſ. 4. VOLVNTARIA ORIS MEI. Non ſolùm in oppreſſionibus quæ ſunt contra naturalem voluntatem, ſed etiam in ſpontaneis operibus complaceam tibi. Et appellat ſpontanea opera, *voluntaria oris* : quia non ſolùm ſunt voluntariè propoſita, ſed etiam ore ſpontaneo prolata.

Velis obſecro. Dictio Hebraica ſonat imperatiuum verbi *volo, vis*, quo lingua Latina caret, & propterea interpretes loco Imperatiui poſuerunt futurum Optatiui. *Obſecro* ſumitur prout eſt aduerbium obſecrantis.

Et iudicia tua doce me. Acceptando voluntaria opera, doce me pati iudicia tua, quæ incipiunt à domo Dei.

Verſ. 5. ANIMA MEA. Tertiò deſcribitur perſona hæc ambulans in periculis non declinans à via. Et deſcribitur periculum metaphorico ſermone. *Anima mea in palma mea cōtinuè.* Portans enim continuè vitam in manu ſua, dicitur eſſe in

Portare animam ſuā in manu ſua, quid?

continuo

continuo periculo vitæ. Et fortè erat prouerbium tunc temporis, quo ad significandum magnitudinem periculi, dicebatur quòd ille portat animam suam in manu sua.

Et doctrinæ tuæ non sum oblitus. Ratio autem tanti periculi subiungitur: *Dederunt impij laqueum mihi*, ita quòd tale dederunt impij laqueum quòd vita mea est continuè in manu mea: *& à præceptis tuis non erraui*: neque in mente oblitus sum, neque in opere erraui in tantis periculis. Et potes hæc pericula intelligere de solis periculis animæ, & de periculis animæ (hoc est fidei, veritatis, bonorum morum) ex laqueis humanis cum periculo vitæ corporalis: vt contigit Martyribus.

Potest nihilominus aliter exponi metaphora animæ in palma: vt scilicet significetur remedium quo vtitur persona hæc ambulans in hac semita. Et sic idem est dicere: *Anima mea in palma mea continuè*, & dicere: In omni opere meo memorор nouissima mea: manus enim opus significat: & anima continuè in manu, est id quod est animæ coram se habere continuè in opere.

Manus opus significat.

Vers. 7. HÆREDITAVI. Demum describitur persona hæc secundùm fomenta progressus duo. Alterum est gaudium internum diuini testimonij. Quia testimonia tua gaudium cordis mei sunt, ideo hæreditaui illa æterno. Testimonia Dei interna sunt Spiritus sancti dona, testificantia intus quòd filij Dei sumus: iuxta illud: *Ipse Spiritus testimonium reddit spiritui nostro quòd filij Dei sumus.* Testimonia verò Dei extrinseca sunt & sacræ Scripturæ seu verba Dei & opera sancta. Et vtraque hæreditare (hoc est, velut hæreditario iure habere) non est nisi filiorum Dei: iuxta illud: *quòd si filij, & heredes.* Vnde filium se Dei adoptiuum persona hæc esse significat: explicando se tanto gaudio participare diuina testimonia quòd hæreditauit illa æterno: hoc est, ad æternam possessionem, & non ad præsentis tantùm vitæ perfectionem. Quod clariùs subiungitur dicendo *inclinaui.* Alterum est æternus finis. *Inclinaui cor meum* (iuxta Apostolicum dictum *in captiuitatem redigendo omnem intellectum in obsequium Christi,*) *ad faciendum statuta tua*, ad seruandum vniuersam legem tuam vsque ad minima, *æterno fini*: hoc est, vacans & studens æterno fini, non temporali: qualis est beatitudo cœlestis patriæ. Propter quam consequendam seruantur præcepta Dei: iuxta illud Apostoli 2 Timoth. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ*, &c.

Testimonia Dei interna, & externa.

VVLGATA EDITIO.

113 Samech. *Iniquos odio habui: & legem tuam dilexi.*

114 *Adiutor & susceptor meus es tu: & in verbum tuum supersperaui.*

115 *Declinate à me maligni: & scrutabor mandata Dei mei.*

116 *Suscipe me secundùm eloquium tuum & viuam: & non confundas me ab expectatione mea.*

117 *Adiuua me: & saluus ero, & meditabor in iustificationibus tuis semper.*

118 *Spreuisti omnes discedentes à iudicijs tuis: quia iniusta cogitatio eorum.*

119 *Præuaricantes reputaui omnes peccatores terræ: ideo dilexi testimonia tua.*

120 *Confige timore tuo carnes meas: à iudicijs enim tuis timui.*

IVXTA HEBRÆVM.

1 *Samech.* Cogitationes odiui: & doctrinam tuam dilexi.

2 *Samech.* Absconsio mea & scutum meum tu: dom verbum tuum † expectaui.

† *verbo tuo.*

3 *Samech.* Recedite à me malignantes: & seruabo mandata Dei mei.

4 *Samech.* Sustenta me secundùm dictum tuum, & viuam: & ne confunde me ab expectatione mea.

5 *Samech.* Sustenta me: & saluus ero, & loquar in statutis tuis continuè.

6 *Samech.* Calcasti omnes errantes à statutis tuis: quia falsitas sapientia eorum.

7 *Samech.* Scorias cessare fecisti omnes impios terræ: propterea dilexi testimonia tua.

8 *Samech.* Horripilauit à timore tui caro mea: & à iudiciis tuis ego timui.

COMMENTARIVS.

VERS. I. *Persona viri inter diuinā legem & humanarū legū figmenta constituti.*

COGITATIONES ODIVI. In hoc decimoquinto Octonario Propheta induit personam viri inter diuinam legem & humanarum legum figmenta constituti. Et explicat eam in primo versiculo: *cogitationes odiui, & doctrinam tuam dilexi.* Adinuentiones humanarum legum de diis & similibus, cogitationes vocat: quia verè non sunt nisi cogitationes: non enim habent fundamentum in re, sed solummodo in humanis adinuentionibus: vnde & aptè è regione locantur ad legem diuinam sub ratione doctrinæ: quia est verè doctrix: vtpote à summo doctore Deo manans. Nec solum persona hæc prælegit doctrinam Dei, sed leges alias odio habuit, legem autem Dei dilexit.

Et affert persona hæc quadruplicem rationem suæ

suæ dilectionis erga legem Dei & odij erga alias.
Primò quia lex Dei est defensiua: Secundò su-
stentatiua: Tertiò victrix, & quartò punitiua.
Defensio in primis significatur *Absconsio mea:*
hoc est dum in hac vita expectaui in statu spei
verbum tuum, verbum legis tuæ implendum,
tu absconsio mea, ad similitudinem latibuli sal-
uantis à persequentibus: *& scutum meum*, ad simi-
litudinem scuti saluantis à percutientibus. Signi-
ficatur enim per hoc ad literam quòd sperans in
verbis legis Dei, sortitur Deum pro scuto & pro
latibulo: prout variæ insecutiones exigunt, quod
non præstatur sperantibus in aliis legibus.

Lex Dei est defensiua, sustentatiua, victrix & punitiua.

Vers. 3 RECEDITE A ME MALIGNANTES.
Effectus defensionis significatur. *Recedite*, elon-
gatione morum: *& ego seruabo mandata Dei*
mei.

Vers. 4. SVSTENTA ME. Virtus sustentatiua
describitur: eget enim homo infirmus sustenta-
tione diuini pabuli. Et propterea aptè dicit: *Su-
stenta me secundum dictum tuum & viuam*, vitâ
animæ: quia *non in solo pane viuit homo, sed in
omni verbo quod procedit de ore Dei:* Deuteron. 8.
& ne confundas me ab expectatione mea æternæ
beatitudinis.

Vers. 5. SVSTENTA ME. Prima sustentatio
est ad viuendum hîc fide & spe æternæ beatitu-
dinis: hæc autem est ad salutem & doctrinam
aliorum, significatam dicendo: *Et loquar in sta-
tutis tuis continuè.* Iungit autem doctrinæ alio-
rum salutem propriam: quia oportet diuinæ le-
gis doctorem, ante omnia propriam habere sa-
lutem animæ: alioquin est velut æs sonans aut
cymbalum tinniens: vt dicitur 1. ad Cor. 13.

Vers. 6. CALCASTI. Describitur victoria
diuinæ legis supra alias. *Calcasti omnes errantes
à statutis tuis*, à minimis præceptis legis tuæ: *quia
falsitas sapientia eorum*: hoc est quia sapientia
eorum innititur falsitati, ideò tu veritate legis
tuæ calcasti eos.

Victoria diuinæ legis supra alias.

Vers. 7. SCORIAS CESSARE FECISTI. Hoc
est, fecisti cessare omnes impios terræ tanquam
scorias, tanquam fæces argenti. Per quod clarè
describitur punitio impiorum in futura vita: tunc
enim & non prius cessabunt omnes impij terræ.
Et verè cessabunt vt scoriæ: nam nunc in hac
vita electi sunt mixti reprobis vt argentum sco-
riis: tunc autem depurato argento separabitur
scoria: & sic cessabunt impij à terra.

Propterea dilexi testimonia tua. Duplicem
effectum in persona hac perpende ex futuro iu-
dicio. Alter est amor diuinorum testimoniorum:
hoc est sanctorum operum & sanctarum Scrip-
turarum: ambo enim sunt testimonia Dei. Alter
est tremor diuinorum iudiciorum. *Horripilauit
à timore timore tui caro*, tantùm timui iudicia tua
futuræ vitæ quòd caro mea ad similitudinem pa-
tientis horripilationem tremuit. Et dixit hoc ad
contestandum veritatem æternarum pœnarum,
quæ reseruantur infligendæ diuino iudicio.

VVLGATA EDITIO.

121 Hain. FECI *iudicium & iusti-
tiam: non tradas me
calumniantibus me.*
122 *Suscipe seruum tuum in bonum: non
calumnientur me superbi.*
123 *Oculi mei defecerunt in salutare tuum:
& in eloquium iustitiæ tuæ.*
124 *Fac cum seruo tuo secundum misericor-
diam tuam: & iustificationes tuas
doce me.*
125 *Seruus tuus sum ego: da mihi intelle-
ctum vt sciam testimonia tua.*
126 *Tempus faciendi Domine: dissipauerunt
legem tuam.*
127 *Ideo dilexi mandata tua: super aurum
& topazion.*
128 *Propterea ad omnia mandata tua diri-
gebar: omnem viam iniquam odio
habui.*

IVXTA HEBRÆVM.

1 *Hain.* FECI iudicium & iustitiam:
ne dimitte me calum-
niantibus me.
2 *Hain.* Dulcifica seruum tuum bono:
non oppriment me superbi.
3 *Hain.* Oculi mei consumpti sunt sa-
luti tuæ: & dicto iustitiæ tuæ.
4 *Hain.* Fac cum seruo tuo iuxta gra-
tiam tuam: & statuta tua doce me.
5 *Hain.* Seruus tuus ego: intelligere
me fac, & cognoscam testimonia
tua.
6 *Hain.* Tempus ad faciendum Do-
mino *: fregerunt doctrinam
tuam.
7 *Hain.* Propterea dilexi mandata tua
super aurum & obrizum.
8 *Hain.* Propterea omnia mandata om-
nium direxi: omnem semitam fal-
sitatis odiui.

COMMENTARIVS.

Persona studentis omni conatu ad salutem animæ seruando legem Dei.

FECI IVDICIVM. In hoc 16. Octonario Pro-
pheta induit personam omni conatu studen-
tis ad salutem animæ seruando legem Dei. Et
explicat illam in tertio versiculo: Oculi mei con-
sumpti sunt saluti tuæ & dicto iustitiæ tuæ. Men-
tis enim oculos tam studiosè intendentes saluti
quæ secundùm Deum est, & intelligendis ac exe-
quendis dictis diuinæ iustitiæ, habuisse se dicit,
quòd consumpti sunt, quòd ad similitudinem
laborantium diu suspiciendo consumpti descri-
buntur.

buntur. Vbi manifestè apparet magnus conatus ad salutem iustitiamque secundùm Deum. Tractatur autem hæc studiosa persona, primò secundùm propriarum virtutum opera relata ad fructus percipiendos: qui scilicet non sunt in potestate eius. Secundò ad fructus perceptos: qui scilicet sunt in potestate eius. *Feci*, non dicit docui, aut laudaui, sed *feci*, opere executus sum, *iudicium & iustitiam*, hoc est omnia quæ sub ratione debiti à me fuerunt facienda: quod est plenum iustitiæ opus.

Ne dimittas me. Fructus seruatæ iustitiæ describitur non dimitti à Deo in vexationibus calumniatorum. Et hic fructus sicut & cæteri sequentes vsque ad textum versiculum, describitur deprecatiuè: tum quia est fructus percipiendus: tum quia non est in potestate personæ iustæ: tum quia non est fructus necessariò consequens, sed ex diuina gratia. Assignatur tamen hic fructus iustitiæ: quia rationi consentaneum est vt ab exequente iudicium & iustitiam, absint calumniæ.

Vers. 2. Dvlcifica. Non solùm in debitis studuit persona hæc rectè se habere; sed etiam in quibuscunque bonis studuit se exhibere dulcem. In quo significatur studium huius personæ ad complacendum aliis in quocunque bono. Vbi aduerte quòd dictio *bono* est casus datiui: petit enim quòd Deus efficiat se dulcem bono: hoc est ad operandum bonum. In quo ad modum suauem operandi bonum tendit.

Non opprimant me. Fructus tam dulcis affectus ad omnes in bono describitur euitatio violentiæ à superbis: quadrat enim tam suaue conuersanti vt vereantur etiam superbi violentiam illi inferre.

Cur in opere iustitia punitiua meminit temporis ad faciendum?

Vers. 3. Ocvli mei. Nota prudens Lector personam hanc gradatim describere partes virtutum suarum: nam inchoauit à virtute erga debita, & ascendit ad virtutem etiam ad non debita: modò autem ad supremum ascendit studium erga diuina: vtrumque enim priorum erga humana fuit. Vnde & hic describuntur mentis oculi consumpti, ad magnitudinem studij significandam: & solius salutis ac iustitiæ Dei mentio fit.

Vers. 4. Fac cvm servo tvo. Ad duo tenderunt oculi: scilicet ad salutem & dictum iustitiæ. Et propterea prius ponit fructum salutis. *Fac cum seruo tuo iuxta gratiam tuam*: gratia enim Dei salutifera est. *Et statuta tua.* Iam ponit alterum fructum: scilicet iustitiæ quoad cognitionem: tum ex parte doctoris, *doce me*: tum ex parte discentis, *fac me intelligere*, &c. Aduerte inter hæc quòd in vtroque fructu nominat se seruum, accumulando officia. Ac si apertè diceret: Non solùm toto studio ad ea quæ salutis & iustitiæ tuæ sunt anhelo, sed seruus quoque tuus sum, ad te Dominum meum recurrens pro gratia & pro doctrina.

Vers. 6. Tempvs ad faciendvm Domino. Consumpti sunt oculi mei dicto iustitiæ tuæ, non solùm cognoscendo sed principaliter exequendo. Et ad cognoscendum quidem supplex rogaui: *doce me*, fac me intelligere. Ad exequendum verò intellexi quòd *tempus ad faciendum Domino*. Et est casus datiui *Domino*.

Potest hic textus dupliciter intelligi. Primò de tempore præsentis vitæ & humano facere. Et sic est sensus: tempus hoc est ad faciendum, hoc est ad operandum, in obsequium Dei: iuxta illud Eccles. 15. *Nemini Deus dedit spatium peccandi.* Et iuxta hunc sensum subiungitur abusus temporis apud illos qui fregerunt legem Dei: & ex alia parte subiunguntur fructus percepti in propria persona ex cognito tempore ad obsequendum Domino, dicendo: *propterea dilexi*, &c. vsque ad finem.

Secundò potest intelligi de tempore reseruato Deo ad faciendum manifestam iustitiam impiorum, quod erit tempus vniuersalis iudicij. Et sic est sensus: Domino est seu erit tempus ad faciendum, quia fregerunt doctrinam tuam. Et hic sensus magis quadrat contextui: in quo studium huius personæ describitur, non comparatio eius ad impios.

Nota acutè lector, quòd ideo Propheta in opere iustitiæ punitiuæ meminit temporis ad faciendum, quia in reliquis operibus Dei ex Dei sapientia omnia præfiniuntur, punitio autem ex tempore praui operis pendet: quia non prius Deus est vltor quàm homo peccet. Tempus ergo peccati habet hanc conditionem quòd est necessariò requisitum ad faciendum opus punitionis, & non se tenet ex parte Dei. Et sic cùm dixisset *tempus ad faciendum Domino*, explicando conditionem temporis materiam faciendi Domino præstantis, subdit: *fregerunt doctrinam*, hoc est legem, *tuam*. Peccatum enim quod fractio diuinæ legis est, tempus constituit faciendi vindictam: quia ex tunc & non prius potest Deus facere vindictam. Et iuxta hunc quoque sensum similiter subiunguntur fructus percepti ex cognito tempore vindictæ impiorum.

Vers. 7. Propterea dilexi. Tres fructus percepti in studiosa hac persona describuntur. Primus est dilectionis, *propterea dilexi*. Si *propterea* refert tempus datum ad obsequendum Domino, quadrat præferre mandata Dei auro & omnibus: vtpote vtendo tempore non ad lucrum auri, sed ad faciendum mandata Dei. Et similiter si *propterea* refert tempus punitionis iniquorum, etiam quadrat vt non timore sed amore seruet mandata Dei. Vbi recole quòd in fine præcedentis Octonarij iustus dixit se timere iudicia Dei ita quòd caro sua horripilauit: & modò dicit se diligere mandata Dei. Optima discretio inter pœnas & mandata. Æternas pœnas timet iustus: iuxta verbum Domini: *Ostendam vobis quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit habet potestatem mittere in gehennam*, Matth. 10. Mandata autem diligit, quoniam fides per dilectionem operatur. Matth. 10.

Vers. 8. Propterea. Secundus fructus est omnium hominum omniumque legum mandata omnia dirigere, hoc est recto animo seruare: iuxta præceptum Apostolicum: *cui vectigal vectigal, cui tributum tributum*, ad Rom. 13. Et Petrus: *subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum*. Et rursus: *serui subditi estote Dominis, non tantùm bonis sed etiam dyscolis*, 1. Petr. 2. Rom. 13. 1. Petr. 2.

Omnem semitam. Tertius fructus est odium omnis viæ iniquæ. Vbi aduerte quòd ex hoc tertio apparet quòd de solis mandatis non iniquis dixit, *omnia omnium mandata direxi*: iniquis enim mandatis repugnat rectificari. Et propterea subiungit quòd illa odit.

VVLGATA EDITIO.

129 Pe. *MIRABILIA testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea.*

130 *Declaratio sermonum tuorum illuminat: & intellectum dat paruulis.*

131 *Os meum aperui & attraxi spiritum: quia mandata tua desiderabam.*

132 *Aspice in me & miserere mei: secundùm iudicium diligentium nomen tuum.*

133 *Gressus meos dirige secundùm eloquium tuum: & non dominetur mei omnis iniustitia.*

134 *Redime me à calumniis hominum: & custodiam mandata tua.*

135 *Faciem tuam illumina super seruum tuum: & doce me iustificationes tuas.*

136 *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei: quia non custodierunt legem tuam.*

IVXTA HEBRÆVM.

sunt

1 *Pe.* SEPARATA testimonia tua: ideo custodiuit ea anima mea.

2 *Pe.* Apertio sermonum tuorum illuminabit: intelligere faciens simplices.

3 *Pe.* Os meum aperui & respiraui: ad mandata tua
quia mandatis tuis desideraui.

4 *Pe.* Vertere ad me & miserere mei: illorum
secundùm iudicium diligentibus nomen tuum.

5 *Pe.* Gressus meos firma in dicto tuo: & ne fac dominari in me omnem iniquitatem.

6 *Pe.* Redime me à lite Adam: & custodiam præcepta tua.

7 *Pe.* Facies tuas fac lucere in seruo tuo: & doce me statuta tua.

ab

8 *Pe.* Riui aquarum descenderunt hoc quòd
oculis: super non custodierunt doctrinam tuam.

COMMENTARIVS.

VERS. 1. *Persona sitientis ad sensum diuinorum eloquiorum.*

SEPARATA. In hoc decimo septimo Octonario induit Propheta personam hominis sitientis ad apertum sensum diuinorum eloquiorum. Et explicat illam in versiculo tertio: *Os meum aperui & respiraui, quia mandatis tuis desideraui.* Magnitudinem desiderij ad percipiendam explanationem sacrorum eloquiorum in præcedenti versiculo positam, describit à metaphora passionis humanæ accidentis in prima præsentia rei valdè desideratæ: experimur siquidem quòd desiderantibus nobis valde aliquam personam, cùm illa adest, tanto replemur gaudio quòd aperto ore nihil loquimur, sed respiratione nobis opus est: quia multitudo spirituum ex dilatatione cordis exhalat præ gaudio. Hanc passionem significat dicens: *Os meum aperui & respiraui*, in apertione eloquiorum tuorum. Et rationem subdit: *quia mandatis tuis*, hoc est ad mandata tua intelligenda, *desideraui*, peruenire.

Cur separata dicuntur diuina eloquia.

Tractatur autem persona hæc relata ad differentiam fructuum ex diuino eloquio manifestato vel non manifestato. Et assignatur diuino eloquio non manifestato vnus fructus: manifestato autem assignantur sex fructus. *Separata* (ad similitudinem separatorum ab humano vsu significantur diuina eloquia quatenus continent occulta nobis mysteria, tanquam ab vsu cognitionis nostræ separata) *testimonia tua*, eloquia & opera testimonium perhibentia de Deo.

Ideo custodiuit. Ecce fructus diuinorum testimoniorum quatenus sunt occulta. *Ideo*, hoc est propter reuerentiam eorum, *anima mea*, credens & sperans in illis occultis, *custodiuit ea*, curam habuit seruandi ea.

Vers. 2. APERTIO SERMONVM TVORVM. Contra separationem è regione ponit apertionem, tanquam alterum statum diuinorum eloquiorum. *Apertio*, declaratio, explanatio, *sermonum tuorum illuminabit*, quando erit vim habebit illuminatiuam. Quod clarè videmus adimpletum: illuminato iam mundo, explanata à Christo & Apostolis sacra Scriptura, manifestatis iis quæ testimonium perhibent de Deo.

Simplices, id est, facilè suasibiles.

Intelligere faciens simplices. Apertio diuinorum sermonum est secundùm se illuminatiua: sed effectum luminis non efficit in omnibus, sed in simplicibus. Et propterea primus fructus describitur: *faciens intelligere simplices*: hoc est homines non duplici via gradientes homines facilè suasibiles. Hi enim simplices appellantur ad differentiam hominum impersuasibilium, quibus tot diuina testimonia non sufficiunt ad fidei lumen suscipiendum.

Vers. 3. OS MEVM APERVI. Ad præsentiam tantam luminis os meum aperui, *& respiraui*, tanto gaudio repletus sum quòd similis fui aperienti os & respiranti: *quia mandatis tuis*, intelligendis, *desideraui*: hoc est, quia ad mandata tua intelligenda pertingere desideraui. Datiuus enim casus significat motum desiderantis interesse apertioni eloquiorum Dei.

Vers. 4. VERTERE AD ME. Secundus fructus est recognitio diuinæ salutis repositæ diligentibus Deum. Ad hanc enim obtinendam illuminatus

natus ex apertis sermonibus diuinis, primò supplicat : *vertere ad me.* Deum alloquitur humano more, tanquam hactenus auerso vultu existentem : quia verè velut auerso vultu se habet ad nos antequam credamus. *Vertere ad me,* iam illuminatum, *& miserere mei,* non qualitercumque, sed *secundum iudicium præparatum diligentibus nomen tuum.* Iudicium quidem paratum diligentibus gloriam Dei, est iudicium non imputans peccata commissa ad æternã pœnam.& acceptans bona opera ad æternum præmium. Et vtrumque proculdubio ex diuina procedit misericordia. Vnde petitio æternæ salutis est hic primus affectus.

Firmitas in via Dei ex duobus pendet.

Vers. 5. GRESSVS MEOS FIRMA. Tertius fructus : in secundo affectu ad stabilitatem describitur : *Optimum est gratiâ stabilire cor. Et ne fac dominari.* Firmitas in via Dei pendet ex duobus, scilicet ex parte Dei firmantis suâ gratiâ gressus (hoc est affectus) nostros in dictis Dei: & ex parte nostri ab excussione dominij omnis vitij super nos. Assueti in aliquibus vitiis, sunt velut subditi vitiis illis : quoniam habitus seu mala consuetudo tantum præualet vt dominetur affectibus & operibus humanis. Et hinc fit vt tales recenter pœnitentes, aut recidiuent aut magnas patiantur difficultates ad resistendum inclinationibus assuetis : nec sunt firmi in via Dei donec excutiant à seipsis tales malas habilitates, quod est nullam dominari ei iniquitatem. Non enim dicit *& ne fac me peccare,* sed *ne fac dominari peccatum :* ineuitabile siquidem est humanæ fragilitati peccatum omne : sed non est ineuitabilis consuetudo peccandi, malus habitus ad peccandum, qui est velut dominus.

Vers. 6. REDIME ME. Quartus fructus describitur in tertio affectu illuminati ad euadendum pericula imminentia à repugnantibus affectibus humanis tam propriis quàm alienis : puta vxore, filiis, domesticis, amicis, & huiusmodi. Huiusmodi enim pericula seruitutem appellat liti humanæ : quia verè innata est nobis quædam seruitus suasionibus domesticorum & amicorum. Quæ lites dicuntur : quia pugnæ sunt contra nos ad mala nostra : iuxta illud : *inimici hominis domestici eius.*

Redime me, seruum (redemptio enim à seruitute est) naturalis necessitudinis, *à lite,* ab impugnationibus, *Adam.* Non dixit iniquorum aut superborum sed hominis (Adam enim nomen naturæ humanæ est) quia à seruitute qua naturalibus necessitudinibus subijcimur & ad mala trahimur, petit liberari. *Et custodiam.* Seruitus enim illa impedit obseruationem præceptorum Dei : iuxta illud : *qui non odit Patrem & matrem, &c. non potest meus esse discipulus.* Et rursus : *qui vult venire post me, abneget semetipsum.*

Vers. 7. FACIES TVAS. Quintus fructus in quarto illuminati affectu ad internam doctrinam totius legis diuinæ, describitur. *Facies tuas,* hoc est, id quo tu discerneris, quod est de te reuelatum, *fac lucere seruo tuo :* sic vt *doceas me* intus, *statuta tua,* legem tuam vsque ad minima seruare. In secundo versiculo huius Octonarij dictum est quòd *apertio sermonum Dei illuminat,* & tamen modò petit lumen : quia ibi de lumine fidei ad credendum, hîc de externo lumine ad operandum est sermo. Vnde & Dominus mittens discipulos in mundum, bis præcepit docere. Primò ea quæ sunt fidei, & deinde ea quæ sunt operum, Matth. vlt. *Docete omnes gentes baptizantes eos, docentes eos seruare omnia quæ præcepi vobis.*

Christus mittens discipulos bis præcipit docere. Cur?

Vers. 8. RIVI AQVARVM. Vltimus fructus est pœnitentiæ : qui non deprecatiuè (vt præcedentes) sed assertiuè describitur. tanquam in potestate eius existens. Et est fructus pœnitentiæ. *Riui aquarum descenderunt oculis meis,* pro ab oculis meis : *super non custodierunt doctrinam tuam,* hoc est super hoc quòd non seruarunt legem tuam.

Non putes vltimum versiculum primo contrarium, quo dixit *Ideo custodiuit ea anima mea,* quoniam ibi imperfectam obseruationem legis significauit : tum ex statu non manifestatæ legis: tum ex eo quòd animæ suæ non sibi attribuit obseruationem illam, tanquam superior pars tantùm seruauerit legem. Hîc autem deflet non plenam legis obseruationem. Vnde oculos suos inducit non custodisse legem : ad significandum per carnales oculos inferiorem partem animi.

VVLGATA EDITIO.

137 Zadi. IVSTVS *es Domine : & rectum iudicium tuum.*

138 *Mandasti iustitiam testimonia tua & veritatem tuam nimis.*

139 *Tabescere me fecit zelus meus : quia obliti sunt verba tua inimici mei.*

140 *Ignitum eloquium tuum vehementer: & seruus tuus dilexit illud.*

141 *Adolescentulus sum ego & contemptus: iustificationes tuas non sum oblitus.*

142 *Iustitia tua iustitia in æternum : & lex tua veritas.*

IVXTA HEBRÆVM.

1 *Zadi.* IVSTVS tu Domine*: & sunt rectitudo iudicia tua. esse

2 *Zadi.* Præcepisti iustitiam testimonia tua, & veritatem tuam valde.

3 *Zadi.* Contristauit me zelus meus: quia obliti sunt verborum tuorum angustatores mei.

est

4 *Zadi.* Purificatum dictum tuum valde: & seruus tuus dilexit illud.

sum

5 *Zadi.* Paratus ego & contemptus: præcepta tua non sum oblitus.

est

6 Zadi. Iustitia tua iustitia æterno : & doctrina tua est veritas.

7 *Zadi.*

143 *Tribulatio & angustia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est.*

144 *Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi & viuam.*

צ *Zadi.* Angustia & tribulatio inuenerunt me: mãdata tua sunt solatia mea.

צ *Zadi.* Iustitia sunt testimonia tua æterno: intelligere me fac & viuam.

COMMENTARIVS.

Vers. 1. Persona perfecti afflicti ex eo quod persecutores sui obliuiscantur legis diuinæ.

IVSTVS TV. In hoc decimo octauo Octonario induit Propheta personam tantæ perfectionis vt afflictus non solum constans sit, sed affligatur, quia se affligentes obliuiscuntur legis Dei. Et explicat illam in tertio versiculo: *Contristauit me zelus meus, quia obliti sunt verborum tuorum angustatores mei.* Vbi claré describitur & quòd patitur, dicendo *angustatores mei*; & quantum zelum habeat verborum Dei: quòd non doleat de proprio malo, sed quia inimici despiciunt legem Dei.

Tractatur autem hæc persona dupliciter. Primò quoad causam zeli; deinde quoad constantiam suam patiendo ex eisdem causis. Ita quòd eædem describuntur causæ zeli & constantiæ.

Causa zeli.

Describuntur itaque causæ zeli, iustitia & veritas & puritas diuinorum præceptorum & eloquiorum. Intendit enim ex his rationabiliter monstrare suum zelum: quia despicitur iustitia & despicitur veritas. Et quoniam rationis ordo exposcit vt sicut homo ab homine, & oliua ab oliua, & vnumquodque à suo simili producitur, ita præcepta iustitiæ & veritatis à iusto & recto proficiscantur, ideo hinc inchoat: *Iustus tu Domine*, non per participationem ab alio sed per teipsum: *& rectitudo*, non solum recta, sunt iudicia tua, quæ per teipsum dicis. Et propterea *mandasti iustitiam & veritatem*, in creaturis, *præcepisti*, statuisti pro testimoniis tuis *esse testimonia tua*, iustitiam & veritatem. Vnde meritò *contristauit me zelus meus, quia obliti sunt verborum tuorum*, iustitiæ, scilicet & veritatis, *angustatores mei*.

Apponit autem aduerbium *valde* dicendo *præcepisti valde*, ad differentiam præcepti non valde. Deus namque quædam præcepit valde: vt quæ sunt naturalis & moralis iuris: quædam verò præcepit non valde: vt quæ sunt cærimoniarum. Illa sunt iustitia & veritas in perpetuum: ista ad tempus iusta & vera. Illa sunt quæ Deus statuit simpliciter & absolutè pro testimoniis suis: & propterea dicitur præcepisti valde. Vel aduerbium *valde* determinat subintellectum verbum substantiuum *esse*, & est sensus: præcepisti iustitiam & veritatem esse valde testimonia tua. Et sic explicatur quòd iustitia & veritas non sunt qualitercunque sed valde testificantia Deum iustum & rectum: ad differentiam naturalium operum, quæ minora sunt testimonia Dei: maius siquidem testimonium de Deo habemus ex eo quòd auctor est iustitiæ & veritatis quàm ex eo quòd est auctor naturæ.

Deus quædã præcepit valde, quædam non valde.

Zelus est effectus amoris.

Vers. 4. PVRIFICATVM DICTVM TVVM. Zelus effectus amoris est. Et propterea inter causas zeli primum tenet locum causa amoris, impellentis ad zelandum. Hæc amoris causa describitur: *Purificatum dictum tuum valde*: Purificatum inquam ab omni falsitate, ab omni fuco, ab omni specie fallaciæ, ab omni iniquitate, ad similitudinem argenti seu auri valde purificati est vniuersum dictum tuum in sacro eloquio. Et ideo *seruus tuus* (de seipso in tertia persona loquitur) *dilexit illud*: ex hac enim dilectione diuini verbi ortus est zelus affligens illum quia verba Dei sunt tradita obliuioni.

Vbi aduerte prudens lector consonantem antedictis causam amabilitatis diuini verbi fuisse allatam: iustitiæ enim & veritati puritas socia est.

Vers. 5. PARVVS EGO. Descriptis causis zeli, describit secundo loco propriam constantiam ex eisdem causis in perpessione malorum ab inimicis suis. *Paruus ego & contemptus.* In paruitate intellige priuationem magnitudinis graduum, dignitatum, officiorum: in contemptu verò quòd non solum tenetur paruus, sed (quod intolerabilius est) etiam despicitur. Et cum toto hoc *præcepta tua non sum oblitus*, sicut sunt obliti angustatores mei.

Vers. 6. IVSTITIA. Nota prudens lector in secundo versiculo quatuor dictiones. Prima est *præcepisti*, & ideo quanti fecerit Dei præceptum descripsit, dicendo *& præcepta tua non sum oblitus*. Secunda est *iustitiam*: & vlterius illã modò subdit: *iustitia tua*, hoc est præcepta à te, *est iustitia æterno*, non est iustitia ad horam sed est iustitia semper: ad differentiam iustitiæ humanæ, quæ vno tempore est iustitia & alio non. Et intendit per hoc declarare quòd iustitia quam Deus statuit pro testimonio suo est iustitia semper: vel est iustitia ducens ad æternitatem.

Iustitia Dei est semper.

Et doctrina sua veritas. Tertia dictio fuit *& veritatem*. Hac modò vlterius dicit illam esse doctrinam Dei, ita quòd cùm dixit *præcepisti iustitiam & veritatem*, præcepit iustitiam sempiternam & doctrinam suam.

Vers. 7. ANGVSTIA ET TRIBVLATIO. Ex hoc quòd iustitia præcepta à te est iustitia sempiterna, & doctrina tua est veritas, cùm *angustia & tribulatio inuenerunt me*, iniectæ mihi ab inimicis meis, *mandata tua solatia mea*, fuerunt. Sicut prius dixerat *paruus ego & contemptus*, ita nunc tribulationi adiungit angustiam: tolerabile siquidem est tribulari: sed intolerabile quodammodo est ita tribulari vt apponatur angustia, vt non habeat quò se vertat, quò diffugiat, aut quà viã euadat.

Vbi etiam perpende personam hanc affligi non solum in iis quæ sunt dignitatis & honoris, sed etiam in iis quæ sunt personæ: tribulationibus, scilicet & angustiis. Et in his omnibus non delectatus est, zelauit, memor fuit, sed etiam & vt solatiis vsus est mandatis Dei continentibus doctrinam & iustitiam Dei.

Vers. 8. IVSTITIA. Quarta dictio fuit *testimonia tua*. Hac modo vtitur: *Iustitia testimonia tua æterno*, hoc est testimonia tua sempiterna sunt

sunt iustitia: quod est etiam verum è conuerso. Et intendit per hoc quòd testimonia Dei nunquam sunt aliud quàm iustitia: hoc est, quòd non sunt testimonia Dei furtum, rapina, aut quæcumque alia iniquitas, sed sola iustitia. Vt hinc intelligas iustitiam & veritatem ita statuta à Deo in sua testimonia, vt è conuerso testimonia Dei sint iustitia & veritas: & vtrumque non quandoque sic & quandoque non, sed semper: & propterea nunquam deserenda.

Intelligere me fac & viuam. In præcedentibus dixerat, *dilexi, non sum oblitus, & mandata tua solatia mea fuerunt*: modò verò non dicit *intellexi*, sed dicit *fac me intelligere*: non quòd minoris æstimet testimonia Dei quàm iustitiam & doctrinam: sed quia de perseuerantia cogitans tecognoscit suam fragilitatem, & diuinæ gratiæ munus singulare nouit esse perseuerantiam. Hinc enim pro perseuerantia supplex orat. *Fac me intelligere testimonia tua, & viuam*, vitâ animæ: non enim in solo pane viuit homo, sed Dei verbo, proculdubio intellecto: seruatur enim vita animæ interno intellectu verbi Dei. *Perseuerantia diuinæ gratiæ munus singulare.*

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
145 Coph. *Clamaui in toto corde exaudi me Domine: iustificationes tuas requiram.*	1 *Coph.* Vocaui in toto corde, responde mihi Domine[4]: statuta tua custodiam.
146 *Clamaui ad te: saluum me fac, & custodiam mandata tua.*	2 *Coph.* Vocaui te, saluum me fac: & custodiam testimonia tua.
147 *Præueni in maturitate & clamaui: quia in verba tua supersperaui.*	3 *Coph.* Præueni in nocte & clamaui: verba tua expectaui.
148 *Præuenerunt oculi mei ad te diluculo: vt meditarer eloquia tua.*	4 *Coph.* Præuenerunt oculi mei custodias: ad loquendum in dicto tuo.
149 *Vocem meam audi secundùm misericordiam tuam Domine: secundùm iudicium tuum viuifica me.*	5 *Coph.* Vocem meam audi secundùm gratiam tuam Domine[4]: secundùm iudicium tuum viuifica me.
150 *Appropinquauerunt persequentes me iniquitati: à lege autem tua longè facti sunt.*	6 *Coph.* Cogitauerunt sequaces cogitationis: à doctrina tua elongati sunt.
151 *Prope es tu Domine: & omnes viæ tuæ veritas.*	7 *Coph.* Propinquus tu Domine[4]: & omnia mandata tua veritas.
152 *Initio cognoui de testimonijs tuis: quia in æternum fundasti ea.*	8 *Coph.* Primò noui de testimoniis tuis: quoniam æterno fundasti ea.

COMMENTARIVS.

VERS. 1. *Persona assiduè vacantis orationi & contemplationi.*

VOCAVI IN TOTO CORDE. In hoc decimonono Octonario Propheta induit personam assiduè vacantis orationi ac contemplationi ad seruandum legem Dei. Et explicat illam in primo versiculo: *Vocaui*: vocare Deum, orantis est actus. *In toto corde*, non tepidè, non semiaffectu. *Responde mihi*: efficacia orationis est respondere Deum vocanti homini. Intendit enim per hoc quòd non est vanum recurrere ad Deum ex toto corde: quia Deus respondet opere internæ illustrationis aut gratiæ collatione. Ponitur autem non indicatiuè sed deprecatiuè *responde mihi*: ad significandum quòd ex diuina pendet gratia respondere. *Statuta tua custodiam*: hoc est, præcepta tua minima seruabo. Per quod ostenditur non solùm oratio, sed tanta vis eleuatæ mentis in diuina contemplatione vt dignus sit diuinâ responsione, & ad seruanda etiam minima præcepta reddatur promptus.

Tractatur autem hæc contemplatiua persona dupliciter. Primò ab operibus contemplatiuis: orandi scilicet & meditandi. Secundò à fructu.

Circa actum orandi. *Vocaui te*, ad duo: scilicet ad salutem, *saluum me fac*: & ad obseruationem legis, *& custodiam testimonia tua.*

Vers. 3. PRÆVENI IN NOCTE. Solicitudo orationis describitur ex spe. *Præueni in nocte*, hoc est, ante tempus orationis solitum in nocte surrexi, *& clamaui*, clamore cordis: *verba tua expectaui*, hoc est, ex spe quam habui in verbis tuis. *Orationis solicitudo.*

Vers. 4. PRÆVENERVNT OCVLI MEI CVSTODIAS. Solicitudo contemplationis describitur ex vigilantia ante tempus excubiarum. *Ad loquendum*, non cum aliis: sed *mecum de dictu tuo*. Vbi intellige idem dici tempus orationis & contemplationis: & quod prius describitur à nocturno tempore, modò describitur ab horis nocturni temporis quibus surgunt custodes vigilias exercentes in arcibus & præsidiis locorum.

Vers. 5. VOCEM MEAM. Resoluit vniuersa petita in sua oratione ad duo: gratiam scilicet & iustitiam. Et secundùm gratiam quidem petit audiri. Ac si apertè diceret: Quamuis te vocauerim in toto corde, & tanta solicitudine vsus fuerim, non tamen exigo sed supplico vt secundùm gratiam tuam audias vocem meam.

Secundùm iudicium tuum viuifica me. A iustitia tua viuificari peto: hoc est, siue punias siue remuneretes, peto vt in meam veniat viuificationem: hoc est, vt tam prospera quàm aduersa cooperentur mihi in bonum.

Vers. 6. COGITAVERVNT. Describitur secùndò fructus contemplatiuæ vitæ ex iuxtapositione ad sapientes mundi.

Cogitauerunt sequaces cogitationis. Intendit differentiam ponere inter contemplationem suam & contemplationem sapientium huius mundi. Dixerat enim quòd surrexit de nocte ad contemplandum dicta diuina, &c. modò dicit quòd etiam sequaces cogitationis (Philosophos & sapientes vacantes meditationi, appellat sequaces cogitationis: quia eorum studium in prosequendo internas meditationes occupatur) isti inquam etiam cogitauerunt. Ac si apertè diceret: non solus ego contemplationi vaco. Sed ecce differentia: *a doctrina tua elongati sunt.* Fructus subsecutus ex contemplatione eorum est elongatio à doctrina Dei.

Philosophos appellat sequaces cogitationis.

Vers. 7. PROPINQVVS TV DOMINE. Verè dixi quòd ipsi elongati sunt à doctrina tua: quia tu non es elongatus sed es propinquus, sed ipsi se elongarunt. Et dicitur Deus propinquus, quia vicinus est visibilibus: pro quanto inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur, &c. vt dicitur ad Rom. 1. *Et omnia mandata tua veritas:* ac per hoc elongati à doctrina tua, elongati sunt à veritate: iuxta illud: *ita vt sint inexcusabiles, quia cùm cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt*, exercendo opera veritatis.

Vers. 8. PRIMO NOVI. Recitato fructu aliorum contemplantium, subiungit fructum propriæ contemplationis. *Primo noui de testimonijs tuis:* Ego autem contemplando, ante omnia noui de testimoniis tuis (iustitia & veritate, ordine vniuersi & aliis testificantibus Deum, quæ sunt vera & valida testimonia tua) *quoniam æterne fundasti ea.*

Aduerte hîc quòd inter fructus contemplationis propriæ computat persona hæc non solùm hoc quod vltimò dixit, sed etiam duo præcedentia, scilicet notitiam propinquitatis Dei, & notitiam veritatis mandatorum. Et ad hoc significandum apposuit aduerbium *primò.* Ac si apertè diceret: noui quòd propinquus tu, & quòd omnia mandata tua veritas: & primum noui de testimoniis (quæ in doctrina tua à qua illi elongati sunt continentur) *quoniam in æternum fundasti ea:* hoc est, quoniam non ad tempus, sed semper testificantia te firmasti illa.

VVLGATA EDITIO.

153 Res. *VIde humilitatem meam & eripe me: quia legem tuam non sum oblitus.*

154 *Indica iudicium meum & redime me: propter eloquium tuum viuifica me.*

155 *Longè à peccatoribus salus: quia iustificationes tuas non exquisierunt.*

156 *Misericordiæ tuæ multæ Domine: secundùm iudicium tuum viuifica me.*

157 *Multi qui persequuntur me & tribulant me: à testimonijs tuis non declinaui.*

158 *Vidi præuaricantes & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.*

159 *Vide quoniam mandata tua dilexi Domine: in misericordia tua viuifica me.*

160 *Principium verborum tuorum veritas: & in æternū omnia iudicia iustitiæ tuæ.*

IVXTA HEBRÆVM.

1 *Res.* VIde humilitatem meam & eripe me: quia doctrinæ tuæ non sum oblitus.

2 *Res.* Litiga litem meam & eripe me: ad dictum tuum
dicto tuo viuifica me.

3 *Res.* Longè ab impiis salus: quia statuta tua non quæsierunt.

4 *Res.* Misericordiæ tuæ multæ Domine †: iuxta iudicium tuum viuifica me. † *Domini mei.*

5 *Res.* Multi persecutores mei & angustatores mei: à testimoniis tuis non declinaui.

6 *Res.* Vidi fallaces & certaui: qui dictum tuum non custodierunt.

7 *Res.* Vide quoniam præcepta tua dilexi Domine †: secundùm gratiam tuam viuifica me.

8 *Res.* Caput verbi tui veritas: & æterno omne iudicium iustitiæ tuæ.

COMMENTARIVS.

VERS. I. VIDE HVMILITATEM MEAM. In hoc vigesimo Octonario induit Propheta personam certantis aduersus fallaces in materia diuinæ legis. Et explicat illam in versiculo sexto: *Vidi fallaces & certaui, quod dictum tuum non custodierunt.* Vbi ideo explicat quales sunt isti fallaces (dicendo *quòd dictum tuum non custodierunt*) vt significet materiam fallaciæ: alioquin superfluè additum esset *quòd dictum tuum non custodierunt*, quoniam constat fallaces omnes non custodire dicta Dei: sed multi fallunt in humanis negotiis, multi in doctrina fidei aut morum. Et isti hîc explicandi fuerunt, dicendo *qui dictum tuum non custodierunt*, scilicet in hoc fallaces quòd non curam habuerunt doctrinæ tuæ.

Persona certātis aduersus fallaces de diuina lege.

Tractatur autem hæc persona dupliciter. Primò relata ad commendandum certamen suum Deo: secundò ad explicandum ipsum certamen. *Vide humilitatem.* Aduerte prudens lector quòd ex petitis à persona ista (scilicet, *eripe me, redime me, viuifica me*) colligitur quòd persona hæc recognoscit se indigere in hoc certamine liberatione, redemptione & viuificatione: ac per hoc

non certate confidendo in propriis viribus. Et propterea recurrendo ad Deum, ante omnia proponit videndam suam humilitatem: hoc est, suam subiectionem. Ac si apertè diceret: non potentiam, non celsitudinem meam propono, sed subiectionem meam quam tibi ex debito exhibeo, *vide*, oculis gratiæ tuæ. *Et eripe me*, ne succumbam in hoc certamine: *quia doctrinam tuam non sum oblitus.* Non dicit quia doctrinam tuam seruaui, sed quia non tradidi eam obliuioni: hoc est, quia sum de numero quærentium facere legem tuam. Modestè iustitiam suam allegat, non audens dicere se iustum, sed hoc participare iustitiæ quòd memoriam seruat doctrinæ diuinæ, saltem ad quærendum eam.

Vers. 2. LITIGA LITEM MEAM. Hoc est, ad similitudinem aduocati assumentis litem pugna tu in certamine meo. & redime me, à tot fallaciis: *dicto tuo*. datiui casus est: & petit viuificari ad exequendum dictum Dei in hoc certamine.

Vers. 3. LONGE AB IMPIIS. Petiit liberari, redimi & verificari, nullà suffragante sibi iustitià nisi memorià doctrinæ. Et propterea recognoscens se peccatorem, excludit tacitam responsionem sibi paratam, quòd *longè est à peccatoribus salus* diuina: ac per hoc cùm ipse inter peccatores sit, longè distat à salute. Hanc iniquam responsionem excludit dicendo: *longè ab impijs salus* meritò est, *quia statuta tua non quæsierunt*: hoc est, quia non solùm non seruarunt, sed nec quæsierunt, nec curam habuerunt vt seruarent legem tuam. Ac si apertè diceret: ego non sum de numero horum: quia quamuis peccator, doctrinæ tamen tuæ non sum oblitus.

Misericordia tua multa: non tamen propterea iustitiæ meæ innitor, sed misericordiæ tuæ sunt multæ Domine: & secundùm illas *viuifica me iuxta iudicium tuum.* Non dixit absolutè, *viuifica me*, sed *iuxta iudicium tuum*, sed sub multitudine misericordiarum Dei petit animari & confortari iuxta iudicium Dei quo vexatur. Fallaciæ enim contra quas pugnat, iudicia Dei sunt: quia ex diuino procedunt iudicio vniuersæ nostræ vexationes: vt patet in vexatione Iob.

Vers. 5. MVLTI PERSECVTORES. Post commendatum certamen Deo, qualitatem & rationem certaminis explicat. Qualitatem quidem ex parte fallacium, multitudinem, persecutionem & angustationem describit: ex parte autem sua quòd non peccauit in his.

Vidi fallaces. Dixerat in genere persecutores, &c. explicat modò in specie deceptores: quos non quæsiuit, sed velut occurrentes vidit, & certamen assumpsit contra eos.

Vide quoniam. Ratio certaminis describitur amor præceptorum Dei, secundùm gratiam tuam. Nota prudens lector iam tertiò personam hanc petere *viuifica me*: primum ad exequendum dictum Dei: deinde in patiendo iudicia Dei: & modò ad vincendum ex gratia Dei. *Cur ter petit viuifica me?*

Vers. 8. CAPVT VERBI TVI. Hic versiculus iungendus est cum illa particula, *vide quoniam præcepta tua dilexi*, vt ratio dilectionis. Ita quòd sensus est: Vide quoniam præcepta tua dilexi: *caput* enim *verbi tui veritas*, ratio amandi præcepta tua est veritas: quia caput, principium vniuersi verbi tui est veritas. *Et æterno omne iudicium iustitiæ tuæ*: hoc est, non ad tempus sed semper perseuerat iustitia tua in omni suo iudicio contra fallaces certans. Meritò affert pro ratione certandi amorem præceptorum, quorum caput est veritas, & quorum iudicia nunquam fallunt sed in æternum perseuerant. *Veritas caput & principium verborum Dei.*

VVLGATA EDITIO.

161 Sin. *PRincipes persecuti sunt me gratis: & à verbis tuis formidauit cor meum.*

162 *Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui inuenit spolia multa.*

163 *Iniquitatem odio habui & abominatus sum: legem autem tuam dilexi.*

164 *Septies in die laudem dixi tibi: super iudicia iustitiæ tuæ.*

165 *Pax multa diligentibus legem tuam: & non est illis scandalum.*

166 *Expectabam salutare tuum Domine: & mandata tua dilexi.*

167 *Custodiuit anima mea testimonia tua: & dilexit ea vehementer.*

168 *Seruaui mandata tua & testimonia tua: quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.*

IVXTA HEBRÆVM.

1 *Sin.* PRincipes secuti sunt me sine causa: & à verbis tuis timuit cor meum.

2 *Sin.* Lætatus sum ego super dicto tuo: sicut inconueniens spolium multum.

3 *Sin.* Falsitatem odiui & abominatus sum: doctrinam tuam dilexi.

4 *Sin.* Septies in die laudaui te: super iudiciis iustitiæ tuæ.

5 *Sin.* Pax multa diligentibus doctrinam tuam: & non est illis cespitatio.

6 *Sin.* Expectaui salutem tuam † Domine †: & mandata tua feci. † *saluti tuæ.*

7 *Sin.* Custodiuit anima mea testimonia tua: & ego dilexi ea valde.

8 *Sin.* Custodiui præcepta tua & testimonia tua: quia omnes viæ meæ coram te.

COMMENTARIVS.

Vers. 1. Persona viri perfecti in omnibus operibus suis.

PRINCIPIS SECVTI. In hoc vigesimoprimo Octonario induit Propheta personam viri perfecti in omnibus operibus suis. Et explicat illam in vltimo versiculo : *Custodiui præcepta tua*, ad quæ teneor, *& testimonia tua*, quæcumque testimonium perhibent de te : qualia sunt perfectionis opera: *quia omnes viæ meæ coram te:* hoc est, quia omnes vias meas peregi consideran do quòd ambulo coram te. Cùm enim coram principe operamur aut loquimur, summam adhi bemus diligentiam vt non solùm recta sed grat & digna aspectu principis faciamus. Vnde scri ptum est : *Beatus qui in sensu cogitabit circum spectionem Dei*, Eccli. 14. Vbi apparet person omniquaque perfecta.

Eccli. 14.

Tractatur autem dupliciter. Primò describitu perfectio eius in patiendo, & secundò in agend Perfectio in patiendo inchoat à patiendo inno center. *Principes*, non quicumque homines, se in principatu constituti *secuti sunt*, pro persecu sunt, *me sine causa*, à me data quòd me perse quantur, hoc est innocentem. *Et a verbis tuis* Vide perfectionem: inde factis principes me pe sequuntur: & cor meum non timuit à factis prin cipum, sed *à verbis tuis*, præposui verba tua fact eorum.

Et (quod plus est) *lætatus ego*. Non solùm pe fectio in actu timendi sed in actu delectationi quoniam principibus persequentibus me *lætat ego sum super dicto tuo*, sicut inueniens spolia multum. Hæc metaphora significat non sola magnitudinem gaudij sed lucri : quam videm adimpletam in perfectione innocenter patie tium. In nouo siquidem Testamento Apostoli & Martyres persecutionem patientes à principib lætati sunt super dictis diuinis fructificantib sicut victores inuenientes spolia multa exultar quoniam inter hæc referebant opima spolia ani marum quæ conuertebantur ad fidem. Et tam in veteri quàm in nouo Testamento lætitiæ ma teriam habent : quia eorum perfectio exemplari ter multas animas lucratur Deo.

Vers. 3. FALSITATEM. Timori & lætitiæ re specta verbi Dei adiungit contrarios actus respe ctu eorum quæ contrariantur verbis Dei. *Falsi tatem* (sub qua comprehenditur omnis iniqui tas) *odiui & abominatus sum*, ita quòd non solùm abominaui sed odio habui : nec odio contentus *abo minatus sum*, tanquam nauseans quæ contrarian tur gaudio de verbo Dei. *Doctrinam tuam.* Prin cipium omnis passionis est amor : & propterea resoluit omnes passiones (timoris, delectationis, odij & abominationis) in amorem diuinæ legis: ex illius siquidem amore hæc omnia prodeunt.

Vers. 4. SEPTIES IN DIE. Explicatà perfectione personæ in patiendo, explicatur modò eiusdem perfectio in agendo, inchoando ab opere religionis. *Septies :* hoc est, vniuersis vicibus, quibus dies laudem tuam requirit : septenarius enim numerus ad vniuersitatem significandam inducitur in sacra Scriptura. *Super iudicia iustitiæ tuæ.* Materia laudis describuntur iudicia tam bonorum quàm malorum quæ fiunt à diuina iustitia. Sub quibus comprehenditur vniuersa executio diuinæ prouidentiæ : quæcumque enim fiunt sunt iudicia iustitiæ diuinæ : quamuis non sint iustitiæ nostræ.

Septenarius numerus vniuersitatem significat in Scriptura.

Vers. 5. PAX MVLTA. Magnitudinem charitatis propriæ non audet persona hæc in fructu pacis sibi ascribere : sed modestè loquens, sub communi nomine diligentium se comprehendit. *Pax multa*, pax Christi quæ exuperat omnem sensum, est *diligentibus doctrinam tuam.* Non dixit seruantibus : quia fructus tantæ pacis non est communis omnibus seruantibus legem Dei, sed iis qui charitate præeminent reseruatur. Et propterea diligentibus, non Deum (quod commune est omnibus in charitate existentibus) sed doctrinam seu legem Dei, fructum multæ pacis tribuit.

Et non illis cespitatio. Tanta est horum dilectio, tam secura pax : quòd non offendunt, non cespitant, obuiantes offendiculis, in quæ minus perfecti obuiantes cespitant.

Vers. 6. EXPECTAVI SALVTEM TVAM DOMINE. Perfectio spei subiungitur: quod ita expectauit salutem quòd expectando fecit mandata Dei, non vacauit ocio, non verbo, sed facto impleuit mandata Dei. Vbi perfectio veræ spei clarè significatur : dum fouetur factis.

Vers. 7. CVSTODIVIT ANIMA MEA. Perfectio internorum testimoniorum Dei in hac persona describitur : & propterea inducitur anima custodiens testimonia. Dona interna Spiritus sancti quibus *clamamus Abba pater* (vt dicitur ad Roman. 8.) sunt testimonia Dei, quorum anima perfectæ personæ maximam curam habet. Et ipsa perfecta *diligit ea valde :* quia tam chara habet quòd reliqua omnia postponit illis. Et dixit hoc, ad significandum quòd non sola anima curam habet internorum quasi sibi propriorum : sed etiam ipse homo præponit illa & omnibus quæ corporis & quæ rerum, &c. sunt.

VVLGATA EDITIO.

169 Thau. *APpropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine : iuxta eloquium tuum da mihi intellectum.*

170 *Intret postulatio mea in conspectu tuo: secundùm eloquium tuum eripe me.*

171 *Eructabunt labia mea hymnum : cum docueris me iustificationes tuas.*

IVXTA HEBRÆVM.

1 *Thau.* APpropinquabit clamor meus faciebus tuis Domine [4]: secundùm verbum tuum intelligere fac me.

2 *Thau.* Veniet supplicatio mea faciebus tuis: iuxta dictũ tuũ libera me.

3 *Thau.* Loquentur labia mea laudem: quia docebis me statuta tua

4. *Thau.*

172 *pronunciabit lingua mea eloquium tuum : quia omnia mandata tua æquitas.*

173 *Fiat manus tua vt saluet me: quoniam mandata tua elegi.*

174 *Concupiui salutare tuum Domine : & lex tua meditatio mea est.*

175 *Viuet anima mea & laudabit te : & iudicia tua adiuuabunt me.*

176 *Erraui sicut ouis quæ perijt : quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.*

4 *Thau.* Respondebit lingua mea dictum tuum : quia omnia mandata tua iustitia.

5 *Thau.* Erit manus tua ad adiuuãdum me : quia præcepta tua elegi.

6 *Thau.* Concupiui saluti tuæ Domine *: & doctrina tua, solatia mea.

7 *Thau.* Viuet anima mea & laudabit te : & iudicia tua adiuuabunt me.

8 *Thau.* Erraui quasi agnus perditus: quære seruum tuum, quia mandata tua non sum oblitus.

COMMENTARIVS.

VERS. 1. *Persona recurrentis ad Deũ cognitâ virium suarum infirmitate.*

APPROPINQVABIT CLAMOR MEVS. In hoc vltimo Octonario Propheta induit personam recognoscentis proprias vires sic quòd ex hoc recurrit ad Deum ex gratia præueniente. Et explicat illam in vltimo versiculo : *Erraui quasi agnus perditus.* Recognoscit homo proprias vires propriàque opera : assimilans se agno amisso, & opera sua errori : hoc est incertæ vagationi. Non dicit sicut ouis perdita (quæ fortè sciret ex frequenti vsu viarum redire ad ouile) sed sicut agnus perditus, qui non nouit redire ad caulas ouium : ad significandum ignorantiam. Et rursus agno perdito se comparat, ad significandum periculum : quoniam expositus est periculis non solùm luporum & raptorum, sed etiam periculo inediæ, propter absentiam à suctione lactis. Et verè homo secundùm naturales vires intellectus & animi sicut agnus perditus errat : quoniam vagatur in operibus suis sine lacte diuinæ doctrinæ, & extra gregem ouium Christi : impotens per seipsum ad gregem Christi ouium peruenire.

Agno perdito se comparat.

Quare seruum tuum. Ecce recursus ad Deum, profitendo impotentiam propriam, dum petit inquiri. Ac si apertè dicat : Nisi me inquiras, remanebo perditus. *Quia mandata tua non sum oblitus.* Gratiæ præuenientis effectum allegat memoriam mandatorum Dei. Respice filium prodigum in Euangelio ad se reuersum : quia memoria mandatorum Dei, reuersio est ad se. Et si diligentiùs prudens lector notauerit, aduertet in hac persona alterum gratiæ præuenientis effectum : scilicet recursum ad Deum, dicendo *quare seruum tuum.* Persona itaque recognoscens id quod est in se propriarum virium ac operationum, & quod habet ex gratia præueniente, indigens gratiâ subsequente, est persona huius Octonarij. Et congruit fini huius Psalmi : quoniam par fuit vt in calce tam subtilis contemplationis Propheta rediret ad seipsum ad recognoscendum propriam imbecillitatem : ne magnitudo reuelationis extolleret eum.

Tractatur autem hæc persona dupliciter. Primò relata ad subsequentis gratiæ dona spectantia ad intellectum. Secundò ad spectantia ad affectum. *Appropinquabit clamor meus.* Distans hæc persona (vtpote agnus errans) primum petit quòd clamor suus appropinquet ad diuinam faciem, tanquam insinuaturus suam necessitatem. Et intendit per hanc metaphoram acceptationem sui recursus ad Deum.

Secundùm dictum tuum intelligere fac me. Primum donum ad quod obtinendum clamat, est intellectus non secundùm doctrinas hominum, sed secundùm verbum Dei. Nec dicit Fac me intelligere hoc vel illud, sed absolutè Fac me intelligere, quæcumque intelligenda sunt, secundùm verbum tuum, secundùm regulam & lumen verborum tuorum.

Veniet supplicatio mea. Non solùm clamor appropinquet, sed supplex ac miserabilis petitio mea penetret ad faciem tuam : *iuxta dictum tuum*, ita quòd liberes me iuxta dictum tuum, intellectum à me.

Vers. 3. LOQVENTVR LABIA MEA LAVDEM. Fructus doctrinæ tuæ in me erit laus tua. *Respondebit lingua mea.* Alter fructus tuæ doctrinæ in me erit locutio ad proximum. *Respondebit* enim *lingua mea* hominibus *dictum tuum*, multitudinem dictorum tuorum : *quia omnia mandata tua* non solùm iusta sed *iustitia* sunt. Et intendit per hoc quòd edoctus à Deo habebit materiam respondendi irrefragabilem : quia omnia mandata Dei sunt ipsa iustitia. Hæc quoad partem intellectiuam.

Vers. 5. ERIT MANVS TVA. Descriptis donis intellectus, dona tum virtutum in affectu, tum gratuiti diuini auxilij describit. Gratia enim subsequens non sufficit ad salutem, si in solis donis quæ habitus seu virtutes animæ dicuntur, sistit : sed integratur ex donis in anima & gratuito diuino auxilio. Cuius subtractione Petrus negauit Christum, Dauid commisit adulterium, Moyses hæsitauit, & quicumque lapsi ex charitate, peccauerunt. De hoc gratuito auxilio ait deprecatiuè. *Erit*, pro sit, *manus tua ad adiuuandum me*, vt perseuerem in bono : *quia præcepta tua elegi*, exequi.

Vers. 6. CONCVPIVI SALVTI TVÆ DOMINE, ET DOCTRINA TVA SOLATIA MEA. Attende donum gratiæ in electione operum secundùm diuina præcepta, in concupiscentia salutis, in delectatione de doctrina seu lege Dei.

Vers. 7. VIVET ANIMA MEA. Vita animæ charitas est : iuxta illud : *translati sumus de morte ad vitam quoniam diligimus*, 1. Ioan. 3. *Et laudabit te.* Superiùs dixit *loquentur labia mea laudem* : modò plus dicit, quanto interna laus præstat laudelabiorum. *Et iudicia tua*, inferentia mihi mala pœnæ, *adiuuabunt me.* Et hoc spectat ad gratuitum Dei auxilium, quo efficit quòd electis omnia cooperentur in bonum. Amen.

Charitas est vita animæ.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Canticum graduum.

CXIX.

1 AD Dominum cùm tribularer clamaui: & exaudiuit me.

2 Domine libera animam meam à labijs iniquis: & à lingua dolosa.

3 Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam?

4 Sagittæ potentis acutæ: cum carbonibus desolatorijs.

5 Hei mihi quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Ce-
6 dar, multum incola fuit anima mea.

7 Cum ijs qui oderunt pacem eram pacificus: cum loquebar illis impugnabant me gratis.

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum graduum.

CXX.

1 *Propheta.* AD Dominum + in an-
accidente
gustia mihi vocaui: & respondit mihi.

2 Domine + libera animam meam à labio falsitatis: & à lingua doli.

O Saul
3 Quid dabit tibi & quid addet tibi, lingua doli?

Ecce quid
4 Sagittas fortis acutas, cum prunis genestarum.

5 Hei mihi quia peregrinatus sum prorogatim: habitaui cum tentoriis Chedar.

fuit
6 Multa habitatio ipsi animæ meæ: cum osore pacis.

fui obsequio
7 Ego pax: & quando loquar, ipsi
se accingent.
bello.

COMMENTARIVS.

Canticum graduum. TItulus est: *Canticum graduum.* De quo nihil certi habeo. Aiunt enim in solemnitatibus per singulos gradus templi deputatos singulos hos quindecim Psalmos decantandos: & propterea hos 15. Psalmos insignitos titulo Canticum graduum. Vel modus cantandi gradatim in istis significatur. Quicquid autem de his gradibus sit, nihil de Materia Psalmi ex titulo habetur.

Ex ipso autem Psalmo apparet quòd historia-lis est. Nam persona loquens describit seipsa pacificam in multis angustiis, profugum à persecutione linguæ falsæ & dolosæ, & exauditam à Deo, persecutoremque suum sagittis & carbonibus ardentibus punitum. In promptu autem extat historia omnium horum gestorum, in Dauide profugo & Saule persecutore multis sagittis confosso, & deinde eius corpore combusto in nemore.

Materia. Vnde materia Psalmi ad literam est liberatio Dauidis à persecutione Saulis per eius mortem.

SVMMARIVM EST.

DAuid se quamuis pacificum, profugum tamen ex falsa & dolosa criminatione, recurrisse ad Deum & liberatum morte Saulis describit.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. AD DOMINVM IN ANGVSTIA. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Domine libera.* Proponit tria: scilicet recursum ad Deum, *ad Dominum vocaui:* causam recursus: *in angustia mihi*, illata à Saule: & gratiam diuinæ liberationis: *& respondit mihi*, facto liberando me de angustia.

Vers. 2. DOMINE LIBERA. Incipit hic pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *Ad Dominum vocaui.* Secundò illa, *& respondit mihi*, ibi, *quid dabit.* Tertiò illa, *in angustia*, ibi, *Hei mihi.* Vocat itaque Deum: *Domine libera animam meam*, vitam meam quam eripere nititur Saul, *à labio falsitatis*, dicendo me inimicum sibi & machinari aduersus regnum suum: vt patet 1. Regum 22. *A lingua doli*, non solùm falsum asserit, sed dolosè loquitur contra me: vt patet 1. Regum 18. & 19.

Vers. 3. QVID DABIT TIBI. Completâ oratione ad Deum, tractatur illa particula, *respondit mihi:* describendo factum punitionis quo Deus respondit ei puniendo Saulem. Apostrophat itaque ad Saulem: *Quid dabit tibi*, Sauli, *& quid addet tibi lingua doli*, hoc est quid lucraberis ex lingua dolosa contra me. *Sagittas fortis acutas.* Ecce quid addet tibi lingua doli, acutas sagittas fortis, hoc est, multitudinis fortium Philistinorum: nam ad literam primi Regum vltim. consecuti sunt Saulem viri sagittarij, & vulneratus est vehementer à sagittariis. Lingua doli Sauli fuit mali nuntii

Cum prunis genestarum. De dictione Hebraica interpretata *genestarum*, non est vsquequaque certum quin possit interpretari *iuniperorum*, nec

nec defuerunt qui interpretati sint *quercuum*. Sed hoc parui refert: describit enim Propheta ad literã alterũ quod dixerat scilicet *quid addet tibi*. Ecce quid addet tibi mortuo: *prunas genistarum*, vel. &c. hoc est comburetur corpus tuum genestis vel iuniperis: non sepelietur honore regio, non condietur aromatibus, sed præter morem comburetur & in nemore sepelietur: vt patet 1. Paralipom. 10. iuncto 1. Reg vltimo.

Vbi nota non dicere Prophetam Saulem occisum propter linguam dolosam: mortis siquidem eius meritum, 1. Paralipom. 10. assignatur inobedientia diuini mandati & consultatio pythonyssæ. Sed dicit sagittationis & combustionis corporis meritum linguam dolosam.

Dauidis peregrinatio.

Vers. 5. HEI MIHI. Tractatur hic illa particula, in *angustia mihi*: describendo tum mala quæ perpessus est profugus: tum innocentiam suam: ne putares quòd pro crimine profugus fuerit. Dolendo itaque describit peregrinationem doloris plenam, dicendo: *Hei mihi quia peregrinatus sum prorogatus*, non solum peregrinatus sum sed prorogata est peregrinatio mea diutius. Quamuis namque scriptum non sit tempus peregrinationis Dauidis: ex eo tamen quòd Michol vxor eius tradita à Saule alteri viro genuit illi alteri filios quinque antequam restitueretur Dauidi mortuo Saule, apparet multos annos prorogatam Dauidis peregrinationem. *Habitaui cum tentoriis Chedar*. Chedar fuit filius Ismaelis: & fuit pater habitantium in tentoriis, qui fortè sunt hodie isti Arabes, qui non habitant in ciuitatibus aut domibus sed in tentoriis. Et dixit hoc non quòd Dauid habitauerit simul cum illis, sed quòd similis factus est illis: quia scilicet habitauit sub dio, in tentoriis, in speluncis, in nemoribus, &c. vt facilè colligitur ex historia primi Regum.

Cedar filius Ismaelis, pater habitantium in tentoriis, fortè Arabum.

Multa habitatio ipsi anima mea. Tertium
malum peregrinationis suæ describit varietatem
locorum: prorogato siquidem peregrinationis
tempori & malis habitaculis addit varietatem lo-
corum in quibus oportuit eum habitare, nunc
hic nunc ibi, &c. propter persecutiones Saulis.
Multa habitatio, hoc est multitudo habitatio-
num, *fuit ipsi animæ meæ*, vitæ meæ. Familiare
est huic Prophetæ describere rerum multitudi-
nem numero singulari illius rei: vt multitudi-
nem ouium sæpe appellat ouem, &c. Et simili-
ter hîc multitudinem habitationum appellauit
multam habitationem. Et veræ multæ fuerunt
habitationes Dauidis profugi: nunc apud
Moabitas, nunc in Ceila, nunc apud Ziphæos,
&c.

Multitudinem numero singulari sæpe exprimit. Propheta.

Vers. 6. CVM OSORE PACIS. Declarat non
solùm suam innocentiam sed etiam sua officia
erga Saulem: vt intelligas quàm iniustè profu-
gus fuerit. *Cum osore pacis*, Saule, *ego pax*, non
solum quando cum eo manebam sed etiam in
persecutione: dum bis potui illum occidere &
nolui: *& quando loquar, ipsi bello*: hoc est &
mea obsequia prouocant ipsos ad bellum contra
me: nam ad literam quantò magis Dauid rectè
se habebat obsequendo Sauli, tanto magis Saul
accendebatur ad bellum: hoc est ad persecutio-
nem & occisionem Dauidis: vt patet clarè 1.
Reg 18. Et *quando loquar*, hoc est quando ob-
sequar (Quòd enim loqui sumatur pro obsequi,
patet Daniel. 13. vbi dicitur: *Sic faciebatis filia-
bus Israel, & illæ timentes loquebantur vobis*, hoc
est, obsequebantur. Et futurum *loquar* de-
notat perseuerantiam & multiplicationem ob-
sequij) *ipsi*, Saul & complices, *bello*, incum-
bebant, ad bellum contra me se accende-
bant: hoc est ad occidendum me se parabant.
Amen.

Loqui pro obsequi.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Canticum graduum.

CXX.

1 *LEVAVI oculos meos in montes: vnde veniet auxilium mihi.*

2 *Auxilium meum à Domino: qui fecit cælum & terram.*

3 *Non det in commotionem pedem tuum: neque dormitet qui custodit te.*

4 *Ecce non dormitabit neque dormiet: qui custodit Israel.*

5 *Dominus custodit te, Dominus protectio tua: super manum dexteram tuam.*

6 *Per diem sol non vret te: neque luna per noctem.*

7 *Dominus custodit te ab omni malo: custodiat animam tuam Dominus.*

8 *Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuum: ex hoc nunc & vsque in seculum.*

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum gradibus.

CXXI.

1 *Populus.* LEVABO oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium meum.

2 *Propheta.* Auxilium meum à cum Domino ⁴, factore cælorũ & terræ.

3 Non dabit lapsui pedem tuum: non dormitabit custodiens te.

4 Ecce non dormitabit & non dormiet: custodiens Israel.

5 Dominus ⁴ custodiens te, Dominus ⁴ vmbra tua: super manũ dexterã tuã.

6 Die sol non percutiet te: & luna in nocte.

7 Dominus ⁴ custodiet te ab omni malo: custodiet animam tuam.

8 Dominus ⁴ custodiet exitum tuum & introitum tuum: ex nunc & vsque æternum.

COM

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Canticum gradibus.* Cur solus iste inter quindecim hos titulos habeat *gradibus* in datiuo casu, referuo Spiritui sancto.

Materia Psalmi ad populum Israel determinata apparet: tum ex eo quòd in quarto versiculo expresse dicitur, *non dormiet custodiens Israel*: tum ex eo quòd Psalmus iste rememoratio est diuinarum promissionum in Deuteronomio, ad adiuuandum populum & tuendum ab inimicis & malis.

Vnde materia Psalmi ad literam est confutatio populi Israel timentis sibi absque auxilio humanorum principum: monstrando sufficientiam & efficaciam diuinæ custodiæ.

SVMMARIVM EST.

Populo Israel timenti occurrit Propheta, profitens auxilium suum esse Deum: promittensque populo vigilantiam, vniuersalitatem ac efficaciam diuinæ custodiæ.

Personæ loquentes sunt Populus & Propheta.

LEVABO OCVLOS MEOS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Ecce non dormitabit.* Aduerte hic principium Psalmi constare ex dialogo inter populum & Prophetam: introducitur siquidem populus manifestans animum suum recurrendi ad principes mundi pro auxilio contra hostes. Et ad similitudinem hominis existentis in campo & expectantis suppetias hominum transmontanorum, introducitur dicens: *Leuabo oculos meos ad montes vnde veniet auxilium meum*: talis enim homo eleuat oculos suos versus montes vt videat si apparent homines transmeantes montes ad auxilium suum. Et intendit per hanc metaphoram recursum populi ad humanos potentatus: qui ob suam celsitudinem sunt sicut montes respectu aliorum.

Auxilium meum. E regione occurrit populo volenti recurrere ad potentatus humanos Propheta: profitens *auxilium meum à cum Domino facients cælos & terram.*

Vbi nota quòd non dicit *auxilium meum Domino*, sed *auxilium meum à cum Domino*: hoc est ab esse cum Domino. Ita quòd ex hoc solo quòd est esse cum Domino, profitetur suum auxilium. Et intendit quòd non est opus aliâ conditione nisi hac vna, scilicet esse cum Domino. Et verè sic est: quoniam qui est cum Deo habet Deum pro se: & *si Deus pro nobis, quis contra nos?* Et Iob dicebat: *Pone me Domine iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.*

Aduerte quoque quàm melioris conditionis seipsum profetat Propheta. Populus enim suspenso animo leuaturus erat oculos ad montes pro futuro auxilio: Propheta autem profitetur auxilium suum in promptu esse, ex hoc solo quòd est cum Deo.

Et ne quasi singulare priuilegium Prophetæ hoc intelligeretur, subiungit commune hoc sibi & populo, dicendo populo: *Non dabit Dominus in lapsum pedem tuum, non dormitabit custodiens te.* Et intendit per parabolam lapsus pedis tum vniuersalem, tum efficacem custodiam nisi enim esset custodia sufficiens ad vniuersa, & nisi esset efficax vsque ad minima, non custodiret etiam ab hoc minimo: scilicet à lapsu pedis. Ita quòd sensus est: *Non dabit lapsui etiam pedem tuum.* Vigilantia autem diuinæ custodiæ proponitur dicendo: *Non dormitabit custodiens te.*

Vers. 4. ECCE NON DORMITABIT. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *non dormitabit.* Secundò illa, *non dabit lapsui pedem tuum*, ibi, *Dominus custodiens. Ecce,* in promptu, *non dormitabit*, velut ex lassitudine multæ vigiliæ intercipiatur somno, *& non dormiet*, velut ex proposito vtens quiete somni: *custodiens Israel*, vt peculiarem populum suum. Et intendit per hos duos modos dormiendi excludere omne contrarium vigilantiæ diuinæ custodiæ quantum est ex parte Dei custodientis: & vt vno verbo dicatur, intendit vigilantiam continuam. *Dominus custodiens te.* Declaratâ vigilantia diuinæ custodiæ, declarat vniuersalitatem & efficaciam eiusdem propositas in illa particula, *non dabit lapsui pedem tuum.* Et procedit tali ordine: scilicet aperiendo primò duos generales modos diuinæ custodiæ, scilicet per modum vmbræ & per modum pugnæ. Quos vt discernas, ordinato literam sic: Dominus custodiens te super manum dexteram: hoc est præsidendo simul & assistendo manui dexteræ tuæ. Et significatur custodia per modum pugnæ: manus enim dextera custodit pugnando. *Dominus vmbra tua.* Vbi clarè explicatur alter modus custodiæ. *Vigilantia diuinæ custodiæ.*

Die sol non percutiet te, & luna in nocte. Exequitur custodiam per modum vmbræ vniuersalem, scilicet die & nocte, & à sole & luna; & efficacem: *quia non percutiet*: hoc est Deo custodiente te per modum vmbræ, neque sol die suis radiis te percutiet neque luna suo lumine: est enim valde nociua non solum percussio solis sed etiam lunæ. Et intendit per hoc custodiam populi ab omnibus nocumentis prouenientibus ex corporibus cælestibus & quibuscunque superioribus causis quantumcunque excellentibus. *Percussio Solis & Lunæ nociua.*

Dominus custodiet te. Exequitur alterum custodiæ modum, scilicet præsidendo dexteræ pugnanti. *Ab omni malo*: ecce vniuersalitas malorum: *custodiet animam tuam*, vitam tuam, summum bonorum.

Dominus custodiet exitum tuum & introitum tuum, sub quibus clauduntur omnes operationes, passiones, occursus, &c. *ex nunc & vsque æternum.* Vbi explicatur vniuersalitas temporum: *ex nunc*, ex quo incipis esse cum Deo, & indesinenter *vsque æternum*: ac per hoc non oportet te solicitum esse ad leuandum oculos in montes humanos, vnde veniat auxilium tuum. Amen.

PSAL

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Canticum graduum Dauid.*	Canticum graduum Dauidi.
CXXI.	CXXII.
LÆTATVS sum in iis quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.	1 *Propheta.* LÆTATVS sum in dicentibus mihi. *Vox dicentium.* in Domum Domini ibimus.
2 *Stantes erant pedes nostri: in atriis tuis Hierusalem.*	2 *Propheta.* Stantes fuerunt pedes nostri, in portis tuis ô Hierusalem.
3 *Hierusalem quæ ædificatur vt ciuitas: cuius participatio eius in idipsum.*	3 ô Hierusalem quæ ædificata eris vt ciuitas: quòd coniuncta ipsi domui Dei simul.
4 *Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini testimonium Israel: ad confitendum nomini Domini.*	4 Quòd illuc ascenderunt tribus tribuum Domini testimonium Israeli: ad confitendum nomini Domini.
5 *Quia illic sederunt sedes in iudicio: sedes super domum Dauid.*	5 Quia ibi steterunt sedes iudicio: sedes domui Dauid. fedes
6 *Rogate quæ ad pacem sunt Hierusalem: & abundantia diligentibus te.*	6 Petierunt pacē Hierusalem: ideo quiescent amatores tui.
7 *Fiat pax in virtute tua: & abundantia in turribus tuis.*	7 Erit pax in antemurali tuo: quies in palatiis tuis.
8 *Propter fratres meos & proximos meos: loquebar pacem de te.*	8 Propter fratres meos & socios meos: loquar, iam pax in te.
9 *Propter domum Domini Dei nostri: quæsiui bona tibi.*	9 Propter domum Domini Dei nostri: quæram bonum tibi.

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Canticum graduum Dauidi.* De quo vt suprà: hoc adiecto quòd exprimitur non solùm auctor Psalmi Dauid, sed quodammodo materia: vt enim claré Psalmus ipse præ se fert, determinatus est ad ciuitatem Hierosolymitanam vt illius materiam. Dauid siquidem vir prudens, diu antè concepisse videtur vt in loco Hierusalem constitueret ciuitatem regiā. In cuius signum quamprimum fuit Rex (non Iudæ sed Israelis) inuasit Iebusæum habitatorem Hierusalem, & constituit ibi sedem suam: nec hoc contentus posuit in ea arcam Domini, parato ibidem tabernaculo: nec adhuc contentus deliberauit ædificare ibi templum Domini: prudenter arbitratus futurum firmamentum ciuitatis & regiæ sedis ex templo Domini ibi ædificato: sicut rei probauit euentus.

Magnificatio itaque Hierusalem ex templo Domini ibidem, est ad literam principalis materia Psalmi: qui totus occupatur circa statum ciuitatis Hierosolymitanæ.

SVMMARIVM EST.

DAuid intelligens stabilitum iri quòd Hierusalem esset ciuitas diuina propter templum, Regia propter sedem regalem, & consequenter pacis, & abundantiæ, & boni, lætatus est.

Persona loquens Propheta est.

LÆTATVS SVM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *stantes fuerunt*. Proponit duo: scilicet lætitiam propriam, *lætatus sum*: & rationem lætitiæ: *in dicentibus mihi*, hoc scilicet, *domum Domini ibimus*. Per quæ verba promittitur non ædificatio templi, sed (quod plus est) vsus ædificati templi: ire scilicet ad templum. Et dicit *ibimus*, ad significandum proximè hoc futurum: vtpote quòd nos ibimus ad templum, quòd videbimus templum diebus nostris ædificatum. Nec dicitur *in domum Domini ibo*, sed *ibimus*: quia in rei veritate ipse Dauid non erat iturus ad templum: vtpote ædificandum post mortem eius à filio ipsius. Sed illa generatio, hoc est illi qui tunc viuebant ituri erant ad ad templum: nam in breui tempore

VERS. 1.

Ædificatio Templi promittitur.

tempore (septem scilicet annorum spatio) ædificatum est templum: ita quòd anno vndecimo regni Salomonis perfectum est templum.

Qui autem fuerint dicentes Dauidi, *in domum Domini ibimus*, scriptum non est: intelligendi tamen videntur Prophetæ: puta Nathan & Gad: & etiam quia post vocem propheticam Nathan scriptam, 2. Reg. 7 omnes probabant ac laudabant quod templum ædificaretur in Hierusalem: & propterea ex communi approbatione lætabatur.

Vers. 2. STANTES FVERVNT. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *domum Domini ibimus*, deinde illa, *lætatus sum*, ibi, *Hierusalem*. Tractat itaque locum templi: quòd scilicet erit in Hierusalem. Et ab effectu explicat illum, apostrophando ad Hierusalem quòd pedes nostri fuerunt stantes in portis tuis. Consuetudo ciuitatum erat habere in portis locum publicum insigniorem, in quo manebant non solum ciues communes sed magnates & reges: vt facilè colligitur ex sacris historiis, in quibus gesta in portis describuntur. Et hic etiam mos ciuitatis est in Hierusalem antequam esset ibi domus Domini: sed constructo in ciuitate Hierosolymitana templo, iam portarum locus non erat insignior: sed concursus qui ante erat ad portas, deuolutus est ad templum Domini. Et hæc deuolutio significatur dicendo *ad Hierusalem*. O Hierusalem stantes fuerunt, hactenus, pedes nostri in portis tuis, mansimus in portis tuis tanquam in loco celebriori: deinceps autem ibimus domum Domini.

Hierusalem quæ ædificata. Continuatur materia lætitiæ: describendo magnificationem Hierusalem tum ex templo Domini in ea, tum ex sede regia ibidem. O Hierusalem quæ ædificaris & amplius eris, vt ciuitas: non qualiscunque sed quòd coniuncta ipsi, domui Dei, de qua supra dictum est *domum Domini ibimus*: coniuncta autem ipsi, non qualitercunque, sed simul: hoc est ita quòd ciuitas ipsa contineat intra se templum Domini. Vbi clarè describitur dignitas ciuitatis ex continentia templi: & insinuatur qualitas, vt decet ciuitatem non vicinam templo sed simul cum templo: hoc est continentem templum. Notanter autem non dixit ciuitatem continere domum Dei, sed iunctam illi simul: vt significaret ciuitatem pendere à templo, & hoc magnificari quòd est simul cum templo Dei.

Quòd illuc ascenderunt. Describit consequenter gloriam Hierusalem ex concursu omnium populorum filiorum Israel ad templum. Et ordinanda est sic litera. *Quòd illuc*, appositiuè *ascenderunt tribus tribuum Domini*, testimonium Israeli, *ascenderunt tribus tribuum* Domini *ad confitendum nomini Domini.* Aduerbium enim *illuc* demonstrat templum Domini sed ciuitatem ratione templi. Quod appellatur *testimonium Israeli*, quia successit loco tabernaculi testimonij seu fœderis: sic enim appellatum est tabernaculum à Moyse factum: vt patet Exodi 33. quia inde diuinum testimonium diuini fœderis exhibebatur populo Israeli: vel quia in eo continebatur testimonium exhibitum populo Israeli: quoniam continebatur in eo vrna mannæ, in testimonium alimoniæ in deserto; & virga Aaron, in testimonium Sacerdotij; & lex, in testimonium fœderis inter Deum & populum. Appellantur autem vniuersi Israelitæ tribus tribuum Domini, ad significandum vniuersas tribus Israel ex dignitate electionis diuinæ. Dicendo enim *tribus* absque limitatione, omnes comprehendit, non quarumcunque nationum sed tribuum Domini: hoc est tribuum electarum à Domino, tribuum dicatarum Domino: quæ sunt 12. tribus Israel: hæ enim ascendunt ad confitendum nomen Domini: præceptum siquidem erat legis vt ter in anno venirent omnes ad domum Domini: vt patet Exod. 23.

Quia ibi steterunt sedes. Subiungitur dignitas Hierosolymitanæ ciuitatis ex sede regia ibidem constituta. *Quia ibi*, in ciuitate Hierosolymitana, *manserunt sedes*, regales, *iudicio*, dicendo: hoc est ad dicendum ius omni populo (reges enim tunc temporis exercebant officium iudicis: vt patet in gestis Dauidis, & etiam Salomonis iudicantis inter duas meretrices) sedes inquam stabilitæ domui, genti, successioni, Dauid. Firmatum enim erat regnum Dauidis etiam pro filiis & nepotibus & deinceps, ex promissione diuina facta per Nathan Prophetam. Et propterea dixit, *sedes domui David.* Et ad literam etiam erat stabilitus locus regiæ sedis Hierusalem. *Dignitas Ierosolymitanæ vrbis ex sede regia.*

Vers. 6. PETIERVNT PACEM HIERVSALEM. Sedes regiæ stabilitæ domui Dauidis, non solùm ad iudicium faciendum sed ad pacem ciuitatis intendere describuntur: dum de eis dicitur quòd petierunt pacem ciuitatis Hierosolymitanæ. Et per hoc describitur ad literam quod ab initio quando Dauid venit instituturus sedem regiam in Hierusalem, venit pacificus, non quærens malum ciuitatis sed bonum: ex culpa autem resistentium ei, accidit bellum: dicitur enim 2. Reg. 5. quòd multi Iebusæi restiterunt Dauidi, *non ingredieris huc*, &c. & propterea oportuit Dauidem vi armorum subiicere sibi Hierusalem. *2. Reg. 5. 6.* Quia ergo quantum in ipso est, pacem non solum voluit sed petiit Dauid, ideo dicitur quòd *sedes regiæ petierunt pacem Hierusalem.* Et significanter describuntur sedes petentes pacem, quia pacem petierunt ad collocandum sedem regiam in Hierusalem.

Quiescent amatores tui. Aduerte hîc dilatam constructionem literæ à principio tertij versiculi hucusque. Ibi enim incepit *ô Hierusalem*: & interpositis relatiuis & coniunctionibus, modò subiungit alloquendo Hierusalem, *quiescent amatores tui.* Ac si apertè diceret: *O Hierusalem*, quia es ciuitas templi Dei, ad quam, &c. quia est in te sedes regia faciens iudicium & studiosa pacis, ideo quiescent amatores tui, hoc est quietem in te inuenient. *Erit pax in antemuralibus tuis quies in palatiis tuis.* Non solùm amatores tui vndecunque quiescent in te, sed erit quies in magnatibus & pax in toto populo habitante vsque ad antemurale.

PROPTER FRATRES MEOS. Studium regium ad pacem & bonum Hierusalem nunquam defuturum describitur, reddendo rationem prædictorum. Dauid enim rex reddit rationem naturalem: *propter fratres meos*, sanguine iunctos, *& socios meos*, iunctos vinculo societatis. Et appellat socios aut omnes ciues Hierosolymitas: aut potius illos qui fuerant cum eo in deserto cum vagaretur profugus à facie Saulis: qui magnates effecti habitabant in ciuitate regia: vt par est credere. Aut (quod non minus quadrat historiæ) *Quinam hic [illegible] socij Dauidis.*

historiæ) appellat socios suos quosdam Iebusæos quibus gratum fuerat quòd Dauid haberet Hierusalem in sedem regiam: quique nunciauerant ei quòd erant Iebusæi aliqui præpotentes obstantes, quos appellarunt cæcos & claudos: quos oppotebat debellari à Dauide: alioquin non obtineret intentum. *Propter istos*, inquam Iebusæos beneuolos mihi velut socios meos, *loquar: iam pax in te*, iam est tempus pacis tuæ.

Propter domum. Altera ratio reuerentiæ diuinæ. *Propter domum Domini Dei nostri*, existentem in te, *quæram bonum tibi.* Et adduxit has rationes non solum ad reddendam rationem antedictarum quietum & pacis: sed ad excludendum suspicionem à Hierosolymitis de non perseuerantia pacis & boni ciuitatis. Ac si dixisset: non propter vos qui non meremini, sed propter fratres meos & socios meos & propter domum Domini Dei nostri perseuerabo faciens pacem & quærens bonum ciuitatis. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Canticum graduum.

CXXII.

1 *AD te leuaui oculos meos: qui habitas in cælis.*

2 *Ecce sicut oculi seruorum: in manibus dominorum suorum.*
Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum donec misereatur nostri.

3 *Miserere nostri Domine miserere nostri: quia multum repleti sumus despectione.*

4 *Quia multum repleta est anima nostra: opprobrium abundantibus, & despectio superbis.*

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum graduum.

CXXIII.

1 *Propheta* AD te leuaui oculos meos: qui sedens es in cælis.

2 Ecce sicut oculi seruorum ad manum dominorum suorum, sicut oculi ancillæ ad manum heræ suæ: sic oculi nostri ad Dominum Deum nostrum vsquequo miserebitur nostri.

3 Miserere nostri Domine miserere nostri: quoniam multum satiati sumus despectione.

4 Multa satietas est ipsi animæ nostræ: illusio quietorum sumus, despectio superbis sumus.

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Canticum graduum.* De quo vt suprà.

Materia. Circa materiam Psalmi est aliquid certum & aliquid ambiguum. Certum est quòd Psalmus iste est oratio populi veteris Testamenti oppressi despectione & irrisione. Et quidem quòd persona loquens in hoc Psalmo, his malis non solum oppressa sed plena sit mali, clarè Psalmus testatur. Quòd vero persona hæc non sit singularis homo sed vna multitudo, ex eo patet quòd in primo versiculo incipit à singulari dicendo *leuaui oculos meos*: deinde semper loquitur pluraliter, hoc est per pronomen *nostri*, & *anima nostra*.

Quòd autem multitudo hæc veteris sit Testamenti, imperfectio affectus testatur: magnifacit enim hæc mala temporalia irrisionis & despectionis: & tanti facit qòòd oculos suspensos tenet ad Deum vsquequo Deus subleuet ab hac miseria. Talis siquidem affectus non quadrat perfectioni status noui Testamenti: cuius non solum perfectiores partes *ibant gaudentes quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati*, sed & alij cum gaudio susceperunt rapinam bonorum suorum: vt patet ad Hebr. 10. Statui autem veteris Testamenti (in quo temporalia bona promittebantur) consonat. Ambiguum autem est si pro aliquo certo & pro quo determinato tempore Propheta loquitur: quia hæc duo mala despectionis & irrisionis, sæpe populo illi accidisse videntur: sicut & paupertas, quæ homines ridiculos facit.

SVMMARIVM EST.

MAteria igitur & summarium Psalmi est multitudo repleta despectione & irrisione, suspiciens ad Deum vt misericorditer subueniat.

Persona loquens Propheta est.

AD TE LEVAVI. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Ecce sicut oculi.* Proponitur persona recurrens ad Deum ad similitudinem leuantis oculos corporeos versus cælum, tanquam Vers. 1.

ad

ad hominem residentem in cælis. Et significatur per hoc recursus interior secundùm affectum mentis ad Deum. *Qui sedens*, supple es, *in cælis*. Humano more de Deo loquendo, describit ipsum sedentem in cælis. Et ad literam satisfacit vulgo, impotenti cogitare esse aliquid quod nullibi sit. Et veritas locutioni respondens est, qui etiam in cælis sedens es. Deus enim vbique sedet: & hoc ad excellentiam eius spectat quòd etiam in cælis sedeat: hoc est quietè regnet ac iudicet. Hæc enim omnia sedere secum fert: quoniam sedes, quietis est, regis & iudicis. Et nihilominus specialiter dicitur in cælis sedens, ratione manifestiorum effectuum diuinorum: quia in cælis omnia sic ordinatè procedunt vt diuinam præsentiam præ se ferant.

Vbique sedet Deus, specialiter tamen in cælis.

Vers. 2. Ecce sicvt ocvli. Incipit hæc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *ad te leuaui oculos meos*, quantùm ad modum leuandi oculos. Secundò quantùm ad causam, ibi, *miserere nostri*. Modus leuandi oculos explicatur quantum ad duo, scilicet quantùm ad subiectionem ex similitudine seruorum & ancillarum, non audacter exigentium necessaria ad victum, sed vt seruos & ancillas decet diligentium & leuantium oculos versus manus domini seu heræ, vt porrigant sibi necessaria: & quantùm ad perseuerantiam, dicendo *vsquequo misereatur nostri*.

Vers. 3. Miserere nostri. Tractatur hìc causa leuandi oculos, explicando miseriam. *Quoniam multum satiati sumus despectione, multa satietas ipsi animæ nostræ*: hoc est multitudo satietatum diuersarum iniuriarum iam est ipsi animæ nostræ, vitæ nostræ. Vnico verbo describere voluit & innumerabilem multitudinem & magnitudinem (vtpote vsque ad satietatem) iniuriarum.

Illusio quietorum, despectio superbis. Subiungit generali satietati iniuriarum duas in specie. Alteram quòd sumus illusio quietorum: hoc est quòd illudimur ab hominibus quietis, ociosis, deliciosis. Alteram quòd sumus despectio superbis: hoc est quòd despicimur à diuitibus supereffluentibus, & propterea superbientibus. Et specificauit has duas iniurias (quoniam intolerabiliores sunt) ad prouocandum Dei misericordiam. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Canticum graduum.*

CXXIII.

2 NISI quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: nisi quia Dominus erat in nobis.

3 Cum exurgerent homines in nos: forte viuos deglutissent nos.

4 Cum irasceretur furor eorum in nos: forsitan aqua absorbuisset nos.

5 Torrentem pertransiuit anima nostra: forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

6 Benedictus Dominus: qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

7 Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est & nos liberati sumus.

8 Adiutorium nostrum in nomine Domini: qui fecit cælum & terram.

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum graduum Dauidi.

CXXIV.

1 *Israel.* NISI Dominus [4] quòd fuit nobis. *Propheta.* dicet nunc Israel.

2 *Israel.* Nisi Dominus [4] quòd fuit nobis: exurgente super nos homine.

3 Tunc viuos absorbuerunt nos: furente ira eorum in nos.

4 Tunc aquæ illuerunt nos: flumen transiuit super animam nostram.

5 Tunc transiuit super animam nostram: aqua † superbiarum.

† *aquæ.*

6 Benedictus Dominus [4]: quòd non dedit nos prædam dentibus eorum.

7 Anima nostra quasi passer euasit de laqueo aucupum: laqueus fractus est, & nos euasimus.

8 Auxilium nostrum in nomine Domini [4]: factoris cælorum & terræ.

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Canticum graduum Dauidi*. De quo vt suprà.

Materia. Circa materiam Psalmi est aliquid certum & aliquid ambiguum. Certum siquidem est quòd inducitur in hoc Psalmo populus Israel recognoscens se diuino auxilio euasisse periculum occisionis ab homine in furore: periculum autem tale quòd fuit ferè occisus, quòd fuit sicut auis iam laqueo capta quæ euasit quia laqueus fractus est. Quòd enim populus Israel sit qui hic

hic inducitur, patet ex principio Psalmi: in quo clarè Propheta introducit populum Israël dicturum: *dicat nunc Israel, nisi quòd Dominus fuit nobis*; &c. Hoc est ergo certum de materia Psalmi.

Ambiguum autem est quæ historia hic tangatur. Considerando autem quòd Dauid inducit populum, quòd nunc dicet gratias ob euasionem à periculis, apparet quòd tanquam tunc (tempore scilicet ipsius Dauidis) euaserit populus talia pericula. Quocirca beneficium diuinum præstitum populo regnante Dauide, pro quanto non vna pars Israël sed vniuersus Israël euasit securus à periculo vlterius seruiendi Moabitis, Syris, Philistæis, & cæteris circumuicinis gentibus, quibus prius seruierant (vt patet in libro Iudicum & primo Regum) est materia Psalmi huius ad literam: quadrant siquidem huic sensui omnia.

SVMMARIVM EST.

Cantat Dauid populum Israel recognoscentem tempore regni eius beneficium diuinum quo ereptus est à periculis seruiendi vlterius gentibus circumuicinis: à quarum dominatu euaserunt Domino frangente per Dauidem illarum vires.

Personæ loquentes sunt Propheta & Israel.

VERS. 1. NISI DOMINVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *furente*. Proponit: *dicat nunc Israel*. Aduerbium *nunc* demonstrat tempus regni Dauidis iam securi, quo conditus est Psalmus. *Israel* nomen est ipsius populi Hebræi.

Nisi Dominus quòd fuit nobis. Ecce quod dicet, *nisi quòd Dominus fuit nobis*, bis repetendo ad exaggerationem gratitudinis: *exurgente super nos homine, tunc viuos absorbuerunt nos*: magnitudinem periculi à quo liberatus est proponit. Et intendit per hominem multitudinem hominum. Et propterea transit à singulari in plurale: ab exurgente homine ad multos qui absorbuissent eos. Significanter autem dicit *super nos*, propter potestatem magnam quâ insurrexerunt aduersus eos, & sæpe superauerunt illos.

Circa ordinem literæ aduerte duas transpositiones. Altera est quòd inchoari debet: *dicat nunc Israel*. Altera est quòd vbi dicitur, *nisi Dominus quod fuit nobis*, transposita est coniunctio *quia*: nam ordinanda est sic: Nisi quòd Dominus fuit nobis: metri enim causa huiusmodi transpositiones contingunt. *Transpositiones metri causa.*

Aduerte quoque modum loquendi linguæ Hebrææ, dicendo, *tunc viuos absorbuerunt nos*: cùm nō intendant significare quòd absorbuerūt, sed quòd nisi Dominus affuisset, absorbuissent: quod in lingua Latina dicimus, *tunc absorbuissent nos*. Hebræi enim omni carentes præterito præterquam indicatiui, illo vtuntur. Et hoc idem intelligas in consequentibus huius Psalmi. Et describit viuos absorbendos velut à marinis belluis, ad significandam integritatem periculi: quia scilicet fuerant in periculo ne ex toto perirent sicut qui viui absorbentur.

Vers. 3. FVRENTE IRA EORVM IN NOS. Incipit hic pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *exurgente homine*, &c. Secundò illa, *nisi Dominus*, ibi, *benedictus Dominus*.

Tractatur itaque magnitudo periculi ex similitudine aquarum dupliciter. Primò ad similitudinem aquarum impetu superuenientium: vt sæpe contingit ex montibus. *Furente ira eorum in nos* (magnitudo impetus per hoc significatur) *tunc aqua illuerunt nos*. Intellige pro illuissent nos: hoc est, cooperuissent submergendo: aqua enim non illuit nisi quod subtus eam est. *Magnitudo periculi ex aquarum similitudine explicatur.*

Flumen transiuit super animam nostram. Altera similitudo est crescentis fluminis cum periculo iuxta habitantium. *Flumen transiuit super*, id est, iuxtà, *animam nostram*, vitam nostram: hoc est, cum periculo vitæ nostræ. *Tunc transiuit*, pro transisset, *super animam nostram aqua superbiarum*: hoc est, aqua superexcedens & submergens vitam nostram. In Hebræo habetur *aqua* in numero plurali. Et significantur per has similitudines pericula irreparabilis seruitutis populi: sicut absorptus & submersus, irreparabilis est.

Vers. 6. BENEDICTVS DOMINVS. Tractatur hic illa particula, *nisi Dominus*, &c. gratias agendo Deo: ita quòd duo in hac gratiarum actione explicat, scilicet liberatorem Deum, non Dauidem, non fortes illius: & modum quo liberati sunt.

Liberatorem incipiunt significare, laudando Deum quòd non dedit nos prædam dentibus eorum. In quo quia feræ tendunt ad prædam dentibus vorandam, assimilantur hostes feris & populus Israël prædæ: eo quòd sicut fera ad prædam, ita gentes illæ ad populum se habebant, vorantes libertatem & omnia illorum bona. Et intendit per hoc significare quòd Deus non permisit illos consumi: hoc est enim non dari in prædam dentibus consumendam.

Vnde declarando hoc subdit: *Anima nostra*, vita nostra, *quasi passer euasit de laqueo aucupum*. Dictio Hebraica interpretata *euasit*, si Latinitas permitteret sonat *euasa*. Describit per hanc metaphoram modum quo populus euasit de periculo, assimilans vitam populi passeri qui euasit de laqueo. Et subiungit modum quo euasit: *laqueus fractus est, & nos euasimus*. Potentiam principum detinentium populum Israël in seruitute ad hoc vt perpetuò seruirent, vocat laqueum detinentem, sed fractum pro populi liberatione.

Auxilium nostrum, ad fractionem laquei, *in nomine Domini factoris cælorū & terræ*. Dicendo, *auxilium nostrum*, significat ipsos cooperatos ad frangendum laqueum, innixos tamen diuino auxilio, inuocando diuinum nomen: quia verè sic fuit: Dauidis siquidem prælia omnia quibus confregit potentias omnium vicinarum gentium, fuerunt innixa diuino auxilio. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Canticum graduum.*

CXXIV.

QVI confidunt in Domino, sicut mons [illegible]
Sion non commouebitur in æternum [illegible]
2 *qui habitat in Hierusalem.*

Montes in circumitu eius, & Dom[illegible]
in circumitu populi sui: ex hoc n[illegible]
& vsque in seculum.
3 *Quia non relinquet Dominus virg*[illegible]
peccatorum super sortem iustorum: [illegible]
non extendant iusti ad iniquitat[illegible]
manus suas.
4 *Benefac Domine: bonis & rectis cord*[illegible]

5 *Declinantes autem in obligationes ad*[illegible]
cet Dominus cum operantibus iniq[illegible]
tatem: pax super Israël.

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum graduum.

CXXV.

1 *Propheta.* CONFIDENTES in Domino + (erunt) sicut mons Sion: (qui) nō labetur, (&) æterno sedebit.
2 Hierusalē (est sic quòd) montes in circumitu ipsi: & Dominus+ in circumitu populo suo ex nunc & vsque æternum.
3 Quia non requiescet virga impietatis super sortem iustorum: propterea non extendent iusti in iniquitate manus suas.
4 Benefac Domine +: bonis & rectis corde suo.
5 Et declinantes obliquitatibus suis, (in obliquitates suas) deducet eos Dñs + cum operantibus iniquitatis: pax (sit) super Israel.

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Canticum graduum.* De qu[illegible] suprà.

Materia. Circa materiam Psalmi aduerte quòd ante[illegible] gnum Dauidis omnes ciuitates Israel erant in [illegible] ferentes: postquam autem populus Israël [illegible] regem Dauidem stabilisse firmitate perpetua [illegible] rusalem pro ciuitate regia, simul & diuina r[illegible] ne templi, occasionem habuit cogitandi & [illegible] murandi quòd ciuitate Hierosolymitana m[illegible] ab hostibus, reliquus populus aliarum ciuita[illegible] pateret superuenientibus hostibus. Vnde a[illegible] currendum huiusmodi cogitationi seu mur[illegible] editus est Psalmus iste: declaratorius quòd [illegible] uersus populus Israël modo confidat in Do[illegible] durabit & habitabit securus sicut mons S[illegible] Hierusalem. Hanc esse ad literam intentio[illegible] & materiam Psalmi, ipse Psalmus clarè mon[illegible] assimilans cōfidentes in Domino, mōti Sion,

SVMMARIVM EST.

COnfidentes in Domino erunt sicut mons Sion, [illegible] *immutabilis & habitans in æternum: quia* [illegible] *Dominus circumcirca custodit populum sicut* [illegible] *quod alienus princeps non dominabitur ei:* [illegible] *autem abducet de terra quam dedit eis.*

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. COnfidentes in Domino. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Hierusalem.* Proponit similitudinem inter confidentes in Domino ex vna parte, & montem Sion ex altera parte. *Confidentes in Domino,* vbicunque habitantes, supple sunt *sicut mons Sion.* Et explicans penès quid attenditur hæc similitudo, subiungit: *non labetur, æterno sedebit.* 2. Paralip 33. dicit Deus de monte Sion: *In domo hac & in Hierusalem quam elegi de cunctis tribubus Israel ponam nomen meum in sempiternum.* Huiusmodi enim promissio hîc describitur dicendo: *non labetur,* à statu suo, *sed sedebit,* quiescet, *æterno.* Hoc idem intendit Propheta applicandum ad confidentes in Domino: est enim imperfectus sermo. Et sensus est: Confidentes in Domino sunt sicut mons Sion, qui non labetur, qui æterno sedebit: hoc est etiam confidentes in Domino non labentur, in æternum sedebunt, aliter non essent sicut mons Sion habens istas conditiones. Vnde & in allegato textu subiungit Deus: *Et mouere non faciam pedem Israel de terra quam tradidi patribus eorum;* ecce stabilitas similis promissa toti Israël *ita duntaxat si custodierint facere quæ præcepi eis per manum Moysi.* Propter hanc enim conditionalem Propheta non dixit, *populus Israël sicut mons Sion,* sed dixit, *confidentes in Domino:* ad includendam conditionem appositam à Deo: nam confidentes in Domino sunt custodientes mandata Dei.

Confidentes in Domino, monti Sion comparat.

Vers. 3. HIERVSALEM. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò declaratur illa particula, *sicut.* Secundò declaratur illa particula, *non labetur,* ibi, *quia non requiescet.* Tertiò declaratur illa particula, *confidentes in Domino,* ibi, *benefac.* Reddit itaque rationem similitudinis inter montem Sion & confidentes in Domino. *Hierusalem:* fac ibi punctum: hoc est sic est, montes *montes in circumitu ipsi,* Hierusalem. Vbi aduerte duo. Alterum quòd pro synonymis in proposito vtitur Propheta *Sion & Hierusalem:* quoniam vna & eadem erat ciuitas, cuius vna pars vocabatur

In Sion de-scripta regia & Templum. bitat mons Sion: in qua erat domus regia & in cuius summitate ædificatum est templum. Alterum quòd occasio murmurandi insinuatur, quia Hierusalem erat munita montibus in circuitu: ac per hoc ex naturali situ munita. Hinc enim ratio murmuris: tanquam rex locauerit se & suos in loco munito, & reliquus populus dimissus sit vtcumque.

Et Dominus in circuitu populi sui: è regione ad montes Hierusalem, dicit & *Dominus.* Vbi perspice similitudinem incomparabilem Hierusalem habet pro munimine montes in circuitu: populus Dei habet pro munimine Dominum in circuitu: quanto ergo Dominus præstat montibus, tanto munimen populi excellentius est munimine Hierusalem. *Ex nunc & vsque æternum.* Quia montes perpetuo munimini sunt Hierosolymitanis, oportuit explicare quòd etiam Dominus perpetuum munimen est populo suo. Et dicit *ex nunc:* hoc est, ex tempore quo populus confidit in Deo.

Vers 3 QVIA NON REQVIESCET. Declaratâ similitudine cum excellentia ex parte confidentium, reddit modò rationem quòd non labentur, quòd in æternum sedebunt. *Quia non requiescet virga impietatis super sortem iustorum:* ex diuina custodia efficietur quòd virga impietatis, hoc est potestas idololatrarum, non quiescet, non dominabitur, super terram quæ sors est iustorum, Abrahę, Isaac, Iacob, & filiorum imitantium ipsos in iustitia: nullum enim hostem timebant nisi idololatras. Et propterea exclusio omnis extranei dominij significata est excludendo virgam impietatis. *Virga impietatis, quid?*

Propterea non extendent iusti in iniquitate manus suas. Fructus & finis diuinæ custodiæ explicatur non extensio manuum in iniquitate: hoc est non adorare iniquè, non adorare idola. Adoratio enim iniqua significatur per extensionem manuum in iniquitate: quia adorantes eleuant manus versus illum quem colunt. *Propterea,* quia non requiescet, &c Ideo *non extendent iusti,* scilicet iustitiam sectantes, *in iniquitate,* idololatriæ, *manus suas:* sed obsequentes Domino, pactum initum cum eo seruantes & gratias referentes Deo extendent. *Adorantes eleuant manus versus eum quem colunt.*

Vers 4. BENEFAC DOMINE. Redditur ratio illius particulæ, *confidentes in Domino,* ex differentia retributionis statutæ iustis & iniustis. *Benefac Domine.* Per modum supplicationis retributionem iustorum significat: vt intelligas sic pendere ex iustitia vt innitatur gratiæ. *Bonis & rectis in corde suo.* Bonitas ad intentionem refertur: rectitudo ad executionem. Et vtraque describitur radicata intùs, vt excludatur omnis simulatio. *Bonitas ad intentionem; rectitudo ad executionem refertur.*

Et declinantes obliquationibus suis. Retributio iniquorum describitur, non supplicando sed narrando: quoniam ex nobisipsis non ex Deo declinamus à recto ad tortos mores. Vnde & significantius dicit, *obliquationibus suis:* quia prauitates ex nostra sunt officina. *Deducet eos Dominus cum operantibus iniquitatis:* hoc est, abducet eos de terra quam dedit patribus eorum, sicut comminatus est in Deuteronom. *Pax super Israel.* Imprecantis est vox ista, manifestans quorsum tetenderit per hunc Psalmum: scilicet ad hoc vt sit pax super Israël, ad hoc vt non sit murmur inter eos, sed super vniuersum Israël sit pax, sit tranquillitas ordinis confidendo in Deo. Hinc enim conicere possumus exortum fuisse murmur in populo Israël propter Hierusalem: & quòd propterea Propheta conclusérit, *pax sit super Israel.* Ac si aperte dixisset Cesset iam murmuratio, & sit pax Domini in vniuerso Israële. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Canticum graduum.*	Canticum graduum.
CXXV.	CXXVI.
IN *conuertendo Dominus captiuitatem Sion: facti sumus sicut consolati.*	1 *Propheta* REDVCENTE Domino [4] captiuitatem Sion: fuimus sicut conualescentes.
2 *Tunc repletum est gaudio os nostrum: & lingua nostra exultatione. Tunc dicent inter gentes: magnificauit Dominus facere cum eis.*	2 Tunc implebitur risu os nostrum, & lingua nostra cantu: tunc dicent inter gentes. *Vox gentium.* Magnificauit Dominus [4] ad faciendum cum istis.
3 *Magnificauit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes.*	3 *Propheta* Magnificauit Dominus [4] ad faciendum nobiscum: fuimus lætantes.
4 *Conuerte Domine captiuitatem nostram: sicut torrentes in austro.*	4 Reduc Domine [4] captiuitatem nostram: sicut riuos in Austro.
5 *Qui seminant in lachrymis: in exultatione metent.*	5 Seminantes in lachryma, in cantu metent.
6 *Euntes ibāt & flebāt: mittētes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione: portantes manipulos suos.*	6 Eundo ibit & flendo, portans longè semen: veniendo veniet in laude, portans fasciculos suos.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Canticum graduum.* De quo vt supra.

Materia Psalmi ex principio ipsius apparet: dum describitur reductio captiuitatis Sion: ex eo enim quòd non tractatur reductio captiuitatis Israël sed Sion, clarè significatur quòd de reductione captiuitatis Babylonicæ est sermo: tunc siquidem non vniuersus Israël, sed populus captiuatus ex Sion (hoc est ex regno Iudæ) tempore captiuitatis Ioachim & Sedechiæ regum Iuda reductus est: sub Cyro, Dario & Xerxe regibus Persarum. Et hæc est ad literam materia Psalmi.

SVMMARIVM EST.

Populus Sion captiuatus à Nabuchodonosor flendo iuit in partes longinquas, portans semen diuinæ scripturæ: quo fructificante rediit cum exultatione, reducente eos Deo in Sion, in lætitia & diuina laude etiam ab extraneis.

Persona loquens Propheta est.

REDVCENTE DOMINO. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ & executiuam, ibi, *tunc implebitur.* Proponit [illegible] Primò reductionem captiuitatis. *Reducente Domino*, non homine, *captiuitatem Sion*, [illegible] ion abductam in Babylonem. Secundò in[illegible] um: *fuimus sicut conualescentes.* Veram [illegible] anc prophetiam res postea gesta testatur: qu[illegible] conualescentibus [illegible] iam similes ex ægritudine conualescentibus [illegible] merunt redeuntes ex captiuitate Babyloniæ: pa[illegible] latim enim auctæ sunt vires eorum: vt patet lib. Esdræ.

Vers. 2. TVNC IMPLEBITVR RIS[VS]. Incipit hîc pars executiua tali ordine; Primò tractatur illa particula, *reducente Domino captiuitatem Sion.* Secundò illa, *fuimus sicut conualescentes*, ibi, *seminantes in lachryma.* Explicat [illegible] itaque reductor ex captiuitate Dominus, supp[illegible] cando augmentum. *Tunc implebitur risu* [illegible] tisus significatur lætitia interior redundans in exteriora signa in vultu) & *lingua nostra exultatione*: facies nostra erit plena lætitiæ, & lingua no[stra] cantabit cantica Dei.

Tunc dicent in gentibus: non solùm nos la[udabimus] [illegible] dabimus Deum, sed etiam inter gentes extr[ane]as dicent, hoc, scilicet: *magnificauit Dominus facere cum istis.* Ita quòd profitebuntur gentes quòd Dominus fecit magna nobiscum. Adimpleta est prophetia hæc, cùm Cyrus rex Persarum etiam literis publicauit quòd Deus mandauit sibi ædificare templum in Hierusalem & quòd propterea licentiam dabat vt ij qui erant in captiuitate, redirent in Hierusalem, &c. Quo facto rationi consonat vt multi gentilium videntes tale regis testimonium & opus, dicerent quoque: magna fecit Dominus istis captiuis: sic in enim constet consiliarios regis munera misisse in Hierusalem.

Magnificauit Dominus ad faciendum nobiscum Gentiles dicent & nos profitebimur & cantabimus: *magnificauit Dominus ad faciendum nobiscum*: & ideo *facti sumus lætantes.*

Vers. 4 REDVC DOMINE. Laudatore ductore, supplicat pro augmento. *Reduc Domine captiuitatem nostram sicut riuus in austro.* Riui aquarum, flante vento à meridie, magis abundant & fluunt. Et ideo per hanc similitudinem petit Propheta reductionem captiuitatis augeri: præuidit enim Propheta non redituram totam captiuitatem à principio: & propterea petit augeri reductionem. Et fuit hæc oratio exaudita, quoniam post primam reductionem factam sub Cyro, secuta est secunda duce quoque Zorobabel sub Dario: & postea tertia sub Xerxe filio Darij duce Esdra: & demum sub eodem Xerxe venit Nehemias.

Riui aquarum flante vento meridiano magis abundant.

Vers. 5. SEMINANTES IN LACHRYMA. Tractatur hîc illa particula, *fuimus sicut conualescentes*: declarando vtrumque statum: scilicet mali ex quo populus conualuit, & boni in quod est mutatus. Declarat autem ex alia metaphora, describendo modum quo reducti sunt, ex altera similitudine: scilicet ad seminantes cum fletu, metentes autem & reportantes fructum cum lætitia. Congruit autem hæc similitudo rei gestæ; quoniam quamuis Scriptura sacra nihil aliud dicat de causa reductionis, nisi quòd *suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum*: Iosephus tamen lib. 11. Antiq. refert quòd Cyrus rex Persarum viso Esaia Propheta quòd scripsisset Christo meo Cyro, &c. concepit Deum præcepisse sibi quòd ædificaret templum in Hierusalem. Refert quoq; quòd Darius votū vouerat si fieret rex, donare Hierosolymitano templo omnia Dei vasa quæ erant Babyloniæ: Xerxem quoque regem Esdræ (in lege diuina doctissimi) amicitiā vsum. Ex quibus iunctis cum scriptis in libro Esdræ, apparet ratio istius similitudinis: *seminantes in lachryma*, hoc est in multitudine lachrymarum, *in cantu metent.*

Darius vouerat si fieret Rex donare Templo Ierosolymitano vasa Dei quæ erant in Babylone.

Et declarans parabolam, subdit: *Eundo ibit*, populus in captiuitatem, & *flendo: portans longè*, ad longinquas regiones, *semen*, diuini verbi sacrorúmque librorum: *Veniendo veniet in laude*, laudando Deum. Et ad literam Zorobabel sub Dario multitudinem reducens captiuorum, venit cum cantibus & tibiis & cymbalis. *Portans fasciculos suos*, vasorum argenteorum & aureorum & regiorum prouentuum pro templo & sacrificiis. Fasciculos, inquit, non manipulos sed fasciculos manipulorum: ad denotandam magnitudinem fructus.

Et potes per reportationem fasciculorum intelligere magnitudinem fructus producti per diuinum semen, in hoc quòd tot reges & consiliarij cognouerunt & coluerunt verum Deum. Amen.

PSAL

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Canticum graduum.*

CXXVI.

NISI Dominus ædificauerit domum: in vanum laborauerunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit ciuitatem: frustra vigilat qui custodit eam.

2 *Vanum est vobis ante lucem surgere: surgite postquam sederitis qui manducatis panem doloris.*

3 *Cùm dederit dilectis suis somnum: Ecce hæreditas Domini, filij: merces fructus ventris.*

4 *Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij excussorum.*

5 *Beatus vir qui impleuit desiderium suum ex ipsis: non confundentur cum loquentur inimicis suis in porta.*

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum graduum Salomoni.

CXXVII.

1 *Propheta.* SI Dominus + non ædificabit domum, frustra laborauerunt ędificatores eius in illa: si Dominus + non custodiet ciuitatem, frustra solicitauit custodiens.

est ô

2 Frustra vobis antelucantes surgere, retardantes sedere, comedentes panem dolorum: quia sic dabit amico suo somnum.

sunt

3 Ecce hæreditas Domini + filij: merces est fructus ventris.

4 Sicut sagittæ in manu fortis: ita filij excussionum.

erunt

5 Beatitudines viri qui impleuit pharetram suam ex ipsis: non confundentur cùm alloquentur inimicos in porta.

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Canticum graduum Salomoni.* Vel quia Salomon fuit eius auctor: vel potius quia est instructio Dauidis directa Salomoni.

Materia & Summarium. Materia Psalmi est curam victus, successionis & custodiæ ab hostibus respectu populi Israël spectare ad Deum, modò populus studeat munditiæ ab iniquitatibus. Hanc esse materiam Psalmi ipsemet præ se fert: ostendens vanitatem studij humani circa hæc sine Domino, & subiungens prouisiones diuinas circa eadem: vt clarius patebit exponendo.

Et hinc collige Psalmum istum directè tractare statum veteris Testamenti: in quo promittebantur hæc temporalia bona populo Israël perseueranti in cultu Dei. Et hoc etiam sufficiat pro Summario.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. SI DOMINVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *sic dabit.* Proponit tres vanitates. Prima est studium circa ædificationem domus sine Deo ædificante. *Si Dominus non ædificabit domum, frustra laborauerunt ædificatores eius in illa.* Ædificare domum, non significat hic construere domum in qua habitatur: sed significat ad literam construere progeniem filiorum, nepotum, pronepotum, & reliquam successionem. Ita quòd sensus est: Si Dominus non dederit successionem progeniei seu gentis, frustra laborauerunt quicumque studentes ad hoc vt conseruentur progenies eorum. Claré siquidem patet 2. Regum 7. & 1. Paralip. 17. pluries appellari ædificationem domus, gratiam huiusmodi successionis: Deo promittente Dauidi quòd ædificabit ei domum, hoc est progeniem succedentem ei in regno. Et quòd in hoc loco sic sumatur, contextus Psalmi manifestat: dum inferius nulla subiungitur declaratio diuinæ curæ circa ædificium domus artificialis, sed circa ædificium domus naturalis: hoc est progeniei seu gentis.

Ædificare domũ significat construere progeniem filiorum, nepotum, &c.

Si Dominus non custodiet. Secunda vanitas est studium custodiendi ciuitatem ab hostibus sine Deo custodiente. Et intendit ad literam ambo hæc studia vana esse, si non ita se habeant vt mereantur habere Deum ædificantem & custodem: hoc est si non seruauerint legem Dei, frustra procurant conseruationem progenierum suarum, frustra solicitant circa custodias ciuitatum ab hostibus: vt in Deuteronom. maledictionibus continetur.

Vers. 2. FRVSTRA VOBIS. Tertia vanitas describitur superfluus labor pro victu. Et hæc vanitas non describitur cum conditionali, *si Dominus non affuerit*, sicut aliæ: quia studia priùs dicta irreprehensibilia sunt si cum cultu Dei fiunt, vana autem sine obseruatione legis Dei: superfluum verò studium, reprehensibile omnino est.

Et propterea simpliciter & absolutè reprehenditur dicendo: *frustra vobis*, supple est, *antelucantes surgere*. Apostrophat ad superfluè laborantes, tum præuentione temporis. Tempus enim laborandi est ab ortu Solis: iuxta illud: *Ortus est Sol, exibit homo ad opus suum*. Et propterea Propheta superfluum laborem ex præuentione temporis describit ab ante lucem surgere, alloquendo: *O antelucantes surgere, retardantes sedere*. Superflua protogatio laboris describitur per retardationem à sedendo. Cùm enim deberent laborare vsque ad vesperam, laborant etiam post Solis occasum: seu etiam cùm esset hora quiescendi, non cunantes de quiete, retardant requiescere vltra tempus debitum. Et causam subdit: *comedentes panem dolorum*: hoc est, habentes victum cum magna afflictione. Vbi manifestè apparet quòd non labor sed superfluitas laboris reprehenditur: & dicitur eis quòd frustra ipsis est huiusmodi superfluitas. Ratio autem inferius subiungetur, quia Deo incumbit cura victus eorum: & propterea sufficere deberet eis laborare tempore congruo: hoc enim ad literam intendit Propheta.

Sic dabit. Expeditâ propositione trium vanitatum filiorum Israël, declarat modò Propheta rationem illarum vanitatum singillatim ex diuina prouisione. Et fundatur tota hæc pars super promissiones diuinas in Deuteronom. factas populo Israël. *Sic dabit amico suo somnum*. Sic, subiungetur, *dabit*, Deus, non populo Israël absolutè sed populo Israël *amico suo*. Dei per charitatem, fidem, spem, cultum, &c. (in his enim consistit amicitia hominis ad Deum: quoniam iter non vellet ea quæ Deus vult: amici autem est idem velle & idem nolle) *somnum*, quietem desideratam.

Vers. 3. Ecce hæreditas Domini filii. Declarat prouisionem diuinam circa ædificationem domus: cuius vanitas sine Domino fuit primò proposita. Et intendit quòd filij Israël amici Dei quia sunt electi à Deo in hæreditatem suam (hoc est, vt sint hæredes Dei ad possidendum velut iure paternæ hæreditatis terram Dei) ideo Deus curam habet de successione eorum; vtpote de hæreditate propria. Hoc siquidem significatur dicendo; *Ecce hæreditas Domini filij*. Est enim sermo imperfectus: subintelligendum relinquens quòd Dominus filiorum curam habet, vtpote hæreditatis suæ.

Merces fructus ventris. Vanitatis superflui laboris tertiò loco propositæ ratio redditur, ex hac quòd Deus prouidet illis tanquam operariis suis de mercede: hoc enim importat mercedis nomen. Et aptè: tum quia vt operarij Dominus fuerunt: tum quia Deus vt proprius Dominus terræ promissionis, filios Israël se tenere profitetur quasi colonos suos: vt apertè dicitur Leuit. 25. Quæ autem sit illa merces quam reddit Deus, explicatur *fructus ventris*: hoc est, fœtus animalium, ouium, vaccarum, equorum, &c. Et etiam lac, caseus, butyrum, appellatione fructus ventris comprehenduntur: quoniam ex impregnatione ventris prouenit lac. Et intendit per hoc ad literam fructum naturalem prouideri à Deo pro mercede laborum filiorum Israël in terra promissionis. Ac si apertè diceret: non oportet vos superfluè laborare, quia Deus prouidet populo amico suo de fructibus naturalibus qui proueniunt ex animalibus. In quo subintelligitur quòd multo magis prouidet de fructibus terræ: in maiori enim includitur minus: maius autem est prouidere de fructu ventris, quàm de fructu terræ.

Fructus ventris, quid?

Sicut sagittæ. Redditur ratio vanitatis custodiæ ciuitatis sine Domino: assimilando filios excussionum sagittis in manu fortis. Hebrææ linguæ consuetudine operam dantes excussioni, filij excussionum appellantur: sicut filij nuptiarum vacantes nuptiis; & similia. Et quia excutimus à nobis immunditias, & quæcumque abominabilia si tangant nos, ideo filij excussionum appellantur Israëlitæ studiosi ad excutiendum à se immunditias iniquitatum, & seruandum se mundos à malis moribus & operibus, &c. Et intendit Propheta ex hac similitudine docere quòd si studebunt ad seruandum se mundos ab iniquitate, erunt pro armis offensiuis contra hostes sicut sagittæ in manu fortis: hoc est, quòd munditia eorum erit loco sagittarum contra hostes, Deo pugnante pro illis.

Filij excussionum qui.

Beatitudines, sunt, *viri qui implent pharetram suam ex ipsis*, filijs excussionum veluti sagittis. Vtitur nomine pharetræ alludendo ad metaphoram sagittarum: sed intendit per pharetram ciuitatem, & instruit Salomonem incitando cum ex felicitatis statu. *Beatitudines*, erunt non cuiuscumque, sed *viri qui implent pharetram suam*, ciuitatem suam, curiam suam, *ex ipsis*, filiis excussionum, viris mundis excutientibus à se omnem immunditiam: *non confundentur*: ecce ratio, quia non confundentur, filij excussionum, *cum alloquentur inimicos in porta*, ciuitatis, Deo illos tuente. Vbi clarè describi paret Deum custodire ciuitatem per viros mundos: & propterea meritò dictum esse quòd si non custodiet, vana erit custodia; quia si non sunt viri mundi, Dominus non custodiet; & sic vana erit hominum custodia.

Deus per viros mundos custodit ciuitatem.

Considera prudens lector omnia subiuncta ab illo loco, *Sic dabit amico suo somnum*, vsque ad finem Psalmi: & nihil inueniens quod spectet ad ædificationem domus ex lapidibus & calce, &c. reperiens autem quod spectet ad ædificationem domus, id est, progeniei, vbi dictum est: *Ecce hæreditas Domini filij*, probabis quod in principio diximus quòd non de domo artificiali, sed de domo naturali propositum est, si Dominus non ædificabit domum: hæc enim ratio me mouit. Amen.

PSAL.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Canticum graduum.*

CXXVII.

BEATI *omnes qui timent Dominum: qui ambulant in viis eius.*

2 *Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es & bene tibi erit.*

3 *Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ.*

Filij tui sicut nouellæ oliuarum: in circuitu mensæ tuæ.

4 *Ecce: sic benedicetur homo qui timet Dominum.*

5 *Benedicat tibi Dominus ex Sion: & videas bona Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.*

6 *Et videas filios filiorum tuorum: pacem super Israel.*

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum graduum.

CXXVIII.

1 *Propheta.* **B**EATITVDINES (sunt) omnis timentis Dominum [+]: ambulantis in viis eius.

2 Laborem palmarum tuarum quoniam comedes: beatitudines (eiusmi) tui, (ordo præposterus) & bonum tibi.

3 Vxor tua sicut vitis fructifera in lateribus domus tuæ: filij tui sicut plantæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.

4 Ecce: quoniam sic benedicetur vir timens Dominum [+].

5 Benedicet tibi Dominus [+] ex Sion: & vide in bonitate Hierusalem omnibus diebus vitæ tuæ.

6 Et vide filios filiis tuis: pacem super Israel.

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Canticum graduum.* De quo vt suprà.

Materia Psalmi est felicitas huius vitæ promissa populo Israel in veteri Testamento: vt clarè patet intuenti.

SVMMARIVM EST.

O*Mnis Israelita timens Deum erit beatus in hac vita quoad se, vxorem, filios, successionem, ciuitatem, & regnum, ex benedictione diuina.*

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. **B**EATITVDINES OMNIS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *laborem.* Proponit duo: præmium quidem dicendo: *beatitudines,* etiam in hac vita. Meritum autem tum intus: *omnis timentis Dominum.* Tum in exteriori opere; *ambulantis in viis eius*, Domini. Et significanter dicit *omnis:* vt vniuersaliter promissam felicitatem toti populo Israel modò timeant Deum & seruent legem eius, explicet.

Vers. 2. LABOREM. Incipit hic pars executiua, tali ordine. Primò tractatur illa particula, *beatitudines.* Secundò extenditur eadem applicata ad timentem Dominum: & sic tractatur secunda particula proposita, ibi, *Ecce quoniam sic. Laborem palmarum tuarum quoniam comedes.* Describitur beatitudo domestica, tum quoad opera propria: non quia laborabit, sed quia comedet fructum laboris sui. Et appellatione *laboris* intellige omne opus. Et est hæc beatitudinis pars per exclusionem multarum miseriarum. puta *seruitutis:* seruus enim non comedit laborem manuum suarum. *Prædæ:* in terra enim rapinis subiecta non comedit homo fructum laborum suorum. *Mendicitatis:* nam mendicus non viuit ex labore proprio. *Ægritudinis:* æger enim non gaudet fructibus vineæ & horti sui, &c.

Vxor tua. Duplex laudabilis conditio vxoris describitur: scilicet fœcunditas, *sicut vitis fructifera:* & modestia, *in lateribus domus tuæ.* Vxoris enim est non in atrio, non in porta, non in media domo (in qua sunt viri) sed in lateribus seu angulis seu penetralibus domus esse. *Duplex laudabilis vxoris conditio fœcunditas, & modestia.*

Filij tui sunt plantæ oliuarum, quantùm ad vigorem seu augmentum, *in circuitu mensæ tuæ*, quantùm ad conuictum. Hæc enim omnia felicitatis sunt domesticæ.

Vers. 4. ECCE QVONIAM SIC. Redditur ratio descriptæ felicitatis: extendendo illam ex diuina benedictione promissa Israelitis timentibus Deum. *Ecce*, in promptu est beatitudo; *quoniam sic*, vt descriptum est & describetur, *benedicetur*, à Deo, *vir timens Dominum. Benedicet tibi*, quoad omnia domestica, *Dominus ex Sion*, ex cultu qui Deo impenditur; Sion enim locus erat diuini cultus.

Et vide in bonitate Hierusalem. Felicitati domesticæ addit felicitatem ciuitatis regiæ & diuinæ. Et propterea non sufficit dicere quòd be-

nedicet tibi Dominus, sed addidit *& vide* (imprecatiuè dictum pro *videbis*) *Hierusalem in bonis diebus vitæ tuæ*. In bono & felici statu: & hoc *omnibus* Non modica siquidem pars felicitatis domesticæ est videre felicitatem capitis: scilicet regiæ & diuinæ ciuitatis.

Et vide filios filiis tuis. Plus est videre filios filiis quàm videre nepotes: quoniam nepotem potest videre auus mortuo filio: sed videre filios filiis est auum videre vtrosque simul, filios & nepotes, & hoc ad felicitatem gentis.

Pacem super Israel. Reliquum erat ad perfectam felicitatem vt videret bonam totius regni dispositionem: & propterea hanc subiungit: *& vide pacem super Israel*, vniuerso scilicet regno. Et fundatur veritas horum omnium super promissiones Deuteronom. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Canticum graduum.*

CXXVIII.



ÆPE expugnauerunt me à iuuentute mea: dicat nunc Israel.

2 *Sæpe expugnauerunt me à iuuentute mea: etenim non potuerunt mihi.*

3 *Super dorsum meum fabricauerunt peccatores: prolongauerunt iniquitatem suam.*

4 *Dominus iustus concidet ceruices peccatorum:*
5 *confundantur & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.*

6 *Fiant sicut fœnum tectorum: quod priusquam euellatur exaruit.*

7 *De quo non implebit manum suam qui metet: & sinum suum qui manipulos colliget.*

8 *Et non dixerunt qui præteribant: benedictio Domini super vos, benediximus vobis in nomine Domini.*

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum graduum.

CXXIX.

1 *Israel.* MVLTVM angustauerunt me à pueritiis meis. *Propheta.* Dicet nunc Israel.

2 *Israel.* Multum angustauerunt me à pueritiis meis: etiam non potuerunt mihi.

3 Super dorsum meum arauerunt arantes: prolongauerunt sulcum suum.

4 Dominus [4] iustus concidit funiculos impiorum.

5 Confundentur & retrahent se retro: omnes odientes Sion.

6 Erunt sicut herba tectorum: quæ antequàm exiit aruit.

Erunt sicut

7 Quòd non impleuit palmam suam messor: & vlnam suam fasciculator.

Erunt sicut

8 Et non dixerunt transeuntes. *Vox transeuntium.* Benedictio Domini [4] ad vos, benediximus vos in nomine Domini [4].

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Canticum graduum.* De quo vt suprà.

Materia Psalmi est liberatio populi Israel ab oppressoribus suis postquam fuit populus liber regnante Dauide. Quòd enim populus Israel recognoscat huiusmodi diuinum beneficium, testatur principium Psalmi: *Dicet nunc Israel.* Quòd verò de oppressione à tempore Moysi vsque ad tempus Dauidis agatur, clarè apparet ex eo quòd dicitur à pueritiis meis. Ætates enim puerilis illius populi fuerunt à tempore Moysi vsque ad tempus Dauidis: sub quo fuit populus quasi vir perfectus, habens stabile regnum, ciuitatem regiam simul & diuinam, &c. Quòd autem tempus Dauidis hic significetur, apparet ex eo quòd hostes dicuntur odientes Sion: primus enim qui constituit in Sion celsitudinem regum fuit Dauid: vnde & Sion vocata est ciuitas Dauid. — *Materia.*

SVMMARIVM EST.

PRopheta porrigit populo Israel recognitionem beneficij diuini, in hoc quod regno Dauidis stabilito tot victoriis, liberatus est ab angustiis tot oppressorum suorum à tempore Moysi vsque ad regnum Dauidis.

Personæ loquentes sunt Propheta & Israel.

MVLTVM ANGVSTAVERVNT. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *super dorsum.* — VERS. I.

Porrigit

Canticum liberationis populi Israelitici.

Porrigit Propheta populo canticum liberationis suæ. *Dicet nunc*, firmato iam regno Dauidis tot victoriis quæ tanguntur, 2 Reg. 8. *Israel* populus Israel: *multum angustauerunt me*. Ecce quid dicet: quòd angustauerunt me, Edom, Amalech, Moab, Ammon, Syri, Philistæi, &c. non parum sed multum: & hoc *à pueritiis meis*. Dicit pueritias pluraliter: quoniam intendit significare omnes ætates augmenti: infantiam scilicet, pueritiam & adolescentiam. Et est metaphorica locutio qua populus Israel tanquam natus in deserto significatur: quia verè tunc natus est quoad libertatem populi, cum iam liber populus sub vna Dei lege, vno principe (Moyse scilicet) vno sacerdotio Aaron incipit viuere. Consequenter autem pueritiæ eius fuerunt per totum tempus Moysi, Iosue & Iudicum. In quibus valde oppressi fuerunt, modò ab his & modò ab illis: vt patet præcipuè in libro Iudicum, & partim in libris Moysi. Vbi legitur quòd nolentibus filiis Esau dare eis transitum, valde angustati sunt: & quòd Amalechitæ vexauerunt eos. Et intendit quòd à principio quo progredi incepit populus vsque ad regnum Dauidis, multum angustatus est ab eis: nam etiam tempore Saulis angustatus fuit à Philistæis: à quibus etiam Saül interfectus est. Et inducitur populus repetens huiusmodi oppressionem: ad denotandum magnitudinem & multitudinem oppressionum, & hoc ad magnificandum beneficium liberationis.

Etiam non potuerunt mihi. Non solum dicet Israel angustias quas passus est, sed impotentiam oppressorum suorum ad præualendum totaliter. Quamuis enim augustauerint me, affirmo tamen quòd non potuerunt mihi, dominari vsquequaque.

Vers. 3. Svper dorsvm. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *multum angustauerunt me à pueritiis meis*. Secundò illa, *etiam non potuerunt mihi*, ibi, *Dominus iustus. Super dorsum meum arauerunt arantes.* Magnitudinem afflictionis & durum seruitutis iugum describit sub metaphora hominum arantium loco boum protrahendo longos sulcos: vt geminum malum significetur: & duræ seruitutis tanquam boum arantium, & diuturnitatis in prolongatione sulci. Et primum quidem declarat primam particulam propositam: scilicet: *multum angustauerunt me*: secundum autem declarat illam diuturnitatem, *à pueritiis meis*.

Vers. 4. Dominvs ivstvs. Tractatur illa particula, etiam *non potuerunt mihi. Dominus iustus.* Recognoscit populus beneficium liberationis à Deo, laudando iustitiam diuinam erga impios oppressores. *Concidit funiculos impiorum.* Dominium impiorum super populum Israel, appellat funiculos: eo quòd Hebraico more termini confines agrorum seu terrarum, funiculi appellantur, à mensurando & constituendo terminos ad similitudinem mensurantium terram funiculis. Et intendit per hoc dispositiones quas dominantes faciebant, ordinando populo Israel diuersa onera, & statuendo eis leges prout volebant. Vnde & Philistæi ordinauerant vt faber ferrarius non esset in Israel: & sic de similibus aut peioribus. Has omnes dispositiones impiorum concidit, liberando populum à seruitute eorum.

Funiculi vocantur termini agrorum.

Vers. 5. Confvndentvr et retrahentvr retro, omnes odientes Sion. Verba hæc futuri temporis referuntur ad præteritum *concidit*: apposita siquidem sunt ad denotandum ordinem inter actionem diuinam & hos effectus subsecutos. Refert historia 2 Reg. 10. quòd Syri timuerunt præbere amplius auxilium filiis Ammon contra Dauidem. Et propterea hîc duo dicit: & quòd confundentur, & quòd retrahentur retrò. Confusio siquidem secuta est in iis qui pugnauerunt: quoniam victi sunt à Dauide. Retractio autem retrò in Syris, qui timuerunt præbere amplius auxilium contra Dauidem. Vtrique autem describuntur odientes Sion: hoc est & diuinum cultum & celsitudinem regiam Dauidis: Sion enim vtriusque erat locus: regis scilicet & arcæ Dei.

Vers. 6. Ervnt sicvt herba tectorvm. Futurum *erunt*, similiter refertur ad præteritum *concidit*: describitur siquidem subsecutus effectus ex diuina concisione. Non solùm subsecuta est confusio hostium, non solum retractio Syrorum: sed hostium ruinæ celeritas, eorundémque paucitas ac destitutio. Hæc enim tria significantur ex similitudine ad herbam quæ nascitur in tectis: tractando tres conditiones talis fœni, per oppositum ad herbam agrorum quæ crescit in frumentum.

Celeritas destructionis hostium: similitudine herbæ nascentis in tectis.

Et celeritas quidem ruinæ eorum significatur dicendo: *Erunt sicut herba tectorum quæ ante exiit aruit*: hoc est antequam exiit aruit. Visitato loquendi modo magnam celeritatem significamus, dicentes: antequam sit in lecto dormit: hoc est quamprimum est in lecto dormit: & sic de similibus. Iuxta hunc modum loquendi dicitur quòd *antequam exiit aruit*: hoc est valde celeriter aruit. Et verè valde celeriter victæ & subactæ sunt à Dauide tot nationes vsque ad Euphratem.

Quòd non impleuit palmam suam messor, & vlnam suam fasciculator. Repete & *erunt sicut. Quòd non impleuit.* Inchoauit similitudinem à frumento in herba nascente in tectis, prosequitur modò similitudinem ad frumentum in spicis: ad significandum paucitatem, raritatem ac inhabilitatem subactarum nationum ad hoc vt conualescant aduersus Sion. Culmi pauci & rari sunt, de quibus non potest implere manum suam messor: vtpote ad quos simul cogendos manus messoris non se extendit. Et similiter paucitas marginum significatur, ex hoc quòd faciens fasciculos manipulorum, non tot habet quot complecti vtrisque brachiis potest: per vlnam enim complexionem vtriusque extensi brachij significat. Et intendit per hoc quòd subactæ nationes sunt dispersæ, & tam pauci ex eis simul relicti quòd nullus potest eos congregare ad rebellandum: hic est siquidem alter affectus subsecutus: sic enim faciunt sapientes principes erga nationes subactas.

Vlna hic significat vtriusque brachij complexionem.

Vers. 8. Et non dixervnt transevntes. Prosequitur metaphoram metentium quoad hoc quòd imprecantur eis bona transeuntes. Et repete iterum, & *erunt sicut illi quibus. Et non dixerunt transeuntes: benedictio Domini ad vos.* Quia à beneuolis salutantur messores seu collectores fructuum terræ, per priuationem huiusmodi salutationis priuationem beneuolorum describit. Ita quòd vbi descripserat odientium Sion imbecillitatem, modò subiungit quòd nec

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Canticum graduum.*	Canticum graduum.
CXXIX.	CXXX.
2 *DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meã. Fiant aures tuæ intendentes: in vocem deprecationis meæ.*	1 *Propheta.* DE profundis vocaui te Domine [a].
	2 Domine † audi in voce mea: erunt aures tuæ auscultantes voci deprecationum mearum. † Domini mei.
3 *Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit?*	3 Si iniquitates obseruabis Domine: (vt propterea timearis) Domine † quis stabit (est)? † Domini mei.
4 *Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam sustinui te Domine.*	4 Quia tecum venia: propterea timeberis.
5 *Sustinuit anima mea in verbo eius: sperauit anima mea in Domino.*	5 Speraui Dominum [a] sperauit anima mea: & (ad verbum) verbo eius expectaui.
6 *A custodia matutina vsque ad noctem: speret Israel in Domino.*	6 Anima mea (ad Dominum) Domino †: (ad) supra expe(ad)ctantes mane expectantes mane. † Domini mei.
7 *Quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio.*	7 Speta Israel ad Dominum [a]: quia cum Domino [a] gratia, & multa cum ipso redemptio.
8 *Et ipse redimet Israel: ex omnibus iniquitatibus eius.*	8 Et ipse redimet Israel: ab omnibus iniquitatibus eius.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Canticum graduum.* De quo vt supra.

Materia. Materia Psalmi est aduentus Messiæ quantùm ad effectum qui est remissio peccatorum. Quòd enim Psalmus totus tractet de remissione peccatorum, clarè patet. Quòd autem de aduentu Messiæ fermè secum veniam peccatorum, ex eo patet quòd iste actus qui est redimere populum Israel ex omnibus iniquitatibus eius (qui in fine Psalmi concluditur) est proprius actus Messiæ.

Nec obstat quòd non dicit: *& ipse redimet mundum* sed *Israel*: quia cum vnus atque idem sit redemptor mundi & redemptor Israel ex omnibus iniquitatibus, quandoque describitur à redemptione Israelis, quandoque à redemptione mundi, prout Spiritus sanctus mouit Prophetas. Vnde & Zacharias quoque pater Ioannis Baptistæ describit Christum ex remissione peccatorum in populo Israel, dicens: *Ad dandam scientiam salutis plebi eius in remissionem peccatorum eorum.* Et in principio cantici, *fecit redemptionem plebis suæ.* Hæc est ad literam materia Psalmi. *Luc. 1.*

SVMMARIVM EST.

PRopheta considerans hinc humani generis peccata, inde diuinam gratiam, petit à Deo audiri: dicens quòd si ad peccata respiciet, ipse quidem Deus timebitur sed nullus saluabitur: quia verò cum ipso Deo est venia, ideo ipse sperauit Dominum, sperauit & anima eius in promissione Dei valde, sperabit & populus Israel redimendus ex omnibus iniquitatibus suis.

Persona loquens Propheta est.

DE PROFVNDIS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *si iniquitates.* Proponit duo: Alterum ex parte sui. *De profundis.* Ad similitudinem manentis in loco valde imo describit miseriam suam. *De profundis*, tenebrarum interiorum, peccatorum, fomitis & aliorum malorum. *Vocaui te Domine.* Et ecce ad quid vocaui. *Domine audi in voce mea*, cor meum, rationem meam, spem meam: non petit audiri vocem, sed in voce sua rationem, spem, cor. Alterum ex parte Dei: *Erunt aures tuæ auscultantes voci deprecationum mearum*: præuidens Propheta se exaudiendum, dicit quòd erunt aures tuæ auscultantes: *Vers. 1. De similitudine manentis in loco valde imo*

tantes: hoc est, exaudientes non vnam sed multas deprecationes meas miserabiles: tales enim voces sonat dictio Hebraica.

Vers. 3. SI INIQVITATES. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *De profundis*, &c. Secundò illa, *erunt aures tua*, ibi, *& verbo eius*. Explicare intendit rationem talem. Aut Deus vult agere nobiscum secundùm peccata nostra aut secundùm gratiam suam: si secundùm peccata nostra, locus erit timori, non saluti: secundùm gratiam autem, locus est spei. *Si iniquitates*, hominum, *obseruabis Domine, Domine quis stabit?* quasi dicat nullus: omnes enim ruemus. *Propterea*, quia potes obseruare iniquitates ad punitionem æternam, *timeberis*: iuxta verbum Domini: *timete eum qui habet potestatem mittere in gehennam*.

Et aduerte hic quòd ista particula (scilicet *propterea timeberis*) exponendo translata est in locum hunc, quia hic est locus eius quantum ad sensum: quàuis causa metri* scripta sit in textu post particulam sequentem.

Non veniam solum sed ipsum veniæ datorem desiderat.

Vers. 4. QVIA *TECVM VENIA, SPERAVI DOMINVM, SPERAVIT ANIMA MEA. Prosequitur alterum membrum rationis. Et non dicit quia tu es propitiator seu dator veniæ, sed *quia tecum est propitiatio*, seu venia peccatorum: eo quòd plus desiderat quàm veniam: desiderat enim ipsum veniæ datorem ferentem secum veniam peccatorum, ideo *speraui Dominum*. Non dicit speraui veniam, sed ipsum Dominum venturum. Et quia principaliter aduentus Messiæ est ad salutem animarum, ideo specialiter explicat: *Sperauit anima mea*, supple Dominum quem de profundis vocaui.

Vers. 5. ET VERBO EIVS EXPECTAVI. Tractatur hîc illa particula, *Erunt aures tua*, &c. afferendo promissionem diuinam de Messia: hæc enim promissio securum reddit expectantem. Dixerat quòd tam ipse quàm anima sua sperauit in gratia Dei: modò ex diuina promissione reddit rationem spei vtriusque. *Et verbo eius*, hoc est quia ipse dixit, promisit Messiam, *expectaui*, ego & *anima mea Domino*, supple expectauit, *supra expectantes manè expectantes manè*. Vt prædictum est, salus animarum principaliter expectabatur ex aduentu Messiæ à sanctis Prophetis intelligentibus mysterium Messiæ: & propterea Propheta de anima sua dicit quòd *expectauit Dominum supra*, hoc est plusquam, *expectantes mane*: & ad exaggerationem expectationis repetit *expectantes mane*: vt significet quòd non loquitur de qualitercunque expectantibus manè, sed de vehementi desiderio expectantibus manè. Et intendit quòd plus expectat anima sua Messiam quàm vigilantes nocte expectant quòd fiat dies quando vehementer desiderant Deum: vt contingit iis qui celeriter iter acturi aut negotium aliquod premens executuri in die sunt: & similibus. Nec deerant Prophetæ aliæ similitudines ad explicandum magnitudinem desiderij sui respectu Messiæ: sed elegit istam propter mysterium, vt significaret statum suum comparari ad aduentum Messiæ sicut noctem ad diem: iuxta illud Apostoli: *Nox præcessit, dies autem appropinquauit*. Et verè sic esse testatur etiam Zacharias pater Ioannis Baptistæ, dicens: *Illuminare iis qui in tenebris & vmbra mortis sedent*. Luc. 1. Et animæ sanctorum patrum in limbo expectatunt Messiam verè sicut expectantes manè: & longè plusquam expectantes manè

Expectatio Messiæ.

Vbi scito quòd *mane* in Hebræo textu est datiui casus.

Vers. 7. SPERA ISRAEL AD DOMINVM. Postquam propriam spem descripsit, quia ei specialiter facta fuit promissio de messia, manifestat communem esse sibi hanc spem & effectum spei & vniuerso Israeli: & propterea apostrophat ad populum. *Spera Israel ad Dominum: quia cum Domino gratia*, veniet, *& multa cum eo redemptio*, aderit: vtpote redemptio totius mundi. *Et ipse redimet Israel*, prout promisit Abrahæ, *ab omnibus iniquitatibus eius*. Intellige hoc quantum ad sufficientiam redemptionis: quia sufficiens pretium dabit ad redimendum *ex omnibus iniquitatibus* non solum Israelis sed totius mundi. Secus autẽ quoad fructũ: quia non omnes Israelitæ cõsecuti sunt fructũ redẽptionis. Veritati enim huius textus sufficit quòd quãtũ est ex parte Messię, ipse redimet ex omnibus iniquitatibus eius. Amẽ.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Canticum graduum Dauid.*

CXXX.

DOMINE non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulaui in magnis: neque in mirabilibus super me.

2 *Si non humiliter sentiebam: sed exaltaui animam meam.*

Sicut ablactatus super matrem suam: ita retributio in anima mea.

3 *Speret Israel in Domino: ex hoc nunc & vsque in sæculum.*

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum graduum Dauidi.

CXXXI.

1 *Propheta.* DOMINE * non exaltauit se cor meum, & non eleuati sunt oculi mei, & non ambulaui in magnis & in separatis: supra me.

2 Si non æquaui & silere feci animam meam sicut ablactatum penes matrem suam: sicut ablactatum penes me animam meam.

3 Spera Israel ad Dominum *: ex nunc & vsque æternum.

COMMEN

COMMENTARIVS.

Materia & Summarium.

Titulus est: *Canticum graduum Dauidi.* De quo vt supra.

Materia & Summarium simul Psalmi est: quòd David seipsum (non superbum quamuis peccatorem) proponit vniuerso populo tanquam exemplum sperandi in Deo.

Persona loquens est Dauid.

Vers. 1. Ordo huius Psalmi diuersus ab aliis.

DOMINE NON. Psalmus iste non secundùm communem aliorum psalmorum morem diuiditur: quia Psalmus ipse diuisiuus est rerum tractatarum: sicut *Cæli enarrant*, & *Laudate Dominum de cælis.* Ita quòd Psalmus ipse est velut vna enuntiatio, ex duabus constans partibus: scilicet: Non fui superbus, quamuis fuerim alias peccator.

Deum in primis alloquitur, tanquam inuocans ipsum testem cordis sui. Si enim homini diceret quòd cor suum non fuit superbum, dubitari potuisset an diceret verum: sed alloquendo Deum (cui omne cor patet) non est locus mendacio.

Proprius superbiæ actus est exaltare se.

Non exaltauit se cor meum. Acutissimè describit superbiam internam, dicendo, *non exaltauit se cor meum.* Sic etiam Dominus in Euangelio descripsit eam, dicendo *omnis qui se exaltat:* quia in hoc distinguitur superbia ab aliis vitiis, quòd proprius actus eius est exaltare se: obiectum enim superbi est ipsemet celsior quá ei congruit.

Et non eleuati sunt oculi mei. Interna superbia in voluntate seu affectu est exaltatio cordis: in intellectu verò est eleuatio oculorum mentis ad seipsum supra se.

Et non ambulaui in magnis & in separatis, id est, mirabilibus. Exterior superbia ex duobus declaratur actibus. Alter est *ambulare in magnis supra se:* præsumendo, arrogando maiora, &c. Alter est *ambulare in mirabilibus supra se:* superbus in admirando se exercet, vt spectetur & æstimetur longè celsior intus. *Supra me*, hoc est, prius me. Et repetenda est hæc clausula quater: quoniam refertur ad singula dictorum: scilicet non exaltauit se cor meum supra me, non eleuati sunt oculi mei supra me. Sic enim explicatam in singulis habes superbiæ rationem.

Vers. 2. SI NON ÆQVAVI. Vsitato loquendi modo iungit Propheta alteram enuntiationis partem: iam enim diximus quòd intendit hanc enuntiationem, *non fui superbus quamuis fuerim peccator.* Primam partem iam explicauit. Secundam modò subiungit vsitatissimo loquendi modo, quo dicimus: non fui malignus si non fui prouidus: hoc est quamuis non fuerim prouidus: & similiter non fui infidelis si non fui assecutus intentum: hoc est quamuis non fuerim assecutus intentum. Et sic de similibus. Vbi coniunctio *si* non tenetur dubitatiuè seu conditionaliter, sed æquiualet quantùm ad sensum intentum coniunctioni aduersatiuæ, puta *quamuis*. Et verum hoc modo loquendi ad cautelam vitandæ explicitæ assertionis. Propheta enim à Spiritu sancto motus, sic cautè asserit peccata sua in publico cantico: ne fortè aperta explicatio eorum aliis noceret: publicatio enim peccatorum gloria diaboli est, sicut publicatio virtutum gloria Dei.

Publicatio peccatorum gloria diaboli, publicatio virtutum gloria Dei est.

Dicit itaque: *Si non*, hoc est, quamuis non, *æquaui & silere feci animam meam.* Æquantur rota: & silere facimus plorantes, clamantes & huiusmodi. Metaphoricus est sermo non parum obscurus. Ad cuius euidentiam scito intentionem Prophetæ ad hoc tendere, vt dicat se non consuluisse animæ suæ concupiscenti delectabilia (citra superbiam quam iam excluserat) sicut propria mater consulit ablactato filio, æquando & silere faciendo illum.

Appetitus irascibilis:

Et Concupiscibilis.

Vbi quantùm ad metaphoram nota duo. Alterum est quòd in animo nostro quatenus appetitiuus est, sunt duæ partes: Quarum altera appellatur irascibilis: siue in voluntate siue in appetitu sensitiuo. Et hæc tendit ad ardua: Ad hanc spectat superbia; & hæc assimilatur ætati virili. Altera tendit ad delectabilia, non ardua. Et ad hanc spectant peccata carnis, appetitus vanitatum, & huiusmodi. Et hæc assimilatur ætati puerili: cuius est occupari in delectabilibus & vanis. Quo fit vt aptè Propheta excluso à se peccato superbiæ in appetitu arduorum, fateatur se peccatorem in appetitu vanorum & delectabilium, &c. per similitudinem ad pueros ablactatos.

Similitudo pueri ablactati.

Alterum est quòd circa ablactatum puerum aliter se habet propria mater, aliter gerula, & alij domestici: nam gerula & alij blanditiis aut offà nituntur æquare & facere silere ablactatum trucem præ concupiscentia lactis, & non acquiescentem sustinent donec fatigatus ablactatus quiescat: mater autem suauiter disponens æquare & facere silere ablactatum, linit vbera amaro liquore: vt sic infans gustata amaritudine refutet ex seipso sugere lac, & sic abstrahatur ab appetitu lactis, fitque quietus & silens.

Circa sensum autem & ordinem literæ, distinguenda sunt tria in litera contenta, quæ Propheta negat. Primum est ipsa actio æquationis & faciendi silentium, dicendo *non æquaui & silere feci:* hoc est, & non feci silere animam meam. Assimilans animam suam infanti ablactato, consequenter loquitur de cohibitione animæ suæ ad similitudinem infantis ablactati: qui concupiscens lac, ab æquanimitate labitur, & murmurando plorat: & ideo oportet eum æquare, æquanimem reddendo, & facere eum silere à murmure & planctu. Simili siquidem modo animus concupiscens delectabilia homini noxia, nimis ardens à rectitudine recedit, & velut plorans quæritat huiusmodi delectabilia: & propterea æquandus esset & ad silentium ducendus. Negat ergo Propheta primum se sic cohibuisse animam suam, dicendo: si non æquaui & silere feci animam meam.

Secundum autem quod negat est modus: scilicet illo modo quo æquatur & silens fit ablactatus. Et hic modus vltimò ponitur in litera dicendo, sicut ablactatum penes me animam meam. Ita quòd ordinatio literæ est: non feci silere animam meam, tractando sicut ablactatum animam meam penès me. Et tunc subiungatur tertium negatum scilicet modus quo mater propria tractat ablactatum, illis verbis: *sicut ablactatum penès matrem suam.* Ita quòd litera sic esset ordinanda: *Si non* æquaui & silere feci animam meam,

meam, et lactando sicut ablactatum animum meam penès me, tractando inquam sicut ablactatum penès matrem suam. Et ratio ordinis in promptu est: quia sic progreditur oratio.

Et clarè apparet sensus similitudinis & rei significatæ. Intendit enim quòd non cohibuit animum suum concupiscentem delectabilia noxia sicut ablactatum, non à quocunque, sed sicut ablactatum à matre sua: hoc est, apponendo animo concupiscenti delectabilia amaritudinem turpitudinis actionum, pœnæ æternæ, diuinæ offensæ, & huiusmodi. His enim amaritudinibus circumpositis à ratione deliberata delectabili concupito, debuisset auertere appetitum ab illo: & sic suauiter æquasset & silere fecisset appetitum, sicut æquat mater & silere facit ablactatum penès se liquoribus amaris, concupiscentem lac iam sibi nociuum.

Et intendit per hæc omnia declarare quòd peccata quæ commisit, non ex superbia processerunt, sed ex humana fragilitate: numerauit siquidem populum ex vanitate quadam: occidi fecit Vriam ex timore ne occideretur Bersabee: adulterium patrauit ex carnis libidine: fornicem sibi erexit ex humano more: dixit *in abundantia sua non mouebor in æternum*, ex improuida seu minus cauta consideratione diuinæ gratiæ: & sic de aliis. Peccata Dauidis non ex superbia, sed ex humana fragilitate.

Vers. 3. SPERA ISRAEL AD DOMINVM. Apostrophat ad populum, vt ab exemplo suo discat sperare in Domino: hoc est, vt non sit superbus, quamuis aliis peccatis implicetur. Sic enim sperare poterit in Domino: quemadmodum & ipse non superbus etsi alias peccator, maxima à Deo dona consecutus est. Et dixit hæc, quia superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiã. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Canticum graduum.*

CXXXI.

MEMENTO Domine Dauid: & omnis mansuetudinis eius.

2 *Sicut iurauit Domino: votum vouit Deo Iacob.*

3 *Si introiero in tabernaculum domus meæ: si ascendero in lectum strati mei.*

4 *Si dedero somnum oculis meis: & palpebris meis dormitationem.*

5 *Et requiem temporibus meis: donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.*

6 *Ecce audiuimus eam in Ephrata: inuenimus eam in campis siluæ.*

7 *Introibimus in tabernaculum eius: adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.*

8 *Surge Domine in requiem tuam: tu & arca sanctificationis tuæ.*

9 *Sacerdotes tui induantur iustitiam: & sancti tui exultent.*

10 *Propter Dauid seruum tuum: non auertas faciem christi tui.*

11 *Iurauit Dominus Dauid veritatem & non frustrabitur eum: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.*

12 *Si custodierint filij tui testamentũ meum: & testimonia mea hæc quæ docebo eos. Et filij eorum vsque in seculum: sedebunt super sedem tuam.*

13 *Quoniam elegit Dominus Sion: elegit eam in habitationem sibi.*

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum graduum.

CXXXII.

1 *Propheta.* RECORDARE Domine + Dauidi, omnem humilitatem eius. Retribue

2 Qui iurauit Domino +: vouit forti Iacob.

3 *Dauid.* Si introibo in tentorium domus meæ: si ascendam super stratum accubituum meorum.

4 Si dabo somnum oculis meis: palpebris meis dormitationem.

5 Donec inueniam locum Domino +: habitacula forti Iacob.

6 Ecce audiuimus illam in Ephrata: inuenimus eam in campis nemoris.

7 Introibimus in habitacula eius: curuabimus nos scabello pedum eius.

8 Surge Domine + in requiem tuam †: tu & arca fortitudinis tuæ. † requietem tuam.

9 Sacerdotes tui induent iustitiam: & gratiosi tui laudabunt.

10 Propter Dauid seruum tuum: ne facies auerti facies christi tui.

11 *Propheta.* Iurauit Dominus + Dauidi veritatem, & non auertetur ab ea. *Deus.* De fructu ventris tui ponam in sede † tibi. † sedi.

12 Si custodient filij tui pactum meum, & testificationem meam hanc docebo eos: etiam filij eorum vsque æternum sedebunt in sede † tibi. † sedi.

13 *Propheta.* Quia elegit Dominus + in Sion: desiderauit ipsam in habitaculum † sibi. † habitaculo.

14 *Hæc requies mea in seculum seculi: hîc habitabo quoniam elegi eam.*

15 *Viduam eius benedicens benedicam: pauperes eius saturabo panibus.*

16 *Sacerdotes eius induam salutari: & sancti eius exultatione exultabunt.*

17 *Illic producam cornu Dauid: paraui lucernam christo meo.*

18 *Inimicos eius induam confusione: super ipsum autem florebit sanctificatio mea.*

14 Deus. Hæc requies mea vsque sempiternum: hic sedebo, quia desideraui eam.

15 Cibum eius benedicendo benedicam: mendicos eius saturabo pane.

16 Et sacerdotes eius induam salute: & gratiosi eius laudando laudabunt.

17 Ibi germinare faciam cornu Dauidi: ordinaui lucernam christo meo.

18 Inimicos eius induam confusione: & Dauidem super ipsum florebit corona eius.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Canticum graduum.* De quo vt suprà.

Materia. Materia Psalmi est vt dispositioni Dauidis de quieto loco arcæ Domini diuina quæ successit largitas impleatur. Hanc esse materiam Psalmi facilè patet: nam in principio ponitur supplicatio cum voto Dauidis de loco arcæ Dei & accessu ad ducendam arcam Dei in Sion, dicendo: *Ecce audiuimus eam,* &c. Et postea subiunguntur duæ largissimæ diuinæ promissiones. Altera de domo Dauidis: altera de Sion. Vnde patet hanc esse ad literam materiam Psalmi.

SVMMARIVM EST.

Dauid proferens propriam humilitatem & sollicitam religionem circa inueniendum locum perpetuæ quietis arcæ Domini, petit à Deo gratiam: & refert gratiam tum promissi Messiæ ex suo semine: tum promissorum filiorum in sede regia semper, si seruauerint legem Domini: tum electionis templi in Sion cum diuina cura alimentorum, & certum firmatæ sedis regiæ in Sion: tum augendæ ibidem coronæ propriæ cum confusione inimicorum.

Personæ loquentes sunt Propheta, Deus & Dauid: non curando nunc an idem sit Dauid & Propheta auctor Psalmi.

Vers. 1. RECORDARE. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *qui iurauit.* Proponit vnam supplicationem multas partes comprehendentem: dum petit à Deo vt recordetur omnem ipsius Dauidis electionem, tam iniustam tempore Saulis, quàm religiosam in deductione arcæ Domini, propter quam Michol despexit & reprehendit eum.

Recordari sumitur pro retribuere. Vbi aduerte quòd *recordari* non sumitur hîc pro reducere ad memoriam, quod est proprium eius significatum: sed sumitur pro retributione, iuxta vsitatum loquendi modum. Et hoc denotat casus datiuus *Dauidi:* ac si apertè dixisset: retribue Dauidi omnem, &c.

Vers. 2. QVI IVRAVIT DOMINO. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *omnem humilitatem eius.* Secundò illa, *recordare Domine,* ibi, *iurauit Dominus.*

Commemorat itaque humilitatem Dauidis ex illius forma: scilicet religione solicita erga locum quietum arcæ Dei, tali ordine. Nam primò votum, deinde ratio vouendi, & tertiò deductio describitur. *Qui,* Dauid, *iurauit Domino: vouit,* vinculo iuramenti addidit vinculum voti vtpote maius, *forti Iacob. Iacob* nomen est hic patriarchæ: & est casus genitiui. Appellatúrque Deus *forti Iacobi,* eo quòd ab ipso Iacob veneratus est vt fortis, vt omnipotens: vt patet Genes. 46. Et Exod. 6. *Dicit Dominus ad Moysen: ego Dominus apparui Iacob, Isaac & Abraham in Deo omnipotente.* Et nominat Deum relatiuè ad Iacob propter imitationem ipsius Iacob in voto circa domum & cultum Dei. Legitur enim Genes. 28. quòd Iacob visâ scalâ à terra vsque ad cælum, vtrumque vouit: & cultum scilicet & domum Dei: *Erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste vocabitur domus Dei.* Et fidem præbendo traditis à senioribus (scilicet quòd locus ille in quo Iacob vidit scalam est illemet locus in quo postea ædificatum est templum Domini) adiungitur alia ratio quòd ideo vouit Deo forti Iacob, quia intendebat locare arcam Domini in loco quem Iacob prædixerat vocandum domum Dei. *In illomet loco in quo Iacob vidit scalam, ædificatum est Templum.*

Aduerte hîc multas res gestas hoc Psalmo explicari quæ non leguntur alibi in sacra Scriptura. Quorum primum est iuramentum & votum Dauidis de inueniendo loco arcæ Domini.

Vers. 3. SI INTROIBO. Vox ista Dauidis est, explicans votum quoad materiam. *Si introibo in tentorium domus meæ:* hoc est, si ædificauero prius mihi domum: ædificationem siquidem domus propriæ ab introitu descripsit: quia primum quod in ædificata domo fit, est intrare in illam. *Si ascendam super stratum accubituum meorum:* hoc est, priusquam quiescam securus ab inimicis: à frequentia enim accubitus quietam securitatem congruè significauit. *Si dabo somnum oculis meis, palpebris meis dormitationem:* hoc est, si negligens fuero, si non summâ vigilantiâ vtar: per exclusionem namque tam dormitionis quàm dormitationis, congruissimè significatur summa vigilantia. *Donec inueniam locum Domino.* Vbi colligendo dicta, apparet quòd vouit Dauid se inuenturum locum Domino (hoc est, locum pro quiete arcæ Domini) antequam ædificaret, domum propriam, antequam securus quiesceret ab inimicis, & cum summa vigilantia. Quia enim illæ duæ primæ conditiones multum prorogari potuissent, vt *Votū Dauidis de inueniendo loco pro Arca Domini.*

vt celeritas omnino significaretur, adiuncta est summa vigilantia. Et verè omnes conditiones adimpletas esse testatur historia secundi libri Regum. Dauid enim quamprimum factus fuit rex Israël, accepit Hierusalem ad hunc effectum: & cum assensu populi deduxit arcam Domini in Sion, vt ibi perpetuò quiesceret: quamuis postea (vt dicetur) diuina reuelatione ei facta quieuerit in superiori parte eiusdem montis Sion, in qua ædificatum est templum.

Habitaculum forti Iacob. Non solùm vouit inuenire locum Domino, id est, pro arca Dei, sed etiam pro ministris eius: oportebat enim ministros diuini cultus multos ibi manere.

Aduerte hîc iungendo dicta quòd vouere donec inueniam locum, attestatur affectum inquisitiuo loci inueniendi: quòd scilicet desiderabat Dauid inuenire locum illum monstratum patriarchæ Iacob. Et quoniam audierat quòd in Hierusalem erat locus ille, ideo quamprimum potuit dedit operam ad habẽdum locum illum, in cuius monte Sion locaret arcam Dei.

Vers.6. ECCE AVDIVIMVS. Reddit rationem voti sui, tum ex varia mutatione locorum, tum ex futura commoditate. Et mutationem quidem locorum arcæ Domini, describit à primo & vltimo locis. *Ecce audiuimus illam*, arcam, *in Ephrata*: hoc est, in sorte Ephraim in Silo: hic enim est primus locus in quo stabilita fuit arca Dei in terra promissionis tempore Iosue: vt patet Iosue 18. Vnde & significantius dicit *audiuimus*, & non dicit *vidimus*: quia antequam natus esset Dauid, desiit arca Domini esse in Silo: vt patet ex eo quòd tempore Heli sacerdotis arca Dei portata in exercitum, capta fuit à Philistæis: & nusquam legitur iterum translata in Silo.

Mutatio locorum Arcæ Domini.

Inuenimus eam in campis nemoris: hoc est, in Gabaa, seu colle Cariathiarim, seu Cariathiarim: his enim tribus nominibus nominatus inuenitur locus ille vbi Dauid inuenit arcam quando transtulit eam: vt patet ex eo quòd domus Aminadab (ex qua constat Dauidem transtulisse arcam Domini) 1. Regum 7 & 2. Regum 6. describitur in Gabaa: & eadem domus, 1. Paralip. 13. describitur in colle Cariathiarim: & ibidem nihilominus dicitur vt abduceret arcam Dei de Cariathiarim. Vnde videtur quòd locus ille in quo erat arca erat suburbanus ciuitatis Cariathiarim, quæ vt dicitur Iosue 15. erat vrbs Syluarum: & erat collis vocatus Gabaa. Et propterea variè nominatus est modò collis, modò Gabaa: & in hoc Psalmo nominatur ab agris nemoris: intendit enim per agros nemoris territorium Cariathiarim quæ erat ciuitas Syluarum. Et intendit per hanc diuersitatem locorum occasionem sibi datam vouendi: quia indignum videbatur vt arca Dei vagaretur, & propterea adduxit hanc varietatem cum aduerbio *ecce*, demonstrando tantam indignitatem. Ac si apertè diceret: ecce in promptu est ratio voti mei: scilicet vagatio arcæ Dei. Vnde & 1. Paralip. 13. Dauid proposuit in consilio deducendi arcam in Sion pro ratione: quia non requisiuimus eam (arcam scilicet) in diebus Saul; hoc est, quia non quæsiuimus in toto tempore regni Saulis locare eam in loco honorabili ac stabili vt decet, sed adhuc perseuerat huiusmodi indignitas.

Cariath iarim id est ciuitas syluarum.

Vers.7. INTROIBIMVS IN HABITACVLA EIVS. Prosequitur alteram rationem ex futura commoditate. Dum arca Dei per varia transferretur loca, erat minor commoditas populo concurrendi ad adorandum, & erat minor commoditas ministrorum debentium manere circa arcam Dei: quoniam incertis existentibus locis, non poterant fieri fixa habitacula ministrorum: & populum oportebat nunc huc, nunc illuc dirigere gressus suos: & rursus diuerso existente loco arcæ & loco altaris holocaustorum (nam illud remanserat in excelso Gabaon in Silo: vt patet 1. Paralip. 21.) oportebat populum ad diuersa loca ire. Quæ omnia incommoda defutura erant fixa arca in certo loco: vt rei probauit euentus. Quia hæc enim vitabuntur incommoda, dicit: *Introibimus in habitacula eius.* Pluraliter dicit, *habitacula*: ad comprehendendum commoditatem domus Dei & atriorum & domorum pro ministris. Propter quod non dixit *introibo*, sed *introibimus*: significans communem hominum cuiusque ordinis futuram commoditatem.

Altare holocaustorũ ante Templum remanserat in excelso Gabaon in Silo.

Curuabimus nos scabello pedum eius, hoc est, arcæ Dei. quæ sic erat disposita vt scabelli suppedanei officio fungeretur, si super tabellam sustentatam à Cherubinis aliquis sedisset: vt Moyses intelligendum voluit Deum sedere.

Vers. 8. SVRGE DOMINE. Descripto voto & ratione vouendi, describitur deuota deductio arcæ ex agris syluarum: quæ scribitur 2. Regum 6. & 1. Paralip. 13. Et imitatus Moysen (dicentem quando mouebatur arca Dei in deserto, *exurgat Deus*) ait: *Surge Domine* (rogantis est more humano vt à loco in quo hactenus mansit surgat) *in requiem tuam*, veni ad locum quietis perennis vt non vltra vageris, *tu & arca fortitudinis tuæ.* Non sufficit Dauidi vt arca portetur sicut portantur arcæ ligneæ, sed petit vt ipse Deus ad similitudinem surgentis se habeat: hoc est, placidus veniat sua sponte simul cum arca. Quam appellat fortitudinis diuinæ, quia per eam diuinæ potentiæ opera effecta sunt: vt manifestè patuit in retrocessione Iordanis, & in tot mirabilibus effectis apud Philistæos.

Vers. 9. SACERDOTES TVI. Ex hoc loco apparet quòd Dauid ad literam loquitur de consommatione deductionis: quando scilicet arca Domini ex domo Obededon translata est in Sion. Nam secundùm historiam deductio arcæ ex agris syluarum non fuit vnicâ deductione consummata, sed intercepta fuit propter mortem Ozæ: & posuerunt tunc arcam in domo Obededon: post tres autem menses consummauerunt deductionem arcæ ad Sion. Et quoniam causa iræ Dei contra Ozam fuit irreuerentia quam sacerdotes exhibuerunt arcæ Domini, in hoc quòd non portauerunt eam humeris suis Leuitæ vt præceperat Moyses, sed duxerunt eam super plaustrum (vt clarè hanc rationem explicat ipse Dauid 1. Paralip 15. disponens vt in consummatione deductionis, scilicet ex domo Obededon vsque ad Sion, sanctificati Leuitæ portarent arcam Dei) propter huiusmodi inquam sanctificationem & reuerentiam prius ignoranter omissam, quantum erat ex parte Dauidis, dicit: *Sacerdotes tui*, conuenientes ad translationem, *induant iustitiam*, legis, veniant vndique obseruantes iustitiam legis. Similitudo enim indumenti plenam obseruationem legalis iustitiæ significat: sicut indumentum circum

Translatio Arcæ in Sion.

circumquaque operit. *Et gratiosi tui laudabunt*, cantando & cantabunt laudando. Et est sermo de gratiosis actiuè: hoc est homines, non quicumque, sed gratiosi tui, benignè donantes propter te. Et intendit describere iustos ab operibus misericordiæ. Et hoc quia non est speciosa laus in ore peccatoris. Vbi vides duplicem prouisionem [illegible] & sacerdotum ad obseruantiam legis, & iustorum ad officium laudandi.

Vers. 10. PROPTER DAVID SERVVM TVVM, NE FAC REVERTI FACIEM CHRISTI TVI. Descriptis dispositionibus officiorum deducentium arcam, apponitur supplicatio ne iterum accidat reuersio Regis absque consummata deductione arcæ. Fecit enim Deus occidendo Ozam, reuerti faciem christi sui Dauidis absque arca deducta in Sion. Et propterea veritus ne simile quid accidat, petit: *ne fac reuerti faciem christi tui*, etiam ista vice.

Et apponit huic supplicationi causam: *propter Dauid seruum tuum*. Quod potest dupliciter intelligi. Primò referendo ad merita Dauidis: ac si dixisset propter merita Dauidis serui tui. Et iuxta hunc sensum, meritum Dauidis præfertur vnctioni regiæ. Ac si apertè diceret: propter meritum personæ Dauidis non confundas iterum faciem regis tui quem tu vnxisti. Secundò referendo ad diuinam electionem personæ Dauidis. Et tunc est sensus: Propter Dauidem electum à te in seruum tuum, ne confundas faciem eiusdem vncti tui in regem. Et hic sensus magis quadrat literæ, cuius auctor est ipse Dauid: nam sic apponit supplicationi causam ex parte ipsius Dei: & explicat quod in principio Psalmi proposuit, *recordare Domine Dauid*. Et est locus satis efficax: vt Deus quia elegit ipsum Dauidem in seruum suum, & vnxit ipsum in regem, non confundat iterum ipsum.

Vers. 11. IVRAVIT DOMINVS. Tractatur hîc illa particula, *recordare Domine*: subiungendo exaltationem magnam quam Deus promisit Dauidi: tum quoad perpetuitatem regni: tum quoad locum Sion, quæ erat ciuitas Dauidis. Vbi nota quòd descripta deductione arcæ in montem Sion, describitur consequenter secundùm historiam tum diuina promissio de perpetuitate regni Dauidis, tum diuina electio Sion: nam ad literam res istæ gestæ sunt post deductionem arcæ in Sion.

Iurauit Dominus. Hoc iuramentum est aliud quod non legitur alibi in libris historialibus sacræ scripturæ. In visione namque Nathan Prophetæ ex parte Dei scripta, 2. Regum 7. & 1. Paralip. 17. nulla mentio fit iuramenti diuini. Significat autem iuramentum diuinum immutabilitatem euentus: quòd scilicet sic erit vt iurat futurum. *Et non auertetur ab ea*, veritate, non reuocabit facere quod dixit: *de fructu ventris tui ponam in sede tibi*. Duplex potest esse sensus huius literæ. Primus vt promittatur assertiuè fructum ventris Dauidis regnaturum indeterminatè, hoc est non determinando quanto tempore: & postea subiungatur sub conditione quòd tempore æterno semen Dauid regnaturum est, si tamen seruauerit legem Dei. Alter sensus est vt promittatur assertiuè Messias fructus ventris Dauidis regnaturus: & postea sub conditione promittatur quòd filij Dauidis vsque ad Messiam regnaturi sunt, si seruauerint legem Dei. Hic sensus magis quadrat iuramento diuino præposito, &

Diuina promissio de perpetuitate regni Dauidis.

communi intelligentiæ qua in hoc textu intelligitur significata promissio Messiæ facta Dauidi.

De fructu ventris tui. Sermo Dei est ad Dauidem: & more Hebraico prolem appellat fructum ventris. Quamuis enim secundùm nostram consuetudinem fructum ventris propriè relatiuè ad matrem dicamus, Hebræa tamen lingua etiam relatiuè ad patrem fructum ventris appellat: vt clarè patet 2. Regum 16. dicente Dauide de Absalom: *Ecce filius meus qui egressus est de vtero meo quærit animam meam*. *Ponam in sede tibi*: hoc est, ponam in sede regni, *tibi*, hoc est, propter te, id est, propter promissionem tibi factam, propter electionem tui à me factam. Vnde & Angelus annuncians B. Virgini, dixit: *Dabit ei Dominus Deus sedem Dauid patris eius*.

Fructus ventris proles dicitur etiã relatiuè ad patrem. 2.Reg.16.

Vers. 12. SI CVSTODIERINT FILII TVI PACTVM MEVM. (Siue initum cum Abraham de circumcisione, siue cum populo Israël in deserto de cultu meo intelligas) *& testificationem meam*, hoc est legem meæ voluntatis meorúmque præceptorum, *hanc docebo eos*, hoc est, hanc quam docebo eos. Et futurum *docebo*, continuationem doctrinæ per Prophetas significat: vel refertur ad præteritum pactum: quia lex subsecuta est pactum: & ordo consecutionis per futurum significatur. *Etiam filij eorum*. Posito antecedente conditionalis, ponitur consequens: *Etiam filij eorum vsque æternum sedebunt in sede tibi*. Vbi clarè vides sub conditione promissam perpetuitatem regni filiis, proculdubio vsque ad Messiam: quoniam de illo absque vlla conditione constat quòd *regnabit in domo Iacob in æternum*. Et videmus hanc conditionalem meritò fuisse appositam: quoniam filij Dauidis vsque ad Sedechiam tantummodo regnauerunt: ille enim fuit vltimus rex ex progenie Dauidis vsque ad Messiam: quia enim non custodierunt pactum Domini, nec seruauerunt legem eius, abiecti sunt à regno.

Sedecias fuit vltimus rex ex progenie Dauid.

Vers. 13. QVONIAM ELEGIT DOMINVS IN SION. Descripta exaltatione Dauidis in semine eius, subiungitur exaltatio eiusdem quoad Sion. Aduerte hîc quòd Propheta non dicit, *elegit Dominus Sion*, sed *in Sion*: quia ad literam loquitur de electione montis Moria, qui erat superior pars montis Sion: & singulariter de electione areæ quæ quondam fuit Ornan Iebusæi: in qua Dauid obtulit holocaustum ad placandum Deum pro peste. Ille siquidem locus tunc reuelatus est Dauidi quòd esset locus domus Dei: vt 2. Paralip. 3. dicitur: & clariùs apparet si dicta ibi conferantur cum dictis 1. Paralip. 21. & principio 21. Ibi enim expressè dicitur templum ædificatum in loco monstrato Dauidi: & hîc Dauid dicit, hæc est domus Dei. Vnde etiam coniicitur Dauidem affirmasse quòd ille locus erat domus Dei de quo Iacob dixerat: *Et lapis iste vocabitur domus Dei*. Electio itaque diuina loci illius in ambitu Sion monstrata Dauidi cùm sacrificauit pro peste, hîc ad literam significatur: quæ olim fuerat monstrata Iacob patriarchæ.

Locus ipsius.

Desiderauit ipsam in habitaculum sibi. Apertè explicat ad quid elegit in Sion: quia desiderauit ipsam in habitaculum sibi: hoc est in locum domus suæ.

Vers. 14. HÆC REQVIES MEA. Verba sunt Dei, explicantis quòd non ita elegit habitare in Sion quemadmodum habitauit in Silo, vbi licet

habita

habitauerit trecentis annis, habitauerit tamen mobiliter: quia non habuit ibi fixam domum, sed tabernaculum mobile. In Sion autem elegit habitare in æternum, habendo ibi fixam domum. Et ad hoc explicandum introducitur Deus dicens: *Hæc requies mea vsque sempiternum: hic sedebo*, quiescam, *quia desideraui* (hoc est ad similitudinem desiderantis diu est quòd volui) *eam*: vtpote à tempore Iacob, cùm ostendit ei scalam per quam Angeli Dei descendebant & ascendebant: ex tunc enim dixit Iacob, *hic domus Dei est*. Quod autem dicit *sempiternum*, intellige vlteriori mutatione: & non quòd locus ille esset locus diuini cultus in æternum. Vel sub aliis verbis, *æternum*, distribuit pro omni tempore figuralis cultus: hoc est status veteris Testamenti. Adueniente siquidem Messia finita est illa sempiternitas: dicente ipso Ioan 4. *Veniet hora quando neque in monte hoc neque Hierosolymis adorabitis patrem.*

In Sile mobilis, in Sion fixa habitatio Dei.

Vers. 15. CIBVM EIVS BENEDICENDO BENEDICAM. Diuina largitas in Sion describitur quantum ad prouisionem victus ministrorum: hoc est, Leuiticæ tribus & aliorum seruitorum. *Cibum eius*, scilicet Sion loci domus meæ. Et cibum appellat decimas & oblationes ex quibus viuebant ministri diuini cultus. *Benedicendo benedicam*: hoc est, multiplicabo. Hic est cibus de quo scribitur Malach. 3. *Inferte omnem decimationem in horreum meum, & sit cibus in domo mea.* Et vsqueadeo multiplicabo quòd *mendicos eius saturabo pane*: hoc est, vt habeant non solùm ad satietatem propriam, sed etiam ad erogandum vsque ad saturitatem mendicorum. Et intendit per hoc specialem suam curam quoad temporalia de suis ministris, tanquam de familia domus propriæ.

Malach. 3.

Dei cura de suis ministris.

Et sacerdotes eius induam salute, non solùm curam habebo de victu sed de salute animæ & corporis sacerdotum: ideo enim *induam*: quia quasi vestimentum dabo eis salutem vndequaque. *Et gratiosi eius laudando laudabunt.* Gratiosi actiuè, ab operibus misericordiæ iustiores describuntur sub speciali cura Dei ad officium laudandi Deum. Et describuntur *laudando laudabunt*, ad commendandum modum laudandi: quòd scilicet per modum laudantium (cum gaudio, promptè, hilariter, deuotè, &c.) laudabunt.

Vers. 17. IBI GERMINARE FACIAM. Inter priuilegia Sion computat Deus successionem regiam Dauidici seminis in illo loco, tanquam in loco sedis regiæ. Ita quòd superius successionem regiam promisit: hic autem promittit locum sedis regiæ successionis.

Ibi, in Sion, *germinare*, multiplicari successiuè, *faciam cornu*, potestatem regiam, *Dauidi: ordinaui lucernam christo meo.* Ratio dicti priuilegij redditur: quia ibi *ordinaui lucernam*, ad similitudinem vasculi lucentis regiam sedem, *christo meo*, vncto meo Dauidi. Vnde in succedentibus historiis pluries scribitur quòd Deus seruabat reges descendentes ex Dauide, vt relinqueret lucernam Dauidi.

Et aptè lucernæ nomen congruit succedentibus regibus post Salomonem: quoniam omnes fuerunt parui reges, ad similitudinem lucernarum, claræ quidem sed paruæ lucis.

Cur lucernæ comparantur Reges succedentes post Salomonem?

Inimicos eius, Dauidis, *induam confusione*, vndique confundam. Et hoc etiam intellige ex Sion: quoniam ex cultu diuino in Sion confundere promittit Deus inimicos Dauidis. Quod tempore Dauidis adimpletum esse constat. Et tempore seminis eius confidentis in Deo: vt patet de Abia, Asa, Iosaphath, & Ezechia. Solus namque Iosias videtur inter reges iustos succubuisse inimicis. Et hoc ideo quia non consuluit Dominum in illo bello: tanquam in hoc degenerauerit à Dauide.

Iosias solus inter Reges succubuisse videtur hostibus. Cur?

Et super ipsum florebit corona eius. Hoc ad literam de ipso Dauide verificatum est: floruit siquidem corona regni eius valde: quoniam propagauit imperium coronæ suæ super multa regna vsque Euphraten. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Canticum graduum.*

CXXXII.

ECCE quàm bonum & quàm iucundum: habitare fratres in vnum.

2 *Sicut vnguentum in capite: quod descendit in barbam, barbam Aaron.*

Quod descendit in oram vestimenti eius:
3 *sicut ros Hermon qui descendit in montem Sion.*

Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem & vitam vsque in seculum.

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum graduum Dauidi.

CXXXIII.

1 *Propheta.* ECCE quàm bonum & quàm iucundum: sedere fratres etiam simul.

2 Sicut oleum bonum super caput, descendens super barbam barbam est Aaron: quod descendens super os vestimentorum eius. est

3 Sicut ros Hermon, qui descendens super montes Sion: quoniam ibi præcepit Dominus [a] benedictionem vitas vsque æternum.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Canticum graduum Dauidi.* De quo vt supra.

Materia. Materia Psalmi est vnitas populi Israël: vt clarè Psalmus præ se fert.

SVMMARIVM EST.

Laudat Dauid vnitatem populi à bonitate, à iucunditate, & à diuina benedictione.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. Ecce qvam bonvm. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositionem materiæ, & executionem, ibi, *sicut oleum.* Proponit bonum & iucundum esse quiescere simul fratres. *Ecce*, demonstrantis factum est David: siquidem septem annis quibus regnauit in Hebron super tribum Iuda, expertus fuerat quam malum & quam molestum esset populum Israël esse diuisum: sub duobus scilicet esse regibus. Et propterea postquam populus totus vnitus est sub vno rege (ipso scilicet Dauide) demonstrat ab esse tu ab experientia quam bonum, vtile, & quam iucundum, ad hilaritatem & gaudium populi, est sedere, quiescere fratres (vt populi omnes filios Israël) etiam simul, hoc est, sub vno rege vnitos: vt sicut sunt fratres ita etiam sint simul.

Sub vno Rege populum vnitum quam bonum.

Vers. 2. Sicvt olivm bonvm. Incipit hic pars executiua tali ordine. Primò declaratur illa particula, *iucundum*. Secundò illa, *bonum*, ibi, *sicut ros*. Tertio illa, *fratres etiam simul*, ibi, *quoniam ibi*.

Iucunditatem vnitatis populi à similitudine iucunditatis vnctionis summi Sacerdotis describit.

Declarat iucunditatem vnitatis populi à similitudine iucunditatis quæ erat in vnctione summi Sacerdotis: cùm enim vngebatur summus Sacerdos, magna erat iucunditas populi, sicut modò cùm coronatur summus Pontifex.

Sicut oleum bonum super caput, descendens super barbam barbam Aaron. Describit iucunditatem à ritu vnctionis: vngebatur enim (vt dicitur) in capite, descendendo vsque ad barbam: & ad exaggerationem excellentiæ fit repetitio barbæ. *Quod descendens, est, super os vestimentorum eius.* Hæc litera sonat oleum effusum super caput Aaron descendere in barbam, & redundare in superiorem partem vestium sacerdotalium: quæ vocatur *os vestimentorum.* Exod. 29. & Leuit. 8. describitur consecratio Aaron quantum ad oleum dupliciter: scilicet in capite per modum effusionis, & in vestibus per modum aspersionis: nihilque dicitur de barba aut ore vestium. Vnde iungendo hæc cum illis, apparet quòd abundantia effusi olei significetur, ex diffusione eius in barbam & os vestimentorum.

Aduerte quòd licet superficies literæ significet iucunditatem vnctionis summi Sacerdotis: intentus tamen sensus est quòd sicut grata & iucunda est populo vnitas summi Sacerdotis, ita grata & iucunda est vnitas regis. Ita quòd laudando suadet vnitatem populi sub vno rege, sicut gaudet vnitate summi Sacerdotis.

Vers. 3. Sicvt ros Hermon. Tractatur hîc illa particula, *quàm bonum*, ex similitudine vtilitatis roris communis Hermon & montibus Sion.

Quantum ad historiam aduerte quòd Hermon est mons magnus trans Iordanem, cuius meminit Moyses Deuteronom. 3. dicens: *Tulimúsque terram de manu duorum regum Amorræorum qui erant trans Iordanem à torrente Arnon vsque ad montem Hermon: quem Sidonij Sirion vocant & Amorræi Sanir.* Montes autem Sion appellantur montes circa Hierusalem: de quibus in alio Psalmo: *montes in circuitu eius.* Per montem ergo Hermon & montes Sion, intendit vniuersam terram populi Israël, describens illam à monte trans Iordanem & à montibus ciuitatis regiæ cis Iordanem. Describitúrque ros Hermon descendens in montes Sion, non quòd ros migret de illo monte in istos: sed quia mons ille celsior est, ideo extensio per modum descendentis ab illo monte describitur. Et intendit quòd sicut ros communis Hermoni & montibus Sion tanquam inde ad istos descendat, bonus est ad vtilitatem & vegetationem eorum quæ nascuntur, ita vnitas populi bona est. Hic est sensus superficialis. Sed intentus sensus est quòd sicut communicant partes terræ in vno rore (hoc est in vna complexione seu dispositione aëris, quam describit ex hoc quòd quando cadit ros in vna parte, cadit etiam in altera: ita quòd vnitas roris communis monti Hermon & montibus Sion affertur vt signum vnitatis aëris) ita habitatores communicare debent sub vno capite. Et intendit ad literam quòd non solùm vnitas summi Sacerdotis quæ est ex lege, sed etiam naturalis vnitas complexionis aëris in qua communicant partes terræ vltra & citra Iordanem, suadet vnitatem populi sub vno rege: vt sicut sunt sub vno rore ita sint sub vno rege.

Mons Hermon.

Montes Sion.

Ros Hermon.

Qvoniam ibi præcepit. Tractatur vltima particula, *fratres etiam simul*, ex causa diuinæ ordinationis: quia scilicet Dominus benedictionem vitalem dedit filiis Israël in vnitate populi. Vt enim patet Deuteronom. 28. diuinæ benedictiones dantur filiis Israël, vt vni populo.

Quoniam ibi, in vnitate fratrum filiorum Israël, *præcepit Dominus benedictionem*, appositiuè vitas, quia benedictiones sunt vitam conferentes, *vsque æternum*, per successionem generationum. Et intendit per hæc ad literam, laudando suadere bonitatem & iucunditatem vnitatis populi sub vno rege, ex vnitate summi Sacerdotis, ex vnitate dispositionis aëris citra & vltra Iordanem, & ex diuina ordinatione quâ promisit vitales benedictiones populo in vnitate. Amen.

Vnitas populi.

PSAL

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Canticum graduum.*

CXXXIII.

ECCE nunc benedicite Dominum: omnes ſerui Domini.
Qui ſtatis in domo Domini: in atriis domus Dei noſtri.

2 *In noctibus extollite manus veſtras in ſancta: & benedicite Dominum.*

3 *Benedicat te Dominus ex Sion: qui fecit cælum & terram.*

IVXTA HEBRÆVM.

Canticum graduum.

CXXXIV.

Ædificatis habitaculis
1 *Propheta.* ECCE benedicite Dominum⁴ omnes ſer-
eſtis
ui Domini: qui ſtantes in domo Domini⁴, in noctibus.
verſus ſanctitatem
2 Leuate manus veſtras ſanctitati: & benedicite Dominum⁴.
vniuerſum
3 Benedicet te Dominus⁴ ex Sion: factor cælorum & terræ.

COMMENTARIVS.

TItulus eſt: *Canticum graduum.* De quo vt ſuprà.

Materia Pſalmi eſt inuitatio miniſtrorum morantium in domo Domini ad orandum in nocte in ſanctuario. Et hoc eſt etiam Summarium.

Perſona loquens Propheta eſt.

VERS. 1. ECce BENEDICITE. Diuiditur Pſalmus in partes duas: propoſitiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Leuate.* Proponit commoditatem iam oblatam orandi nocte in ſanctuario miniſtris morantibus ibi. *Ecce*, demonſtrat tempus ædificatorum habitaculorum pro miniſtris qui debebant habitare circa domum Domini (& demonſtrat hoc ad differentiam temporum præteritorum quibus non aderant iſtæ commoditates) *benedicite Dominum*, benedictione laudis, *in noctibus*, ſingulis, *omnes ſerui Domini*, addicti ſeruitio diuini cultus: *qui ſtantes in domo Domini*, ad differentiam aliorum de tribu Leui morantium alibi. Sicut enim hodie Canonici habentes habitacula in clauſtro adhærente Eccleſiæ, habent commoditatem dicendi Matutinas nocturno tempore, habitantes autem alibi excuſantur à tali onere nocturno tempore, ita tunc ſacerdotibus & Leuitis habitantibus iuxta domum Domini incumbebat ex officio ſeu deuotione laudare Deum in nocte in domo Domini. Nec refert ad propoſitum an per hebdomadam mutarentur huiuſmodi miniſtri, aut quouis alio modo viciſſitudines haberent.

Leuitis & Sacerdotibus habitantibus iuxta domũ Domini incumbebat ex officio ſeu deuotione laudare Deum nocte in domo Domini.

Verſ. 2. LEVATE MANVS VESTRAS. Incipit hìc pars executiua, tria explicans. Primò locum orationis. *Leuate manus veſtras ſanctitati.* Sanctitas appellatur Deus ſedens ſuper Cherubim in Sancto ſanctorum. Nec dicit, ite ad ſanctitatem (quoniam ſolus Pontifex ingrediebatur Sanctumſanctorum) ſed *leuate manus veſtras verſus ſanctitatem*: hoc enim ſigno exteriori ſignificat orationem. Hunc ſiquidem orandi modum tunc conſuetum fuiſſe, ex pluribus textibus colligi poteſt. Et per hoc intendit orationis locum: ſcilicet in domo Domini, in qua leuabantur manus verſus propitiatorium. *Et benedicite Dominum.* Repetit exequendo officium quod propoſuerat: vt non ſolum orent ſed laudent Deum.

Leuare manus, id eſt, orare.

Benedicet te. Tertium quod explicat eſt fructus: vt ex fructu percipiendo moueantur ad orandum & laudandum. *Benedicet te Dominus ex Sion.* Cùm debuiſſet dicere quia benedicet vos Dominus ex Sion, dixit quia benedicet te: ad commendandam vnitatem: adunat enim ſub pronomine *te*, non ſolum ipſos orantes & benedicentes Deum: ſed omnes in quorum perſona ipſi benedicunt Deum. Eſt ſiquidem ſenſus: *Leuate manus veſtras & benedicite*: quia Dominus factor cælorum & terræ benedicet vniuerſum te (hoc eſt omnes quorum perſonam agitis tanquam vnum) ex Sion, ex loco cultus ſui: hoc eſt ex merito & officio cultus qui exhibetur ei in Sion.

Vbi reddit rationem benedictionis ex fructu: quia vobis benedicentibus Dominum, Dominus benedicet omnes: & rationem loci ex loco: quia vobis leuantibus manus in domo Domini verſus ſanctitatem, Dominus factor cælorum & terræ dignabitur benedicere ex loco Sion in quo erat domus Domini. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO. CXXXIV.

Halelu Iah.

LAVDATE nomen Domini : Laudate serui Dominum.

2 *Qui statis in domo Domini : in atriis domus Dei nostri.*

3 *Laudate Dominum quia bonus Dominus: psallite nomini eius quoniam suaue.*

4 *Quoniam Iacob elegit sibi Dominus: Israel in possessionem sibi.*

5 *Quia ego cognoui quòd magnus est Dominus : & Deus noster præ omnibus diis.*

6 *Omnia quæcunque voluit Dominus fecit: in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis.*

7 *Educens nubes ab extremo terræ : fulgura in pluuiam fecit.*

8 *Qui producit ventos de thesauris suis: qui percussit primogenita Ægypti ab homine vsque ad pecus.*

9 *Et misit signa & prodigia in medio tui Ægypte : in Pharaonem & in omnes seruos eius.*

10 *Qui percussit gentes multas : & occidit reges fortes.*

11 *Seon regem Amorrhæorum & Og regem Basan : & omnia regna Chanaan.*

12 *Et dedit terram eorum hæreditatem : hæreditatem Israel populo suo.*

13 *Domine nomen tuum in æternum : Domine memoriale tuum in generatione & generatione.*

14 *Quia iudicabit Dominus populum suum: & in seruis suis deprecabitur.*

15 *Simulachra gentium argentum & aurum : opera manuum hominum.*

16 *Os habent & non loquentur : oculos habent & non videbunt.*

17 *Aures habent & non audient : neque enim est spiritus in ore ipsorum.*

18 *Similes illis fiant qui faciunt ea : & omnes qui confidunt in eis.*

IVXTA HEBRÆVM. CXXXV.

1 *Propheta.* LAVDATE Deum, laudate nomen Domini[4]: laudate serui Domini[4].

estis

2 Qui existentes in domo Domini[4]: in atriis domus Dei nostri.

3 Laudate Dominum, quoniam bonus Dominus[4]: cantate nomini eius,
est
quoniam suaue.

4 Quoniam Iacob elegit sibi Dominus: Israel in dilectum suum †. † dilecto suo.

est

5 Quia ego sciui quòd magnus Dominus[4]: & Dominus noster præ omnibus diis.

6 Omnia quæ voluit Dominus[4] fecit: in cælis & in terra, in maribus & omnibus abyssis.

7 Faciens ascendere nubes de finibus terræ : coruscationes pluuiæ fecit, educens ventum de thesauris suis.

8 Qui percussit primogenita Ægyti: ab homine vsque bestiam.

9 Misit signa & miracula in medio
ô
tui Ægypte : in Pharaone & in cunctis seruis eius.

10 Qui percussit gentes multas : & occidit reges fortes.

dat. dat.

11 Sichon regem Amorrhæorum & Og
dat.
regem Basan : & omnia regna Chanaan.

12 Et dedit terram eorum hæreditatem: hæreditatem Israel populo suo.

13 Domine[4] nomen tuum æterno: Domine[4] memoria tui generationi & generationi.

14 Quia iudicabit Dominus[4] populum suum : & super seruos suos placabitur.

15 Simulachra gentium argentum &
hominis
aurum : opus manuum Adam.

16 Os eis, & non loquentur : oculi eis, & non videbunt.

17 Aures eis, & non audient : etiam non est spiritus in ore eorum.

simulachra &

18 Sicut ipsa erunt facientes ea : omnis
est
qui confidens in eis.

19. *Domus Israel benedicite Domino: domus Aaron benedicite Domino.*

20 *Domus Leui benedicite Domino. qui timetis Dominum benedicite Domino.*

21 *Benedictus Dominus ex Sion: qui habitat in Hierusalem.*

19 Domus Israel benedicite Dominum *: domus Aaron benedicite Dominum *.

20 Domus Leui benedicite Dominum *: timentes Dominum * benedicite Dominum *.

21 Benedictus Dominus * ex Sion, habitans Hierusalem: halelu Iah.

COMMENTARIVS

Halelu iah non est titulus Psalmi, sed principium.

Titulus nullus est. Sed *Halelu Iah*, pro titulo vsurpatum, principium est Psalmi. Ita quòd Psalmus incipere debet, laudate Deum: alioquin diminuta inueniretur propositio Psalmi: & in Hebræo textu nulla apparet distinctio: sed eodem contextu scriptum est. Nec mirum si ab interpretibus omissa est hæc particula Psalmi: cùm etiam eadem particula (scilicet *Halelu Iah*) clarè posita in fine Psalmi omittatur.

Materia.

Materia Psalmi (vt ipse præ se fert) est monitio tum ministrorum tum concurrentium ad templum, ad laudandum Deum & nomen Dei: quia Deus est bonus, omnipotens, incomparabilis aliis diis, quia nomen eius est suaue, quia elegit populum Israel ad cultum suum, &c. Hæc omnia clarè liquent in Psalmo, præter hoc quod diximus de templo: quod tamen ex Psalmo insinuatur: tum ex eo quòd in principio Psalmi mentio fit atriorum domus Dei: hæc enim templum insinuat: ædificato siquidem templo facta dicuntur quatuor atria ante domum Dei. Tum ex eo quòd in fine Psalmi mentio fit Dei iam habitantis Hierusalem & laudati ex Sion: hæc enim manifestè significant tempus quo Deus colebatur in Sion: & insinuant tempus templi ædificati quo iam Deus habitator effectus erat Hierusalem.

Vnde ad literam videtur iste Psalmus editus ad monendum populum vt concurrentes ad templum non existiment templum hoc sicut alia templa deorum, sed concurrant ad laudandum Deum cui dicatum est: quia ipse est bonus, omnipotens, incomparabilis aliis diis, &c.

SVMMARIVM EST.

Propheta monet omnes existentes in atriis domus Dei, vt laudent Deum & nomen Dei: Deum quidem, quia bonus, omnipotens, incomparabilis ceteris Diis, & elegit Israel, nomen verò eius, quia suaue, æternum, & memorabile in generatione & generatione.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. LAVDATE DEVM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *Laudate Dominum*. Proponit duo: scilicet *Laudate Deum*, & *laudate nomen Domini*. Quos autem alloquatur subiungit. *Laudate serui Domini: qui existentes*, estis, *in domo Domini*, hoc est, *in atriis domus Dei nostri*. Intra siquidem domum Domini nulli existebant ad cantandum: & Sacerdotes seu Leuitæ ingrediebatur ad panes propositionis ponendos & leuandos, ac thus incendendum, &c.

Vers. 3. LAVDATE DOMINVM. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò assignantur in genere seu per capita causæ propositorum deinde singillatim secundùm singulas causas fit executio explicatiua, ibi, *omnia quæ voluit*: & ideo illucusque differenda est distinctio totius textus.

Circa has causas aduerte quòd cùm duo proposita sint (scilicet laudate Dominum & laudate nomen Domini) Propheta respectu secundi reddit vnam causam, dicendo: *Cantate nomini eius quoniam suaue*, est nomen eius. Respectu verò primi reddit quatuor causas. Prima redditur dicendo, *laudate Dominum quoniam bonus Dominus*. Secunda, *quoniam Dominus elegit sibi Iacob, Israel in dilectum suum*. Tertia, *quia ego sciui quod magnus Dominus*. Quarta, *& Dominus noster præ omnibus diis*. Et dicitur quòd Dominus elegit sibi Iacob, tum Patriarcham, tum populum descendentem à Iacob. Elegit inquam ex sua gratia, reiecto Esau: & similiter populum descendentem ab eo, reiectis reliquis populis descendentibus ab Abraham & Isaac. Elegit autem sibi, Deo, hoc est ad exhibendum cultum Deo, Israel in dilectum sibi. Et hoc quoque verificatur tam de Patriarcha quàm de populo. Antequam enim egrederentur de vtero matris dictum est: *Iacob dilexi, Esau odio habui*, ad Rom. 9. ex Malach. 1. Et Genes. 25. ad Rebeccam: *duæ sunt gentes in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur: populusque populum superabit, & maior seruiet minori.*

Iacob electus tam Patriarcha, quàm populus.

Vers. 6. OMNIA QVÆ VOLVIT. Hîc incipit executioni mandare ambo proposita secundùm causas singulas. Et primò laudat Deum secundùm illam causam, *quia ego sciui quòd magnus Dominus*. Secundò secundùm illam, *quoniam Iacob elegit sibi Dominus Israel in dilectum suum*, ibi, *qui percussit primogenita Ægypti*. Tertiò alteram particulam (scilicet *laudate nomen Domini*) secundùm illam causam, *quoniam suaue*, ibi, *Domine nomen tuum*. Quartò redit ad primam particulam secundùm illam causam, *& Dominus noster præ omnibus diis*, ibi, *simulachra gentium*. Quintò tractatur illa particula, *laudate serui Domini existentes*, &c. ibi, *domus Israel*.

Deus magnus non magnitudine molis sed virtutis.

Laudandus itaque Deus *quia magnus Dominus* (non magnitudine molis sed virtutis) declaratur ex omnipotentia. *Omnia quæ voluit Dominus fecit*: tum in cælis, tum in terra, tum in maribus, tum in omnibus abyssis.

Faciens ascendere nubes. Explicatis in genere operibus Dei in cælis, terra & aquis, explicat tria opera in aëre. Primum: *faciens ascendere nubes de finibus*, de extremitatibus, *terræ*: nubes enim

enim à superficie terræ eleuantur. *Coruscationes in pluuiæ fecit.* Vbi duplex opus inculcat, scilicet coruscationum, & pluuiæ: & ordinem earum: quia coruscationes terminantur ad pluuiam. *Educens ventum de thesauris.* Metaphoricè venti educi dicuntur de thesauris: quia apparet sensui quòd venti tanquam reconditi alicubi, educantur foràs: sicut etiam apparet sensui quòd Sol sit quantitatis cubitalis. Secundùm tamen veritatem ventus educitur de thesauris: hoc est de congregationibus suis partialibus. Sicut enim flumen generatur ex congregatione partialium fontium, ita ventus ex congregatione partialium venticulorum: qui generantur ex calido maiore ad mouendum & minore ad consumendum: vt Philosophi tradunt. Et dixit hæc ad explicandum quòd Deus qui laudatur in templo est Deus auctor naturæ: ideo enim ipsum auctorem horum operum (quæ purè naturalia, manifesta, omnibusque communia sunt) dixit, vt ipsum esse auctorem naturæ totius describeret: ac per hoc omnipotentem Dominum.

Venti educuntur de thesauris.

Vers. 8. QVI PERCVSSIT PRIMOGENITA. Subiungit laudandum Deum ex alia causa, scilicet quia elegit Iacob sibi & in dilectum filium, declarando hoc ab operibus quæ fecit Deus propter populum Israel ad hoc vt cultum exhiberet Deo, ad exequendum effectum dilectionis. *Qui percussit primogenita Ægypti.* Summariè colligit omnia mirabilia opera Dei in Ægypto pro eductione populi facta.

Qui percussit gentes multas. Summariè quoque colligit mirabilia Dei facta in prostrationibus tum Amorrhæorum tempore Moysi ante transitum Iordanis: tum omnium regnorum Chanaam tempore Iosue, &c. Vbi scito in textu Hebræo datiui esse casus, *Sehon, Og, & regnis,* sed constructio mutauit.

Et dedit terram eorum. Hic est effectus dilectionis, quare dixit in dilectum suum: cui quasi dilecto filio dedit terram Chananæorum in hæreditatem. Ita quòd non solùm dedit, sed hæreditario iure dedit tanquam pater filio terram propriam in qua colendus esset.

Nomen Domini suaue.

Vers. 13. DOMINE NOMEN TVVM. Explicatur altera particula (scilicet *laudate nomen Domini*) secundùm illam causam, *quoniam suaue.* Suaue siquidem explicatur nomen Domini omni tempori, *Domine nomen tuum æterno:* & memorabile omni tempori & omni memoriæ, *Domine memoria tui generationi & generationi.* Et ratio subditur: *Quia iudicabit Dominus populum suum, & super seruos suos placabitur:* hoc est, quia Deus puniendo populum suum non exterminabit illum, vt exterminauit gentes Amorrhæas. Punitio namque significatur dicendo, *quia iudicabit Dominus populum suum.* Citra exterminium autem significatur dicendo: *& super seruos suos placabitur:* seu reconciliabitur, seu consolationem accipiet. Et intendit per hoc quòd nomen Domini & memoria eius perseuerabit suaui cultu: quoniam superuenientibus peccatis populi Deus ipse (non alius) puniet eos, sic tamen quòd placabitur eisdem.

Vers. 15. SIMVLACHRA GENTIVM. Laudandum Deum ex incomparabilitate ad alios Deos secundùm aliam causam prius dictam (scilicet *& Dominus noster præ omnibus diis*, hoc est, super omnes Deos incomparabiliter) modò subiungit: declarando eorum conditiones, quòd sunt aurum & argentum quoad materiam, & quòd nullam habent operationem formæ quam habent, scilicet oris, oculorum, aurium, &c. Et demum cultores & factores eorum dignos esse vt similes illis fiant describit.

Vers. 19. DOMVS ISRAEL. Declarat illam particulam, *laudate serui Domini*, &c. explicando qui sint isti serui Dei existentes in domo & in atriis. Explicat autem domum Israel, hoc est, vniuersitatem populi, domum Aaron summi Sacerdotis, domum Leui dicatam diuino cultui, & demum timentes Dominum: siue ad exprimendam qualitatem requisitam cuilibet dictarum domorum ad hoc vt idonei laudatores Dei sint: siue ad comprehendendum omnes cunctarum nationum timentes Deum.

Benedictus Dominus. Porrigit Propheta qualitatem laudis: quòd scilicet debent laudare Deum dicendo: *Benedictus Dominus ex Sion*, ex cultu qui exhibetur ei in loco Sion, habitans Hierusalem: *Halelu Iah*, laudate Deum. Et intendit per hoc quòd laudantes Deum profiteantur Deũ habitare Hierusalem ratione templi sui in Sion: hoc est quòd Deus elegit locum Sion in Hierusalem, vt coleretur solemni cultu & veneraretur nomen suum ibi: & non quòd Deus secundùm se habitet in Hierusalem aut in Sion: quoniam Deus non habitat nisi in seipso, sibiipsi sufficientissimo: quia ipse est supereminenter omnia & plusquam omnia. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

Halelu Iah. CXXXV.

CONFITEMINI *Domino: quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius.*
2 *Confitemini Deo deorum: quoniam in sæculum misericordia eius.*
3 *Confitemini Domino dominorum: quoniam in sæculum misericordia eius.*
4 *Qui facit mirabilia magna solus: quoniam in sæculum misericordia eius.*

IVXTA HEBRÆVM.

CXXXVI.

1 *Propheta.* CONFITEMINI Domino [a]: quoniam bonus, quoniam æterno gratia eius.
2 Confitemini Deo deorum: quoniam æterno gratia eius.
3 Confitemini Domino † dominorum: quoniam æterno gratia eius.
4 Facienti separata magna soli: quoniam æterno gratia eius.

† Dominis mis.

5 Facienti

5 *Qui fecit cælos in intellectu: quoniam in sæculum misericordia eius.*

6 *Qui firmauit terram super aquas: quoniam in sæculum misericordia eius.*

7 *Qui fecit luminaria magna: quoniam in sæculum misericordia eius.*

8 *Solem in potestatem diei: quoniam in sæculum misericordia eius.*

9 *Lunam & stellas in potestatem noctis: quoniam in sæculum misericordia eius.*

10 *Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum: quoniam in sæculum misericordia eius.*

11 *Qui eduxit Israel de medio eorum: quoniam in sæculum misericordia eius.*

12 *In manu potenti & brachio excelso: quoniam in sæculum misericordia eius.*

13 *Qui diuisit mare rubrum in diuisiones: quoniam in sæculū misericordia eius.*

14 *Et eduxit Israel per medium eius: quoniam in sæculum misericordia eius.*

15 *Et excussit Pharaonem & virtutem eius in mari rubro: quoniam in sæculum misericordia eius.*

16 *Qui traduxit populum suum per desertum: quoniam in sæculum misericordia eius.*

17 *Qui percussit reges magnos: quoniam in sæculum misericordia eius.*

18 *Et occidit reges fortes: quoniam in sæculum misericordia eius.*

19 *Seon regem Amorrhæorum: quoniam in sæculum misericordia eius.*

20 *Et Og regem Basan: quoniam in sæculum misericordia eius.*

21 *Et dedit terram eorum hæreditatem: quoniam in sæculum misericordia eius.*

22 *Hæreditatem Israël seruo suo: quoniam in sæcu:um misericordia eius.*

23 *Quia in humilitate nostra memor fuit nostri: quoniam in sæculum misericordia eius.*

24 *Et redemit nos ab inimicis nostris: quoniam in sæculum misericordia eius.*

25 *Qui dat escam omni carni: quoniam in sæculum misericordia eius.*

26 *Confitemini Deo cæli: quoniam in sæculum misericordia eius.*

5 Facienti cælos in intelligentia: quoniam æterno gratia eius.

6 Extendenti terram super aquas: quoniam æterno gratia eius.

7 Facienti luminaria magna: quoniam æterno gratia eius.

8 Solem potestati (ad potestatem) in die: quoniam æterno gratia eius.

9 Lunam & stellas potestatibus (ad potestates) in nocte: quoniam æterno gratia eius.

10 Percutienti Ægyptum in primogenitis eorum: quoniam æterno gratia eius.

11 Et eduxit Israel de medio eorum: quoniam æterno gratia eius.

12 In manu forti & in brachio extento: quoniam æterno gratia eius.

13 Incidenti mare rubrum incisionibus: quoniam æterno gratia eius.

14 Et transire fecit Israel in medio eius: quoniam æterno gratia eius.

15 Et submersit Pharaonem & exercitum eius in mari rubro †: quoniam æterno gratia eius. († mari cannæ.)

16 Ducenti populum suum in desertum: quoniam æterno gratia eius.

17 Percutienti reges magnos: quoniam æterno gratia eius.

18 Et occidit reges fortes: quoniam æterno gratia eius.

19 (dat.) Sichon regem † Amorrhæorum: quoniam æterno gratia eius. († regi.)

20 (dat.) Et Og regem † Basan: quoniam æterno gratia eius. († regi.)

21 Et dedit terram eorum in hæreditatem †: quoniam æterno gratia eius. († hæreditati.)

22 Hæreditatem Israel seruo suo: quoniam æterno gratia eius.

23 Qui in humilitate nostra memor fuit nostri †: quoniam æterno gratia eius. († nobis.)

24 Et saluauit nos ab angustatoribus nostris: quoniam æterno gratia eius.

25 Dans panem omni carni: quoniam æterno gratia eius.

26 Confitemini Deo cælorum: quoniam æterno gratia eius.

COMMENTARIVS.

Titulus nullus est.

Materia. Materia Psalmi ex eo quòd singuli versiculi terminantur repetendo *quoniam æterno gratia eius*, facilè patet quòd est recognitio diuinæ gratiæ continuæ vsque in æternum. Psalmus siquidem iste singularissimus est, in hoc quòd

quòd quilibet eius versiculus terminatur in quoniam aeterno gratia eius. Et sic debet scribi in psalterijs & cantari in Ecclesijs: vt Ecclesia Romana seruat, vtens tamen nomine misericordiae loco gratiae.

Perscrutanti autem progressum Psalmi apparet quòd materia Psalmi est inuitare ad recognoscendum & laudandum diuinam gratiam vt rationem omnium extra Deum inchoando ab ipsa ratione agendi, & prosequendo per singula: vt distinguendo patebit.

SVMMARIVM EST.

Propheta monet omnes ad recognoscendum & laudandum Deum: quia gratia eius continua vsque in aeternum, est ratio tum deorum & dominorum, tum supernaturalium operum, tum creationum, tum specialis curae populi Israel, tum generalis gubernationis vniuersi.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. CONFITEMINI DOMINO. Psalmus iste non propriè diuiditur sicut alij in partem propositiuam & executiuam: sed tamen diuiditur in partem quae est velut radix & ratio omnium sequentium, & in partem explicantem tanquam ramos repetendo primam rationem.

In primo itaque versiculo radix totius Psalmi continetur, explicando duas primas rationes rerum omnium, scilicet *quoniam bonus*, *quoniam aeterno gratia eius*. Bonitas siquidem non solùm explicat naturam Dei quae est ipsa bonitas (ac per hoc comprehendens in se eminentissimè quicquid bonitatis quomodolibet potest esse in quocunque) sed etiam explicat primam rationem rerum omnium: quia bonum est suiipsius diffusiuum: ac per hoc quòd Deus est bonus naturâ & voluntate, &c. significatur ratio quare communicauit bonitatem suam creando res. Et verè sic est: quoniam Deus ad communicandum bonitatem suam fecit res.

Bonitas & Gratia duae primae rationes rerum omnium.

Verùm quia haec primaeua ratio multos apud diuersos Philosophos compatitur modos communicandi bonitatem diuinam, quorum aliqui derogant diuinae gratiae (vt si communicaret bonitatem suam naturali necessitate, sicut sol communicat lumen: aut necessitate intellectus, sicut nos volumus bonum & fugimus malum) ideo ad excludendum omnes errores de modo quo Deus communicat bonitatem suam rebus, addit Propheta bonitati gratiam: & cùm dixisset *quoniam bonus*, adiunxit *quoniam aeterno gratia eius*: vt gratuita omnis collatio diuina intelligeretur, non semel aut certo tempore sed in aeternum. Significat enim hoc, ideo laudandum esse Deum, *quia gratia*, gratuita voluntas, non naturae aut intellectus aut voluntatis, aut quaeuis necessitas, sed gratia, sed gratuita voluntas Dei, *est aeterno*, semper durat, nunquam exhauritur, omni tempore adest. Hae sunt primae radices actionis diuinae ad extra: significantes Deum ex sua bonitate gratuito facere omnia quaecunque facit, à principio quo fecit res vsque in aeternum.

Vers. 2. CONFITEMINI DEO DEORVM. Incipiunt hîc velut rami singuli, quorum ratio est gratia Dei continua. Et distinguuntur in quinque partes. Primò enim laudandus dicitur Deus quoad statum eius. Secundò quoad operationes supernaturales, ibi, *facienti separata*. Tertiò quoad creationem mundi, ibi, *facienti caelos*. Quartò quoad specialem curam populi sui, ibi, *percutienti Aegyptum*. Quintò quoad generalem gubernationem mundi, ibi, *danti panem*.

Monet itaque in primis Propheta laudandum Deum, recognoscendo diuinam gratiam rationem excelsi status Dei supra omnes substantias spirituales: quales sunt substantiae intellectuales quas dicimus Angelos. Hoc enim intendit dicendo, *Confitemini Deo deorum*: & similiter *Domino dominorum*. Est enim Deus, *Deus deorum*: hoc est spiritualium substantiarum. Quae appellantur dij propter excellentem participationem deitatis: & appellantur *Domini* propter praesidentiam super corporalia omnia: & etiam quia inter eos alij alijs praesident.

Spirituales substantiae vocantur dij propter excellentem deitatis participationem.

Vbi aduerte quòd primùm inductum à Propheta est praesidentia Dei respectu substantiarum spiritualium: quoniam in veritate illae sunt prima & potior pars vniuersi. Et rationem tam excellentis status, tantae curiae, assignat gratiam: *Confitemini Deo deorum quoniam aeterno gratia eius*: quoniam ex diuina gratia continua est quòd sint substantiae illae quae dij & domini dicuntur. Et hoc similiter intellige in omnibus subsequentibus versiculis: applicando semper rationem continuae gratiae diuinae singulis.

Vers. 4. FACIENTI SEPARATA MAGNA. Secunda pars est describens continuam gratiam esse rationem quòd Deus solus facit opera supernaturalia: quae separata à facultate naturae vocantur: solus enim auctor naturae potest super illam. Et subintellige tam hîc quàm in consequentibus verbum *Confitemini*: datiuus enim *facienti* & similes subsequentes respiciunt verbum *confitemini*.

Vers. 5. FACIENTI CAELOS. Tertia pars inducit continuam gratiam esse rationem creationis mundi: numerando prima creata, caelestia corpora & elementa.

Vbi aduerte quòd participium praesentis temporis *facienti*, quamuis facilè posset glossari extendendo ad conseruationem (quia conseruatio nihil aliud est quàm continua creatio) contextui tamen subsequentium quadrat vt haec tempora praesentia determinent tempus factionis: vt sit sensus *confitemini facienti olim caelos*.

Caelos in intelligentia: hoc est intellectuales. Quod est verum vel quantum ad substantiam caelorum si sunt animati: vt multi Philosophi rationabiliter putant: vel quoad motum: quia motus caelorum proculdubio intellectualis est, hoc est ab intellectu.

Caelos animatos multi Philosophi putauere.

Extendenti terram. Dicitur terra extensa super aquas ratione aridae partis terrae discoopertae ab aquis, quae est extensa in longitudine & latitudine, eminentior aquis: alioquin submergeretur ab aquis: cùm naturaliter aqua tendat in decliuiorem locum. *Solem potestati*, hoc est, ad exercendam potestatem suam, *in die*: hoc est ad dominandum, ad exercendam potestatem illuminandi & calefaciendi terram in die. *Lunam & stellas potestatibus*, hoc est, ad exercendas potestates suas, *in nocte*. *Potestates* pluraliter dixit propter diuersitatem luminis lunae à lumine stellarum: ambae tamen exercent potestatem illuminatiuam in nocte.

Vers. 10. PERCVTIENTI AEGYPTVM. Quarta pars est inducens gratiam Dei vt rationem

mirabilis

mirabilis curæ diuinæ de populo suo. Nec oportet morari in expositione historiarum.

Vers. 13. INCIDENTI MARE RVBRVM INCISIONIBVS. Hic textus materiam præbet opinandi quòd filij Israël per mare rubrum multis viis transierunt, & vt aiunt duodecim viis iuxta numerum duodecim tribuum: quia hîc dicitur mare rubrum incisum incisionibus in datiuo casu: ex eo enim quòd in numero plurali textus commemorat incisiones, argumentum sumptum est quòd in pluribus locis mare diuisum sit.

Mare rubrũ duodecim vys, vt aiũt, diuisum.

Verùm argumentum non cogit: quoniam vna incisio plures facit incisiones. Incidendo enim panem in duas partes, relinquuntur ex vno incidendi actu duæ incisiones: altera in vna parte: & altera in reliqua. Et explicauit hoc Propheta ad significandum quòd Deus sic incidit mare rubrum vt incisiones remanserint hinc & inde in partibus seorsum. Quod Scriptura sub aliis verbis dicit: quòd Deus diuisit mare rubrum sic vt *aqua essent pro muro à dextris & sinistris*. Vnde ex isto textu non habetur pluralitas diuisionum: sed vna diuisio remanens in duabus incisionibus à dextris & sinistris.

Aduerte hîc pro toto Psalterio quòd mare rubrum alio nomine dicitur *mare canna*, & in textu Hebræo appellatur *mare canna*, fortè à multitudine cannarum iuxta nascentium. Nos autem in hoc Psalterio deferentes vsui communi in hoc nomine proprio loci, permisimus scribi mare rubrum: & tamen significamus quòd verbum verbo reddendo dicendum esset mare cannæ.

Mare rubrũ alio nomine dicitur mare canna.

Vers. 23. QVI IN HVMILITATE NOSTRA. Hactenus descripsit specialem curam Dei erga populum suum ab egressu ex Ægypto vsque ad terram promissionis inclusiuè: modò subiungit eandem curam in terra promissionis vsque ad tempora Dauidis. Fuit enim populus sæpe oppressus post tempora Iosue vsque ad Dauidem: vt patet in libro Iudicum, & in 1. Regum. Et totius illius temporis decursum summariè tangit, dicendo: *Qui in humilitate nostra*, hoc est, in deiectione nostra multiplici, *saluauit nos ab angustatoribus nostris*, diuersis.

Vers. 25. DANS PANEM. Quinta hæc pars generalem gubernationem diuinam inducit à duobus: tum ex eo quòd pascit omnia animalia: tum ex eo quòd præsider cælis. Hæc enim duo sufficienter restantur gubernationem vniuersalem.

Et nominatiuus *dans*, cõtinuatur cum relatiuo *qui*, in versiculo ante præcedentem posito: ad ostendendum ex ipsa continuatione eundem esse gubernatorem vniuersalem, & Deum qui specialem curam habuit populi sui: qui & vocatur Deus cælorum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO. CXXXVI.	IVXTA HEBRÆVM. CXXXVII.
1 *SVPER flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus: dum recordaremur tui Sion.*	1 *Populus captiuus.* SVPER flumina Babylonis ibi sedimus & fleuimus in recordari nostro Sion.
2 *In salicibus in medio eius: suspendimus organa nostra.*	2 Super salices in medio eius: suspendimus citharas nostras.
3 *Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos: verba cantionum.* *Et qui abduxerunt nos: hymnum cantate nobis de canticis Sion.*	3 Quoniam ibi interrogauerũt nos captiuatores nostri verba cantus, & eiulatus nostros lętitiam. *Vox captiuantiũ.* Canite nobis de cãtu Sion.
4 *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?*	4 *Populus captiuus.* Quomodo cantabimus cantum Domini [4] super terra alieni?
5 *Si oblitus fuero tui Hierusalem: obliuioni detur dextera mea.*	5 Si obliuiscar tui Hierusalem: obliuiscetur dextera mea.
6 *Adhæreat lingua mea faucibus meis: si non meminero tui.* *Si non proposuero Hierusalem: in principio lætitiæ meæ.*	6 Adhærebit lingua mea palato meo: si non recordabor tui; si non faciam ascendere Hierusalem super caput lætitiæ meæ.
7 *Memor esto Domine filiorum Edom: in die Hierusalem.* *Qui dicunt: exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.*	7 Recordare Domine [4] filiis Edom diem Hierusalem: qui dicentes. *Vox Idumæorum.* Euacuate euacuate vsque ad fundamentum in ea.
8 *Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis.*	8 *Populus captiuus.* Filia Babel desolata: beatitudines qui soluet tibi retributionẽ tuã quã retribuisti nobis.
9 *Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram.*	9 Beatitudines qui apprehendet & allidet paruulos tuos ad petram.

COMMENTARIVS.

Titulus nullus est.
Materia Psalmi (vt clarè apparet) est status deuoti populi in captiuitate Babylonica constituti, combusto templo & destructa Hierusalem.

SVMMARIVM EST.

Populus in captiuitate Babylonica narrat se ipsum in luctu perseuerantem in spe redeundi ad Hierusalem, & precatur siue prophetat vindictam tam Idumea quàm Babylonia.

Personæ loquentes sunt tres: populus captiuus, captiuantes eos, & Idumæi.

Vers. 1. SVPER FLVMINA. Diuiditur Psalmus iste in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *super salices*. Proponit populus captiuus in Babylone, moram & fletum proprium ibi, *cum recordaretur Sion.*

Populus captiuus in Babylone suspirat ad recordationem Hierusalem.

Super flumina. Captiuus populus pauper, à miserabili inchoat loco iuxta flumina: vtpote pauperibus congruo. *Ibi sedimus*, diu morati sumus, *& fleuimus*. Luctuosus status loco miserabili congruit. *In recordari nostro Sion*: hoc est, templi Dei & regiæ sedis. Memoria siquidem præteritæ felicitatis tum in solemni diuino cultu, tum in libertate & dignitate regni, renouabat fletus captiuorum in tam miserabili loco morantium.

Vers. 2. SVPER SALICES. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *super flumina*. Secundò illa, *in recordari nostro Sion*, ibi, *si obliuiscar*. Declarat itaque luctuosum statum suum populus constanter tenuisse, etiam prouocantibus ipsum ad lætitiam dominis eius.

Super salices. Aduerte hîc quòd id quod videtur superficies literæ significare falsum est: putà quòd populus qui ducebatur in captiuitatem haberet secum musica instrumenta quæ appenderit super salices fluminum. Patet enim imaginationem hanc falsam esse ex sacra historia, tradente non solùm combustum templum cum domo regia, sed combustas etiam priuatas domos à Chaldæis in destructione Hierusalem: & (quod plus est) quòd illi fuerunt ducti in captiuitatem qui euaserant gladium. Vnde non parum fecerunt saluando vitam: nec erat tempus vacandi ad saluandum musica instrumenta. Est itaque verus sensus literæ quòd populus fatetur se musicis instrumentis & cantibus priuasse: quia musica non conuenit luctui. Vtitur autem hoc modo loquendi: quia vsitatus est iste loquendi modus vt profitentes abdicasse à se exercitationem aliquam, dicant se reliquisse seu posuisse instrumenta in loco suæ miseriæ. Verbi gratia qui reliquit exercitium literarium ob infortunium ægritudinis, dicit, Ego reliqui libros in lecto: & sic de similibus. Tali namque loquendi vsu dicit nunc populus quòd super salices suspendit organa musicæ: significans quòd habitatio in salicibus iuxta flumina, abstulit ab eis omnem materiam lætitiæ. Vnde & addit, *in medio eius*, scilicet Babylonis: vt hinc intelligas quòd totus populus etiam qui non habitabat iuxta flumina, abdicauerat à se lætitiam ratione miserabilis loci communis populi. Quamuis etiam *in medio eius*, possit & fortè verius intelligi, hoc est, in manifesto, in publico, *suspendimus citharas nostras*, abdicauimus à nobis statum lætitiæ, cantuum, sonorum, &c.

Vers. 3. QVONIAM IBI INTERROGAVERVNT NOS. Constantia simul & ratio aucti luctus adiungitur. *Quoniam ibi*, in Babylone, *interrogauerunt nos captiuatores nostri verba cantus, & eiulatum nostros,* interrogauerunt *lætitiam*: hoc est, nobis existentibus in eiulatu ipsi petierunt ea quæ sunt lætitiæ.

Vox Babyloniorum. *Canite nobis de cantu Sion*: hoc est, canite nobis hymnos solitos cantari in templo quod erat in Sion. *Quomodo cantabimus* (ecce responsio constans) *canticum Domini super terra aliena*, populi à cultu Dei.

Vers. 5. SI OBLIVISCAR. Tractatur hîc illa particula, *in recordari nostro Sion*, dupliciter. Primò quoad constantiam luctus & spei. Secundò quoad vindictam.

Constantia luctus & spei.

Circa luctum & spem fixam ponit tres conditionales cum duabus execrationibus. Prima est: *Si obliuiscar tui ô Hierusalem, obliuiscetur dextera mea.* Apostrophat populus captiuus ad Hierusalem: imprecans sibiipsi quòd propria dextera detur obliuioni si ipse oblitus fuerit Hierusalem. Et intendit per obliuionem iuxta vsitatum loquendi morem obliuionem quoad signa & facta. Dicimus enim aliquem oblitum paternæ mortis, quando vacat lætis cantibus & sonis & sic de similibus. Intendit siquidem dicere populus quòd si more oblitorum tantæ miseriæ cantabo, lætabor, vacabo musicæ, *obliuioni detur dextera mea*, hoc est prosperitas mea: nunquam ego veniam ad prosperitatem si obliuiscar, si omittam luctum Hierusalem. Et aduerte quòd *obliuiscar* sumitur actiuè, *obliuiscetur* autem sumitur passiuè: in vtraque enim significatione inuenitur.

Adhærebit lingua mea palato, præ ariditate iuxta illud: *adhæsit lingua lactentis palato eius in siti*) *si non recordabor tui*: & quod amplius est, *si non faciam ascendere Hierusalem super caput lætitiæ meæ.* Hierusalem ascendere super caput lætitiæ, est Hierusalem poni rationem inchoandi lætitiam. Ita quòd sensus est: Adhærebit lingua mea palato meo, si non efficiam quòd Hierusalem sit ratio inchoandi lætitiam meam. Et hoc est dicere si prius lætabor, si alia ratione lætabor quàm propter Hierusalem. Et intendit per hoc quòd vsquequo redibit in Hierusalem non lætabitur: sed tunc erit principium lætitiæ eius. Intellige hæc verificari quoad actus interiores: quòd pro toto illo tempore captiuitatis populus deuotus nunquam deposuit spem redeundi in Hierusalem, ita quòd nunquam lætatus est ex corde interim: & quoad actus exteriores, quòd nunquam assumpsit cantus & sonos musicos vsque ad reditum in Hierusalem. Et propterea dicit quòd faciet ascendere Hierusalem super caput lætitiæ: tunc enim inceperunt cum canticis & sonis musicis lætari. Ita quòd sicut modò videmus aliquos in signum tristitiæ nutrire barbam, profitentes se non radendos donec redeant ad patriam, ita populus Hebræus hîc loquitur de statu suo luctuoso.

Vers.

Verſ. 7. RECORDARE DOMINE. Tractat memoriam Sion quoad vindictam primò Idumæorum, apoſtrophans ad Deum. *Recordare Domine diem Hieruſalem*, hoc eſt, deſolationem Hieruſalem, *filijs Edom.* hoc eſt, ad vindictam Idumæorum: *qui dicentes*, ſupple fuerunt Chaldæis deſtruentibus Hieruſalem: *euacuate euacuate vſque ad fundamentum in ea.* Vox iſta eſt Idumæorum hortantium Chaldæos ad totalem ruinam Hieruſalem.

Filia Babel. Vindictæ Idumæorum adiungit vindictam Babyloniorum, apoſtrophans ad populum Babylonis. *Filia Babel deſolata.* Prophetia videtur hæc futuræ vindictæ in Babylonios: quos eodem anno punitos legimus quo populo Iudaico conceſſum eſt redire in Hieruſalem: ſcilicet anno primo Cyri regis Perſarum.

Beatitudines ſunt eius qui Deus ſub ratione poſſidentis beatitudines deſcribitur vindex contra Babylonios: ad ſignificandum quòd non motu iræ, non indigentia aliquâ, ſed ex diffuſione ſuæ iuſtitiæ puniet eos retribuendo iuxta eorum crudelitatem. Et in ſpecie explicatur alliſio paruulorum ad lapides: vt tanta deſolatio deſcribatur vt etiam in infantes ſæuiatur, ſicut Chaldæi ſæuierunt in Hebræos: iuxta illud Thren 2. *Iacuerunt in terra foris puer & ſenex, virgines & iuuenes ciderunt in gladio.* Eſaias enim cap. 13 de onere Babylonis dicit: *Infantes eorum allidentur in oculis eorum.* Amen. Thren. 2. Iſai. 13.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Pſalmus Dauid.*	Dauidi.
CXXXVII.	CXXXVIII.
CONFITEBOR tibi Domine in toto corde meo: quoniam audiſti verba oris mei.	1 *Propheta.* CONFITEBOR te in toto corde meo: coram diis cantabo te.
2 *In conſpectu Angelorum pſallam tibi: adorabo ad templum ſanctum tuum & confitebor nomini tuo.*	2 Curuabo me ad templum ſanctitatis tuæ, & confitebor nomen tuum ſuper gratia tua & ſuper veritate tua: quia magnificaſti ſuper omne, & nomen tuum, dictum tuum.
Super miſericordia tua & veritate tua: quoniam magnificaſti ſuper omne nomen, ſanctum tuum.	
3 *In quacunque die inuocauero te exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.*	3 In die vocaui & reſpondiſti mihi: ſuperbificabis me, & in anima mea fortitudinem.
4 *Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.*	4 Confitebuntur te omnes reges terræ: quoniam audierunt dicta oris tui.
5 *Et cantent in vijs Domini: quoniam magna eſt gloria Domini.*	5 Et cantabunt in viis Domini [4]. *Vox cantantium.* Quoniam magnus honor Domini.
6 *Quoniam excelſus Dominus: & humilia reſpicit, & alta à longè cognoſcit.*	6 Quoniam excelſus Dominus [4]: & humile videbit, & celſitudinem de longè cognoſcet.
7 *Si ambulauero in medio tribulationis viuificabis me: ſuper iram inimicorum meorum extendiſti manum tuam, & ſaluum me fecit dextera tua.*	7 *Propheta.* Si ambulabo in medio anguſtiæ, viuificabis me: ſuper furorem inimicorum meorum extendes manum tuam, & ſaluabit me dextera tua.
8 *Dominus retribuet pro me, Domine miſericordia tua in ſeculum: opera manuum tuarum ne deſpicias.*	8 Dominus [4] perficiet pro me: Domine [4] gratia tua æterno, opera manuum tuarum ne relaxa.

COMMENTARIVS.

TItulus eſt: *Dauidi.*

Materia. Materia Pſalmi eſt ratio ædificandi templum: tum ex parte Dauidis: tum ex parte ſucceſſorum regum. In principio ſiquidem Pſalmi, mentio fit futuræ adorationis in templo: quod conſtat tempore Dauidis non eſſe conſtructum ſed præparatum: & conſtat adorare in templo, eſſe rationem conſtruendi templum. Et ſubiunguntur rationes ex gloria Dei & beneficiis collatis ipſi Dauidi: & poſtea ſubiungitur fructus ſecu

fecuturus in regibus. Vnde rationabiliter colligitur materiam Pfalmi effe reddere ratiõ[illegible]nem conftruendi templi.

SVMMARIVM EST.

DAuid conftructurus templum, laud[illegible] ... [illegible] se in toto corde & coram principi[illegible] ... ubi Deum profitetur: tum in recognitionem diui[illegible] ... tum nominis ac reu[illegible]el[illegible]tionarum, laudémque diuini nominis beneficiorum fib[illegible] colla-norum: tum in recognitionem beneficiorum ... laudabunt De[illegible]um, & torum. Indéque reges omnes laudabunt Deum ... h[illegible]umicantabunt honorem eiúfque prouidentiam ... les,&c.

Perfonæ loquentes funt Propheta & Reges.

Vers. 1. COnfitebor. Diuiditur Pfalmus in partes duas: propofitiuam materiæ, & executiuam, ibi, *curuabo me.* Proponit duo. Alterum eft: *Confitebor te* , laudabo te, fupple Deus, *in toto*, non in parte, *corde*, non ore meo, non alieno. Alterum eft: *Coram dys cantabo te*: hoc eft, regum, publicè, ad vtilitatem deorum, hoc eft regum, qui propter excellentiam officij dij dicuntur in facra Scriptura: vt patet Exod.22. Et intendit per hæc duo quòd laudaturus eft in opere templi Deum ex parte fua non ad exrimoniam popularem, fed in intimo corde fuo: & vtiliter, ad vtilitatem principum. Quorum oppofita inueniuntur in conftructione templorum aliarum gentium: quoniam nec ædificantes aut colentes colunt Deum corde integro, nec principes vtilitatem interni fpiritus inde referunt, fed omnia propter vulgus aguntur: vt Seneca dicit.

Reges ab excellentia officij Dy dicuntur.

Verf. 2. CVRVABO ME. Incipit hîc pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *confitebor te in toto corde meo.* Secundò illa, *coram dys*, ibi, *confitebuntur te.*

Cultum ergo futurum integro corde defcribit: inchoando à reuerentia Dei: *Curuabo me ad templum fanctitatis tuæ.* Dixit hoc Dauid explicans defiderium proprium, & non prophetando futurum actum: quoniam nunquam adimpleuit hoc per feipfum, fed per femen fuum. Defiderium enim pro opere computatur, quando ex parte defiderantis non omittitur opus, fed ex impedimento non fubiacente ipfius poteftati: vt accidit in propofito. Et propterea meritò dixit, *curuabo me ad templum fanctitatis tuæ.*

Et confitebor, laudabo, *nomen tuum.* Reuerentiæ loci adiungitur laus diuini nominis. *Super gratia tua & fuper veritate tua.* Tertio loco defcribitur materia laudis. Et fub gratia & veritate comprehendit vniuerfa opera Dei, quia vniuerfæ viæ Domini gratia & veritas funt. *Quia magnificafti fuper omne*, fuper totum vniuerfum hæc duo, fcilicet *nomen tuum*, & *dictum tuum*. Verè nomen Dei magnificatum eft fuper omnia, & ex opere creationis, & ex multis operibus mirabilibus. Dictum quoque diuinum magnificatum eft fuper omnia: quoniam verificatum eft non obftantibus quibufcumque tam naturalibus quàm voluntarijs agentibus aut refiftentibus. Et intendit per hæc quòd in templo Dei laudabit diuinum nomen recognofcendo vniuerfa opera Dei, & confitendo magnificationem nominis eius & dicti eius fuper omnia: vt hinc intelligamus ad hæc officia cùm velle conftruere templum: fcilicet ad recognofcendum Deum auctorem omnis gratiæ & veritatis, ad laudandum nomen eius & dictum eius fuper omnia magnificatum. Et intellige per *dictum Dei* reuelationes propheticas factas Abrahæ, Ifaac, Iacob, Moyfi, Samueli, &c.

Dictum Dei funt reuelationes Propheticæ.

Verf. 3. IN DIE VOCAVI. Explanatâ ratione conftruendi templi ex officio laudandi & recognofcendi Deum, &c. fubiungitur nunc altera ratio ex fpiritualibus beneficiis collatis ipfi Dauidi. *In die vocaui & refpondifti mihi.* Ecce primum beneficium: quòd in tempore neceffitatis recurri ad te, & tu dignatus es refpondere mihi facto. Et fubdit duo facta: Alterum, *fuperbificabis me.* Alterum, *in anima mea fortitudinem.* Non accipitur hîc fuperbire in malam partem: fed fecundùm proprietatem vocabuli communis ad bona & ad mala. Intendit fiquidem quòd Deus fecit ipfum fuperire: cùm enim iret prius fubtus (vtpote depreffus & profugus, & multipliciter afflictus) Deus fecit ipfum regem: & quod amplius eft, fecit ipfum vincere & fuperare hoftes multorum regnorum. Et propterea meritò dicit quòd fecit me fuperbum, feu fuperbificauit me. Nec folum me fuperbificauit, fed etiam fuperbificauit fortitudinem in anima mea: dum fecit animum meum tam fortis fpei vt omnia fuperaret. Et hoc Propheta declarandum differt poft tres verfus, ibi, *fi ambulabo.* Et futurum *fuperbificabis*, refpicit præteritum *refpondifti.*

Superbire fumitur hic pro fuperiri.

Verf. 4. CONFITEBVNTVR TE. Tractatur hîc illa particula, *coram dys*: tractatur autem à fructu intento, defcribendo illum. *Confitebuntur te omnes reges terræ*, ex ædificato templo propter rationes prædictas (tum ex parte diuinæ laudis, tum ex parte beneficiorum mihi collatorum) fequetur hic fructus, fcilicet quòd confitebuntur confeffione laudis te omnes reges terræ. Si hoc vt fonat intelligitur, non defcribitur fructus fecuturus: fed occafio data omnibus rebus mundi laudandi Deum. Et effet fenfus: Confitebuntur, hoc eft, occafionem confitendi habebunt. Si autem litera intelligitur de omnibus regibus terræ promiffionis fuccefforibus ipfius Dauidis (quia fubiungitur, *& cantabunt in vys Domini*: quod de omnibus mundi regibus non videtur intelligendum) fic quadrat vndique contextus: quia ex intentione Dauidis ædificatum eft templum ad hoc vt omnes reges fucceffores eius laudent Deum & cantent in viis Dei: quamuis multi eorum non adimpleuerint. Defcribit enim Dauid fructum non qui erit, fed quem intendit, quem hæreditario iure relinquit fucceffori bus, ad quem eos ligat conftruendo templum. *Quoniam audierunt dicta oris tui.* Vera eft ratio quoad fucceffores Dauidis: quoniam audierunt legem & reuelata patribus, quæ funt dicta oris tui.

Et cantabunt, reges, *in vijs Domini.* Viæ Domini velut ambulantis (hoc eft, per quas ambulat Dominus) funt operationes Domini: quibus quodammodo progreditur ad nos. Viæ autem Domini, hoc eft, per quas itur ad Dominum, funt affectus & opera noftra quibus quafi progredimur ad Dominum. Præfens litera vtroque modo poteft intelligi.

Viæ Domini, id eft, quibus Deus ambulat, funt ipfius operationes: viæ Domini id eft, quibus imus ad Dominum funt affectus & opera noftra.

Quoniam magnus honor Domini. Duo cantanda in viis Domini defcribuntur. Alterum eft magnitudo honoris diuini. Et in hoc laudatur excellẽtia Dei,

Dei, maior omni honore, gloria, &c. Alterum est: *Quoniam excelsus Dominus: & humile videbit, & celsitudinem de longè cognoscet.* Et in hoc laudatur prouidentia Dei circa humana merita & demerita: imò circa dispositiones humanarum mentium ad suscipiendam vel non suscipiendam diuinam gratiam. Proferebuntur enim sub metaphora quòd Deus ad ima se habet vt videns propè, ad celsa autem se habet vt cognoscens à remotis; vt per has similitudines corporales intelligamus significari quòd Deus benignus est quoad gratiæ collationem humilibus corde: elatis autem non confert gratiam.

Vbi aduerte quòd iuxta duo genera causarum construendi templum superiùs inducta (scilicet ex parte diuinæ laudis, & ex parte beneficiorum collatorum Dauidi) describit duo cantanda à successoribus, scilicet quòd magnus honor: & hoc quoad priorem causam: & quòd humile respicit & celsum à longè cognoscit: & hoc quoad alteram causam, quà eleuauit Dauidem humilem & deiecit Saulem superbum. De humilitate enim Dauidis clarè patet 2. Regum 6. De superbia autem Saulis clarè patet 2. Regum 15. *Nonne cum paruulus esses,* &c. Dixit nihilominus hæc, intendens quòd reges successores sui debent hæc duo habere præ oculis, scilicet honorem Dei, & hanc conditionem prouidentiæ eius quòd humilibus benignus est non superbis.

Vers. 7. SI AMBVLABO. Aduerte quòd ista clausula continuanda est tertio versiculo: quoniam est declaratio secundi beneficij collati Dauidi, scilicet in anima mea fortitudinem: quod in calce tertij versiculi locatum est. Declarat enim illam fortitudinem animæ suæ penès actum spei inconcussæ: explicando illam tantam quòd *si ambulabo in medio angustiæ*, non in extremitatibus sed in medio vndique circumfusus angustiâ, *viuificabis me.* Dixerat, *superbificabis in anima mea fortitudinem.* Et propterea declarando hanc fortitudinem, prosequitur sermonem alloquendo Deum: *Super furorem inimicorum meorum extendes manum tuam*: in medio angustiæ semimortuum viuificabis, furentibus inimicis occurres manu tuâ: & tam efficax erit viuificatio ac extensio manus quòd *saluabit me dextera tua.*

Spes inconcussa.

Si quæris quare Propheta interposuerit tres versiculos de confessione regum: scito nullam fuisse interpositionem: sed morem scribendi suum seruasse Prophetam. Consueuit siquidem hic Propheta plura simul proponere, & illa singillatim exequi. Et propterea cùm dixisset in tertio versiculo simul duo beneficia à Deo sibi collata (scilicet *superbificabis me, & in anima mea fortitudinem*) prosecutus est primum beneficium, describendo officium successorum regum: primum enim beneficium erat eleuatio ipsius in regem: & postea prosecutus est secundum beneficium, explicando fortitudinem animæ suæ ex securitate suæ spei.

Vers. 8. DOMINVS PERFICIET PRO ME. Terminat Psalmum Dauid, explicando rationem futuri temporis in principio propositi, tum in verbo *confitebor*, tum in verbo *curuabo me*, &c. Et intendit explicare quòd quamuis ipse non perficiet templum, sed solùm inchoabit præparando materiam, certus tamen est quòd Dominus perficiet templum pro me: hoc est, loco mei vtens filio meo.

Domine gratia tua æterno. Vt intelligas etiam prædestinata à Deo suppliciter petenda ex gratia ab ipso Deo adimpleri, ideo supplex apostrophat ad Deum, petendo ne lentescat in opere ædificationis templi: quia gratia eius est in æternum. *Domine gratia tua*, non est ad momentum, sed æterno, non est instabilis sed firma: & propterea ne relaxa: lentescendo, opera manuum tuarum, operationes opportunas ad constructionem templi. Quæ verè sunt manuum tuarum, quia te iubente & dirigente inchoatæ sunt. Petit autem *ne relaxa*, humano more alloquens Deum: intendens per hoc ne permittat tepere & in longum protrahi opus constructionis templi (cùm huiusmodi tepor seu dilatio sit via ad relinquendum opus imperfectum) & quia desiderat templum non solùm perfici sed citò perfici. Amen.

P S A L M V S

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori Dauid Psalmus.*

CXXXVIII.

2 *DOMINE probasti me & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam.*

3 *Intellexisti cogitationes meas de longè: semitam meam & funiculum meum inuestigasti.*

4 *Et omnes vias meas præuidisti: quia non est sermo in lingua mea.*

5 *Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua: tu formasti me & posuisti super me manum tuam.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti Dauidi Psalmus.

CXXXIX.

1 *Propheta.* DOMINE [4] inuestigasti me, & cognouisti.

2 Tu cognouisti sessionem meam & surgere meum: intellexisti malum meum † à longè. † *malo meo.*

3 Semitam meam & accubitionem meam ventilasti: & omnes vias meas præuidisti.

4 Quia non (est adhuc) verbum in lingua mea: ecce Domine[4] nosti totum ipsum.

5 Retro & ante formasti me: & posuisti super me palmam tuam.

6 *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est & non potero ad eam.*

7 *Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam?*

8 *Si ascendero in cælum tu illic es: si descendero in infernum ades.*

9 *Si sumpsero pennas meas diluculo: & habitauero in extremis maris.*

10 *Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.*

11 *Et dixi: forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis.*

12 *Quia tenebræ non obscurabuntur à te: & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius ita & lumen eius.*

13 *Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de vtero matris meæ.*

14 *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua & anima mea cognoscet nimis.*

15 *Non est occultatum os meum à te quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ.*

16 *Imperfectum meum viderunt oculi tui: & in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur & nemo in eis.*

17 *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.*

18 *Dinumerabo eos & super arenam multiplicabuntur: exurrexi & adhuc sum tecum.*

19 *Si occideris Deus peccatores: viri sanguinum declinate à me.*

20 *Quia dicitis in cogitatione: accipient in vanitate ciuitates suas.*

21 *Nonne qui oderunt te Domine oderam: & super inimicos tuos tabescebam?*

22 *Perfecto odio oderam illos: & inimici facti sunt mihi.*

23 *Proba me Deus & scito cor meum: interroga me & cognosce semitas meas.*

24 *Et vide si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna.*

est
6 Separata scientia plus me: robora-
est
ta , non potero ad eam †. †a
7 Quo ibo à spiritu tuo? & quo à faciebus tuis fugiam?
si
8 Si ascendam cælos, ibi tu: & iacebo foueæ, ecce tu.
si si
9 Sumam alas diluculi: habitabo in fine maris.
10 Etiam illuc manu tua deduces me: & apprehendes me dextera tua.
11 Et dixi: tantùm obscuritas obscura-
erit
bit me, & nox lux pro me.
12 Etiam obscuritas non obscurabit à te: & nox sicut dies lucebit, sicut obscuritas sicut lux.
13 Quoniam tu acquisisti renes meos: operuisti me in vtero matris meæ.
14 Confitebor te propterea quòd terribilibus separatus sum: separata opera tua, & anima mea sciens valde.
15 Non fuit occultatum os meum à te: qui factus sum in abscondito, acu pictus sum in inferioribus terræ.
16 Informe meum viderunt oculi tui:
dies
& super libro tuo omnes illi scri-
bentur, dies formati sunt, & non
dies
vnus in eis.
17 Et mihi quàm chari facti sunt socij tui Deus: quàm roborata sunt capita eorum?
Quòd &
18 Dinumerabo eos, super arenam multiplicabuntur: expergefactus sum, & adhuc ego tecum.
tunc
19 Si occides Deus impium: & viri sanguinum recedite à me.
prædicabunt loco cogitationis qua ele-
20 Quòd dicent te: cogitationi eleua-
uari putarunt à me
uerunt frustra, inimicos tuos.
21 Nonne odientes te Domine odiam: & in insurgentes tuos certabo?
22 Terminatione odij odiui illos: inimicis fuerunt mihi.
23 Inuestiga me Deus & cognosce cor meum, proba me, & cognosce cogitationes meas.
est
24 Et vide si via derisionis in me : & deduc me in via seculi.

COM

COMMENTARIVS.

Materia.

TItulus est: *Vincenti Dauidi Psalmus.* De quo vt suprà.

Materia Psalmi est omniscientia Dei descripta circa Dauidem,& specialiter tanquam testis tam recti animi Dauidis erga Deum, quòd fuit amicus amicorum & inimicus inimicorum Dei. Quòd enim in Psalmo hoc tractetur omniscientia Dei applicata ad ipsum Dauidem, claré patet à principio Psalmi vsque ad versiculum 17. Quòd verò Deum adducat in testem quòd ipse Dauid amauit amicos Dei & odio habuit inimicos Dei, claré etiam describitur ab inde vsque ad finem Psalmi. Et quia nihil speciale de seipso Dauid dicit, nisi quòd est amicus amicorum & inimicus inimicorum Dei, & Deum petit scrutatorem ac testem veracitatis animi sui, apparet quòd Dauid timebat, putabat seu sentiebat imputari sibi quòd non integra simplicitate & veritate cordis procederet: quia exaltabat viros sanguinum, scilicet Ioab, qui proditoriè occidit duos principes. Et propterea fecit hunc Psalmum afferendo Deum (qui omnia nouit) in testem veracitatis animi sui: tacitè excusando se quòd non puniuit Ioab. Hæc enim ad literam apparet occasio Psalmi.

SVMMARIVM EST.

DAuid contestans Deum cognoscere se Dauidem omnimodquaque (quia est per essentiam præsentiam & potentiam in omnibus: & in tenebris etiam videt: vtpote qui fecit ipsum in materno vtero, &c.) nosse quoque bonum animum suum erga Deum amicosque Dei ac contra inimicos Dei, inuocat ipsum vt scrutando cor & cogitationes suas videat veracitatem animi sui, & dux sum sit in residua sue vita via.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. DOMINE INVESTIGASTI ME. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *tu cognouisti.* Propositiua duo: scilicet inuestigationem & cognitionem. *Domine inuestigasti me*: hoc est exactè & distinctè singula mea singillatim vt discussisti habuisti coram te: nam inuestigare non propriè conuenit Deo: cui omnia nuda sunt & aperta absque aliqua inquisitione. Sed sicut dicitur irasci quantum ad similitudinem effectus, quia punit, ita dicitur inuestigare quantum ad similitudinem termini, quia omnia sunt coram eo sicut inuestigata sunt in inuestigante in termino inuestigationis.

TV COGNOVISTI. Incipit hic pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *cognouisti.* Secundò illa, inuestigasti, ibi *inuestigas.*

Circa cognitionem Dei respectu Dauidis vt cogniti, tali ordine procedit. Primò narrat conditiones Dauidis cognitas. Secundò rationem cognoscendi, ibi, *retro & ante.* Tertiò quandam obiectionem confutat, ibi, *& dixi.*

Circa res cognitas à Deo in ipso Dauide, tali procedit ordine quòd affert quinque differentias rerum cogitatarum: inchoans à differentiis situs proprij *Tu cognouisti sessionem meam & surgere meam.* Surgere enim & sedere sunt differentiæ

positionis. Et videtur sub metaphora significare differentias statuum: scilicet humilis & celsi, quos pro diuersitate temporum habuit Dauid. Fuit enim prius pastor ouium, post gener Regis, tribunus militum, deinde profugus pauper, postea rex, iterum eiectus, & postea rediit ad integrum regnum. *Varij status Dauidis.*

Intellexisti malum meum a longè. Secunda differentia mali & boni subiungitur, explicando alterum extremum: scilicet malum. Vbi aduerte Philosophiam subtilem: quòd describendo Deû intelligere malum, apponitur modus intelligendi à longè: vt explicetur quòd Deus non intelligit malum propè: hoc est habens in se aliquid mali, hoc est aliquid potentialitatis in seipso. Sed intelligit malum à longè: hoc est remotissimus ab omni malo, remotissimus ab omni potentialitate. Tradunt Philosophi malum intelligi à nobis per aliquid mali seu priuationis seu potentialitatis existentis in intellectu. Non sic inquit Propheta *intellexisti malum meum*: scilicet tanquam habens in te aliquid mali, priuationis seu potentialitatis: quòd esset intelligere malum meum propè: sed intellexisti à longè, remotissimus ab omni malo, priuatione & potentialitate. Modus autem quo Deus intelligit malum, in Theologia speculatiua discutitur: & est quòd Deus intelligendo seipsum, intelligit singulos gradus singulosque modos quibus potest participari & quibus participatur bonitas sua: ac per hoc defectum rerum ab ipso,& vnius rei ab alia: quod potentialitatis est: & similiter defectum rei à seipsa: quod priuatio & malum est. *Deus intelligit malum à longè.*

Semitam meam & accubitionem meam. Tertia differentia motus & quietis subditur. Sub qua intellige differentiam operandi & quiescendi secundùm exteriora opera. *Ventilasti*, ad similitudinem ventilantis discreuisti.

Et omnes vias meas præuidisti. Quarta differentia omnium cogitationum tangitur sub metaphora viarum: vt patet ex ratione subiuncta quare præuidit. *Quia non verbum in lingua mea, Ecce Domine nosti totum ipsum*: hoc est non est adhuc verbum aliquod in lingua mea, antequam à mente descendat verbû in linguam, *ecce tu nosti totum ipsum verbum.* Vbi ratio præuisionis viarum more humano describitur, ex eo quòd Deus nouit cogitatum verbum antequam linguà explicetur. Et hic inuoluuntur duæ differentiæ rerum, scilicet viarum (hoc est cogitationum) & verborum in lingua.

Vers. 5. RETRO ET ANTE FORMASTI ME. Narratis rebus cognitis, affert rationem cognoscendi triplicem: scilicet quia ipse est in rebus per essentiam, præsentiam & potentiam. Et inchoat à modo essendi per essentiam. *Retro & ante formasti me, & posuisti super me palmam tuam.* In duabus actionibus consistit Deum esse in rebus per essentiam. Altera est dare esse: & hæc significatur dicendo, *retro & ante formasti me.* Altera est conseruare rem factam: & hæc significatur dicendo, *posuisti super me palmam tuam.* *Deus est in rebus per essentiam, præsentiam & potentiam.*

Vbi nota differentiam inter Deum dare esse & alia agentia tam naturalia quàm artifices: penès hoc quòd reliqua agentia dant esse ante & non

non retro: quia dant formam, quæ est velut pars anterior. & non creant materiam quæ est velut pars posterior: Deus autem dat esse rebus omnibus antè & retrò: quia in totum esse rei: dat formam, quæ est velut anterior pars: quia forma est pulchritudo rei, & operandi principium: sicut pars anterior est pulchritudo hominis, & in qua apparent operationes nostræ, & efficit materiam: quæ est velut pars posterior, sustentatiua, ferè turpis. Et subtiliter appoluit has conditiones, ad describendum Deum esse per essentiam in rebus: quia non quodcunque efficere sed efficere rem ex integro, est illud secundùm quod Deus dicitur esse per essentiam in omnibus rebus.

Nota quoque circa alteram actionem (scilicet *posuisti super me palmam tuam*) quòd vtitur tali loquendi modo ad differentiam agentium artificialium: qui postquam formarunt res (puta vasa, statuas &c) auferunt à rebus factis manus suas: quia non conseruant eas. Et similiter etiam faciunt agentia naturalia. Deus autem non sic: sed ita dat esse rebus quòd semper tenet manum suam super eas: quia est causa rei non solum in fieri sed in conseruari: *Omnia enim in nihilum redigerentur nisi ex manus omnipotentis conseruaret,* inquit Gregorius.

Gregor.

Vers. 6. SI PARATA SCIENTIA PLVS ME. Interpositio est hæc excusationis, quâ Dauid profitetur se non posse perfectè reddere rationem. Vnde particula ista excusatoria, inter ipsas quas reddit rationes interposita est more oratorum: qui cùm iam gustandas rationes proposuerunt, excusant imbecillitatem suam, ne fortè plus expectetur quàm ipsi sint dicturi. Excusatio autem Philosophica est: vtpote tangens imbecillitatem humani intellectus, & causas difficilis notitiæ ex parte rerum. Sicut enim in visione corporali inuenitur quòd aliquid subterfugit visionem propter defectum rei visibilis, & aliquid propter excellentiam rei visibilis (vt lux solis in seipsa) ita contingit in scientia nostra quòd aliquid est nobis difficile ad cognoscendum ex defectu rei cognoscibilis: vt ea quæ sunt multæ potentialitatis, vt motus & varietates: & aliquid ex excellentia rei cognoscibilis: vt sunt res diuinæ & immateriales: ad quas se habet intellectus animæ nostræ sicut oculus noctuæ ad lucem solis. Hæc omnia in excusatione hac tanguntur: *Separata*, supple est, *scientia*, qua tu scis res, *plus me*: verè separata (hoc est mirabilis, occulta & seorsum sita) est scientia tua plus me, supra omnes vires ingenij mei, *roborata*: hoc est non ex defectu sed ex robore, non virium corporalium sed ex robore spiritualis naturæ: quod alio nomine dicimus ex magnitudine virtutis: & ideo *non potero ad eam.* Vbi imbecillitas humani ingenij non ex defectu rei cognoscibilis (scilicet scientiæ Dei, cuius rationem cœpit reddere) sed ex eo quòd roborata est (hoc est ex eo quòd præualet, quòd magni roboris est) describitur. Et vtitur metaphorâ roboris, quia spiritualia ex similitudine corporalium nobis innotescunt.

Difficultas in rebus cognoscendis vnde?

Vers. 7. QVO IBO. Post interpositam excusationem prosequitur rationes quare Deus scit cuncta Dauidis. Et intendit secundam rationem: scilicet quia Deus est in omnibus per præsentiam.

Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Spiritum & faciem Dei nominat, vt spiritualem faciem intelligamus non corporalem: describens nullum esse locum quo possit eundo elongare se à spirituali facie Dei, hoc est à præsentiali conspectu Dei.

Vers. 8. SI ASCENDAM CÆLOS. Declarat præsentiam Dei ex duobus extremis locis: supremo scilicet & infimo, cæli & inferno: vt ex duobus extremis comprehendantur media; vtrobique enim explicatur præsentia Dei. Et memento quòd nota conditionis *si*, repetenda in singulis verbis est: *& si descendero*: & similiter in sequenti versiculo.

Vers. 9. SVMAM ALAS. Affertur hic tertia ratio, ex eo quòd Deus est vbique per potentiam: inducendo sub metaphora quòd si sumam alas diluculi, hoc est si tam velociter mouebor quàm oriens Solis lux attingit totum Hemisphærium ab Oriente in Occidens (hoc enim significatur dicendo *si sumam alas diluculi*) *si habitabo in fine maris*, hoc est in quocunque remotissimo loco: *etiam illuc manus tua*, potentia tua *deducet me*, quantumcunque velociorem aurora: *& apprehendet me*: in quocunque loco, *dextera tua*, potentia tua.

Vbi aduertere potes sub metaphora hominis volantis tam velociter sicut lux oriens, describi potentiam diuinam non deserentem sed deducentem ipsum: & similiter sub metaphora hominis habitantis in fine maris, describi potentiam diuinam apprehendentem ipsum. Et intendit per hæc potentiam diuinam extendi ad omnia: nihilque subterfugere posse illam.

Diuina potentia extendit se ad omnia.

Vers. 11. ET DIXI. Post tres allatas rationes ad ostendendum quòd Deus cuncta Dauidis cognoscit, subiungitur modò obiectio vulgaris. *Et dixi*, & cogitaui apud me: *tantùm obscuritas obscurabit me.* Humano more de Dei visione loquitur: quia enim homines non vident ea quæ in tenebris sunt & fiunt, vulgaris cogitatio obiicitur quòd ex quo Deus videt omnia vt dictum est, quòd hoc intelligatur de omnibus quæ fiunt in lumine: ita quòd ea quæ sunt in tenebris remaneant exempta à visione Dei. Hæc enim obiectio significatur dicendo: *Tantum obscuritas obscurabit me*, ne videar à Deo, *& nox lux pro me*. hoc est & consequenter nox in qua non videbor à Deo erit lux pro me, erit loco lucis pro delectationibus meis: pro quanto erit tempus sine arbitrio diuino oculo prosequendi cuncta delectabilia. Hæc est obiectio.

Sequitur confutatio obiectionis. *Etiam obscuritas non obscurabit a te*, Deo ea quæ fiunt in obscuro. Et hoc directè contra illud, *obscuritas obscurabit me*. *Et nox sicut dies lucebit*: hoc est, & tempus nocturnum respectu visionis diuinæ lucebit sicut dies, quoad hoc quòd ita videntur ea quæ sunt & fiunt in nocte, sicut ea quæ fiunt & fiunt in die: & hoc directè contra illud *& nox lux pro me*. *Sicut obscuritas sicut lux*: hoc est nulla est differentia respectu diuinæ visionis inter obscuritatem & lucem, sed sicut obscuritas ita lux, & sicut lux ita obscuritas.

Vers. 13. QVONIAM TV ACQVISISTI. Confutando obiectionem, dixit Propheta Deum ita videre in obscuro sicut in luce. Et quoniam vulgaribus satisfacere intendit, affert eis testimonium ex operibus Dei quæ facit in locis obscuris: scilicet in materno vtero formando prolem. Ita quòd ex hoc quòd Deus operatur tam mirabile opificium formatione corporis humani, cum

Deum videre in obscuro declarat ex formatione Embryonis.

tot

tot distinctis membris, &c. declarat quòd Deus videt in obscuro.

Et inchoat à renibus. *Quoniam tu acquisisti renes meos.* Coniunctio *quoniam*, rationem reddit confutationis dictæ: scilicet quòd Deus videt in obscuro. Per *renes* intellige interna membra: inter quæ renes magis absconditi sunt: cor tamen est primum membrum quod formatur. *Acquisisti.* Formationem acquisitionem appellauit: eo quòd velut lucrum ex materiali potentia seminum seu sanguinis acquisitum est. *Operuisti me*, carnibus & pelle, *in vtero matris meæ*, in loco obscuro.

Recta hominis statura mirabilis omnibus animalibus.

Vers. 14. Confitebor te. Nota diligentissimè hunc textum & significationem eius. Intendit explicare duas excellentes hominis conditiones. Alteram corporis: alteram animæ. Corporis quidem quòd factus est rectæ staturæ. Hanc enim solus homo habet:

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit.

Et hanc describit per hoc quòd homo factus est mirabilis cunctis animalibus quantumcunque terribilibus: leones enim & omnia animalia admirantur seu admirandi occasionem habent hominem rectæ staturæ.

Conditio verò animæ est, quòd sola anima hominis est intellectiua. Et hæc describitur in litera per hoc quòd anima dicitur valde sciens: animæ siquidem aliorum animalium parum sciunt: dum solis imaginationibus & memoriis sensibúsque aliquid nouerunt: anima autem hominis est valde sciens: quoniam ad supremum cognoscendi gradum (hoc est ad intelligendum) pertingit: nullus est enim altior in toto vniuerso gradus gradu intellectiuo: in quo tamen maxima est latitudo. Hæc duo quæ Deus in materno vtero homini dat, Propheta non explicat sicut reliqua antecedentia & sequentia, sed apponendo officium laudandi Deum: ad denotandum reliquas enumeratas & enumerandas conditiones in vtero materno factas, communes esse nobis & aliis animalibus, has autem duas proprias esse homini, & prærogatiuas singulares: & propterea dicit *confitebor te*, confessione laudis.

Ordinato literam sic: *Confitebor te propterea quòd separatus sum, factus sum mirabilis*, terribilibus, hoc est animalibus quantumcunque terribilibus propter staturam rectam: *& anima mea sciens valde*, hoc est intellectiua, supple confitebitur separata opera tua. Sola enim intellectiua anima scrutatur opera Dei mirabilia & laudat illa.

Vbi si diligenter aduertas, officium animæ intellectiuæ ponit laudare mirabilia opera Dei: tanquam ad hoc homini data sit vt laudet mirabilia opera Dei. Sicut staturam corporis rectam describit à supremo: dum describit ab admirabilitate reliquis quantumcunque terribilibus.

Vers. 15. Non fuit occultatum os meum a te. Prosequitur opificium Dei in vtero quoad ossa. *Qui factus sum in abscondito, acupictus sum in inferioribus terræ.* Non sufficit Dauidi dicere res quæ fiunt *in obscuro*, nisi etiam explicet se factum in abscondito. Et ne per singula moretur, describit se organizatum in abscondito in inferioribus terræ: hoc est in intimis latebris materiæ terrestris existentis in abscondito vtero, ad similitudinem eorum quæ fierent in inferiori visceribus terræ. Significantius autem se organizatum appellat *acupictum*: ad explicandum subtilitatem artificij egentis multo lumine: vt magis ostendat Deum in obscuritate, in tenebris operari artificiosissimè sicut operantur acupictores.

Cur se in vtero acupictum dicit.

Scito quòd dictio Hebraica interpretata *acupictus* interpretanda esset *rechamatus*, si sicut in vulgari ita in Latina lingua haberemus.

Vers. 16. Informe meum viderunt oculi tui. Hactenus descripsit opificium Dei in vtero, inchoando à renibus: modò ad priorem materiam extendit Dei visionem, dicendo: *Informe meum*, hoc est, embryonem: hoc est materiam meam antequam esset formata in membrum aliquod.

Et super libro tuo. Prosequitur hîc Dauid complementum diuinæ notitiæ respectu sui. Hactenus siquidem totum se cognitum (tum narrando res cognitas, tum afferendo rationes cognitionis, tum confutando obiectionem tenebrarum) manifestauit: vnum supererat, scilicet declarare quòd Deus nouit omnes & singulos dies durationis Dauidis. Et hoc est quod nunc declarat: dicendo non solum notos sed scriptos apud Deum singulos, ita quòd nec vnus prætermissus est non scriptus.

Ordina sic literam: *Et super libro tuo dies formati sunt: omnes ipsi*, dies, *scribentur: & non vnus*, dies, *in eis*, diebus relinquetur non scriptus: hoc est nec vnus relinquetur non scriptus.

Liber Dei.

Liber metaphoricè in Deo dicitur notitia firma, ad similitudinem librorum retinentium firmiter scripta. Vnde firma apud Deum notitia dierum nostrorum, liber Dei vocatur. Et appellantur dies in libro Dei formati, hoc est non informes: quia sunt noti plenè secundùm omnem quàm sortituri sunt formam. Et dicitur quòd omnes ipsi (hoc est singuli) scribentur. Et hoc ne putares scriptum vnum mensem vel vnum annũ, & non singulos dies mensis, & singulos dies anni. Et quod dicitur de diebus, intellige de horis, & de quibuscumque minimis mensuris temporis: quoniam idem est iudicium. Intendit enim Propheta dicere quòd in libro diuino scripta sunt singula momenta temporis vitæ nostræ, ita quòd nec vnum minimum relinquitur non scriptum. Et futurum *scribentur*, refertur ad præteritum *formati sunt*: secundùm enim rem & scriptio & formatio fuit ab æterno. Et cùm omnia sint Deo firmissimè nota, soli tamen dies memorantur scripti in libro Dei: quia dies sunt res non firmabiles immo nec existentes nisi in instanti: nihil namque est vnquam diei, mensis aut anni nisi instans. Ad significandum enim quòd dies omnes præteriti & futuri, quamuis in se non sint, in diuina notitia retinentur firmiter, descripsit Propheta dies scriptos in libro Dei.

Dies non existunt nisi in instanti.

Vers. 17. Et mihi quam chari. Expeditâ declaratione diuinæ notitiæ de rebus quæ sunt Dauidis, tractatur hîc diuina notitia de bonis affectibus Dauidis (iustificando actiones proprias coram Deo) tali ordine: Primò dicit se amicum amicorum Dei. *Et mihi*, Dauidi, *quàm chari*, quàm pretiosi, *facti sunt socij tui Deus.* Socios Dei appellat omnes qui partes Dei sequuntur: ac per hoc omnes iustos & ea quæ Dei sunt quærentes. *Quàm roborata sunt capita eorum*, scilicet sociorum tuorum: hoc est socios tuos valde charos habui, *& eorum capita*, primates, *multum roboraui*, potentes feci. Optimè regis partes describuntur

Socij Dei quinam?

buntur magnipendere iustos propter Deum, & priuates iustorum efficere potentes.

Verſ. 18. DINVMERABO EOS. Signum seu effectus magnificandi iustos, subiungitur multiplicatio iustorum. Et est subintelligenda coniunctio. Ita quòd sensus & ordo literæ est: *Et mihi quàm chari, quàm roborati, quod dinumerabo eos & super arenam multiplicabuntur.* Ex hoc quòd sunt mihi chari & potentes efficio iustos, sequitur quòd multiplicabuntur iusti plus quàm arena. Et verè sic est: quoniam vbi fortes honorantur, ibi multiplicantur fortes: & vbi docti honorantur, ibi multiplicantur docti: & similiter vbi iusti honorantur, ibi multiplicantur iusti.

EXPERGEFACTVS SVM. Secundò describit se esse cum Deo. Vbi aduerte quod quia peccauerat crimine adulterij & homicidij non dicit absolutè Deo, *ego tecum*: sed meminit criminis sui sub specie somni, & diuinæ excitationis ad pœnitentiam tanquam excitationis à somno, dicens: *Expergefactus sum*, à somno peccati: *& adhuc*, vsque modò nescio quid futurum sit, *ego tecum*, sum: tecum volo, tecum amo, &c.

Verſ. 19 SI OCCIDES DEVS IMPIVM. Tertiò fatetur se alienum ab inimicis Dei. Vbi oportet notare & intentionem & ordinationem literæ. Intentio Dauidis est declarare seipsum respectu iniustorum, velut è regione ad descriptum seipsum respectu sociorum Dei. Dixerat enim quòd illi sunt sibi quàm chari, & quòd propterea multiplicabuntur: intendit modò dicere quòd iniustos viros sanguinum expellet à se: ita quòd laudabunt omnes Deum qui modò putant me exaltare viros sanguinum. Et quoniam non assertiuè sed conditionaliter & satis obscurè hæc in litera significantur, scito rationem conditionalis sermonis esse historiam Ioab. Lege secundum librum Regum: & inuenies Ioab valdè iniquè & proditoriè occidisse duos principes, Abner & Amasa: & post occisum Abner, exaltatum fuisse in principem militiæ: quia primus ascendit arcem Sion. Post occisum quoque Amasa, remansisse principem supremum: nec vnquam punitum fuisse a Dauide toto tempore vitæ Dauidis. Propter quod homines nescientes cor Dauidis desiderantis punire illum, occasionem habebant detrahendi Dauidi, aut saltem cogitandi quòd ipse exaltaret viros sanguinum: ac per hoc inimicos Dei. Quia itaque Dauid facto non eiiciebat Ioab à se, sed desiderabat illum punire, ideo sub conditione eiectionem à se virorum sanguinis describit.

Et ordinanda est sic litera: Et viri sanguinum recedite à me (contra id enim quod dixerat *& mihi quàm chari socij*, &c. modò dicit *& viri sanguinum*, hoc est, effusores sanguinum iniquè *recedite à me*) *si occides Deus impium*, Ioab: hoc est, tunc quod in corde habeo manifestare potero (scilicet *viri sanguinum recedite à me*) si tu Deus occides impium Ioab. Ac si apertè diceret: Quamdiu viuit Ioab, non possum dicere vniuersaliter, *viri sanguinum declinate à me*: quia habeo semper Ioab mecum virum sanguinum. Et latet sub hoc loquendi modo excusatio Dauidis: quòd scilicet non poterat illum punire. Latet autem in hoc quòd conditionem refert in Deum: tanquam non sit hoc in facultate Dauidis. Si quæris causam excusationis, assignatur bonitas regni: periculosum siquidem fuisset Dauidi occidere Ioab principem militiæ: tum propter sequaces Ioab: tum quia insligebat eo ad stabilitionem regni: vnde distulit puniendum à Salomone, postquam firmatum stabilitumque fuit regnum: & Ioab iam senex emeritus, sine periculo occidi poterat.

Verſ. 20 QVOD DICENT TE. Describitur effectus secuturus eiectionem virorum sanguinum: sicut superius descripsi effectum secuturum magnipensionem iustorum. Ita quòd sicut superius dixerat quòd *dinumerabo eos*, &c. ita modò dicit. *Quod*, eiiciente me viros sanguinum, *dicent te*, prædicabunt e Deus, *cogitationi qua eleuauerunt frustra inimicos tuos*: hoc est in cogitatione seu loco cogitationis qua eleuatos dixerunt seu putarunt frustra à me inimicos tuos, Ioab, &c. *frustra* inquam nescientes cor meum.

Verſ. 21. NONNE ODIENTES TE DOMINE. Quartò describit se inimicum inimicorum Dei. Describit autem tum ex parte Dei: tum ex manifestis operibus probando dispositionem sui animi prius dictam erga deiectionem Ioab. Poterat enim aliquis dicere, quòd tu dicis animum contrarium facto: & propterea intendit probare animum suum inimicum esse iniustis. David inimicus inimicorum Dei.

Primò ex parte Dei: *nonne odientes te odiam?* Impossibile est verè amare Deum & non odio habere odientes Deum: cùm amor Dei inferat necessariò odium contrarij. Et propterea Dauid tanquam à manifesto amore suo erga Deum, probat veritatem odij sui erga viros sanguinum. *Nonne odientes te Domine odiam*, perseueranti odio prosequar? Tanquam diceret: incompossibile est amori meo erga te quòd non odiam eos. *Et in insurgentes tuos certabo?* Quasi dicat sic: quòd intus odiam & exterius certabo contra insurgentes tuos, id est, contra te.

Terminatione odij odiui illos. Probat idem ex factis. Legitur siquidem pluries Dauidem extremis suppliciis iniquos damnasse: vt patet de adolescente qui dixit se interfecisse Saulem: & de interfectoribus Isboseth filij Saulis. Et propterea dicit: *terminatione odij odiui illos*. Terminatio odij aut vltimum supplicium est, aut summitas odij intelligitur. Sed rebus gestis magis quadrat vltimum supplicium: odiuit enim eos Dauid terminatione odij, hoc est morte plectendo eos.

Verſ. 22. INIMICIS FVERVNT MIHI. Ad genus impiorum hoc refertur. Et significat quòd quia huiusmodi iniquos puniui, ideo genus impiorum inimicum se exhibet mihi.

Verſ. 23. INVESTIGA ME DEVS. Tractatur hic illa particula, *inuestigasti me*: veracitatem animi sui describendo. *Inuestiga me Deus*, ad similitudinem inuestigantis scrutare me, *& cognosce cor meum*, voluntatem meam: *proba me*, ad similitudinem probantis & experimentum sumentis discute me, *& cognosce cogitationes meas*.

Et vide, cognitis cogitationibus, *si via derisionis in me*, supple est. Via derisionis vocatur fictio, simulatio qua vnum verbo vel facto monstratur & aliud corde retinetur. Via derisionis est docere & non facere: punire malos, benefacere iustis, & tamen intus nec iniustos odire nec iustos magnipendere. Et intendit Deum in testem suæ veracitatis adducere. Ac si diceret: quantumcunque inquirat in affectibus & cogitationibus

Via derisionis quæ.

tionibus meis, veraciter inueniar recti animi. Et deduc me in via sæculi: hoc est & in via residui temporis mei deduc me: vt qui modò sum benè dispositus, non aberrem in hoc residuo, sed tu deduc me: te enim duce rectè progrediar vsque ad finem. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori canticum Dauid.*

CXXXIX.

2 *ERIPE me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.*

3 *Qui cogitauerunt iniquitates in corde: tota die constituebant prælia.*

4 *Acuerunt linguam suam sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum.*

5 *Custodi me Domine de manu peccatoris: ab hominibus iniquis eripe me.*

6 *Qui cogitauerunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi.*

Et funes extenderunt in laqueum: iuxta iter scandalum posuerunt mihi.

7 *Dixi Domino: Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis meæ.*

8 *Domine Domine virtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die belli.*

9 *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori: cogitauerunt contra me, ne derelinquas me ne forte exaltentur.*

10 *Caput circumitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos.*

11 *Cadent super eos carbones, in ignem deiicies eos: in miseriis non subsistent.*

12 *Vir linguosus non dirigetur in terra: virum iniustum mala capient in interitu.*

13 *Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis: & vindictam pauperum.*

14 *Verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo: & habitabunt recti cum vultu tuo.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti Psalmus Dauidi.

CXL.

1 *Propheta.* ERIPE me Domine [4] ab homine malo: à viro iniquitatum custodies me.

2 Qui cogitauerunt malitias in corde: tota die congregabunt prælia.

3 Exacuerunt linguam suam quasi serpens: venenum aspidis sub labiis eorum. *Selah.*

4 Custodi me Domine [4] de manibus impij, à viro iniquitatum custodies me: qui cogitauerunt impellere gressus meos.

5 Absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt reti: iuxta semitam offendicula posuerunt mihi. *Selah.*

6 Dixi Domino [4]: Deus meus tu, ausculta Domine [4] vocem deprecationum mearum.

7 Deus [4] Domine † fortitudo salutis meæ? operuisti caput meum † in die armorum. † *Domini mei.* † *capiti meo.*

8 Ne da Domine [4] desideria impij, cogitationem eius ne fac effundere: eleuabuntur. *Selah.* non vel quia

9 Caput circumdantium me sic erit: labor labiorum eius operiet ipsum.

10 Mouebuntur super eos prunæ in igne: cadere faciet eos in foueas, & non consurgent.

11 Vir linguæ non firmabitur in terra: vir iniquitatis erit sic, malum venabitur eum ad impulsiones.

12 Sciui quòd faciet Dominus [4] ius pauperis: iudicium mendicorum.

13 Quia Tantum iusti confitebuntur nomini tuo: sedebunt recti cum faciebus tuis.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Vincenti Psalmus Dauidi.* De quo vt supra.

Materia. Materia Psalmi est supplicatio Dauidis profugi à facie Saulis, adiuncta punitione ipsius Saulis.

Saulis. Facilè siquidem prima pars Psalmi præ se fert historiam persecutionis illius: vltima verò vindictam diuinam quæ postea subsecuta est describit.

Vbi etiam aduerte quòd Apostolus ad Rom. 3. ex hoc Psalmo induxit illa verba, *Venenum aspidum sub labiis eorum*: addens quòd intelliguntur de Iudæis qui sub lege erant. Dico autem hoc: ad notandum quòd ex auctoritate Pauli Apostoli nihil aliud habetur de materia huius Psalmi, nisi quòd de Iudæis loquitur: quod quadrat dictæ materiæ.

SVMMARIVM EST.

David in persecutione à Saule, recurrit ad Deum: exponens qualis est Saul cum suis complicibus, qualiaque sunt pericula à quibus petit se custodiri, necnon qualis fuit ipse inter hæc. Et demum prophetat Saulis pœnam à Deo infligendam, & quare.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. Eripe me Domine. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *qui cogitauerunt*. Proponit duo: liberationem & custodiam. Constitutus in persecutione Saulis supplicat pro liberatione. *Eripe me Domine ab homine malo*, malæ voluntatis, Saule scilicet: *à viro iniquitatum*, Saule abundante iniquitatibus exterioribus *custodies me*. Assertiuè dicit futuram custodiam & nihilominus precatur liberationem, vt vtrumque insinuet: scilicet & diuinam gratiam supplicando, & certitudinem spei ex diuina reuelatione asserendo.

Vers. 2. Qui cogitavervnt. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *ab homine malo à viro iniquitatum*. Secundò illa, *custodies*, ibi, *custodies me*. Tertiò illa, *me*, ibi, *dixi Domino*. Quartò illa, *eripe*, ibi, *caput circumdantium*. Describit itaque hominem malum & virum iniquitatum Saulem, primò quoad malignitatem internam. *Qui cogitauerunt malitias in corde*. Transit à numero singulari ad pluralem: quia Saul non erat solus contra Dauidem, sed multos habebat complices, quorum ipse erat caput. Et ideo pluraliter describitur. Malitias cogitatas contra Dauidem habes 1. Regum 18. *Tota die congregabunt prælia*: hoc est indefessè dant operam ad debellandum me. Et futurum *congregabunt*, respicit præteritum *cogitauerunt*.

Vers. 3. Exacvervnt lingvam svam qvasi serpens. In acumine linguæ vim penetratiuam sermonis eorum intellige. Similitudo autem ad serpentis linguam est: quòd sicut serpens extrahendo linguam, valdè acutam extendit, ita isti extendunt sermones suos acuendo ad penetrandum corda audientium, ad penetrandum negotia.

Veneno aspidis nullum est remedium.

Venenum aspidis sub labiis eorum. Non sufficit vis penetratiua, sed adiungitur *venenum*: vt significetur vis læsiua, non qualitercunque sed ad mortem sicut venenum aspidis: cui (vt vult Aristoteles) nullum remedium est. Lege historiam 1. Regum: & inuenies veritatem tam indefessæ dispositionis ad debellandum Dauidem quàm verborum acutorum & venenosorum contra Dauidem, vt patet de verbis ipsius Saulis ad suos vt occiderent Dauidē: & de verbis Doëg Idumæi, & verbis Ziphæorum, & aliorum qui dicebant Sauli quòd Dauid erat ipsius inimicus.

Vers. 4. Cvstodi me. Descripto Saule ex malis cogitationibus, locutionibus & præparationibus operum, tractat modò illam particulam, *custodies*. Tractat autem supplicando, vt à Dei gratia recognoscere se custodiam significet. *De manibus impij*, de operibus exterioribus Saulis impij: *à viro iniquitatum custodies me*. Repetit impietatem & iniquitatem Saulis: ad significandam magnitudinem periculi ex accumulata iniquitate exteriori & impietate interiori. Et assertiuè subiungit *custodies*, propter certitudinem reuelationis.

Quatuor periculorum genera.

Qui cogitauerunt impellere. Quatuor periculorum genera explicat. Primum per modum impulsionis (quo scilicet impellitur gradiens ad cadendum) dicendo: *qui cogitauerunt impellere gressus meos*. Et hic impulsus ad literam fuit quoniam auctore Saule curiales suadebant Dauidi vt esset Gener regis: & vt centum præputia Philistinorum daret regi: & breuiter cùm Saul mittebat ipsum ad bellum vt occideretur à Philistæis. Huiusmodi enim impulsus latebat in cogitatione suadentium & mittentium: & propterea dicitur *qui cogitauerunt*. Et Dauid officium suum agebat: & propterea dicitur *gressus meos*.

Absconderunt superbi laqueum mihi, ad capiendum me. Hoc ad literam verificatur in custodia nocturna apposita circum domum Dauidis vt manè interficeretur. Et appellatur hæc custodia *laqueus absconditus*: quoniam nesciebat Dauid domi existens appositam custodiam, sed Michol vxor ipsius ei significauit. Et describitur laqueus hic à superbis, hoc est, ab excellentibus (à rege scilicet Saule) & etiam à vitio superbiæ motis: tota enim ratio vt Saul persequeretur Dauidem fuit superbia status Saulis.

Et funes extenderunt rete. Tertium periculum ad capiendum Dauidem, describitur ad similitudinem extensionis retis velut ad capiendum aues seu pisces. Et verificatur hoc de retibus exercitus pluries extensi ad capiendum Dauidem.

Iuxta semitam offendicula posuerunt mihi. Quartum periculum describitur per modum impactionis in offendiculum: quod fit & ad casum offendentis, & capiendum post casum. Et verificantur hæc plura offendicula in Ziphæis & in Ceila. Vtrique enim leguntur ipsum tradituri fuisse in manus Saulis: cùm tamen in vtrisque haberet rationem confidendi Dauid. In Ziphæis quidem, tanquam contribulibus: in Ceilitis autem ratione beneficij. Et in vtrisque tanquam in offendiculis parum abfuit quin caperetur.

Vers. 6. Dixi Domino. Descriptis tam persecutionibus quàm periculis, describit modò seipsum: tractando illam particulam *me*. E regione itaque ad Saulem describit qualis ipse fuit inter has angustias: narrans duo sua officia. *Dixi Domino*, inter hæc recursum habui ad Deum duobus officiis. Alterum est recognitionis: *Deus meus es tu*. Alterum supplicationis: *auscultà Domine vocem deprecationum mearum*. Non dixit *deprecationis meæ*, sed pluraliter *deprecationum mearum*: vt repetitas preces significaret.

Deus Domine fortitudo salutis meæ, operuisti caput meum in die armorum. Declarat primum officium.

officium, gratias agendo pro præteritis beneficiis: tum in duello cum Goliath: tum in diuersis congressibus cum Philistæis. Et propterea appellat Deum fortitudinem salutis suæ: quia fuit fortitudo eius contra hostes. Et dicit metaphoricè Deum operuisse caput suum, hoc est, ad similitudinem protegentis & fouentis saluasse vitam suam, in die armorum, quando armis certatum est.

Vers. 8. NE DA DOMINE. Exequitur secundum officium explicando preces suas. *Ne da Domine desideria impij*, Saulis adimpleri quibus desiderat mortem meam: *cogitationem suam*, de interitu meo, *ne fac effundere*, ipsum: hoc est, ne fac quòd effundat Saul cogitationem suam in occisionem mei intentam: *eleuabuntur.* Defectiua est locutio, & supplenda vel repetitione negationis iam bis præpositæ: vt sit sensus, *non eleuentur super me*: & sic continuatur supplicatio. Vel subintelligendo coniunctionem causalem, quia eleuabuntur. Et sic redditur ratio precum: quia sequetur hoc inconueniens quòd tam mali & iniqui eleuabuntur, te non exaudiente preces meas.

Vers. 9. CAPVT CIRCVNDANTIVM ME. Declaratis persecutoribus, periculis & qualitate Dauidis, subiungitur sententia punitura Saulem. Et sic tractatur illa particula, *eripe me Domine*: tractando mortem Saulis, quæ fuit liberatio Dauidis.

Describitur itaque ipse Saul sub nomine capitis circumdantium Dauidem: constat enim ipsum fuisse caput eorum. Et est locutio defectiua: subintelligitur enim incidet in hæc infrascripta: prophetat siquidem Dauid Saulis mortem: inchoans à proximo mortis demerito.

Labor labiorum quid?

Labor labiorum eius operiet ipsum. Crimen consultationis dæmonum per Pythonissam appellatur *labor labiorum*: quia ex labore labiorum (hoc est, ex velut fatigatis labiis consultando Dominum non respondentem Sauli) causata est consultatio per Pythonissam. Vel quia laborauit Saul persuadendo Pythonissæ vt diuinaret sibi in Pythone: recusabat enim mulier timens mori: vt patet in historia 1. Regum. Vnde & subditur: *operiet eum*, multitudine Philistinorum: quia vt dicitur 1. Paralip. 10. propter hoc crimen mortuus fuit Saul.

Posset nihilominus intelligi per laborem labiorum eius, crimen crudelis sacrilegij in cæde tot sacerdotum, descriptum à labore labiorum: quia Saul velut laborans, destitutum se conquestus est coram suis quando ad hoc crimen processit: vt patet 1. Regum 22. & quòd propterea occisus est à Philistæis Propheta modò explicet.

Vers. 10. MOVEBVNTVR SVPER EOS PRVNÆ. Ad literam, Saulis & filiorum corpora combusta fuerunt: vt patet 1. Regum vltimo. Et propterea prophetatur: *Mouebuntur super eos prunæ in igne: cadere faciet eos in foueas, non consurgent.* Perfectio combustionis cadauerum describitur, per hoc quòd super eos in igne positos mouebuntur prunæ: vt sub & suprà citius combuerentur abundantibus prunis: quia in nemore Iabes combusti sunt. Casus autem in foueas metaphorica est locutionis, ad similitudinem cadentium in foueas ita quòd non possint inde surgere: qua ad literam describitur eorum mors: quæ est tanquam casus in foueam à qua non potest homo consurgere. Et est ordo præposterus: quia prius describitur combustio cadauerum, & deinde mors.

Vers. 11. VIR LINGVÆ NON FIRMABITVR IN TERRA. Pœna deiectionis à regno adiungitur: ita quòd vltra mortem & combusta corpora destitutionem domus suæ à successione regni Saul incurrit. Et propterea dicitur: *Vir linguæ*, Saul tam dolosæ linguæ, *non firmabitur in terra*, in regno: vt rei probauit euentus. Statim enim debilitatum & diminutum fuit regnum filij eius: & infra breuissimum tempus extinctum. Propter quod & subditur: *Vir iniquitatis malum venabitur eum*: hoc est, vir iniquitatis Saul, talis est quòd malum venabitur eum ad impulsiones. Metaphora est, sumpta ab animali fugiente venatores vsqueadeo quòd ad rupem deueniens ruit præceps. Simili siquidem modo describit malum tanquam venatorem: & Saulem seu virum iniquitatis tanquam insecutione vexatum à malo ad impulsiones, ad loca ruendi. Verè siquidem domum Saulis post eius mortem mala sic insecuta sunt, vt tanquam venatores insequerentur illam vsque ad ruinam: nam vt dicitur 2. Regum 3. domus Saul quotidie decrescebat.

Saul vir linguæ vir iniquitatis.

Vers. 12. SCIVI QVOD FACIET DOMINVS. Prophetatâ morte Saulis & destitutione domus eius, subiungit Dauid quòd ipse sciuit Deum facturum ius pauperum: quia tantùm iusti habitabunt cum faciebus Dei. Et potest hoc dupliciter intelligi. Primò vt sit sermo de scientia in genere. Et tunc est sensus quòd sciui, ex Deuteronomio, quòd Deus reddit ius pauperibus oppressis ab iniquis: quia solis iustis promissa est terra promissionis ad laudandum nomen Dei & quiescendum coram eo. Et iuxta hunc sensum verissimum (vtpote fundatum in Deuteronom.) fatetur Dauid se sciuisse rationem in genere eorum quæ adimplenda sunt in Saule: quia Saul oppresserat Dauidem cum suis pauperibus viris iustis.

Secundò vt sit sermo de scientia in specie circa adimplenda in Saule & in seipso Dauide. Et iuxta hunc sensum respondet Dauid tacitæ quæstioni quærentium, quid scis tu de istis quæ prophetasti? Respondet enim, *sciui*, proculdubio Deo reuelante, *quòd faciet Dominus ius pauperis*, hoc est mei pauperis oppressi: *iudicium mendicorum*: non solùm mihi faciet ius, sed etiam faciet iudicium mendicorum: hoc est meorum qui coacti sunt mendicare, hoc est miseram vitam ducere more mendicorum. Hoc enim iudicium factum est in morte Saulis: & ius Dauidis factum est inchoatiuè in morte Saulis, perfectè autem in assecutione totius regni Israel ei promissi à Deo.

Vers. 13. TANTVM IVSTI. Ratio & finis vtriusque quod sciui, est quia *tantum iusti confitebuntur nomini tuo*: hoc est, quia solos iustos elegisti ad laudandum nomen tuum: quales non erant Saul & sui: sed sum ego & mei. Hoc enim subintelligi vult: sed ad vitandam iactantiam non explicat. *Sedebunt*, quiescent, *tantum recti cum faciebus tuis*: hoc est, in terra promissionis, quam velut præsentia faciei tuæ dignificas. Et dixit hoc: quia sciuit se electum à Deo vt iustum ad laudandum ipsum, & ad quiescendum in regno tanquam coram facie Dei, refutato Saule inobediente & iniusto. Amen.

quòd quilibet eius versiculus terminatur *quoniam æterno gratia eius*. Et sic debet scribi in psalteriis & cantari in Ecclesiis: vt Ecclesia Romana seruat, vtens tamen nomine misericordiæ loco gratiæ.

Perscrutanti autem progressum Psalmi, apparet quòd materia Psalmi est inuitare ad recognoscendum & laudandum diuinam gratiam vt rationem omnium extra Deum: inchoando ab ipsa ratione agendi, & prosequendo per singula: vt distinguendo patebit.

SVMMARIVM EST.

PRopheta monet omnes ad recognoscendum & laudandum Deum: quia gratia eius continua vsque in æternum, est ratio tum deorum & dominorum, tum supernaturalium operum, tum creationis rerum, tum specialis curæ populi Israel, tum generalis gubernationis vniuersi.

Persona loquens Propheta est.

VERS. I. CONFITEMINI DOMINO. Psalmus iste non propriè diuiditur sicut alij in partem propositiuam & executiuam: sed tamen diuiditur in partem quæ est velut radix & ratio omnium sequentium, & in partem explicantem tanquam ramos repetendo primam rationem.

In primo itaque versiculo radix totius Psalmi continetur, explicando duas primas rationes rerum omnium, scilicet *quoniam bonus, quoniam æterno gratia eius*. Bonitas siquidem non solùm explicat naturam Dei quæ est ipsa bonitas (ac per hoc comprehendens in se eminentissimè quicquid bonitatis quomodolibet potest esse in quocunque) sed etiam explicat primam rationem rerum omnium: quia bonum est suiipsius diffusiuum: ac per hoc quòd Deus est bonus naturâ & voluntate, &c. significatur ratio quare communicauit bonitatem suam creando res. Et verè sic est: quoniam Deus ad communicandum bonitatem suam fecit res.

Bonitas & Gratia duæ primæ rationes rerum omnium.

Verum quia hæc primæua ratio multos apud diuersos Philosophos compatitur modos communicandi bonitatem diuinam, quorum aliqui derogant diuinæ gratiæ (vt si communicaret bonitatem suam naturali necessitate, sicut sol communicat lumen: aut necessitate intellectus, sicut nos volumus bonum & fugimus malum) ideo ad excludendum omnes errores de modo quo Deus communicat bonitatem suam rebus, addit Propheta bonitati gratiam: & cùm dixisset *quoniam bonus*, adiunxit *quoniam æterno gratia eius*: vt gratuita omnis collatio diuina intelligeretur, non semel aut certo tempore sed in æternum. Significat enim hoc, ideo laudandum esse Deum, *quia gratia*, gratuita voluntas, non naturæ aut intellectus aut voluntatis, aut quæuis necessitas, sed gratia, sed gratuita voluntas Dei, *est æterno*, semper durat, nunquam exhauritur, omni tempore adest. Hæ sunt primæ radices actionis diuinæ ad extra: significantes Deum ex sua bonitate gratuito facere omnia quæcumque facit, à principio quo fecit res vsque in æternum.

Vers. 2. CONFITEMINI DEO DEORVM. Incipiunt hic velut rami singuli, quorum ratio est gratia Dei continua. Et distinguuntur in quinque partes. Primò enim laudandus dicitur Deus quoad statum eius. Secundò quoad operationes supernaturales, ibi, *facienti separata*. Tertiò quoad creationem mundi, ibi, *facienti cælos*. Quartò quoad specialem curam populi sui, ibi, *percutienti Ægyptum*. Quintò quoad generalem gubernationem mundi, ibi, *dans panem*.

Monet itaque in primis Propheta laudandum Deum, recognoscendo diuinam gratiam rationem excelsi status Dei supra omnes substantias spirituales: quales sunt substantiæ intellectuales quas dicimus Angelos. Hoc enim intendit dicendo, *Confitemini Deo deorum*: & similiter *Domino dominorum*. Est enim Deus, *Deus deorum*: hoc est spiritualium substantiarum. Quæ appellantur dij propter excellentem participationem deitatis: & appellantur *Domini* propter præsidentiam super corporalia omnia: & etiam quia inter eos alij aliis præsident.

Spirituales substantiæ vocantur dij propter excellentem deitatis participationem.

Vbi aduerte quòd primum inductum à Propheta est præsidentia Dei respectu substantiarum spiritualium: quoniam in veritate illæ sunt prima & potior pars vniuersi. Et rationem tanti excellentis status, tantæ curiæ, assignat gratiam *Confitemini Deo deorum quoniam æterno gratia eius*: quoniam ex diuina gratia continua est quòd sint substantiæ illæ quæ dij & domini dicuntur. Et hoc similiter intellige in omnibus subsequentibus versiculis: applicando semper rationem continuæ gratiæ diuinæ singulis.

Vers. 4. FACIENTI SEPARATA MAGNA. Secunda pars est describens continuam gratiam esse rationem quòd Deus solus facit opera supernaturalia: quæ separata à facultate naturæ vocantur: solus enim auctor naturæ potest super illam. Et subintellige tam hîc quàm in consequentibus verbum *Confitemini*: datiuus enim *facienti* & similes subsequentes respiciunt verbum *confitemini*.

Vers. 5. FACIENTI CÆLOS. Tertia pars inducit continuam gratiam esse rationem creationis mundi: numerando prima creata, cælestia corpora & elementa.

Vbi aduerte quòd participium præsentis temporis *facienti*, quamuis facilè posset glossari extendendo ad conseruationem (quia conseruatio nihil aliud est quàm continua creatio) contextus tamen subsequentium quadrat vt hæc tempora præsentia determinent tempus factionis: vt sit sensus *confitemini facienti olim cælos*.

Cælos in intelligentia: hoc est intellectuales. Quod est verum vel quantum ad substantiam cælorum si sunt animati: vt multi Philosophi rationabiliter putant: vel quoad motum: quia motus cælorum proculdubio intellectualis est, hoc est ab intellectu.

Cæli animati multi Philosophi putant.

Extendenti terram. Dicitur terra extensa super aquas ratione aridæ partis terræ discoopertæ ab aquis, quæ est extensa in longitudine & latitudine, eminentior aquis: alioquin submergeretur ab aquis: cùm naturaliter aqua tendat in decliuiorem locum. *Solem potestati*, hoc est, ad exercendam potestatem suam, *in die*: hoc est ad dominandum, ad exercendam potestatem illuminandi & calefaciendi terram in die. *Lunam & stellas potestatibus*, hoc est, ad exercendas potestates suas, *in nocte*. *Potestates* pluraliter dixit propter diuersitatem luminis lunæ à lumine stellarum: ambæ tamen exercent potestatem illuminatiuam in nocte.

Vers. 10. PERCVTIENTI ÆGYPTVM. Quarta pars est inducens gratiam Dei vt rationem mirabilis

mirabilis curæ diuinæ de populo suo. Nec oportet morari in expositione historiarum.

Mare rubrũ duodecim vys, vt aiũt, diuisum.

Vers. 13. INCIDENTI MARE RVBRVM INCISIONIBVS. Hic textus materiam præbet opinandi quòd filij Israël per mare rubrum multis viis transierunt, & vt aiunt duodecim viis iuxta numerum duodecim tribuum: quia hic dicitur mare rubrum incisum incisionibus in datino casu: ex eo enim quòd in numero plurali textus commemorat incisiones, argumentum sumptum est quòd in pluribus locis mare diuisum sit.

Verùm argumentum non cogit: quoniam vna incisio plures facit incisiones. Incidendo enim partem in duas partes, relinquuntur ex vno incidendi actu duæ incisiones: altera in vna parte: & altera in reliqua. Et explicauit hoc Propheta ad significandum quòd Deus sic incidit mare rubrum vt incisiones remanserint hinc & inde in partibus seorsum. Quod Scriptura sub aliis verbis dicit: quòd Deus diuisit mare rubrum sic *vt aquæ essent pro muro à dextris & sinistris.* Vnde ex isto textu non habetur pluralitas diuisionum: sed vna diuisio remanens in duabus incisionibus à dextris & sinistris.

Mare rubrũ alio nomine dicitur mare canna.

Aduerte hîc pro toto Psalterio quòd mare rubrum alio nomine dicitur *mare canna*, & in textu Hebræo appellatur *mare canna*, fortè à multitudine cannarum iuxta nascentium. Nos autem in hoc Psalterio [illegible] nomine proprio [illegible] brum: & tamen [illegible] bo reddendo di[illegible]

Vers. 24. Q[illegible] Hactenus descr[illegible] populum suum [illegible] terram promissi[illegible] eandem curam [illegible] tempora Dauidis. [illegible] pressus post temp[illegible] patet in libro Iudicum & in [illegible] illius temporis d[illegible] do: *Qui in humi*[illegible] ne nostra multipl[illegible] *bus nostris*, diuer[illegible]

Vers. 25. D[illegible] generalem gub[illegible] duobus: tum ex [illegible] tum ex eo quòd [illegible] sufficienter test[illegible] salem.

Et nominatiu[illegible] *qui*, in versicul[illegible] ostendendum ex [illegible] gubernatorem v[illegible] lem curam habu[illegible] cælorum. Am[illegible]

PSALMVS

VVLGATA EDITIO. CXXXVI.

1 SVPER flumina Babylonis illic sedimus, & fleuimus: dum recordaremur tui Sion.

2 In salicibus in medio eius: suspendimus organa nostra.

3 Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos: verba cantionum.
Et qui abduxerunt nos: hymnum cantate nobis de canticis Sion.

4 Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

5 Si oblitus fuero tui Hierusalem: obliuioni detur dextera mea.

6 Adhæreat lingua mea faucibus meis: si non meminero tui.
Si non proposuero Hierusalem: in principio lætitiæ meæ.

7 Memor esto Domine filiorum Edom: in die Hierusalem.
Qui dicunt: exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea.

8 Filia Babylonis misera: beatus qui retribuet tibi retributionem tuam quam retribuisti nobis.

9 Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram.

IVXTA HEBRÆVM. CXXXVII.

1 *Populus captiuus.* SVPER flumina Babylonis ibi sedimus & fleuimus recordati nostro Sion.

2 Super salices in medio eius: suspendimus cytharas nostras.

3 Quoniam ibi interrogauerũt nos captiuatores nostri verba cantus, & eiulatus nostros lætitiam. *Vox captiuantiũ.* Cantate nobis de cãtic Sion

4 *Populus captiuus.* Quomodo cantabimus canticum Domini * super terra aliena?

5 Si obliuiscar tui Hierusalem: obliuiscetur dextera mea.

6 Adhærebit lingua mea palato meo: si non recordabor tui, si non faciam ascendere Hierusalem super caput lætitiæ meæ.

7 Recordare Domine * filiis Edom diem Hierusalem: qui dicentes. *Vox Idumæorum.* Euacuate euacuate vsque ad fundamentum in ea.

8 *Populus captiuus.* Filia Babel desolata. beatitudines qui soluet tibi retributionẽ tuã quã retribuisti nobis.

9 Beatitudines qui apprehendet & allidet paruulos tuos ad petram.

COMMENTARIVS.

Titulus nullus est.

Materia Psalmi (vt clarè apparet) est status deuoti populi in captiuitate Babylonica constituti, combusto templo & destructa Hierusalē.

SVMMARIVM EST.

Populus in captiuitate Babylonica narrat seipsum in luctu perseuerantem in spe reditus ad Hierusalem. & precatur siue prophetat vindictam tam Idumea quàm Babylonia.

Personæ loquentes sunt tres: populus captiuus, captiuantes eos, & Idumæi.

Vers. 1. *Populus captiuus in Babylone suspirat ad recordationem Ierusalem.*

SVPER FLVMINA. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *super salices.* Proponit populus captiuus in Babylone, moram & fletum proprium ibi, *cum recordaretur Sion.*

Super flumina. Captiuus populus pauper, à miserabili inchoat loco iuxta flumina: vtpote pauperibus congruo. *Ibi sedimus*, diu morati sumus, *& fleuimus*. Luctuosus situs loco miserabili congruit. *In recordari nostro Sion*: hoc est, templi Dei & regiæ sedis. Memoria siquidem præteritæ felicitatis tum in solemni diuino cultu, tum in libertate & dignitate regni, renouabat fletus captiuorum in tam miserabili loco morantium.

Vers. 2. SVPER SALICES. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *super flumina.* Secundò illa, *in recordari nostro Sion*, ibi, *si oblitus fuero.* Declarat itaque luctuosum statum suum populus constanter tenuisse, etiam prouocantibus ipsum ad lætitiam dominis eius.

Super salices. Aduerte hîc quòd id quod videtur superficies literæ significare falsum est: puta quòd populus qui ducebatur in captiuitatem haberet secum musica instrumenta quæ appenderit super salices fluminum. Patet enim imaginationem hanc falsam esse ex sacra historia, tradente non solùm combustum templum cum domo regia, sed combustas etiam priuatas domos à Chaldæis in destructione Hierusalem: & (quod plus est) quòd illi fuerunt ducti in captiuitatem qui euaserant gladium. Vnde non parum fecerunt saluando vitam: nec erat tempus vacandi ad saluandum musica instrumenta. Est itaque verus sensus literæ quòd populus fatetur se musicis instrumentis & cantibus priuasse: quia musica non conuenit luctui. Vtitur autem hoc modo loquendi: quia vsitatus est iste loquendi modus vt profitentes abdicasse à se exercitationem aliquam, dicant se reliquisse seu posuisse instrumenta in loco suæ miseriæ. Verbi gratia qui reliquit exercitium literarium ob infortunium ægritudinis, dicit, Ego reliqui libros in lecto: & sic de similibus. Tali namque loquendi vsu dicit nunc populus quòd super salices suspendit organa musicæ: significans quòd habitatio in salicibus iuxta flumina, abstulit ab eis omnem materiam lætitiæ. Vnde & addit, *in medio eius*, scilicet Babylonis: vt hinc intelligas quòd totus populus etiam qui non habitabat iuxta flumina, abdicauerat à se lætitiam ratione miserabilis loci communis populi. Quamuis etiam *in medio eius*, possit & fortè verius intelligi, hoc est, in manifesto, in publico, *suspendimus citharas nostras*, abdicauimus à nobis statum lætitiæ, cantuum, sonorum, &c.

Vers. 3. QVONIAM IBI INTERROGAVERVNT NOS. Constantia simul & ratio aucti luctus adiungitur. *Quoniam ibi*, in Babylone, *interrogauerunt nos captiuatores nostri verba cantus, & eiulatus nostros*, interrogauerunt *lætitiam*: hoc est, nobis existentibus in eiulatu ipsi petierunt ea quæ sunt lætitiæ.

Vox Babyloniorum. *Canite nobis de cantu Sion*: hoc est, canite nobis hymnos solitos cantari in templo quod erat in Sion. *Quomodo cantabimus* (ecce responsio constans) *canticum Domini super terra alieni*, populi à cultu Dei.

Vers. 5. SI OBLIVISCAR. Tractatur hic illa particula, *in recordari nostro Sion*, dupliciter. Primò quoad constantiam luctus & spei. Secundò quoad vindictam. *Constantia luctus & spei.*

Circa luctum & spem fixam ponit tres conditionales cum duabus execrationibus. Prima est: *Si obliuiscar tui ò Hierusalem, obliuiscetur dextera mea.* Apostrophat populus captiuus ad Hierusalem: imprecans sibiipsi quòd propria dextera detur obliuioni si ipse oblitus fuerit Hierusalem. Et intendit per obliuionem iuxta vsitatum loquendi morem obliuionem quoad signa & facta. Dicimus enim aliquem oblitum paternæ mortis, quando vacat lætis cantibus & sonis & sic de similibus. Intendit siquidem dicere populus quòd si more oblitorum tantæ miseriæ cantabo, lætabor, vacabo musicæ, *obliuioni detur dextera mea*, hoc est prosperitas mea: nunquam ego veniam ad prosperitatem si obliuiscar, si omittam luctum Hierusalem. Et aduerte quòd *obliuiscar* sumitur actiuè, *obliuiscetur* autem sumitur passiuè: in vtraque enim significatione inuenitur.

Adhærebit lingua mea palato, præ ariditate iuxta illud: *adhæsit lingua lactentis palato eius in siti*) *si non recordabor tui*: & quod amplius est, *si non faciam ascendere Hierusalem super caput lætitiæ meæ.* Hierusalem ascendere super caput lætitiæ, est Hierusalem poni rationem inchoandi lætitiam. Ita quòd sensus est: Adhærebit lingua mea palato meo, si non efficiam quòd Hierusalem sit ratio inchoandi lætitiam meam. Et hoc est dicere si prius lætabor, si alia ratione lætabor quàm propter Hierusalem. Et intendit per hoc quòd vsquequo redibit in Hierusalem non lætabitur: sed tunc erit principium lætitiæ eius. Intellige hæc verificari quoad actus interiores: quòd pro toto illo tempore captiuitatis populus deuotus nunquam deposuit spem redeundi in Hierusalem, ita quòd nunquam lætatus est ex corde interim: & quoad actus exteriores, quòd nunquam assumpsit cantus & sonos musicos vsque ad reditum in Hierusalem. Et propterea dicit quòd faciet ascendere Hierusalem super caput lætitiæ: tunc enim inceperunt cum canticis & sonis musicis lætari. Ita quòd sicut modò videmus aliquos in signum tristitiæ nutrire barbas, profitentes se non radendos donec redeant ad patriam, ita populus Hebræus hîc loquitur de statu suo luctuoso.

Vers.

Vers. 7. RECORDARE DOMINE. Tractat memoriam Sion quoad vindictam primò Idumæorum, apostrophans ad Deum. *Recordare Domine diem Hierusalem*, hoc est, desolationem Hierusalem, *filijs Edom*. hoc est, ad vindictam Idumæorum: *qui dicentes*, supple fuerunt Chaldæis destruentibus Hierusalem: *euacuate euacuate usque ad fundamentum in ea*. Vox ista est Idumæorum hortantium Chaldæos ad totalem ruinam Hierusalem.

Filia Babel. Vindictæ Idumæorum adiungit vindictam Babyloniorum, apostrophans ad populum Babylonis. *Filia Babel desolata*. Prophetia videtur hæc futuræ vindictæ in Babylonios: quos eodem anno punitos legimus quo populo Iudaico concessum est redire in Hierusalem: scilicet anno primo Cyri regis Persarum.

Beatitudines sunt eius qui. Deus sub ratione possidentis beatitudines describitur vindex contra Babylonios: ad significandum quòd non motu iræ, non indigentia aliquâ, sed ex diffusione suæ iustitiæ puniet eos retribuendo iuxta eorum crudelitatem. Et in specie explicatur allisio paruulorum ad lapides: vt tanta desolatio describatur vt etiam in infantes sæuiatur, sicut Chaldæi sæuierunt in Hebræos: iuxta illud Thren 2. *Iacuerunt in terra foris puer & senex, virgines & iuuenes ceciderunt in gladio*. Esaias enim cap 13 de onere Babylonis dicit: *Infantes eorum allidentur in oculis eorum*. Amen. Thren. 2. Isa. 13.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.	IVXTA HEBRÆVM.
1 *Psalmus Dauid.*	Dauidi.
CXXXVII.	CXXXVIII.
CONFITEBOR *tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei.*	1 *Propheta.* CONFITEBOR te in toto corde meo: coram diis cantabo te.
2 *In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum & confitebor nomini tuo. Super misericordia tua & veritate tua: quoniam magnificasti super omne nomen, sanctum tuum.*	2 Curuabo me ad templum sanctitatis tuæ, & confitebor nomen tuum super gratia tua & super veritate tua: quia magnificasti super omne, & nomen tuum, dictum tuum.
3 *In quacunque die inuocauero te exaudi me: multiplicabis in anima mea virtutem.*	3 In die vocaui & respondisti mihi: superbificabis me, & in anima mea fortitudinem.
4 *Confiteantur tibi Domine omnes reges terræ: quia audierunt omnia verba oris tui.*	4 Confitebuntur te omnes reges terræ: quoniam audierunt dicta oris tui.
5 *Et cantent in vijs Domini: quoniam magna est gloria Domini.*	5 Et cantabunt in viis Domini [a]. *Vox cantantium.* Quoniam magnus honor Domini.
6 *Quoniam excelsus Dominus: & humilia respicit, & alta à longè cognoscit.*	6 Quoniam excelsus Dominus [a]: & humile videbit, & celsitudinem de longè cognoscet.
7 *Si ambulauero in medio tribulationis viuificabis me: super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, & saluum me fecit dextera tua.*	7 *Propheta.* Si ambulabo in medio angustiæ, viuificabis me: super furorem inimicorum meorum extendes manum tuam, & saluabit me dextera tua.
8 *Dominus retribuet pro me, Domine misericordia tua in seculum: opera manuum tuarum ne despicias.*	8 Dominus [a] perficiet pro me: Domine [a] gratia tua æterno, opera manuum tuarum ne relaxa.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Dauidi.* Materia.

Materia Psalmi est ratio ædificandi templum: tum ex parte Dauidis: tum ex parte successorum regum. In Principio siquidem Psalmi, futuræ adorationis in templo: quod constat tempore Dauidis non esse constructum sed præparatum: & constat adorare in templo, esse rationem construendi templum. Et subiunguntur rationes ex gloria Dei & beneficiis collatis ipsi Dauidi: & postea subiungitur fructus secu-

secututus in regibus. Vnde rationabiliter colligitur materiam Psalmi esse reddere rationem construendi templi.

SVMMARIVM EST.

David constructurus templum, laudaturum se in toto corde & coram principibus ibi Deum profitetur: tum in recognitionem diuinarum viarum, laudémque diuini nominis ac reuelationum: tum in recognitionem beneficiorum sibi collatorum. Indéque reges omnes laudabunt Deum, & cantabunt honorem eiúsque prouidentiam in humiles, &c.

Persona loquentes sunt Propheta & Reges.

VERS. 1. CONFITEBOR. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *curuabo me.* Proponit duo. Alterum est: *Confitebor te*, laudabo te, supple Deus, *in toto*, non in parte, *corde*, non ore *meo*, non alieno. Alterum est: *Coram dijs cantabo te*: hoc est publicè, ad vtilitatem deorum, hoc est regum, qui propter excellentiam officij dij dicuntur in sacra Scriptura: vt patet Exod. 22. Et intendit per hæc duo quòd laudaturus est in opere templi Deum ex parte sua non ad cærimoniam popularem, sed in intimo corde suo: & vtiliter, ad vtilitatem principum. Quorum opposita inueniuntur in constructione templorum aliarum gentium: quoniam nec ædificantes aut colentes colunt Deum corde integro, nec principes vtilitatem interni spiritus inde referunt, sed omnia propter vulgus aguntur: vt Seneca dicit.

Reges ab excellētia officij Dij dicūtur.

Vers. 2. CVRVABO ME. Incipit hic pars executiua tali ordine: Primò tractatur illa particula, *confitebor te in toto corde meo.* Secundò illa, *coram dijs*, ibi, *confitebuntur te.*

Cultum ergo futurum integro corde describit: inchoando à reuerentia Dei: *Curuabo me ad templum sanctitatis tuæ.* Dixit hoc Dauid explicans desiderium proprium, & non prophetando futurum actum: quoniam nunquam adimpleuit hoc per seipsum, sed per semen suum. Desiderium enim pro opere computatur, quando ex parte desiderantis non omittitur opus, sed ex impedimento non subiacente ipsius potestati: vt accidit in proposito. Et propterea meritò dixit, *curuabo me ad templum sanctitatis tuæ.*

Et confitebor, laudabo, *nomen tuum.* Reuerentiæ loci adiungitur laus diuini nominis. *Super gratia tua & super veritate tua.* Tertio loco describitur materia laudis. Et sub gratia & veritate comprehendit vniuersa opera Dei: quia vniuersæ viæ Domini gratia & veritas sunt. *Quia magnificasti super omne*, super totum vniuersum hæc duo, scilicet *nomen tuum*, & *dictum tuum.* Verè nomen Dei magnificatum est super omnia, & ex opere creationis, & ex multis operibus mirabilibus. Dictum quoque diuinum magnificatum est super omnia: quoniam verificatum est non obstantibus quibuscunque tam naturalibus quàm voluntarijs agentibus aut resistentibus. Et intendit per hæc quòd in templo Dei laudabit diuinum nomen recognoscendo vniuersa opera Dei, & confitendo magnificationem nominis eius & dicti eius super omnia: vt hinc intelligamus ad hæc officia cùm velle construere templum: scilicet ad recognoscendum Deum auctorem omnis gratiæ & veritatis, ad laudandum nomen eius & dictum eius super omnia magnificatum. Et intellige per *dictum Dei* reuelationes propheticas factas Abrahæ, Isaac, Iacob, Moysi, Samueli, &c.

Dictum Dei sunt reuelationes Propheticæ.

Vers. 3. IN DIE VOCAVI. Explanatâ ratione construendi templi ex officio laudandi & recognoscendi Deum, &c. subiungitur nunc altera ratio ex spiritualibus beneficiis collatis ipsi Dauidi. *In die vocaui & respondisti mihi.* Ecce primum beneficium: quòd in tempore necessitatis recurri ad te, & tu dignatus es respondere mihi facto. Et subdit duo facta: Alterum, *superbificabis me.* Alterum, *in anima mea fortitudinem.* Non accipitur hic superbire in malam partem: sed secundùm proprietatem vocabuli communis ad bona & ad mala. Intendit siquidem quòd Deus fecit ipsum superire: cùm enim iret prius subtus (vtpote depressus & profugus, & multipliciter afflictus) Deus fecit ipsum regem: & quod amplius est, fecit ipsum vincere & superare hostes multorum regnorum. Et propterea meritò dicit quòd fecit me superbum, seu superbificauit me. Nec solum me superbificauit, sed etiam superbificauit fortitudinem in anima mea: dum fecit animum meum tam fortis spei vt omnia superaret. Et hoc Propheta declaratiudum differt post tres versus, ibi, *si ambulabo.* Et futurum *superbificabis*, respicit præteritum *respondisti.*

Superbire sumitur hic pro superire.

Vers. 4. CONFITEBVNTVR TE. Tractatur hic illa particula, *coram dijs*: tractatur autem à fructu intento, describendo illum. *Confitebuntur te omnes reges terræ*, ex ædificato templo propter rationes prædictas (tum ex parte diuinæ laudis, tum ex parte beneficiorum mihi collatorum) sequetur hic fructus, scilicet quòd confitebuntur confessione laudis te omnes reges terræ. Si hoc vt sonat intelligitur, non describitur fructus secuturus: sed occasio data omnibus rebus mundi laudandi Deum. Et esset sensus: Confitebuntur, hoc est, occasionem confitendi habebunt. Si autem litera intelligitur de omnibus regibus terræ promissionis successoribus ipsius Dauidis (quia subiungitur, *& cantabunt in vijs Domini*: quod de omnibus mundi regibus non videtur intelligendum) sic quadrat vndique contextus: quia ex intentione Dauidis ædificatum est templum ad hoc vt omnes reges successores eius laudent Deum & cantent in viis Dei: quamuis multi eorum non adimpleuerint. Describit enim Dauid fructum non qui erit, sed quem intendit, quem hæreditario iure relinquit successoribus, ad quem eos ligat construendo templum. *Quoniam audierunt dicta oris tui.* Vera est ratio quoad successores Dauidis: quoniam audierunt legem & reuelata patribus, quæ sunt dicta oris tui.

Et cantabunt, reges, *in vijs Domini.* Viæ Domini velut ambulantis (hoc est, per quas ambulat Dominus) sunt operationes Domini: quibus quodammodo progreditur ad nos. Viæ autem Domini, hoc est, per quas itur ad Dominum, sunt affectus & opera nostra quibus quasi progredimur ad Dominum. Præsens litera vtroque modo potest intelligi.

Viæ Domini, id est, quibus Deus ambulat sūt ipsius operationes: viæ Domini id est, quibus imus ad Dominum sunt affectus & opera nostra.

Quoniam magnus honor Domini. Duo cantanda in viis Domini describuntur. Alterum est magnitudo honoris diuini. Et in hoc laudatur excellētia

Dei,

Dei, maior omni honore, gloria, &c. Alterum est: *Quoniam excelsus Dominus: & humilia videbit, & celsitudinem de longè cognoscet.* Et in hoc laudatur prouidentia Dei circa humana merita & demerita: imò circa dispositiones humanarum mentium ad suscipiendam vel non suscipiendam diuinam gratiam. Promebuntur enim sub metaphora quod Deus ad ima se habet vt videns propè, ad celsa autem se habet vt cognoscens à remotis; vt per has similitudines corporales intelligamus significari quòd Deus benignus est quoad gratiæ collationem humilibus corde: elatis autem non confert gratiam.

Vbi aduerte quòd iuxta duo genera causarum construendi templum superiùs inducta (scilicet ex parte diuinæ laudis, & ex parte beneficiorum collatorum Dauidi) describit duo cantanda à successoribus, scilicet quòd magnus honor: & hoc quoad priorem causam: & quòd humilia respicit & celsum à longè cognoscit: & hoc quoad alteram causam, qua eleuauit Dauidem humilem & deiecit Saulem superbum. De humilitate enim Dauidis clarè patet 2. Regum 6. De superbia autem Saulis clarè patet 2. Regum 15. *Nonne cum paruulus esses*, &c. Dixit nihilominus hæc, intendens quòd reges successores sui debent hæc duo habere præ oculis, scilicet honorem Dei, & hanc conditionem prouidentiæ eius quòd humilibus benignus est non superbis.

Vers. 7. Si ambulabo. Aduerte quòd ista clausula continuanda est tertio versiculo: quoniam est declaratio secundi beneficij collati Dauidi, scilicet in anima mea fortitudinem: quod in calce tertij versiculi locatum est. Declarat enim illam fortitudinem animæ suæ penès actum spei inconcussæ: explicando illam tantam quòd *si ambulabo in medio angustiæ*, non in extremitatibus sed in medio vndique circumfusus angustiâ, *viuificabis me.* Dixerat, *superbificabis in anima mea fortitudinem.* Et propterea declarando hanc fortitudinem, prosequitur sermonem alloquendo Deum: *Super furorem inimicorum meorum extendes manum tuam* · in medio angustiæ semimortuum viuificabis, furentibus inimicis occurres manu tuâ: & tam efficax erit viuificatio ac extensio manus quòd *saluabit me dextera tua.*

Spes inconcussa.

Si quæris quare Propheta interposuerit tres versiculos de confessione regum: scito nullam fuisse interpositionem: sed morem scribendi suum seruasse Prophetam. Consueuit siquidem hic Propheta plura simul proponere, & illa singillatim exequi. Et propterea cùm dixisset in tertio versiculo simul duo beneficia à Deo sibi collata (scilicet *superbificabis me, & in anima mea fortitudinem*) prosecutus est primum beneficium, describendo efficiam successionum regum: primum enim beneficium erat eleuatio ipsius in regem: & postea prosecutus est secundum beneficium, explicando fortitudinem animæ suæ ex securitate suæ spei.

Vers. 8. Dominus perficiet pro me. Terminat Psalmum Dauid, explicando rationem futuri temporis in principio propositi, tum in verbo *confitebor*, tum in verbo *curuabo me*, &c. Et intendit explicare quòd quamuis ipse non perficiet templum, sed solùm inchoabit præparando materiam, certus tamen est quòd Dominus perficiet templum pro me: hoc est, loco mei vtens filio meo.

Domine gratia tua æterno. Vt intelligas etiam, prædestinata à Deo suppliciter petenda ex gratia ab ipso Deo adimpleri, ideo supplex apostrophat ad Deum, petendo ne lentescat in opere ædificationis templi: quia gratia eius est in æternum. *Domine gratia tua*, non est ad momentum, sed æterno, non est instabilis sed firma: & propterea ne relaxa lentescendo, opera manuum tuarum, operationes opportunas ad constructionem templi. Quæ verè sunt manuum tuarum, quia te iubente & dirigente inchoatæ sunt. Petit autem *ne relaxa*, humano more alloquens Deum: intendens per hoc ne permittat tepere & in longum protrahi opus constructionis templi (cùm huiusmodi tepor seu dilatio sit via ad relinquendum opus imperfectum) & quia desiderat templum non solùm perfici sed citò perfici. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori Dauid Psalmus.*

CXXXVIII.

2 *DOMINE probasti me & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam & resurrectionem meam.*

3 *Intellexisti cogitationes meas de longè: semitam meam & funiculum meum inuestigasti.*

4 *Et omnes vias meas præuidisti: quia non est sermo in lingua mea.*

5 *Ecce Domine tu cognouisti omnia nouissima & antiqua: tu formasti me & posuisti super me manum tuam.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti Dauidi Psalmus.

CXXXIX.

1 *Propheta.* DOMINE † inuestigasti me, & cognouisti.

2 Tu cognouisti sessionem meam & surgere meum: intellexisti malum meum † à longè. † malo meo.

3 Semitam meam & accubitionem meam ventilasti: & omnes vias meas præuidisti.

4 Quia non est adhuc verbum in lingua mea: ecce Domine[4] nosti totum ipsum.

5 Retro & ante formasti me: & posuisti super me palmam tuam.

6 *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est & non potero ad eam.*

7 *Quo ibo à spiritu tuo? & quo à facie tua fugiam?*

8 *Si ascendero in cælum tu illic es: si descendero in infernum ades.*

9 *Si sumpsero pennas meas diluculo: & habitauero in extremis maris.*

10 *Etenim illuc manus tua deducet me: & tenebit me dextera tua.*

11 *Et dixi: forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in delicijs meis.*

12 *Quia tenebræ non obscurabuntur à te: & nox sicut dies illuminabitur, sicut tenebræ eius ita & lumen eius.*

13 *Quia tu possedisti renes meos: suscepisti me de vtero matris meæ.*

14 *Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua & anima mea cognoscet nimis.*

15 *Non est occultatum os meum à te quod fecisti in occulto: & substantia mea in inferioribus terræ.*

16 *Imperfectum meum viderunt oculi tui: & in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur & nemo in eis.*

17 *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.*

18 *Dinumerabo eos & super arenam multiplicabuntur: exurrexi & adhuc sum tecum.*

19 *Si occideris Deus peccatores: viri sanguinum declinate à me.*

20 *Quia dicitis in cogitatione: accipient in vanitate ciuitates suas.*

21 *Nonne qui oderunt te Domine oderam: & super inimicos tuos tabescebam?*

22 *Perfecto odio oderam illos: & inimi facti sunt mihi.*

23 *Proba me Deus & scito cor meum: interroga me & cognosce semitas meas.*

24 *Et vide si via iniquitatis in me est: & deduc me in via æterna.*

6 Separata est scientia plus me: roborata est, non potero ad eam †. † al.

7 Quo ibo à spiritu tuo? & quo à faciebus tuis fugiam?

8 Si ascendam cælos, ibi tu: & si iacebo foueæ, ecce tu.

9 Si Sumam alas diluculi: si habitabo in fine maris.

10 Etiam illuc manu tua deduces me: & apprehendes me dextera tua.

11 Et dixi: tantùm obscuritas obscurabit me, & nox erit lux pro me.

12 Etiam obscuritas non obscurabit à te: & nox sicut dies lucebit, sicut obscuritas sicut lux.

13 Quoniam tu acquisisti renes meos: operuisti me in vtero matris meæ.

14 Confitebor te propterea quòd terribilibus separatus sum: separata opera tua, & anima mea sciens valde.

15 Non fuit occultatum os meum à te: qui factus sum in abscondito, acupictus sum in inferioribus terræ.

16 Informe meum viderunt oculi tui: & super libro tuo omnes illi dies scribentur, dies formati sunt, & non dies vnus in eis.

17 Et mihi quàm chari facti sunt socij tui Deus: quàm roborata sunt capita eorum?

18 Quòd Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: expergefactus sum, & adhuc ego tecum.

19 Si occides Deus impium: & tunc viri sanguinum recedite à me.

20 Quòd dicent te: cogitationi eleuauerunt frustra, inimicos tuos: (prædicabunt loco cogitationis qua eleuari putarunt à me)

21 Nonne odientes te Domine [4] odiam: & in insurgentes tuos certabo?

22 Terminatione odij odiui illos: inimicis fuerunt mihi.

23 Inuestiga me Deus & cognosce cor meum, proba me, & cognosce cogitationes meas.

24 Et vide si via derisionis in me est: & deduc me in via seculi.

COM

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Vincenti Dauidi Psalmus.* De quo vt suprà.

Materia. Materia Psalmi est omniscientia Dei descripta circa Dauidem: & specialiter tanquam testis tam recti animi Dauidis erga Deum, quòd fuit amicus amicorum & inimicus inimicorum Dei. Quòd enim in Psalmo hoc tractetur omniscientia Dei applicata ad ipsum Dauidem, clarè patet à principio Psalmi vsque ad versiculum 17. Quòd verò Deum adducat in testem quòd ipse Dauid amauit amicos Dei & odio habuit inimicos Dei, clarè etiam describitur ab inde vsque ad finem Psalmi. Et quia nihil speciale de seipso Dauid dicit, nisi quòd est amicus amicorum & inimicus inimicorum Dei, & Deum petit scrutatorem ac testem veracitatis animi sui, apparet quòd Dauid timebat, putabat seu sentiebat imputari sibi quòd non integra simplicitate & veritate cordis procederet: quia exaltabat viros sanguinum, scilicet Ioab, qui proditoriè occidit duos principes. Et propterea fecit hunc Psalmum afferendo Deum (qui omnia nouit) in testem veracitatis animi sui: tacitè excusando se quòd non puniuit Ioab. Hæc enim ad litteram aparet occasio Psalmi.

SVMMARIVM EST.

Dauid contestans Deum cognoscere se Danidem omniquaque (quia est per essentiam, præsentiam & potentiam in omnibus: & in tenebris etiam videt: vtpote qui fecit ipsum in materno vtero, &c.) nosse quoque bonum animum suum erga Deum amicosque Dei ac contra inimicos Dei, inuocat ipsum vt scrutando cor & cogitationes suas videat veracitatem animi sui, & dux suus sit in residua sua vita via.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. DOMINE INVESTIGASTI ME. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *tu cognouisti.* Propositiua continet duo: scilicet inuestigationem & cognitionem. *Domine inuestigasti me:* hoc est exactè & distinctè singula mea singillatim vt discussa habuisti coram te: nam inuestigare non propriè conuenit Deo: cui omnia nuda sunt & aperta absque aliqua inquisitione. Sed sicut dicitur irasci quantum ad similitudinem effectus, quia punit, ita dicitur inuestigare quantùm ad similitudinem termini, quia omnia sunt coram eo sicut inuestigata sunt in inuestigante in termino inuestigationis.

TV COGNOVISTI. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *cognouisti:* Secundò illa, inuestigasti, ibi *inuestiga.*

Circa cognitionem Dei respectu Dauidis vt cogniti, tali ordine procedit. Primò narrat conditiones Dauidis cognitas. Secundò rationem cognoscendi, ibi, *retro & ante.* Tertiò quandam obiectionem confutat, ibi, *& dixi.*

Circa res cognitas à Deo in ipso Dauide, tali procedit ordine quòd affert quinque differentias rerum cognitarum: inchoans à differentiis situs propriè. *Tu cognouisti sessionem meam & surgere meam.* Surgere enim & sedere sunt differentiæ positionis. Et videtur sub metaphora significare differentias statuum: scilicet humilis & celsi, quos pro diuersitate temporum habuit Dauid. Fuit enim prius pastor ouium, post gener Regis, tribunus militum, deinde profugus pauper, posteà rex, iterum eiectus, & posteà rediit ad integrum regnum. *Varij status Dauidis.*

Intellexisti malum meum à longè. Secunda differentia mali & boni subiungitur, explicando alterum extremum: scilicet malum. Vbi aduerte Philosophiam subtilem: quòd describendo Deū intelligere malum, apponitur modus intelligendi à longè: vt explicetur quòd Deus non intelligit malum propè: hoc est habens in se aliquid mali, hoc est aliquid potentialitatis in seipso. Sed intelligit malum à longè: hoc est remotissimus ab omni malo, remotissimus ab omni potentialitate. Tradunt Philosophi malum intelligi à nobis per aliquid mali seu priuationis seu potentialitatis existentis in intellectu. Non sic inquit Propheta *intellexisti malum meum:* scilicet tanquam habens in te aliquid mali, priuationis seu potentialitatis: quòd esset intelligere malum meum propè: sed intellexisti à longè, remotissimus ab omni malo, priuatione & potentialitate. Modus autem quo Deus intelligit malum, in Theologia speculatiua discutitur: & est quòd Deus intelligendo seipsum, intelligit singulos gradus singulosque modos quibus potest participari & quibus participatur bonitas sua: ac per hoc defectum rerum ab ipso, & vnius rei ab alia: quod potentialitatis est: & similiter defectum rei à seipsa: quod priuatio & malum est. *Deus intelligit malum à longè.*

Semitam meam & accubitionem meam. Tertia differentia motus & quietis subditur. Sub qua intellige differentiam operandi & quiescendi secundùm exteriora opera. *Ventilasti,* ad similitudinem ventilantis discreuisti.

Et omnes vias meas præuidisti. Quarta differentia omnium cogitationum tangitur sub metaphora viarum: vt patet ex ratione subiuncta quare præuidit. *Quia non verbum in lingua mea, Ecce Domine nosti totum ipsum:* hoc est non est adhuc verbum aliquod in lingua mea, antequam à mente descendat verbū in linguam, *ecce tu nosti totum ipsum verbum.* Vbi ratio præuisionis viarum more humano describitur, ex eo quòd Deus nouit cogitatum verbum antequam linguâ explicetur. Et hîc inuoluuntur duæ differentiæ rerum, scilicet viarum (hoc est cogitationum) & verborum in lingua.

Vers. 5. RETRO ET ANTE FORMASTI ME. Narratis rebus cognitis, affert rationem cognoscendi triplicem: scilicet quia ipse est in rebus per essentiam, præsentiam & potentiam. Et inchoat à modo essendi per essentiam. *Retro & ante formasti me, & posuisti super me palmam tuam.* In duabus actionibus consistit Deum esse in rebus per essentiam. Altera est dare esse: & hæc significatur dicendo, *retro & ante formasti me.* Altera est conseruare rem factam: & hæc significatur dicendo, *posuisti super me palmam tuam.* *Deus est in rebus per essentiam, præsentiam & potentiam.*

Vbi nota differentiam inter Deum dare esse & alia agentia tam naturalia quàm artifices: penès hoc quòd reliqua agentia dant esse ante & non

non a retro: quia dat formam, quæ est velut pars anterior, & non causam materiam, quæ est velut pars posterior: Deus autem dat esse rebus omnibus antè & retrò: quia dat totum esse rei: dat formam, quæ est velut anterior pars: quia forma est pulchritudo rei, & operandi principium: sicut pars anterior est pulchritudo hominis, & in qua apparent operationes nostræ, & efficit materiam quæ est velut pars posterior, insternitina, ferè turpis. Et similiter appoluit has conditiones, ad describendum Deum esse per essentiam in rebus: quia non quodcunque efficere sed efficere rem ex integro, est illud secundum quod Deus dicitur esse per essentiam in omnibus rebus.

Nota quoque circa alteram actionem (scilicet *posuisti super me palmam tuam*) quòd vtitur tali loquendi modo ad differentiam agentium artificialium: qui postquam formarunt res (puta vasa, statuas &c) auferunt à rebus factis manus suas: quia non conseruant eas. Et similiter etiam faciunt agentia naturalia. Deus autem non sic: sed ita dat esse rebus quòd semper tenet manum suam super eas: quia est causa rei non solum in fieri sed in conseruari: *Omnia enim in nihilum redigerentur nisi ea manus omnipotentis conseruaret.* inquit Gregorius.

Gregor.

Vers. 6. SEPARATA SCIENTIA PLVS ME. Interpositio est hæc excusationis, quâ Dauid profitetur se non posse perfectè reddere rationem. Vnde particula ista excusatoria, inter ipsas quas reddit rationes interposita est more oratorum: qui cùm iam gustandas rationes proposuerunt, excusant imbecillitatem suam, ne fortè plus expectetur quàm ipsi sint dicturi. Excusatio autem Philosophica est: vtpote tangens imbecillitatem humani intellectus, & causas difficilis notitiæ ex parte rerum. Sicut enim in visione corporali inuenitur quòd aliquid subterfugit visionem propter defectum rei visibilis, & aliquid propter excellentiam rei visibilis (vt lux solis in seipsa) ita contingit in scientia nostra quòd aliquid est nobis difficile ad cognoscendum ex defectu rei cognoscibilis: vt ea quæ sunt multæ potentialitatis, vt motus & varietates: & aliquid ex excellentia rei cognoscibilis: vt sunt res diuinæ & immateriales: ad quas se habet intellectus animæ nostræ sicut oculus noctuæ ad lucem solis. Hæc omnia in excusatione hac tanguntur: *Separata*, supple est, *scientia*, qua tu scis res, *plus me*: verè separata (hoc est mirabilis, occulta & seorsum sita) est scientia tua plus me, supra omnes vires ingenij mei, *roborata*: hoc est non ex defectu sed ex robore, non virium corporalium sed ex robore spiritualis naturæ: quod alio nomine dicimus ex magnitudine virtutis: & ideo *non potero ad eam.* Vbi imbecillitas humani ingenij non ex defectu rei cognoscibilis (scilicet scientiæ Dei, cuius rationem cœpit reddere) sed ex eo quòd roborata est (hoc est ex eo quòd præualet, quòd magni roboris est) describitur. Et vtitur metaphorâ roboris, quia spiritualia ex similitudine corporalium nobis innotescunt.

Difficultas in rebus cognoscendis vnde?

Vers. 7. QVO IBO. Post interpositam excusationem prosequitur rationes quare Deus scit cuncta Dauidis. Et intendit secundam rationem: scilicet quia Deus est in omnibus per præsentiam.

Quo ibo à spiritu tuo, & quo à faciebus tuis fugiam? Spiritum & faciem Dei nominat, vt spiritualem faciem intelligamus non corporalem: describens nullum esse locum quò possit eundo elongare se à spirituali facie Dei, hoc est à præsentiali conspectu Dei.

Vers. 8. SI ASCENDAM CÆLOS. Declarat præsentiam Dei ex duobus extremis locis: supremo scilicet & infimo, cælis & inferno: vt ex duobus extremis comprehendantur media: vtrobique enim explicatur præsentia Dei. Et memento quòd nota conditionis *si*, repetenda in singulis verbis est: *& si descendero*: & similiter in sequenti versiculo.

Vers. 9. SVMAM ALAS. Affertur hîc tertia ratio, ex eo quòd Deus est vbique per potentiam: inducendo sub metaphora quòd si sumam alas diluculi, hoc est si tam velociter mouebor quàm oriens Solis lux attingit totum Hemisphærium ab Oriente in Occidens (hoc enim significatur dicendo *si sumam alas diluculi*) *si habitabo in fine maris*, hoc est in quocunque remotissimo loco: *etiam illuc manus tua*, potentia tua, *deducet me*, quantumcunque velocitatem auferat: *& apprehendet me*: in quocunque loco, *dextera tua*, potentia tua.

Vbi aduertere potes sub metaphora hominis volantis tam velociter sicut lux oriens, describi potentiam diuinam non deserentem sed deducentem ipsum: & similiter sub metaphora hominis habitantis in fine maris, describi potentiam diuinam apprehendentem ipsum. Et intendit per hæc potentiam diuinam extendi ad omnia: nihilque subterfugere posse illam.

Diuina potentia vbique extenditur ad omnia.

Vers. 11. ET DIXI. Post tres allatas rationes ad ostendendum quòd Deus cuncta Dauidis cognoscit, subiungitur modò obiectio vulgaris. *Et dixi*, & cogitaui apud me: *tantum obscuritas obscurabit me.* Humano more de Dei visione loquitur: quia enim homines non vident ea quæ in tenebris sunt & fiunt, vulgaris cogitatio obiicitur quòd ex quo Deus videt omnia vt dictum est, quòd hoc intelligatur de omnibus quæ sunt in lumine: ita quòd ea quæ sunt in tenebris remaneant exempta à visione Dei. Hæc enim obiectio significatur dicendo: *Tantum obscuritas obscurabit me*, ne videar à Deo, *& nox lux pro me*: hoc est & consequenter nox in qua non videbor à Deo erit lux pro me, erit loco lucis pro delectationibus meis: pro quanto erit tempus sine arbitrio diuino oculi prosequendi cuncta delectabilia. Hæc est obiectio.

Sequitur confutatio obiectionis. *Etiam obscuritas non obscurabitur à te*, Deo ea quæ fiunt in obscuro. Et hoc directè contra illud, *obscuritas obscurabit me.* *Et nox sicut dies lucebit*: hoc est, & tempus nocturnum respectu visionis diuinæ lucebit sicut dies, quoad hoc quòd ita videntur ea quæ sunt & fiunt in nocte, sicut ea quæ sunt & fiunt in die: & hoc directè contra illud *& nox lux pro me.* *Sicut obscuritas sicut lux*: hoc est nulla est differentia respectu diuinæ visionis inter obscuritatem & lucem, sed sicut obscuritas ita lux, & sicut lux ita obscuritas.

Vers. 13. QVONIAM TV ACQVISISTI. Confutando obiectionem, dixit Propheta Deum videre in obscuro sicut in luce. Et quoniam vulgaribus satisfacere intendit, affert eis testimonium ex operibus Dei quæ facit in locis obscuris: scilicet in materno vtero formando: ita quòd ex hoc quòd Deus operatur tam mirabile opificium formatione corporis humani, cum

Deum videre in obscuro declarat ex formatione Embryonis.

tot

tot distinctis membris, &c. declarat quòd Deus videt in obscuro.

Et inchoat à renibus. *Quoniam tu acquisisti renes meos.* Coniunctio *quoniam*, rationem reddit confutationis ceteræ: scilicet quòd Deus videt in obscuro. Per *renes* intellige interna membra: inter quæ renes magis abscondita sunt: cor tamen est primum membrum quod formatur. *Acquisisti.* Formationem acquisitionem appellauit: eo quòd veluti lucrum ex materiali potentia seminum seu sanguinis acquisitum est. *Operuisti me*, carnibus & pelle, *in vtero matris meæ*, in loco obscuro.

Recta hominis statura mirabilis omnibus animalibus.

Vers. 14. CONFITEBOR TE. Nota diligentissimè hunc textum & significationem eius. Intendit explicare duas excellentes hominis conditiones. Alteram corporis, alteram animæ. Corporis quidem quòd factus est rectæ staturæ. Hanc enim solus homo habet:

Pronaque cum spectent animalia cætera terram,
Os homini sublime dedit.

Et hanc describit per hoc quòd homo factus est mirabilis cunctis animalibus quantumcunque terribilibus: leones enim & omnia animalia admirantur seu admirandi occasionem habent hominem rectæ staturæ.

Conditio verò animæ est, quòd sola anima hominis est intellectiua. Et hæc describitur in litera per hoc quòd anima dicitur valde sciens: animæ siquidem aliorum animalium parum sciunt: dum solis imaginationibus & memoriis sensibúsque aliquid nouerunt: anima autem hominis est valde sciens: quoniam ad supremum cognoscendi gradum (hoc est ad intelligendum) pertingit: nullus est enim altior in toto vniuerso gradus gradu intellectiuo: in quo tamen maxima est latitudo. Hæc duo quæ Deus in materno vtero homini dat, Propheta non explicat sicut reliqua antecedentia & sequentia, sed apponendo officium laudandi Deum: ad denotandum reliquas enumeratas & enumerandas conditiones in vtero materno factas, communes esse nobis & aliis animalibus, has autem duas proprias esse homini, & prærogatiuas singulares: & propterea dicit *confitebor te*, confessione laudis.

Ordinato literam sic: *Confitebor te propterea quòd separatus sum, factus sum mirabilis, terribilibus*, hoc est animalibus quantumcunque terribilibus propter staturam rectam: *& anima mea sciens valde*, hoc est intellectiua, supple confitebitur separata opera tua. Sola enim intellectiua anima scrutatur opera Dei mirabilia & laudat illa.

Vbi si diligenter aduertas, officium animæ intellectiuæ ponit laudare mirabilia opera Dei: tanquam ad hoc homini data sit vt laudet mirabilia opera Dei. Sicut staturam corporis rectam describit à supremo: dum describit ab admirabilitate reliquis quantumcunque terribilibus.

Vers. 15. NON FVIT OCCVLTATVM OS MEVM A TE. Prosequitur opificium Dei in vtero quoad ossa. *Qui factus sum in abscondito, acupictus sum in inferioribus terræ.* Non sufficit Dauidi dicere res quæ fiunt *in obscuro*, nisi etiam explicet se factum in abscondito. Et ne per singula moretur, describit se organizatum in abscondito in inferioribus terræ: hoc est in intimis latebris materiæ terrestris existentis in abscondito vteri, ad similitudinem eorum quæ fierent in infimis visceribus terræ. Significantius autem se organizatum appellat *acupictum*: ad explicandum subtilitatem artificij egentis multo lumine: vt magis ostendat Deum in obscuritate, in tenebris operari artificiosissimè sicut operantur acupictores.

Cur se in vtero acupictum [illegible]

Scito quòd dictio Hebraica interpretata *acupictus* interpretanda esset *rechamatus*, si sicut in vulgari ita in Latina lingua haberemus.

Vers. 16. INFORME MEVM VIDERVNT OCVLI TVI. Hactenus descripsit opificium Dei in vtero, inchoando à renibus: modò ad priorem materiam extendit Dei visionem, dicendo: *Informe meum*, hoc est, embryonem: hoc est materiam meam antequam esset formata in membrum aliquod.

ET SVPER LIBRO TVO. Prosequitur hîc Dauid complementum diuinæ notitiæ respectu sui. Hactenus siquidem totum se cognitum (tum narrando res cognitas, tum afferendo rationes cognitionis, tum confutando obiectionem tenebrarum) manifestauit: vnum supererat, scilicet declarare quòd Deus nouit omnes & singulos dies durationis Dauidis. Et hoc est quod nunc declarat: dicendo non solum notos sed scriptos apud Deum singulos, ita quòd nec vnus prætermissus est non scriptus.

Ordina sic literam: *Et super libro tuo dies formati sunt: omnes ipsi*, dies, *scribentur: & non vnus*, dies, *in eis*, diebus relinquetur non scriptus: hoc est nec vnus relinquetur non scriptus.

Liber Dei

Liber metaphoricè in Deo dicitur notitia firma, ad similitudinem librorum retinentium firmiter scripta. Vnde firma apud Deum notitia dierum nostrorum, liber Dei vocatur. Et appellantur dies in libro Dei formati, hoc est non informes: quia sunt noti plenè secundùm omnem quàm sortituri sunt formam. Et dicitur quòd omnes ipsi (hoc est singuli) scribentur. Et hoc ne putares scriptum vnum mensem vel vnum annũ, & non singulos dies mensis, & singulos dies anni. Et quod dicitur de diebus, intellige de horis, & de quibuscumque minimis mensuris temporis: quoniam idem est iudicium. Intendit enim Propheta dicere quòd in libro diuino scripta sunt singula momenta temporis vitæ nostræ, ita quòd nec vnum minimum relinquitur non scriptum. Et futurum *scribentur*, refertur ad præteritum *formati sunt*: secundùm enim rem & scriptio & formatio fuit ab æterno. Et cùm omnia sint Deo firmissimè nota, soli tamen dies memorantur scripti in libro Dei: quia dies sunt res non firmabiles immo nec existentes nisi in instanti: nihil namque est vnquam diei, mensis aut anni nisi instans. Ad significandum enim quòd dies omnes præteriti & futuri, quamuis in se non sint, in diuina notitia retinentur firmiter, descripsit Propheta dies scriptos in libro Dei.

Dies non existunt nisi in instanti.

Vers. 17. ET MIHI QVAM CHARI. Expeditâ declaratione diuinæ notitiæ de rebus quæ sunt Dauidis, tractatur hîc diuina notitia de bonis affectibus Dauidis (iustificando actiones proprias coram Deo) tali ordine: Primò dicit se amicum amicorum Dei. *Et mihi*, Dauidi, *quàm chari*, quàm pretiosi, *facti sunt socij tui Deus.* Socios Dei appellat omnes qui partes Dei sequuntur: ac per hoc omnes iustos & ea quæ Dei sunt quærentes. *Quàm roborata sunt capita eorum*, scilicet sociorum tuorum: hoc est socios tuos valde charos habui, *& eorum capita*, primates, *multum roboraui*, potentes feci. Optimè regis partes describuntur

Socij Dei quinam?

buntur magnipendere iustos propter Deum, & primates iustorum efficere potentes.

Vers. 18. Dinvmerabo eos. Signum seu effectus magnificandi iustos, subiungitur multiplicatio iustorum. Et est subintelligenda coniunctio. Ita quòd sensus & ordo literæ est: *Et mihi quàm chari, quam roborata, quod dinumerabo eos & super arenam multiplicabuntur.* Ex hoc quòd sunt mihi chari & potentes efficio iustos, sequitur quòd multiplicabuntur iusti plus quàm arena. Et verè sic est: quoniam vbi fortes honorantur, ibi multiplicantur fortes: & vbi docti honorantur, ibi multiplicantur docti: & similiter vbi iusti honorantur, ibi multiplicantur iusti.

Expergefactvs svm. Secundò describit se esse cum Deo. Vbi aduerte quod quia peccauerat crimine adulterij & homicidij non dicit absolutè Deo, *ego tecum:* sed meminit criminis sui sub specie somni, & diuinæ excitationis ad pœnitentiam tanquam excitationis à somno, dicens: *Expergefactus sum*, à somno peccati: *& adhuc*, vsque modò nescio quid futurum sit, *ego tecum*, sum: tecum volo, tecum amo, &c.

Vers. 19 Si occides Devs impivm. Tertiò fatetur se alienum ab inimicis Dei. Vbi oportet notare & intentionem & ordinationem literæ. Intentio Dauidis est declarare seipsum respectu iniustorum, velut è regione ad descriptum seipsum respectu sociorum Dei. Dixerat enim quòd illi sunt sibi quàm chari, & quòd propterea multiplicabuntur: intendit modò dicere quòd iniustos viros sanguinum expellet à se: ita quòd laudabunt omnes Deum qui modò putant me exaltare viros sanguinum. Et quoniam non assertiuè sed conditionaliter & satis obscurè hæc in litera significantur, scito rationem conditionalis sermonis esse historiam Ioab. Lege secundum librum Regum: & inuenies Ioab valdè iniquè & proditoriè occidisse duos principes, Abner & Amasa: & post occisum Abner, exaltatum fuisse in principem militiæ: quia primus ascendit arcem Sion. Post occisum quoque Amasa, remansisse principem supremum: nec vnquam punitum fuisse à Dauide toto tempore vitæ Dauidis. Propter quod homines nescientes cor Dauidis desiderantis punire illum, occasionem habebant detrahendi Dauidi, aut saltem cogitandi quòd ipse exaltaret viros sanguinum: ac per hoc inimicos Dei. Quia itaque Dauid facto non eiiciebat Ioab à se, sed desiderabat illum punire, ideo sub conditione eiectionem à se virorum sanguinis describit.

Historia Ioab.

Et ordinanda est sic litera: Et viri sanguinum recedite à me (contra id enim quod dixerat *& mihi quàm chari socij*, &c. modò dicit *& viri sanguinum*, hoc est, effusores sanguinum iniquè *recedite à me*) *si occides Deus impium*, Ioab: hoc est, tunc quod in corde habeo manifestare potero (scilicet *viri sanguinum recedite à me*) si tu Deus occides impium Ioab. Ac si apertè diceret: Quamdiu viuit Ioab, non possum dicere vniuersaliter, *viri sanguinum declinate à me:* quia habeo semper Ioab mecum virum sanguinum. Et latet sub hoc loquendi modo excusatio Dauidis: quòd scilicet non poterat illum punire. Latet autem in hoc quòd conditionem refert in Deum: tanquam non sit hoc in facultate Dauidis. Si quæris causam excusationis, assignatur nouitas regni: periculosum siquidem fuisset Dauidi occidere Ioab principem militiæ: tum propter sequaces Ioab: tum quia indigebat eo ad stabilitionem regni: vnde distulit puniendum à Salomone, postquam firmatum stabilitumque fuit regnum: & Ioab iam senex emeritus, sine periculo occidi poterat.

Vers. 20. Qvod dicent te. Describitur effectus secuturus eiectionem virorum sanguinum: sicut superius descripsi effectum secuturum magnipensionem iustorum. Ita quòd sicut superius dixerat quòd *dinumerabo eos*, &c. ita modò dicit. *Quod*, eiiciente me viros sanguinum, *dicent te*, prædicabunt te Deus, *cogitationi qua eleuauerunt frustra inimicos tuos:* hoc est in cogitatione seu loco cogitationis qua eleuatos dixerunt seu putarunt frustra à me inimicos tuos, Ioab, &c. *frustra* inquam nescientes cor meum.

Vers. 21. Nonne odientes te Domine. Quartò describit se inimicum inimicorum Dei. Describit autem tum ex parte Dei: tum ex manifestis operibus probando dispositionem sui animi prius dictam erga detectionem Ioab. Poterat enim aliquis dicere, quòd tu dicis animum contrarium facto: & propterea intendit probare animum suum inimicum esse iniustis.

Dauid inimicus inimicorum Dei.

Primò ex parte Dei: *nonne odientes te odiam?* Impossibile est verè amare Deum & non odio habere odientes Deum: cùm amor Dei inferat necessariò odium contrarij. Et propterea Dauid tanquam à manifesto amore suo erga Deum, probat veritatem odij sui erga viros sanguinum. *Nonne odientes te Domine odiam*, persecutanti odio prosequar? Tanquam diceret: incompossibile est amori meo erga te quòd non odiam eos. *Et in insurgentes tuos certabo?* Quasi dicat sic: quòd intus odiam & exterius certabo contra insurgentes tuos, id est, contra te.

Terminatione odij odiui illos. Probat idem ex factis. Legitur siquidem pluries Dauidem extremis suppliciis iniquos damnasse: patet de adolescente qui dixit se interfecisse Saulem: & de interfectoribus Isboseth filij Saulis. Et propterea dicit: *terminatione odij odiui illos*. Terminatio odij aut vltimum supplicium aut summitas odij intelligitur. Sed rebus gestis magis quadrat vltimum supplicium: odiuit enim eos Dauid terminatione odij, hoc est morte plectendo eos.

Vers. 22. Inimicis fvervnt mihi. Ad genus impiorum hoc refertur. Et significat quòd quia huiusmodi iniquos puniuit, ideo genus impiorum inimicum se exhibet mihi.

Vers. 23. Investiga me Devs. Tractatur hic illa particula, *inuestigasti me:* veracitatem animi sui describendo. *Inuestiga me Deus*, ad similitudinem inuestigantis scrutare me, & cognosce cor meum, voluntatem meam: *proba me*, ad similitudinem probantis & experimentum sumentis discute me, *& cognosce cogitationes meas.*

Et vide, cognitis cogitationibus, si *via derisionis in me*, supple est. Via derisionis vocatur fictio, simulatio qua vnum verbo vel facto monstratur & aliud corde retinetur. Via derisionis est docere & non facere: punire malos, benefacere iustis, & tamen intus nec iustos magnipendere nec iniustos paruipẽdere. Et intendit Deum in testem suæ veracitatis adducere. Ac si diceret: quantumcunque inquirat in affectibus & cogitationibus

Via derisionis quid.

tionibus meis, veraciter inueniar recti animi. Et deduc me in via sæculi: hoc est & in via residui temporis mei deduc me: vt qui modò sum benè dispositus, non aberrem in hoc residuo, sed tu deduc me: te enim duce rectè progrediar vsque ad finem. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Victori canticum Dauid.*

CXXXIX.

2 *ERIPE me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me.*

3 *Qui cogitauerunt iniquitates in corde: tota die constituebant prælia.*

4 *Acuerunt linguam suam sicut serpentes: venenum aspidum sub labiis eorum.*

5 *Custodi me Domine de manu peccatoris: ab hominibus iniquis eripe me.*

6 *Qui cogitauerunt supplantare gressus meos: absconderunt superbi laqueum mihi.*

Et funes extenderunt in laqueum: iuxta iter scandalum posuerunt mihi.

7 *Dixi Domino: Deus meus es tu, exaudi Domine vocem deprecationis meæ.*

8 *Domine Domine virtus salutis meæ: obumbrasti super caput meum in die belli.*

9 *Ne tradas me Domine à desiderio meo peccatori: cogitauerunt contra me, ne derelinquas me ne forte exaltentur.*

10 *Caput circumitus eorum: labor labiorum ipsorum operiet eos.*

11 *Cadent super eos carbones, in ignem deijcies eos: in miseriis non subsistent.*

12 *Vir linguosus non dirigetur in terra: virum iniustum mala capient in interitu.*

13 *Cognoui quia faciet Dominus iudicium inopis: & vindictam pauperum.*

14 *Verumtamen iusti confitebuntur nomini tuo: & habitabunt recti cum vultu tuo.*

IVXTA HEBRÆVM.

Vincenti Psalmus Dauidi.

CXL.

1 *Propheta.* ERIPE me Domine [4] ab homine malo: à viro iniquitatum custodies me.

2 Qui cogitauerunt malitias in corde: tota die congregabunt prælia.

3 Exacuerunt linguam suam quasi serpens: venenum aspidis sub labiis eorum. *Selah.*

4 Custodi me Domine [4] de manibus impij, à viro iniquitatum custodies me: qui cogitauerunt impellere gressus meos.

5 Absconderunt superbi laqueum mihi, & funes extenderunt reti: iuxta semitam offendicula posuerunt mihi. *Selah.*

6 Dixi Domino [4]: Deus meus tu, ausculta Domine [4] vocem deprecationum mearum.

7 Deus [4] Domine † fortitudo salutis meæ? operuisti caput meum † in die armorum. † *Domini mei.* † *capiti meo.*

8 Ne da Domine [4] desideria impij, cogitationem eius ne fac effundere: *non vel quia* eleuabuntur. *Selah.*

sic erit

9 Caput circumdantium me: labor labiorum eius operiet ipsum.

10 Mouebuntur super eos prunæ in igne: cadere faciet eos in foueas, & non consurgent.

11 Vir linguæ non firmabitur in terra: *erit sic* vir iniquitatis, malum venabitur eum ad impulsiones.

12 Sciui quòd faciet Dominus [4] ius pauperis: iudicium mendicorum.

Quia

13 Tantum iusti confitebuntur nomini tuo: sedebunt recti cum faciebus tuis.

COMMENTARIVS.

TItulus est: *Vincenti Psalmus Dauidi.* De quo vt suprà.

Materia. Materia Psalmi est supplicatio Dauidis profugi à facie Saulis, adiuncta punitione ipsius Saulis.

Saulis. Facilè siquidem prima pars Psalmi præ se fert historiam persecutionis illius: vltima verò vindictam diuinam quæ postea subsecuta est describit.

Vbi etiam aduerte quòd Apostolus ad Rom. 3. ex hoc Psalmo induxit illa verba, *Venenum aspidum sub labiis eorum:* addens quòd intelliguntur de Iudæis qui sub lege erant. Dico autem hoc: ad notandum quòd ex auctoritate Pauli Apostoli nihil aliud habetur de materia huius Psalmi, nisi quòd de Iudæis loquitur: quod quadrat dictæ materiæ.

SVMMARIVM EST.

David in persecutione à Saule, recurrit ad Deum: exponens qualis est Saul cum suis complicibus, qualiaque sunt pericula à quibus petit se custodiri, necnon qualis fuit ipse inter hæc. Et demum prophetat Saulis pœnam à Deo infligendam, & quare.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. ERIPE ME DOMINE. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *qui cogitauerunt*. Proponit duo: liberationem & custodiam. Constitutus in persecutione Saulis supplicat pro liberatione. *Eripe me Domine ab homine malo*, malæ voluntatis, Saule scilicet: *à viro iniquitatum*, Saule abundante iniquitatibus exterioribus: *custodies me.* Assertiuè dicit futuram custodiam & nihilominus precatur liberationem, vt vtrumque insinuet: scilicet & diuinam gratiam supplicando, & certitudinem spei ex diuina reuelatione asserendo.

Vers. 2. QVI COGITAVERVNT. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *ab homine malo à viro iniquitatum.* Secundò illa, *custodies*, ibi, *custodies me.* Tertiò illa, *me*, ibi, *dixi Domino.* Quartò illa, *eripe*, ibi, *caput circumdantium.* Describit itaque hominem malum & virum iniquitatum Saulem, primò quoad malignitatem internam. *Qui cogitauerunt malitias in corde.* Transit à numero singulari ad pluralem: quia Saul non erat solus contra Dauidem, sed multos habebat complices, quorum ipse erat caput. Et ideo pluraliter describitur. Malitias cogitatas contra Dauidem habes 1. Regum 18. *Tota die congregabunt prælia:* hoc est indefessè dant operam ad debellandum me. Et futurum *congregabunt*, respicit præteritum *cogitauerunt.*

Vers. 3. EXACVERVNT LINGVAM SVAM QVASI SERPENS. In acumine linguæ vim penetratiuam sermonis eorum intellige. Similitudo autem ad serpentis linguam est: quòd sicut serpens extrahendo linguam, valdè acutam extendit, ita isti extendunt sermones suos acuendo ad penetrandum corda audientium, ad penetrandum negotia.

Venenum aspidis nullum est remedium. *Venenum aspidis sub labiis eorum.* Non sufficit vis penetratiua, sed adiungitur *venenum:* vt significetur vis læsiua, non qualitercunque sed ad mortem sicut venenum aspidis: cui (vt vult Aristoteles) nullum remedium est. Lege historiam 1. Regum: & inuenies veritatem tam indefessæ dispositionis ad debellandum Dauidem quàm verborum acutorum & venenosorum contra Dauidem, vt patet de verbis ipsius Saulis ad suos vt occiderent Dauidē: & de verbis Doëg Idumæi, & verbis Ziphæorum, & aliorum qui dicebant Sauli quòd Dauid erat ipsius inimicus.

Vers. 4. CVSTODI ME. Descripto Saule ex malis cogitationibus, locutionibus & præparationibus operum, tractat modò illam particulam, *custodies.* Tractat autem supplicando, vt à Dei gratia recognoscere se custodiam significet. *De manibus impij*, de operibus exterioribus Saulis impij: *à viro iniquitatum custodies me.* Repetit impietatem & iniquitatem Saulis: ad significandam magnitudinem periculi ex accumulata iniquitate exteriori & impietate interiori. Et assertiuè subiungit *custodies*, propter certitudinem reuelationis.

Quatuor periculorum genera. *Qui cogitauerunt impellere.* Quatuor periculorum genera explicat. Primum per modum impulsionis (quo scilicet impellitur gradiens ad cadendum) dicendo: *qui cogitauerunt impellere gressus meos.* Et hic impulsus ad literam fuit quoniam auctore Saule curiales suadebant Dauidi vt esset Gener regis: & vt centum præputia Philistinorum daret regi: & breuiter cùm Saul mittebat ipsum ad bellum vt occideretur à Philistæis. Huiusmodi enim impulsus latebat in cogitatione suadentium & mittentium: & propterea dicitur *qui cogitauerunt.* Et Dauid officium suum agebat: & propterea dicitur *gressus meos.*

Absconderunt superbi laqueum mihi, ad capiendum me. Hoc ad literam verificatur in custodia nocturna apposita circum domum Dauidis vt manè interficeretur. Et appellatur hæc custodia *laqueus absconditus:* quoniam nesciebat [illegible], sed Dauid domi existens appositam custodi[illegible] scribitur Michol vxor ipsius ei significauit. Et d[illegible] [illegible]entibus laqueus hic à superbis, hoc est, ab exce[illegible] superbis (à rege scilicet Saule) & etiam à vitio [illegible] ut Dauidis: tota enim ratio vt Saul persequer[illegible] Dauidem fuit superbia status Saulis.

Et funes extenderunt rete. Tertium pe[illegible]riculum ad capiendum Dauidem, describitur a[illegible] similitudinem extensionis retis velut ad cap[illegible]endum aues seu pisces. Et verificatur hoc de [illegible] exercitus pluries extensi ad capiendu[illegible] Dauidem.

Iuxta semitam offendicula posuerun[t] mihi. Quartum periculum describitur per [illegible] modum impactionis in offendiculum: quod fit [illegible] sum offendentis, & capiendum post casu[illegible] verificantur hæc plura offendicula in Zip[illegible] in Ceila. Vtrique enim leguntur ipsu[illegible] turi fuisse in manus Saulis: cùm tamen i[illegible] que haberet rationem confidendi Dauid [illegible] phæis quidem, tanquam contribulibus: i[illegible] ris autem ratione beneficij. Et in vtrisq[illegible] quam in offendiculis parum abfuit qui[illegible] pitater.

Vers. 6. DIXI DOMINO. Descriptis ta[illegible] persecutionibus quàm periculis, describit [illegible] seipsum: tractando illam particulam *me.* [illegible] gione itaque ad Saulem describit qualis ip[se] [illegible] inter has angustias: narrans duo sua officia. *Dixi Domino*, inter hæc recursum habui ad Deum [illegible] duobus officiis. Alterum est recognitionis: *Deus meus es tu.* Alterum supplicationis: *ausculta Domine vocem deprecationum mearum.* Non dixit deprecationis meæ, sed pluraliter *deprecationum mearum:* vt repetitas preces significaret.

Deus Domine fortitudo salutis meæ, operuisti caput meum in die armorum. Declarat pri[illegible] [illegible]sticium.

officium, gratias agendo pro præteritis beneficiis: tum in duello cum Goliath: tum in diuersis congressibus cum Philistæis. Et propterea appellat Deum fortitudinem salutis suæ: quia fuit fortitudo eius contra hostes. Et dicit metaphoricè Deum operuisse caput suum, hoc est, ad similitudinem protegentis & fouentis saluasse vitam suam, in die armorum, quando armis certatum est.

Vers. 8. NE DA DOMINE. Exequitur secundum officium explicando preces suas *Ne da Domine desideria impij*, Saulis adimpleri quibus desiderat mortem meam: *cogitationem suam*, de interitu meo, *ne fac effundere*, ipsum: hoc est, ne fac quòd effundat Saul cogitationem suam in occisionem mei intentam: *eleuabuntur*. Defectiua est locutio, & supplenda vel repetitione negationis iam bis præpositæ: vt sit sensus, *non eleuentur super me*: & sic continuatur supplicatio. Vel subintelligendo coniunctionem causalem, quia eleuabuntur. Et sic redditur ratio precum: quia sequetur hoc inconueniens quòd tam mali & iniqui eleuabuntur, te non exaudiente preces meas.

Vers. 9. CAPVT CIRCVNDANTIVM ME. Declaratis persecutoribus, periculis & qualitate Dauidis, subiungitur sententia punitura Saulem. Et sic tractatur illa particula, *eripe me Domine*: tractando mortem Saulis, quæ fuit liberatio Dauidis.

Describitur itaque ipse Saul sub nomine capitis circumdantium Dauidem: constat enim ipsum fuisse caput eorum. Et est locutio defectiua: subintelligitur enim incidet in hæc infrascripta: prophetat siquidem Dauid Saulis mortem: inchoans à proximo mortis demerito.

Labor labiorum quid? *Labor labiorum eius operiet ipsum.* Crimen consultationis dæmonum per Pythonissam appellatur *labor labiorum*: quia ex labore labiorum (hoc est, ex velut fatigatis labiis consultando Dominum non respondentem Sauli) causata est consultatio per Pythonissam. Vel quia laborauit Saul persuadendo Pythonissæ vt diuinaret sibi in Pythone: recusabat enim mulier timens mori: vt patet in historia 1. Regum. Vnde & subditur: *operiet eum*, multitudine Philistinorum: quia vt dicitur 1. Paralip. 10. propter hoc crimen mortuus fuit Saul.

Posset nihilominus intelligi per laborem labiorum eius, crimen crudelis sacrilegij in cæde tot sacerdotum, descriptum à labore labiorum: quia Saul velut laborans, destitutum se conquestus est coram suis quando ad hoc crimen processit: vt patet 1. Regum 22. & quòd propterea occisus est à Philistæis Propheta modò explicet.

**Vers.* 10. MOVEBVNTVR SVPER EOS PRVNÆ. Ad literam, Saulis & filiorum corpora combusta fuerunt: vt patet 1. Regum vltimo. Et propterea prophetatur: *Mouebuntur super eos prunæ in igne: cadere facies eos in foueas, non consurgent.* Perfectio combustionis cadauerum describitur, per hoc quòd super eos in igne positos mouebuntur prunæ: vt sub & suprà citius comburantur abundantibus prunis: quia in nemore Iabes combusti sunt. Casus autem in foueas metaphoricæ est locutionis, ad similitudinem cadentium in foueas ita quòd non possint inde surgere: quia ad literam describitur eorum mors: quæ est tanquam casus in foueam à qua non potest homo consurgere. Et est ordo præposterus: quia prius describitur combustio cadauerum, & deinde mors.

Vers. 11. VIR LINGVÆ NON FIRMABITVR IN TERRA. Pœna deiectionis à regno adiungitur: ita quòd vltra mortem & combusta corpora, destitutionem domus suæ à successione regni Saul incurrit. Et propterea dicitur: *Vir linguæ*, Saul tam dolosæ linguæ, *non firmabitur in terra*, in regno: vt rei probauit euentus. Statim enim debilitatum & diminutum fuit regnum filij eius: & infra breuissimum tempus extinctum. Propter quod & subditur: *Vir iniquitatis malum venabitur eum*: hoc est, vir iniquitatis Saul, talis est quòd malum venabitur eum ad impulsiones. *Saul vir linguæ vir iniquitatis.* Metaphora est, sumpta ab animali fugiente venatores vsqueadeo quòd ad rupem deueniens ruit præceps. Simili siquidem modo describit malum tanquam venatorem: & Saulem seu virum iniquitatis tanquam insecutione vexatum à malo ad impulsiones, ad loca ruendi. Verè siquidem domum Saulis post eius mortem mala sic insecuta sunt, vt tanquam venatores insequerentur illam vsque ad ruinam: nam vt dicitur 2. Regum 3. domus Saul quotidie decrescebat.

Vers. 12. SCIVI QVOD FACIET DOMINVS. Prophetatâ morte Saulis & destitutione domus eius, subiungit Dauid quòd ipse sciuit Deum facturum ius pauperum: quia tantùm iusti habitabunt cum faciebus Dei. Et potest hoc dupliciter intelligi. Primò vt sit sermo de scientia in genere. Et tunc est sensus quòd sciui, ex Deuteronomio, quòd Deus reddit ius pauperibus oppressis ab iniquis: quia solis iustis promissa est terra promissionis ad laudandum nomen Dei & quiescendum coram eo. Et iuxta hunc sensum verissimum (vtpote fundatum in Deuteronom.) fatetur Dauid se sciuisse rationem in genere eorum quæ adimplenda sunt in Saule: quia Saul oppresserat Dauidem cum suis pauperibus viris iustis.

Secundò vt sit sermo de scientia in specie circa adimplenda in Saule & in seipso Dauide. Et iuxta hunc sensum respondet Dauid tacitæ quæstioni quærentium, quid scis tu de istis quæ prophetasti? Respondet enim, *sciui*, proculdubio Deo reuelante, *quod faciet Dominus ius pauperis*, hoc est mei pauperis oppressi: *iudicium mendicorum*: non solùm mihi faciet ius, sed etiam faciet iudicium mendicorum: hoc est meorum qui coacti sunt mendicare, hoc est miseram vitam ducere more mendicorum. Hoc enim iudicium factum est in morte Saulis: & ius Dauidis factum est inchoatiuè in morte Saulis, perfectè autem in assecutione totius regni Israël ei promissi à Deo.

Vers. 13. TANTVM IVSTI. Ratio & finis vtriusque quod sciui, est quia *tantùm iusti confitebuntur nomini tuo*: hoc est, quia solos iustos elegisti ad laudandum nomen tuum: quales non erant Saul & sui: sed sum ego & mei. Hoc enim subintelligi vult: sed ad vitandam iactantiam non explicat. *Sedebunt*, quiescent, *tantum recti cum faciebus tuis*: hoc est, in terra promissionis, quam velut præsentia faciei tuæ dignificas. Et dixit hoc: quia sciuit se electum à Deo vt iustum ad laudandum ipsum, & ad quiescendum in regno tanquam coram facie Dei, refutato Saule inobediente & iniusto. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Canticum Dauid.*

CXL.

DOMINE clamaui ad te exaudi me: intende voci meæ cùm clamauero ad te.

2 *Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum.*

3 *Pone Domine cuſtodiam ori meo: & oſtium circumſtantiæ labijs meis.*

4 *Non declines cor meum in verba malitiæ: ad excuſandas excuſationes in peccatis.*

Cum hominibus operantibus iniquitatem: & non communicabo cum electis eorum.

5 *Corripiet me iuſtus in miſericordia & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

6 *Quoniam adhuc & oratio mea in beneplacitis eorum: abſorpti ſunt iuncti petræ iudices eorum.*

Audient verba mea quoniam potuerunt:
7 *ſicut craſſitudo terræ erupta eſt ſuper terram.*

Diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum:
8 *quia ad te Domine Domine oculi mei, in te ſperaui non auferas animam meam.*

9 *Cuſtodi me à laqueo quem ſtatuerunt mihi: & à ſcandalis operantium iniquitatem.*

10 *Cadent in retiaculo eius peccatores: ſingulariter ſum ego donec tranſeam.*

IVXTA HEBRÆVM.

Pſalmus Dauidi.

CXLI.

1 *Propheta.* DOMINE [4] vocaui te,
hactenus dicendo
feſtina ad me †: † mihi.
modo nouam
auſculta vocem meam in vocare
meo ad te †. † tibi.
Nonæ petitiones. tanquam
2 Dirigetur oratio mea incenſum faciebus tuis: eleuatio palmarum
tanquam
mearum munus veſperi.
3 Pone Domine [4] cuſtodiam ori meo: cuſtodi ſuper eleuationem labiorum meorum.
4 Ne declina cor meum in rem malam †, ad operandum operationes † rei malæ.
in impietate cum viris operantibus iniquitatis: & non comedam in ſuauitatibus eorum.
Non fugio correctionem ſed
5 Caſtigabit me iuſtus gratia & repre-
quo vnctus ſum à Samuele
hendet me: oleum capitis non
à ſubmiſſione
prohibebit caput meũ, quia opus
aſſueuerunt
& oratio mea in malitiis eorum.
Saul
ſpeluncæ
6 Derelicti ſunt in manibus petræ iudi-
& ſui dicta
ces eorum: & audierunt [illegible]
mea, quoniam dulcificata ſunt:
Perſuaſi meis
7 Sicut diuidens & ſcindens in terra [illegible] os † rei.
& tanquam robora
diſperſa ſunt oſſa noſtra ad os
ſpeluncæ.
foueæ.
8 Quia ad te Deus [4] Domine [illegible] oculi † Domini mei.
mei: in te ſperaui dicendo, ne euacua
animam meam.
Et
9 Cuſtodi me à manibus laquei quem abſ-
conderunt mihi: & offendiculis
operantium iniquitatem.
Ideo
10 Incident in retia ſua impij Saul & ſui: ſimul cum
meis
ego donec tranſibo ad Philiſtæos.

COMMENTARIVS.

Titulus eſt: *Pſalmus Dauidi.* De quo vt ſuprà.

Materia. Materia Pſalmi eſt tranſitus Dauidis ad Philiſtæos, ſcriptus 1 Regum 27. quando ſcilicet poſt tot euaſiones à perſecutione Saulis dixit in corde ſuo: aliquando incidam vna die in manus Saul: *Nonne melius eſt vt fugiam & ſaluer in terra Philiſtinorum?* Quòd enim ſit hic ſermo de Dauide, titulus Pſalmi teſtatur. Quòd verò perſecutio Saulis [illegible]

tangatur, apparet ex penultimo versiculo: *custodi me à manibus laquei absconderunt mihi, & offendiculis operantium iniquitatem* Hæc enim spectare ad persecutionem illam, & historia testatur, & immediatè præcedens Psalmus: in quo persecutio Saulis eisdem verbis descripta est. Quòd autem de transitu Dauidis ad Philistæos sit termo, vltimus versiculus restatur: in quo prophetatur casus persecutorum eius durante transitu ipsius ad Philistæos: vt rerum gestarum probauit euentus.

Attestatur & huic materiæ consonantia omnium quæ in progressu Psalmi dicuntur: vt exponendo patefiet. Est itaque ad literam materia Psalmi, Dauidis volentis cum suis omnibus fugere ad terram Philistinorum recursus ad Deum, vt seruet ipsum à peccando in terra idololatrarum: recensendo rationabiles causas suæ fugæ.

SVMMARIVM EST.

D*auid profugus à facie Saul transiturus cum suis ad Philistæos, petit à Deo vt ibi non solum orationem suam dirigat sed custodiat a peccatis linguæ, cordis, operis, & cibi. Iustificatque transitum suum quòd non fugit castigari à iusto: vtpote qui sustinuit tandiu malicias eorum, animo orante, & opere parcendo vitæ Saulis.*

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. DOMINE VOCAVI TE. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *dirigetur oratio*. Proponit duo. Alterum est: *Domine vocaui te, festina ad me.* Et intendit quòd vocaui recurrendo continuè ad te Deus in terra Israël persequente me Saule, vt festinares ad liberandum me: *& non sum adhuc liberatus*, & sum in periculo incidendi in manus Saulis. Alterum est: *Ausculta vocem meam in vocare meo ad te*: hoc est, nouam petitionem porrigo transiturus ad terram Philistinorum.

Vers. 2. DIRIGETVR ORATIO. Incipit hìc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *ausculta vocem meam in vocare meo ad te.* Secundò illa, *Domine vocaui te, festina ad me*, ibi, *castigabit*. Explicatur itaque noua vox Dauidis ad Deum quatuor petitionibus pro necessariis ei in terra idololatrarum. Transiturus siquidem ad Philistæos, petit à Deo quatuor subiuncta. Primum est vt sit grata Deo sua oratio. Sciebat enim terrã promissionis datam sibi & aliis filiis Israël ad colendum in ea Deum: & propterea in ea offerebatur quotidie vnus agnus manè & alter vesperi. Et ideo recedens à terra Israël, solicitus erat vt oratio sua ibi futura esset grata Deo sicut sacrificium quod offerebatur in domo Domini.

Quatuor petitiones Dauidis.

Dirigetur inquit *oratio mea*, in terra Philistinorum, *incensum*, hoc est loco incensi, seu tanquam incensum. *facie bus tuis*, hoc est coram te. Et intendit per incensum thymiama, quod (vt Apostolus ad Hebr. 9. dicit) sacerdotes sacrificiorum officia consummantes, incendebant in prima parte tabernaculi: sacrificium enim offerebatur sub dio extra tabernaculum. *Eleuatio palmarum mearum munus vesperi*: hoc est, tanquam sacrificium quod offertur hora vespertina. Meminit thymiamatis & sacrificij, meminit orationis quæ est eleuatio mentis proportionaliter ad fumum thymiamatis, meminit eleuationis manuum quæ

Sacrificium offerebatur sub dio extra tabernaculũ.

est velut quidam exterior cultus Dei correspondendo ad sacrificium vespertinum: ac si apertè diceret: In terra Philistinorum non potero tibi offerre sacrificium & thymiama: erit eleuatio mentis & eleuatio manuum loco thymiamatis & sacrificij.

Vers. 3. PONE. Secunda petitio explicatur etiam modo deprecatiuo, & est præseruatio à peccatis linguæ: timebat enim inter infideles offendere in locutione propter conuersatione cum eis.

Ne declina. Tertia petitio est custodia à peccatis cordis & operis simul. Timebat enim ne conuersando cum gentilibus declinaret cor suum in opera eorum: quos appellat operarios iniquitatis.

Et non comedam. Quarta petitio est custodia à peccatis conuiuiorum: ne scilicet transgrederetur legem in conuiuiis gentilium, comedendo prohibita à lege, apposita in deliciis conuiuiorum. Ad hoc enim tendit petitio: *& non comedam in suauitatibus eorum.*

Vers. 5. CASTIGABIT ME IVSTVS. Tractatur hic illa particula, *Domine vocaui te festina ad me*: explicando recursum suum ad Deum, hactenus habitum, à tribus. Primò à iustificatione causæ suæ. Secundò ab opere. Tertiò ab ipsa oratione.

Declarat itaque se hactenus vocasse Deum vt festinet se adiuuare: quia non fugit disciplinam, non fugit corrigi & castigari à iusto rege, sed fugit vorari ab iniquitate. Hanc enim iustificationem suæ causæ intendit, offerendo se paratum ad suscipiendam correctionem verbis & factis. *Castigabit*, factis *me iustus*, iustitiam exercens, *cum gratia*, cum benignitate non cum furore, vt Saul quærit sæuire: *& reprehendet me*, verbis: *oleum capitis*, vnctio regia quã vnctus sum à Samuele in regem, non prohibebit caput meum, à susceptione reprehensionis & castigationis: hoc est, paratus sum reprehendi & castigari, ita quòd promissio mihi facta de regno per Samuelem non retrahet me à submittendo me reprehensioni & castigationi. Et intendit ad literam quòd ipse non eleuauit caput contra regem suum Saulem propter hoc quòd fuit vnctus in regem à Samuele, sed fuit & est paratus reprehendi & castigari. Ac si apertè diceret quòd non propterea fugio, sed fugio à furore iniquitatis Saulis.

Vnde & proponit pro ratione vt credatur sibi hoc: quia opus & oratio mea in malitiis eorum. Probat iustificationem suæ causæ & fugæ nunc dispositæ ad Philistæos. *Quia & opus*, hoc est, monstraui illis facto. *& oratio*, & etiam oratione quoad Deum, *in malitiis eorum*, perseuerantibus Saulis & suorum malitiis.

Vers. 6. DERELICTI SVNT. Intendit declarare vtrumque: scilicet opus & orationem. Et incipit ab opere: commemorans clementissimum opus quod monstrauit Sauli in spelunca, quando præcidit oram chlamydis eius, & compescuit eos qui secum erant ne occiderent Saulem: vt diffusè scribitur 1. Regum 24. Et vtitur numero plurali pro singulari.

Derelicti sunt in manibus petra. Metaphorica est locutio: vt derelicti in deserto dicantur derelicti in manibus deserti, & derelicti in naui dicantur derelicti in manibus nauis: tanquam non habentes præsidium aut adminiculum aliquod nisi id in cuius manibus dicuntur derelicti. Saul tunc ingressus speluncam ad purgandum ven-

 trem,

tem, describitur derelictus in manibus petræ, hoc est speluncæ: quoniam nullum habebat in ea præsidium à morte si Dauid voluisset eum ibi tunc occidere. Saulem pluraliter appellat *iudices eorum*, vtens numero plurali pro singulari: ea ratione quia in ipso derelicto intelliguntur derelicti principes eius: occiso enim capite, facilè reliqui dispergantur.

Capite occiso facilè cæteri dispergantur.

Et audierunt dicta mea. Non scribit rem gestam ordinatè: sed subiungit verba ipsius Dauidis ad Saulem postquam egressus de spelunca ibat viam suam. Tunc enim egressus Dauid clamauit post tergum Saulis verbis dulcissimis, monstrans ei oram chlamydis in testimonium quòd potuisset illum occidere in spelunca: hoc enim commemorando ait: *Et audierunt*, dicti iudices, *dicta mea*, post egressum de spelunca: *quoniam dulcificata sunt*, dicta mea.

Vers. 7. SICVT DIVIDENS Commemorat conatum suum in spelunca ad frangendum animos suorum ne insurgerent ad occidendum Saulem. Et assimilat conatum suum ad *diuidentem & scindentem in terra*: significans per hanc metaphoram difficultatem quam habuit ad persuadendum militibus suis secum in spelunca existentibus ne insurgerent ad occidendum Saulem. Assimilat siquidem corda eorum terræ quoad duritiem, & suasionem suam diuisioni & scissioni: iuxta id quod scriptum est, quòd *confregit Dauid suis sermonibus seruos suos*.

Ossa sunt milites.

Dispersa sunt ossa nostra ad os foueæ. Ossa sua appellat milites suos fortes, habentes officium ossium in sustentando. Et intendit quòd sic dispersa sunt robora nostra ad os foueæ, id est, speluncæ: fractos siquidem animos robustorum in spelunca vocat ossa dispersa metaphoricè.

Vers. 8. QVIA AD TE DEVS DOMINE. Declarato opere, declarat orationem cui vacauit tanto tempore. *Quia ad te Deus oculi mei*, interni semper suspexerunt: *in te speraui*, non in homine, clamans *ne euacua animam meam*. Impletur anima sperans, cùm assequitur rem speratam: & per oppositum euacuatur negando rem speratam. Et propterea orando continuè, *ne euacua animam meam* petebat adimpleri spem suam.

Custodi me. Non solùm orauit pro assecutione boni, sed pro liberatione à periculis. *Custodi me à manibus laquei quem absconderunt mihi, & ab offendiculis operantium iniquitatem*: hoc est, ab insidiis vniuersis. Per laqueum enim & offendicula intendit vniuersa pericula quæ timebat à Saule & suis, assimilata laqueis ad capiendum, & offendiculis ad cadendum positis.

Vers. 10. INCIDENT. Recensitis iustificationibus causæ & fugæ suæ ad Philistæos, prophetat euentum suæ liberationis: concludens suum ad Philistæos transitum.

Incident in retia sua impij. Saul & sui in propria retia tunc inciderunt cùm exclusi sunt à regno: quandoquidem laquei & retia eorum nihil aliud erant quàm exclusio Dauidis à regno. Constat autem ex rei euentu hoc fuisse impletum.

Simul ego donec transibo. hoc est, donec ego simul transibo. Bis secundùm historiam Dauid profugus iuit ad Philistæos. Semel à principio fugæ suæ. Et tunc iuit solus: quando simulauit se fatuum, &c. vt scribitur 1. Regum 21. Altera vice iuit ad Philistæos cum sexcentis viris & vxoribus, &c. vt scribitur 1. Regum 27. Et de hac hic loquitur. Et propterea dicit: *Ego simul*, hoc est, cum tota societate mea, *transibo*, ad Philistæos. Et dicit, *donec*: quia ad literam intra illos quatuor menses quibus fuit apud Philistæos, Saul & sui occisi sunt & ceciderunt in sua retia: inde enim inceperunt excludi à regno, & Dauid incepit regnare. Amen.

David bis profugus iuit ad Philistæos.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Intellectus Dauid dum esset in spelunca oratio.*

CXLI.

2 *VOCE mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus sum.*

3 *Effundo in conspectu eius orationem meam: tribulationem meam ante ipsum pronuncio.*

4 *In deficiendo ex me spiritum meum: & tu cognouisti semitas meas.*

In via hac qua ambulabam: absconderunt laqueum mihi.

5 *Considerabam ad dexteram & videbam: & non erat qui cognosceret me.*

Periit fuga à me: & non est qui requirat animam meam.

6 *Clamaui ad te Domine: dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viuentium.*

IVXTA HEBRÆVM.

Intelligentia Dauidi, existente ipso in spelunca oratio.

CXLII.

1 *Propheta.* VOCE mea ad Dominum[4] clamabo: voce mea ad Dominum[4] deprecabor:

2 Effundam coram eo eloquium meum: angustiam meam faciebus eius annunciabo.

3 Collabente super me spiritu meo, & tu nosti semitam meam: in via hac ambulabo absconderunt laqueum mihi.

4 Respice O Domine dexteram & vide: & non est mihi noscens, & periit refugium à me, & non est requirens animã meã.

5 Clamaui ad te Domine[4]: dixi, tu es spes mea, pars mea, in terra viuorũ.

6 Ausculta

7 *Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis.*
Libera me à persequentibus me: quia confortati sunt super me.
8 *Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: me expectant iusti donec retribuas mihi.*

6 Ausculta ad clamorem meum, quoniam attui valde: libera me à persecutoribus meis, quoniam corroborati sunt super me.
7 Fac exire de occlusione animam meam ad confitendum nomen tuum: quia in me coronabuntur iusti quando retribues super me.

COMMENTARIVS.

Fuit Dauid in spelunca Engaddi, & in spelunca Odollam.

Titulus est: *Intelligentia Dauidi, existente ipso in spelunca oratio.* Vbi aduerte primò quòd Dauid legitur fuisse in duplici spelunca: scilicet in spelunca Engadi, 1. Regum 24 quando præcidit oram chlamydis Saulis: & in spelunca Odollam, 1. Regum 22. in quam venit fugiens à facie Achis regis Geth, cùm simulasset se fatuum. In hoc titulo non significatur spelunca Engadi, sed spelunca Odollam: quoniam dicta in versiculo quarto dissonant gestis in spelunca Engadi, & consonant speluncæ Odollam: nam in spelunca Engadi erat cum sexcentis viris: in spelunca autem Odollam erat solus: quia adhuc non associauerant se ei illi qui postea cum eo fuerunt: vt patet in historia. Et propterea quartus versiculus (in quo describit se solum, nec habere aliquem qui se cognoscat aut requirat) clarè testatur quòd de spelunca Odollam titulus loquitur.

Et dicitur Psalmus iste intelligentia seu eruditio: quia tunc fuit Dauid diuina gratia eruditus de futuro suo regno: vt in calce Psalmi insinuatur. Dicitur quoque *oratio*: quia Dauid orationi totum se dedit in spelunca illa: vt in principio Psalmi manifestat.

Ita quòd titulus ex loco speluncæ, significat statum Dauidis omni tunc auxilio humano destituti: vtpote qui nec in regno Saulis comparere poterat, nec apud finitimos Philistæos. Ex hoc verò quod est oratio, principium Psalmi, & confugientem Dauidem ad Deum significat. Ex hoc autem quod est intelligentia, terminus Psalmi fructúsque orationis significatur: orando enim meruit erudiri à Deo.

Materia. Ex quo facilè patet, materiam Psalmi esse recursum Dauidis in tanta angustia constituti ad Deum orando in spelunca Odollam, cum fructu diuinæ illuminationis subsecuto.

SVMMARIVM EST.

Dauid in spelunca Odollam solus ac ferè animo collabens, recursurum se ad Deum proponendo angustiam suam canit. Et subsecuta oratione ac illustratione diuina, petit liberari de tanta angustia ad laudem Dei & consolationem iustorum, futuram quando ipse erit rex.

Persona loquens Propheta est.

VERS. 1. VOCE MEA. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *collabente.* Proponit modum & rem. Modum quidem recurrendi ad Deum, à quadruplici conditione describit. Primò *voce mea*: hoc est per meipsum & non per sacerdotes. Secunda: *clamabo*: hoc est, non tepido, sed ardenti corde recurram: clamor siquidem vocis ad significandum internum ardorem animi apponitur ad literam: non enim in spelunca voce clamosa se oraturum proponit. Tertia: *deprecabor*, supplex & humilis recurram. Quarta: *effundam*: hoc est totum proferam. In quo prolixa meditatio significatur: vtpote effundens totum coram Deo. Sicut de Anna matre Samuelis multiplicante preces suas scribitur, 1. Regum 1. *Effudi animam meam in conspectu Domini.* Res autem propositæ sunt duæ. Prima est *eloquium*: secunda *angustia*. Ita quòd intendit voce sua, &c. exponere Deo eloquium suum (hoc est orationem suam) & angustiam suam in qua est.

Vers. 3. COLLABENTE. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *angustiam meam annunciabo*: subintellectis conditionibus modificantibus. Secundò illa, *effundam eloquium meum*, ibi, *clamaui ad te*: similiter cum conditionibus. Explicat itaque angustiam suam coram Deo ex triplici capite, scilicet proprij animi, diuinæ notitiæ, & periculi. *Collabente super me spiritu meo.* Angustiam suam ex anxietate proprij animi tantam vt similis esset iis qui semianimes collabuntur describit: videbat enim vndique se destitutum: & inde à tanta destitutione cogitata collabebatur spiritus eius. *Et tu nosti semitam meam.* Hinc spiritus meus collabitur, inde scio te Deum nosse semitam meam destitutam: ad augmentum namque tristitiæ & anxietatis spectat reuocare ad memoriam quòd amicus potens succurrere nouit angustiam meam & non prouidet. Et propterea hîc Dauid inter capita angustiæ suæ commemorat coram Deo (supplex tamen) *& tu nosti semitam meam. In via hac.* Tertium caput ex parte periculi describit. *In via hac qua ambulabo*, quà mihi est ambulandum: scilicet in terra promissionis; *absconderunt*, Saul & sui, *laqueum mihi*, hoc est, insidias ad capiendum me. Et hoc est primum periculum.

Angustia Dauidis ex triplici capite.

Respice dexteram, hoc est, partem fauorabilem mihi, *& vide*: & inuenies quòd non est mihi aliquis noscens. Et hæc est secunda ratio periculi: quia nullum habeo mecum. *Perijt refugium à me*, non habeo quò confugiam: cùm etiam Philistæi ad quos confugeram voluerint me occidere. Et hæc est tertia ratio periculi. *Non requirens animam meam*: nullus comparet consanguineus aut amicus qui requirat vitam meam, si viuo an mortuus sum & huiusmodi. Et hæc est quarta ratio.

Vers. 5. CLAMAVI AD TE DOMINE. Explicatâ angustiâ suâ coram Deo, tractat alteram particulam, scilicet, *effundam eloquium meum*, clamando, &c. In tanta itaque angustia constitutus executus sum quod proposui. *Clamaui*, siquidem *ad te Domine: dixi*, mente & animo: *tu spes mea.* Quamuis dixerim quòd tu nosti me in tanta angustia, non tamen spem in alio habeo quàm in te: tu solus spes mea, ad liberandum me

[illegible] *mea in terra viuentium.* [illegible] postulat [illegible] [illegible] sub conditione [illegible] sua fidei diuinæ [illegible].

Pars mea [illegible] appellatur: [illegible] tum [illegible] remanserat, nisi Deus [illegible] si apertè diceret: [illegible] & amicis [illegible] nisi tu: [illegible] pars mea. [illegible] Leuiti- [illegible] habuit par- [illegible] erant [illegible] dicit [illegible] Deus erat [illegible] nec ex [illegible] nec alio [illegible] ex sola [illegible].

[illegible] *meorum:* [illegible] Deus [illegible] scilicet [illegible], à qua [illegible] tundum [illegible].

[illegible] *sione tu* [illegible] voce [illegible] ctare in [illegible] nemum. [illegible] oris quę [illegible] um.

[illegible] Primus [illegible] ab ari- [illegible] *me*, &c.

Quos corroborentur supra se dicit: quia quanto magis ipse cecidit, tanto persecutores eius magis roborati sunt.

Fac exire de exclusione animam meam. Occlusionem vocat speluncam in qua clausus erat: non seris & vectibus sed timore incidendi in manus Saulis) *ad confitendum nomen tuum.* Ecce quartus locus quo petit libertatem ad laudandum Deum. Erat siquidem Dauid egregius Psaltes: & propterea ordinat libertatem suam ad officium laudandi Deum. Quod cōstat eum deuotissimè impleuisse: condendo tot Psalmos ad laudem diuini nominis. & etiam personaliter psallendo.

In me coronabuntur iusti quando retribues super me. Quintus locus ab vtilitate sumitur aliorum iustorum, dicendo: *Quando retribues super me,* quando facies me regem, tunc non solus coronabor sed in me coronabuntur iusti: regnabunt enim tunc iusti.

Et appellat constitutionem sui in regem retributionem, non suis meritis sed diuinæ electioni de se factæ. Vel etiam quia ex reuelatione fuit differendam retributionem suæ patientiæ vsque ad tempus regni. Et sic non appellat regnum retributionem: sed tempus retributionis fore tempus coronæ regni. Et huic sensui consonat litera, vtens aduerbio temporis, *quando retribues.*

Aduerte quòd ex hoc fine Psalmi elicitur intelligentia in titulo posita. Ideo enim dixit allerruiè, in me coronabuntur iusti quando retribues super me: quia intellexit diuina illustratione quòd remuneranda esset sua patientia in aliccutione regni, in quo iusti gaudebunt. Vbi apparet eruditio de fouendo iustos. & non sola illustratio de futuro regno eius. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus Dauid quando persequebatur eum filius suus Absalom.*

CXLII.

DOMINE exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua exaudi me in tua iustitia.

2 *Et non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.*

3 *Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam.*

Collocauit me in obscuris sicut mortuos seculi:
4 *& anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.*

5 *Memor fui dierum antiquorum: meditatus sum in omnibus operibus tuis, in factis manuum tuarum meditabar.*

6 *Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi.*

IVXTA HEBRÆVM.

Psalmus Dauidi.

CXLIII.

1 *Propheta.* DOMINE [a] audi orationem meam, ausculta ad deprecationes meas: in veritate tua responde mihi in tua iustitia.

2 Et ne venias in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur [in] facie tua omnis viuens.

3 Quoniam persecutus est inimicus animam meam: contriuit ad terram vitas meas, fecit sedere me in tenebris sicut mortuos seculi.

4 Et collapsus est super me spiritus meus: in medio mei obstupescet cor meum.

5 Recordatus sum dierum ab antiquo: locutus sum in omnibus operibus tuis, in opere manuum tuarum recensebo.

6 Expandi manus meas ad te: anima mea quasi terra lassa ad te. *Selah.*

7 *Festina*

7 *Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus.*
Non auertas faciem tuam à me: & similis ero descendentibus in lacum.
8 *Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speraui.*
Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam.
9 *Eripe me de inimicis meis Domine, ad te*
10 *confugi: doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.*
Spiritus tuus bonus deducet me in terram
11 *rectam: propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua.*
Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes inimicos meos.
12 *Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum.*

7 Festina responde mihi Domine †: consumptus est spiritus meus: ne abscondas facies tuas à me, & comparabor cum descendentibus foueæ.
8 Fac me audire in mane gratiam tuam, quoniam in te confisus sum: fac me scire viam hanc [qua] ambulabo, quoniam ad te leuaui animam meam.
9 Libera me de inimicis meis Domine †: ad te abscondi.
10 Doce me ad faciendum voluntatem tuam, quia tu Deus meus: spiritus tuus bonus deducet me in terram rectitudinis.
11 Propter nomen tuum Domine †: viuificabis me in iustitia tua, extrahes de angustia animam meam.
12 Et in gratia tua: cædes inimicos meos, & fecisti perdere omnes angustatores animæ meæ, quoniam ego seruus tuus.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Psalmus Dauidi*. De quo vt suprà.

Materia. Materia Psalmi (vt ex ipso apparet) est persecutio Dauidis: vt tertius & vltimus versiculus clarè testantur. Et quoniam Dauid in hac persecutione petit non agi secum iudicio (vt patet in secundo versiculo) insinuat ex hoc quòd de persecutione quam iustè patiebatur tractat. Ex quo sequitur quòd non de persecutione quam innocenter passus est à Saule, sed de illa quam iustè passus est pro criminibus adulterij & homicidij tractat.

Vnde materia Psalmi est recursus Dauidis ad Deum in persecutione quam passus est ab Absalom.

SVMMARIVM EST.

Dauid fugiens à facie Absalon, recurrit ad Deum: petens vt non secum agat iudicio, tum quia intolerabile est cuilibet, tum quia iam publicè punitus recordatus est Dei & suimet: sed concedat opportuna in hac fuga. Et prophetat, in diuina veritate ac iustitia reducendum se cæsis inimicis.

Persona loquens Propheta est.

Vers.1. Domine avdi. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *& ne veni*. Proponit tres petitiones. Prima est: *Domine audi orationem meam*. Secunda, *ausculta ad deprecationes meas*. Tertia, *in veritate tua responde mihi in tua iustitia*.

Vbi nota pronomen *tua* ac si apertè diceret: Responde mihi non secundùm veritatem meam neque secundùm iustitiam meam (quoniam ego nec fideliter nec iustè egi) sed secundùm veritatem tuam & secundùm iustitiam tuam. Veritas tua est sic esse vt dixisti: ac per hoc quia dixisti firmum futurum regnum meum, veritatis tuæ erit quòd sit hæc firmitas. Iustitia quoque tua est vt fiat quod tu vis fieri: quoniam voluntas tua lex est: ac per hoc iustitia tua erit efficere quod vis, non quod ego merui. Vnde 2. Reg. 15. fugiens Dauid dicit ad Sadoc: *Si dixerit Dominus, mihi non places, præsto sum, faciat quod bonum est coram se.* *Responde*, inquit, *mihi*, non locutione sed opere adimpletiuo veritatis tuæ & iustitiæ tuæ. Dicere enim Dei est facere: ac per hoc respondere est facere satis seu adimplere. *Respondere Dei est facere satis, seu adimplere.*

Vers.2. Et ne veni. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *audi orationem meam*. Secundò illa, *ausculta ad deprecationes meas*, ibi, *festina*. Tertiò illa, *in veritate tua responde mihi in tua iustitia*, ibi, *spiritus tuus*. Explicat itaque orationem suam. *Et ne veni in iudicium cum seruo tuo* Hæc est oratio eius. In qua aduerte quòd non dicit in iudicium tuum, sed absolutè in iudicium cum seruo tuo. Desiderat enim quòd Deus iudicet secundùm ipsius Dei voluntatē: & propterea in præcedenti versiculo petit, *responde mihi in tua iustitia*. Sed refutat iudicari secundùm quòd meruit: hoc enim spectat ad iudicium absolutè: & propterea petit, *& ne veni in iudicium cum seruo tuo*. Ac si apertè diceret: noli mihi ius dicere seu efficere secundùm quòd merui.

Qvia non ivstificabitvr. Duas rationes affert petitionis suæ. Alteram communem sibi & reliquis. *Quia non iustificabitur facie tua omnis viuens*: hoc est, quia iudicium absolutè coram tribunali tuo intolerabile est cuilibet viuenti.

Vbi nota clausulam *faciebus tuis*: hoc est, referendo

referendo ad [illegible] bitum, nulla [illegible] innocens si [illegible] quod debe-tur Deo [illegible] quia non inue-nietur [illegible] ea optimè di-citur quod [illegible] tus iustifica-bitur [illegible] cum eo agatur. [illegible] è quòd multo [illegible] iudicio: quia [illegible] s potest exa-ctum [illegible] minùs ego qui [illegible] ro. Et valet [illegible] quia vis eius [illegible] iudicio ex-[illegible] damnat. Idem est [illegible] *omnis viuens*, [illegible] quia nullum [illegible] constat esse apud [illegible]

[illegible] VIVENS EST. Al-[illegible] tur: constans [illegible] ad curan-[illegible] sistit hæc ratio [illegible] xteriùs publi-[illegible] recognoui te [illegible] enim placatum [illegible] cum ser-[illegible]

[illegible] *eam*, publicè, [illegible] vitam meam [illegible] *meæ*, dum vi-[illegible] rendo omnia [illegible] *tus mortuus fa-*[illegible] mortuorum sim-[illegible] quòd Dauid fu-[illegible] Absalon [illegible] s seu spelun-[illegible] mortuorum: vt [illegible] sunt Patriarchæ. [illegible] ad Absalon de Dauid: [illegible] *foueis*. Et ipse Dauid [illegible] *abscondar in* [illegible]

[illegible] castigationi [illegible] Altera quòd [illegible] exanimes, *col-lapsus est* [illegible] Altera: *in me-* [illegible] Et tutorum *obstu-pescet*, refertur ad [illegible] *psus est*.

Non [illegible] in illa perse-cutione [illegible] collapsum, ne-que [illegible] magnitudinem malorum [illegible] m cogitantem & [illegible] describi per hæc erant [illegible] & peiora præ se ferentia, vt & [illegible] & lapsus animi merito [illegible]

Recordatus sum. Prosequendo rationem, ad-iungit quòd recognouit Deum. *Recordatus sum dierum ab antiquo*, quando elegisti me per Sa-muelem & deinceps: vel ab antiquo iudiciorum tuorum [illegible] puniendo modò istum, mo-dò illum: *locutus sum*, intra me meditando, *in operibus tuis*, iustitiæ & gratiæ, *in opere manuum tuarum recensebo*: hoc est perseueraturus sum narrando quæ fecisti manibus tuis. Vbi intelli-ge Dauidem in illa angustia recognouisse Deum non solum meditando, sed proponendo recen-sere in Psalmis opera manuum Dei: nam tam electio eius quàm redintegratio postea subsecuta speciale opus manuum Dei fuit: electio quidem propter crimen, vt Nathan prædixerat: redinte-gratio autem ex gratia: vt in calce huius Psal-mi dicet.

Expandi manus meas ad te. Recognoui te non solum meditando & proponendo, sed sup-plicando expansis manibus.

Anima mea sicut terra lassa ad te. Supererat quarto loco recognitio sui met. Et hæc modò describitur ad similitudinem terræ lassæ: hoc est terræ ineptæ ad fructificandum quia exhaustum est ex ea quicquid fructus percipi potuit. Hu-iusmodi terræ similem dicit animam suam acce-dentem nunc ad Deum: quia fructificauerat carni committendo adulterium & homicidium, & ex se inutilis erat Deo. In qua recognitione sui aduerte quòd quia dixerat *locutus sum & re-censebo*, ne intelligeres quòd hæc tanquam fru-ctus suos magnificaret Dauid, subdidit animam suam inutilem Deo. Ac si apertè diceret quòd hæc ipsa, dona tua non fructus mei, sunt & erunt.

Aduerte hic colligendo omnes rationis par-tes, quòd vis rationis consistit in hoc quòd di-uinum iudiciū ordinatur ad publicam vtilitatem: & huic satisfit per primam partem: ordinatur ad puniendum delinquentem, & huic satisfit per primam & secundam, ordinatur ad recognitio-nem Dei, & huic satisfit per tertiam: ordinatur ad recognitionem sui met delinquentis, & huic satisfit per quartam. Vnde apparet [illegible] ratio placatiua, *ne venis in iudicium cum seruo tuo.*

Vers. 7. FESTINA. Tractatur hic illa parti-cula, *ausculta ad deprecationes meas*: explicando quinque deprecationes suas iuxta quinque desi-derata in illa fuga. Ita quòd explicat quinque desideria sua quæ tunc habuit sub forma depre-cationum, præmittendo præambulam petitio-nem. *Festina responde mihi*, oportet. [illegible] in hac præambula petitione significatur vrgens necessi-tas subsequentium: propterea enim petit festi-nam exauditionem. Et necessitatem [illegible] *sumptus est spiritus meus*: hoc est ad finem [illegible] nem eorum quorum finitus est spiritus [illegible] sum: quia defecerat iam auctoritas regia [illegible] cerat virtus mouendi subditos.

NE ABSCONDE. Primum desiderium Dauidis in illa fuga fuit habere gratam faciem Dei cum effectu reuidendi arcam Dei: iuxta quod dixit ad Sadoc: *Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi arcam & tabernaculum suum.* Et propterea petit, *ne abscondas faciem tuam à me.* Humano more loquitur: [illegible] odiens aliquem abscondit faciem suam ab [illegible] è conuerso diligens aliquem non abscondit faciem suam ab illo. *Et comparabor cum descendentibus fouea*: hoc est quia si faciem [illegible] absconderis, similis ero mortuis: mortuis [illegible] sunt descendentes in foueam sepulchri: [illegible] dicit Deum abscondere faciem suam à se [illegible] sum Dauidem mori: immò ex illa absconsione [illegible] suam mortem causari. Et verè sic erat: [illegible] enim diuino iudicio sibi prædicto à Nathan [illegible] iectionem hanc euenire.

Vers. 8. FAC ME AVDIRE IN MANE [illegible] cundum desideratum tunc à Dauide fuit audire aliquod bonum nuncium per filios sacerdotum Achimaan & Ionathan: vt ibidem patet. [illegible] fuit adimpletum in manè: quia ad literam [illegible] tis allis nunciis, Dauid & sui transierunt Iorda-nem donec dilucesceret. Et propterea hic petit [illegible]

Quinque de-siderio Da-uid [illegible]

Dauid. Primum.

Secundum.

Fac me audire in mane, citò, hora opportuna, *gratiam tuam*, per nuncios: diuinæ siquidem gratiæ attribuit bonum nuncium. Et verè scriptum est, 2. Reg 17. *Domini nutu dissipatum est consilium Achitophel vtile*, quod illi nunciauerunt tunc Dauidi.

Quoniam in te confisus sum. Legitur enim, 2. Reg 15. quòd Dauid audiens Achitophel esse in coniuratione cum Absalom, orauit Deum: *Infatua quæso Domine consilium Achitophel*. Vndique ergo fiducia Dauidis in Deo apparet.

Tertium. FAC ME SCIRE. Tertium desideratum tunc à Dauide fuit cognoscere viam quà tutus erat vt saluare se posset. Et hanc cognouit ex prædictis nunciis, dicentibus: *Surgite & transite citò fluuium*, &c. Et propterea dicit: *Fac me scire viam hanc ambulabo*, hoc est qua ambulatorus sum: *quoniam ad te leuaui animam meam*, tum coram arca, tum in summitate montis in quo adorauit Dominum (vt in eodem patet capitulo) hoc est quoniam tibi obtuli vitam meam: vt patet ex supradictis verbis, *faciat Deus quod bonum est coram se.*

Quartum. *Vers.* 9. LIBERA ME. Quartum desideratum fuit liberari ab inimicis: *Libera me de inimicis meis Domine, ad te absconds.* Timens Dauid consilia Achitophel, suasit Chusi vt simularet se amicum Absalom ad dissipandum consilium Achitophel: vt patet 2. Reg 15. Quod postea Chusi adimpleuit: vt patet cap. 17 Hanc rem gestam, hoc suum desiderium explicat petendo. *Libera me de inimicis meis Domine:* ad te, ad sanctum finem, sub tua spe, *absconds*, Chusi Aracbitem sub specie amici Absalom. Et verè sanctum erat opus dissipare iniqua consilia.

Quintum. *Vers.* 10. DOCE ME. Quintum desideratum fuit facere voluntatem Dei. Vnde & tunc dixit: *Si mihi dixeris non places, præsto sum, faciat quod bonum est coram se.* Et propterea petit: *Doce me ad faciendum*, opere, *voluntatem tuam quia tu Deus meus:* par enim est vt faciam voluntatẽ Dei.

SPIRITVS TVVS BONVS. Tractatur hîc illa particula, *in veritate tua responde mihi in tua iustitia*: explicando diuinam exauditionem: tum in veritate eius, adimplendo promissa: tum in iustitia ipsius, non exigendo plus pœnæ. *Spiritus tuus bonus*, impulsus tui amoris erga bonum, *deduces me in terram rectitudinis:* hoc est in Hierusalem electam à te in terram rectitudinis diuini cultus, & consequenter morum & operationum.

Hierusalem vocat terram rectitudinis. Cur? Vbi nota duo. Alterum quòd ideo nominauit in proposito Hierusalem terram rectitudinis, vt commemoraret se meritò inde expulsum: vtpote qui in terra rectitudinis commisit iniquitates adulterij & homicidij. Alterum est quòd significanter exprimit spiritum bonum Dei se reducturum: quia reductio illa non credebatur futura à bono Dei spiritu propter crimina Dauidis, sed humanis viribus: & indigna videbatur. Ad hoc enim excludendum dicit, *spiritus tuus bonus deduces me.*

Et causam adiungit: *Propter nomen tuum Domine*, non propter nomen meum exaltandum aut redintegrandum, sed propter nomen tuum glorificandum. Valde enim glorificatur nomen Dei vsque hodie, in hoc quòd temperauit punitionem Dauidis, & reduxit eum ad præparandum templum Domini, & construendos Psalmos ad diuinum cultum, &c. *Viuificabis me in iustitia tua*, non in iustitia mea. Dixerat superius *collapsus est spiritus meus.* Et propterea modò dicit: *viuificabis me*, non exigente ampliorem pœnam iustitia tua: hoc est voluntate tua puniendi me.

Extrahes de angustia animam meam & in gratia tua. Assequendis bonis adiungit liberationem à malis: quæ tamen prius fuit quàm acquisitio bonorum. *Et in gratia tua*, non in meis meritis, *extrahes animam meam*, vitam meam, *de angustia*, in qua sum. Explicat gratiam, vt ex illa describat qualitatem diuinæ iustitiæ in qua dixit se viuificandum: quòd scilicet fuit iustitia temperata gratia.

Cades inimicos meos, & fecisti perdere. Demum explicat modum liberationis suæ cædendo & perdendo inimicos. Ad literam, 2. Reg. 18. cæsus est populus Israel qui erat cum Absalom: & facta est plaga magna in die illa, 20. millium. Vbi & occisus quoque Absalom est.

Et fecisti perdere omnes angustatores animæ meæ. Ordo præposterus est. Debet enim hæc clausula incipere à præterito, *& fecisti perdere omnes angustatores animæ meæ:* & deinde subiungi, *cades inimicos meos.* Ita quòd futurum *cades*, respicit præteritum *fecisti perdere*: intendit enim dicere Deo: Et fecisti exercitum meum, perdere, diruere, omnes angustatores animæ meæ. Et declarando effectum subiungit, *cades inimicos meos.*

Et causa apponitur: *quoniam ego seruus tuus:* hoc est quoniam ego electus sum à te in seruum tuum. Hæc est enim veritas in qua petit sibi responderi: vt scilicet adimpleat electionem quam de ipso fecit. Et hæc est ratio omnium antedictorum beneficiorum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Psalmus Dauid.*

CXLIII.

B*ENEDICTVS Dominus Deus meus: qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.*

IVXTA HEBRÆVM.

Dauidi.

CXLIV.

1 *Propheta.* BENEDICTVS Dominus[a]: petra mea, docens manus meas ad prælium† † *prælia.*
digitos meos ad bellum †. † *bella.*

2 Gratia

2 *Misericordia mea & refugium meum: susceptor meus & liberator meus.*
Protector meus & in ipso speraui: qui subdit populum meum sub me.
3 *Domine quid est homo quia innotuisti ei: aut filius hominis quia reputas eum?*
4 *Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut vmbra prætereunt.*
5 *Domine inclina cælos tuos & descende: tange montes & fumigabunt.*
6 *Fulgura coruscationem & dissipabis eos: emitte sagittas tuas & conturbabis eos.*
7 *Emitte manum tuam de alto: eripe me & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum.*
8 *Quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorum dextera iniquitatis.*
9 *Deus canticum nouum cantabo tibi: in psalterio decachordo psallam tibi.*
10 *Qui das salutem regibus, qui redemisti Dauid seruum tuum: de gladio maligno eripe me.*
11 *Et erue me de manu filiorum alienorum: quorum os locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera iniquitatis.*
12 *Quorum filij nouellæ plantationes: in iuuentute sua.*
Filiæ eorum compositæ: circumornatæ vt similitudo templi.
13 *Promptuaria eorum plena: eructantia ex hoc in illud.*
14 *Oues eorum fœtosæ abundantes in egressibus suis: boues eorum crassæ.*
Non est ruina maceriæ: neque transitus neque clamor in plateis eorum.
15 *Beatum dixerunt populum cui hæc sunt: beatus populus cuius Dominus Deus eius.*

2 Gratia mea & arx mea, roborator meus & liberator meus mihi, scutum meum & in ipso speraui: inclinans populum meum sub me.
3 Domine * quid Adam, & nosti eum? filius hominis, & reputasti eum?
4 Homo vanitati assimilatus est: dies eius quasi vmbra pertransiens.
5 Domine * inclina cælos tuos & descendes: tange in montibus & fumigabunt.
6 Coruscando corusca & disperges eos: mitte sagittas tuas, & stupefacies illos.
7 Mitte manus tuas de excelso: redime me & libera me de aquis multis, de manu filiorum alieni.
8 Quòd os eorum locutum est vanitatem: & dextera eorum dextera falsitatis.
9 Deus † canticum nouum cantabo tibi: in viola denaria psallam tibi. † De-
10 Dans salutem regibus: redimens Dauid seruum suum de gladio malo.
11 Redime me & libera me de manu filiorum alieni: quòd os eorum locutum est vanitatem, & dextera eorum dextera falsitatis.
12 Quòd filij nostri quasi plantæ adultæ in adolescentiis suis: [illegible] nostræ quasi anguli incisi similitudinis templi.
13 Anguli nostri pleni effundentes de alimento ad alimentum: [illegible] nostræ à millibus decuplatæ [illegible] pitis nostris.
14 Boues nostri sunt sufferentes: non est [illegible] ctio, & non est egressus, & non [illegible] mor in plateis nostris.
15 Beatitudines sunt populi, quòd sic [illegible]: beatitudines sunt populi, quòd Dominus * Deus eius.

COMMENTARIVS.

Titulus est: *Dauidi*. De quo vt supra.

Materia. Materia Psalmi, est gratias agere de prosperitate populi Israel, inchoata quidem tempore Moysi, firmata autem tempore regni Dauidis.

Quòd enim Psalmus tractet de felicitate populi Israel, clarè patet à 12. versiculo vsque ad finem Psalmi. Quòd verò describatur eadem ex regno Dauidis, facilè colligitur à versiculo nono vsque ad 12 iunctis primo & secundo versiculis. Quòd autem prosperitas populi describatur inchoata tempore Moysi, à tertio versiculo vsque ad octauum inclusiuè colligitur, vbi describitur quomodo Deus dedit legem populo in mōte Sinai, & liberauit eum de populis [illegible] inimicis eius. Hæc est igitur materia Psalmi.

SVMMARIVM EST.

Dauid vbi per modum laudis proposuit diuina beneficia & populo & sibi collata, [illegible]

dicit admirando diuinam bonitatem Deique beneficia erga humanam naturam: tum legis diuinæ: tum libertatis populi colentis ipsum. Indeque transiens ad noua beneficia sui regni, commemorat beneficia tum libertatis, tum prosperitatis, tum publicæ pacis, tum præcipuè diuini cultus.

Ex persona loquentis Propheta est.

Vers. 1. BENEDICTVS DOMINVS. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *gratia mea.* Proponit verum (scilicet *benedictus Dominus*) ratione duorum officiorum. Quorum primum est, *petra mea:* Alterum est: *docens manus meas ad prælium, digitos meos ad bellum.* Et intendit per officium petræ officium rupis seu saxi fundamentalis. Et est sensus: Benedictus Dominus firmum, fixum, solidum fundamentum meum. Per officium verò docendi manus & digitos ad bellum, intelligit diuinam opem præstitam Dauidi in bellis, in pugnis, &c.

Duellum cum Goliath fuit initium pugnarum Dauidis.

Meminit autem non solum manuum sed digitorum: tum vt perfectam opem in doctrina extendente se vsque ad digitos describeret: tum ad specialiter commemorandum felix initium pugnarum suarum: quod fuit in duello cum Goliath: nam percussit eum circumducendo fundam manu, & digitis doctè vtendo.

Vers. 2. GRATIA MEA. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *docens manus meas,* &c. Secundò tractatur illa particula, *benedictus Dominus petra mea,* ibi, *Domine quid.* Tertiò tractatur illa, *benedictus Dominus docens manus meas,* &c. *ibi Deus canticum nouum.* In quo ordine nota diligenter quòd prius tractat opem diuinam collatam sibi in bellis: & deinde laudat seu benedicit Deum secundùm vtrumque officium.

Multiplex modus quo Deus opem tulit Dauidi in bellis suis.

Commemorat itaque summariè multiplicem modum quo Deus opem ei tulit in bellis. Et ex parte quidem Dei modos quinque. Primus est gratis, dicendo: *gratia mea,* absque meis meritis. Secundus est tutum reddendo. *Et arx mea,* arcis enim est tutum reddere. Tertius est confortando, *roborator meus.* Quartus est saluando: *& liberator meus* mihi: Addidit *mihi,* ad differentiam eorum qui liberantur aliis: hoc est ad seruitium aliorum, ipse enim liberatus est sibi: hoc est vt ipse regnaret. Quintus est defendendo: *scutum meum.* Et breuiter omnia Deo tribuere intendit.

Ex parte verò sui vnum tantùm commemorat concurrisse: scilicet spem in Deo. Et propterea subdit: *& in ipso speraui.* Et demum effectum tantæ diuinæ opis & suæ in Deo fiduciæ subdit: *inclinans populum meum sub me.* Inclinauit enim Deus populum Israel vt esset subditus Dauidi: vt patet 2. Reg. 3. & 5. vbi describitur quòd auctoritate verborum Domini inductus est populus Israel ad eligendum Dauidem in regem.

Vers. 3. DOMINE QVID HOMO. Tractatur hîc illa particula, *benedictus Dominus petra mea:* commemorando beneficium quo Deus dignatus est tradere legem generi humano in monte Sinai: hoc enim est velut fundamentum populi qui tunc incepit esse populus: & est fundamentum cæterorum beneficiorum. Inchoat autem Dauid hoc beneficium, admirando quòd Deus tanti æstimauit hominem vt dignatus sit curam illius habere dando ei legem sic mirabiliter.

Domine quid Adam, & nosti eum? Adam naturæ humanæ nomen est. Et humano more admirando dixit: *quid Adam, & nosti eum,* notitiâ curæ specialis. Tanquam diceret: homo indignus est vt à te dirigatur, à te doceatur, à te tractetur.

Filius hominis, & reputasti eum? Auget vilitatem hominis dicendo: *quid est filius hominis?* vilius siquidem est esse filium hominis (vt nos sumus) quàm esse hominem: vt fuit primus parens. Vnde & Iob miserias humanas computans, dixit: *Homo natus de muliere.* Vbi apposuit *natus de muliere,* ad augmentum miseriæ hominis. *Et reputasti eum,* magnipendisti eum, efficiendo ipsum tuum discipulum, efficiendo te instructorem illius.

Vers. 4. HOMO VANITATI ASSIMILATVS EST. Declarat quare dixit; quid homo, quid filius hominis? Ex parte animæ, *vanitati assimilatus est.* Non dixit *vanus est:* quia anima est immortalis: sed *vanitati assimilatus est:* quia factus est sicut id cui studet, quod diligit. Diligendo enim vana & studendo vanis, assimilatus est vanitati: iuxta illud Oseæ 9. *Facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt.* Oseæ 9.

Ex parte verò corporis, *dies eius quasi vmbra pertransiens.* Cursus nostræ corporalis vitæ assimilatus vmbræ transeunti: quæ sic transit vt nec vestigium sui relinquat: iuxta illud Sapient. 2. *& post hæc erimus tanquam non fuerimus.*

Vita nostra est vmbra transiens.

Vers. 5. DOMINE. Post admirationem subiungit beneficium datæ legis: declarando *& reputasti eum.* Sed aduerte quòd rem gestam subiungit per modum petitionis: ad significandum desiderium humani generis ad hoc vt instrueretur à Deo. Indigebat siquidem genus humanum diuina lege: vtpote iam ferè totum aberrans. Et propterea indigentis naturæ desiderium repræsentatum in populo electo ad diuinum cultum explicat Propheta supplicando inducens rem gestam, *inclina cælos tuos.*

Modus descendendi hîc scriptus (scilicet *inclinando cælos*) metaphorici est sermonis. Quia enim cælum sedes Dei dicitur, inclinatio cælorum est inclinatio sedis: tanquam Deus sedens descenderit: sicut cùm princeps gestatus in sede, descendit sede inclinata: hoc est demissa. Vnde maiestas Dei per hoc significatur condescendens ad instruendum hominem modo congruo humano generi. Quia enim prius instruxerat Deus hominem spiritualiter (scilicet per lumen naturale omnes, & per reuelationem spiritualem aliquos: quod erat velut Deum sistere in celsitudine sedis suæ) & dando legem sensibiliter non seruauit rigorem debitum, inde secundùm Dei excellentiam hinc secundùm hominis vilitatem floccipendendam; ideo desiderium huius inclinationis describitur. Et intendit quòd Deus tanti reputauit hominem quòd inclinauit cælos suos, quòd condescendere disposuit ad sensibiliter publicè & euidenter instruendum hominem.

Et descendes. Exod. 19. scribitur quòd descendit Dominus super montem Sinai: hoc est in effectu & signo sensibili apparuit. *Tange montes,* velut pedibus calcans montem, *& fumigabunt.* Scribitur enim ibidem: *Totus autem mons Sinai fumabat: eo quòd descendisset Dominus Deus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace.* Exod. 19.

Coruscando

Coruscando corusca. Scribitur ibi: *& ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura.* *Et disperges eos:* Subiungitur enim in cap. 20. *Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinæ montemque fumantem. & perterriti ac pauore percussi steterunt procul.*

Exod. 20.

Et propterea subditur. *Mitte sagittas tuas, & stupefacies illos.* Stupefacti & dispersi describuntur à fulguribus & sagittis: quia territi à fulguribus (quæ sagittas appellat) elongauerunt se à monte.

Vers. 7. MITTE MANVS TVAS DE EXCELSO. Declarat quare dixit *& misit eum:* explicando specialem curam Dei erga populum Israel, monstratam liberando eum ab inimicis.

Mitte manus tuas de excelso, redime me & libera me de aquis multis. Summariè tangit liberationem populi ab Amalechitis, Amorrhæis & aliis à quibus liberatus fuit populus diuina manu tempore Moysi & Iosue. Aquæ enim multæ populi sunt multi: vt testatur Ioann. Apocalyps. 17.

Aquæ multæ sunt populi multi.

Alieni, populi seu parentis à populo Israel, à patre nostro Iacob. Et nota quòd Dauid per pronomen *me*, monstrat seipsum in publico populo Israel: iam enim dictum est quòd gratiarum actionis est ille sermo: & beneficium præstitum populo, recognoscit beneficium sibi præstitum.

Vanitatem. Describuntur extranei populi à vanitate linguæ & à dextera falsitatis, ad differentiam populi Israel electi à Deo: cuius lingua legem Dei sonat: illorum autem vanas fabulas. Et similiter dextera populi Dei (hoc est vis defensiua & pugnatiua) est dextera veritatis: quoniam non est fallax: vtpote virtus diuina. Dextera autem illorum est dextera falsitatis: quia est fallax: vtpote vis humana.

Et respondent hæc duo duobus supra inductis beneficiis: nam os vanitatis opponitur beneficio legis: & dextera falsitatis opponitur manui diuinæ missæ de excelso ad liberandum populum.

Vers. 9. DEVS CANTICVM NOVVM. Tractatur hic illa particula, *Benedictus Dominus docens manus meas*, &c. Recensendo beneficia collata specialiter ipsi Dauidi & populo sub regno eius.

Vbi nota quòd inchoans à gratiarum actione dicit se cantaturum canticum nouum propter nouum statum populi: ex hoc enim quòd nouum canticum explicat, nouitatem status significat. A tempore siquidem Moysi vsque ad Saulem, status populi fuit sub ducibus & iudicibus: à Saulis autem tempore mutatus est status populi in regnum. Vnde ex hoc ipso quòd Dauid canticum nouum cantaturum se dicit, subiungens statum regium statum, dicendo *dans salutem regibus*, declarat hactenus dicta spectare ad statum antiquum populi: dicenda autem spectare ad nouum statum populi quo iam erectus est in regnum.

In viola decachordo, idest decem chordarum.

Vers. 10. DANS SALVTEM REGIBVS. Materiam noui cantici (nouum scilicet statum populi) incipit declarare: declarans Deum saluare reges. Et dixit hoc: quia (vt patet 1. Reg. 8. & 12.) creatio regum videtur displicuisse Deo: ac per hoc quasi reprobus regius status in populo Israel credi potuisset.

Ad excludendum ergo hanc falsam opinionem dicit Deum saluare reges. Ac si apertè diceret quòd licet non placuerit tibi petitio populi petentis regem ad similitudinem aliarum gentium: ex quo tamen consensisti, tu es dans salutem regibus populi tui. Et dixit pluraliter *regibus* non solùm quia dederat iam salutem pluribus regibus populi (scilicet Sauli & ipsi: plurics enim Deus vtrumque saluauerat regem) sed quia ad literam de statu regio loquitur, in quo plures succedunt reges. Ac si apertè diceret: dans salutem statui regio populi tui in succedentibus sibi regibus.

Redimens Dauid seruum suum de gladio malo. Potest hoc referri ad gladium Goliath: vt intelligamus Dauidem specialiter meminisse beneficij quod fuit initium liberationis eius. Melius tamen referri videtur hoc ad gladium Iesbidenob de genere giganteo, qui deficientem Dauidem regem in prælio, nisus est ense nouo percutere: vt scribitur, 2. Reg. 21. Hæc enim propriè fuit redemptio Dauidis regis de gladio malo: quoniam tunc tanquam redemptus de gladio fuit: quia parum abfuit quin percuteretur. Vnde & tunc iurauerunt viri eius: *Iam non egredieris nobiscum in bellum, ne extinguas lucernam Israel.*

Gladius Iesbidenob.

Vers. 11. REDIME ET LIBERA ME DE MANV FILIORVM ALIENI, &c. Per hæc duo verba colligit vniuersa beneficia diuina collata sibi & suis in vniuersis præliis contra tot extraneas nationes. Et licet possit textus intelligi de deprecatione contexuè vt litera sonat: magis tamen quadrat [illegible] gratiarum superioris partis vt deprecatio ista [illegible] tum actio, recolens percepta iam beneficia [illegible] ducta per modum deprecationis, ad [illegible] bene-dum seipsum olim supplicantem pro [illegible] com-ficiis. Potes nihilominus intelligere qu[illegible] catione memorantur percepta beneficia dep[illegible] com-modo, ad obtinendum conseruation[illegible] eorundem.

De manu filiorum alieni, quòd os eorum [illegible] petit conditiones populorum extraneo[illegible] superiùs scriptas & expositas. Vbi ad[illegible] simile beneficium diuinæ opis liberati[illegible] extraneis, describi in vtroque statu populi [illegible] ficandum non minus gratum esse De[illegible] regium populi sui, quàm statum eiusde[illegible] do erat sub ducibus, Moyse & Iosue, [illegible] enim ad literam Dauid cum populo su[illegible] tus de manu omnium extraneorum: ne[illegible] liberatus, sed inde magna subsecuta est [illegible] tas immo felicitas populi: quæ conse[illegible] describitur.

Vers. 12. QVOD FILII NOSTRI [illegible] PLANTÆ ADVLTÆ. Coniunctio *quòd* [illegible] iam significat totius subscriptæ prosper[illegible] liberationem Dauidis de manu extranea[illegible] tionum. Et est sensus: *liberasti me ita quòd* [illegible] *sunt filij nostri*, &c.

Aduerte hic describi octo partes felicitatis [illegible] laicæ: quibus demum additur nona fortuna [illegible] ratio reliquarum.

Prima est: *Filij nostri in adolescentia sua sicut nouellæ plantæ adultæ.* In qua pulchritudo, vegetatio [illegible] robúrque iuuentutis tangitur.

Filiæ nostræ quasi anguli incisi similitudine templi. Secunda est pulchritudo mulierum, significata ex membrorum & lineamentorum commensuratâ formatione sicut anguli [illegible] hoc

[illegible] nouellæ [illegible] plantæ.

hoc est, sicut anguli statuaria arte incisionibus figuram: & non qualescunque tales anguli, sed similitudinis templi: hoc est, similes angulis qui solent sic fieri in templis: quæ sunt loca celeberrima. Intendit enim per hoc dicere quòd filiæ nostræ sunt ita bene formatæ sicut sunt figuræ in angulis templorum exactis incisionibus formatæ: adhibetur enim in illis magna diligentia vt commensurata sint membra, &c. Vel significatur ornatus mulierum ad similitudinem ornatus statuarum muliebrium in templis, quæ pulchris & pretiosis ornamentis decorantur: ita quòd anguli similitudinis incisi, appellantur statuæ incisæ ad similitudinem mulierum. Et ponitur locus pro locato: quia in angulis templorum erant fixæ tales statuæ. Et iuxta hunc sensum esset ordinanda litera. Sicut templi anguli similitudinis incisi.

Abundantia frugum. *Vers.* 13. ANGVLI NOSTRI PLENI. Tertia est abundantia frugum. Quæ describitur tanta quòd quilibet anguli pleni sunt frugibus: & (quod amplius est) effundentes de alimento in alimentum. Quod potest referri vel ad diuersa alimentorum genera: puta quòd domus plena tritico, effundit triticum in hordeum: & alia huiusmodi, vel ad alimenta succedentia de anno in annum: quòd alimentum vnius anni effundit in alimentum sequentis. Et vtroque modo attestatur magnæ abundantiæ.

Ouium. *Oues nostræ.* Quarta est multiplicatio ouium. Quæ describitur tanta quòd mille multiplicantur in decem millia: hoc enim significatur dicendo: *à millibus decuplata in compitis nostris*: hoc est, in locis multarum viarum ad quæ conueniunt. Et quod dicitur de ouibus, intellige de reliquis animalibus gregalibus.

Boum. *Vers.* 14. BOVES NOSTRI. Quinta, robur animalium portantium siue trahentium & huiusmodi. Et hæc describitur à robore boum. *Boues nostri sufferentes* laborem tum arandi tum trahendi currus, &c. Et in his intellige robur similium animalium ad opera & similia.

Non fractio. Sexta, vnitas ciuitatis est. Et hæc describitur per negationem fractionis: quia non erant in ciuitatibus schismata, seditiones, fractiones, &c. Ita quòd sensus est: *non fractio populi*, supple est.

Et non egressus. Septima est quies populi. Et hæc describitur per negationem egressus: quia nullus iam est egressus populi ad pugnandum cum inimicis, tanta est populo data quies.

Et non clamor in plateis nostris. Octaua est iustitia. Quæ significatur per negationem clamoris in plateis. Vbi enim non est iustitia, clamores in plateis audiuntur oppressorum. Et propterea ex negatione clamoris in plateis, iustitia significatur vigens.

Beatitudines sunt, *populi*, nostri, *quòd sic ipsi*, quòd sic vt descriptum est ipsi (beatitudines inquam beatitudine politica) *beatitudines*, sunt verè, *populi quod Dominus Deus eius.* Nona pars beatitudinis adiungitur, hoc est, vera religio. Quæ significatur per hoc quòd Dominus vniuersorum est Deus eius: hoc est, Deus qui colitur ab ipso, & cuius Dominus dignatur esse Deus, dignatur coli ab ipso: ex magna enim Dei gratia conceditur hominibus quòd Deus sit Deus noster, quòd dignetur se exhibere nobis colendum.

Vbi nota quòd hæc pars non inducitur sicut aliæ inductæ sunt: sed vt æquiualens, imò vt superans omnes simul. Vt æquiualens quidem: quoniam de omnibus simul dictum est beatum esse populum quòd sic ipsi: & de hac vna eisdem verbis dictum est beatum esse populum quòd Dominus est Deus eius. Vt superans autem: quia tanquam corrigendo, aut potiùs omissam formam, radicémque beatitudinis supplendo adiunxit beatum esse populum quòd Dominus est Deus eius. Ac si apertè diceret: beatitudo quà dixi beatum populum quòd sic est, ipsi est ex beatitudine qua beatus est populus, quia Dominus est Deus eius: non enim ex præcedentibus octo beatus esset populus, nisi beatitudinem hanc haberet quòd Dominus est Deus eius; tum quia ex hac radice prodierunt omnes illi fructus: tum quia hæc religio perficit, format, seruat omnes fructus illos.

Vbi prudens lector animaduerte Dauidem benedicere Deum, qui ipso Dauide regnante sic eum liberauit ab extraneis, quòd populus felicitate politica simul & veræ religionis gaudet. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Laudatio Dauid.*

CXLIV.

EXALTABO te Deus meus rex: & benedicam nomini tuo in seculum & in seculum seculi.

2 *Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in seculum & in seculum seculi.*

3 *Magnus Dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis eius non est finis.*

IVXTA HEBRÆVM.

Laus Dauidi.

CXLV.

1. *Aleph. Propheta.* EXALTABO te Deus meus, & benedicam nomen tuum seculo & semper.

2 *Beth.* In omni die benedicam te & laudabo nomen tuum seculo & semper.

3 *Ghimel.* Magnus Dominus [4] & laudatus valde: & magnitudini eius est non inuestigatio.

4 *Generatio & generatio laudabunt opera tua: & potentiam tuam pronunciabunt.*

5 *Magnificentiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabunt.*

6 *Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuam narrabunt.*

7 *Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt: & iustitia tua exultabunt.*

8 *Miserator & misericors Dominus: patiens & multum misericors.*

9 *Suauis Dominus vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius.*

10 *Confiteantur tibi Domine omnia opera tua: & sancti tui benedicant tibi.*

11 *Gloriam regni tui dicent: & potentiam tuam loquentur.*

12 *Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam: & gloriam magnificentiæ regni tui.*

13 *Regnum tuum regnum omnium seculorum: & dominatio tua in omni generatione & generatione.*

Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis.

14 *Allevat Dominus omnes qui corruunt: & erigit omnes elisos.*

15 *Oculi omnium in te sperant Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno.*

16 *Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione.*

17 *Iustus Dominus in omnibus vijs suis: & sanctus in omnibus operibus suis.*

18 *Prope est Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate.*

19 *Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & saluos faciet eos.*

20 *Custodit Dominus omnes diligentes se: & omnes peccatores disperdet.*

21 *Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicet omnis caro nomini sancto eius in seculum & in seculum seculi.*

4 *Daleth.* Generatio generationi laudabit opera tua: & fortitudines tuas annunciabunt.

5 *He.* Pulchritudinem honoris laudis tuæ, & verba separatorum tuorum loquar.

6 *Vau.* Et fortitudinem terribilium tuorum dicent: & magnitudines tuas recensebo.

7 *Zain.* Memoriam multi boni tui effluent: & iustitiam tuam cantabunt.

8 *Cheth.* Misericors & miserator Dominus[a]: longus irarum & magnus gratiæ.

9 *Teth.* Bonus Dominus[a] omnibus: & misericordiæ eius super omnia opera eius.

10 *Iod.* Confitebuntur te Domine[a] omnia opera tua: & gratiosi tui benedicent te.

11 *Caph.* Honorem regni tui dicent: & fortitudinem tuam loquentur.

12 *Lamed.* Ad faciendum scire filios † Adam fortitudines eius: & honorem decoris regni eius. † filijs.

13 *Mem.* Regnum tuum regnum omnium mundorum: & potestas tua in omni generatione & generatione.

14 *Samech.* Sustentans Dominus[a] omnes cadentes †: & erigens omnes deiectos †. [a] om- † omnibus cadentibus. † omnibus deiectis.

15 *Hain.* Oculi omnium ad te spectabunt: & tu dans eis cibum suum in tempore suo.

16 *Pe.* Aperiens manus tuas: & satiurans omne viuum † complacentia. † omni viuo.

17 *Zadi.* Iustus Dominus[a] in omnibus viis suis: & gratiosus in omnibus operibus suis.

18 *Coph.* Propinquus Dominus[a] omnibus vocantibus illum, omnibus qui vocabunt illum in veritate.

19 *Res.* Voluntatem timentium se faciet, & clamorem eorum audiet: & saluabit eos.

20 *Sin.* Custodiens Dominus[a] omnes diligentes se: & vniuersos impios destruet.

21 *Thau.* Laudem Domini[a] loquetur os meum, & benedicet omnis caro nomen sanctitatis eius: seculo & semper.

COM

COMMENTARIVS.

Materia. Titulus est: *Laus Dauidi*. Ex quo apparet tam autor Psalmi quàm materia in genere: hoc est quòd materia Psalmi est laudare Deum. In specie autem (vt Psalmus ipse præ se fert) materia est laus Dei regis totius vniuersi, & specialiter iustorum ac iniquorum: in hoc enim clarè occupatur totus Psalmus.

SVMMARIVM EST.

Propheta laudaturus Deum regem vniuersi, ubi immensitatem Dei notam de generatione in generationem, publicumque cultum Dei cum miraculis subsecutum descripsit, laudat Deum regem a regno, à bonitate omnia conseruante, à gratia, à misericordia erga colentes, timentes ac diligentes se, & a longitudine irarum erga inimicos.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. Psalmus vltimus inter Psalmos Alphabeticos. EXALTABO. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *magnus Dominus*. Vbi ante omnia aduerte quòd Psalmus iste est vltimus inter Psalmos Alphabeticos: deest tamen ei vna litera, scilicet *Nun*.

Proponit duo laudanda: scilicet Deum regem, & nomen eius. Proponit duos modos laudandi: scilicet per modum exaltationis, dicendo *exaltabo*: & per modum benedictionis seu laudis, dicendo: *benedicam laudabo*. Proponit differentiam temporum: dum dicendo *in omni die benedicam*, determinat tempus benedicendi Deũ esse quotidie: dicendo autem *exaltabo* sine aliqua temporis adiectione, alterius rationis tempus significat. Proponit bis laudandum nomen Domini, non sine mysterio, sed ad significandum duplicem statum nominis Dei, hoc est notitiæ humanæ de Deo: nomen enim Dei ad Deum notum ac nominatum à nobis spectat. Aliter autem notus ac nominatus fuit Deus tempore priscorum patrum vsque ad datam legem, & aliter pòst. Vnde Exod. 6. dicit Deus ad Moysen: *Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meum Adonai non indicaui eis*. Intendit enim Propheta laudare Deum secundùm nomen notum priscis patribus (hoc est secundùm immensitatem potentiæ eius) & secundùm nomen manifestatum in lege: hoc est secundùm misericordiam, gratiam, bonitatem, &c. (Deus variè nominatus.)

Exaltabo te, non in teipso sed in humana notitia & laude. Et aptè exaltationis nomine vtitur proponens statum priscorum patrum: erat enim diuina notitia tempore illorum tanquam in statu augmenti: & propterea velut exaltandus Deus in humana notitia describitur.

Rex. Multi asserentes Deum esse, negant ipsum esse regem vniuersi: dum negant eius prouidentiam. Et ideo Propheta proponit exaltandum Deum regem: hoc est gubernantem vniuersum: hæc est enim præcipua intentio Psalmi.

Nomen tuum. Multi vsurpantes sibi licentiam venerandi Deum quocunque modo, Deum tanquam arcanum quiddam, ignotum & innominatum asserunt. Contra quos Propheta proponit *benedicam nomen tuum* quo notus ac nominatus es rex vniuersi.

Sæculo & semper. Non refertur æternitas ad mensurandum benedictionem: quia non intendit dicere quòd ego semper benedicam, sed refertur ad rem benedictam: scilicet Deum regem & nomen eius; est enim sensus: Exaltabo te existentem sæculo & semper: & similiter benedicam nomen tuum sæculo & semper, vtpote nunquam deficiens. Possunt tamen hæc de benedictione verificari in successu generationum ad laudandum Deum.

In omni die benedicam te. Status diuinæ laudis datâ lege, proponitur per hoc quòd omni die benedicendus proponitur Deus. Imperfectio siquidem prioris status non erat semper perseueratura: & propterea non proposuit, exaltabo in omni die. Perfectio autem notitiæ a tempore legis habita, duratura semper est: & propterea proponit Propheta quòd in omni die benedicam te, supple Deus meus Rex, & laudabo nomen tuum, amplius manifestatum, sæculo & semper, indeficiens.

Vers. 3. MAGNVS DOMINVS. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *Exaltabo te*, &c. Secundò illa, *in omni die*, &c. Et ibi tractabitur simul repetita particula, *benedicam & laudabo nomen tuum*.

Exaltat itaque Propheta Deum, describendo quæ & quomodo nota fuerunt de Deo tempore priscorum patrum vsque ad legem, tali ordine. Primò describit quid tunc fuit notum de Deo. *Magnus Dominus*, fuit cognitum tunc quòd Deus est magnus, non mole sed virtute: & magnitudini eius non inuestigatio: hoc est, est ita magnus vt magnitudo eius non sit inuestigabilis, super omnem inuestigationem. Quod est dicere, magnitudo eius est infinita: nam omnis magnitudo finita est inuestigabilis. *Et laudatus valde*. Ne putaretur Deus omnino ignotus, ex eo quòd est magnus & magnitudo eius non est inuestigabilis, apposuit *& laudatus valde*: hoc est cognitus dignus omni laude, & de facto laudatus. (Immensitas Dei & laus eius priscis nota.)

Vbi describuntur duo in prisco statu: scilicet immensitas Dei, & laus eius. Et vtrumque quadrat allato testimonio ex Exod. 6. Apparui Abraham, Isaac & Iacob in Deo omnipotente. Omnipotentia enim est magnitudinis diuinæ: & apparitio infert laudem.

Generatio generationi. Describitur consequenter modus quo diuina hæc notitia perseuerauit: scilicet non per scripturas sed per traditionem. *Quia generatio*, patrum, *generationi*, filiorum, *laudabit opera tua*, creationis & aliorum quæ postea Moyses reuelauit in Genesi: *Et fortitudines tuas annunciabunt*. Fortia opera (vt opus diluuij & euersionis Sodomæ, &c.) fortitudines appellat. Futura *laudabit* & *annunciabunt*, ad præteritum *laudatus* referuntur.

Vers. 5. PVLCHRITVDINEM. Post descriptam notitiam & modũ apud priscos, describit notitiæ augmentum tempore Moysi, ante tamen legem: hoc est à principio quo Moyses missus est ad populum

populum educendum de Ægypto vsque ad completum transitum maris rubri.

Pulchritudinem honoris laudis tuæ & verba separatorum (id est mirabilium) *tuorum loquar.* Duo per Moysem proposita ad educendum populum tangit. Alterum quòd populus vocabatur ad sacrificandum Deo in deserto, & consequenter in terra promissionis. Et quoad hoc dicit: *Loquar pulchritudinem honoris laudis tuæ:* hoc est, honorabilem pulchritudinem tuæ laudis. Volebat enim Deus quòd populus laudaret ipsum pulchritudine honorabili. Vnde Moyses dixit ad Pharaonem: *Abominationem Ægyptiorum immolabimus Deo nostro*: Exod 8. Alterum quòd missus erat ad faciendum prodigia & miracula palam in Ægyptiis. Et quoad hoc dicit: *Et verba separatorum tuorum loquar.*

Et fortitudinem terribilium tuorum dicent. Effectus subsecutus ex his propositis describitur: quòd Hebræi & Ægyptij dicent fortitudinem, potentiam, tuorum terribilium, prodigiorum quæ facta sunt per manum Moysi. Vbi nota diuersum modum: dum duo prima explicat in prima persona singularis numeri, *loquar*: hunc autem effectum explicat in tertia persona pluralis numeri, *dicent*: ex ipso introducendi modo describens ordinem rei gestæ: quòd Moyses dicebat prima: & communiter omnes dicebant terribilia subsecuta.

Et magnitudines tuas recensebo. Iterum redit ad primam personam, describens verba Moysi super mare rubrum, quando superueniente Pharaone, cum exercitu suo populus existens cum Moyse perterritus est valde. Tunc enim Moyses animauit populum, commemorans magnam Dei potentiam: *State & videte mirabilia Domini*, Exod. 14. Hoc enim tangit dicens: *Et magnitudines tuas recensebo.*

Et ecce effectum in tertia persona: *Memoriam multi boni tui effluent, & iustitiam tuam cantabunt.* Lætitia & gratiarum actio populi Israel submerso Pharaone cum suis, tangitur: & quòd cantauerunt in cantu iustitiæ Dei quæ submerserat Ægyptios, & in effusa gratiarum actione commemorando bonitatem diuinam multipliciter sibi communicatam. Metaphorico sermone describit: *Effluent memoriam multi boni tui*, ad similitudinem vasorum ex plenitudine vndique redundantium: tunc enim recordari tot bonorum quæ & ipsi & patres eorum receperunt à Deo, tam pleni recordationibus describuntur vt effluerent laudando Deum ob multitudinem beneficiorum diuinorum.

Vers 8. MISERICORS ET MISERATOR. Tractatur hic illa particula, *in omni die*, &c. Hactenus enim descripsit exaltationem Dei in lætitia & laude patrum vsque ad tempus legis: deinceps intendit describere Dei notitiam ac laudem à tempore legis. Et quoniam proposuit non solum benedicendum Deum regem, sed nomen eius tam cognitum ante legem quàm sub lege, ideo inchoat à nominibus diuinis notis: & deinde laudat ipsum nomine Regis: & successiuè secundùm alia nomina hic proposita: scilicet quòd bonus est, quòd misericors, miserator, magnus gratiæ & longus iratum: vt sic nihil remaneat propositorum non tractatum.

Quatuor Dei Regis nomina manifestata in Lege.

Proponit itaque quatuor nomina Dei Regis manifestata in lege: Quorum tamen quartum computandum est cum nominibus notis prisco statui: quoniam spectat ad creationem & conseruationem rerum, quàm generatio generationi tradebat.

Misericors & miserator. Primum nomen ex interno affectu ad miserendum & exteriori opere subleuante miserias, duplici vocabulo exprimitur.

Longus irarum. Secundum nomen à similitudine hominum qui dicuntur longi in expeditione negotiorum (quia scilicet protrahunt negotia in longum) describitur: significans quòd Deus protrahit vindictas in longum: hoc est non citò punit, sed differt punire & vindicare: hoc enim significat *longus irarum.*

Magnus gratiæ. Tertium nomen clarum est. Vbi prudens lector aduerte duo prima nomina respicere malum vel subleuandum vel puniendum: hoc autem tertium respicere bonum sine meritis conferendum.

Bonus Dominus omnibus. Quartum nomen à communicatione diuinæ bonitatis, non istis aut illis sed omnibus rebus.

Et misericordia eius. Explicatur modus quo diuina bonitas omnibus communicatur: scilicet sic quòd in miseria essent res omnes si non participarent diuinam bonitatem. Hoc enim significatur dicendo: *Et misericordia eius super omnia opera eius*: hoc est tollentes ab omnibus operibus eius statum miseriæ. Et per miseriam intellige hic nihilum. Est enim sensus quòd Deus est bonus omnibus sic quòd velut affectu miserentis, subleuat omnia de nihilo: in omnibus enim operibus Dei inuenitur aliquid creatum ex nihilo. Et rursus in omnibus operibus Dei inuenitur semper subleuatio ab aliquo malo seu aliqua priuatione, non ex debito aut necessitate aliqua, sed tanquam ex affectu miserentis à Deo procedens. Et propterea meritò dicitur, *Et misericordia eius super omnia opera eius.*

In omnibus Dei operibus duo inueniuntur.

Nota hic Moysem, Exod. 34. Hæc Dei nomina dixisse transeunte Domino: vt inde insinuem quòd sempea quæ hic recensentur, est de reuelata notitia Dei tempore Moysi sermo.

Vers. 10. CONFITEANTVR TI. Explicatis nominibus quatuor Dei Regis valuerorum. Et primò incipit Propheta exequi proposita: tum laudem Dei regis in principio propositi: ab omnibus operibus Dei, dicendo: *Confiteantur te Domine omnia opera tua*: non quòd res omnes intellectum habeant confitendi Deum: sed quia res omnes materia sunt laudandi Deum, nullumque est Dei opus quod non sit materia laudis diuinæ. Et in hoc dicto clauditur quòd nullum opus Dei est turpe aut malum aut vituperabile (sicut sunt multa opera hominum) sed quodlibet Dei opus est materia laudis diuinæ. Maxima est artificis laus, cuius omne opus est materia laudandi artificem: & sic magna Dei laus quòd omne opus eius est materia laudis diuinæ.

Et gratiosi tui benedicent te. Non dixit & omnes homines, sed *gratiosi tui*: à virtute beneficentiæ gratuitæ, explicans iustos laudantes Deum, ad differentiam iniquorum qui non laudant Dominum: eo quòd eorum iniquitas non est opus Dei.

Honorem regni tui dicent, & fortitudinem tuam, hoc est omnipotentiam tuam, *loquentur*, gratiosi tui. *Hæc duo prædicabunt Prophetæ tui,* sacerdotes

sacerdotes tui, &c. *Ad faciendum scire filios Adam fortitudines tuas*, Dei: *& honorem decoris regni tuas.* Ad literam describuntur Moyses, Prophetæ & reliqui ministri legis annunciantes populo honorem diuini regni: hoc est honorem non turpem, non sordidum, non obscœnum, sed decorum, debitum Deo quia rex est totius vniuersi, & potentiam Dei extendentem se super omnia: ad hoc vt sciant vniuersi filij hominum vtrumque horum. Et dixit hoc ad differentiam prisci status ante legem: in quo non annunciabantur publicè populo ea quæ Dei sunt: non enim habebant legem, neque erat populus liber: sed erant doctrinæ domesticæ patribus instruentibus filios: & sic de generatione in generationem. Ita quòd per hoc describitur ampliata & magnificata notitia ac laus Dei publicè.

Vniuersalitas rerum & temporũ sub regno Dei.

Vers. 13. REGNVM TVVM. Explicat Propheta vtrumque annunciatum. De regno quidem: *Regnum tuum regnum omnium mundorum*, comprehensiuum est: non quòd plures sint mundi: sed quia si essent plures, quotcunque essent comprehenderentur sub regno tuo. Quamuis etiam pluralitas mundorum referri possit ad diuersos status: prout distinguimus mundum præsentem à mundo futuro. Vel etiam ad diuersas maximas vniuersi partes: prout distinguimus mundum inferiorem à mundo superiori. Et breuiter quouis modo distinguantur mundi, regnum tuum est regnum comprehensiuum omnium mundorum: ita quòd nihil est aut esse potest exemptum à regno tuo.

De fortitudine. *Potestas tua in omni generatione & generatione*, ad omnia sæcula se extendit. Et sic ex primo vniuersalitas rerum, ex secundo vniuersalitas temporum sub regno Dei describitur.

Vers. 14. SVSTENTAT DOMINVS. Laudato Deo Rege, laudatur idem bonus omnibus: describendo diuinam bonitatem in conseruatione rerum omnium: tum conseruando species rerum per successiuam generationem. Hæc enim conseruatio significatur à metaphora sustentantis cadentes & erigentis deiectos: ad significandum duas actiones concurrentes ad conseruationem specierum.

Conseruatio rerum.

Quarum altera est conseruatio indiuiduorum pro tempore. Et hæc significatur per sustentationem cadentium: singularia enim quia corruptibilia sunt, cadentibus assimilantur: & consequenter eorum conseruatio sustentationi cadentium assimilatur. Altera est surrogatio succedentium pro corruptis: hoc est, filiorum pro patribus, & vniuersaliter succedentium loco corruptorum. Et hæc assimilatur erectioni deiectorum: est enim velut erectio collapsorum, surrogatio similium loco corruptorum: iuxta illud Eccli. 30. *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, reliquit enim similem sibi post se.*

Tum quantum ad cibationem omnium quæ vegetantur. Hæc enim significatur, dicendo: *Oculi omnium ad te spectabunt.* Ad similitudinem suspicientium seruorum in dominantes sibi expectando cibum, describitur naturale desiderium omnium vegetabilium expectantium à Deo nutriri.

Vnde & subditur: *Et tu dans*, eris, *eis cibum suum*, proportionatum illis: nec solum cuilibet cibum proportionatum, sed etiam *in tempore suo*, hoc est in tempore quo oportet eos ali. Hoc enim videmus impleri quotidie secundùm diuersas partes mundi.

Vers. 16. APERIENS MANVS TVAS. Modus quo Deus pascit viuentia, describitur ad similitudinem aperientis manus ad largiendum. *Et saturans omne viuum complacentia*: hoc est, quodlibet re delectante ipsum. In quo significatur suauissima prouisio alimenti: dum prouidetur de cibo quoad necessitatem, & delectabili quoad appetitum, & tempore congruo.

Vers. 17. IVSTVS DOMINVS. Laudato Rege bono omnibus, laudatur modo magnus gratiæ. Vbi aduerte quòd hactenus laudauit regnum Dei secundùm id quod commune est rationabilibus & irrationabilibus: modò intendit laudare regimen Dei secundùm quod prouidet rationalibus creaturis: respectu quarum posita sunt superiùs illa nomina, *miserator, misericors, lentus irarum & magnus gratia.* Ita quòd hîc tractatur regimen Dei respectu iustorum & peccatorum, & inchoat à gratia.

Regimen Dei prouidentis rationalibus creaturis.

Verùm quia humani principes ita se exhibent gratiosos multis vt tamen aliis se exhibeant iniustos (vt patet in principibus quos videmus profusè prodigos circa quædam, & ex alia parte auaros, raptores, & sic de similibus) ad excludendum tale monstruosum regimen, iungit Propheta simul in regimine diuino gratiam & iustitiam: asserendo ita Deum esse gratiosum in omnibus operibus suis quòd tamen in omnibus etiam est iustus: quod est dictu, quòd sine cuiusquam iniuria est Deus omnibus gratiosus. Et verificatur gratia Dei in omnibus rationalibus creaturis, quæ solæ sunt capaces gratiæ: quia & punit citra condignum, & remunerat supra condignum. Magna est siquidem Dei gratia erga peccatores quòd non exterminat eos statim: cùm peccator indignus sit pane quo vescitur, vt inquit Augustinus.

Vers. 18. PROPINQVVS DOMINVS. Laudatur Deus misericors, ex hoc quòd colentibus eum ad similitudinem propinqui se exhibet: quia est eis propinquus non loco sed voluntate beneuola ad salutem eorum in veritate. Hoc dicitur ad differentiam eorum de quibus scriptum est: *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè est à me.* In veritate siquidem vocant Deum, qui cultui diuino conformant vitam suam.

Vers. 19. VOLVNTATEM TIMENTIVM SE FACIET. Laudatur Deus miserator ab opere erga timentes eum triplici. Primum est: *faciet voluntatem timentium se.* Non dicit faciet petitionem, sed *voluntatem*: quia bonus Dominus qui negat quandoque quod petimus vt tribuat quod vellemus si cognosceremus magis vtilia.

Secundum est: *& clamorem eorum audiet*, in tribulatione, in timore.

Tertium: *& saluabit eos.* Hic effectus tertiò descriptus, infallibilis est effectus duarum præcedentium actionum: nam ita Deus audit clamorem & facit voluntatem timentium se, vt tandem saluet eos.

Vers. 20. CVSTODIENS DOMINVS OMNES DILIGENTES SE. Hoc est supremum miserationis opus in hac vita, quòd Deus curam vigilantem ad similitudinem custodis exercet respectu diligentium se.

Tres gradus iustorum. Aduerte hîc tres gradus iustorum commemorati: scilicet colentium Deum in veritate, timentium Deum, & diligentium Deum. Et colentibus quidem describitur Deus propinquus: præstantibus autem multo timore Dei, describitur audiens, faciens voluntatem eorum, & tandem saluans: diligentibus verò (hoc est amore ipsius ardentibus) custos describitur.

ET VNIVERSOS IMPIOS DISTRVET. Laudatur demum Deus longus irarum: dicendo quòd destruet, non statim sed in futurum protrahendo punitionem, vniuersos impios: vbi aliensus punitio, protrahenda tamen.

Vers. 21. LAVDEM DOMINI. Decursis specialibus rationibus laudandi Deum ex diuersis nominibus, concludit Propheta simpliciter & absolutè laudandum Deum à se, & benedicendum nomen sanctitatis eius ab omni carne. Siue per *carnem*, intelligas omne animal, siue reliquum genus humanum, aut reliquum populum. Ita quòd intendit dicere quòd ego ore proprio laudabo Deum, *& omnis caro*, hoc est vtriusque sexus mares & fœminæ omnes benedicent nomen Domini. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Halelu Iah.* CXLV.

2 *LAVDA anima mea Dominum: laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu fuero.*

3 *Nolite confidere in principibus: in filijs hominum in quibus non est salus.*

4 *Exibit spiritus eius & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.*

5 *Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius: spes eius in Domino Deo ipsius qui fecit*
6 *cælum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt.*

7 *Qui custodit veritatem in seculum: facit iudicium iniuriam patientibus, dat escam esurientibus.*

8 *Dominus soluit compeditos: Dominus illuminat cæcos. Dominus erigit elisos: Dominus diligit iustos.*

9 *Dominus custodit aduenas: pupillum & viduam suscipiet, & vias peccatorum disperdet.*

10 *Regnabit Dominus in secula: Deus tuus Sion in generationem & generationem.*

IVXTA HEBRÆVM.

CXLVI

1 *Propheta.* HALELV IAH: lauda anima mea Dominum *.

2 Laudabo Dominum * in vitis meis: cantabo Deo meo in opere meo.

3 Ne confidite in principibus: in filio [hominis] Adam, quòd non ei salus. [filius hominis]

4 Egredietur spiritus eius, reuertetur ad terram suam †: in illa die peri[hominis]bunt cogitationes eius [sunt illius]. † *terra sua.*

5 Beatitudines cuius Deus Iacob in adiutorio eius: expectatio eius super Domino * Deo suo.

6 Faciente cælos & terram, mare, & omne quod in eis: custodiente veritatem seculo.

7 Faciente iudicium calumniam patientibus, dante panem esurientibus: Dominus * soluens vinctos.

8 Dominus * aperiens cæcis: Dominus * erigens deiectos, Dominus * diligens iustos.

9 Dominus * custodiens peregrinos: pupillum & viduam roborabit, & viam impiorum torquebit.

10 Regnabit Dominus * æterno. Deus tuus ô Sion generationi & generationi: Halelu Iah.

COMMENTARIVS.

Titulus aut nullus est, aut *Halelu Iah.* Dico autem hoc: quia in quæstionem vertitur an *Halelu Iah* hîc scriptum sit titulus an principium Psalmi: crediderim ego principium esse Psalmi, eo quòd consonat contextui Psalmi quòd præmonitus sit populus cui postea dicitur, *ne confidite in principibus:* & in calce Psalmi, *Deus tuus Sion,* &c. Incipiat itaque Psalmus iste ab *Halelu Iah* (hoc est, *Laudate Deum*) sicut & terminatur in *Halelu Iah:* quamuis Ecclesiasticus vsus nec in principio nec in fine Psalmi cantet *Halelu Iah.* *Materia.* Materia Psalmi (vt clarè Psalmus ipse testatur) est exhortatio populi Israel, per modum tamen laudis, ad confidendum in Deo solo: eo quòd felicitas tam vitæ quàm operum nostrorum non ab homine sed à Deo pendet & habetur.

SVM

SVMMARIVM EST.

Propheta vbi populum animamque propriam animauit ad diuinam laudem, & seipsum protulit laudaturum Deum ratione tam vitæ quàm operis proprij, monet ne confidant in homine, asseritque beatos confidentes in Deo: astruens dicta ex conditionibus inde hominum hinc Dei præteritis, præsentibus & futuris.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. HALELV IAH. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *ne confidite.*

Proponendo inuitat & explicat materiam, simul ab exemplo monens. Inuitat populum Israel, dicendo *laudate Deum*: inuitat & animam propriam, dicendo *lauda anima mea Dominum.* Decernit materiam laudis simulque monet populum ad laudandum Deum ab exemplo suo, dicendo. *Laudabo*, ego, incipiam ego laudare, *Dominum in vita mea*, ratione vitæ meæ. Hæc est prima pars materiæ. *Cantabo Deo meo in opere meo*, ratione operis mei. Et hæc est altera pars materiæ. Proponit enim laudandum esse Deum ratione tam vitæ quàm operis.

Omnia bona à Deo. Vbi aduerte quòd ad literam intendit Propheta instruere populum quòd omnia bona quæ habet populus Israel (siue ad vitam siue ad opera eorum spectent) habet à Deo, & non à principibus: puta Moyse, Iosue, Samuele, Saule, Dauide, &c. & propterea debet confidere in solo Deo, & solum Deum recognoscere auctorem bonorum suorum.

Vers. 3. NE CONFIDITE. Incipit hîc pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *Deum*, seu *Dominum*, ab opposito. Secundò tractatur eadem à proposito, ibi, *beatitudines.* Tertiò illa, *in vita mea*, ibi, *custodiente.* Quartò illa, *in opere meo*, ibi, *Dominus soluens.* Quintò completur ratio vtrorumque, ibi, *regnabit.*

Explicat itaque quorsum & quo sensu inuitet ad laudandum Deum: scilicet vt Deus & homo opponuntur. Dupliciter siquidem potest homo considerari. Vno modo vt substat Deo: & sic laudare hominem, confidere in homine, & attribuere homini quæ sunt hominis ministri Dei, non vetatur sed laudabile est: immo ingrati animi esset non recognoscere hominum ministrorum Dei beneficia. Et sic consideratus homo non opponitur Deo: quoniam consideratur vt substat Deo.

Altero autem modo consideratur homo tanquam secundùm seipsum caput & principium, non habitâ relatione ad Deum. Et sic homo opponitur Deo: quia velut alterum caput distinctum è regione à Deo, consideratur. Et sic scriptum est: *Maledictus homo qui confidit in homine* Hierem. 17. Et iuxta hunc sensum dicitur hîc: *Ne confidite in principibus*, tanquam capite vnde pendet salus: quia fiducia tanquam in capite reseruatur Deo. Intendit enim per hoc declarare quòd ad hoc inuitat ad laudandum Deum, vt recognoscatur Deus caput & auctor bonorum, & non princeps aut homo aliquis. Cum quo tamen stat quòd principes & homines possunt & debent recognosci vt ministri Dei: & potest homo in eis confidere in gradu eorum, scilicet vt ministri sunt Dei.

IN FILIO ADAM. Vetatur confidentia in potentatu humano, dicendo *in principibus*: in viribus naturæ, dicendo *in filio hominis.* Et ratio subditur: quòd non ei salus: hoc est quòd non est in facultate eius donare salutem: quia non habet salutem pro se filius hominis. Quod statim probat ex hoc quòd est mortalis.

Egredietur spiritus eius, filij hominis. Non dixit *egredietur anima eius*, sed *spiritus eius*: quia animæ officium est in solo corpore: non enim animat nisi existens in corpore. Egreditur autem spiritus: hoc est in statum & officium spiritus: anima enim egressa à corpore, existit illo modo quo existunt spirituales substantiæ, & officiis vacat spiritualis substantiæ. *Et reuertetur*, non spiritus sed *filius hominis* secundùm corpus, *in terram suam*: iuxta illud Genes. 3. *Puluis es & in puluerem reuerteris.* Et propterea dicta est terra materia ipsius. — *Anima officium est in solo corpore.* — Genes. 3.

In illa die peribunt cogitationes eius, non solùm peribit ipse homo in die mortis suæ, sed *etiam peribunt cogitationes eius*, hominis: hoc est dispositiones de faciendo, de adiuuando, & similibus. Et dixit hoc referendo ad id quod dixerat de principibus quòd non possunt saluare: quia pereunt non solum ipsi sed dispositiones eorum.

Vers. 5. BEATITVDINES. Tractatur hîc eadem particula à proposito: manifestando in Deo inueniri rationes confidendi in eo, non ad modicum aliquid vitandum aut consequendum, sed ad plenam felicitatem assequendam.

Et per oppositum ad tres conditiones humanorum principum, conditiones Dei declarat ad beatitudinem populi. *Beatitudines*, felicitates præsentis vitæ ad literam & futuræ in spe sunt populi, *cuius Deus Iacob*, hoc est, populi descendentis à Iacob. *in adiutorio eius*, supple est: *expectatio ei sua*, scilicet populi, *super Domino Deo suo.* Duæ conditiones ad beatitudinem concurrere describuntur. Altera ex parte Dei: scilicet esse adiutorem: altera ex parte hominis: scilicet confidentia in Deo. Quas sic intellige quòd secunda est explicatio primæ: explicat enim populum cuius Deus est adiutor, esse confidentem in Deo. Ita quòd beatitudo populi in potestate ipsius describitur: quòd scilicet confidat in Deo: quia confidenti non deest adiutorium Dei, quod perficit beatitudinem. — *Beatitudo populi in potestate ipsius describitur.*

Facienti cælos & terram, mare & omnia quæ in eis. Dixerat de principibus humanis quòd erant filij hominum, dicit è conuerso de Deo Iacob quòd est factor omnium.

Custodienti veritatem. Dixerat de principibus humanis quòd non ei salus: dicit modò de Deo quòd omnem salutem facit. Et inchoat à prima radice: hoc est, à promissione facta primis Patriarchis, quòd seruauit & seruat eam sæculo promisso. Promiserat enim Deus tam Abrahæ Genes. 15. quàm Iacob Genes. 46. quòd reduceret populum de Ægypto, & daret promissionis terram. Hoc enim communis salutis opus significatur dicendo: *Custodienti veritatem*, curam habente adimplendi promissa sæculo, quartæ generationi: cura enim veracitatis est facere vt dixit.

Vers. 7. FACIENTI IVDICIVM. Ex fixa radice diuinæ veracitatis seruatæ describit ramos inde ortos. Et primus est iudicium quod exercuit Deus contra Ægyptios: quo describitur facere iudicium

pulcinum calumniam ... populus meus in principio vt colonus esset ibi, & Assur absque vlla causa calumniatus est eum.

Si Latinitas permitteret, dictio interpretata *calumniam patientibus*, interpretaretur *calumniatis*.

Dante panem esurientibus, tum manna in deserto, tum panem hoc est victum necessarium in terra promissionis. Et hoc ad literam videtur intendere textus.

DOMINVS SOLVENS VINCTOS. Abhinc quæ sequuntur beneficia, spectant ad tempora quibus post Iosue oppressi sunt Hebræi à multis principibus, & à Deo liberati diuersimode: ita quòd tempore Dauidis fuit plenè liberatus populus.

Dominus soluens vinctos. Hæc omnia quæ subsequuntur beneficia diuina, experientia comprobauit: dum alligati seruituti Tyrannorum, soluti sunt: deiecti à diuitiis & honoribus, erecti: iustis monstrata est diuina dilectio: cæcis, hoc est clausis in carcere (qui non possunt videre lumen) apertus est carcer: deductis in peregrinas terras, affuit Deus custos. Hæc enim omnia viderunt vsque ad tempus Dauidis adimpleta.

Quibus adduntur duo alia futura, scilicet *pupillum & viduam roborabit, & viam impiorum torquebit.* Nec ideo futura describuntur quia non sint adimpleta sicut & cætera narrata: sed vt ex diuina in his duobus perseuerantia significata per verba futuri temporis, intelligantur futura etiam reliqua opportuna beneficia.

Ratio autem quare hæc sola scripta sint in futuro est: quia miseriæ priores (scilicet vinculorum, carcerum, deiectionum ac peregrinationum) & transitoriæ erant & desierant in populo iam libero sub regno Dauidis. Hæc autem duo nunquam defectura erant: nam status pupillorum & viduarum semper in aliquibus saluatur: & similiter via impiorum semper inuenitur in aliquibus. Daturus ergo opem pupillis & viduis (vtpote impotentibus se adiuuare) describitur, & torturus viam impiorum: vt tendunt ad opprimendum alios, opprimantur ipsi: sic enim torquetur eorum via.

Et hæc intellige iuxta promissiones veteris Testamenti. Et commemorauit Propheta tot salutifera beneficia exhibita populo, ad declarandum quòd omnis salus populi est in facultate Dei: vt ex perceptis beneficiis consideret in Deo.

Vers. 10. REGNABIT DOMINVS. Dixerat de principibus humanis, *Egredietur spiritus eius reuertetur ad terram suam*, &c. dicit è conuerso de Deo quòd regnabit Dominus æterno: non solum ipse est immortalis, sed etiam regnum eius. *Deus tuus Sion generationi & generationi.* Hinc apparet quòd ad Sion locutus est: hoc est ad populum Hebræum, significatum à capite regni Sion. Hinc rursus apparet quòd postquam Dauid erexit Sion in ciuitatem suam, locauitque ibi arcam Domini, editus est Psalmus iste. Et propterea cùm dixisset quòd regnabit Dominus æterno, dicit ad Sion: *Deus tuus*, hoc est qui in te colitur, *generationi & generationi*, supple, aderit: hoc est succedentibus sibiinuicem generationibus non deficiet tibi: & propterea *Halelu Iah*, hoc est *laudate Deum*. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO. CXLVI.

1 *Halelu Iah.*

LAVDATE *Dominum quoniam bonus est Psalmus: Deo nostro sit iucunda decoraque laudatio.*

2 *Ædificans Hierusalem Dominus: dispersiones Israelis congregabit.*

3 *Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum.*

4 *Qui numerat multitudinem stellarum: & omnibus eis nomina vocat.*

5 *Magnus Dominus noster & magna virtus eius: & sapientia eius non est numerus.*

6 *Suscipiens mansuetos Dominus: humilians autem peccatores vsque ad terram.*

7 *Præcinite Domino in confessione: psallite*

8 *Deo nostro in cithara.*

Qui operit cælum nubibus: & parat terræ pluuiam.

Qui producit in montibus fœnum & herbam seruituti hominum.

IVXTA HEBRÆVM. CXLVII.

1 *Propheta.* LAVDATE Deum: quoniam bonum est & canere Deum nostrum, quoniam suauius pulchruit laus.

2 Ædificans Hierusalem Dominus †: impulsos Israel congregabit.

3 Medens confractis corde: & alligans dolores † eorum. † doloribus.

4 Supputans numerum stellis: omnibus ipsis nomina vocabit.

5 Magnus Dominus noster & multæ fortitudinis: intelligentiæ eius non est numerus.

6 Eleuans humiles Dominus †: humilians impios vsque terram.

7 Canite Domino † in confessione: canite Deo nostro in cithara.

8 Operiens cælos in nubibus, parans terræ pluuiam: germinare faciens montes herbam.

9 Dans

9 *Qui dat iumentis escam ipsorum: & pullis coruorum inuocantibus eum.*

10 *Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs viri beneplacitum erit ei.*

11 *Beneplacitum est Domino super timentes eum: & in eis qui sperant super misericordia eius.*

CXLVII.

12 *LAVDA Hierusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.*

13 *Quoniam confortauit seras portarum tuarum: benedixit filijs tuis in te.*

14 *Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te.*

15 *Qui emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo eius.*

16 *Qui dat niuem sicut lanam: nebulam sicut cinerem spargit.*

17 *Mittit crystallum suam sicut buccellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit?*

18 *Emittet verbum suum & liquefaciet ea: flabit spiritus eius & fluent aquæ.*

19 *Qui annunciat verbum suum Iacob: iustitias & iudicia sua Israël.*

20 *Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit eis.*

9 Dans bestiæ cibum suum: filiis corui qui vocabunt.

10 Non in fortitudine equi volet: non in cruribus viri complacebit.

11 Sed Volens Dominus timentes se: sperantes in gratia eius †.

† gratia sua.

12 Lauda Hierusalem Dominum: lauda Deum tuum Sion.

13 Quia corroborauit seras portarum tuarum: benedixit filios tuos in medio tui.

14 Qui ponens terminum suum pacem: adipe frumenti satiabit te.

15 Mittens dictum suum terræ: vsque velociter curret verbum eius.

16 Dans niuem quasi lanam: pruinam quasi cinerem sparget.

17 Iaciens glaciem suam quasi buccellas: ad facies † frigoris eius quis stabit? † faciebus.

18 Mittet verbum suum & liquefaciet illa: flabit spiritum suum, fluent aquæ.

19 Annuncians verbum suum Iacob: statuta sua & iudicia sua Israel.

20 Non fecit sic omni genti, & iudicia non cognouerunt ipsi: Halelu Iah.

COMMENTARIVS.

Materia. TItulus nullus est. Materia Psalmi est laus Dei vigens in Hierusalem, ob specialia dona Dei ibidem. Apparet autem hæc materia tum quia hæc duo in principio Psalmi proponuntur: tum quia in hoc Psalmo nihil agitur aliud nisi quòd laudatur Deus magnus Dominus, &c. & rursus laudatur Deus in beneficiis tribus concernentibus Hierusalem: vt clarius patebit in discursu.

Et scito quòd hic Psalmus comprehendit etiam, *Lauda Hierusalem Dominum*: non enim in textu Hebræo, *lauda Hierusalem*, est alius Psalmus, sed pars est huius Psalmi.

SVMMARIVM EST.

PRopheta inuitat ad laudandum Deum. tum quia bonum est laudare Deum ob magnitudinem intelligentiæ, potentiæ & dominij: tum quia laus diuina, iam pulchra & suauis est in Hierusalem: tum ob diuinum beneficium ex ædificatione Hierusalem prouenien singularibus personis Israël: scilicet congregationem dispersorum: tum ob beneficia collata ciuitati Hierosolymitanæ: tum ob singulare beneficium diuinæ legis collatum vniuerso populo: quæ in Hierusalem exercetur ac declaratur.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. LAVDATE DOMINVM. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositiuam materiæ, & executiuam, ibi, *ædificans*. Proponit laudandum Deum duplici ratione. *Duæ rationes laudandi Deum.* Altera est: *Quoniam bonum est canere Deum nostrum*: hoc est, quia secundùm se est opus bonum laudare cantando Deum nostrum: transit enim actus laudandi super materiam dignam omni laude & omni cantu. Altera est: *quoniam suauis pulchrvis laus*. Hæc ratio plus significat quàm explicat: explicat enim quòd diuina laus reddita est simul pulchra & suauis seu iucunda, delectabilis. Significat autem locum Sion seu Hierusalem in quo reddita est pulchra, seu iucunda atque delectabilis diuina laus. Intendit siquidem Propheta inuitare ad laudandum Deum tum quia secundùm se bonum est laudare Deum: tum quia Hierusalem pulchrifecit suauem laudem Dei. Quod constat esse verum: quia Hierusalem fuit primus locus perpetuæ firmitatis diuini cultus, & erat ciuitas regia: ex his enim diuina laus poterat ordinari & pulchrior & iucundior, quàm dum vagaretur & in locis variis esset.

Vbi etiam scito quòd Psalmus iste incipit ab Halelu Iah. Quod ideo dixerim, vt facilius credas præcedentem Psalmum terminatum in *Halelu Iah*, & terminatur in *Halelu Iah*, inchoare quoque ab *Halelu Iah*.

Vers. 2. ÆDIFICANS HIERVSALEM. Incipit hic pars

pars executiua ordine nono: est enim in hoc Psalmo singularis stylus: intercisis siquidem & non continuatis sententiis tractantur ambæ particulæ propositæ. Et sunt sententiæ intercisæ sic, quòd secant se inuicem sententiæ concernentes vnam particulam & sententiæ concernentes alteram.

Stylus hic peculiaris.

Verùm vt ordo progressus percipiatur, notandum est quòd prima particula (scilicet, *quoniam bonum est canere Deum nostrum*) exequetur à triplici capite: scilicet sapientiæ, potentiæ & bonitatis diuinæ: quæ tria numerantur in versiculo quinto, sed tractantur in locis intercisis. Nam sapientia tractatur in quarto versiculo: bonitas autem in octauo & nono: potentia verò in 15 16. 17 & 18. Vbi videre potes intercisas sententias concernentes primam particulam.

Secunda quoque particula (scilicet, *quoniam suaue pulchrum laus*) ex triplici capite tractatur. Primum ex vtilitate ædificij Hierusalem ad congregandos dispersos: & hoc tractatur in versiculis 2. 3. 6. 10. & 11. Secundum est ex bonis propriis Hierusalem: & hoc tractatur in versiculis 12 13. & 14. Tertium est ex beneficio legis vigentis in Hierusalem: & hoc tractatur in duobus vltimis versiculis Psalmi vbi etiam apparet tanta intercisio sententiarum concernentium secundam particulam.

Vbi aduerte quòd ad primam particulam (*quia bonum est canere Deum*) spectant laudes Dei absolutè: ad secundam autem laudes Dei vt benefactoris Hierusalem. Ad hanc enim regulam aspiciens, facilè discernes quid cui debetur.

Tractans itaque primum caput quare laudandus est Deus ex loco magnificante diuinam laudem, assumit quòd *Dominus ædificans Hierusalem congregabit impulsos Israelis*: hoc est, quòd ædificatio Hierusalem est ad congregandum expulsos Israëlitas. Si textus diceret ad congregandum impulsos Iudæ aut Hierusalem aut Sion, intelligerem proculdubio prophetiam hanc esse, vaticinantem reditum de captiuitate Babylonica in ædificatione Hierusalem sub Cyro & Dario Persarum regibus: sed quia dicit, *impulsos Israel*, quod est nomen totius populi, quos constat non esse congregatos in illo reditu (imò pars illa quæ appellabatur Israël, continens decem tribus, nunquam rediit) ideo verba ista historica, & res quæ gerebantur tunc temporis describentia intelligo. Et est sensus: quòd Deus ordinauit ædificari Hierusalem ad firmamentum regni, ad dominandum finitimis qui oppresserant populum: ac per hoc ad congregandum multos homines Israël qui fuerant abducti ex Israël ab oppressoribus populi. Significanter autem non dicit quòd ædificium Hierusalem habeat hanc vtilitatem, sed dicit, *ædificans Dominus Hierusalem*: attribuens Domino institutori vtrumque, ædificium scilicet & congregationem.

Impulsos. Significatur duplex malum: scilicet abductionis & modi, scilicet per modum impellendi: ad significandum magnitudinem violentiæ illatæ Israelitis cùm dispergerentur. Vt enim patet in lib. Iudic. cap. 2. *Iratus Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos & vendiderunt hostibus qui habitabant per gyrum.* Isti enim sunt de quibus hic dicitur, *impulsos Israelis congregabit*: tempore enim Dauidis qui primus cœpit ædificare Hierusalem sub Domino (prius enim habitabatur à Iebusæis) congregati sunt isti dispersi redeuntes ad terram

Dauid primus incepit ædificare Hierusalem sub Domino.

suam: quoniam Dauid subegit finitimos, & dominatus est vsque ad Euphraten.

Vers. 3. MEDENS CONTRITIS CORDE. Prosequitur beneficium congregationis accumulando beneficia: ita quòd non solùm congregat, sed etiam curam habet congregatorum ad similitudinem medici medentis vnguento & ligantis loca dolorum. Et intendit ad literam curam per consolationem afflictorum qui vocantur *contriti corde*: mœstitia enim cordium per perpessionem in dispersione, per contractionem cordis significatur: & variæ indigentiæ eorundem per loca dolorum significantur. Quæ distribuuntur etsi non sanatæ, tamen medicatæ. Per quod intelligo ad literam quòd congregatorum cura habita est, & illis subuentum est: quamuis non sint effecti ita locupletes sicut prius.

Vers. 4. SVPPVTANS NVMERVM STELLARVM. Intercisio est: & incipit tractare primam particulam, *quoniam bonum est canere Deum nostrum*: inchoando ab infinita Dei sapientia seu intelligentia: laudando eam à duobus actibus: scilicet numeratione stellarum & nominatione singularum.

Nota prudens lector, nihil inter omnia corporalia admirabilius magisque proprium diuinæ notitiæ apparere quàm numerum stellarum & propria earum nomina, significantia scilicet earum naturas seu proprietates: & propterea Propheta intelligentiam Dei laudat à numeratione & nominatione stellarum.

Nihil mirabilius numero & nominibus stellarū, [illegible] earum naturas & proprietates.

Vers. 5. MAGNVS DOMINVS NOSTER. Tria capita secundum quæ laudandus est Deus absolutè, hic adnumerat. Primum est: *magnus Dominus noster*. In quo magnitudo diuina non molis nec potentiæ sed bonitatis tangitur. *Et multa fortitudo eius*, secundum caput magnæ potentiæ diuinæ per hoc canitur. *Et intelligentiæ eius non est numerus*, tertium caput infiniti intellectus seu infinitæ sapientiæ. Et hoc caput tertium iam declarauit in præcedenti versiculo à numeratione & nominatione stellarum: reliqua duo capita inferiùs tractabit. Vnde apparet quòd secundum ordinem sententiarum iste versiculus præcedit præcedentem.

Vers. 6. ELEVANS MITES DOMINVS. Redit ad prosequendam congregationem dispersorum, describendo modum congregandi, scilicet eleuando deiectos, & humiliando impios. Et verè sic fuit: quoniam eleuando Dauidem deiectum, & humiliando impios hostes Iudæorum, congregat dispersos & subuenit eis.

Canite Domino in confessione, laudis vocalis: *canite Deo nostro in cithara* hoc est, adhibitis musicis instrumentis. Quod potest intelligi dictum ratione totius materiæ: appositum autem post præcedentem versiculum, quia in eo diuina eleuatio Dauidis qui instaurauit & magnificauit diuinum cultum in Hierusalem, cantata est.

Vers. 8. OPERIENS CÆLOS. Intercisio est: redit enim ad primam particulam (scilicet *quoniam bonum est canere Deum nostrum*) ex illo capite *magnus Dominus noster*, magnitudine non solius dominij sed bonitatis. Quam declarat ex communibus beneficiis non solùm hominibus bonis & malis: sed etiam inanimatis & bestiis & animalibus, in filiis coruorum significatum *Qui vocabunt*. Pulli animalium qui aluntur à parentibus, recurrunt pro alimento ad parentes: ad quorum differentiam pulli coruorum qui dicuntur non ali à parentibus, dicuntur vocare (hoc est, vocibus [illegible] nalibus

[illegible]

tialibus clamare: & pasci tot: diuinâ prouidentiâ sic disponente, quæ animalibus omnibus disposuit comune alimentum.

Vers. 10. NON IN FORTITVDINE EQVI. Prosequitur congregationem dispersorum: assignando rationem congregationis eorum complacentiam Dei, non in potentia equitum aut peditum regni Israël, sed in timentibus ipsum & sperantibus in gratia eius. Vbi colligendo trasumptim dicta circa congregationem dispersorum, apparet primò descriptam rem gestam in congregatione & cura congregatorum, cum modo rei gestæ, scilicet eleuando humiles & humiliando impios: & demum rationem rei gestæ ex parte diuinæ voluntatis, complacentiam non in fortitudine equitum aut peditum, sed in timore & spe ipsius Dei: hoc est, in virtutibus animi quæ comprehenduntur in his duobus: timore scilicet Dei & spe gratiæ eius.

Vers. 12. LAVDA HIERVSALEM. Tractat rursus secundam particulam (scilicet, *quoniam suauis pulchrum laus*) iuxta secundum caput, scilicet beneficia propria ciuitati Hierosolymitanæ: & propterea specialiter monet Hierusalem ac Sion. *Quia corroborauit seras.* Quatuor commemorantur beneficia. Primum munitæ clausuræ, in corroboratis seris portarum. Secundum multiplicationis ciuium, in benedictione filiorum. Tertium pacis, in constitutione pacis in confinibus. Quartum abundantiæ annonæ, in satietate ex frumento pingui.

Vers. 15. MITTENS DICTVM SVVM. Intercisio est. Redit enim ad primam particulam (scilicet, *quoniam bonum est canere Deum nostrum*) ex tertio capite, scilicet quia est multæ fortitudinis: declarando fortitudinem seu potentiam Dei ex efficacia imperij diuini: quòd scilicet celerrimè adimpletur quod ipse iubet fieri. Ita quòd velocissima efficacia in operibus naturæ affertur declaratiua diuinæ fortitudinis: sicut superiùs inducta quoque sunt sola naturalia opera, scilicet numerus stellarum ad testificandam sapientiam, & naturalis gubernatio inferiorum ad testificandam bonitatem. Intendit enim Propheta ex huiusmodi insertione naturalium, efficere vt imbibant homines sibi hanc fidem quòd idem est Deus auctor & gubernator naturæ qui est specialis gubernator populi Israël: vt sciat mundus quòd non finxerunt sibi Deum, sed colunt & laudant Deum qui est verè Deus: vtpote auctor omnium naturalium operum.

Mittens dictum suum terræ, imperando quodcunque dixerit, *vsque velociter curret verbum eius.* Ecce effectus quòd verbum eius curret non solùm velociter, sed *vsque velociter*: hoc est, attinget velocitatem quamcunque: quod attestatur potentiæ imperantis. Et hoc declarat in duobus contrariis effectibus successiuè. Primò in triplici genere niuis, scilicet in niue ad similitudinem lanæ (quæ est communiter nota) dicendo, *dans niuem quasi lanam*: & in niue ad similitudinem cineris (quæ apparet in montibus Germaniæ) dicendo, *pruinam quasi cinerem sparget*: & demum in niue, si tamen nix dici potest, ad similitudinem fragmentorum (quæ vbi videatur nescio) dicendo, *mittens glaciem suam quasi buccellas.* Exposuissem per *glaciem*, grandinem, nisi contextus sequentium me prohibuisset: sequitur enim *ad facies frigoris eius quis stabit?* Grando siquidem communiter fit temporibus calidis: cùm fiat per antiperistasim: hæc autem glacies quam de cælo iacit Deus ad similitudinem buccellarum, intolerabile frigus incolis affert: & propterea dicitur *ad facies frigoris eius quis stabit?*

Triplex niuis genus.

Aduerte hæc omnia allata esse ad contestandam celeritatem manifesti operis Dei in naturalibus: vnumquodque enim horum celerrimè fit: vtpote quod non prius fit in aëre, & postea eum tempore descendit ad nos, sed generando descendit & descendendo generatur: sicut pluuia.

Vers. 18. MITTIT VERBVM SVVM. Contrarius effectus etiam naturalis ad contestandum diuinum imperium subinfertur: quo mittit ventum australem & liquefacit hæc, & fiunt fluentes aquæ.

Vers. 19. ANNVNCIANS VERBVM SVVM. Perficitur hic tractatus secundæ particulæ (scilicet *quoniam suauis pulchrum laus*) ex beneficio diuinæ legis. Vbi nota progressum quòd primò laudauit beneficium diuinum respectu singularium personarum ex toto populo dispersarum: secundò beneficium respectu vniuersitatis Hierosolymitanæ: & nunc demum beneficium respectu vniuersitatis populi. Quod ideo hîc commemoratur inter causas laudis in Hierusalem, quia lex Dei præcipuè in Hierusalem vigebat: nam præcepta cærimonialia ibi erant seruanda ratione cultus diuini ibi firmati. Præcepta quoque iudicialia ibidem præcipuè erant seruanda: vbi erat & iudicium summi sacerdotis & regium. Moralia etiam præcepta præcipuè concernebant Hierusalem quoad doctrinam & declarationem: quia ibi præcipuè erat locus docendi legem & auctoritas declarandi. Laudatur itaque beneficium legis diuinæ. *Annuncians verbum suum*, diuinorum & moralium, *Iacob*, populo descendenti à Iacob: *statuta*, cærimonialia, *& iudicia*, præcepta iudicialia.

Non fecit sic omni genti, singularitas gratiæ laudatur. *& iudicia non cognouerunt ipsi*, populi aliarum nationum quæ cognouimus nos. *Halelu Iah*, laudate Deum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Halelu Iah Halelu Iah.*

CXLVIII.

LAVDATE Dominum de cælis: laudate eum in excelsis.

2 *Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius.*

IVXTA HEBRÆVM.

Halelu Iah.

CXLVIII.

1 *Propheta* LAVDATE Dñm^a de cælis: laudate eũ in excelsis.

2 Laudate eum omnes Angeli eius: laudate eum omnes exercitus eius.

3 *Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes stellæ & lumen.*
4 *Laudate eum cæli cælorum: & aquæ omnes quæ super cælos sunt laudent no-*
5 *men Domini.*
Quia ipse dixit & facta sunt: ipse mandauit & creata sunt.
6 *Statuit ea in sæculum & in sæculum sæculi: præceptum posuit & non præteribit*
7 *Laudate Dominum de terra: dracones & omnes abyssi.*
8 *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: quæ faciunt verbum eius.*
9 *Montes & omnes colles: ligna fructifera & omnes cedri.*
10 *Bestiæ & vniuersa pecora: serpentes & volucres pennatæ.*
11 *Reges terræ & omnes populi: principes & omnes iudices terræ.*
12 *Iuuenes & virgines, senes cum iunioribus laudent nomen Domini: quia ex*
13 *altatum est nomen eius solius.*
14 *Confessio eius super cælum & terram: & exaltauit cornu populi sui.*
Hymnus omnibus sanctis eius: filijs Israël populo appropinquanti.

3 Laudate eum Sol & Luna: laudate eum omnes stellæ lucis.
4 Laudate eum cæli cælorum: & aquæ quæ desuper cælos.
5 Laudabunt nomen Domini *: quoniam ipse præcepit, & creata sunt.
6 Fecit stare ea semper æterno: præceptum dedit & non præteribit.
7 Laudate Dominum * de terra: dracones & omnes abyssi.
8 Ignis & grando, nix & vapor, ventus turbinis: faciens verbum eius.
9 Montes & omnes colles: lignum fructiferum & vniuersæ cedri.
10 Fera & omnis bestia: reptile & auis alata.
11 Reges terræ & omnes populi: principes & vniuersi iudices terræ.
12 Iuuenes & etiam virgines: senes cum pueris.
13 Laudabunt nomen Domini: quoniam roboratum est nomen eius solius ipsius, laus eius super terrã & cælos.
ipse
14 Et exaltauit cornu populo suo: laus omnibus gratiosis suis, filiis Israel, populo propinquo sibi: halelu Iah.

COMMENTARIVS.

Materia. Titulus est: *Halelu Iah*: significans materiam Psalmi esse inuitare ad laudem Dei. Nihil enim aliud in hoc Psalmo fit: vt clarè patet.

SVMMARIVM EST.

Propheta inuitat primo cœlestia ad laudandum Deum ratione creationis, perpetuæ naturæ, & infallibilis operis: deinde terrestria (hoc est inferiora vniuersa, & specialiter vniuersas differentias humani generis) ratione singularissimæ excellentiæ diuini nominis, & extensæ super omnia diuinæ laudis, & exaltati cornu populo Dei.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. LAVDATE DOMINVM. Diuiditur Psalmus in partes duas: inuitatiuam cœlestium, hoc est superiorum: & inuitatiuam terrestrium (hoc est inferiorum) ibi, *laudate Dominum de terra.* Nec mireris si Psalmus iste non diuiditur solito more in partem propositiuam & executiuam: est enim iste vnus exemplorum ab illo stylo: quia per modum diuisionis procedit, aggrediendo membra distinctionis subintellectæ quæ explicaret materiam Psalmi. Subintelligitur siquidem distinctio scripta in principio Genesis: scilicet inter cælum & terram, inter superiora & inferiora, quæ inuitanda sunt ad laudandum Deum. Et hac subintellecta distinctione inchoat Psalmum à primo membro, dicendo, *laudate Dominum de cælis*, in quo implicitè insinuat expectandum alterum membrum: scilicet *laudate Dominum de terra.*

DE CÆLIS. Hoc est, vos quæ ex parte cælorum computamini: inuitantur enim hic omnes creaturæ tam corporales quàm spirituales, quæ diuiso vniuerso in cælum & terram, se tenent ex parte cæli. *In excelsis*: etsi non apud nos qui longè distamus à vobis, laudate tamen in excelsis in quibus estis vos.

Inuitantur omnes creaturæ ad laudes diuinas.

Vers. 2. OMNES ANGELI. Substantiæ spirituales quæ cœlestes sunt duplici officio nominantur: scilicet nunciorum, dicendo *Angeli*: & ordinatæ militiæ maximæ multitudinis, dicendo, *omnes exercitus*: describuntur enim spirituales substantiæ Deo seruientes ad similitudinem hominum seruientium principibus humanis.

Cæli cælorum, vniuersa cœlestia corpora infra primum mobile appellantur, aut quia continent inferiores cælos (hoc est sphæras ignis & aëris) aut quia sibi inuicem communicant subleuiendo & conferendo: sunt enim multi cæli Mercurij, multi Martis, &c.

Multi cæli Mercurij, multi Mercurij, &c.

Aquæ quæ super cælos, quæ

Et aquæ quæ desuper cælos: hoc est primum mobile, quod cælum aqueum appellatur, nullam habens stellam, nulli seruiens astro sed commune omnibus: hoc enim sæpe in Scriptura appellatur *aquæ super cælos*: quia est naturæ merè diaphanæ supra omnes orbes astratos. *Laudabunt nomen Domini*. Ad duo laudanda Inuitat Propheta, scilicet Deum & nomen Dei: hoc est Deum secundùm seipsum, & Deum secundùm quòd est notus seu cognitus nobis.

Vers. 5. QVONIAM IPSE PRÆCEPIT. Triplicem laudandi causam spectantem ad Deum nominatum & notum nobis, affert. Prima est ipsorum inuitatorum creatio. Vbi & interserit modus

modus creandi: scilicet solo imperio. Hic enim modus explicatur dicendo: *quoniam ipse praecepit*, non laborauit, non mouit, non se exercuit, sed *praecepit: & creata sunt*, de nihilo facta sunt omnia supradicta.

Fecit stare ea semper aeterno Secunda ratio laudandi est perpetuitas naturae ipsorum. Ita quòd Deus non solùm creauit ea, sed dedit eis naturam permanentem non ad tempus sed semper in aeternum. Quod addidit ad explicandam veram sempiternitatem: sunt enim omnia supradicta suapte natura incorruptibilia, ac per hoc durantia in aeternum: sed quia hanc incorruptibilem naturam habent à Deo, ideo dixit fecit stare ea.

Praeceptum dedit. Tertia ratio laudandi Deum est ex inobliquabili operatione. In hoc enim differunt inferiora à superioribus quòd naturalia agentia & patientia deficiunt quandoque agendo & patiendo, vt patet: caelestia autem neque agendo neque patiendo (eo modo quo ibi inuenitur pati) aliquando deficiunt, nunquam enim praeteritur quin motus caelestis suum peragat cursum, quin inferior sphaera sequatur vt debet superiorē, & superior inferiorem moueat, &c. Huiusmodi enim infallibilitas operandi significatur dicendo: *Praeceptum dedit illis*. quid, quomodo, quando operentur, *& non praeteribit*, quin ad vnguem fiat. Intellige per *praeceptum* proportionaliter inclinationes caelestium corporum ad suos motus, tantam velocitatem &c. in Angelis autem firmitatē voluntatis ad bonum: quam per diuinam gratiam assecutos supponimus, eo ipso quòd fuerūt beati.

Caelestia nunquam deficiunt.

Vers. 7. LAVDATE DOMINVM DE TERRA Expedita inuitatione caelestium, exequitur alterum membrum inuitando inferiora: hoc est quaecunque infra orbem lunae sunt. Quae Propheta nuncupat à terra ratione iam dicta: scilicet quia diuiso vniuerso in caelum & terram in principio Genesis, omnia quae sunt infra orbem lunae, se tenent ex parte terrae. Vnde ad haec dicit: *Laudate Dominum è vos de terra: dracones*, hoc est serpentes illi qui vocantur dracones. Et est sermo de draconibus aquaticis: & propterea iunxit eos cum abyssis, hoc est, profunditatibus aquarum. Nec mireris quòd à draconibus incepit: quoniam Propheta sicut secutus est Moysen in diuisione vniuersi in caelum & terram, ita secutus est Moysem in prima nominatione draconum. Moyses enim Genes. 1. primam animalium speciem creatam nominauit dracones in quinta die, dicens, *creauitque Deus dracones magnos*, quamuis Latinus interpres traduxerit *cete grandia*. At si rursum quaeris cur Moyses primò nominauit inter animalia creatos dracones, ratio est: ne huiusmodi animalia nociua putaremus non ex proposito diuinae intentionis creata, sed ex necessitate materiae producta. Si enim post alia dracones nominasset, putaremus ex necessitate materiae dracones productos, tanquam necessariò consequentes productionem aliorum: vbi autem in principio nominati sunt, manifestatur quòd ex intentione producti sunt. Inducuntur itaque in primis dracones ad laudandum Deum, hoc est declaratur quòd ipsi sunt materia diuinae laudis, & similiter omnes abyssi.

Prima animalium species creata nominatur Dracones in Scriptura.

Vers. 8. IGNIS ET VAPOR. Post aquas ascendit ad superiorem sphaeram actiuorum & passiuorū: afferens mixta quę ibi generantur. Ignis quamuis possit intelligi sphaera ignis: contextus tamen magis sonat ignem mixtum qui generatur in aëre in fulguribus & tot igneis impressionibus. *Faciens verbum eius*, refertur ad quodlibet praedictorum: significans quodlibet horum exequi iussa Dei. Quod verum esse constat apud scientes, prouidentiā Dei gubernari haec omnia. Et per haec quinque seu sex numerata, intellige omnes differentias eorum quae generantur in aëre.

Ignis.

Deinde descendit ad terram clarè *Reptile*. Genera reptilium inueniuntur in terra & in aquis. Et propterea nominando reptile, vtrunque genus videtur comprehendere: vt non soli dracones ex aquaticis sint nominati, sed etiam reptilia. *Et aues alatae*. Vltimo nominatur auis, communis tribus elementis. *Aqua* quidem: quia Genes. 1. cum productis ex aqua computantur aues. *Terrae* verò, quia super terram degunt. *Aere*, autem, quia in aëre volant.

Reptile.

Aues.

Vers. 11. REGES TERRAE. Diuersi hominum status describuntur: *Reges, populi, principes*, &c. Et similiter diuersitas sexus: *iuuenes & virgines*. Diuersitas aetatis, *senes cum pueris*. Vt nullus status, nullus ordo, nullus sexus, nulla aetas eximatur. *Laudabunt nomen Domini*. Deum & Dei nomen laudaturi isti sunt, sicut & creaturae caelestes.

Vers. 13. QVONIAM ROBORATVM EST. Triplex ratio redditur quare haec inferiora laudare debent Deum. Prima est quia solius Dei nomen roboratum est: hoc est quia Deus est notus ac nominatus solus naturae robustae, hoc est ex seipso habens robur essendi: hoc enim soli Deo conuenire notum est. Et propterea apponitur *solius ipsius*. Est enim sensus, quia ipse solus verè nominatus est robustae ex se naturae: dum ipse solus increatus omnia creauit. *Laus eius super terram & caelos*. Secunda ratio est quia laus Dei suaui gubernatione expansa est super terram & super caelos: hoc est quia materia laudandi Deum suauiter omnia disponentem, super caelos & super terram (hoc est in omnibus) inuenitur. Et propterea omnia tenentur ad laudem Dei ratione laudabilis gubernationis.

Vers. 14. ET EXALTAVIT. Tertia ratio sumitur à statu & tempore iam publicae diuinae laudis à iustis: hoc est ex eo quòd Deus iam publico cultu laudatur à iustis: iam enim populus Israel publicè colebat Deum laudando eum. Vnde circa hoc primo describitur modus quo peruentum est ad hoc, dicendo. *Et exaltauit cornu populi sui*. Depressus enim populus non publico officio colebat Deum: cùm autem exaltata est illius potentia, publicè laudauit Deum: vt praecipuè apparuit tēpore Dauidis. Ita quòd Deus exaltādo potentiam populi, factus est laus: hoc est laudatus est.

Gratiosis. Describuntur laudantes à quatuor: scilicet à gratia, à genere, à statu, & à religione. A gratia quidem: hoc est, beneficentia gratuita, in qua intellige omnes virtutes hominis respectu proximi. *Suis*, ad differentiam beneficiorum non propter Deum, qui inter laudantes Deum non merentur computari, sed soli gratiosi eius, id est, propter Deum. *Filiis Israel* A Patriarcharum genere describuntur tunc temporis laudantes Deum, ad verificandas promissiones Patribus factas.

Populo: hoc est, redactis iam in statum liberi populi: ad significandum quòd de publica laude loquitur. Laudabant siquidem prius filij Israël Deum, sed non publico laudis officio: cùm adhuc non constituerent liberum populum.

Propinquo sibi, Deo: non filiis Israël, non populo.

lo, sed quatenus propinquus sibi, non locali coniunctione sed cordis. Et in hac propinquitate intellige veritatem virtutes hominis respectu Dei.

Vbi aduerte quòd licet Deum laudari publicè à populo iusto, sit speciale quid, connumeratur tamen à Propheta inter rationes quare Deus laudandus est ab omnibus inferioribus: quia laudari Deum publicè à iustis, est reduci in actum laudis omnem diuinæ laudis materiam inuentam in rebus omnibus. Neque enim peccatores (in quorum ore non est speciosa laus) neque bruta neque inanimata cætera ad actum laudandi Deum perducuntur nisi per hoc quòd iusti laudant Deum & nomen eius super vniuersa opera eius.

Halelu Iah, laudate Deum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Halelu Iah. Halelu Iah.*

CXLIX.

CANTATE Domino canticum nouum: laus eius in Ecclesia sanctorum.

2 *Lætetur Israel in eo qui fecit eum: & filij Sion exultent in rege suo.*

3 *Laudent nomen eius in choro: in tympano & psalterio psallant ei.*

4 *Quia beneplacitum est Domino in populo suo: & exaltabit mansuetos in salute.*

5 *Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis.*

6 *Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladij ancipites in manibus eorum.*

7 *Ad faciendam vindictam in nationibus: increpationes in populis.*

8 *Ad alligandos reges eorum in compedibus: & nobiles eorum in manicis ferreis.*

9 *Vt faciant in eis iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis eius.*

IVXTA HEBRÆVM.

Halelu Iah.

CXLIX.

1 *Propheta.* CANTATE Domino[a] canticum nouum: laus eius in congregatione gratiosorum.

2 Lætabitur Israel in factore suo: filij Sion exultabunt in rege suo.

3 Laudabunt nomen eius in choro: in tympano & cithara cantabunt ei.

4 Quia complacens Dominus[a] in populo suo: glorificabit humiles in salute.

5 Exultabunt gratiosi in honore: laudabunt super cubilibus suis.

6 Exaltationes Dei in gutture eorum: & gladius biceps in manu eorum.

7 Ad faciendam vindictam in gentibus: castigationes in populis.

8 Ad alligandum reges eorum in catenis, & inclytos eorum in vinculis ferri.

9 Ad faciendum in eis iudicium scriptum: decor hic omnibus gratiosis eius, Halelu Iah.

COMMENTARIVS.

Materia. Aduentus Christi ad iudicium.

TItulus est, *Halelu Iah.* Ex quo non habetur materia Psalmi nisi in genere. In specie autem materia Psalmi est aduentus Christi ad iudicium. In Psalmo namque hoc duo tractantur. Alterum est rex Sion: vt patet in 2. versiculo. Per quod excluduntur omnia tempora ante tempus Dauidis: quoniam constat Dauidem fuisse primum regem Sion. Alterum est decor omnium iustiorum: describuntur siquidem iusti in honore, quiete & potestate iudiciaria ad puniendum reges, proceres & populos, tanquam prolaturi sententiam scriptam: vt patet à quinto versiculo vsque ad finem. Et per hoc excluduntur tempora tam Dauidis quàm successorum eius vsque ad Messiam: quoniam nec tempore Dauidis nec tempore successorum eius legimus hác gloriam iustiorum: non dico omnium, sed nec optimatum: vt intuenti sacras historias apparet. Quo fit vt de Messia rege (hoc est in statu regio, non in statu humilitatis) Psalmus iste ad literam tractet: quo regnante iudicabunt gratiosi eius, vniuersos reges, proceres & populos punituri: iuxta promissionem Christi: *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, &c.*

SVMMARIVM EST.

PRopheta inuitat ad canticum nouum propter gloriosum aduentum regis Messiæ, magnificantis populum suum vsqueadeo quòd gratiosi eius iudicabunt cum honore & potestate, &c. non solum populos sed proceres & reges, &c.

Persona loquens Propheta est.

CANTATE

Vers. 1. CANTATE DOMINO. Diuiditur Psalmus in partes duas: propositionem materiæ, & executionem, ibi, *lætabitur*. Proponit duo: Alterum est cantandum canticum nouum propter nouitatem de qua scriptum est Apoc. 21. *Ecce noua facio omnia*. Alterum est laudem Dei futuram in congregatione gratiosorum: verè enim tunc laudabitur Deus, cum sancti eius congregabuntur tempore vniuersalis iudicij. Nuncupantur autem sancti à virtute gratiæ, quæ gratuitè aliis beneficij sumus propter Deum: eo quod in hoc homines plurimum Deum imitantur.

Vers. 2. LÆTABITVR ISRAEL. Incipit hic pars executiua tali ordine. Primò tractatur illa particula, *cantate Domino canticum nouum*. Secundò illa, *laus eius in congregatione gratiosorum*, ibi, *exultabunt*.

Tractatur itaque ratio noui cantici gloriosus aduentus Messiæ: quando scilicet veniet vt rex qui in primo aduentu venit vt subditus. Tractatur autem vt saluator populi Israel: quia ad literam *cum intrauerit plenitudo gentiũ, tunc omnis Israel saluus fiet*: vt dicitur ad Rom. 11. hac enim ratione non fit in hac particula mentio nisi de Israelitis. *Lætabitur*, tunc, *Israel*, omnis, *in factore suo & filij Sion*, optimates Iudæorum, lætabuntur in rege suo, Messia.

Chorus nomen instrumenti musici.

Vbi aduerte impliciè insinuari deitatem Messiæ: dum eodem contextu ponitur exultatio in factore, & rege: & subditur quòd laudabunt nomẽ eius in choro. Hoc in loco chorus nomen est musici instrumenti. De quo Hieronymus ad Dardanum scribit quòd constat ex simplici pelle cum duabus cicutis æreis: per quarum primam inspiratur, & per secundam vox emittitur. Dico autem hoc, quia reliqua musica sunt instrumẽta: scilicet tympanum & cithara. Et adiecit hæc Propheta, vt ex consuetis organis lætitiæ ad laudes diuinas, describat magnitudinem gaudij tunc futuri in Israelitis laudantibus nomen Messiæ. Potest tamen per chorum intelligi conuentus concinentium: & sic inuitantur ad laudandum tum conuentu concinentium, tum musicis instrumentis subiunctis.

Vers. 4. QVIA COMPLACENS. Ratio affertur tantæ laudis, tum ex beneuolentia diuina erga Israelitas; *quia complacens*, est, *Dominus*, supple sibiipsi, *in populo suo*, Israel. Tum ex parte beneficentiæ: *glorificabit humiles*, tanto tempore abiectos, *in salute*, æterna.

Vers. 5. EXVLTABVNT. Tractatur hic illa particula, *laus eius in congregatione gratiosorum*: describendo statum gratiosorum primò ab honore: secundò à quiete, *laudabunt super cubilibus suis*: tertiò ab officio glorificandi Deum, *exaltationes Dei in gutture eorum*: quartò à potestate, *& gladius bis acutus in manu eorum*. Intellige describi non quòd singuli teneant gladios in manibus: sed quòd ensis coram eis, sicut coram principibus iudicantibus gladius, sistitur in signum potestatis. Vnde & in singulari numero describitur tam gladius quàm manus: significans gladium in potestate eorum coram eis.

Gladius hic non bellicus sed iudicialis.

Et vt clarius hæc sententia percipiatur, conferantur prius & post scripta: præ se ferentia manifestè quòd non agitur de gladio bellico aut vindicta bellica, sed de gladio iudiciali & vindicta iudiciali. Describuntur siquidem sancti laudantes in cubilibus (quæ sunt quietis loca) non in locis militaribus, subiungitur quoque, ad faciendum iudicium scriptum. Ex quibus manifestè apparet gladium iudicialem & vindictam iudicialem describi: ac per hoc gratiosos non milites, sed iudices ad vindicandum: punitio enim iudicialis, proprius actus est iustitiæ vindicatiuæ.

Vers. 8. IN CATENIS. Describitur plenitudo potestatis sanctorum erga inimicos per catenas & vincula, cum plena inimicorum subiectione: tanquam reges & proceres sint alligati expectantes sententiam pronunciandam à sanctis.

Vers. 9. IVDICIVM SCRIPTVM. Actus proprius iudicum describitur iudicare non temerè, non præcipiti sententia sed scriptâ, firmatâ meditatione, legibus & scriptione. Et innuit per hoc quòd sancti facient *iudicium* prout *scriptum* (hoc est firmatum) in libro demeritorum eorum est.

Decor hic qui descriptus est (scilicet quòd in honore, quiete, potestate iudiciali exaltando Deũ iudicabũt populos & reges inimicos populi Dei) *communis est omnibus gratiosis eius*, non concessus alicui sic & alicui non. Et intellige per *gratiosos eius*, iustiores iis qui communiter sunt iusti, propterea namque describuntur non à iustitia, sed à gratia, quæ supererogat. *Halelu Iah*. laudate Deum. Amen.

PSALMVS

VVLGATA EDITIO.

1 *Halelu Iah. Halelu Iah.*

CL.

LAVDATE Dominum in sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius.

2 *Laudate eum in virtutibus eius: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius.*

3 *Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio & cithara.*

4 *Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo.*

IVXTA HEBRÆVM.

Halelu Iah.

CL.

1 *Propheta.* LAVDATE Deum in sanctitate eius: laudate eũ in extensione fortitudinis eius.

2 Laudate eum in fortitudinibus eius: laudate eum iuxta multitudinem magnitudinis eius.

3 Laudate eum in sono cornu: laudate eum in viola & cithara.

4 Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in minim & organo.

5 Laudate

5 *Laudate eum in cymbalis bene sonanti-
bus, laudate eum in cymbalis iubila-*
6 *tionis : omnis spiritus laudet Domi-
num.*

5 Laudate eum in cymbalis auditus:
laudate eum in cymbalis clãgoris.
6 Omnis flatus laudabit Deum : Ha-
lelu lah.

COMMENTARIVS.

Materia. Titulus est, *Halelu Iah*. Ex quo habetur materia Psalmi : nam totus Psalmus est inuitatio ad diuinam laudem : sunt enim sex versiculi, & duodecies repetitur laus Dei.

SVMMARIVM EST.

Propheta inuitat ad laudandum Deum voce & vniuersis instrumentis musicis : tum ratione ipsius Dei, tum ratione creationis rerum, tum ratione operum eius & magnorum & multorum.

Persona loquens Propheta est.

Vers. 1. Sanctitas est omnis diuinæ naturæ. Lavdate Devm. Psalmus iste ab executione distinguendo inchoat, diuisus in duas partes. In prima explicantur laudanda, in secunda modus laudandi, ibi, *laudate eum iuxta.* Tres rationes laudandi Deum afferuntur. Prima est sanctitas Dei, hoc est natura Dei libera ab omni potentialitate neque enim Philosophi neque Prophetæ neque Angeli diuinam naturam melius vno nomine quàm *sanctitatis* significant. Vnde & apud Esaiam Seraphim cantant pro hymno diuino : *Sanctus, sanctus, sanctus.* Vnde *laudare Deum in sanctitate eius*, est laudare ipsum in natura sua actu puro.

Secunda ratio est creatio conseruatioque rerum, significata dicendo : *in extensione fortitudinis eius*. Extensio siquidem diuinæ potentiæ est illam exire extra se, & quodammodo extendi ad res omnes creando & conseruando illas.

In fortitudinibus eius. Tertia ratio laudandi sunt fortitudines Dei : hoc est, opera Dei fortia, siue quantum ad ipsum opus (vt sunt opera magnæ potentiæ : puta cælestia, mutationes regnorum, & similia) siue quantum ad modum: vt sunt opera miraculosa, quæ sunt supra facultatem agentium naturalium. Appellantur autem fortitudines ab effectu, quia plura sunt opera fortia: in Deo enim vnica est fortitudo, sicut & vnica misericordia : quæ pluraliter dicuntur fortitudines & misericordiæ ratione plurium effectuum.

Vers. 2. Lavdate evm ivxta mvltitvdinem magnitvdinis eivs. Expeditis rationibus laudandi (comprehendentibus & Dei naturam & rerum vniuersum) proponit modum laudandi : vt scilicet multipliciter laudent Deum sicut multiplex est magnitudo Dei. Vbi duo dicuntur: Alterum est quòd non vno tantum modo sed multis modis laudetur Deus. Alterum est, catio ad hoc, iuxta multitudinem magnitudinis Dei. In quo innuitur quarta laudandi ratio: scilicet multitudo effectuum diuinæ magnitudinis : non enim aliter diuina magnitudo habet multitudinem quàm secundùm effectum. Et intendit hinc ad literam reddere rationem subiungendorum : scilicet quare Deus laudandus est cum tanta multitudine & varietate instrumentorum musicorum : modum enim quem hîc dicit in genere, statim subiungit explicando in speciebus multis afferendo multa genera musicorum.

Vers. 4. Et choro. Distingue vt in præcedenti Psalmo.

Minim quid. In minim. Dictio Hebraica est : significans aut multas species musicorum sonorum, aut (vt alijs placet) instrumentum musicum nobis ignotum.

Cymbalorum duo genera. *Vers. 5.* In cymbalis avditvs. Duo cymbalorum genera hic commemorantur : scilicet cymbala auditus & cymbala clangoris, quæ an sint diuersa instrumenta, an distinguantur ex diuersis vnius instrumenti conditionibus, certus non sum. Appellantur *cymbala auditus* ea quæ à longè audiebantur : *cymbala* autem *clangoris* ab officio seu vsu in publica lætitia dicuntur : ex eo quòd vsus eorum erat in publicis lætitiis. Et sunt illa quibus hodie vtuntur puellæ in choreis : vtâ manu gestantes cymbalum, & altera percutientes illud ad musicum sonum excitandum.

Vers. 6. Omnis flatvs lavdabit Devm. Ne per singula instrumenta musica, singulasque species musicæ discurrendo, prolixior fieret sermo, enumeratis fortè omnibus generibus instrumentorum musicorum quæ tactu sonant, vnico verbo concludit omnia genera instrumentorum musicorum quæ vitali flatu sonant: ad hæc enim duo genera (scilicet vel flatu vel tactu) reducuntur omnia instrumenta musica. Et sub flatu intellige etiam naturale instrumentum cantandi: quoniam vitalis flatus plus seruit locutioni quàm instrumentis musicis. Et sic sub omni flatu concinetur tam cantus quàm sonus qui fit humano flatu.

Halelu Iah, laudate Deum. Et iterum laus Deo : quia concessit ex sola sua gratia terminum Commentariorum horum.

Romæ in solemnitate Paschali anni Domini millesimi quingentesimi vigesimiseptimi : ætatis autem meæ anno nono supra quinquagesimum. Amen.

Commentarij Thomæ de Vio *Cardinalis Caietani in Psalmos.*

FINIS.

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. SIXTI.

IN PARABOLAS SALOMONIS COMMENTARII.

CAPVT I.

Vers. 1.

PARABOLÆ SALOMONIS, FILII DAVID, REGIS ISRAEL. Expositis omnibus prioribus veteris Testamenti libris, exponendus occurrit liber Parabolarũ Salomonis, iuxta Hebraicam veritatem, secundùm sensum literalem. Occurrit autem cum corporis ęgritudine pedetentim prorogandus. Vbi notandum est, quòd inter Hebræos Scriptores, Salomon inuenitur primus, qui proprij nominis titulo librum insignitum ediderit. Libri siquidem Moysi, Iob, Psalterium, & reliqui historiales libri ante Salomonem editi, nullum præ se ferunt Authorem: Salomon autem inchoat librum suum à nomine proprio, dicendo: *Parabolæ Salomonis, filij David, Regis Israel*. Et nisi laudabile esset, Authorem libri in principio manifestare, non fuissent Salomonem imitati Prophetæ posteriores, Isaias, Ieremias, Ezechiel, &c. incipientes libros suos à nominibus propriis. Confert siquidem hoc ad authoritatem libri, in cuius signum libri carentes certo Authore, supputantur ab Ecclesia inter apocrypha. *Parabola*, Gręca dictio est, non Hebraica: nam in Textu Hebræo scribitur, *Misle*, Latinè, *similitudines*. Græcè autem interpretatæ sunt Parabolæ, eò quòd sententiæ sunt iuxta se positæ secundùm similitudinem: docet enim Salomon per similitudines in hoc libro. Et quoniam scientia contrariorum est vna & eadem; ideò docere per dissimilitudines, sub doctrina per similitudines comprehenditur. Quocirca non miraberis, si frequenter in hoc libro inuenies documenta multa non per similitudinem, sed per dissimilitudinem. Appellat verò se filium Dauidis, seruando antiquorum morem ad perpetuandum patrem in nomine, vt vel sic grati essent parentibus, propter quod etiam regiam patris dignitatem commemorat.

Salomon primus inter Hebræos suis libris proprium nomen apposuit.

Laudabile est, in principio Authorem libri manifestare, in quo causa efficiens exprimitur.

Nomen libri.

Materia libri sunt similitudines, & dissimilitudines.

Quare se filium Dauidis appellat.

Vers. 2.

AD SCIENDAM SAPIENTIAM. Ecce, ad quid ordinantur Salomonis Parabolæ. Manifestat enim, quòd Parabolæ subiunctæ tendunt ad duas operationes, videlicet, scire, & intelligere: ita quòd sententia literę non est completa, sed vnica oratio vsque ad illa verba: *Timor Domini*, &c. & est sensus: Salomonis, filij Dauid, Regis Israël, Parabolę, seu similitudines, sunt ad sciendum sapientiam, &c. Veruntamen duę istæ operationes proponuntur duobus modis. Primò in genere, & posteà in specie distinguendo per partes.

Finis parabolarum.

ET DISCIPLINAM. Iuxta Hebræum habetur: *Et eruditionem*. Primus itaque fructus Parabolarum istarum scribitur, scire sapientiam, & eruditionem. Et est sermo de scire practico, hoc est, notitia certa, qua scimus, non vt sciamus; sed vt operemur, quale est scire morale. Sapientia verò non sumitur pro intellectuali habitu à Philosophis distincto contra scientiam, intellectum, artem, & prudentiam; sed vt est ratio humanarum actionum, recta secundùm altissimam causam, quæ Deus est, vt inferius Salomon manifestabit. Eruditio autem non restringitur ad docere, & discere; sed, vt extenditur ad appetitiuam partem, & ad actiones, ac passiones, etiam externas, quibus castigamur, vt Litera ipsa subiunget.

Parabolarum vtilitas.

Scire morale.

Vers. 3.

AD INTELLIGENDA VERBA PRVDENTIÆ. Iuxta Hebræum habetur: *Ad intelligendum dicta intelligentiæ*. Ecce alter Parabolarum fructus in genere,

Alter parabolarũ fructus.

Sapientia comprehendit intellegentiam & scientiam.

nem. Magnificat itaque scire, quod inchoatur à timore Dei, nominando ipsum sapientiam. Ac si apertiùs dixisset: Loquor de scire, non quocunque, sed quod est sapere. Adiungit verò eruditionem, vt viam ad sapientiam: stulti enim despicientes sapientiam, despiciunt quoque viam ad sapere: contemnunt enim erudiri. E regione timentium Deum, distinguit stultos, vtpote prauum iudicium habentes de actionibus humanis secundum supremam causam, & regulam, quæ Deus est, fons essendi. Tales itaque stulti expertes sunt sapientiæ: quia despexerunt eam, & viam ad ipsam. Ex propria itaque culpa priuantur sapientia stulti, ad quam accedunt timentes Deum. Hæc duo proponit Salomon, vt cognoscamus, quales sunt homines sapientes, & quales non sapientes; & quare aliqui acquirunt sapientiam, & aliqui non; simulque discernamus, de qua sapientia est sermo, declaraturus in residuo huius capituli ambo.

Quales sint sapientes, & qui minus.

Vers. 8. AVDI, FILI MI, DISCIPLINAM PATRIS TVI. Iuxta Hebræum legendum esset: *Eruditionem*. Declaraturus Salomon duo proposita, tractat ea primùm domi, deinde foris, hoc est, primùm in doctrina domestica, deinde in doctrina politica. Et in domestica quidem doctrina incipit à primo præcepto, videlicet, honorandi parentes: quia timor Dei naturali ordine per parentes proficiscitur ad filios: parentes enim tenentur, non solùm corpora alere; sed animos filiorum instruere. Ad imbuendum itaque pueros timorem Dei, initium sapiendi, alloquitur Salomon eos dicens: *Audi, fili mi, eruditionem patris tui.* Hoc est enim primum præceptum in secunda tabula. Nam prima honoris pars debita parentibus est, cum audire documenta paterna, tum seruare leges maternas. Meminit autem vtriusque parentis: non solùm, quia vtrique obedire debet filius; sed etiam, vt à cunabulis quodammodo imbuatur filius timorem Dei ex maternis documentis: prioris enim ætatis tempora cum matre potiùs sunt, quàm cum patre.

Parentes tenentur non solum corpora, sed & animos filiorum alere.

Prima pars honoris debiti parentibus.

Vers. 9. VT ADDATVR GRATIA CAPITI TVO: ET TORQVES COLLO TVO. Iuxta Hebræum habetur: *Quia copulatio gratiæ ipsæ capitibus tuis, & torques collis tuis.* Et est sensus: *quia ipsæ*, eruditio, & lex, *erunt copulatio gratiæ capitibus tuis*, hoc est, principiis tuis: *& torques* (hoc est, circuli, ornamenta colli) *erunt collis tuis*, hoc est, actionibus tuis iungentibus principia, corporinegotiationum. Ideò enim filium alloquens dicit, *capitibus tuis*, & *collis tuis*, vt intelligamus, quòd non propriè de capite, & collo; sed secundùm similitudinem loquitur. Promittit itaque audienti præcepta parentum, adiungendam gratiam principiis conuersationis eius, & apponenda ornamenta subsequentibus actionibus. Et significat hîc *gratia* venustatem, qua vir, siue mulier, consueuit dici, quòd apparet in oculis aliorum gratiosus, quod vulgò dicimus, *agratiato*. Huiusmodi enim gratia præcipuè apparet in facie, quæ est in capite. Et per hoc declaratur præmium in præsenti vita eius, qui incipit timere Deum, parendo parentibus.

Vers. 10. FILI MI, SI TE LACTAVERINT PECCATORES, NE ACQVIESCAS EIS. Iuxta Hebræum habetur: *Fili mi, si incitauerint te peccatores, non voles.* Domesticam doctrinam timoris Dei, postquàm manifestauit à parentibus tradi; manifestat consequenter, à peccatoribus corrumpi. E regione itaque parentum non distinguit extraneos, sed peccatores: eò quòd parentes præsupponit fungi officio parentum rectè instituendo filium: aduersùs autem rectos secundùm Deum instructores, peccatores soli militant, vtpote à recto recedentes, & obstare principiis admonet dicendo: *Si incitauerint te.* Prima enim peccatorum actio ad trahendum aliquem, ad peccatum, inuitatio est. Et resistentiam describit in radice interna, quæ maximè est in hominis potestate, dicendo: *Non voles.* Nihil enim tam est in nostra libertate, quàm velle, tutus quisque est ab incitatione externa peccatorum.

Prima peccatorum actio ad trahendum ad peccatum.

Nihil tam in nostra potestate, quàm velle, & nolle.

SI DIXERINT: VENI NOBISCVM. Non sat fuit Salomoni admonere filium à peccatorum incitationibus in genere; sed descendit ad speciem, ne inexpertus fallatur sub specie parui mali annexi magno bono: huc enim tendit præsens documentum, iuxta Hebraicam veritatem: introducit enim peccatores suadentes adolescenti sub specie diuitiarum, rapinam absque effusione sanguinis, vt facilè adolescens ad paruum rapinæ malum trahatur amore diuitiarum absque sanguinis iniuria. Vers. 11.

INSIDIEMVR SANGVINI, ABSCONDAMVS TENDICVLAS CONTRA INSONTEM FRVSTRA. Iuxta Hebræum habetur: *Insidiabimur sanguini, abscondemus mundo gratis.* Et est sensus: Agemus nosmetipsos, tanquàm insidiantes sanguini, hoc est, tanquàm occisuri simus. Et modum subiungit: *abscondemus* nosmetipsos viro *mundo*; viro, qui nos non offendit, qui se non custodit à nobis: abscondemus autem *gratis*, hoc est, absque vlla causa, absque vlla irritatione.

DEGLVTIAMVS EVM, SICVT INFERNVS VIVENTEM; ET INTEGRVM, QVASI DESCENDENTEM IN LACVM. Iuxta Hebræum habetur: *Glutiemus eos, sicut fouea viuos; & integros, sicut descensores putei.* Hoc est, non occidemus eos, neque percutiemus vulnerando eos; sed ad instar foueæ glutiemus eos viuos, siue per foueam intelligas carcerem, siue foueam, in quam aliquis cadit viuus, & illæsus: & similiter glutiemus eos integros, sine vulneribus, & liuoribus percussionum, sicut descensores putei; hoc est, sicut, qui descendunt in carcerem confiscatis eorum bonis. Suadent enim peccatores adolescenti, quòd insidiabuntur quidem tanquàm percussuri, & occisuri; non tamen occident, aut percutient; sed capient homines viuos, & illæsos in personis, vt adolescens horrens homicidia trahatur ad rapinam, tanquàm paruum malum. Vers. 12.

ET OMNEM PRETIOSAM SVBSTANTIAM REPERIEMVS. Superfluit coniunctio, &c. Fructum insidiarum promittunt diuitias, quas inuenient captis hominibus viuis: & sententia est clara. Vers. 13. & 14.

FILI MI, NE AMBVLES CVM EIS, (deficit, in via.) Monet Salomon adolescentem, vt cum dicentibus hæc, non communicet, ambulando in via electa ad congregandas diuitias. Vers. 15.

PROHIBE PEDEM TVVM, (hoc est, affectum tuum,) A SEMITIS EORVM, ad acquirendas diuitias. Directè enim monet contra suasionem peccatorum, qui dixerunt: *Veni nobiscum.*

Vers. 16. Pedes enim illorum ad malum currunt, (pro, current,) et festinabunt ad effundendum sanguinem. Rationem reddit declinandi ab eis, quia mentiuntur promittendo, quòd non effundent sanguinem, quoniam pedes eorum festinabunt, non ad insidiandum sanguini; sed etiam ad effundendum sanguinem: & rursus, quia pedes eorum current, non solùm ad bonum diuitiarum; sed etiam ad malum. Occurrit autem
Quæstio. hic quæstio de hac particula: quia pedes eorum current ad malum, eò quòd supponit, adolescentem non cognoscere, quòd rapina sit malum. So-
Solutio. lutio est: vel, quòd Salomon rationem mali in tali modo acquirendo diuitias, aperit adolescenti: nemo enim operatur aspiciens ad malum. Et sic est sensus: quia pedes eorum current ad malum congregaturi diuitias ex rapina: quia ipsa rapina malum est culpæ. Vel (quod potiùs crediderim) præsupponit Salomon huiusmodi rapinam non reputari malum, sicut nec bellum reputatur malum: peccatores enim isti proponunt societatem prædonum facientium excursiones quasi bella. Et propterea dicit: quia *pedes eorum currens ad malum*, appositiuè festinando ad effundendum sanguinem: ac si apertiùs dixisset: Esto, quòd non reputetur malum huiusmodi modus congregandi diuitias absque effusione sanguinis; scito tamen, quòd mentiuntur: quia *pedes eorum current ad malum*, vtpote festinantes ad effusionem sanguinis: effusio enim sanguinis reputabatur manifestè mala. Est itaque ratio ista, argumentum ad hominem, non reputantem similem rapinam malum; reputantem autem homicidium malum.

Vers. 17. Frustra autem iacitur rete ante oculos pennatorum. Iuxta Hebræum habetur: *Quia frustra spargitur rete in oculis omnis heri alæ.* Et
Herus alæ. appellatur *herus alæ*, animus habens in potestate sua libera vsum alarum. Ratio redditur, quare pedes eorum currunt ad effundendum sangui-
Similitudo verò in duobus consistit. nem, afferendo similitudinem ex auium venatione, quæ fit retibus. Et consistit similitudo in duobus: alterum est, quòd, sicut venatores in oculis auium spargunt rete frustrà: alterum est, & sicut insidiantur sanguini auium ad tollendam eorum vitam; ita viæ omnis raptoris substantiæ animam dominorum eius tollent. Et primùm quidem aperitur, quòd societas huiusmodi prædonum est vana, ad effectum, quem ipsi prædones proponunt; quemadmodum sparsio retis vana est ad capiendum aues; quia manifesta est oculis auium. Et intendit, quòd societas huiusmodi prædonum, non potest latere, sed manifesta erit; ac per hoc homines diuites cauebunt sibiipsis, & rebus suis, ne capiantur viui, & facultates eorum diripiantur. Per alterum verò intendit, quòd, quemadmodum insidiantes auibus tendunt ad occisionem earum; ita insidiantes ad inferendam vim, vt diripiant aliena, tendunt ad effundendum sanguinem dominorum rerum. Corrige itaque literam:

Vers. 18. Ipsi quoque contra sanguinem suum insidiantur, et moliuntur fraudes contra animas suas. Nam iuxta Hebræum habetur: *Et ipsi sanguini eorum insidiabuntur, abscondent animæ eorum.* Et est sensus: & ipsi venatores, quia frustrà spargitur rete ante oculos auium, vtentur insidiis ad sanguinem eorum pennatorum, abscondendo instrumenta venatoria ad vitam tollendam eorundem: hæc est enim secunda pars similitudinis. Deinde immediatè subiungitur similitudinis applicatio.

Sic viæ omnis raptoris substantiæ, Vers. 19.
animam dominorum illius tollet. Mutatur enim plurale in singulare, frequenter apud
Differentia raptoris, & furis. Hebræos. Et significanter nominat raptorem, qui violentia viuit: ad differentiam furis, qui nititur occultè tollere aliena. Et per hanc similitudinem intenditur, quòd prædonum societas, cùm non possit latere, & rapere, sua vita diuitum; oportet, vt tendant ad sanguinem effundendum resistentium; seu cauentium, vt possint rapere res eorum.

Sapientia foris prædicat. Iuxta He- Vers. 20.
Dicitur, sonare, clamare, quacumque ex causa id fiat, siue fletus, siue gaudij. bræos habetur: *Sapientia foris cantabunt.* Declarato subiecto sapientiæ (quòd, videlicet, est doctrina, de timens Deum,) ex domestica doctrina publica, quòd clarat consequenter ex doctrina publica, quòd sapientiam, atque eruditionem stulti despexerunt, quod fuit alterum propositorum. Et primum quidem in genere dicit: *Sapientia foris cantabunt*, hoc est, non solùm domi discitur sapientia, vt traditur à parentibus; sed sapientiæ multæ commensuratæ diuersis qualitatibus personarum foris extra domum cantabunt, hoc est, voce perceptibili & suaui
Triplex cantandi modus sapientia. loquentur. Modus autem loquendi non manifestatur in Litera, & est triplex. Vel per opera naturalia, seu miraculorum: nam per naturalia opera locuta est sapientibus, qui, cùm Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt: per miracula verò locuta est Ægyptiis, & Chananæis, inimicis Israëlitarum. Vel per Doctores, seu Prophetas, vt frequenter legimus, & videmus. Vel per internam inspirationem, quam aliqui sequuntur, & aliqui non. Deinde distinguendo per partes nominat tria contenta sub hoc, quod dixerat foris. Quorum primum est:

In plateis dat vocem suam. Paruì refert, quòd Hebraicè habetur: *In latitudinibus dabis vocem suam.* Secundum est: Iuxta Vers. 21.

In capite turbarum clamitat. *In capite tumultuantium* Hebræum habetur: *In capite tumultuantium vocabit.* Tertium verò est:

In foribus portarum vrbis profert verba sua dicens. Parui quoque refert, quòd Hebraicè habetur: *In introitibus portarum, in ciuitate dicta sua dicet.* Et per hæc tria com-
Tria hominum genera prehendit omnia hominum genera. Nam in latitudinibus homines in villis, & territoriis habitantes; in tumultuantibus homines congregati ad bella, & huiusmodi; in introitibus portarum ciues principali parte, (hoc est, iudicibus & senibus in porta sedentibus) significantur, vt cognoscatur, quòd nullus eximitur ab audienda sapientia, nul-
In capite, quæ sonus sapientiæ... lum sapientia excludit à doctrina sua. Quòd autem dicitur, in capite, significat, vel in principio; quia in principio apparatus belli præcipuè exercetur sapientia: vel in Principe; quia ad Principes belli præcipuè dirigitur sapientiæ sermo: vel in eminentia quia tanquam ex supernis tangit sapientia milites viros, qui à tumultu nominantur, eò quòd congregationes magnæ sonare consueuere rumorem, qui tumultus hîc appellatur.

Vagu

Vers. 22. VSQVEQVO, PARVVLI, DILIGITIS INFANTIAM, ET STVLTI EA, QVÆ SIBI SVNT NOXIA, CVPIENT, ET IMPRVDENTES ODIBVNT SCIENTIAM. Iuxta Hebræum habentur hæc tria sic: *Vsquequo simplices amabitis simplicitatem, & derisores derisionem cupiunt sibi, & stulti odio habebunt scire?* Simplicitas hoc in loco nomen est vitij, alioquin non supputaretur inter vitia, nec reprehenderetur eius amor: sonat autem vitium oppositum prudentiæ, hoc est, incutiam callendi agenda, & vitanda: sunt enim quidam, qui negligunt ingeniosa media ad veram felicitatem assequendam, & hi appellantur simplices, & arguuntur, quòd diligunt perseuerare in huiusmodi incutia. Derisores verò veræ felicitatis arguuntur, quòd perseuerant, cupiendo derisionem sibi ipsis; cupiendo, inquam, non affectu, sed facto, futuram in alia vita derisionem ipsorummet. Deridebuntur enim tunc, qui nunc derident studentes peruenire ad æternam felicitatem. Stulti autem secundùm supremum diuini iudicij tribunal malè iudicantes (vtpote, non credentes Deum habere curam humanorum actuum in singulari) increpantur, quòd perseuerant in odio sciendi veritatem diuinæ prouidentiæ. Et verè odio habent scire diuinam prouidentiam erga singularia, tanquàm malum, tanquàm indignum diuina celsitudine. Et in his tribus generibus peccatorum comprehenduntur peccatores omnes perseuerantes in peccatis, pro quanto omnes reducuntur ad aliquod horum trium generum.

Vers. 23. CONVERTIMINI AD CORREPTIONEM MEAM. Parum refert, quòd Hebraicè habetur: *Reuertimini ad increpationem meam.* Monentis sunt verba, vt quandoque reuertantur ad seipsos, audiendo increpationem sapientiæ, quæ (vt dictum est) multipliciter fit.

EN PROFERAM VOBIS SPIRITVM MEVM. Dictio interpretata, *proferam*, non plenè redditur: quoniam significat, *proferre abundanter*. Promittit sapientia pœnitentibus perfectionem vtriusque partis animi, voluntatis, scilicet, & intellectus. Et quoad voluntatem quidem promittit: *En proferam abundanter vobis spiritum meum*: impulsum internum sapientiæ, quod est magnum donum. Et verificatur ista oblatio, quantum est ex parte sapientiæ. Nisi enim homo ponat obicem, minus se disponens, datur ei abundanter internus sapientiæ impulsus ad sapienter agendum, loquendum, tacendum, &c. Quoad intellectum verò subiungitur:

ET OSTENDAM VOBIS VERBA MEA. Iuxta Hebræum habetur: *Faciam vos scire verba mea.* Magna intellectus perfectio est, scire verba sapientiæ: & verificatur huiusmodi scire in omnibus iustis relatiuè ad vitam æternam: quilibet enim iustus scit sapientiæ verba sibi opportuna ad vitam æternam.

Vers. 24. & 25. QVIA VOCAVI, ET RENVISTIS: EXTENDI MANVM MEAM, ET NON FVIT, QVI ASPICERET: DESPEXISTIS OMNE, &c. Ad impœnitentes sermonem sapientia dirigit. & vocationem, manum, consilium, ac increpationem suam despici commemorat. Et vocatio quidem beneficium extendit; extensio verò manus, oblationem auxilij; consilium autem instructionem ad eligendum bona; increpatio demum respectu malorum est. Parum autem refert, quid iuxta Hebræum legendum esset: *Et euertistis omne consilium meum, & increpationem meam non voluistis.* Euertunt enim sapientiæ consilium vniuersum, posthabentes diuinam prouidentiam circa humanas actiones in particulari.

Vers. 26. EGO QVOQVE IN INTERITV VESTRO RIDEBO. Dictio interpretata, *interitu*, sonat *fractionem*. Dicitur siquidem risus refertur ad derisores, non quòd diuina sapientia risura sit propriè; sed ad instar ridentis describitur, ad significandum, quòd pœnas debitas reddet eis, qui noluerunt eam, & humano more correspondentes peccatis pœnas describit. Intendit autem per *fractionem*, mortem.

SVBSANNABO, CVM VOBIS ID, QVOD TIMEBATIS, ADVENERIT. Iuxta Hebræum habetur: *Subsannabo, veniente timore vestro.* Idem significatur, sed alia ratione: sumitur enim timor pro re, quam timemus. Negligentes enim ea, quæ sunt sapientiæ, non timent malum aliquod futuræ vitæ, sed duntaxat mortem, (quam vltimum terribilium credunt,) & alia præsentis vitæ mala. Mors ergo appellatur fractio relatiuè ad vires corporis: appellatur & timor vester, hoc est, nolentium sapientiam, quia est apud eos vltimum, quod timent.

Vers. 27. DVM IRRVERIT REPENTINA CALAMITAS, ET INTERITVS QVASI TEMPESTAS INGRVERIT, QVANDO VENERIT SVPER VOS TRIBVLATIO, ET ANGVSTIA. Iuxta Hebræum habetur: *Veniente sicut desolatione timore vestro; & fractione vestra sicut turbine: veniente super vos angustia, & angustia.* Declarat, qualis est mors istorum, quæ appellata est timor, & fractio eorum. Declarat autem tripliciter, primò quòd venit, sicut desolatio, deinde quòd venit sicut turbo, & demum quòd venit cum angustia & angustia. Oportuit autem à sapientia declarari istas conditiones mortis iniquorum, ad manifestandum, quòd mors non est huius vitæ priuatio tantum, sed annexa habet multò peiora futuræ vitæ mala. Propterea enim describitur, quòd venit sicut desolatio priuans desolatum omni extrinseco, & similiter describitur veniens vt ventus vehemens, propellens ad extranea: vt intelligamus, quòd peccator moriens remanet viuus secundum spiritum: propterea enim describitur miser tanquam desolatus, & tanquam propulsus à vento vehementi. Nam & desolatus viuit, & propulsus à vehementi vento viuit. Vnde & demum miseria eius describitur ex multiplicatis vndique angustiis. Viuit enim, qui vndique angustiatur. In tali itaque miseria peccatorum dicit sapientia, quòd ridebit, & subsannabit, derisibiles & subsannabiles reddendo eos.

Vers. 28. TVNC INVOCABVNT ME, ET NON EXAVDIAM: MANE CONSVRGENT, ET NON INVENIENT ME. Quod interpretatum est, *mane consurgent*, legendum iuxta Hebræum est, *quærent me*. Lege Euangelium, & inuenies diuitem in tormentis inuocantem: *Pater Abraham, miserere*, &c. & intelliges verum esse, quod hic scribitur de damnatis: *Tunc inuocabunt, & non exaudiam: quærent me, & non inuenient.* Quæsiuit enim diues ille sapientiam, saltem pro fratribus, nec inuenit.

Quadruplex beneficium sapientiæ, respectu impœnitentium.

Deseruistis, neglexistis.

Quare mors fractio, & timor appellatur.

Duæ dictiones, zara, & zuca.

Qualis sit mors impiorum ex triplici capite declaratur.

Mors vt desolatio.

Mors vt ventus.

Mors vt angustia.

Diues in inferno non exauditur.

Cur stulti, simplicitas nomen vitij, & quinam simplices sint.

Derisores qui.

Stulti qui.

In his tribus generibus peccatorum reliqua comprehenduntur.

Quomodo totius animæ perficitur sapientia.

Donum sapientiæ non ponentibus obicem.

Vers. 29. & 30. EO QVOD EXOSAM HABVERINT DISCIPLINAM, *&c.* Quatuor hæc iuxta Hebræum legenda sic sunt: *Pro eo, quòd oderunt scire, & timorem Iehouah non elegerunt; non voluerunt consilium meum, irritauerunt omnem increpationem meam.* Ratio non exaudiendi post mortem reddirnt: quia perseuerarunt in his quatuor iniuriis sapientiæ; & ex hoc ipso, quòd ex peccatis præteritis ratio redditur non exaudiendi inuocantes, & quærentes; habetur, quòd de inuocantibus post mortem, & quærentibus post mortem, est sermo: peccata enim præterita non sufficiunt ad impediendum exauditionem inuocantium in hac vita: quoniam, in quacunque hora ingemuerit peccator, promittitur venia.

Ratio non exaudiendi post mortem.

Ezech. 33.14.

Vers. 31. *Pœna sensus.* COMEDENT IGITVR, *&c.* Declarata pœna damni, subiungitur pœna sensus, dicendo: *Et comedent de fructu viæ suæ:* non comedent de fructu viarum sapientiæ; sed de fructu viarum propriarum iniquarum: *Et saturabuntur de fructu consiliorum suorum.* Pœnas enim luent tanquàm comedentes vsque ad satietatem.

Vers. 32. AVERSIO PARVVLORVM. Iuxta Hebræum habetur: *Quia error simplicium occidet eos, & pax stultorum perdet illos.* Resoluit redeundo ad primò propositos timentes Deum, & stultos. Cùm prius reddiderit pro causa damnationis, iniurias sapientiæ; modò adiungit declarando, finctus viarum, & consiliorum, sapientiam nolentium, fore mortem, & perditionem. Nec est sermo de morte corporis; sed de morte æterna, ac perditione animæ. Vbi & illud annotabis, quòd simplicium (hoc est, imprudentium) error asseritur interfector eorum, ne putes venialem esse errorem imprudentiæ.

Error imprudentiæ non venialis.

Vers. 33. QVI AVTEM ME AVDIERIT. E regione meriti, & pœnæ simplicium, atque stultorum, collocat meritum, ac præmium audientium sapientiam.

ABSQVE TERRORE QVIESCET, ET ABVNDANTIA PERFRVETVR, *&c.* Iuxta Hebræum: *Habitabit confidenter, & requiescet à timore malorum.* Illorum pœna non credita differtur in alteram vitam: istorum præmium incipit in hac vita, in qua iusti habitant confidentes in Deo, & inde quietem animi sortientes à timore malorum futuræ vitæ. Expectant enim aduentum Domini ad gloriam, &c. Potest quoque particula ista intelligi de corporalibus bonis promissis in lege Moysi obedientibus legi diuinæ. Ex eo enim, quòd Salomon instruit filium, non incongruè intelligimus, quòd sapientia introducitur alloquens filios sub lege omnes, & in calce præmiorum, ac pœnarum, commemorans pœnas, ac præmia pollicita à lege in terra promissionis: vt etiam ex malis, ac bonis imminentibus in præsenti vita, alliciat ad sapientiam, & retrahat ab insipientia.

Tit. 2.13.

CAPVT II.

Vers. 1. & 2. FILI MI, SI SVSCEPERIS, *&c.* In primo capitulo dictum est: *Audi fili mi,* &c. & primum documentum paternum explicatum est, vt caueat filius ab incitationibus, & suggestionibus peccatorum. In hoc autem capitulo, secundum documentum paternum explicatur, vt filius attentas habeat aures sapientiæ. Iuxta Hebræum enim vnica habetur sententia sic: *Filii mi, si susceperis dicta mea, & mandata mea recondes tecum, ad faciendum attendere sapientiæ aures tuas.* Et statim subiungitur fructus huiusmodi attentionis, dicendo: *Inclinabis cor tuum intelligentiæ.* Vide progressum. Primùm dicit: *Audi, fili mi, eruditionem patris tui.* modò aperit modum audiendi dicendo: Fili mi, si susciples dicta mea, & recondes tecum, ita vt non vanè audias, & obliuioni tradas; sed recondas tecum ad hoc, vt attendas ad discendum ea, quæ sunt sapientiæ, (auditus enim sensus est disciplinæ,) habebis fructus subiunctos, quorum primus est, quòd inclinabis cor tuum intelligentiæ, hoc est, subiicies voluntatem tuam his, quæ intelliges. Magnum Dei donum est, vt homo bonis, quæ intelligit amanda, subiiciat cor suum: videmus enim, & probamus sæpissimè bona; & tamen sequimur mala. Ex hoc itaque, quòd filius studet ad hoc, vt discat sapere, assequitur fructum hunc, quòd subiicit cor suum intellectis.

Secundum dogma.

Primus fructus sapientiæ, obedire Deo.

Magnum Dei donum, operari bona, quæ nouimus.

Vers. 3. SI ENIM SAPIENTIAM INVOCAVERIS, ET INCLINAVERIS COR TVVM PRVDENTIÆ. Iuxta Hebræum habetur: *Quia, si intelligentiam vocabis, intelligentiæ dabis vocem tuam.* Ecce fructus secundus ex eodem ramo: vocare enim intelligentiam spectat ad attentionem dicendi: fructus autem est etiam vocem, hoc est, sermonem dare intelligentiæ; ita quòd, qui non solùm cor; sed etiam locutionem subiicit intelligentiæ, intùs, & extrà acquirit seipsum regularum sapientia.

Secundus fructus sapientiæ est, regulari intùs, & extrà.

Vers. 4. SI QVÆSIERIS EAM QVASI PECVNIAM, ET SICVT THESAVROS EFFODERIS ILLAM. Dictio interpretata, *effoderis,* significat, inquirere: Interpres enim speciem pro genere posuit. Diligentiam discendi describit, à similitudine quærentis argentum, & thesauros; perinde ac si dixisset: Si attendens ad discendum sapientiam, simili affectu, ac studio, quo inquiruntur thesauri crediti alicui, (quomodo homines quærunt ditari,) consequeris fructum tertium.

V[illegible] TVNC INTELLIGES TIMOREM DOMINI. Nomen est, *Iehouah* Hoc est, tunc intelliges timendo à summo Deo. Discernes enim metuenda à non metuendis relatiuè ad Deum fontem essendi; nec timebis, quæ mundani timent.

ET SCIENTIAM DEI INVENIES. Nomen est, *Elohim.* Hoc est, & inuenies scire secundùm Elohim, id est, Iudicem vniuersorum. Itaque tertius iste fructus integratur ex intelligere timenda à Deo; & scire secundùm rationem summi Iudicis.

Tertius fruc[illegible] intelligere [illegible] eius [illegible] sunt.

Vers. 6. QVIA DOMINVS DAT SAPIENTIAM, ET EX ORE EIVS SCIENTIA, ET PRVDENTIA. Iuxta Hebræum habetur: *Quia Iehouah dabit sapientiam, de ore eius scire, & intelligentia.* Modus, quomodo fructus isti acquiruntur, manifestatur, ne putaretur, quòd ex vi humani studij nascerentur fructus isti in homine, tanquàm ex causa sufficiente; sed cognosceretur, quòd humanum studium concurrit ad fructus sapientiæ, vt præparatio, & dispositio; Deus autem, vt largitor. Proptereà enim dicit: Quia Iehouah dabit sapientiam, intùs nos operando. & rursus: Quia ex ore eius (hoc est, ex reuelatione ipsius Dei) proficiscitur, & scire, & intelligere humanum. Nisi enim Deus reuelasset ea, quæ sunt prouidentiæ eius, & æternæ vitæ,

Non ex [illegible] dis hu[mani] nascitur [fruc]tus sapie[ntiæ], sed ex [reuela]tione di[uina].

tæ, æternique supplicij, ignoraremus, & nec scire, nec intelligere secundum Deum esset in nobis.

Vers. 7. CVSTODIET RECTORVM SALVTEM. Iuxta Hebræum habetur: *Et recondet rectis legem.* Dixerat, inquirendam esse sapientiam, sicut reconditum thesaurum, explicat consequenter, apud quem recondita est sapientia, videlicet, apud Deum, qui recondit eam, non, vt pateat hominibus illa; sed, vt det illam hominibus, non omnibus, quia respuentes eam reddunt se indignos, sed rectis quidem sub forma legis, eiusque quod rectos efficit aliorum legem. Rectum enim est index sui, & obliqui.

Quare Deus recondat sapientiam.

ET PROTEGET GRADIENTES SIMPLICITER. Iuxta Hebræum habetur: *Scutum ambulantibus in puritate.* Hoc est: Ambulantibus autem purè, recondet Deus sapientiam, vt faciat eos quod purè ambulantes tanquam scuto tuetur aliorum puritate: & hoc frequenter videmus in hominibus rectis, operantibus sine dolo, & fraude, animo puro.

Iustitia, sapientia, et morum perfectione ornatos protegit Deus.

Vers. 8. SERVANS SEMITAS IVSTITIÆ. Iuxta Hebræum habetur: *Ad custodiendum semitas iudicij.* Et reddit, dat, & recondit Deus, & duo fines explicantur: alter, ad custodiendum vias iudicij in hominibus, qui iudicant alios, alter est.

Propter duos fines dat Deus, & abscondit sapientiam.

ET VIAS SANCTORVM CVSTODIENS. Iuxta Hebræum habetur: *Et viam misericordium eius custodiet.* Dictio interpretata, *misericordium*, significat propriè gratiam facientes: non enim ex passione misericordiæ; sed ex spontaneo animo dantes significat. Et additur pronomen, *eius*, ad differentiam eorum, qui non propter Deum liberaliter donant. Est itaque sensus, custodiet viam eorum, qui liberaliter donant propter Deum.

Vers. 9. TVNC INTELLIGES, &c. Iuxta Hebræum legendum est: *Tunc intelliges iustitiam, & iudicium, & rectitudines omnis viæ tuæ.* Paulò superius dixit: *Si quæsieris eam, sicut thesaurum, tunc intelliges timorem Iehouah:* significando per, *tunc*, tempus, quo toto affectu, ac studio homo dispositus est ex parte sui ad discendum sapientiam. Modò verò dicit: *Tunc intelliges iustitiam,* demonstrando tempus ex parte Dei, quo, videlicet, Deus dat sapere, & intelligere, &c. Et est sermo de intellectione practica, qua intelligimus ad agendum, quæ est ratio iustitiæ, iudicij, & rectitudinum secundum omnem virtutem.

Vers. 10. SI INTRAVERIT SAPIENTIA COR TVVM, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Quia veniet sapientia in cor tuum, & scire animæ tuæ dulcescet.* Effectus diuinæ largitatis redditur pro causa eorum, quæ subiunguntur mala. Adueniens enim sapientia in cor hominis, sic quòd animo hominis delectabile sit scire ea, quæ ad Deum ducunt, effectus est diuinæ largitatis in attendente toto studio ad discendum sapientiam. Et proptereà ab hoc effectu incipit secunda pars huius documenti; ita quod prius declarauit fructus huius documenti quoad assecutionem boni; modò verò declarat intentus fructus eiusdem quoad vitationem mali. Causa itaque vitandorum malorum, quæ subiunguntur, describitur, dicendo: *Quia veniet sapientia,* &c.

Secunda pars documenti, pollicendo effectus diuinæ sapientiæ in corde hominis.

Vers. 11. CONSILIVM CVSTODIET TE, ET PRVDENTIA SERVABIT TE. Iuxta Hebræum habetur: *Cogitatio custodiet super te, intelligentia seruabit te.* Modus describitur, quo interna sapientia facit euadere à subiunctis. Et est modus iste, videlicet, quòd cogitatio, tanquam custos vigilans, super te: multi enim incidunt in malum, eò quòd carent quandoque custodia cogitationis vigilis: non cogitant enim, non aduertunt latentes laqueos, seu dolos; non cogitant imminentia pericula. Et proptereà cui dulce est scire, vtitur vigilantia cogitationum super seipso, quasi custodibus. Et inde consequenter proficiscitur, quòd intelligentia efficaciter custodit à malo: cogitando enim, ac pensando, quæ occurrunt, emergit intelligentia penetrans laqueos, dolos, pericula, &c. & sic custodit à malis.

Vigilantia cogitationum.

Vers. 12. VT ERVARIS A VIA MALA. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Faciendo euadere te à via mali, à homine loquente versutias.* Duo mala subiunguntur: alterum à viris, alterum à mulieribus. Fructus itaque custodiæ primus est efficacia ad euadendum à via viri mali, appositiuè à viro loquente versutias. Præsupponitur enim adolescens in periculo, vt illaqueetur sermonibus viri versuti, & trahatur ad viam alicuius mali operis.

Fructus primus custodiæ sapientiæ.

Vers. 13. QVI RELINQVVNT ITER, &c. Describit genus hominum, à quibus euadet. Describit autem non ab aliqua specie peccati, sed ab iis, quæ sunt communia peccatis omnibus; videlicet, à derelictione viarum rectitudinis, & ambulatione in viis obscuritatis: hæc enim communia sunt peccantibus omnibus.

Communia omnium peccantium vestigia.

Vers. 14. QVI LÆTANTVR, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Qui læti sunt ad faciendum malum, exultabunt in versutiis.* Ideò de peruersis in genere loquitur: quia de peccatoribus delectationis gratia tractat. Rationem siquidem reddit, quare relinquunt vias rectas, & ambulant in tenebris: quia læti sunt, & gaudebunt malis. Quemadmodum itaque in præcedenti capitulo monuit filium, vt caueret sibi à peccatoribus propter bonum vtile: ita consequenter in hoc capitulo monetur filius, vt euadat à peccatoribus propter bonum delectabile; qui longa consuetudine describuntur delectari malis operibus, dicendo in præterito, *læti sunt*, & in futuro, *gaudebunt*, seu *exultabunt*. Quocirca præmisit paulò antè dulcedinem sapientiæ in animo filij, vt delectatio sapientiæ contineat filium à delectatione peccatorum. Et hinc, prudens lector, haurire potes; quàm ordinatè procedit Salomon instruendo filium.

Lætantur. In præced. cap. docuit filium cauere à bono vtili: in præsenti verò à delectabili.

Vers. 15. QVORVM VIÆ PERVERSÆ, &c. Prosequitur descriptionem illorum: descripserat siquidem ab omissione viarum rectitudinis, describit modò consequenter à commissione, dicendo: *Quorum viæ tortæ.* sic enim iacet in Hebræo, & immediatè subiungitur: *Et peruersitates in semitis eorum.* hoc est, attractiores viæ eorum sunt peruersæ, & latæ viæ sunt tortæ; & omnium ratio describitur delectatio in medio collocata pro causa.

Semitæ, quæ

Vers. 16. VT ERVARIS A MVLIERE, &c. Intendens Salomon monere filium, vt caueat sibi à peccatoribus trahentibus ad bonum delectabile, introducit prius viros, qui delectantur malis; deinde mulieres alienas, quæ suapte

suapte natura trahunt ad malum delectabile: continuatur enim litera hæc cum superius scriptis; *quum veniet sapientia sicor tuum*, &c. prius enim subiunxit euasionem à viris, modò subiungit euasionem à mulieribus. Nam iuxta Hebræum scribitur: *Ad faciendum euadere à muliere extranea, ab aliena, quæ dulcia eius mollunt.* Ad differentiam mulieris propriæ, vel tendentis ad hoc, vt sit propria, dicitur mulier extranea, & aliena.

Vers. 17. ET RELINQVIT DVCEM PVBERTATIS SVÆ. Hoc est, maritum: explicat enim particulam, *aliena*.

Bonas pueritiam, seu adolescentiam.

Vers. 18. ET PACTI DEI SVI OBLITA EST. Nominatur hic Deus, *Elohe*. Fœdus enim coniugale verè est fœdus Elohe, hoc est, institutum à Deo gubernatore omnium. Et per huiusmodi adulteram manifeste trahentem ad malum delectabile blandis dictis, intellige comprehendi reliqua mulierum genera ad delectabile malum trahentium.

Tu lus coniugale.

INCLINATA EST ENIM, &c. Iuxta Hebræú habetur: *Quia inclinauit ad mortem domum suam, & ad mortuos vias suas.* Quàm magnum sit malum, quod euadit filius, euadendo ab huiusmodi mulieribus, describitur à domo, & viis mortiferis: & nomine *domus* intelligitur delectatio, quam inhabitat, tanquam domum, qui se totam delectationi dedit: delectationem siquidem naturalem inclinauit ad mortem animæ, & vias illius delectationis, ad mortuos, dum dedit se delectationi venereorum illicitorum. Nec declino à literali sensu, sed memor parabolici stili expono ad literam, vt congruit materiæ, tam hæc, quàm subiuncta.

Hebraice ephaim. Quàm magnum malum euadat fugiis mulieres. Domus pro delectatione.

Vers. 19. OMNES, QVI INGREDIVNTVR AD EAM, NON REVERTENTVR. Pronomen, *eam*, demonstrat domum, hoc est, delectationem huiusmodi. Et verum dicit absque vllo scrupulo: quia insatiabilis est appetitus delectabili, quatenus delectabile. Hinc enim fit, vt peccatores ex delectabili, sic peccent insatiabiliter, ac per hoc non reuertantur; sed semper ad delectabile tendant. Et consequenter nunquam apprehendent vias vitæ spiritualis; sed semper ibunt per vias delectabiles, quæ sunt viæ ad mortuos, & in præsenti secundum superiorem partem animæ, & in futuro abæternæ vitæ participatione exclusi.

Insatiabilis appetitus delectationis, atque inde est insatiabilitas peccatorum.

Vers. 20. VT AMBVLES IN VIA BONA. Iuxta Hebræum habetur: *Eò quòd abis in via bonorum.* Post descriptas euasiones à malo delectabili, tum à viris, tum à mulieribus sigillatim, reddit rationem vtriusque simul, dicendo, *quia ibis in via bonorum, & vias iustorum custodies*: refertur enim hæc ratio ad vtramque euasionem.

Vers. 21. QVI ENIM RECTI SVNT, HABITABVNT IN TERRA, ET SIMPLICES PERMANEBVNT IN EA. Legendum iuxta Hebræum esset: *Et immaculati remanebunt in ea.* Parabolicus est sermo. Disparitas siquidem inter delectationem sapientiæ, & delectationem peccatorum describitur ex similitudine manentium in terra, & eorum, qui excelluntur à terra: intendit enim, quòd rectorum & immaculatorum delectatio perpetua est; ita quòd nec per mortem tollentur. Impij ex fundamento delectationum suarum exciden-

Disparitas inter delectationes sapientiæ & delectationum peccatorum.

tur, & eradicabuntur. Confert pœnam hanc cum pœna descripta in calce præcedentis capituli. Ibi itaque peccatores propter bonum vtile interficiendi describuntur: hic autem peccatores propter delectabile bonum excidendi, & eradicandi de terra scribuntur, eò quòd insatiabiliter delectatio tenet eos radicatos: & similiter hic promittitur iustis perpetuitas in terra; ibi verò habitatio absque timore: quia ibi de præsenti vita, hic autem de futura est sermo. Potest tamen particula hæc tota ab illo loco: *eò quòd ibis in viis bonorum*, referri ad promissa bona præsentis vitæ in lege Moysi, vt post spiritualia suprascripta alliciat filium Salomon, etiam per bona, & mala corporalia. Et sic litera est clara: quoniam in lege promittitur rectis perpetuitas in terra promissionis; impiis autem exterminatio indicitur. Corrige itaque litteram vltimi versiculi:

Vers. 22. ET IMPII DE TERRA PERDENTVR, ET PECCATORES ERADICABVNTVR EX EA. Dictio enim interpretata, *peccatores*, sonat *mendaces*, seu *mentientes*. Hebræi enim peccantes in Deum nominant à mentiendo, eò quòd à veritate diuini fœderis recedendo mentiuntur Deo.

Quòd peccatores mendaces apud Hebræos.

CAPVT III.

Vers. 1. FILI MI, NE OBLIVISCARIS LEGIS MEÆ, ET PRÆCEPTA MEA COR TVVM CVSTODIAT. Vide ordinem. Post attentum studium ad discendum sapientiam, præcipitur memoria eorum, quæ didicit, dicendo: *Fili mi, ne obliuiscaris legis meæ.* Et quoniam non de recordatione pura, sed de recordatione practica (de qua scriptum est: *Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea.*) est sermo, ideò adiungitur: *Et cor tuum custodiat præcepta mea*, hoc est, voluntas tua curam habeat seruandi præcepta mea. Rursus tenet ordinem ex parte bonorum: nam primùm monuit filium, ne seducatur à peccatoribus propter bonum vtile. Secundò monuit euadere trahentes ad malum propter bonum delectabile. Et propterea nunc tertiò monet seruari in memoria practica bonum honestum, quod continetur in lege, & præceptis paternis.

Vers. 2. LONGITVDINEM ENIM DIERVM, ET ANNOS VITÆ, ET PACEM APPONENT TIBI. Tria sub præmio huiusmodi memoriæ contineri dicuntur. Primum est, longitudo dierum promissa à Deo honorantibus parentes, de quorum numero est proculdubio filius, memoria practica seruans parentum mandata. Promittitur itaque longitudo dierum in præsenti vita: & ne longitudo dierum misera formidetur, ergonem adiungitur: *Et annos vitæ*: non annos, qui sunt dilationes mortis, vt sunt anni ægritudinum, seruitutis, oppressionum, & huiusmodi. Et ne longitudini dierum cum annis vitæ aliquid deesse dicatur, *& pacem*. Pacis enim nomine vniuersum Hebræi comprehendunt bonum.

Quis sit annos vitæ. Sub nomine pacis vniuersum ... bonum.

Vers. 3. MISERICORDIA, ET VERITAS NON TE DESERANT. Dictio interpretata *misericordia*, interpretatur etiam gratia: est enim dictio illa significans passionem misericordiæ, ta, quæ non significat. sed

ſed propriè gratiam, vt aliàs diximus. Modus ſeruandi in memoria practica, paterna mandata traditur, deſcendendo ad præcepta boni honeſti: priùs quidem in genere; & deinde in ſpecie. In genere autem duo generaliſſima mandata traduntur: alterum de gratia, qua ex noſtro libero animo benefacimus alteri, non ex debito, non ex paſſione: alterum de veritate, qua, excluſa omni fictione, adæquamus facta dictis, verba cordi, cor debitis. Gratia itaque eſt, quæ gratuita; veritas, quæ debita exhibemur. Harum duarum virtutum indiuidua ſocietas, aſſiduaque exercitatio demonſtratur quaſi ars memoriæ practicæ, reſpectu boni honeſti, dicendo: *Gratia, & veritas non deſerant te.* & ſubiungendo:

Duo generalia præcepta boni honeſti.

Circvnda eas gvttvri tvo. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Liga eas ſuper collum tuum.* Ad inſtar alligatoris pendulum aliquod ex vtraque colli parte ante pectus, vt ſemper habeatur præ oculis, deſcribit ſtudia. Nam, quemadmodum collum iungit corpus capiti: ita humanum ſtudium iungit corpus actionum humanarum capiti, quod eſt lumen rectæ rationis. Alligandæ virtutes præcipiuntur collis, hoc eſt, humanis ſtudiis, humanisque conatibus, vt non deſerant hominem, vt non ſubterfugiant exercitationem.

Scribe eas svper tabvlas cordis tvi. Intùs firmandæ mandantur in corde, in voluntate, & in vniuerſo affectu. Foris verò, (hoc eſt, quoad opera) alligandæ ſtudiis: ſic enim non tradetnus obliuioni paternam legem.

Verſ. 4. Et invenies gratiam, et disciplinam bonam. Iuxta Hebræum habetur: *Et inuenies gratiam & intellectum bonum in oculis Elohim, & Adam.* id eſt, hominis. Fructus comitatus harum duarum virtutum deſcribitur, inuentio gratiæ coram Deo, ſummo Iudice, & hominibus. Nec ſumitur gratia hìc vt priùs; ſed eſt ſermo de gratia, qua ſiue venuſtate faciei, ſiue venuſtate morum, vel officiorum, homo dicitur gratioſus in oculis aliorum, vel Principis. Et ſcito, quòd iuxta Hebræum legendum eſſet, *Et inuenies*, in ſecunda perſona imperatiui, & eſt ſenſus: Et per has virtutes progrediendo, tandiu quære, donec inuenias gratiam, & intellectum bonum, quoad vſum; ad differentiam vtentium intellectu ad malum.

Verſ. 5. Habe fidvciam in Domino. Nomen eſt tetragrammaton. Quinque mandata relatiuè ad Deum ſubiungit; videlicet, ſpei, fidei, timoris, honoris exterioris, & patientiæ: & omnia ſpectant directè ad veritatem, quæ debita perſoluimus Deo. Et mandantur nihilominùs hæc, non ſolùm vt debita Deo, ſed etiam vt ex parte operantis induunt modum gratiæ, vt ſcilicet, ſpontaneo animo fiant; ſic enim induunt modum gratiæ; quoniam hæc, niſi ſpontaneo animo fiant, parum proſunt ad ſeruandum paternas leges memoria practica. Primum itaque mandatum ad ſeruandum bonum honeſtum datur de fiducia in ſummo Deo ex toto corde; ita quòd non pars cordis confidat in Deo, & pars in prudentia tua. E regione ſiquidem fiduciæ in Deo ſcribitur: *Et intelligentiæ tuæ ne innitaris.* Et quia de intelligentia practica eſt ſermo, conſequens eſt, vt per fiduciam in Deo, intelligamus fiduciam in prouidentia diuina, non in ſemicorde, non vacillando, ſed ex vniuerſo corde.

Quinque mandata ſecundùm relationem ad Deum.

1. Præceptum. Fiducia in Deo ex toto corde.

Prohibetur autem filius inniti intelligentiæ, ſeu prudentiæ propriæ, non excludendo illam penitùs; ſed vt diſtinguitur contra prouidentiam diuinam. Inniti ſiquidem prudentiæ propriæ contingit dupliciter: vel vtendo intelligentia propria, vt parte quadam prouidentiæ diuinæ de agendis à te, & ſic inniti propriæ intelligentiæ non prohibetur, imò excludere illam eſſet fatuum: vel vtendo propria intelligentia, vt totali fundamento actionum, & euentuum; & ſic prohibemur inniti prudentiæ propriæ: nam ſic aduerſatur prouidentiæ diuinæ.

Inniti prudentiæ, quo modo vetitum.

Dupliciter contingit niti propria prudentia.

In omnibvs viis tvis cogita illvm, et ipse diriget gressvs tvos. Iuxta Hebræum habetur: *In omnibus viis tuis cognoſce eum, & ipſe diriget vias tuas.* Poſt præceptum de ſpe, apponitur præceptum de cognitione Dei, quam proculdubiò habemus ex fide. Præcipiendo autem cognitionem Dei in omnibus viis noſtris, manifeſtat ſe præcipere, vt cognoſcamus Deum, tanquàm ducem, & regulam viarum noſtrarum omnium: vnde & fructus ſubiungitur, quòd ipſe diriget vias noſtras. Verſ. 6.

Alia dictio, & diuerſa ſeparatur proprie ſumitur.

2. præceptum de fide.

Ne sis sapiens apvd temetipsvm. Iuxta Hebræum habetur: *In oculis tuis.* E regione cognoſcendi Deum in omnibus viis noſtris, mandatur, ne ſis ſapiens in oculis tuis. Quod poteſt dupliciter intelligi: vel quòd proprio iudicio non diſcernamus proprium ſapere; & hoc non prohibetur: quoniam, ſicut ad veram ſcientiam exigitur, quòd homo ſciat ſe ſcire, ita ad veram ſapientiam pertinet, quòd homo cognoſcat ſe ſapere: vel vt oculi proprij diſtinguuntur contra oculos Dei, & conſequenter aliorum ſapientum, & ſic prohibetur; quoniam perniciosum eſt habere pro ſapientia, quod ipſe ſolus iudicat eſſe ſapere, & ideò hoc è regione agnoſcendi Deum ducem, ac regulam viarum noſtrarum collocatur. Differt autem præceptum hoc ab illo paulò ante ſcripto: *Ne innitaris intelligentiæ.* quoniam hoc ſpectat ad iudicium; illud verò ad fiduciam. Verſ. 7.

1. præceptum bifariam poteſt intelligi.

Time Devm. Nomen eſt Iehouah. Tertium præceptum de timore ſummi Dei clarum eſt, cuius fructus ſubiungitur receſſus à malo, proculdubiò culpæ: per timorem ſiquidem Dei vitamus peccata.

3. præceptum aſſertiuum, ex numero præcedentiũ.

Sanitas erat vmbilico tvo, et irrigatio ossivm tvorvm. Quia vmbilicus contra oſſa diſtinguitur, inſinuatur, quòd vmbilicus ſumitur pro viſceribus carentibus oſſe, qualia ſunt cor, hepar, ſplen, & reliqua huiuſmodi: oſſa verò pro partibus corporis reliquis. Intendit enim, quòd obſeruatio huiuſmodi mandatorum eſt ſanitas, & fomentum vniuerſarum partium animi, ſignificatarum per partes corporis, vmbilicum, & oſſa, quæ oſſa humido foueri deſcribuntur nomine irrigationis. Verſ. 8.

Honora Devm de tva svbstantia. Nomen eſt tetragrammaton. Quartum præceptum religionis eſt, pro quanto offert Deo res, quas poſſidemus, tanquàm ſacrificium. Et dicendo, *honora*, tangit rationem offerendi Deo, vt ei vtile aliquid impendamus. Sed vt honoremus eum, & aptè poſt præcepta de actibus internis, (ſpe, fide, & timore,) apponitur præceptum de actibus religionis externis, quibus offerimus facultates noſtras Deo: vt intelligamus, & hoc placere Deo, & prodeſſe ad practicam memoriam ſapientiæ. Verſ. 9.

4. præceptum religionis.

Ratio, quare Deo offerimus.

Et

ET DE PRIMITIIS OMNIVM FRVGVM TVARVM DA PAVPERIBVS. Superfluunt duæ vltimæ dictiones: nihil enim de pauperibus in Hebræo Textu dicitur. Sed, cùm mandatum esset honorare Deum de propria substantia in genere, subiungitur in specie oblatio primitiarum; ad instruendum, quòd honorandus est Deus rebus illis, quæ habentur magis charæ, & pretiosæ, quales sunt primitiæ.

Vers. 10. ET IMPLEBVNTVR HORREA TVA. Fructus dictæ religionis promittitur abundans copia frugum, & vini, iuxta promissiones legis Mosaicæ.

Vers. 11. DISCIPLINAM DOMINI. Iuxta Hebræum habetur: *Castigationem Iehouah, fili mi, non abominaberis: & non fastidiet te increpatio eius.* Quintum præceptum valdè necessarium explicatur satis clarè.

Superius septem reddidit, & eruditionem: sonat verum pro castigatione. 5 præceptum.

Vers. 12. QVEM ENIM DILIGIT DOMINVS. Nomen est tetragrammaton: & in futuro dicitur, diliget; ad insinuandum dilectionem perseuerantem, ad differentiam dilectionis secundùm præsentem statum. Et est sensus: quia quem summus Deus diligit perseuerando in dilectione simpliciter, & absolutè, & non ad hoc tempo[illegible] tale bonum, castigat; ita quòd non ex ira, sed [illegible] ex dilectione proficiscitur castigatio. Et declaratur hoc ab exemplo, sicut pater castigando filium complacet sibi in filio, & non ex ira, au[illegible] indignatione castigat eum; sed ad hoc, vt habeat filium, in quo sibi complaceat, vtpote qu[illegible] castigatione eruditur, & melior emergit.

Quomodo diligit bonis quos castigat.

Vers. 13. BEATVS HOMO. Datis præceptis relatiuè ad Deum, subiungitur declaratio superiùs propo[illegible] sitæ mercedis: & vbi priùs dixerat, longitudi[illegible] nem dierum, & annos vitæ, & pacem appo[illegible] nent tibi; modò extendendo dicit beatitudine[illegible] hominis, qui iam inuenit, quam quæsiuit, sa[illegible]pientiam. Beatum autem intellige hic quidem [illegible] in spe, qui futurus est quandoque beatus in [illegible] Partes siquidem beatitudinis, quæ subiungun[illegible]tur, excedunt præsentis vitæ bona. Congru[illegible] autem extenditur hic sapientiæ bonitas, qu[illegible] hic est, vt bonum honestum modò inter bon[illegible] honesta, summum bonum traditur, memori[illegible] retinenda.

ET QVI AFFLVIT PRVDENTIA. Iuxta H[illegible]bræum habetur: *Et hominis educturi intellige[illegible]* *tiam.* Hoc est, & hominis, qui inuenit sapie[illegible] tiam sic, vt educat ex intimis ad aliam intel[illegible] gentiam: quia non solùm scit, quod didicit; [illegible] etiam ex his, quæ nouit, educit intelligentia[illegible] aliorum: & rursus, qui educit intelligentia[illegible] ad opus.

Vers. 14. MELIOR EST ACQVISITIO EIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Quia bona negotiatio eius, præ negotiatione argenti.* Introduxerat inuentionem, & eductionem sapientiæ: & propterea consequenter assimilat mercaturæ, cuius partes sunt, & inuenire pretiosam rem, & educere eandem venalem. Et ideò aptè dicit: *Quia melior est negotiatio eius negotiatione argenti.* & immediatè iuxta Hebræum subiungitur: *Et præ auro prouentus eius.* Quam particulam vulgata editio aliter habet, legendo: *Primi, & purissimi fructus eius.* Dictio tamen interpretata, *prouentus*, non plenè redditur: significat enim nouum fructum ex terræ frugibus. Declaratur itaque beatitudo annexa sapientiæ, non solùm relatiuè ad negotiationes; sed etiam relatiuè ad aurum, in quo confidunt homines, dicendo, quòd prouentus sapientiæ melior est auro. Nouus enim sapientiæ fructus inferiùs subiungitur, longe melior auro. Et fit mentio de fructu nouo, ad differentiam fructus vltimi, qui erit *in alia vita*, ad insinuandum, quòd etiam fructus sapientiæ in hac vita est præferendus cunctis opibus.

Inuentio, & eductio, & negotiatio sapientiæ, quomodo assimilentur mercaturæ.

Fructus nouus.

PRETIOSIOR EST SAPIENTIA CVNCTIS OPIBVS. Iuxta Hebræum habetur: *Pretiosior ipsa margaritis.* Argento, & auro adiungit margaritas, ad præferendam sapientiam cunctis pretiosis. Vers. 15.

ET OMNIA, QVÆ DESIDERANTVR, HVIC NON VALENT COMPARARI. Iuxta Hebræum habetur: *Et omnia desiderabilia tua, non æquabuntur ei.* Non dicit, *omnia desiderabilia*; sed addit, *tua*, ad restringendum desiderabilia ad humana: vniuersa siquidem humana bona non adæquant sapientiam, de qua est sermo. Et oportuit hanc particulam adiungere, ad probandum, quòd beatitudo hominis annexa est sapientiæ: nam beatitudo est summum bonum hominis. Et ideò oportet, sapientiam superantem omnia humana desiderabilia comitari.

Sapientia superat omnia desiderabilia humana, quia est hominis beatitudo.

LONGITVDO DIERVM IN DEXTERA EIVS; ET IN SINISTRA ILLIVS DIVITIÆ, ET GLORIA. Parui refert, quòd dictio interpretata, *gloria*, sonat, *honor*. Sapientiæ dextera, hoc est, prima, & summa pars, affert longitudinem dierum sine fine. Sinistra autem affert tanquam adiectitia diuitias, & honores præsentis vitæ: affert, inquam, quantùm est ex meritis eius, quamuis quandoque impediatur hæc sinistra per accidens, putà, quia expedit saluti huius hominis sapientis, vel communiter boni, quòd careat diuitiis, & honore. Et quia sapientia vitam æternam in dextera; diuitias autem, & gloriam in sinistra affert, consequens est, vt intentio nostra tendat primaria intentione ad ea, quæ sunt æternæ vitæ, & ad ea, quæ sunt præsentis vitæ, non nisi consequenter aspiciat, si sapientiam quærit. Vers. 16.

Sapientia dextera, & sinistra.

VIÆ EIVS, VIÆ PVLCHRÆ. Nulla admiscetur turpitudo, nulla indecentia viis (hoc est, operibus) sapientiæ; nulló vtitur turpi actu, sed omnia opera eius digna sunt laude, vtpote pulchra. Vers. 17.

ET OMNES SEMITÆ EIVS PACIFICÆ. Non solùm pulchritudo, sed etiam tranquillitas ordinis (quę est pax) inuenitur in omnibus operibus sapientię, ita quòd nihil inordinatum, nulla confusio, nulla perturbatio in operibus sapientię locum habet.

LIGNVM VITÆ EST IIS, QVI APPREHENDVNT EAM. Ad instar ligni vitę, quod erat in medio Paradisi, describitur virtus conseruatiua vitæ spiritualis, quam habet sapientia. Quemadmodum enim lignum vitæ conseruabat vigorem vitæ corporeæ, à defectibus senectutis: ita sapientia conseruat vitam internam animæ à prouidentibus peccandi. Vers. 18.

ET QVI TENVERINT EAM, BEATI. Iuxta Hebręum habetur: *Et innitentem beauit.* Non solùm conseruat vitam spiritualem; sed etiam beat sapientia eos, qui innituntur illi, viribus suis vtendo secundùm sapientię regulas.

DOMINVS SAPIENTIA FVNDAVIT TERRAM. Nomen est tetragrammaton: & manifestare intendit, vnde habet tantam excellentiam, quòd reddat hominem beatum. Manifestat Vers. 19.

siquidem

Sapientia excellentia. siquidem ex hoc, quòd sapientia est tantæ eminentiæ, quòd ipsa vtitur Deus in præcipuis operibus. Ad hoc enim affert, quòd Iehouah sapientia fundauit terram, hoc est, fecit terram fundamentum mundi, vtpote infimam mundi partem, vtpote centrum mundi. Sapientia, vt prædiximus, analogum quoddam est ad sapientiam, quæ est in Deo, & ad sapientiam, quæ beatum reddit hominem: & proptereà, tanquàm de

Sapientia est nomen analogum. Ex hoc nimirum terra de terra creata dicitur. vnicate Salomon de sapientia loquitur, ascendendo ab humanis ad diuina: est enim res vna secundùm analogiam. Et hinc confutantur putantes, terram non esse factam, aut esse naturaliter productam: non enim per modum agentis secundùm naturam; sed agentis à proposito describitur Deus fundator terræ, dicendo: *Qui in sapientia fundauit terram.*

STABILIVIT CÆLOS PRVDENTIA. Iuxta Hebræum habetur: *Direxit cælos intelligentia.* Aliud

Secundum opus diuinæ sapientiæ. diuinum opus afferitur, quòd, videlicet, summus Deus direxit cælos in altis, & motibus suis, vi intelligentiæ ordinando, & disponendo singula.

Vers. 20. SAPIENTIA ILLIVS ERVPERVNT ABYSSI. Iuxta Hebræum habetur: *In scire ipsius abyssi scissæ*

Tertium opus. *fuerunt.* Tertium opus vniuersale, diluuium introducitur, commemorando, quod scriptum

Genes. 7. est in Genesi; videlicet, fuisse fontes abyssi ruptos ad faciendum diluuium. Et hoc attribuitur, vt causæ, scientiæ diuinæ, ne putares naturale fuisse opus illud.

ET NVBES RORE CONCRESCVNT. Iuxta Hebræum habetur: *Et cæli effundent rorem.* Dictio interpretata, *effundent*, non plenè redditur: quoniam significat effusionem cum maxima largitate. Quartum siquidem opus quod attribuitur sapientiæ diuinæ, commemoratur effusio mannæ, quo aliti sunt Israelitæ in deserto quadraginta annis.

Vers. 21. FILI MI, NE EFFVGIANT HÆC AB OCVLIS TVIS. Dixerat: *Liga ea in collo tuo.* ideo prosequendo metaphoram pendentium à collo, dicit, quòd sic sint aligata collo, vt non diuertant à prospectu oculorum, vt semper appareant oculis, ne vnquam tradantur obliuioni. Resumit autem hanc monitionem transiens de bonis ad mala. Nam, postquàm manifestauit bona sapientiæ, intendit consequenter manifestare etiam mala, à quibus sapientia seruat sapientes.

CVSTODI LEGEM MEAM, ATQVE CONSILIVM MEVM. Iuxta Hebræum habetur: *Custodi legem, & cogitationes.* Non sufficit curam habere legis, quæ ab alio datur: sed oportet curam habere

Quare cura cogitationum necessaria. propriarum cogitationum. Tum, quia lex punit actus exteriores: Deus autem punit etiam cogitationes. Tum, quia incuria cogitationum facillimè abducit à legis obseruatione.

Vers. 22. ET ERVNT VITA ANIMÆ TVÆ. Fructus dictæ custodiæ supradictus quidem; sed magis explicatus repetitur. Dixerat enim, quòd est *lignum vitæ*: explicat modò, quòd de vita animæ est primò

Custodia legis est vita animæ. dicendo: *Et erunt vita animæ tuæ.* Quemadmodum enim peccatum est mors animæ: ita custodia legis, & cogitationum est animæ vita.

ET GRATIA FAVCIBVS TVIS. Iuxta Hebræum habetur: *Et gratia collis tuis.* Resumptio est, per collum significans corpus: & intendit, quòd ea, quæ sunt sapientiæ, non solùm viuificant animam; sed etiam decorant corpus: quoniam (vt dictum est) in lege veteri conferebant etiam bona præsentis vitæ.

TVNC AMBVLABIS FIDVCIALITER IN VIA TVA, ET PES TVVS NON IMPINGET, &c. Ecce mala, à quibus seruat sapientia. Et primum quidem ad motum: secundum verò ad quietem eiusdem; tertium autem ad alienos motus aduersùs hominem spectat: alienos autem, tam repentinos, quàm non repentinos. Ad hæc tria capita summat præseruationes à malis omnibus. Litera satis clara est, & ratio præseruandi subiungitur: Vers. 23. 24. & 25. *Tria mala, à quibus præseruat sapientia.*

DOMINVS ENIM ERIT IN LATERE TVO. Vers. 26.
Iuxta Hebræum habetur: *Quia Iehouah erit in spe tua.* Sufficientissima ratio redditur assistentia summi Dei iuxta spem sapientis quiescentis, & custodiens ambulantis pedem à captura.

NOLI PROHIBERE BENEFACERE Vers. 27.
EVM, QVI POTEST: SI VALES, ET IPSE BENEFAC. Iuxta Hebræum habetur: *Non prohibebis bonum ab heris eius, existente facultate manus tuæ ad faciendum.* Quemadmodum quædam specialia præcepta veritatis, & gratiæ superiùs explicauit relatiuè ad Deum: ita consequenter quinque præcepta veritatis, & gratiæ in speciali relatiuè ad homines explicat, quibus seruari in regis memoria diuinæ legis facilè possit. Congruit enim tractatui de acquisitione sapientiæ, quatenus est bonum honestum, vt descendatur ad speciem honestorum præceptorum, & relatiuè ad Deum, & relatiuè ad homines. Sunt autem præcepta hæc omnia negatiua, vt à facilioribus tradatur doctrina: facilius est enim non facere malum, quàm facere bonum. Et aptè beneficio sapientiæ, quo præseruat à malis pœnæ, quæ inferuntur à proximis, adiunguntur præcepta prohibentia à malo culpæ contra proximum. Fit autem primum præceptum iustitiæ, ne, scilicet, valente te restituere hero rem suam, neges restituere: & appellat rem, *bonum*, ad differentiam gladij non reddendi furioso. Nec dicit, restitue, sed *non prohibebis*; ad comprehendendum omnes omissiones concurrentes ad impediendum, quominùs herus habeat, quod suum est, seu quod ei debetur. Per hoc enim insinuatur, quòd plus quàm restituere præcipitur: præcipitur namque non negare adiutorium proximo conanti rem suam recuperare, & proptereà apponitur, *valente manu tua ad faciendum*; hoc est, si manus, (si opera tua) valet ad impendendum illi operam salutarem: hoc enim opus est, & veritatis in opere, & gratiæ in animo. *Quinque præcepta relatiua ad homines.* *Facilius est non facere malũ, quàm facere bonũ.* *1. præceptum iustitiæ.*

NE DICAS AMICO TVO, &c. Præceptum Vers. 28.
secundum prohibet dilationem, tam in debitis, 2. præceptum.
quàm in gratuitis.

NE MOLIARIS. Præceptum tertium prohibet Vers. 29.
cogitationem mali aduersùm hominem fiducialiter conuersantem tecum: habet enim naturalem iniquitatem huiusmodi machinatio; vnde & proditores appellantur. 3. præceptum.

NE CONTENDAS, &c. Quartum præceptum Vers. 30.
prohibet sermonem contentiosum frustrà; hoc est, sine iniuria accepta: ad hoc enim exponendum subiungitur iuxta Hebraïcam veritatem: *Si non retribuit tibi malum.* Hoc est, si non est vsus ingratitudine, reddendo tibi malum pro bono; & vniuersaliter si non peccauit in te. 4. præceptum.

NON ÆMVLERIS HOMINEM INIVSTVM. Præ- Vers. 31.
ceptum quintum duas actiones prohibet internas; inuidiam, scilicet, & electionem. Inuidiam, 5. præceptum.
inquam, hominis iniqui: frequenter enim contingit

tingit viros iniquos proſperari : & propterea oportuit monere filium, ne inuideat iniquis. Electionem verò, ſubiungendo, iuxta Hebraïcam veritatem : *Et non eliges in omnibus viis eius.* hoc eſt, nullam viam eius eliges: vix enim iniquorum peruerſæ ſunt.

Verſ. 32. QVIA ABOMINATIO EST DOMINI OMNIS ILLVSOR. Iuxta Hebræum habetur : *Quia abominatio Iehouah peruerſus, & rectis ſecretum eius.* Ratio redditur præceptorũ, tam priùs, quàm modò datorum, ex diſparitate quatuor combinationum: quarum prima eſt peruerſorũ, & rectorum; ſecunda impiorum, & iuſtorum; tertia illuſorum, & mãſuetorum; quarta ſapientum, & ſtultorum. Diſparitas itaque inter rectos, & peruerſos deſcribitur relatiuè ad Deum, penes hoc, quòd Deus abominatur peruerſum virum; (hoc eſt, quòd Deus abominatio eſt peruerſus;) rectus autem, eſt ſecretum ipſius ſummi Dei. hoc eſt, quòd admittit viros rectos ad conſeruandum ſecum ſecreto: humano ſiquidem more de Deo loquitur. Et quemadmodum nos aliquorum conuerſationem abominamur; quoſdam autem ſic gratos habemus, vt ad domeſticam, ad ſecretam conuerſationem admittamus: ita dicit peruerſos abominationem eſſe Dei; rectos autem ſecretum eius. Et verificatur hoc: quia rectorum politia (vt Apoſtolus ait) in cælis eſt.

Diſparitas quatuor combinationum.

1 combinatio.

Verſ. 33. EGESTAS A DOMINO. Iuxta Hebræum habetur : *Maledictio Iehouah in domo impij, & habitaculis iuſtorum benedicetur.* Ecce ſecunda combinatio, etiam relatiuè ad Deum, penes maledictionem diuinam; & non ſolùm abſolutè, ſed etiam in hac vita verificatur huiuſmodi diſparitas ſecundùm promiſſa legis veteris, in qua ſcribebat Salomon.

2 combinatio.

Verſ. 34. IPSE DELVDET ILLVSORES. Iuxta Hebræum habetur: *Nonne illuſores ipſe deludet, & manſuetis dabit gratiam?* Tertia combinatio relatiuè quoque ad Deum deſcribitur, penes pœnam, & præmium. Et illuſorum pœna deſcribitur illuſio, vt manifeſtè apparuit in punitione Pharaonis illudentis populo Iſraël, promittendo, & non ſeruando: illudendo ſiquidem, vt Textus ibidem dicit, puniuit eum Deus. E regione autem illuſorum collocantur manſueti, eò quòd ſuperbi aliorum deriſores derident maximè manſuetos, tanquàm ignauos. Præmium autem manſuetorum apponitur gratia, qua gratioſi redduntur non ſolùm ſapientibus, ſed communi populo.

3 combinatio.

Illuſorum pœna, illuſio.

Verſ. 35. GLORIAM SAPIENTES POSSIDEBVNT: STVLTORVM EXALTATIO, IGNOMINIA. Iuxta Hebræum habetur: *Honorem ſapientes hæreditabunt, & ſtulti elevabit ignominiam.* Frequens coniunctio ſingularis cum plurali apud Hebræos, occaſio eſt, quòd legatur: *Stultis elevabit*, pro, elevabunt. Intelligunt enim, quòd quilibet ſtultus elevabit ignominiam. Quarta itaque combinatio deſcribitur relatiuè ad merita propriarum actionum: & quia actiones ſapientis ſuapte natura dignæ ſunt honore; ideò dicitur, quòd hæreditabunt, (hoc eſt, tanquàm hæreditatem ſe obtinebunt,) honorem. Debetur enim ſapientibus honor; & ſi aliquid maius honore eſſet in hoc mundo, debetur virtuti, vt Philoſophi tradunt. Stultorum autem actiones ignominiam exaltare, teſtantur actiones Abſalon, exaltantis publicè ignominiam inceſtus.

4 combinatio.

Debetur ſapientibus honor, & ſi quid eſt maius in vita hac.

CAPVT IV.

Verſ. 1. AVDITE, FILII, DISCIPLINAM PATRIS. Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *eruditionem.* Vide ordinem. Poſtquàm paterna proponit documenta, & propoſuit ſapientiam, coniungit eam vnum, manifeſtando, quòd paterna eruditio nihil aliud eſt, quàm inductio ad ſapientiam. Reſumit itaque capita præceptorum omnium inchoando à primo, videlicet, audiendo eruditionem patris, explicando, quòd loquitur ad omnes filios, & non ad aliquem vnum, dicendo: *Audite, filij.*

ET ATTENDITE, VT SCIATIS PRVDENTIAM. Iuxta Hebræum habetur, *intelligentiam.* Ac ſi apertius dixiſſet: Audire eruditionem patris, eſt attendere ad ſciendum intelligentiam, hoc eſt, ea, quæ intelligentia digna ſunt. Et hoc fuerat præceptum ſecundum, in principio ſecundi capituli poſitum.

Verſ. 2. DONVM BONVM TRIBVAM VOBIS. Iuxta Hebræum habetur: *Quia legem bonam dedi vobis, legem meam non relinquetis.* Ratio retinendi paternam doctrinam redditur ex eo, quòd pater dedit filiis doctrinam bonam, alienam ſcilicet, ab omni malo: hinc enim tertij præcepti in principio tertij capituli traditi (videlicet, non obliuiſcendi paternarum traditionum) ſimul redditur ratio, & declaratur, paternam doctrinam coincidere cum ſapientia, quæ non non niſi bonum docet.

Verſ. 3. NAM ET EGO FILIVS FVI PATRIS MEI TENELLVS. Ab exemplo ſui Salomon monet filios: & conſiſtit exemplum, non ſolùm in hoc, quòd ipſe retinuit doctrinam patris ſui; ſed præcipuè in hoc, quòd ipſe in ætate tenera didicit à patre ſuo; quod eſt longè maioris virtutis, & exempli, quàm ſi vſque ad ætatem prouectam perſeueraſſet diſcendo à patre: ex eo enim, quòd orbatus eſt patre in ætate tenera, & documenta patris retinuit; exemplum dat filiis, vt in ætate etiam tenera diſcant ſapere.

ET VNIGENITVS CORAM MATRE MEA. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et ſolus in faciebus matris meæ.* Vbi ſcito, quòd in codicibus Hebraïcis ita legitur, quamuis in margine legatur, *in filiis.* Ita quòd, vbi Textus habet, *in faciebus*; margo habet, *in filiis.* Et aiunt Hebræi exiſtimari, quòd Eſdras appoſuit in marginibus huiuſmodi diuerſitates. Quocunque autem modo legatur, certum eſt, non ſignificari, quòd Salomon fuerit vnicus matris ſuæ filius, quoniam hoc contradicit manifeſtè capitulo 3. libri 1. Paralip. Sed eſt ſenſus, quòd ego eram tam dilectus à matre mea, ac ſi fuiſſem ſolus illius filius. Accumulat ſiquidem rationes exempli, videlicet, quòd non ſolùm in ætate tenera, ſed etiam inter maternas delicias, ſolitas exhiberi vnico filio, didicit ſapientiam. Vtrumque enim rarum eſt.

Tam erat matri dilectus ac ſi ſolus eſſet.

Verſ. 4. ET DOCEBAT ME. Maſculini generis eſt apud Hebræos verbum interpretatum, *docebat*, & propterea non mater, ſed pater refertur docens.

SVSCIPIAT. Iuxta Hebræum habetur: *Fulciet verba mea cor tuum.* Ecce doctrina tradita Salomoni à Dauide, inchoans à corde, vt cor filij officio fulciendi verba patris fungatur.

tur. Vana est enim doctrina moralis, quæ non sustentatur in corde discentis.

Custodi præcepta mea, et vives. Effectum simul cum præmio adiungit. Curam siquidem habere præceptorum paternorum ex corde procedit, & vita promittitur in præmium. Innititur autem promissio hæc authoritati diuinæ, promittenti longæuam vitam ei, qui honorat patrem.

Vers. 5. Possidi sapientiam, possidi prudentiam. Iuxta Hebræum habetur: *Eme sapientiam, eme intelligentiam.* Modus fulciendi, & custodiendi paterna documenta, explicatur dicendo; *Eme sapientiam, eme intelligentiam.* Ipsa siquidem emptio chatipendendam significat sapientiam: oblata enim vilescunt: quæ autem oportet emere, magnipenduntur. Et verè adolescentes, qui non magnipendunt sapere, & intelligere, minùs idonei sunt ad moralem disciplinam; imò ex hoc ipso, quòd non utuntur emere sapientiam, elongant se ab illa. Quò contra subiungitur hic effectus, consequens emptionem, dicendo:

Hic dux custodiendi paterna dogmata.

A adolescentes non ideo idonei sunt ad emtionem sapientiam.

Non obliviscaris, et non declinabis a dictis oris mei. Hoc est, emendo sapientiam, retinebis memoria, & opere non declinabis à dictis oris mei, utpote solam sapientiam continentibus.

Vers. 6. Ne dimittas eam. Hoc est, ne omittas emere eam, scilicet, sapientiam.

Et custodiet te, ementem.

Dilige eam. Utpote summum bonum.

Et conservabit te, chatipendentem eam.

Vers. 7. Principium sapientiæ, posside sapientiam. Secunda particula non habetur in Hebræo: *Eme sapientiam.* ita quòd Litera Hebraïca est: *Principium sapientiæ, eme sapientiam.* hoc est, emere sapientiam, est principium sapientiæ. Suaserat siquidem hactenus emere sapientiam à fructibus consequentibus emptionem: suadet modò idem ab ipso actu emendi, quòd, videlicet, est initium sapiendi. Ubi aduerte, quòd in primo capitulo dictum est: *Initium sapientiæ, timor Domini.* Hic autem dicitur: *Principium sapientiæ, eme sapientiam.* Utrunque siquidem verum est diuersimodè. Nam timor Domini, relatiuè ad vitandum peccata est initium sapientiæ: emere autem sapientiam, relatiuè ad acquisitionem ipsius, est initium sapientiæ: magni pendere siquidem sapientiam, & æstimare eam pluris rebus aliis, initium non paruum est sapiendi.

Emere sapientiam, initium est sapientiæ.

Quomodo timere Deum, & emere sapientiam, diuersimodè sint sapiendi principium.

Vers. 8. Et in omni possessione tua acquire prudentiam. Iuxta Hebræum habetur: *Et in omni substantia tua eme intelligentiam.* Hoc est, omnem substantiam tuam expende pro intelligentia: hoc siquidem paternum mandatum adimpleuit Salomon præponendo sapientiam diuitiis, & cæteris rebus, ut patet 3. Regum, & 2. Paralip. 1. ex testimonio Dei.

Nulli rei parcendum, pro sapientia acquisitione.

Arripe illam. Iuxta Hebræum habetur: *Exalta illam.* Et dictio interpretata, *exalta*, significat exaltare cum labore; ita quòd sapientiam fore præponendam non solùm facultatibus; sed etiam quibuscunque rebus docet, ut nec rebus, nec laboribus parcamus, ad exaltandum sapientiam in animis nostris. Et fructus reciprocus subiungitur dicendo:

Et exaltabit te. Quod experientia quotidiana probat, & in ipso Salomone impletum apparet.

Et glorificaberis ab ea. Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Honorabit te, quia amplexeris eam.* Collige præcepta annexa emptioni. Non satis fuit dicere: *Sapientiam eme*, expendendo pro ea omnes facultates: sed annexuit: *Dilige eam, exalta eam, amplectere eam.* Multa enim emuntur, non ex dilectione, sed ex necessitate, vel empta non diliguntur: multa quoque empta, ac dilecta, non exaltantur; & nonnulla exaltata quandoque fastidiuntur: & proptereà postremò præcipitur amplexus sapientiæ, cum præmio honoris, quod est maximum inter præmia humana.

Vers. 9. Dabit capiti tuo augmenta gratiarum. Hebraïcè habetur: *Societatem gratiæ.* Hoc est, amabilem te reddet, ac gratiosum aliis: ita quòd non solùm faciet te honorari, sed etiam amari. Et per modum concomitantis attribuitur bonum hoc capiti: eò quòd rationalis pars, quæ perficitur sapientia, existimatur sita in capite.

Et corona inclyta proteget te. Iuxta Hebræum habetur: *Corona gloriæ defendet te.* Dictio interpretata, *defendet*, sonat, (si dici liceat.) scutabit: est enim verbum à nomine scuti formatum. Et est sensus: Corona gloriæ erit tibi pro scuto; hoc est, Corona gloriæ, qua ut Rex ornaris ad gloriam, non trahet te ad mala, abutendo gloria regni tui; sed erit tibi pro scuto defendente ab iniquis aduersantibus. Multorum siquidem Regum gloria, quia sapientia caruerunt, fuit illis ad ruinam: quæ contrà tibi sapientiam amplectenti, erit pro scuto contra tela, & linguarum, & operum. Et hic finitur monitio Dauidis, recitata à Salomone.

Gloria regni sapienti pro scuto est aduersantes verò in ruinam.

Vers. 10. Audi, fili mi, et suscipe verba mea. Postquam Salomon ab exemplo sui monuit filios, ut paternis inhærerent documentis, eò quòd ad nihil aliud tendunt, nisi ad sapientiam, & intelligentiam; prosequitur monitionem filiorum, hortando blanda appellatione, dicens: Fili mi, audi, & suscipe dicta oris mei. Vide ordinem: nam primò monuit, attende eruditionem: secundò, attende ad discendum: tertiò, ne obliuiscaris: quartò, agnosce, quòd documenta paterna sunt sapientia; quod manifestauit ex præceptis Dauidis: nunc autem monet, suscipe dicta oris sui, suscipe proculdubiò, non secundùm quid, sed simpliciter, & absolutè, absque hæsitatione, absque difficultate, delectabiliter, & suauiter recipiendo.

Vide ordinem admonitionum.

Ut multiplicentur tibi anni vitæ. Præmium explicatur multiplicatio annorum, non qualiumcunque, sed vitæ. Anni siquidem tristes non sunt anni vitæ, sed seninecis.

Vers. 11. Viam sapientiæ monstrabo tibi. Iuxta Hebræum habetur: *In via sapientiæ docui te.* Probat documenta sua esse documenta sapientiæ, eò quòd docuit eum ire per viam sapientiæ.

Et ducam te per semitas æquitatis. Iuxta Hebræum habetur: *Feci dirigere te in viis rectitudinis.* Ecce via sapientiæ explicata per vias rectitudinis, non per vias astutiæ, & prudentiæ huius sæculi.

Via sapientiæ.

Vers. 12. Quas cum ingressus fueris, &c. Sententia redditur, & describitur fructus institutionis in via sapientiæ, & rectitudinis, manifestando, quàm fructuosa sunt illa, quæ docuit. Describitur autè quoad duo: primò, quòd gradiente,

Fructus institutionis sapientiæ.

re, non arctabitur gressus tuus: secundum est, & si curres, non impinges. Modi eundi secundò describuntur, videlicet, gradi, & currere; & vtrerque sine impedimento, ita quòd gradienti non occurret offendiculum. Hoc est, siue velociter agas, siue cum suaui mora, sapientia reddet te expeditum.

Vers. 13. TENE DISCIPLINAM, &c. Adiungit, vt teneat filius eruditionem paternam, hoc est, quòd suscipiat tenendo illam, nec aliquo pacto dimittendo, imò custodiendo illam, hoc est, curam habendo illius diligenter. Quia ipsa eruditio paterna, est vita tua, & est præbens sapientiam, quæ est vita animæ tuæ.

Vers. 14. NE DELECTERIS IN SEMITIS IMPIORUM. Iuxta Hebræum habetur: *In viam impiorum non ingrediaris, & non beabis in via malorum.* Declarat fructum instructionis primæ ex hoc, quòd tribuit sapienter gradi, & sapienter currere, per vias rectitudinis eundo, declarat modò vias rectitudinis à contrariis, videlicet, à vitiis impiorum: opposita enim iuxta se posita magis elucescunt. Et subintelligitur: In iis omnibus docui te. Procedit enim commemorando, quæ sunt illa, quæ docuit eum, docendo illum viam sapientiæ, & rectitudinis. Optima autem cautela euitandi prauas consuetudines, malósque habitus, (quibus felicitas ponitur in malis,) datur sub metaphora ingrediendi, dicendo: In viam impiorum non ingrediens, non in malorum: quia sic efficietur, quòd in via malorum non beabis te, vel alios. Qui enim ingreditur viam impiorum, impossibile est, aut valdè difficile, vt euitet in eadem via consuetudinem, seu habitum male viuendi, & consequenter ponet felicitatem in via malorum. Qualis enim vnusquisque est secundùm dispositionem animi, talis videtur ei finis.

Optima cautela ad euitandas malas consuetudines est, impiorum viam non ingredi.

Vers. 15. FUGE AB EA. Iuxta Hebræum habetur: *Verte ab ea.* Inhibito ingressu ad euitandum finem malorum, monet consequenter modum euitandi ingressum in viam malorum, dicendo; *Verte ab ea:* nec confidas in solo transitu, tanquam non nocituro, quoniam transitus per viam impiorum contagiosus est; & ideò *verte ab ea*, & non transibis per illam, nec exponas te periculo.

DECLINA, ET DESERE EAM. Iuxta Hebræum habetur: *Declina à supra eam, & transi.* Attractiua quæcunque in via impiorum intercedunt, monendo, vt etiam superioritatem in via impiorum deuitet: vt nec etiam inter eos superioritate attrahatur: sed transeat contemptor huiusmodi gradu.

Cauenda est conuersatio peccatorum, nec se exponere periculis pro occasione, vel quæstu.

Vers. 16. NON ENIM DORMIUNT. Ratio redditur ex manifesto studio eorum ad malefaciendum; ex eo, quòd non eunt dormitum, nisi prius malum aliquod patrauerint.

ET NON RAPITUR, &c. Clariùs iuxta Hebræum habetur: *Et fraudabitur somnum eorum, nisi non fecerint impingere.* Perdunt somnum, nisi fecerint aliquem ruere; tanto studio afficiuntur ad aliorum ruinam.

Vers. 17. COMEDUNT PANEM IMPIETATIS. hoc est, impietate quæsitum.

ET VINUM INIQUITATIS BIBUNT. similiter iniquitate partum.

Vers. 18. IUSTORUM AUTEM SEMITA QUASI LUX SPLENDENS PROCEDIT, ET CRESCIT VSQUE AD PERFECTUM DIEM. Iuxta Hebræum habetur: *Et via iustorum sicut lux splendoris, eundo, & illuminando vsque ad directionem diei.* Post monitionem declinandi à via impiorum ex parte ipsorum iniquorum, subiungit (quam docuit) differentiam inter viam iustorum, & viam impiorum, vt ex disparitate ipsarum viarum comprehendatur, quàm bonum est gradi per vias rectitudinis. Assimilatur iustorum via luci auroræ, quæ ad instar euntis crescit, & magis ac magis illuminat, vsquequò perueniat ad hoc, vt dirigat omnia claritate luminis diei. Lumen siquidem auroræ, non sufficit ad illuminandum sic, vt opera omnia dirigi possint: lumen autem diei sufficienter dirigit ad opera omnia. Et per hanc metaphoram describitur progressus iustorum in via sua, quòd semper quidem proficiscuntur cum lumine paulatim crescente, & magis, ac magis illuminante, quousque perueniant ad lucem perfectam, sufficientem ad dirigendum in omnibus.

Differentia inter viam iustorum, & impiorum. Expositio conformis Rab. Le...

Vers. 19. VIA IMPIORUM TENEBROSA: NESCIUNT, VBI CORRUANT. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Via impiorum, sicut obscuritas: nesciuerunt, in quid impingent.* E regione viæ iustorum, describitur via iniquorum priuata luce, & notitia termini. Priuatio siquidem lucis significatur, dicendo, *sicut obscuritas*; ignorantia autem casus, dicendo, *in quid impingent.* Priuati siquidem lumine sapientiæ dirigentis eos, non præuident offendicula, in quæ impingendo cadent, vt patet de Pharaone, & Hieroboam.

Impij, & lumine carent, & notitia termini.

Vers. 20. & 21. FILI MI, AUSCULTA SERMONES MEOS, &c. Descensurus ad particularia documenta, excitat filium ad auscultandum, & custodiendum verba paterna. Et aures quidem, & oculos ad attentionem excitat, sicut instrumenta sunt ad seruandum in medio cordis documenta paterna, hoc est, vt audita frequenter meditentur. Sic enim præ oculis illa iugiter habebit, & in intimis cordis seruabit.

VITA ENIM SUNT, &c. Commendantur à duobus, videlicet, quia prosunt, tum animæ, tum corpori. Sunt enim vita animæ illorum, qui quærunt & inueniunt ea; & sunt sanitas vniuersæ carnis cuiusque eorum. Et hoc verificatur: tum, quia virtutes morales, etiam sanitatem præstant corporis mediante temperantia: tum, quia verificatur quoque in veteri Testamento, propter promissiones in lege factas bonorum temporalium.

Vers. 23. OMNI CUSTODIA. Quatuor præcepta particularia subiungit iuxta quatuor partes corporis, videlicet, cor, os, oculos, & pedes. Et incipiens à corde mandat custodire illud, adhibendo omne genus custodiæ. Et quoniam nomine cordis intelligitur voluntas, præcipitur, vt nullum prætermittamus custodiæ modum, ad custodiendam voluntatem à vitiis vniuersis. Et ratio subiungitur:

4. præcepta iuxta ... partes ...

QUIA EX IPSO EXITUS VITÆ. Quemadmodum ex corporeo corde egrediuntur vitæ vegetationis sensus, & rationes: ita ex voluntate sunt exitus vitæ moralis secundùm virtutes diuersas: consistunt enim virtutes omnes in electione, qui est actus voluntatis.

Vers. 24. REMOVE A TE OS PRAVUM, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Fac recedere à te tortuositatem oris, & peruersitatem labiorum fac elongare à te.* Tortuosum, peruersúmque sermonem prohibet vt intelligamus, non sufficere bonam voluntatem;

voluntatem; sed oportet comitari illam fidis, rectisque eloquiis, alioqui non rectè nos habemus ad proximos, qui non intuentur corda nostra; sed percipiunt, quæ dicimus verba.

Vers. 25. OCVLI TVI RECTA VIDEANT, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Oculi tui ad id, quod è regione est, intueantur, & palpebræ tuæ faciem dirigere coram te.* Ad instar corporeorum oculorum præcipit oculos mentis agendos. Quemadmodum enim corporeis oculis id, quod è regione est, occurrit intuendum primum; & consequenter occurrit dirigere ad ea, quę coram se sunt: ita mentis oculus debet primò figi ad finem, tanquàm ad scopum è regione existentem; & deinde dirigere media, quæ coram se sunt, hoc est, ea, quæ sub sunt facultati.

Oculi mentis … finem.

Vers. 26. DIRIGE SEMITAS PEDIBVS TVIS, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Libra semitam pedis tui, & omnes viæ tuæ dirigentur.* Ad instar examinantis viam, qua gradiendum est, præcipit, ponderandam esse viam pedis interni, (hoc est, affectus: nam affectibus graditur animus,) & tanquàm in bilance positam conferre vnam alteri, quæ melior, quæ expeditior, & sic omnes viæ dirigentur, iam diligenter examinatæ.

Librare semitam & in omnibus rectè mensurare, ne quid … vt Hebræi exponunt.

Vers. 27. NE DECLINES AD DEXTERAM, NEQVE AD SINISTRAM. Præceptum circa pedes (hoc est, affectus internos) declarat altera similitudine. Primùm enim sub similitudine ponderantis, modò sub similitudine incedentis recta linea, manifestat regimen affectionũ nostrarum: quia via virtutis conferenda est cum circunstantibus omnibus: & in medio consistit, ita quòd, tam ad dexteram, quàm ad sinistram sunt vitia. Et propterea vt euitentur vitia, quæ consistunt in defectu, & quæ consistunt in excessu, mandatur, vt nec ad dexteram, nec ad sinistram declinetur. Vnde ad manifestandum hunc sensum subiungit:

AVERTE PEDEM TVVM A MALO. Ac si apertiùs dixisset, quia declinare ad dexteram, vel ad sinistram est ponere pedem in malo. Malum enim est genus ad omnia vitia.

Quid sit ad dexteram, vel ad sinistram declinare.

VIAS ENIM, QVÆ A DEXTRIS, &c. Omnia hæc scripta vsque in finem huius capituli superflua sunt: quia non habentur in Hebræo.

CAPVT V.

Vers. 1. FILI MI, ATTENDE SAPIENTIÆ MEÆ. Daturus filio præceptum speciale de vitanda fornicatione; quia difficile est adolescentibus, ac iuuenili feruori, seruare continentiam: ideò specialiter excitat filium ad attendendum sapientiæ paternæ, & inclinandum aurem intelligentiæ paternæ. Nam in Textu Hebræo subiungitur:

ET INTELLIGENTIÆ MEÆ INCLINA AVREM TVAM. Monens per hæc filium, vt, quia ipse pater, & intelligit, & sapit; filius adhuc minùs intelligens, & sapiens submittat se sapientiæ, & intelligentiæ paternæ.

Vers. 2. VT CVSTODIAS COGITATIONES. Ecce, quorsum submissionem prædictam requirit, videlicet, ad bonum suum proprium, videlicet, ad custodiendum cogitationes cordis tui, ab insidiis, & occursibus malis. Prima enim cura adhibenda est, ne cogitationes percutiantur, ne cogitationes polluantur.

Prima cura, ne cogitationes polluantur.

ET DISCIPLINAM. Iuxta Hebræum habetur: *Et scire labia tua custodiant.* Custodiæ cogitationum adiungitur custodia scientiæ in locutione: vt, videlicet, sermo tuus ab his, quæ pertinent ad scientiam, (quæ perficit intellectum,) non distrahatur ad vana, & blanda, quę molliant animum. Curam itaque cogitationũ, & scire loqui, à te exigo, fili mi, per huiusmodi submissionem.

NE INTENDERIS FALLACIAM MVLIERIS. Ista clausula superflua est.

Vers. 3. FAVVS ENIM DISTILLANS LABIA MERETRICIS: ET NITIDIVS OLEO GVTTVR EIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Quia fauum stillabunt labia extraneæ, & tenerius oleo palatum eius.* Manifestat inimicos, à quibus custodire debet cogitationes, & scientiam sermonis; declarans, quòd sunt mulieres extraneæ à coniugio legitimo. Et inchoat à locutione huiusmodi, aperiendo, quòd earum sermones sunt fallaces, tum quoad dulcedinem, tum quoad lenitatem: quoad dulcedinem quidem; quia labia earum pię se ferunt dulcedinem, tanquàm stillantia dulcedinem mellis ex fauo, proferunt enim verba blanda, & delectabilia secundùm carnem: quoad lenitatem verò, omnem excludunt asperitatem, & deliniunt, sicut oleum.

Vers. 4. NOVISSIMA AVTEM ILLIVS AMARA QVASI ABSYNTHIVM; ET LINGVA EIVS ACVTA, QVASI GLADIVS BICEPS. Superfluunt illæ duæ dictiones, *lingua eius*. De fine siquidem sermonum dulcium, & lenium dicitur, & quòd est amarus, & quòd est acutus; ita quòd, quamuis prætendant dulcedinem, in calce tamen sunt amari, velut absynthium, quod in intimis visceribus amarescere dicitur: & similiter, quamuis prætendant lenitatem; in fine tamen sunt acuti ad scindendum hinc, & inde, tanquàm gladius biceps: ex quibus manifestè apparet, sermones mulierum extranearum esse fallaces.

Vers. 5. PEDES EIVS DESCENDVNT IN MORTEM. Post descripta colloquia mulieris extraneæ, describit consequenter pedes eiusdem, (hoc est, affectus eiusdem,) dicendo, quòd pedes (hoc est, affectus) illarum descendunt in mortem, hoc est, non tendunt ad ea, quæ sunt vitæ animi; sed ad ea, quæ sunt mortis animarum.

ET AD INFEROS GRESSVS EIVS PENETRANT. Iuxta Hebræum habetur: *Foueam gressus eius fulciunt.* Hoc est, ad inferorum foueam ducendo alios, fulciunt illam, implendo eam.

Vers. 6. PER SEMITAM VITÆ NON AMBVLANT: VAGI SVNT GRESSVS EIVS, ET INVESTIGABILES. Iuxta Hebræum habetur: *Viam vitæ nequando exponderes, commotæ sunt viæ eius, non scies.* Post linguam, & pedes huiusmodi mulierum, describit earum vias, hoc est, opera. Describit autem eas fore ignaras: quia valdè variantur dicendo, commotæ sunt viæ eius, & propterea nescies eas: ipsa siquidem varietas, & instabilitas operum occultat viro illa. Et in his tribus (videlicet, locutione, affectibus, & operibus) comprehenduntur mulierbria omnia. Nec tacet Salomon periculũ, quod ex istis imminet filio; sed explicat illud dicendo: *Viam vitæ nequando exponderes.* hoc est, nequando ex suo pondere educas viam vitæ. Monuerat superiùs filium, vt ponderaret viam vitæ, tanquam in bilance. Manifestat modò periculum incurrendi contrarium, quòd, videlicet, ex locutionibus, ex affectibus, ex operibus mulieris extraneæ adducetur, ad exponderandum, ad minimè ponderandum viam vitæ, procul dubiò animi: quod esset incurrere maximum malum.

Pericula ex mulieris locutione, affectibus, & operibus.

malum: quia, cùm vitæ via non æstimatur, facilè vitia cuncta amplectimur. Constat autem via vitæ ex operibus virtutum.

Verf. 7. NVNC ERGO, FILI MI, &c. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et nunc, fily, audite.* Modò alloquitur filium, modò filios: vt intelligamus, quòd ita vniuersos, sicut quemlibet, instruit.

Verf. 8. LONGE FAC, &c. Primum mandatum, ad custodiendum se à muliere constat ex elongatione, non solùm à muliere extranea; sed etiam ab ostio domus eius, ne appropinquatio causet periculum.

Verf. 9. NE DES ALIENIS HONOREM TVVM. Iuxta Hebræum habetur: *Ne quando des alienis decorem tuum.* Nocumenta consequentia amorem mulieris non suæ, incipit describere, inchoans à decore: pulchritudo enim est decor iuuentutis: & propterea monetur iuuenis, ne det alienæ frui pulchritudine iuuentutis suæ.

Rabini dicūt sonare robur.

ET ANNOS TVOS CRVDELI. Nisi huiusmodi luxus minueret annos debilitando, nequaquam moneretur iuuenis: Ne des annos tuos crudeli. Inter vxorem enim, & non vxorem, tantùm interest, vt vxor rationem habeat incolumitatis viri: fornicaria autem crudelis sit; quia, dummodo concupitis fruatur amplexibus, non est ei curæ, an exhauriat spiritum, & vires iuuenis.

Differentia inter fornicariam, & vxorem.

Verf. 10. NE FORTE IMPLEANTVR EXTRANEI VIRIBVS TVIS, &c. Post nocumenta personæ, subiungit nocumenta facultatum. Oportet enim multùm habere Thaidem: & propterea monetur iuuenis, ne quando saturentur alieni robore eius, (hoc est, facultatibus, in quibus consistit robur hominis,) & parta laboribus multis sint in domo aliena: frequentissimè enim hoc videmus contingere.

Verf. 11. ET GEMAS IN NOVISSIMIS, QVANDO CONSVMPSERIS CARNES TVAS, ET CORPVS TVVM. Iuxta Hebræum habetur: *Et gemes in nouissimo tuo in finire carnem tuam, & residuum tuum.* Quia suapte natura ad huiusmodi luxum sequitur pœnitudo; ideò præmonetur filius, ne ad huiusmodi pœnitudinis statum seipsum agat. Describitur autem infelix pœnitentia, non post consumpta omnia; sed, quando post multa consumpta, est prope finem consumendi vniuersa. Huiusmodi enim tempus describitur dicendo *In nouissimo tuo, in finire carnē tuam, & residuum.* Et carò quidem refertur ad personam, residuum verò ad facultates. Et hunc sensum manifestant vltima verba huius pœnitudinis subiuncta.

Luxum sequitur pœnitudo.

Verf. 12. & 13. ET DICAS: CVR DETESTATVS SVM DISCIPLINAM? Parum refert, quòd Hebraicè habetur: *Quomodo odi eruditionem, & increpationem spreuit cor meum?* Verba pœnitentis ad seipsum sunt satis clara.

Verf. 14. PENE FVI, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Sicut parum fui in omni malo in medio collectionis & congregationis.* Hinc apparet, quòd non consumptis omnibus, sed, cum esset in fine consumendi, & carnes, & facultates, resipiscentia ista describitur; alioquin non diceret: *Sicut parum,* hoc est, parum abfuit, *quòd fui in omni malo.* Quod autem dicitur, *in medio collectionis, & congregationis,* potest referri, vel ad causam, vel ad pœnam. Et si sonat causam, sensus est, quòd causa fui mali fuit imitari turbam: si verò sonat pœnam, sensus est, incidi in vituperium congregationis, & collectionis. Inter

Congregatio, & admonitio, quomodo differant.

Congregationem autem, & collectionem hoc interest, quòd congregatio sonat multorum vnitatem politicam, puta Senatum, seu Concilium: adunatio verò sonat multitudinem quomodolibet congregatam.

BIBE AQVAM DE CISTERNA TVA. Iuxta Hebræum habetur: *Bibe aquam de puteo tuo.* Monuit hactenus pater filium custodire se à muliere aliena; tum, quia fallax; tum, quia nociua, & personæ, & rebus; tum, quia pariet pœnitudinem. Monet consequenter idem, monstrando bona consequentia euitationem mulieris non suæ: & primùm ostendit bona vtilia, deinde delectabilia. Et quoad vtilia quidem bona, vtitur parabola aquarum vinarum. Consistit autem parabola in hoc, quòd, quemadmodum habens puteum, seu fontem proprium, ipse cum suis bibit aquam de proprio fonte; ita quòd ipse de medio fontis in... autem aquam bibit, & inde spargit eam foris copiosè, quòd quasi paludem efficiat in larga platea; retinet autem aquas suas solus, ita quòd non admittit alienos ad aquarum suarum dominium secum: sic sit dominus facultatum suarum, & copiosè vtatur eis, spargendo eas etiam foras pauperibus, & peregrinis; nec alienos admittat ad dominium facultatum suarum. Quod tamen facit communicans cum muliere non sua. Verf. 15.

Proprii fonte diriue cisternam; sequens autem dictio puteū.

Propter triplex malum fugienda est fornicaria.

Quomodo bibenda sit aqua de proprio fonte.

ET FLVENTA PVTEI TVI. Iuxta Hebræum habetur: *Et fluenta de medio putei tui.* Quod autem sequitur:

DERIVENTVR FONTES TVI FORAS, ET IN PLATEIS AQVAS TVAS DIVIDE. Iuxta Hebræū habetur: *Spargent fontes tui foras, & in planitiebus amplis paludes aquarum.* Copia frugum, & aliarum rerum exuberans significatur per huiusmodi exuberantiam aquarum, si filius retinet eas; & vtitur eis absque alienis; & ad hoc explicandum subiungit: Verf. 16.

HABETO EAS SOLVS, NEC SINT ALIENI PARTICIPES TVI. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Erunt tibi soli, & non alienis tecum.* Sententia est clara, & appellatione alienorum intelliguntur non sui domestici operarij, & hospites; sed alieni secundùm animū ab ipsius bono; quales sunt mulieres fornicariæ, lenones, sicarij, & id genus reliqui: ac si apertiùs dixisset: si tu cum tuis vsus fueris facultatibus tuis, abūdabis valdè.

SIT VENA TVA BENEDICTA. Iuxta Hebræum habetur: *Erit abundantia tua benedicta.* Hoc est, multiplicata, & benedicta, ac laudata à pauperibus, & peregrinis, à congregationibus, & adunationibus. Verf. 18.

ET LÆTARE CVM MVLIERE, &c. Legendum est: *Et lætare de vxore adolescentiæ tuæ.* Ecce bona delectabilia. Captus enim amore mulieris alienæ non lætatur, non fruitur vxore propria. Meminit autem adolescentiæ, vt materiam lætitiæ explicet. Primus enim amor radicatus est, & fouet lætitiam de vxore primò amata.

CERVA CHARISSIMA, ET GRATISSIMVS HINNVLVS. Iuxta Hebræum habetur: *Cerua amorum, & ibix gratis.* Dictio interpretata ibix, est illamet, quæ scribitur in principio 38. capituli Iob, vbi legitur: *Nunquid nosti tempus partus ibicum?* Assimilatur itaque vxor, quoad amorem, imò amores, ceruæ: & quoad gratiam, ibici. Quàm gratiosa autem sit ibix, vt Salomon assimilauerit ei gratiam vxoris, latet me, qui nunquam ibices vidi, nec aliquid ad propositum ab aliis scriptum noui. De ceruæ autem

nil aliud occurrit, nisi, quòd assimilatur vxor ab adolescentia habita quoad lætitiam, hoc est, materiam lætitiæ. quam habet vir iugiter de ceruа, quam domi sibi aluit, ex quo ablactata est. Huiusmodi enim cerua, appellatur cerua amorum: tum, quia familiariter amatur: tum, quia domesticus amat. Ex reciproco igitur amore, tam iugiter delectabili, appellatur cerua amorum, & assimilatur vxori non deserendæ, sed ab adolescentia iunctæ.

Vbera eius inebrient te, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Vbera eius saturabunt te in omni tempore.* Non oportet aliena vbera quærere; sed propriæ vxoris pectus omni tempore paratum sufficiat ad extinguendum sitim libidinis, imò ad satietatem.

Modus iste loquendi. potius vim retractiuam, quàm permissiuam habet, v. iterum Hebræorum quidā exponunt

In amore illius delectare iugiter. Iuxta Hebræum habetur: *In amore illius errabis iugiter.* Remedia sunt hæc feruoris iuuenilis, ex paterno proficiscentia consilio. Vt iuuenilis feruor erret in amore propriæ vxoris, & non alienæ, erret autem non ad tempus, sed iugiter, hoc est, nunquam erret in aliena; sed si errandum est, erret iugiter in amore propriæ vxoris.

Vers. 20. Quare seduceris, fili mi, ab aliena, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Et quare errabis, fili mi, in extranea, & amplexaberis pectus alienæ?* Postremò monet filium, vt caueat à muliere non sua ob timorem Dei. Et scito, quòd dictio interpretata, *errabis*, est illamet, quæ in præcedenti versiculo interpretata est, *errabis*: continuando siquidem textum è regione erroris in fruitione vxoris collocat errorem in fruitione mulieris non suæ. Nec interrogando, sed comminando dicit: Et quare, fili mi, errabis in non tua? & subiungendo causam comminationis adiungit:

Vers. 21. Respicit Dominus vias hominis, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Quia coram oculis Iehouah via viri, & omnes vias eius ponderat.* Viarum nomine opera intelliguntur, & summus Deus non solùm videns; sed etiam ponderans (hoc est, discutiens, & examinans) omnia opera hominis declaratur, vt timeat filius peccare coram oculis Dei.

Viæ sunt opera.

Vers. 22. Iniquitates suæ capient impium. Ne imputetur Deo punitio, sed propriis iniquitatibus hominis, & rursus, vt certus sit filius, quòd iniquitas eius sola faciet ipsum puniri à Deo, dicit, quòd iniquitates suæ capient impium.

Non imputanda est Deo punitio, sed hominis iniquitatibus.

Et funibus peccatorum suorum constringitur. Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *fulcitur.* Quemadmodum connexione virtutum iustus fulcitur: ita impius funibus peccatorum sustentatur, ita quòd peccatis suis imputanda est pœna.

Vers. 23. Ipse morietur, quia non habuit disciplinam: et multitudine stultitiæ suæ decipietur. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Ipse morietur in nō eruditione, & in multitudine stultitiæ suæ errabit.* Dictio interpretata, *errabit*, est illamet, quæ superiùs reperta est bis. Resoluit pater pœnam iniquorum in abiectam eruditionem paternam; & abiectionem resoluit in multitudinem stultitiæ filij, vt primam radicem sui mali agnoscat filius esse, non modicum stultitiæ, sed multitudinem stultitiæ, inducentis ipsum ad spernendum eruditionem paternam.

Mali radix stultitia.

CAPVT VI.

Vers. 1. Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, &c. Quæstio statim occurrit, an fideiubere inhibeatur in hac litera: nam sonat filium, qui fideiussit pro amico, incidisse in laqueum, & monetur filius, vt det operam ad liberandum se. Hoc enim nihil aliud est, quàm vituperare fideiussionem factam, quasi laqueum. At si hoc admittitur, opera misericordiæ vituperantur: nam, quemadmodum mutuare est opus pium; ita & fideiubere. Solutio est, quòd fideiubere contingit dupliciter: vel charitate; & de hoc non sermo: vel ex leuitate, aut pusillanimitate, seu quacunque alia simili occasione; & de tali fideiussione fieri sermonem hoc in loco testatur contextus: nam describitur fideiussio, tanquàm impactio, & tanquàm qui impegit, captus sit laqueo. Huiusmodi enim metaphoræ insinuant, fideiussionem nō profectam fuisse ex spontaneo amore, sed contigisse ex aliqua occasione minùs voluntaria, vt sæpè contingit: & propterea casum filij miseratus pater, consulit illi, vt studeat se liberare perceleriter de laqueo, in quem incidit. Non itaque vituperatur fideiussio pia, sed quasi inuoluntaria. Duo itaque præcepta simul dari intelliguntur: alterum explicitè: Non temerè fideiubeat. alterum implicitè, quòd si inciderit in fideiussionem quasi inuoluntariam, sollicitus sit ad liberandum se.

Quæstio de fideiussione.

Solutio.

Duo præcepta ponuntur.

Illaqueatus es verbis oris tui, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Impegisti in dicta oris tui, captus fuisti in dictis oris tui.* Hinc apparet, quòd non de spontanea fideiussione, quæ ex charitate fit, est sermo. Vers. 2. 3. & 4.

Discurre, festina, suscita amicum tuum. Iuxta Hebræum habetur: *Vade, & calca, & robora.* Dictio tamen interpretata, *calca*, interpretari quoque potest, *humilia te.* Et est sensus: *Vade, & calca.* (hoc est, ne parcas frequentibus ambulationibus.) vel humilia te apud proximum tuum, pro quo fideiussisti, & *robora*, (hoc est, animæquiorem redde, adiuua in aliis;) vt soluat ipse, qui principaliter tenetur.

Vers. 5. Erue te, quasi damula, de manu, &c. Dictio interpretata, *damula*, ab aliis interpretatur *cerua*, ab aliis *caprea*: sed parui refert, quoniam sensus metaphoræ clarus est: quoniam in litera, sicut laqueus refertur ad auem; ita manus refertur ad capiendum, vel retinendum animal hoc.

Vers. 6. Vade ad formicam, ô piger. Prosequendo præcepta particularia, post mandatam sollicitudinem ad liberandum se de laqueo fideiussionis, præcipit diligentiam ad imminentes operas pro opportunis ad victum, & vestitum, & ad reliqua domestica. Monet autem ab exemplo formicarum.

Et disce sapientiam. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et sapi.* Dictio tamen Hebraica sonare videtur fieri sapientem: est enim sensus, quòd exemplo formicæ fias sapiens.

Vers. 7. 8. & 9. Quæ cum non habeat ducem. vt habent oues sequentes arietes.

Nec præceptorem. Legendum est: *Nec præfectum.* Vt habent grues in extremis agminis.

Nec principem, &c. Legendum potiùs est, nec dominum. Vt habent apes Regem; sed absque domino, cui seruiant, absque præfecto sollicitante, & absque alicuius ducatu parant sibi in æstate panem, seu cibum. Naturali siquidem instinctu formica congregat, ac thesaurizat.

Vers. 10. Paululum dormies, &c. Litera vulgatæ editionis clara est; sed Hebraica Litera obscura: nam Hebraicè habetur: *Paruo amplexu manuum ad iacendum.* Sed sensus in idem redit, *Descriptio hominis pigri. Quia enim adhuc reliqua ... putant, quod natura pauci esse contenta est.* vi- est quòd modus pigritiæ describitur, quo, videlicet, vtitur piger ad longum iacere. Multiplicat enim, & paruos somnos, & paruas dormitationes, & paruos amplexus manuum ad diutiùs iacendum. Paruitatem autem intellige secundum iudicium ipsius pigri excusantis se, quòd parum dormiam, parum adhuc dormitabo, parum extendam membra.

Quasi viator. Hoc est, ex improuiso, sicut viator.

Vers. 11. Et paupertas quasi vir armatus. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et defectus tuus, sicut vir scuti.* Assimulatur defectus facultatum adueniens viro viatori, pro quanto ex improuiso obrepit; viro autem scuti, pro quanto non potest piger resistere aduenienti; sicut non potest resistere huiusmodi armato.

Si verò impiger fueris, veniet, vt fons messis tua; et egestas longè fugiet a te. Tota hæc clausula superflua est: non enim habetur in Hebræo.

Vers. 12. *Homo inutilis habet.* Homo apostata, vir inutilis. Iuxta Hebræum habetur: *Homo malus, vir iniquitatis.* Nihil hîc dicitur de apostasia: sed describitur post hominem pigrum, homo malus. Et de eo primùm est sermo de malitia morali. *Descriptio hominis mali.* Et dicitur in genere, quid est vir iniquitatis: quemadmodum enim dicitur vir sanguinis, qui effusor est humani sanguinis: ita dicitur vir iniquitatis, qui pascitur, & delectatur iniquitate.

Graditur ore peruerso. Hoc est, ne... gratiatur sermone pernicioso: peruertit enim sermonem proprium, torquendo illum in op... rationibus suis. Et vtinam non experientia talium hominum versaretur.

Vers. 13. Annuit oculis. Iuxta Hebræum habetur: *Annuit in oculis suis.* Quemadmodum ... nuens oculo occultat alteri intentionem ... quam innuendo intimat compr... consilia latebrosa mali viri significantur ... taphora innuentis oculis. Vnum enim dicunt coram, & aliud occultè tractant.

Terit pede. Iuxta Hebræum habetur: *Loquitur in pedibus suis.* Metaphora quoque est. Cuius enim locutionis materia pedes sui ... non nisi ad subiecta sibi tendit: & describ... tur per hoc mali viri sermo tendens ad su... iiciendum sibi, & habendum omnes tanquam pedes suos.

Digito loquitur. Iuxta Hebræum habetur: *Docet in digitis suis.* Quemadmodum docens monstrando digitis ea, quæ docet, facit euidenter cognosci ea, quæ docet: ita malus vir arrogat sibi docere, ac si monstraret digitis. Vult enim, quòd habeantur pro euidentibus ea, quæ docet, ac si monstraret ea digitis.

Vers. 14. Prauo corde machinatur malum. Iuxta Hebræum habetur: *Versutia in corde eius.* Deinde sequitur: *Cogitat malum.* Ita quòd duæ sunt clausulæ, altera versutiarum in corde, altera malorum in cogitatione.

Et omni tempore iurgia seminat. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *In omni tempore inimicitias mittet.* Ad tollendum præcipuum inter homines bonum, amicitiam.

Huic extemplò veniet perditio sua. Vers. 15.
Iuxta Hebræum habetur: *Super sic subitò veniet contritio eius, repentè frangetur, & non sanitas.* De pigro dixerat, quòd veniet paupertas ex improuiso tanquàm vir armatus. De homine autem malo dicit, quòd super malitia eius frangetur, sic quòd fractio eius subita erit absque sanitatis spe: & siue fractionis nomine intelligatur ruina status, ac facultatum, siue ruina corporis, verificantur hæc sæpè videntur. Nam & vulneribus absque sanitatis spe quandoque confodiuntur, & in indignationem Principum incidentes, expoliantur rebus, & exauthorantur absque remedio.

Sex sunt, quæ odit Dominus. Nomen Vers. 16.
est tetragrammaton. Descripto homine malo, *Descriptio eorum, quæ odit Deus.*
describit consequenter mala, quæ odiosa sunt summo Deo.

Et septimum detestatur anima sua. Iuxta Hebræum habetur: *Et septem abominationes animæ eius.* Sensus tamen in idem redit. Intendit enim dicere, quòd sex sunt odiosa Deo: &, si addatur septimum, erunt septem abominabilia animæ Dei. Metaphoricus sermo est ad instar abominationis, quam experimur in anima nostra; ita quòd adiunctum septimum efficit, quòd non solùm exosa, sed etiam abominabilia sint.

Vers. 17. *Primum odibile. Qui sunt sublimes dicantur.*
Oculos sublimes. Ecce primum exosum. Nec est sermo de oculis corporeis, sed de oculis mentis. Superbiæ enim initium per sublimes oculos describitur. Superbi enim est suspicere appetitu ad altiora incommensurata sibi. Possunt quoque per sublimes oculos intelligi definitiones de sublimibus excedentes ingenia definientium. Sublimes enim oculi sunt eorum, qui negant diuinam prouidentiam circa humanas actiones, qui negant immortalitatem animæ, & huiusmodi. Sublimes oculi sunt Christianorum, qui negant mysterium Trinitatis, & aliorum, quæ catholica Ecclesia profitetur.

Linguam mendacem. Secundum exosum est lingua mendax, & hoc verificatur vniuersaliter de omni mendacio. Nam mendacium est in seipso prauum, & nulla potest quantumcunque sancta intentione adhibita rectificari: ac per hoc, suapte natura, lingua mendax exosa est Deo.

Manus effundentes innoxium sanguinem. Tertium Deo exosum expositione non eget. *Tertium odibile.*

Cor machinans cogitationes pessimas. Iuxta Hebræum vltima dictio legenda est, *iniquitates.* Et sententia est clara.

Pedes veloces ad currendum in malum. Quintum exosum, executores mali cum festinatione significantur per pedes.

Proferentem mendacia testem fallacem. Iuxta Hebræum habetur: *Faciet loqui mendacia testimonium falsitatis.* Sextum exosum Deo supputatur, facere, vt aliquis mentiatur, ad testificandum falsum, quod crebrò in iudiciis fit, in graue damnum proximi.

Et eum, qui seminat inter fratres discordias. Sententia seruatur; & hoc est septimum tam abominabile Deo, vt constituat septem abominationes, hoc est, vt reddat vniuersa abominabilia Deo. Valdè siquidem repugnat, & naturæ,

naturæ, & moribus, mittere discordias inter fratres, inter quos est naturalis concordia.

Vers. 20. & 21. CONSERVA, FILI MI. Moniturus filium, vt caueat ab adulterio, præmittit mandatum de assidua reuocatione ad mentem, tam paternæ, quàm maternæ legis. Assidua enim recordatio describitur; tum per partes corporis, cor, & collum; tum per partes temporum, gradiendi, dormiendi, euigilandi. Describitur autem, vt non solùm intùs, & extrà, (hoc est, coram aliis,) sed etiam quando vadit cubitum, quando expergiscitur, & cùm graditur, renouet memoriam paternarum traditionum. Corrigenda esset Litera:

CVM DORMIERIS CVSTODIANT TE. Nam Hebraice habetur: *In iacere tuo custodies super te.* Sed sensus in idem redit.

Vers. 23. QVIA MANDATVM LVCERNA EST, &c. Ratio tantæ diligentię redditur ex virtute illuminatiua, quam habent parentum præcepta, & ex virtute vitali, quam habent increpationes eruditionis. Nam, vbi legitur: *Increpatio disciplinæ.* legendum est: *Increpationes eruditionis.* Increpando enim, parentes erudiunt filium, & præbent ei viam vitæ, proculdubiò animi.

Vers. 24. VT CVSTODIANT TE A NVPTA MALA. Ecce, quò tendit vniuersa hæc monitio, & ad literam loquitur de muliere nupta adultera, vt etiam inferiùs subiungitur: ita quòd in præcedenti capitulo monuit filium, vt custodiret se à muliere non sua in genere: hîc autem monet eundem in specie, vt caueat ab adultera. Quam describit prius à malitia, appellãdo eam nuptam malam: quia verè est mala, vtpote malæ voluntatis: & rursus est mala, quatenus est nociua aliis. Deinde à blanditiis subiungendo:

Est singularis numeri. A BLANDITIIS LINGVÆ EXTRANEÆ. Ita quòd non solùm est mala; sed etiam prouocans blando sermone alliciendo.

Vers. 25. NON CONCVPISCAT COR TVVM. Ac si apertiùs dixisset: Quamuis pulchritudo eius placeat oculis tuis; non tamen penetret cor tuum.

NE CAPIARIS NVTIBVS ILLIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Et non capiet te in palpebris suis.* hoc est, in officio oculorum suorum. Colligentia, (videlicet, linguam blandam, pulchritudinem, & oculorum motus,) esse arma mulieris, *Arma mulieris.* à quibus oportet se seruare iuuenem.

Vers. 26. PRETIVM ENIM SCORTI VIX VNIVS PANIS EST: MVLIER AVTEM VIRI PRETIOSAM ANIMAM CAPIT. Iuxta Hebræum habetur: *Quia per mulierem meretricem vsque frustum panis, & vxor viri animam pretiosam venabitur.* Intendens declarare grauitatem adulterij, manifestat grauitatem ipsius, primùm relatiuè ad fornicationem; deinde relatiuè ad furtum. Nec est sermo de grauitate essentiali, sed quoad nocumenta. Comparando itaque nocumenta illata à scorto, ad nocumenta, quę inferuntur ab adultera, dicit, quòd per mulierem meretricem exhauriuntur opes, vsque ad frustum panis: mulier autem adultera venatur pretiosam animam; hoc est, facto tendit ad perimendum vitam hominis qua nihil est pretiosius. Fornicator enim non exponit se periculo mortis: adulter verò, & subiacet pœnæ mortis secundum leges, & exponit se periculo occisionis à marito.

Nocumenta adultere, & extranea meretricis.

Vers. 27. 28. & 29. NVNQVID ABSCONDERE POTEST, &c. Sententia huius clausulę satis clara est, & in textu declaratur. Quorsum affertur hæc similitudo ignis, & hic clarè habes, quòd de adulterio est sermo, dum dicitur, ad vxorem proximi sui, &c. Quod autem sequitur:

NON GRANDIS EST CVLPA, &c. Paraphrasis est, non interpretatio. Nam Hebraicè habetur: *Non vilipendent furem: quia furabitur ad implendum animam suam, quia esuriet.* Comparat consequenter furtum adulterio, & quoad nocumenta manifestando longè grauius esse adulterium. Et causas quidem furti describit subordinatas, videlicet, alere propriam vitam: quia indiget alimentis. A nocumentis autem eiusdem excludit ignominiam, declarando nocumenta furti esse restituere septuplum: etsi oporteret omnem substantiam suam dare pro restitutione. Vers. 30. & 31.

ET LIBERABIT SE. Superfluunt istæ tres dictiones.

QVI AVTEM ADVLTER EST, PROPTER CORDIS INOPIAM, PERDET ANIMAM SVAM. Hęc clausula non redditur integrè: nam in Hebræo adiungitur: *Ipse faciet illud.* E regione causarum furti, collocat causas adulterij: ille furatur propter cerú inopiam; iste adulteratur propter cordis defectum: rursus ille furatur, vt impleat animam suam; iste adulteratur ad perdendam animam suam: ille denium non facit sibiipsi malum; iste verò sibiipsi facit malum: illud hoc est, quia ille coactus fame furatur; iste autem sponte adulterium committit. Appellatione autem, *animæ*, intellige vitam: nam & fur ad sustentandum vitam suam furatur; & adulter exponit periculo mortis vitam propriam. Cordis autem defectum, internum defectum, quo adulter agitur, intellige: passio siquidem concupiscentiæ, & delectationis carnalis, aduersatur valdè bonæ dispositioni, tam intellectus, quàm appetitus: vnde & apud Ethnicos scribitur, quòd Venus furatur intellectum. Vers. 32.

Comparatio furti, & adulterij.

Venus intellectum furatur.

TVRPITVDINEM, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Plagam, & ignominiam inueniet: & opprobrium eius non delebitur.* E regione nocumentorum consequentium furtum, supputat nocumenta consequentia adulterium. Et inter consequẽtia quidem furtum, non nisi facultatum dãna supputata sunt: concomitantia autem adulterium describuntur, primùm vulnera, & deinde ignominia, quo contrà de fure dictum est: *Non spernent eum.* Frequenter enim adulteri vulnerantur, & pro ignominia illata marito, & consãguineis, notantur; ita quòd opprobrium illius non deletur. Vers. 33.

QVIA ZELVS, ET FVROR VIRI, &c. Legendum est: *Zelus ira viri & non miserebitur in die vindictæ.* Ratio redditur, quare adulter perdet animam suam: quia zelus mariti est suapte natura pariens iram, quæ est appetitus vindictæ: & propterea non miserebitur in die commodo ad vindicandum. Vers. 34.

NEC ACQVIESCET CVIVSQVAM PRECIBVS. Iuxta Hebræum habetur: *Nõ elevabit faciem omnis pretij.* Hoc est, non respiciet ad pretiosam. Intendit enim, quòd adulterum, quantuncunque nobilem, occidet (commoditate habita) maritus. Vers. 35.

NEC SVSCIPIET PRO REDEMPTIONE DONA PLVRIMA. Sẽtentia redditur. Iuxta Hebræum tamen dicitur: *Et non volet, quod facies multiplicare munera.* Significatur enim, quòd maritus nõ appetit, quòd tu adulter multiplices munera,

nera, ad placandum eum, cuius tamen oppositū quandoque videmus. Sed quia hoc euenit per accidens, ideò non contrariatur sententię Salomonis. Dicta siquidem à Salomone hîc de animo mariti erga adulterum, verificantur per se, hoc est, secùndum ea, quæ communiter, & suapte natura conueniunt animo mariti. Propterea enim præmisit, quòd zelus mariti est ira, hoc est, appetitus vindictæ. Vnde sequitur, quòd nō est appetitus misericordiæ, neque munerum: per accidens autem (hoc est, propter mollitiem animi adiunctam) nonnulli mariti faciunt oppositū.

Mariti accipiunt munera pro vana per accidens

CAPVT VII.

Vers. 1. FILI MI, CVSTODI SERMONES MEOS, &c. Post monita de adulterio, descendit ad specialem quendam modum attrahendi iuuenes ad adulterium. Et quoniam modus iste habet magnam vim attrahendi, ideò præmittit patet longum exordium, ad excitandum filium, vt sibi caueat.

Vers. 2. FILI, HONORA DOMINVM, ET VALEBIS: PRÆTER EVM VERÒ NON TIMVERIS ALIENVM. Tota hæc particula superflua est: non enim habetur in textu Hebræo.

ET LEGEM MEAM QVASI PVPILLAM OCVLI TVI. Pupilla oculi conseruata est à natura multis interius tunicis, & externis palpebris, ac ciliis: sic conseruandam paternam legem à filio interius, & extrà monet pater. Vnde ad externas, & internas vigilantias descendit dicendo:

Properans pupilla, ... custodia.

Vers. 3. LIGA EAM IN DIGITIS TVIS, SCRIBE EAM IN TABVLA CORDIS TVI. Externa custodia describitur in digitis, interna in corde. Metaphora autem digitorum non affertur ex ornamentis annulorum, qui gestantur in digitis, sed ex alligatis in digitis, quæ firmiùs retinentur. Et tendit parabola ad hoc quòd, quemadmodum alligata digitis, non recedunt ab intuitu oculorum, (nullum enim membrum nostrum nudum, tam frequenter obiicitur propriis oculis:) ita paterna mandata sæpissime obiiciantur mentis oculis, tanquàm alligata digitis. *Scribere* autem *in tabula cordis* sonat firmam retentionem in corde, in intimis affectibus, quemadmodum scribere (quod olim fiebat in tabulis) ad retinendum dicta ordinatur.

Quid sit alligare digitis.

Quid scribere in tabulis.

Vers. 4. DIC SAPIENTIÆ: SOROR MEA ES, & PRVDENTIAM VOCA AMICAM TVAM. Dictio interpretata *prudentiam*, interpretanda est, *intelligentiam*. Et hoc quoque pertinet ad modum custodiæ, vt, videlicet, amoris vinculo, & quasi naturali necessitudine iungat se filius sapientiæ ac intelligentiæ, quæ præcipiuntur paternis mandatis. Tanquàm connaturalem, quasi sororem, iubet haberi sapientiā: quia verè connaturalis est sapientia homini, vtpote in quo virtutum semina congenita sunt: & quia non omnis soror, quantumuis dilecta, est amica, ideò ad mutuum adipiscendum amorem adiungitur: *Et intelligentiam voca amicam tuam: dilige eam, & diligeris ab illa.*

Sapientia homini connaturalis.

Vers. 5. VT CVSTODIAT TE, &c. Ad quid tendat huiusmodi dilectio, priùs descripta custodia paternæ legis, incipit manifestare, proponens in genere custodiam à muliere extranea, non quacunque; sed leniente verba sua ad attrahendum iuuenes.

Vers. 6. DE FENESTRA ENIM DOMVS MEÆ, PER CANCELLOS PROSPEXI. Descendit ad modum specialiter intentum describendo illum. Vbi aduerte, quòd quemadmodum Salomon instruendo filium, non restringit filij nomen ad Roboam, & ad filios naturales; sed appellatione filij comprehēdit adolescentes, iuuenesque omnes: ita induit personam patris, & describit seipsum, tanquàm patrem prospicientem per fenestram domus propriæ, non patentem, sed cancellis opertam, hoc est, prospicientem ita, vt ipse videat alios, & non videatur ab aliis, qui foris sunt: sæpè enim hoc fit.

Vers. 7. ET VIDEO PARVVLOS: CONSIDERO VECORDEM IVVENEM. Iuxta Hebræum habetur: *Et vidi in simplicibus, intellexi in filiis adolescentem minutum corde.* Simplices appellantur, qui modici sunt iudicij: filij autem, qui paruæ sunt ætatis. Facilè enim ludentibus pueris miscentur simplices. Et aptè describit pater seipsum videre huiusmodi greges puerorum, & simplicium, & è fenestra cancellata prospicere: quoniam, si videretur ab eis, fugerent, inde erubescentes coram censore ludere. Inter itaque simplices, & pueros vidit adolescentem minutum corde, vtpote similem vtrisque. *Minutus* enim *corde* appellatur, cui desunt morales virtutes, quæ sunt de integritate vitæ animi.

Minutus corde, quid.

Vers. 8. QVI TRANSIT PER PLATEAS IVXTA ANGVLVM. Non per medium plateæ, sed propè angulos plateæ idoneos, ad inchoanda ea, quæ libidinis sunt, vtpote loca minùs patentia, multis commoda hinc inde occursibus.

ET PROPE VIAM DOMVS ILLIVS GRADITVR. Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *deambulat*. Nec habetur, *prope*, sed, *ad*; seu, *per*: pronomen autem, *illius*, cùm sit masculini generis, non demonstrat mulierem; sed anceps relinquitur, eò quòd dictio significans *domū*, est quoque masculini generis apud Hebræos. Sensus tamen porrigere videtur, quòd mulieris domus demonstratur. Periculum enim describitur iuuenis ex hoc, quòd deambulat ad viam domus mulieris adulteræ.

Vers. 9. IN OBSCVRO, &c. Iuxta Hebræum habetur: *In crepusculo, in vespera diei, in nigredine noctis, & obscuritate.* Descripto loco idoneo, ad pericula libidinis, describitur consequenter tempus idoneum ad idem. Describitur autem relatiuè ad diem, tempus crepusculi vespertini: relatiuè autem ad noctem, describitur nigredo: ad significandum crepusculum magis sapere nigredinem noctis, quàm claritatem diei. Adiungitur verò, *obscuritas*, ad significandum qualitatem crepusculi, quòd, videlicet, non lucebat Luna, sed erat obscuritas.

[illegible]

Vers. 10. ET ECCE MVLIER, &c. Consequenter describitur occurrens adultera à multis conditionibus: & primò ab occursu; deinde ab habitu ornatus meretricij. Non expectat inuitari, quæ occurrit spontanea cum armis ornamenti meretricij.

PRÆPARATA AD CAPIENDAS ANIMAS. Iuxta Hebræum habetur: *Et minuta corde.* Qualitas cordis eius, tertiò describitur à defectu virtutum moralium, ac si apertiùs dicatur futilis, vacua virtutis.

Mulier ...

GARRVLA. A lingua describitur loquax, quasi tumultuosa.

ET VAGA. Inquietudo secundùm localem motum significatur.

QVIETIS

Vers. 11. QVIETIS IMPATIENS. Istæ duæ dictiones sunt superfluæ.

NEC VALENS IN DOMO, &c. Sententia redditur. Declarat enim, quòd ita est vaga, quòd non habitat in propria domo: pedes illius tam parua morula continentur domi.

Vers. 12. NVNC FORIS, &c. Officium, ad quod vagatur, describitur, videlicet, insidiari, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulum quencunque.

Vers. 13. APPREHENSVMQVE, &c. Descriptis conditionibus mulieris, subiungitur consequenter effectus triplex, videlicet, apprehensionis, osculi, & procaci vultu allocutionis. Interpres enim apposuit, *blanditur*. Nam Textus Hebraïcus petulantis vultus duntaxat meminit.

[illegible] procacitatis à [illegible] superflua est.

Vers. 14. & 15. VICTIMAS PRO SALVTE DEVOVI. Iuxta Hebræum habetur: *Sacrificia pacificorum super me.* Fingit mulier, Deum benignè exaudisse illam, & fouere desideria amoris sui erga illum adolescentem: fingit enim, se olim vouisse sacrificia pacificorum Deo pro amore illius iuuenis; & illo die exoluisse vota sua; & super hac fiducia, se egressam esse in occursum illius adolescentis, ad quærendum vultum eius; & inuenisse eum. Hæc enim sunt, quæ procaci vultu dixit quoad animum suum erga illum. Deinde subiungit, quæ præparauit dicens:

Vers. 16. INTEXVI FVNIBVS, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Pauimentatum pauimentis lectum meum, elaboratis funibus Ægypti.* Similitudo pauimenti facilè intelligitur in lecto strato. Sed qualis funis Ægypti visus fuerit, non facilè patet, nisi quòd ad delicias spectare videtur.

Inferiùs, cap. 31. redduntur, ornata ornamentis. Abraham enim per pauimenta intelligit ornamenta.

Vers. 17. ASPERSI CVBILE MEVM, &c. Mixtura liquida ex aromatibus, ligno aloes, myrrha, & cinnamomo, insinuatur ex Hebraico verbo significante colare, quod Interpres antiquus rectè exposuit, *aspergere*.

Vers. 18. VENI, INEBRIEMVR VBERIBVS, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Eamus, satiemur amoribus vsque mane, lætemur in amabilibus.* Reliqui Interpretes addidit circunloquendo Hebraicam breuitatem.

Amoribus propriis: potest tamen dictio posita verti, dilectis amabilibus.

Vers. 19. & 20. NON EST ENIM VIR IN DOMO SVA, &c. Pronomen, *sua*, demonstrat, quòd verba ista non sunt mulieris, sed Authoris libri, ad reddendum rationem securitatis mulieris: quia, videlicet, non est maritus in domo eius, sed abiit via longinqua muniitus pecunia.

IN DIE PLENÆ LVNÆ, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Die supputato veniet ad domum suam.* Ex his enim vxor interim absque timore viri vacat suæ libidini.

Vers. 21. IRRETIVIT EVM MVLTIS SERMONIBVS, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Fecit declinare eum in multitudine captionis suæ, in lenitate labiorum suorum impellet eum.* Efficacia muliebris occursus, blanditiarum, procacitatis, & promissionum describitur sub nomine multitudinis captionum, quæ vim habent impellendi animum hominis ad libidinis opus.

Vide, quomodo lecha sit pluralis numeri, cùm plurale sit, melecha.

Vers. 22. STATIM EAM SEQVITVR, QVASI BOS DVCTVS AD VICTIMAM. Legendum esset: *Ad macellum venies.* Quòd autem sequitur:

ET QVASI AGNVS LASCIVIENS, ET IGNORANS, QVOD AD VINCVLA STVLTVS TRAHATVR. Iuxta Hebræum habetur: *Et tanquàm tenticulam ad castigationem stulti.* Tres similitudines afferuntur ad declarandum modum, quo iuuenis iste vadit post adulteram mulierem. Prima est bouis euntis ad macellum: & per hanc manifestatur modus, quo à muliere non tam ducitur, quàm trahitur ad mortem animæ. Secunda est hominis insanientis, cui alligatur tintinabulum in pede; & sic ducitur ad locum, vbi castigantur fatui; & per hanc manifestatur, quòd tanquàm cum festiuitate iuuenis ducitur ad ignominiam fatuorum: & rursus quòd ducitur ad macellum eius non tollit vno ictu vitam, sed est assidua mors, velut castigatio fatuorum. Tertia autem similitudo subiungitur auis festinantis ad laqueum, ignorando, quòd contra vitam suam festinat: & per hanc manifestatur initium spontaneæ ambulationis, per quam adolescens incidit in laqueum mulieris; ignorando quòd contra vitam sui animi ambulat. Omnis enim malus, ignorans; &, vt inferiùs scribitur: *Errant omnes, qui operantur malum.* Verùm inter secundam, & tertiam interponitur hæc clausula:

[illegible]

Vers. 23. DONEC TRANSFIGAT SAGITTA IECVR EIVS, &c. Secundùm enim sententiarum ordinem, hæc clausula in fine omnium similitudinum intelligenda est, quoniam significat, tandiu iuuenem assimilari aui, boui, & insanienti, quandiu sagitta amoris scindit illius iecur, in quo Philosophi concupiscibilem animæ partem collocarunt. Potest quoque contraria intelligi sententia, videlicet, quòd iuuenis assimilatur illis, quandiu habet iecur non scissum sagitta resipiscentiæ; sed ex integro concupiscens. Dictio enim interpretata, *transfigat*, iuxta Hebraïcam veritatem interpretanda esset, *scindet.* Resipiscentia enim scindit cupidinem, & auertit animum ab amore adulteræ; & quia causatur huiusmodi resipiscentia ex aliquo nocumento, vel ex aliquo tristi, aut turpi superueniente; ideò appellatur sagitta scindens iecur. Quandoque enim diuturnus adulter, ex aliqua superueniente ignominia, vel ex aliquo nocumento notabili in persona, vel in rebus, tanquàm ex sagitta scinditur quoad amorem, & resipiscit: *Vexatio namque dat intellectum.* Et hic sensus pro germano amplectendus est.

Quibus resipiscimus.

Isai. 28. 19.

Vers. 24. NVNC ERGO, FILI, &c. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et nunc, filij, audite me.* Vicissitudo pluralis, vel singularis testatur, quòd (vt dictum est) iuuenes omnes monet, vt filios.

Vers. 25. NE ABSTRAHATVR, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Non declinabit ad vias eius cor tuum, & non decipieris in viis illius.* Quia initium peccandi est declinare in vias ducentes ad locum adulteræ; ideò monet pater filios, vt principiis obstent, vt cor non declinet in vias adulteræ; & sic euitabunt fallacias viarum, hoc est, operum illarum.

Vers. 26. MVLTOS ENIM VVLNERATOS, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Quia multos occisos fecit cadere, & fortes omnes occisi ab ea.* Particula prima clara est. Libido siquidem carnalis fecit cadere multos, sic quòd fuerunt occisi. Sed particula secunda quæstione non caret: quia nec occisos omnes propter libidinem fuisse fortes, nec fortes omnes occisos fuisse per libidinem verificatur. Solutio est, quòd cùm dicitur, fortes omnes fuisse occisos propter mulieres, non est sensus, quòd singuli fortes fuerint sic occisi; sed quòd genera omnia fortium hominum fuerunt sic occisa: est enim distributio pro generibus singulorum, & non pro singulis generum: &

Quæstio.

Solutio.

adhuc

adiecit hoc Salomon, ne iuuenes confiderent in viribus suis.

Vers.17. VIA INFERI, DOMVS EIVS. Dictio interpretata, *Inferi*, interpretanda esset, *fouea*. Et directè redditur ratio occisorum propter adulterium, ex hoc, quòd domus adulteræ nil aliud est, quàm via ad foueam sepulcri. Et de eisdem viis subiungitur:

Adultera domus.

PENETRANTES IN INTERIORA MORTIS. Quod clariùs Hebraicè scribitur, *Descendentes ad cubicula mortis*. Multæ sunt viæ ad mortem ex adulterio, iuxta multitudinem modorum, quibus contingit occidi adulteros: & sunt tales, quòd cùm credunt ducere ad cubicula delectationis, deducendo ab intento, ducunt ad cubicula mortis.

CAPVT VIII.

Vers.1. NONNE SAPIENTIA CLAMITAT. Dictio interpretata clamitat, interpretanda esset, *vocabit*. Quod autem sequitur:

ET PRVDENTIA DAT VOCEM SVAM. Iuxta Hebræum habetur: *Et intelligentia dabit vocem suam*. Quia in præcedentibus introduxerat Salomon mulierem procacem, inuitantem iuuenes ad libidinem sermone blando & petulantiæ ... consequenter introducit sapientiam inuitantem homines ad virtutem. Ad demonstrandum itaque, quòd non minus inuitantur homines à sapientia, quàm à muliere mala, adæquat sapientiam mulieri malæ quoad hoc, videlicet, quòd etiam ipsa sapientia vocat: & similiter intelligentia. Est autem ... perseuerat dando vocem suam. Est autem vocare, excitare, atque vertere vocatos, ad audiendum loquentem sapientiam: quemadmodum ... vocans voce sensibili excitat, & conuertit vocatum ad audiendum loquentem. Introducit autem primùm sapientiam, quatenus est in hominibus, vocantem alios: deinde sapientiam, quatenus est in diuina mente, loquentem.

Sapientia vocat.

Vnde ex Hebræo sapientiam, prouidentia sapientibus intelligunt.

Vers. 2. & 3. IN SVMMIS, &c. Iuxta Hebræum habetur: *In capite excelsorum super viam, domo semitarum stetit, in manu portarum ad os ciuitatis, in ingressu portarum cantabunt*. Ad instar personæ ex diuersis locis vocantis, videlicet, ex loco excelso supra viam sito, ac frequentato, & ex loco portæ ciuitatis, vbi conueniebant olim Primates, &c. ... simul, & manifestat ex locis, quòd sapientia, & intelligentia vocant: & affert duo loca, quibus sapientia vocat.

Primus locus est, caput excelsorũ supra viam ... caput, inquam, quod est domus semitarum. ... huiusmodi capite stetit sapientia: & si Hebraica veritas reddenda est, oportet fingere passiuum præteriti. *Stetit*: significatur enim, quòd constitutam fuisse ... clarior sensus, tacet stans. Hinc enim elicitur, in quo continetur, quòd caput diuinæ legis describitur, in quo constituta est sapientia stans: est autem diuinæ legis caput, amor; ac timor vnius summi Dei, vt patet Deut.6. Est enim huiusmodi amor, caput excelsorum præceptorum super viam humanæ vitæ: est & domus semitarum omnium humanorum studiorum. Nam & ad eam terminantur omnes humanæ viæ, & ex ea incipiunt omnia humana opera: est & in quo constituta est à Deo sapientia stans, non cadens, non declinans. Et ex hoc itaque, quòd sapientia stat in capite legis, manifestatur, quòd inde (hoc est, ex lege) ex legis summitate excitat homines.

Diuinæ legis caput, amor, & timor.

Alter locus est manus portarum ad os ciuitatis; manus, inquam, qui ingressus est portarum. Opimi Iusti Iudices, ac Gubernatores ciuitatum opifici describuntur: manus enim portarum, *Opus seni* ... residentium in portis Iudicum significat ad os ciuitatis, hoc est, ad officium oris publici, sic quòd pariat ingressum frequentem portarum; hoc est, inuitans homines ad frequentandum ingressum portarum ciuitatis pro iudicio, & iustitia: existentibus enim iustis Gubernatoribus frequentant homines locum iudicij. Non solùm itaque ex lege, sed ex operibus iudicij, & iustitiæ Gubernatorum ciuitatis sapientia vocat homines. Minùs dico, quia Litera sonat, quòd sapientia, & intelligentia cantabunt, non vocabunt submissa voce, sed perseuerant vocantes alta, ac modulata voce, sicut cantantes. Nihil enim efficaciùs ac regulatiùs excitat homines ad virtutes, quàm sapientia operibus comprobata Optimatum, qui gubernant ciuitatem.

Manus portarum.

Nihil magis prouocat ad sapientiam quàm primatū exempla, & è diuerso ad stultitiam.

O VIRI, AD VOS CLAMITO. Iuxta Hebræum Vers.4.
habetur: *Ad vos viri vocabo, & vox mea ad filios hominis*. Manifestato vocante, & vnde vocat, manifestantur vocati, videlicet, homines; & principaliter quidem viri, generaliter autem vniuersum genus humanum ad comprehendendum etiam mulieres, & ad excludendum irrationabilia animalia.

INTELLIGITE, PARVVLI, ASTVTIAM; ET Vers.5.
INSIPIENTES, ANIMADVERTITE. Iuxta Hebræum habetur: *Intelligite, simplices, ingenium, & stulti, intelligite cor*. Incipit sapientia proponere ea, ad quæ excitat: excitat autem primùm homines ad cognoscendum seipsos. Nam idem est hominem penetrare notitia vtranque sui partem internam, (videlicet, ingenium, & cor.) & nosse seipsum. Ingenium enim sonat partem, qua cognoscimus; cor verò, partem, qua appetimus, & vniuersa opera inchoamus. Appellatione verò simplicium intelliguntur (vt priùs dictum fuit) homines modici iudicij: stultorum verò, imprudenter operantes. Per hæc enim duo genera comprehenduntur omnes non sapientes.

Cognitio sui, ad quam excitat sapientia. Ingenium, Cor.

AVDITE, QVONIAM DE REBVS MAGNIS LO- Vers.6.
QVVTVRA SVM. Iuxta Hebræum habetur: *Audite, quia extractiones loquar, & apertio labiorum meorum rectitudines*. Postquàm proposuit, quòd homo intelligat, quid, quantumve est tam ingenium, quàm cor humanum, consequenter magis excitando proponit, quòd dictura est ea, quæ maximè perficiunt, tam ingenium, quàm cor hominis: & pro perfectione ingenij spondet, quòd loquetur extractiones, hoc est, ea, quæ homines latent, quæ indigent extractione, vt educantur in lucem humani ingenij, qualia sunt diuina opera. Pro perfectione verò cordis aperiet os suum ad loquendum rectitudines morum, & operum.

VERITATEM MEDITABITVR GVTTVR MEVM. Vers.7.
In Hebræo habetur: *Quia veritatem meditabitur palatum meum: & abominatio labiorum meorum, impietas*. Ne putares, quòd mysteria proferenda, essent figmenta, explanat, & quòd veritatem meditatam loquetur: & similiter ne suspicareris, quòd rectitudines dicendæ, essent rectitudines fictæ, manifestat, quòd omnis impietas erit abominatio labiorum eius.

IVSTI SVNT OMNES SERMONES MEI. Parui Vers.8.
refert,

refert, quòd Hebraïcè habetur: *In iustitia omnia dicta oris mei.* Quia non sufficit ad rectitudinem abominari malum; sed oportet adesse bonum, ideò abominationi impietatis adiungit iustitiam, non quorundam, sed omnium dictorum eius. Et ad maiorem claritatem iustitiæ subiungit:

NON EST IN EIS PRAVVM QVID, ET PERVERSVM. Dictiones Hebraïcæ interpretatæ prauum, & peruersum, ambæ sonant tortum: differunt autem inter se, quòd prima sonat valde tortum; altera verò tortum: sæpè enim Hebraica lingua præponit maius minori. Quoniam itaque iustitia consistit in æqualitate, cui opponitur quomodolibet tortum; ideò ad excludendam omne tortuosum à sermonibus sapientiæ, negatur non solùm valde tortum, sed etiam parum tortum: sicut paulò antè affirmando veritatem meditatam, exclusa est non solùm falsitas; sed etiam præcipitatio à sermone sapientiæ. Per hæc enim discimus, quòd nullus sermo falsus, aut præceps, valdè, aut parum tortuosum proficiscitur à sapientia in quocunque homine.

Vers.9. *Sermo sapientiæ æqualis.* RECTI SVNT INTELLIGENTIBVS. Parui refert, quòd Hebraice habetur: *Omnes ipsi recti intelligenti, & recti inuenientibus scire.* Quoniam apud diuersas nationes variatur iudicium recti, iuxta diuersas consuetudines, leges, seu animi passiones, (Germani enim furti vitium olim ignorabant, Assyrij incestum non abominabantur, apud Romanos diuortia non solùm licita; sed sancta habebantur, &c.) ideò ad huiusmodi omnia insana iudicia excludenda dicit sapientia, quòd sermones sui omnes sunt recti, apud vigentes intellectu, & inquisitoribus scientiæ, (hoc est, notitiæ certæ,) ita quòd perueniunt ad inuentionem ipsius scire: tales enim habent iudicium mundum à passionibus, & purum ab admixtione errorum. *Recti iudicium varium.*

Vers.10. ACCIPITE DISCIPLINAM MEAM. Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Accipite eruditionem meam, & non argentum, & scire plusquam aurum electum.* Propositis his, ad quæ excitat, proponit consequenter, quàm pretiosa sunt: proponit autem relatiuè ad res pretiosas, argentum, aurum, margaritas, & id genus reliqua. Nam subiungit:

Vers.11. MELIOR EST SAPIENTIA CVNCTIS OPIBVS PRETIOSISSIMIS. Ad paraphrasim spectant tres vltimæ dictiones: nam Hebraicè vnica tantùm dictio habetur interpretata, *Margaritis.* Et adiungitur omne desiderabile præsentis vitæ, bonum, siue vtile, siue delectabile: nam honestum claudi in sapientia testantur subiuncta:

Vers.12. EGO SAPIENTIA HABITO IN CONSILIIS, ET ERVDITIS INTERSVM COGITATIONIBVS. Iuxta Hebræum habetur: *Ego sapientia habitaui ingenium, & scire cogitationum inueniam.* Postquàm sapientia proposuit ea, ad quæ excitat, & pretiositatem eorum; consequenter manifestat, habere se illa: minùs dico, quia manifestat diuitias suas, explicando per partes ea, quæ summatiè proposuit. Et inchoando ab illis, quæ perficiunt intellectum, dicit, habitaculum suum esse ingenium; intentionem verò suam esse scire cogitationum. Et dum primum in præterito, secundum verò in futuro scribit, docet, quòd sapientia priùs habitat in ingenio; & deinde extendit se ad inueniendum scire in multis meditationibus: & est sermo de cogitationibus circa singularia occurrentia in diuersis eligendis, vel respuendis, agendis, vel omittendis, &c. Sapientia enim in viro ingenioso inuenit scire (hoc est, certam notitiam) istarum cogitationum, ducendo cogitationes varias ad certam notitiam eligendorum, ac agendorum, conferendo cogitationes inter se, & ad rectitudinem; ita quòd inuentio prouenit ex ingenio habitato à sapientia. *Diuitiæ sapientiæ.*

TIMOR DOMINI ODIT MALVM. Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Timor Iehouah odio habere malum, superbiam, & superbum, & viam mali, & os versutiarum odiui.* Post pertinentia ad intellectum, subiungit consequenter pertinentia ad voluntatem. Et & est ordo literæ: timor Iehouah est odio habere malum; quia sapientia, cuius principium est timor Iehouah, odiui, & superbiam, & superbum, & viam mali, & os vertens nigrum in candida: hæc enim omnia mala sunt. Et superbia quidem malum est animi; os verò versutiarum, malum est sermonis; viam verò mali significat malum operis. Meminit autem non solùm superbiæ, sed superbi; ad insinuandum, quòd etiam ipse homo ratione suæ superbiæ dignus est odio. Vers.13.

MEVM EST CONSILIVM, ET ÆQVITAS. Iuxta Hebræum habetur: *Mihi consilium, & statutum.* Ius positiuum appellatur statutum, & inter sapientiæ diuitias supputantur iura positiua, quæ verè sunt positiua, non corruptiones virium: & similiter consilia, non corruptiones consiliorum. Vers.14. *Nec est dicendum, seu choc, sed thusciah, sonans essentiam, sapientiam, legemque videtur denominari ab esse, hoc est, à Iehouah.* *Iura positiua, non autem corruptiones inter sapientiæ diuitias computantur.*

MEA EST PRVDENTIA, MEA EST FORTITVDO. Iuxta Hebræum habetur: *Ego intelligentia, mihi potentia.* Quia, vt suprà scripta sæpè testantur, sapere inseparabile est ab intelligere; ideò sapientia ait: *Ego sum intelligentia.* vt sic omnis perfectio intellectus ad rectè viuendum, comprehensa in sapientia intelligatur. Quòd autem subditur: *Mihi potentia,* iustum est subiunctarum particularum. Gloriatur autem sapientia, quòd sua est potentia, non ea solùm ratione, quia sapientiæ debetur potentia (deberent enim soli sapientes posse super alios,) sed præcipuè, quia ex sapientia suapte natura oritur potentia, vnde Physici dicunt, quòd homines vigentes ingenio naturaliter sunt domini aliorum. *Sapiens naturaliter potens est.*

PER ME REGES REGNANT. Parui refert, quòd Hebraïcè scribitur: *In me Reges regnabunt.* Regnabunt, inquit, non corrumpent regna: vertentes enim regnum in tyrannidem, & abutentes regno non regnant; sed corrumpunt regna: sola autem sapientia est ratio regnandi, hoc est, rectè vtendi dignitate & potestate regia. Vers.15. *Soli sapientes, Reges.*

ET CONDITORES LEGVM IVSTA DECERNVNT. Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et Principes sculpent iustitiam.* Ad instar sculptorum decernentes iustitiam in scriptis, significantur, eò quòd firmam, ac stabilem reddunt scribendo, sicut sculpentes.

PER ME PRINCIPES IMPERANT, ET POTENTES DECERNVNT IVSTITIAM. Iuxta Hebræum habetur: *In me domini dominabuntur, & nobiles omnes Iudices terræ.* Quod diximus de regnare, intellige quoque de dominari, videlicet, vt distinguitur contra corruptionem domini. Quòd autem subditur: *Et nobiles omnes Iudices terræ,* significat, quòd sapientia efficit, vt nobiles soli assumantur ad iudicandum terram: hoc Vers.16. *Propriè Principes principabuntur.* *Quare nobiles iudicant.*

hoc enim spectat ad authoritatem Iudicum: nam, cùm viles sunt Iudices, iudicium redditur contemptibile.

Vers. 17. EGO DILIGENTES ME DILIGO. Legendum est, *diligam*, hoc est, perseuerabo diligendo. Enumeratis siquidem bonis, quæ habet sapientia, consequenter manifestat, quibus communicat illa, & primùm explicat amicos dicendo: *Ego diligentes me diligam*. Deinde inquisitores eius dicendo:

Quibus bona sua sapientia communicet.

ET QVI MANE VIGILAVERINT AD ME, INVENIENT ME. Hebraicè tamen breuiùs dicitur: *Et inquisitores mei inuenient me*. Ne errares putando, quòd sufficit diligere sapientiam, adiunxit, quòd oportet ipsam ab homine inquiri ad hoc, vt inueniatur, & habeatur.

Vers. 18. MECVM SVNT DIVITIÆ, ET GLORIA, OPES SVPERBÆ, ET IVSTITIA. Iuxta Hebræum habetur: *Diuitiæ, & honor mecum: substantia multa, & iustitia*. Prænumeratis propriis sapientiæ bonis, adiectitia bona subiunguntur: qualia sunt bona fortunæ: comitata tamen iustitia. Sapientia enim confert etiam hæc bona; sed non per fas, & nefas; sed iustitia concomitante.

Quomodo sapientia confert etiam bona fortunæ.

Vers. 19. MELIOR EST FRVCTVS MEVS AVRO, ET LAPIDE PRETIOSO. Dictio interpretata, *lapide pretioso*, sonat *aurum*; ita quòd geminatur *aurum*: ac si apertiùs dixisset; Melior est fructus meus auro quolibet, & quantocunque. Paulò antè siquidem dixerat de seipsa: *Melior est sapientia*. & modò dicit: *Melior est fructus meus*. vt discamus, quòd non solùm ipsa; sed etiam fructus eius, qui ex ipsa nascitur, præstat cunctis opibus.

ET GENIMINA MEA ARGENTO ELECTO. Dictio interpretata, *genimina*, sonat prouentum nouum ex frugibus terræ: ad instar enim, tam arborum fructificantium, quàm segetum proferentium fruges, describit effectus suos sapientia, præponendo illas omnibus fortunæ bonis.

Vers. 20. IN VIIS IVSTITIÆ AMBVLO. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *In via iustitiæ ibo: in medio semitarum iudicij*. Ne putares deficere sapientiæ huiusmodi bona corporalia, pro eo, quòd comitem habet iustitiam. (abundant enim tabernacula prædonum,) manifestat sapientia, quòd indefessè ibit ipsa per viam iustitiæ, & non declinando ad aliquod extremorum, perget semper per medium iudicij. Ius enim, & iustitia in medio consistunt.

Vers. 21. VT DITEM DILIGENTES ME, ET THESAVROS EORVM REPLEAM. Manca est littera: nam Hebraicè habetur: *Ad faciendum hereditare diligentes me est: & thesauros eorum implebo*. Et est sensus: Eunte me sapientia per viam iustitiæ, & iudicij, est apud me, quod sufficit diligentibus me pro hæreditate, & thesauros quoque eorum implebo. Et hinc habetur, quòd diligentes sapientiam non solùm consequuntur plenitudinem, & thesaurum temporalium bonorum; sed etiam quòd hæreditario iure bona eiusmodi consequuntur. Etenim vera, tam honor, quàm opes, & id genus reliqua, sapientibus debentur tanquàm hæredibus sapientiæ, quamuis quasi per errorem bona hæc ab iniustis sæpè de facto possideantur. Et tu, prudens lector, considerabis, quòd hæc sapientiæ verba verificantur dupliciter. Primùm, ex parte sufficientiæ ipsius sapientiæ: quia, videlicet, perseuerans in iustitia sufficiens est ad communicandum hæc temporalia bona diligentibus eam; & hunc sensum

Honor, & opes debentur sapientibus diuinitus.

Dupliciter verificantur verba sapientiæ.

præsefert litera. Deinde, quòd loquitur tempore legis Mosaicæ promittentis bona temporalia populo perseueranti in iustitia: quod euentus verificauit, vt patet legenti historiales libros sacræ Scripturæ.

Vers. 22. DOMINVS POSSEDIT ME IN INITIO VIARVM SVARVM. Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah acquisiuit me principium viæ suæ*. Eleua, prudens lector, mentem: quoniam non moralia, sed spectabilia valdè traduntur. Sapientia enim, postquàm pinxit seipsam, quatenus habitat in hominibus, volat ascendendo ad describendum seipsam, quatenus est apud Deum ratio diuinorum operum: analogicè siquidem dicitur sapientia de sapientia humana, & sapientia diuina. Cerne ordinem. Postquàm è regione impudicæ mulieris occurrentis, blandóque sermone inuitantis iuuenes, pinxit sapientiam habitantem in hominibus sapientibus, vocantem, & inuitantem alios ad virtutem; modò consequenter è regione impudicæ mulieris, quæ iactauerat se vouisse Deo, & exauditam à Deo, introducit sapientiam narrantem coniunctionem suam cum summo Deo. De sapientia autem diuina loqui possumus dupliciter: vel absolutè; & sic non verificatur, quòd est acquisita à Deo; quoniam essentia Dei suapte natura est sapientia sua, & nulla interuenit acquisitio inter essentiam, & sapientiam: vel, vt est determinata ad opera Dei facienda; & sic sapientia est acquisita à Deo, mediante electione diuina; non enim naturaliter, sed ex electione determinauit Deus sapientiam suam ad hoc, vt esset ratio eorum, quæ fecit, facit, & faciet.

Quomodo sapientia habetur apud Deum.

Si hæc non penetras, reuoca ad memoriam differentiam 9. Meth. scriptam inter potentiam naturalem, & potentiam rationalem: propter hoc, quòd illa est ex seipsa determinata ad vnum, (vt calor ad calefaciendum, & frigus ad frigefaciendum:) potentia autem rationalis potest efficere opposita: sicut ars Medicinæ potest, & sanare, & ægritudinem inducere: & ars fabrilis potest opificium, & pulchrum, & turpe efficere: & nisi determinetur ab electione Medici, seu fabri, nunquam aliquid operabitur neutrius oppositorum erit principium. Sic sapientia diuina nullius esset operis principium, nisi ab electione ipsius Dei determinata esset ad hoc, quòd sit principium, & ratio horum, & illorum operum. Sapientia itaque non absolutè, sed quatenus principium vniuersi operis diuini dicit de seipsa: *Iehouah acquisiuit me principium viæ suæ*. hoc est, operis sui vniuersi. Vide, quanti refert habere textum correctum iuxta Hebraicam veritatem.

ANTEQVAM QVICQVAM FACERET A PRINCIPIO. Iuxta Hebræum habetur: *Ante opera sua ex tunc*. Dixerat, se acquisitam à summo Deo; incipit declarare, quando fuit acquisita ab ipso Deo, dicens: *Ante opera sua ex tunc*. hoc est, ex illo ante opera sua, ex quo fuit ante opera sua. Et per hoc declarat duo mysteria diuinitatis suæ: ex hoc enim, quòd ante opera Dei acquisita est à Deo sapientia, habetur, quòd ipsa sapientia non est opus Dei, ac per hoc non est creatura; sed creaturæ omnis principium, vt dictum est: & verè sic est, quoniam sapientia determinata diuina electione ad hoc, quòd sit principium diuinorum operum, vna & eadem res est cum diuina essentia. Alterum

Duo mysteria sapientiæ.

Quid sit esse acquisitam ex tunc.

tum æternitatis, dicendo, *ex tunc*: nisi enim ab æterno acquisita esset, nequaquam verificaretur, quòd ex tunc, demonstrando ante opera Dei acquisita est. Quod vt penetres, finge huiusmodi acquisitionem non ab æterno, sed ante creationem mundi per annos mille imaginarios: & videbis, quòd de huiusmodi acquisitione non verificatur, quòd ex tunc (demonstrando opera Dei) fuit; nam ante illos mille annos imaginarios præcessit ab æterno ante opera Dei, & ex tunc non erat acquisita: erat enim illud tunc, & non erat acquisitio. Ad ducendum itaque, quòd nunquam fuit tunc demonstrans ante opera Dei, quo fuerit sapientia acquisita à Deo, adiunxit, *ex tunc*.

Est vel, dominata sum, regnaui.

Vers. 23. Ab æterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret. Iuxta Hebræum habetur; *A semper fui dominata à capite ante terram.* Postquàm sapientia, quatenus principium omnium operum Dei, dixit se à Deo acquisitam esse, & quando, (scilicet, ab æterno:) consequenter adiungit, qualis fuit ab æterno ante diuina opera dicendo: *Et semper dominata sum.* Sed statim occurrit quæstio, quomodo verificatur, quòd sapientia ab æterno dominata est, nullo existente seruo; quum dominus intelligi non possit sine seruo? Solutio est, quòd, quamuis ab æterno non fuerit seruus, cui dominaretur sapientia; & propterea non erat relatio dominij in sapientia: erat tamen in sapientia tam potestas dominij, quàm actio dominandi. In dominante enim inueniuntur tria: videlicet, potestas, actio, & relatio, quorum vltimum conuenit Deo, non ab æterno, sed ex tempore, quo fuit creatura aliqua: alia verò duo conueniunt diuinæ sapientiæ ab æterno. Et de potestate quidem facile est intelligere: de actione verò dominandi difficile est. Exercitati tamen in Metaphysica intelligunt, quòd omnis actio diuina est in actu ab æterno: itaque actiua creatio, gubernatio, dominatio, in Deo est in actu ab æterno. Et ratio est: quoniam, si aliqua actio diuina non esset actu ab æterno, adueniret Deo de nouo, & mutaretur Deus de otio ad agendum, quod est omninò impossibile: quia Deus est actus purus, ac per hoc alienus ab omni specie mutationis. Sapientia itaque diuina dicit, verum manifestando, quòd *à semper dominata sum*: quatenus ab æterno habuit actualiter actionẽ dominandi, quamuis non esset tunc, quæ seruiret creatura: sicut & habuit actionem creandi, quamuis nulla tunc fieret creatura.

Est nominatiuum plenè in regimine, ita quod sequens dictio est genitiuum, ab initiis terræ.

Quæstio.

Solutio.

Tria inueniuntur in dominante.

Omnis actio diuina est in actu ab æterno.

Causarũ duplex genus.

At si ex Metaphysica obiicitur, quòd causa in actu exigit effectum in actu, respondendum est, causarum duplex esse genus; alterum, naturale; alterum, à proposito, vt in eadem Metaphysica traditur. Et differunt etiam penes hoc, quòd causa naturalis in actu, ponit effectum suum in actu coæuum sibi, quatenus est in illo actu: calefaciens enim infert calefieri coæuum calefactioni, & sic de aliis: causa autem à proposito in actu, non infert fieri coæuum actioni: sed, si efficax est, infert fieri tempore decreto ab ipsa causa à proposito. Verbi gratia, Medicus decreuit hodie, potionem exhibendam ægro cras hora matutina: & si vires artis existentis in mente Medici cum tali decreto essent per seipsas sufficienter efficaces ad potionem matutinam inferendam absque ministro, & instrumento, tam coniuncto (vt est manus,) quàm separato, (vt sunt instrumenta aromatariorum,) causa fuisset in actu hodie, & effectus eius foret in actu non hodie; sed erat hora matutina. Si enim illis adiunxeris, quòd Deus est agens à proposito, & virtutis efficacissimæ, & quòd decreuit creaturas fieri, non ab æterno, sed in tempore, percipies, quòd Deus est causa in actu ab æterno, & effectus eius non est in actu ab æterno, sed in tempore decreto à diuina sapientia. Qui potest capere, capiat.

Ait ergo: *A semper dominata sum*, quoad actionem dominandi, & ad hoc amplius manifestandum subiungit: *A capite ante terram.* Semper enim sonat distributionem omnis temporis: ab æterno autem ante terram nullum fuit tempus secundùm rem; sed imaginario tempore vtendo dicimus, *ante terram.* Ne itaque errares intelligendo, *à semper*, hoc est, ab omni tempore, adiungit explanando, *à capite ante terram*; hoc est, à capite æternitatis, quæ est duratio ante terram, hoc est, mundum: terra enim est centrum mundi; & propterea idem est dicere, *ante terram*, & ante mundum. Nec mireris, nouitie, quòd vtamur tempore imaginario, vt intelligamur à discentibus: nam eadem ratione Philosophi vtuntur situ imaginario, quum dicunt: *Extra cælum nihil est, nec locus, nec vacuum*, &c. Prapositio enim, *extra*, non demonstrat situm realem, qui nullus est; sed situm imaginarium.

Tempus imaginarium.

Situs imaginarius apud Philosophos.

Nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant. Iuxta Hebræum habetur: *In non abyssis fui parturita: in non fontibus aggrauatoribus aquarum.* Et est sensus, quòd non existentibus fontibus, vnde incrementa magna aquarum proueniunt, nec existentibus abyssis (hoc est, immensis profunditatibus aquarum) fuit genita sapientia. Prosequitur enim manifestando modum, quo acquisita est à summo Deo: & simul per negationes manifestat, quod dixerat affirmatiuè; videlicet, *ante terram*, hoc enim manifestat per negationem abyssorum, fontium, & montium. Per metaphoram verò partus manifestat, quòd non est à Deo acquisita ab extrinsecis exemplaribus, seu obiectis contemplatis; sed ex intimis diuinæ mentis, diuinæque voluntatis acquisita est, quemadmodum proles ex intimis matris prodiens acquiritur matri: vnde & Eua, quum peperit primogenitum suum Caïn dixit: *Acquisiui hominem.* Vers. 24.

Parta sum, vna dictione.

Necdum montes graui mole constiterant. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *In adhuc non montes fuerunt fundati: ante colles fui parturita.* Sententia patet ex antedictis. Vers. 25.

Antequam, vna dictione: Antequàm montes fixi sunt.

Adhuc terram non fecerat: et flumina, et cardines orbis terræ. Iuxta Hebræum habetur: *Vsque non fecit terram, & plateas: & caput puluerum orbis habitati.* Ad excludendum omnem ambiguitatem, explicat sapientia suam æternitatem; clarè narrando, quòd partus eius fuit, non aliquo tempore ante terram; sed tota duratione mẽsurante non facere terrã: hoc enim significatur adiungẽdo, *vsque non facere terrã*: & est sermo de facere terrã in effectu. *Platearũ* autẽ nomine intelligũtur planities: meminerat enim montiũ, & collium tacendo planities. Quòd autẽ subditur: *Et caput puluerũ habitabilis*, spectat ad id, quod in Genesi scriptũ est de detectione terræ habitabilis redditæ ab aquis. Terra siquidem habitabilis facta est ex hoc, quòd eleuata est secundùm aliquas sui partes super aquas: & hic emeserunt pulueres in Vers. 26.

Parta sum, vna dictione. Orbis, est thebel. Habitati, non habetur expressè.

Terra habitabilis.

in terra. Caput itaque puluerum habitabilis, dis- cooperiam terram: commoquitur: quoniam ipsa detectio terræ, caput est puluerum habitabilis orbis.

Vers. 27. QUANDO PRÆPARABAT CÆLOS, ADERAM. Iuxta Hebræum habetur: *In suo dirigere cælos ibi ego.* Hactenus sapientia descripsit seipsam ante Dei opera: consequenter describit seipsam, quando Deus creauit mundum. Et quoniam *in principio temporis creauit Deus cælos, & terram*, (vt scribitur in principio Genesis;) ideò inchoat à creatione cælorum, dicens, quòd *in directione, qua Deus direxit cælos, ibi ego*; hoc est, in ipsa directione ego fui, quod est dicere: Dirigente Deo cælos, ve persona dirigente, ego duxi eosdem, vt ratio dirigendi. Vtitur autem directionis nomine, ad insinuandum creationem cælorum, fuisse vnico actu cum plenitudine perfectionis cælorum, quam directio sonat.

Dirigere, vt persona, & creans diri- gendo, quo- modo, & cum tempore.

QUANDO CERTA LEGE, ET GIRO VALLABAT ABYSSOS. Iuxta Hebræum habetur: *In suo sculpere circino super facies abyssi.* Declarat, se similiter concurrisse ad figurandum superficies corporum diaphanorum incorruptibilium: quæ abyssi nomine significantur hic, quemadmodum & in principio Genesis. Ipsa autem figuratio cælestium corporum circino facta describitur, propter plenam rotunditatem superficierum cælestium, ad instar rotunditatum, quæ circino fiunt. Sculpta autem propter stabilitatem firmissimam.

Per fa[illegible] abyssi [illegible] [illegible]

Vers. 28. QUANDO ÆTHERA FIRMABAT SURSUM. Iuxta Hebræum habetur: *In suo firmare cælos desuper.* Locum vniuersi supremum datum cælis à Deo, non quidem [illegible], sed cum stabilitate, eò quòd [illegible] [illegible], qua vendicant sibi supremum locum, [illegible]: & se ad hanc actionem diuinam concurrisse narrat.

ET LIBRABAT FONTES AQUARUM. Iuxta Hebræum habetur: *In roborare fontes abyssi.* Similiter se concurrisse ad actionem roborandi fontes abyssi dicit: roborantur autem fontes, ex quibus prouenit iumenta aquæ, seruando virtutem generatiuam aquarum in multis vniuersi locis.

Vers. 29. QUANDO CIRCUNDABAT MARI TERMINUM SUUM, ET LEGEM PONEBAT AQUIS, NE TRANSIRENT FINES SUOS. Iuxta Hebræum habetur: *In ponere suo statutum suum mari, & aquæ non transibunt os suum.* Concurrisse quoque se narrat ad actionem, qua Deus statuit mari terminum, ne aquæ transirent os proprium; hoc est, metam loci proprij, quod Deus fecit eleuando aliquas terræ partes super congregationes aquarum.

QUANDO APPENDEBAT FUNDAMENTA TERRÆ. Iuxta Hebræum habetur: *In suo sculpere fundamenta terræ.* Narrat demum se concurrisse ad exacte firmandum terræ fundamenta; hoc est, centrum mundi, quod sustinet terram longè plus quàm quæcumque lapides dolati: propter hoc enim assimilatur sculpturæ. Vide differentiam inter vulgatam editionem, & Hebraicam veritatem: hæc enim sonat concursum sapientiæ ad actiones diuinas primas: illa sonat, *quando*, quod est pars temporis.

Vers. 30. CUM EO ERAM CUNCTA COMPONENS. Iuxta Hebræum habetur: *Et fui ad latus eius nutritius.* Postquam sapientia manifestauit seipsam, quatenus concurrentem ad primam rerum conditionem, extendit narrationem suam ad scribendum seipsam, quatenus concurrit ad gubernationem vniuersi; & dicit: *Et fui ad latus eius*, (scilicet, Dei,) tanquàm *nutritius* rerum vniuersi. Humano enim more describit concursum suum ad fauendum, ac seruandum vniuersum, assimilando seipsam nutritio stanti apud parentem vniuersi: sapientia siquidem diuina apud Deum est in diuina mente, portans omnia verbo virtutis sui.

Sapientia describitur, quatenus ad gubernationem mundi concurrit.

ET DELECTABAR PER SINGULOS DIES. Iuxta Hebræum habetur: *Et fui lusus die die.* Ad explicandum, quòd gubernatio vniuersi, quæ fit à sapientia diuina, sit operatione delectabili, (veporte ex spontaneo amore absque quacunque necessitate propria,) assimilat seipsam in gubernatione quotidiana lusui, qui solus delectationis gratia fit.

Differentia inter diuinam [illegible]

LUDENS CORAM EO OMNI TEMPORE. Iuxta Hebræum habetur: *Ridens coram eo omni tempore.* Ad declarandum, quòd quatenus est Deo ratio gubernandi, non aliquo, sed omni tempore, nullam inducit lassitudinem, nihil habet admixtum tristitiæ, aut laboris, sed cum plenissimo perseuerat gaudio (significato per risum) dicit: *Ridens coram eo in omni tempore.* Et hoc dixit, ad manifestandum, quanta est differentia inter sapientiam humanam, & diuinam in actu gubernandi: sapientia enim humana non potest omni tempore gubernare, imò nec continuare gubernationem diutius sine labore, sine lassitudine, ac tristitia.

LUDENS IN ORBE TERRARUM. Iuxta Hebræum habetur: *Ridens in habitabili terra sua.* Non sat fuit sapientiæ, manifestare plenitudinem gaudij sui relatiuè ad Deum; sed adiunxit similem gaudij plenitudinem relatiuè ad orbem terræ habitabilem: manifestando per hoc, quòd gubernando tot diuersarum naturarum, qualitatum, motuum, &c. res pleno potitur gaudio, quemadmodum ridens, cuius lætitia effulsit.

ET DELICIÆ MEÆ, ESSE CUM FILIIS HOMINUM. Iuxta Hebræum habetur: *Et lusus mei cum filiis Adam.* Hoc est, & operationes meæ delectabiles sunt cum filiis, seu ad filios Adam. Operationes siquidem diuinæ sapientiæ, vt sic, non fiunt sub ratione lusus (hoc est, operationis delectabilis) apud inanimata, aut bruta, sed apud homines rationali anima donatos: inter res [illegible] sapientia, solus homo delectatur, particeps enim sapientiæ opera, solus homo contemplando, & cum eis amore amicitiæ iungitur sapientia. Et propterea meritò dicit: *Et lusus mei cum filiis Adam.* Delectatur enim faciendo homines amicos suos, & delectare facit amicos fruitione ipsius.

Sol[illegible]

Vers. 32. NUNC ERGO, FILII, [illegible] quod Hebraicè habetur: *Et nunc filij, audite me.* Completa narratione, [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] Et [illegible] monstrando beatitudinem cum [illegible] filios, promittit [illegible] bonis. [illegible] regione siquidem impudicæ mulieris promittentis amoris lascinias, promittit sapientia subiecta bona.

BEATI, QUI CUSTODIUNT [illegible]. Incipit promittere beatitudinem, custodientibus vias sapientiæ, hoc est, operationes, per quas sapientia ducit nos, & per quas nos participamus sapientiam.

Vers. 33. AUDITE DISCIPLINAM [illegible] [illegible]. [illegible] quod Hebraicè habetur: *Audite eruditionem, & sapientes estote, & non respuatis.* Dixerat: *Audite me.* Subiungit modum, quo [illegible], dicendo: *Audite*

Audire sapientiam.

Audite eruditionem, ac si expressius dixisset: Audire me est audire eruditionem. Audite autem eruditionem sic, vt fiatis sapientes, & non per vnam autem ingrediatur, & per alteram exeat: hoc enim significatur dicendo: *Et non auertetis* in contrarium fructus sapientiæ.

Vers. 34. Beatvs homo, qvi avdit me. Dixerat beatos custodientes vias eius, per quas diuina sapientia venit ad homines: adiungit, beatum fore audientem eam ad perseuerandum iuxta fores eius: Hebraicè enim subiungitur, non, vt vulgata editio habet:

Et qvi vigilat ad fores meas qvotidie. sed, *Ad perseuerandum iuxta fores meas die die*. Vbi manifestè significatur, beatum esse hominem sapientiam audientem: ad hoc, videlicet, ad perseuerandum de die in diem iuxta fores sapientiæ. Propinquiores sunt isti sapientiæ, quàm curam habentes viarum sapientiæ: isti enim iuxta fores, alij iuxta vias. Ostia autem diuinæ sapientiæ, effectus sunt illius, per quos intellectos quasi per ostia aperta, conspicitur ab humanis mentibus sapientia diuina. Perseuerantes itaque indefessè circa intelligentiam effectuum diuinæ sapientiæ, describuntur beati.

Fores sapientiæ effectus eius sunt.

Et observat ad postes ostii mei. Iuxta Hebræum habetur. *Ad custodiendum postes ostiorum meorum*. Postes ostiorum sapientiæ, sunt Doctores sustinentes ostia, hoc est, effectus, quatenus reuelatos, & cognitos: sustinentes autem doctrina, vel saltem puta exemplari vita.

Postes sapientiæ sunt Doctores.

Vers. 35. Qvi me invenerit, inveniet vitam. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Quia inuentor mei inuenit vitam*. Rationem reddit tractæ vigilantiæ ex fructu, quia inuentor sapientiæ iam inuenit vitam animi.

Vers. 36. Et havriet salutem a Domino. Iuxta Hebræum habetur: *Et eduxit voluntatem a Iehouah*. Hoc est: Et eduxit à summo Deo, quod voluit, intellige, *impetrando*.

Prima pœna relinquentiũ sapientiam.

Qvi avtem in me peccaverit, lædet animam svam. Dictio interpretata, *lædet*, sonat potiùs, *torquebit*. Post præmia obsequentiũ sapientiæ, apponuntur pœnæ peccantiũ contra sapientiam diuinam. Quarum prima est contra seipsos: torquent enim vitam animi proprij: nonnullum enim tormentum est animi, repleri contrariis, qualia sunt peccata: naturaliter enim habet animus virtutum, non vitiorum semina.

Secunda pœna.

Omnes, qvi me oderunt, diligunt mortem. Ecce altera pœna, & iuxta Hebræum præteriti temporis est, *dilignnt*. Dilexerunt enim osores sapientiæ non solùm tenebras magis, quàm lucem; sed etiam mortem animæ plusquàm vitam. Et hic finitur octauum capitulum.

CAPVT IX.

Vers. 1. Sapientia ædificavit sibi domvm. Iuxta Hebræum habetur: *Sapientiæ ædificauit domum suam*. Discordat nominatiuus cum verbo: *sapientiæ*, enim nominatiui est pluralis; *ædificauit* verò numeri est singularis: sed non est hæc ratio in Hebraïca phrasi. De diuina siquidem sapientia secundùm multas illius participationes in hominibus est sermo: aliud est enim sapere vitæ contemplatiuæ, aliud vitæ actiuæ, aliud Pastorum, aliud Eremitarum, aliud virginum, aliud coniugatorum. In præcedenti siquidem capitulo introduxit Salomon sapientiam, quatenus habitat in hominibus: deinde introduxit sapientiam, quatenus est in Deo principium omnium: nunc consequenter coniunctionem humanæ sapientiæ cum diuina manifestare intendit. Et quia diuina sapientia in seipsa vnica multis participationibus communicat se hominibus; ideò ad insinuãdum participationes multas, scripsit, *sapientiæ*, in numero plurali: & ad insinuandum vnitatem diuinæ sapientiæ participatæ, tanquàm principalis agentis, dixit, *ædificauit*, in numero singulari. Et est sensus: Sapientia diuina per multas ipsius participationes ædificauit domum suam. Vt autem elucescat intentio huius capituli, aduerte, quòd in præcedentibus Salomon introduxit mulierem impudicam, & sapientiam, tum in hominibus, tum in Deo, & ex altera parte vocantes homines illam ad libidinem, istas ad virtutem: in hoc autem capitulo intendit Salomon manifestare differentiam inter istas simul iunctas, & illam: tum quoad modum vocandi homines: tum quoad id, ad quod vocantur: tum quoad vocatos. Simulque manifestans, quòd exempli causa introduxit mulierem impudicam, exponendo, quid intendit per illam. Hæc est huius capituli intentio. Ad magnificandum itaque inuitandi modum, narrat primùm, quòd diuina sapientia medijs eius participationibus ædificauit domum suam; hoc est, domum propriam habet, non ædificatam ab alio, sed ipsamet ædificauit domum suam. Est autem domus sapientiæ omnis anima iusta: scriptum est enim: *Anima iusti sedes est sapientiæ*. & pari ratione domus est sapientiæ ædificata ab ipsa sapientia, quoniam anima iusta dono fit sapientiæ diuinæ. Rursus sapientia non destruit, non facit ruere domum suam, quæ est anima hominis, eò quòd gratia non tollit naturalia; sed perficit ea: & hoc est, ædificare domum suam.

Eadem sapientia diuersè diuersis sapiunt.

Multiplex participatio sapientiæ.

Intentio capituli.

Domus sapientiæ.

Quid sit, sapientiæ ædificare domũ suam.

Exc[illegible?] colvmnas septem. Deficit pronomen: nam Hebraicè habetur: *Excidit columnas eius septem*. hoc est, vniuersas: septenarius enim numerus ad vniuersitatem significandam ponitur. Appellantur autem columnæ domus sapientiæ Doctores, & Pastores aliorum, dicente Paulo ad Galatas cap. 2. de primis Apostolis. *Qui videbantur columnæ esse*. Vniuersos siquidem Pastores & Doctores excidit, segregauit, dolauit, præparauit, & fecit columnas ad sustinendum domum suam.

Septenarius numerus vniuersitatem significat.

Gal. 2.

Vers. 2. Immolavit victimas svas. Iuxta Hebræum habetur: *Lanianit laniouium suum*. Nomen enim, & verbum, eiusdem deriuationis sunt hoc in loco: & propterea *laniomium* appellauimus, quod laniatur: est enim sensus, quòd mactauit, & parauit animalia, quemadmodum in macello occiduntur, & parantur carnes ad esum. Præparatio enim describitur conuiuij in domo sapientiæ columnis fulta, ad instar præparationis corporeæ, quemadmodum in Euangelio de conuiuij apparatu dicitur: *Tauri mei, & altilia occisa sunt*. Etiam ad literam describuntur obsonia conuiuij in genere: describet enim panem, & vinum. Sunt autem sapientiæ obsonia spiritualia, quæ non tam ad necessitatem pascendi animum, quàm ad commoditatem spectant: quorum maxima est in sacra Scriptura copia à diuina sapientia parata, obsonia ad conuiuium nostri animi, tanquàm Miscvit

Matth. 22. 4.

MISCVIT VINVM. Aiunt Hebræi, quòd dictio interpretata, *miscuit*, secundùm primæuam originem significat, *colare*: & propterea legendum potiùs esset: *Colauit vinum*. Non tamen reprehendenda est vulgata editio. Legêdo itaque, *Miscuit vinum*, similitudo minùs digna conuiuio scribitur: solet enim in conuiuio solenni non vinum mixtum, sed merum exhiberi. Et hinc innuitur, quòd legendum est: *Colauit vinum*. de solenni siquidem conuiuio agitur; & vinum colatum (hoc est, optimè depuratum) describitur. Vel colatio ad extractionem vini ex vegete spectat, vt præparatio vini perfecta describatur in promptu. Vinum autem sapientiæ est spiritualis delectatio, quam fert secum sapientia.

Quod sit vinum sapientiæ.

ET PROPOSVIT MENSAM SVAM. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Etiam parauit mensam suam*. Non solùm res, sed etiam mensam integram, (vt vnico verbo omnia concluderet) parasse describitur. Est autem sapientiæ mensa doctrina sacra, abunde continens omnia ad conuiuium animarum pertinentia.

Mensa sapientiæ, est sacra doctrina.

Vers. 3. MISIT ANCILLAS SVAS, VT VOCARET AD ARCEM, ET AD MOENIA CIVITATIS. Iuxta Hebræum habetur: *Misit puellas suas, vocabit super humeros excelsorum ciuitatis*. Ecce modus vocandi, quo, scilicet, diuina sapientia vocat homines ad conuiuium suum, mittendo, scilicet, puellas suas, hoc est, virtutes: ipsæ enim dicuntur sapientiæ puellæ, eò quòd suapte natura famulantur, & obsequuntur diuinæ sapientiæ, ad excitandum homines ad conuiuium diuinum. Describuntur autem sapientiæ diuinæ nuncij sub specie puellarũ, eò quòd per inermes inuitat, & non per arma cogit. Locus autẽ, vnde per virtutes diuina sapientia vocat, describitur, *super humeros excelsorum ciuitatis* Metaphora est, significans, quòd virtutes missæ à diuina sapientia officium vocandi exercent, non prædicatæ, nec scriptæ; sed portatæ super humeros humanos, hoc est, sustentatæ factis, verbis, & laboribus hominum, quemadmodum ea, quæ super humeros portantur.

Puellæ sapientiæ sunt virtutes.

Virtutes itaque in factis consistentes, excitant homines ad diuinum conuiuium. nunquam enim Apostoli, & alij sancti Pastores excitassent mundum ad diuinum conuiuium, nisi factis propriis, nisi vita propria virtutes portassent tanquam in humeris propriis. Facta autem excelsorum præcipuè vocant alios. Et cogitur ex subiunctis in eodem capitulo intelligere per *excelsos ciuitatis*, non celsos virtutibus: sed celsos statu, & officio: quoniam *excelsi ciuitatis* communes scribuntur sapientiæ, & insipientiæ: vt inferiùs patet. Et quamuis virtutes in factis quorumcumque hominum suapte natura inuitent alios ad sapientiæ conuiuium: quia tamen diuina sapientia gubernat infima per media: ideò ad ordinem diuinæ sapientiæ spectat, quòd virtutes in factis hominum excelsorum in ciuitate (qui aliis præsunt statu, authoritate, officio, vel consilio) excitent, & inuitent alios ad cæleste conuiuium, conuenit enim eis ex officio: tenentur namque Episcopi & Pastores ad vocandum alios vita virtutibus prædita.

Vers. 4. SI QVIS EST PARVVLVS, VENIAT AD ME: ET INSIPIENTIBVS LOCVTA EST. Iuxta Hebræum habetur: *Qui simplex [illegible] minutus corde dixit ei*. Aduerte, quòd in memio [illegible]

[illegible] ex generum hominum: nominantur enim simplices, minuti corde, derisores, impij, sapientes, & iusti: sed diuersimodè describuntur relatiuè ad conuiuium sapientiæ per suas puellas [illegible] simplices, & minuti corde describuntur vocari ad conuiuium: derisores autem, & impij describuntur non vocati: sapientes verò & iusti describuntur foueri, tanquam existentes iam in conuiuio. Quòd simplices autem, & minutos corde, vereli, quod simplices modici sunt indocti, minuti verò corde, modici sunt cordis. illi deficiunt in parte, qua cognoscimus; isti deficiunt in parte, qua appetimus: deficiunt autem ob ignorantiam, vel passiones, vel fragilitatem humanam, & non ob malitiam à veris virtutibus. Per puellas itaque vitas dicit sapientia diuina: Qui est simplex, declinet huc: hoc est, in domum meam & similiter, qui est minutus corde. Quod autem subditur, dixit ei, ad vtrunque refertur. Vnde & pluraliter subiungitur:

Simplex & minutus corde, quomodo differant.

VENITE, COMEDITE PANEM MEVM: ET BIBITE VINVM, QVOD MISCVI VOBIS. Loco dictionum trium vltimarum in Hebræo habetur: *Colaui*. vt iam prædiximus. Et quemadmodum terrena vinum lætificat cor hominis, significatur delectatio spiritualis, qua potamur à diuina sapientia, (vnde & sancti viri leguntur semper hilares) ita quia panis cor hominis confirmat, diuinæ sapientiæ panis intelligitur doctrina illius præstans reliquis doctrinis in hoc, quòd sola habet in se, vnde firmet cor humanum in bene, beatéque viuere. Reliquæ enim doctrinæ insufficientes sunt ad conferendum firmitatem cordis in vita beata; & propterea sapientia diuina dicit: Panem meum mihi proprium. Vinum autem colatum, delectatio est depurata ab admixtis carnis, ac mundi delectationibus, in promptu parata, quantum est ex parte diuinæ sapientiæ. Nos enim impedimenta affectionum nostrarum opponentes efficimus, vt non tantùm bibentes repleamur illa delectatione pura.

RELINQVITE INFANTIAM, ET VIVITE. Iuxta Hebræum habetur: *Relinquite simplices, & viuite: & dirigite in via intelligentiæ*. Non solùm vocantur ad conuiuium boni, sed monentur deficientes in dictis, aut moribus, vt relinquant proculdubiò vias suas: promittendo eis vitam animi, à qua recedunt suis defectibus, & adeo quam perueniunt diligendo gressus proprios per viam intelligentiæ veræ beatitudinis.

Vers. 6.

QVI ERVDIT DERISOREM, IPSE SIBI FACIT INIVRIAM. Iuxta Hebræum habetur: *Erudiens derisorem accipit sibi ignominiam*. [illegible] etiam hominum genus introducitur [illegible] iniciorum à puellis sapientiæ, & sapientiæ [illegible] quàm respondens tacitæ obiectioni, quare derisores, & impij non inuitantur ad conuiuium sapientiæ, reddit rationem; quia erudiens derisorem accipit sibi ignominiam: eò quòd irritur [illegible] doctrinæ, quò eruditum, deridet erudientem: [illegible] per hoc ipsum inrideri, est ignominia. Et [illegible] at hæc ratio quoad vocationem per puellas [illegible] est, virtutes in hominibus existentes: vocatio [illegible] enim horum deberet esse eruditio, à quo [illegible] viri probi cognoscerent esse inutilem, [illegible] nihil aliud patere, quàm erudientium ignominiam.

Vers. 7. *Ratio dicitur quare non [illegible]*

ET QVI ARGVIT IMPIVM, [illegible] ERAT MACVLAM SIBI. Iuxta Hebræum habetur: *Et arguens impium maculam eius*. Subaudi [illegible] enim verbum, *accepit*, quod in præmissa oratione positum est.

Ratio

Ratio quare mereŧ impius vocatur.

Ratio, quare puellæ non vocant impium, arguendo ipsum, redditur: quia homo arguens impium, accipit maculam ipsius impij. Appellatur autem impius peccator ex malitia: qui, quantùm est ex se, est incorrigibilis: & propterea si arguitur, multiplicat peccatum, quo fit, vt homo arguens ipsum, accipiat sibi maculam multiplicatam ab impio: vtpote, qui arguendo illum, occasionem dedit multiplicandi peccatum. Imprudenter enim fit huiusmodi increpatio pertinacium in malo moris, quod est quartum genus hominum.

Vers. 8. NOLI ARGVERE DERISOREM, NE ODERIT TE. Non habetur in Hebræo, *noli*, sed, *Non reprehendas derisorem, ne quando odio habebit te*. Accumulat rationes ad idem: & non esse à te excitandum ad tui odium derisorem, manifestat; tum, quia excitaretur ad peccatum odij; tum, quia iustos odio haberi non expedit communi bono. Facilè autem derisores, & impij excitantur ad iustorum odium, eò quòd moralem habent contrarietatem ad eos.

Quare impij odiunt iustos.

ARGVE SAPIENTEM, ET DILIGET TE. E regione derisorum collocantur sapientes, non quòd sapientes egeant increpatione, sed vt insipientia derisorum manifestetur per contrarium effectum ex vna, eadémque actione: increpare siquidem derisores, parit odium: increpare autem sapientes, parit dilectionem, siue iure, siue iniuria fiat increpatio.

Vers. 9. DA SAPIENTI OCCASIONEM, ET ADDETVR EI SAPIENTIA. Interpres addidit, *occasionem*: nam Hebraicè scribitur: *Da sapienti, & capiet ampliùs*. Et quoniam de augmento sapientis agitur, subintelligi congruit rem dandam esse doctrinam, consilium, & id genus reliqua. Quintum itaque genus hominum introducitur dicentis: Da, siue sponte, siue requisitus sapienti consilium, & huiusmodi; & fiet sapientior.

Quintum genus hominum.

DOCE IVSTVM, ET FESTINABIT ACCIPERE. Iuxta Hebræum habetur: *Fac scire iustum, & addet doctrinam*. Sextum hominum genus introducitur gens iusta: iusti enim quouis modo cognoscant nouiter aliquid, addunt & sibi ipsis, & aliis doctrinam, seu statutum: & proptereà, tam iusti, quàm sapientes proficiunt ex noua notitia, quã accipiunt. E regione siquidem impiorum describuntur iusti; quemadmodum è regione derisorum describuntur sapientes: & illi quidem dimittuntur inanes; isti autem vocantur ad perfectum. At si ampliùs perspexeris ista sex hominum genera, videbis, quòd simplices, derisores, & sapientes, ad partem pertinent, qua cognoscimus: nam simplices sunt modici iudicij; derisores verò arrogant sibi censuram omnium: sapientes autem verè iudicant. Alij verò tres ad partem pertinent, qua appetimus: nam minuti corde deficiunt à morali virtute; impij autem in excessu sunt mali moralis, vtpote ex malitia peccantes; iusti autem verum bonum eligunt.

Sextum genus hominum.

Tria genera hominum ad partem cognitiuam pertinent, & tria ad affectiuam.

Vers. 10. PRINCIPIVM SAPIENTIÆ, TIMOR DOMINI: ET SCIENTIA SANCTORVM, PRVDENTIA. Iuxta Hebræum habetur: *Principium sapientiæ, timor Iehouah; & scire Sanctorum, intelligentia.* Ratio redditur, quare sapientes, & iusti instrui proficiunt ex eo, quòd in eis est timor summi Dei, qui principium est sapiẽdi: & ipsum scire est intelligere sancta; hoc est, munda, & quæ Deo dicanda, seu dicata sunt. Dicitur hoc ad differentiam sapientum mundi huius, in quibus non est timor summi Dei. Et proptereà ægrè ferunt instrui, vel argui: scire eorum non est intelligentia Sanctorum, sed prophanorum.

Ratio, quare sapientes, & iusti proficiunt.

PER ME ENIM MVLTIPLICABVNTVR DIES TVI: ET ADDENTVR TIBI ANNI VITÆ. Parui refert, quòd iuxta Hebræum legendum esset: *In me*. Ratio redditur conuiuij diuinæ sapientiæ, vtilitas, non ipsius sapientiæ diuinæ; sed hominum obsequentium illi. Et priùs quidem reddit rationem ex hoc, quòd ipsa diuina sapientia est benefica: vtpote, quia ipsius conuiuæ consequntur longitudinem vitæ, non qualitercunque, sed felici successu: longitudo siquidem vitæ significatur multiplicatione dierum: prosperitas autem appositione annorum vitæ, ad differentiam annorum mortis. Et verificantur hæc in hac quidem vita secundùm promissiones veteris legis; in æterna autem secũdùm gratiam noui Testamenti. Vers. 11.

Anni vitæ, & anni mortis, qui sint.

SI SAPIENS FVERIS, TIBIMETIPSI ERIS: SI AVTEM ILLVSOR, SOLVS PORTABIS MALVM. Sententia redditur, quamuis in Hebræo Textu non scribatur, *malum*, & omnia verba sunt præteriti temporis. Rationi ex parte beneficentiæ adiungit rationem nullius vtilitatis redundantis in ipsam diuinam sapientiam, dicendo, quòd si homo sapit, sapit sibiipsi, & non diuinæ sapientiæ: & similiter si illusor fuerit, ipse patietur, non diuina sapientia. Vers. 12.

MVLIER. Iuxta Hebræum habetur: *Nupta*. Superiùs in cap. 6. & 7. introduxit Salomon mulierem nuptam impudicam: & proptereà ad insinuandum, quòd de illa met muliere nunc loquitur, non dicit *mulier*, sed, *nupta*: intendens declarare, quòd mulier illa nupta non restringitur ad veneream; sed significat delectationem, tam carnis, quàm mundi, delectationem comprehendentem delectari, & in his, quæ sunt sensuum, & in his, quæ sunt dominij, gloriæ, famæ, & huiusmodi. Ita quòd è regione diuinæ sapientiæ vocantis homines ad conuiuium suum, collocatur delectatio, tam carnis, quàm mundi sub specie mulieris nuptæ. Mulieris quidem, propter blandam attractionem: nuptæ verò, propter coniunctionem, quam in homine sortita est. Est delectatio & carnis, & mundi, cum rationis regimine, tanquàm marito gubernante eam. Appetitus siquidem huiusmodi delectabilium subditur in homine rationi, & secundùm naturæ ordinem regendus est recta ratione, sicut vxor à viro. Et ideò quoties à regimine rationis rectæ exorbitat, quasi nupta mariti thorum relinquens adulteratur, adhærens vano, vel sensui. Mulier itaque nupta, hoc est, delectatio mundi, ac carnis, è regione sapientiæ distincta describitur multipliciter, & primò secundùm illius statum, dicendo: Vers. 13.

Hebræi hanc mulierem exponunt, alij pro stultitia, alij pro corpore, in quo est sensualitas, &c.

Mulier nupta quare significet carnis, & mundi delectationem.

STVLTA, ET CLAMOSA, PLENAQVE ILLECEBRIS, ET NIHIL OMNINÒ SCIENS. Iuxta hebræum habetur: *Fatuitatis tumultuatrix, simplicitatis & nesciuit quid*. Nupta fatuitatis quidẽ describitur tumultuatrix; simplicitatis verò describitur nesciẽs quid; hoc est, effectũ sequẽtem. Delectatio prophana, si vsque adeò exorbitat, vt fatuitate abundet, excitat tumultus nõ solùm in ciuitate, sed in regnis: quod vtinã humanum genus non sæpè experiretur ex insana dominandi libidine. Si verò non insanit, sed simplex (hoc est, modici iudicij) est, cæca est, nõ videns effectus sequẽtes actiones suas: & hoc sæpè videmus euenire. Sæpè enim oportet eos dicere: Nõ putaram.

Fatuitas tumultuatrix etiam in regnis.

SEDET

Vers. 14. SEDET IN FORIBVS DOMVS SVÆ. Parui refert, quòd deficit coniunctio, *&*. Descripto enim diuerso statu delectationis profanæ, describitur commune vtrique statui officium; videlicet: *Et sedet in foribus domus suæ*. De diuina sapientia dixerat, quòd ædificauit domum suam: de delectatione dicit, quòd sedet in ostio domus suæ: illius officium est ædificare; istius est quiescere, non intra domum, sed in ostio domus in manifesto. Est siquidem delectatio, iam fatua, quàm modici iudicij. Domus autem sua animus est, affectus concupiscentiæ, & vanitatibus.

Officium sapientiæ, & profanæ nuptæ, seu delectationis, quale.

SVPER SELLAM IN EXCELSO VRBIS LOCO. Iuxta Hebræum habetur: *Super sedem excelsorum ciuitatis*. Sapientia diuina super humeros excelsorum ciuitatis, vocat homines. Delectatio autem profana, super sedem excelsorum ciuitatis vocat homines: quia illa super labores hominum excelsorum ciuitatis; ista super quietem eorundem innititur. Excelsi siquidem in ciuitate refutando labores virtutum, & delectabilibus vacando, fulciunt profanam delectationem in se, & alijs.

Vers. 15. VT VOCARET TRANSEVNTES PER VIAM, ET PERGENTES IN ITINERE SVO. Dictio interpretata *pergentes*, sonat, *dirigentes*: ita quòd absque coniunctione legendum est, *Dirigentes vias suas*. Officium vocandi attribuitur delectationi: quia verè excitat, & inuitat homines. Inuitat autem transeuntes, dirigentes vias suas. Quemadmodum enim sapientia non inuitat derisores, & impios, (vtpote pertinaces;) ita profana delectatio non inuitat sapientes, & iustos, (vtpote contrarios ei;) sed medios deceptos à transitu per viam huius vitæ, & à directione viarum suarum, quibus, scilicet, placent boni mores, quamuis ex ignorantia, seu fragilitate peccent.

Quos vocat sapientia, quos profana delectatio inuitat.

Vers. 16. QVI EST PARVVLVS, DECLINET AD ME: ET VECORDI LOQVVTA EST. Iuxta Hebræum habetur: *Qui simplex, diuertat huc, & minutus corde: & dicet ei*. Vide, quòd eorúdem generum homines vocantur à sapiëtia diuina per puellas in humeris excelsorum, & à delectatione profana quiescente in sede excelsorum: simplices enim & corde minuti ab vtraque vocantur, vtpote viuentes in moribus absque pertinacia, & mobiles ad vtramque partem: & propterea decepti sunt, non fixi, sed transeuntes. Nec opus est, hanc particulam aliter exponere; sed intellige, vt supra.

Vers. 17. AQVÆ FVRTIVÆ DVLCIORES SVNT: ET PANIS ABSCONDITVS SVAVIOR. Sententia redditur, & vulgarium prouerbiorum assumi puto: ita tamen, vt per aquam, & panem, significentur vniuersa spectantia ad conuiuium. Sapientia siquidem inuitauit ad paratum conuiuium panis, vini, occisorumque animalium; & vniuersæ denique mensæ ordinatæ: profana autem delectatio inuitat ad aquas furtiuas, hoc est, furto ablatas (vt Hebraica sonat litera.) & ad panem absconsionum, quia dulcescunt. Et species ipsæ testantur, quantùm præstet conuiuium conuiuio; quantùm, videlicet, vinum præstat aquæ; & ordinata mensa, absconditis comestionibus, tanquàm furtim vescentibus. Prouerbium autem ortum est ex eo, quòd vesci in abscondito, dulcescit in hominibus, tanquàm singulare aliquid, & frui alienis furtiuè, dulcescit, tanquàm aliquid valdè concupitum, & rarum; hoc est, quod non semper in promptu habetur. Hinc enim venerea cum aliena dulcescunt sæpè magis, quàm cum propria vxore, quamuis pulchriore, &c. Ex hoc autem ipso, quòd ad aquas furtiuas, & panem absconsionum inuitat delectatio profana, testatur, quòd turpia sunt; quòd inhonesta, seu mala sunt. Nam odium lucis, testimonium est mali, & turpis, dicente Domino: *Omnis, qui malè agit, odit lucem*. & quòd *homines dilexerunt magis tenebras, quàm lucem propter mala eorum opera*. Ad satietatem itaque appetitus in occultis inuitat delectatio. Occulta autem intellige, quæ ex se vendicant sibi occultationem; vel ratione modi, quia male parta sunt; vel ratione rei, quia turpia sunt. Naturale siquidem est homini, occultare, ac tegere proprium malum morale, & turpe: & propterea, quamuis peccata multorum manifesta, ac notoria sint, tamen omnia peccata, quantùm est ex eorum natura, sunt in genere occultorum, hoc est, habentia in seipsis turpitudinem, quæ deberet occultari.

Aquæ furtiuæ ... profanæ ... turpia.

Ioan. 3. ... ibid. 3. 19.

Peccata ... natura sua ... occultorum.

ET IGNORAVIT, QVÒD GIGANTES IBI SINT. Iuxta Hebræum habetur: *Et nesciuit, quòd mortui ibi*. Nihil dicitur de gigantibus, sed declaratur suprascripta particula illa: *Et nesciuit quòd*. Declaratur enim, quòd nesciuit multitudo dedita delectationi profanæ in conuiuio profanæ delectationis, quòd ibi (hoc est, in conuiuio profanæ delectationis) sunt mortui; hoc est, incurrunt mortem, quam incurrerunt priores. Et est sermo de morte animæ.

ET IN PROFVNDIS INFERNI CONVIVÆ EIVS. Sententia redditur, quamuis Hebraice habeatur: *In vallibus foueæ vocati ab ea*. Sed de fouea Inferni sermo est: & est sensus, quòd delectatio nesciuit effectum sequentem post hanc vitam: quòd, videlicet, mortui in conuiuio eius, habitant in vallibus Inferorum. Et dicitur hoc è regione eius, quod dixerat sapientia: *In me multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ*. Describitur autem delectatio nesciens hunc effectum, pro quanto attrahit, & seruat conuiuas, tanquàm nesciens malum consequens. *Qui enim applicabitur illi, descendet ad Inferos: nam qui abscesserit ab ea, saluabitur*. Tota hæc clausula superflua est, vtpote quæ non habetur in Hebræo.

CAPVT X.

PARABOLÆ SALOMONIS. Titulus iste restatur, quid liber iste Parabolarum Salomonis ex diuersis fragmentis collectus est, quod clariùs etiam apparet inferiùs in principio cap. 25. Salomon enim edidit tria millia parabolarum, vt scribitur 3. Reg. 4. ex quibus non habemus nisi scriptas in hoc libro: & , vt hæc testantur, sine ordine collectæ sunt; sparsæ siquidem ac perditæ fuerant ante tempus Ezechiæ Regis: & hoc paruum volumen conflatum est collectis quibusdam: eapropter hactenus ordinatè processimus: quia literam ordinatam habuimus, prout ab ipso Salomone ordinata fuit: deinceps autem, sine ordine exponemus literam, vt sese offert. Secunda itaque pars huius libri hic incipit à titulo, propter rationem dictam.

... Parabolarum ... Salomonis ... Hebræi ... autem ... profana ...

Secunda pars ... libri.

FILII DAVID, REGIS HIERVSALEM. Dictiones istæ superfluæ sunt; in Hebræo enim non habentur.

Vers. 1. FILIVS SAPIENS LÆTIFICAT PATREM. Sententia iam clara est, vt quotidiana experientia comprobatur in patre, & matre naturali, & in

in his, qui patris, vel matris officio funguntur.

Vers. 2. NON PRODERVNT THESAVRI IMPIETATIS: IVSTITIA VERÒ LIBERABIT A MORTE. Relatiuè ad Deum verificatur, non prodesse alicui thesauros impietatis, hoc est, impiè acquisitos: quò contrà iustitia hominis tantùm valet apud Deum, vt eruat hominem, etiam à morte corporis imminente. Ezechias enim

Isaiæ 38. 1. audiens ab Isaia Propheta: *Dispone domui tuæ, quia morieris*, orauit ad Deum: *Memento, Domine, quomodo ambulauerim in viis tuis; & quod rectum fuerit, fecerim*, &c. & exauditus euasit

Dan. 3. 49. mortem. Ananias, Azarias, & Misael, liberati sunt à morte, iustitia sua.

Vers. 3. NON AFFLIGET DOMINVS FAME ANIMAM IVSTI: ET INSIDIAS IMPIORVM SVBVERTET. Iuxta Hebræum habetur: *Non faciet perire fame Iehouah animam iusti, & fractionem impiorum impellet*. Iustitia hominis valet apud Deum, non solùm ad eruendum à morte imminente, sed etiam ad subueniendum in penuria, in periculis famis, & aliorum incommodorum: quò contrà impios incipientes ruere, Deus impellit ad perfectam ruinam.

Vers. 4. EGESTATEM OPERATA EST MANVS REMISSA: MANVS AVTEM FORTIVM DIVITIAS PARAT. Iuxta Hebræum habetur: *Pauperem facit manus fraudis, & manus sollicitorum ditabit*. Relatiuè quoque ad Deum verificatur, quòd manus fraudis (hoc est, actio fraudulenta) facit hominem pauperem, eò quòd accumulat homini non sua, & obligatus ad restituendum aliena, ex quibus se diuitem fecit, restituendo remanet pauper: vtpote qui non dedit operam ad habendum propria, sed aliena. Quò contrà subditur, quòd manus sollicitorum ditabit: actio præstantium acumine ingenij, & non parcentium labori opportuno ad negotiationes: facit eos diuites, quoniam licita actione acquirunt facultates, quas alij fraudibus, dolis, aliisve illicitis actionibus acquirunt.

Manus fraudulenta, & manus sollicita.

QVI AVTEM NITITVR MENDACIIS, HIC PASCIT VENTOS: IDEM SEQVITVR AVES VOLANTES. Nihil huius clausulæ inuenitur in Textu Hebraïco.

Vers. 5. QVI CONGREGAT IN MESSE, FILIVS SAPIENS EST: QVI AVTEM STERTIT ÆSTATE, FILIVS CONFVSIONIS. Iuxta Hebræū habetur:

Quid æstas. *Colligens in æstate filius intelligens: dormiens in messe filius confusionis*. Æstatis nomine intellige tempus commodum ad acquirendum: æstas tempus

Quid messis. est ad colligēdum fruges pro toto anno. Per messem autem intellige ipsas res acquirendas se offerentes, quemadmodum secūdæ segetes tempore messis. Filius verò confusionis sonat plenum cōfusione; quemadmodum filij nuptiarum appellantur vacantes nuptiis. Et experientia testatur, homines nescientes (aut minùs curantes) vti commoditatibus temporum, & rerum ad prouidendum domibus suis, vel ad negotiandum, seu lucrandum, confusos inueniri.

Quare filius confusionis experientia manifestat.

Vers. 6. BENEDICTIO DOMINI SVPER CAPVT IVSTI: OS AVTEM IMPIORVM OPERIT INIQVITAS. Iuxta Hebræum habetur: *Benedictiones capiti iusti: & os impiorum operietur iniquitate*. Caput iusti, locus benedictionum (hoc est, officij benedicendi) describitur. Nam benedicere proprium est iusti: quò contrà impiorum os: quod in capite est, operit sermonem suum iniquitate, eò quòd si benedixit, non ex pietate, sed ex iniquitate benedicit ad tegendum impietatem suam. Impij enim, siue benedictiones taceant, siue illas proferant, non rectè, sed iniquè agunt ad hoc, vt facilius nocere, aut decipere possint.

Diuersimode benedicit iustus, & impius.

Vers. 7. MEMORIA IVSTI CVM LAVDIBVS: ET NOMEN IMPIORVM PVTRESCET. Parui refert, quòd dictio interpretata, *laudibus*, sonat benedictionem: sensus enim ita idem redit, nisi quòd clariùs Hebraica littera explicat, quòd memoria virorum iustorum ad benedictionem (hoc est, ad multiplicatam laudem) erit. Quò contrà nomen impiorum paulatim deficiet, quemadmodum putrescens: imò multiplicando producit fœtorem: & hoc non solùm est verum ex meritis iusti, & impij, sed verificatur de facto apud colentes Deum.

Vers. 8. SAPIENS CORDE PRÆCEPTA SVSCIPIET: STVLTVS CÆDITVR LABIIS. Iuxta Hebræum habetur: *Et stultus labiorum impinget*. Relatiuè ad præceptorem describitur sapiens, quòd ipse mandata suscipit corde, hoc est, non solùm excipit illa sermone, sed animo. Quò contrà stultus nec labiis suscipit, sed renuit, vel murmurat. Et proptereà appellatur stultus labiorum: & impingit in offendiculum aliquod sine regula mandatorum progrediens.

Vers. 9. QVI AMBVLAT SIMPLICITER, AMBVLAT CONFIDENTER: QVI AVTEM DEPRAVAT VIAS SVAS, MANIFESTVS ERIT. Dictio interpretata, *simpliciter*, sonat, *in puritate*, & dictio interpretata, *manifestus erit*, in multis codicibus sonat, *frangetur*. Et hæc dictio complectenda videtur, eò quòd è regione ambulantis confidenter congruentiùs collocatur *frangere*, quàm *manifestus erit*. De operante, seu quodcunque negotiū exercente sub similitudine ambulantis dicitur ambulat, quòd in puritate (absque admixtis astutiis, dolis, & aliis malis artibus) progredietur cōfidenter, vtpote propriæ puritati, & diuino auxilio innixus. Quò contrà deprauans torquendo vias suas (hac, & illac torquens astutiis, & versutiis operationes suas, tanquàm torquens iter) frangetur in progressu: quia hoc meretur ex malis suis artibus: detegentur enim & machinationes eius frangentur.

Vers. 10. QVI ANNVIT OCVLO, DABIT DOLOREM: STVLTVS LABIIS VERBERABITVR. Dictio interpretata, *annuit*, sonat, *innuit*. Secunda verò particula iuxta Hebræum habetur sic: *Et stultus labiorum impinget*. Non est sermo de quocunque annuente oculo (cùm hoc quandoque rectè fiat,) sed de innuente oculo, vel ad irrisionem, vel ad proditionem, vel ad libidinem: hæc enim sæpè fiunt, & malè. Effectus autem huiusmodi innuere describitur, *dabit dolorem*: quia irrisus dolet, & similiter proditus: maritus quoque, seu consanguineus mulieris, cui innuitur, dolet. Innuens itaque oculo infert dolorem aliis. Quò contrà stultus labiorum (loquens, scilicet, stulta) frangetur, vel impinget: quia contra seipsum agit.

De nutu oculi ad irrisionem intelligit Aben Ezra.

Vers. 11. VENA VITÆ, OS IVSTI: OS AVTEM IMPIORVM OPERIT INIQVITATEM. Legendum est: *Operietur iniquitate*. Assimilatur venæ, sermo iusti: quia per eum vita aliorum, tanquàm per venam venit. Sermo enim iustorum ad vitam, tum animæ, tum corporis aliorum tendit. Quò contrà os impiorum tegetur à propria iniquitate, ne vitalia proferat, nisi fortè fictè.

Quare sermo iusti similis venæ.

Vers. 12. ODIVM SVSCITAT RIXAS: ET VNIVERSA DELICTA

Vers. 12. DELICTA OPERIT CHARITAS. Dictio inter-
pretata, *delicta*, sonat *rebelliones*. Legendúmque
esset: *Et super omnes rebelliones operiet charitas.*
Operiet, idem omninò verbum, quod ante. De odio itaque dicitur, quòd mouet lites, con-
tentiones, & rixas inter eos, quos homo odio ha-
bet, vel inter seipsum, & eum, quem odio habet.
Quo contrà vniuersas rebelliones (vel aliorum
inter sese, vel aliorum relatiuè ad diligentem)
operiet charitas, teget amor, atque dilectio di-
ligentis rebelles: nulla siquidem est maior vis,
Nulla vis maior, quàm amoris. quàm vis amoris. Et cùm amari se conspicit re-
bellis, sedatur. Nobilis siquidem animus homi-
nis, amore trahitur magis, quàm timore, verbe-
re, & gladio. Et propterea hic dicitur, quòd su-
per vniuersas rebelliones operiet charitas; hoc
est, vir diligens: operiet autem, ne appareant am-
pliùs. Aptè autem affertur similitudo tegminis:
quoniam amor verba hinc, & inde regentia oc-
casiones litiganti seu contendenti, multis refer-
ta coloribus palliantibus causam, adhibet.

Vers. 13. IN LABIIS SAPIENTIS INVENIATVR SA-
PIENTIA: ET VIRGA IN DORSO EIVS, QVI
INDIGET CORDE. Dictio interpretata, *sapientis*,
sonat, *intelligentis*. Et eius, qui indiget corde,
sonat, *minuti corde*. Vigens intelligentiæ acumi-
Sermo, imago animi. ne non solùm sapit in animo; sed etiam in ser-
mone, ita quòd etiam in labiis eius relucet sa-
pientia. Quò contrà minutus corde (hoc est,
deficiens in ornatu animi) vsque adeò alienus
est à sapientia, vt indigeat virga castigante eum
super humeros eius, hoc est, castigatione magna,
quæ vulgari Italico dicitur, *bastonata*.

Vers. 14. SAPIENTES ABSCONDVNT SCIENTIAM: OS
Quemodo sapiens occultet scientiam. AVTEM STVLTI CONFVSIONI PROXIMVM
EST. Vltimæ dictiones iuxta Hebræum haben-
tur: *Fractio propinqua*. Sapientibus attribuitur re-
condere suum sapere, reseruantes illud loco, &
tempore. Quò contrà ori stultorum attribuitur,
Hanc sententiam vsurpat [illegible] quòd est tanquàm fractio propinqua. Assimila-
tur siquidem fractioni imminentis ruinæ pro-
pinquæ: quia eloquium stultorum vitandum, ac
fugiendum est ab aliis, vtpote propinqua fractio
animorum, tractatuum, & sensatorú sermonum.

Vers. 15. SVBSTANTIA DIVITIS, VRBS FORTITVDI-
NIS EIVS: PAVOR PAVPERVM, EGESTAS EO-
RVM. Dictio interpretata, *pauor*, sonat, *fractio*. At-
tribuitur diuitibus, quòd facultates eorum sunt,
in quibus confidunt, tanquàm in vrbe fortitudi-
nis suæ. Quò contrà pauperibus attribuitur,
quòd paupertas eorum non est duntaxat pau-
pertas, sed est fractio animi eorundem: pauperes
enim non audent apparere, & virtutes suas pro-
Diuitiæ extollunt, paupertas frangit. ferre. Nam, quemadmodum diuitiæ præstant
fortem animum diuitibus, & protegunt eos ab
aliis: sic paupertas, & frangit animum pauperis,
& efficit, vt alij frangant sermonem eius.

Vers. 16. OPVS IVSTI AD VITAM: FRVCTVS AVTEM
IMPII AD PECCATVM. Iusti intentio commen-
datur, quòd omne opus eius tendit ad vitam,
proculdubiò animorum. Quò contrà impij vitu-
perantur, quòd etiam prouentus frugum eorum
cedit in peccatum, tam praua siquidem eo-
rum est intentio, vt abuti intendant, &
abutantur etiam bonis, quæ profert terra eis:
dictio siquidem interpretata, *fructus*, sonat, *pro-
uentus*, iuxta Hebraicam veritatem.

Vers. 17. VIA VITÆ CVSTODIENTI DISCIPLINAM:
QVI AVTEM INCREPATIONES RELINQVIT,
Custodire, i. præseruare. ERRAT. Prima particula clarior iuxta Hebræum
habetur; *Via ad vitam, custodire eruditionem.*
Custodia (hoc est, adhibita cura) ad seruan-
dum eruditiones susceptas commendatur pe-
nes hoc, quòd est via ad vitam, proculdubiò
animi, tam in præsenti, quàm in futura vita.
Quò contrà relinquens increpationes, non so-
lùm paruipendendo eas, sed etiam obseruā-
tionem earum relinquendo, errat in via vtriusque vitæ.

Vers. 18. ABSCONDVNT ODIVM LABIA MENDACIA:
QVI PROFERT CONTVMELIAM, INSIPIENS
EST. Duæ odij dispositiones quoad linguam
contrariæ describuntur: altera in viro astuto; &
hæc est tegere odium verbis falsis, sermonibus
simulatis, vt fecit Absalon, dissimulando tanto
tempore odium, quod conceperat aduersùs A-
mnon fratrem suum. Quò contrà odium in stul-
to inducit ad proferendum infame aliquid. Di-
ctio enim interpretata, *contumeliam*, sonat, *infa-
miam*. Vterque iniquè agit: ille astutè falsitati-
bus vtitur; iste stultè profert, quæ sunt infamiæ.

IN MVLTILOQVIO NON DEERIT PECCA-
TVM: QVI AVTEM MODERATVR LABIA SVA
PRVDENTISSIMVS EST. Iuxta Hebræum habe-
tur: *In multitudine verborum non prohibebit re-
bellionem: & prohibens labia sua, intelligens.* Su-
periùs dictum est, quòd charitas tegit omnes re-
belliones: & consequenter modò dicitur, quòd
multitudo verborum non tantùm vitium est,
vt prohibeat aliorum rebelliones; & propterea
vanè homo innititur multiloquio ad cohiben-
dum rebellionem. Quò contrà vir intelligens
(hoc est, intelligendi acumine vigens) cohibebit
labia sua, ne effundat sermonem, vbi non est
auditus.

ARGENTVM ELECTVM, LINGVA IVSTI: COR
AVTEM IMPIORVM PRO NIHILO. Dictio in-
terpretata, *pro nihilo*, sonat, *sicut modicum*. Assi-
milatur sermo iusti argento electo ex igne pur-
gato: eò quòd eloquia iusti purgata, ac
examinata splendent pulchrè, & sonant re-
ctè. Quò contrà impiorum non solùm sermo;
sed etiam cor assimilatur modico, eò quòd pa-
rum boni habet: quia enim ex toto non potest
esse malum, (quia malum si fuerit integrum, de-
struit seipsum,) ideò non assimilatur nihilo, sed
modico, quod pro nihilo reputatur.

LABIA IVSTI ERVDIVNT PLVRIMOS: QVI
AVTEM INDOCTI SVNT, IN CORDIS EGE-
STATE MORIENTVR. Iuxta Hebræum habetur:
*Labia iusti pascent multos, & stulti in defectu
cordis morientur.* Efficacia, ac fructus eloquio-
rum iusti describitur, pascere multos; quod est
conseruare vitam animæ in multis. Quò contrà
stulti non solùm alios pascere nequeunt ser-
monibus iustitiæ, & iudicij; sed ipsi met ex de-
fectu cordis secundùm virtutem moriuntur mortalem mo-
rientur morte animæ, & hic, & in futuro.

Vers. 22. BENEDICTIO DOMINI FACIT DIVITES:
NEC SOCIABITVR EIS AFFLICTIO. Secun-
da particula iuxta Hebræum habetur: *Et non
iunget dolorem secum.* Commendatur diuinæ be-
nedictionis gratia ditans aliquos. Commenda-
tur autem præferendo illam gratiæ huius mun-
di, penes hoc, quòd mundus ditat aliquem ap-
ponendo dolorem, vt sæpè apparet. Diuina au-
tem benedictio ditando aliquem, non affert secū
dolorem: tū, quia sine pœnitentia sunt dona Dei:
tum, quia Deus nobis non indiget; tum, quia Dei
perfecta sunt opera, ac per hoc ditando non solùm
diuitias multiplicat; sed & largitur, vt gaudere
possint

Gratia diuinæ benedictionis [illegible] præferenda gratiæ mundanæ.

possint diuitiis. Benedictio autem mundi (siue hat per Principes, siue per industriam militarem, siue per mercaturam, & similia) sæpi dat diuitias; sed tot perturbationibus animi, vel corporis admixtas, vt diuites nequeant frui diuitiis, quas habent.

Vers.23. QVASI PER RISVM STVLTVS OPERATVR SCELVS: SAPIENTIA AVTEM EST VIRO PRVDENTIA. Iuxta Hebræum habetur: *Tanquam risus stulto facere scelus: & sapientia homini intelligentia.* Attribuitur stulto, quòd facere scelus reputat risum: hoc est, reputat pro nihilo, paruipendit, ac si risisset: imò lætatur faciendo scelus, sicut lætatur, qui ridet. Quò contrà sapientia reseruatur viro intelligentiæ: vt enim vigens intelligentia, sapit ponderando, quid est facere scelus, nec reputat ridiculum, sed execrabile.

Vers.24. QVOD TIMET IMPIVS, VENIET SVPER EVM: DESIDERIVM SVVM IVSTIS DABITVR. Dictio interpretata, *dabitur*, sonat, *dabit*, & legendum esset: *Et desiderium iustorum dabit.* Quamuis etiam in hac vita quandoque verificetur, quòd eueniet impiis malum, quod timent; semper tamen verificatur quoad meritum; hoc est, quòd impij merentur, vt malum, quod timent, eueniat eis. Verificatur quoque semper in vita futura, quoniam longè plus mali habebunt, quàm quod timent. Quò contrà desiderium iustorum dabit summus Deus, & in hac vita, vt merentur, & in futura supra merita. Et est sermo de desiderio simpliciter, hoc est, omnibus pensatis; huiusmodi enim desiderium iustorum semper impletur: secùs autem est de desiderio secundùm quid; hoc enim sæpè negatur à summo Deo, vt tribuat, quod mallent iusti, si omnia scirent.

Quale desiderium iustorum semper impleatur.

Vers.25. QVASI TEMPESTAS TRANSIENS NON ERIT IMPIVS: IVSTVS AVTEM QVASI FVNDAMENTVM SEMPITERNVM. Quia impiorum dispositiones caducæ valdè sunt, nec habent firmitatem fruendi concupitis bonis; ideò assimilatur duratio impiorum secundùm viuere læturn turbini, seu tempestati ventorum. Quo contra iustus vt sic, est secundùm virtutem stabilis, (vtpote, quæ nunquam excidit,) & secundùm concupitam, velut fundamentum perpetuum, seu rectiùs iuxta Hebræum loquendo, fundamentum perpetuitatis, eò quòd sit, cui credit; & reposita est sibi corona iustitiæ æterna.

Vers.26. SICVT ACETVM DENTIBVS, ET FVMVS OCVLIS: SIC PIGER IIS, QVI MISERVNT EVM IN VIA. Superfluit, *in via*, & dictio interpretata, *acetum*, quamuis significet acetum; extenditur tamen ad acre: & interpretanda est, *acre*. Nam acetum tam vtile censetur dētibus, vt nulla dentium medicina secundùm Medicos excmenda sit ab aceto: acre autem, inimicitia ad dentes manifesta est ex eo, quòd acre stupefacit dentes. Legendum itaque est: Sicut acre dentibus, & fumus oculis; sic piger mittentibus eum. Pigrina siquidem nuncij ita molesta est mittentibus illum, quemadmodum fumus molestus est oculis, & acre molestum est dentibus.

Vers.27. TIMOR DOMINI APPONET DIES, ET ANNI IMPIORVM BREVIABVNTVR. Nomen est tetragrammaton. Verificantur hæ sententiæ in hac quidem vita: tum secundùm statum veteris Testamenti, in quo longitudo dierum promittitur populo timenti Deum: impio verò exter-

[illegible] ... fecit, impij autem [illegible] ... & pane [illegible] ... ad statum post [illegible] ... Dominum apponet [illegible] ... impiorum breuiabuntur ... [illegible]

EXPECTATIO IVSTORVM LÆTITIA: SPES AVTEM IMPIORVM PERIBIT. [illegible] ... quod [illegible] ... La ... [illegible] ... eorum [illegible]

FORTITVDO SIMPLICIS VIA DOMINI: ET PAVOR IIS, QVI OPERANTVR MALVM. Iuxta Hebræum habetur: *Fortitudo puritati* [illegible] ... De [illegible] ... fortitudo [illegible] ... admixtione [illegible] ... [illegible] ... est fractio [illegible] ... iniquitatem [illegible] ... de via Dei ad [illegible] ... ad Deum [illegible] ... [illegible]

[illegible] ... NON COMMOVEBITVR [illegible] ... ad populum [illegible] ... [illegible] ... fuerit impius.

OS IVSTI PARTVRIET SAPIENTIAM [illegible] ... Iuxta Hebræum habetur: *Os iusti* ... *sapientiam* [illegible] ... Sicut adiungitur [illegible] ... sermo sapientiæ [illegible] ... *cordis* [illegible] ... Qui [illegible] ... mendax, sed [illegible] ... indicat [illegible] ... proximum. Qui contrà [illegible] ... [illegible] ... intelligere [illegible] ... [illegible]

CAPVT XI

STATERA DOLOSA, ABOMINATIO EST APVD DEVM: ET PONDVS ÆQVVM, VOLVNTAS EIVS. Pro [illegible] ... quòd Hebraicè habetur: *Bilances* [illegible] ...

Nec principem, &c. Legendum potiùs est, *nec dominum*. Vt habent apes Regem: sed absque dominio, cui seruiant, absque præfecto sollicitante, & absque aliquo ducatu parant sibi in æstate panem, seu cibum. Naturali siquidem instinctu formica congregat, ac thesaurizat.

Vers. 10. Paululum dormies, &c. Litera vulgatæ editionis clara est, sed Hebraica Litera obscura: nam Hebraicè habetur: *Parua somni, parua dormitationibus, parua amplexus manuum ad iacendum*. Sed sensus in idem redit, eò quòd modus pigritiæ describitur, quo, videlicet, vtitur piger ad longum iacere. Multiplicat enim, & paruos somnos, & paruas dormitationes, & paruos amplexus manuum ad diutiùs iacendum. Paruitatem autem intellige secundùm iudicium ipsius pigri excusantis se, quòd parum dormiam, parum adhuc dormitabo, parum extendam membra.

Descriptio hominis pigri [illegible] breuem ad[illegible] putant, quod natura [illegible].

Qvasi viator. Hoc est, ex improuiso, sicut viator.

Vers. 11. Et pauperies quasi vir armatus. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et defectus tuus, sicut vir scuti*. Assimilatur defectus facultatum adueniens viro viatori, pro quanto ex improuiso obrepit; viro autem scuti, pro quanto non potest piger resistere aduenienti; sicut non potest resistere huiusmodi armato.

Si verò impiger fueris, veniet, vt fons messis tua; et egestas longè fugiet a te. Tota hæc clausula superflua est: non enim habetur in Hebræo.

Vers. 12. Homo apostata, vir inutilis. Iuxta Hebræum habetur: *Homo malus, vir iniquitatis*. Nihil hic dicitur de apostasia: sed describitur post hominem pigrum, homo malus, & est sermo de malitia morali. Et de eo primùm dicitur in genere, quòd est vir iniquitatis: quemadmodum enim dicitur vir sanguinis, qui effusor est humani sanguinis ita dicitur vir iniquitatis, qui pascitur, & delectatur iniquitate.

Homine [illegible]

Descriptio hominis mali.

Graditur ore peruerso, hoc est, negotiatur sermone peruerso: peruertit enim sermonem proprium, torquendo illum in operationibus suis. Et verinam non experiremur talium hominum versutias.

Vers. 13. Annuit oculis. Iuxta Hebræum habetur: *[illegible] in oculis suis*. Quemadmodum [illegible] oculo occultat alteri intentionem [illegible] quam innuendo insinuat [illegible] latebrosa mali viri significa[illegible] innuentis oculis. Volunt enim [illegible], & aliud occultè tractant.

Terit pede. Iuxta Hebræum habetur: *[illegible] in pedibus suis*. Metaphora quoque est. Cuius enim locutionis materia pedes sunt, non nisi ad subiecta sibi tendit; & describitur per hoc mali viri sermo tendens ad subiiciendum sibi, & habendum omnes tanquam pedes suos.

Digito loquitur. Iuxta Hebræum habetur: *Docet in digitis suis*. Quemadmodum docens monstrando digitis ea, quæ docet, facit euidenter cognosci ea, quæ docet: ita malus vir arrogat sibi docere, ac si monstraret digitis. Vult enim, quòd habeantur pro euidentibus ea, quæ docet; ac si monstraret ea digitis.

Vers. 14. Prauo corde machinatur malum. Iuxta Hebræum habetur: *Versutiæ in corde suo*. Deinde sequitur: *Cogitat malum*. Ita quòd duæ sunt clausulæ, altera versutiarum in corde, altera malorum in cogitatione.

Et omni tempore iurgia seminat. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *In omni tempore inimicitias mittet*. Ad tollendum præcipuum inter homines bonum, amicitiam.

Vers. 15. Huic extemplò veniet perditio sua. Iuxta Hebræum habetur: *Super sic subitò veniet contritio eius, repentè frangetur, & non sanitas*. De pigro dixerat, quòd veniet paupertas ex improuiso tanquàm vir armatus. De homine autẽ malo dicit, quòd super malitia eius frangetur, sic quòd fractio eius subita erit absque sanitatis spe: & siue fractionis nomine intelligatur ruina status, & facultatum, siue ruina corporis, verificari hæc sæpè videntur. Nam & vulneribus absque sanitatis spe quandoque confodiuntur, & in indignationem Principum incidentes, expoliantur rebus, & exauthorantur absque remedio.

Sex svnt, qvæ odit Dominvs. Nomen est tetragrammaton. Descripto homine malo, describit consequenter mala, quæ odiosa sunt summo Deo.

Et septimvm detestatvr anima eivs. Iuxta Hebræum habetur: *Et septem abominationes animæ eius*. Sensus tamẽ in idem redit. Intendit enim dicere, quòd sex sunt odiosa Deo: &, si addatur septimum, erunt septem abominabilia animæ Dei. Metaphoricus sermo est ad instar abominationis, quam experimur in anima nostra: ita quòd adiunctum septimum efficit, quòd non solum exosa, sed etiam abominabilia sint.

Ocvlos svblimes. Ecce primum exosum. Nec est sermo de oculis corporeis, sed de oculis mentis. Superbiæ enim initium per sublimes oculos describitur. Superbi enim est suspicere appetitu ad altiora incommẽsurata sibi. Possunt quoque per sublimes oculos intelligi delinitiones de sublimibus excedentes ingenia desinentium. Sublimes enim oculi sunt eorum, qui negant diuinam prouidentiam circa humanas actiones, qui negant immortalitatem animæ, & huiusmodi. Sublimes oculi sunt Christianorum, qui negant mysterium Trinitatis, & aliorum, quæ catholica Ecclesia profitetur.

Lingvam mendacem. Secundum exosum est lingua mendax, & hoc verificatur vniuersaliter de omni mendacio. Nam mendacium est in seipso prauum, & nulla potest quantuncumque bona intentione adsubtali, & verificari ac per hoc, itaque natura, lingua mẽdax exosa est Deo.

Manvs effvndentes innoxium sanguinem. Tertiũ Deo exosum expulit ione non egere.

Cor machinans cogitationes pessimas. Iuxta Hebræum vltima dictio legenda est, *[illegible]*. Et sententia est clara.

Pedes veloces ad cvrrendum in malvm. Quintum exosum, execu[illegible]res mali cum festinatione significantur per pedes.

Proferentem mendacia testem fallacem. Iuxta Hebræum habetur: *[illegible] mendacia testimonium falsitatis*. Sextum exosum Deo supputatur, facere, vt aliquis mentiatur, ad testificandum falsum, quod crebrò in iudiciis fit, in graue damnum proximi.

Et evm, qvi seminat inter fratres discordias. Sententia seruat [illegible] & hoc est septimum tam abominabile Deo, vt constituat septem abominationes, hoc est, vt reddat vniuersa abominabilia Deo. Valdè siquidem [illegible] repugnat, & naturæ,

Vers. 15.

Tertium [illegible] odibile

Vers. [illegible] 8. Quartum exo.

Quintum exo.

Vers. 19. [illegible]

Sextum.

Septimũ abominabile.

Discordia inter fratres natura, & moribus pugnat.

naturæ, & moribus, mittere discordias inter fratres, inter quos est naturalis concordia.

Vers. 20. 21. & 22. CONSERVA, FILI MI. Moniturus filium, vt caueat ab adulterio, præmittit mandatum de assidua reuocatione ad mentem, tam paternæ, quàm maternæ legis. Assidua enim recordatio describitur; tum per partes corporis, cor, & collum; tum per partes temporum, gradiendi, dormiendi, euigilandi. Describitur autem, vt non solùm intùs, & extrà, (hoc est, coram aliis,) sed etiam quando vadit cubitum, quando expergiscitur, & cùm graditur, renouet memoriam paternarum traditionum. Corrigenda esset Litera:

CVM DORMIERIS CVSTODIANT TE. Nam Hebraice habetur: *In iacere tuo custodies super te.* Sed sensus in idem redit.

Vers. 23. QVIA MANDATVM LVCERNA EST, &c. Ratio tantæ diligentię redditur ex virtute illuminatiua, quam habent parentum præcepta, & ex virtute vitali, quam habent increpationes eruditionis. Nam, vbi legitur: *Increpatio disciplinæ*, legendum est: *Increpationes eruditionis.* Increpando enim, parentes erudiunt filium, & præbent ei viam vitæ, proculdubiò animi.

Vers. 24. VT CVSTODIANT TE A NVPTA MALA. Ecce, quò tendit vniuersa hæc monitio, & ad literam loquitur de muliere nupta adultera, vt etiam inferiùs subiungitur: ita quòd in præcedenti capitulo monuit filium, vt custodiret se à muliere non suato genere: hìc autem monet eundem in specie, vt caueat ab adultera. Quam describit prius à malitia, appellãdo eam nuptam malam: quia verè est mala, vtpote malæ voluntatis: & rursus est mala, quatenus est nociua

Est singularis numeri. aliis. Deinde à blanditiis subiungendo:

A BLANDITIIS LINGVÆ EXTRANEÆ. Itaquòd non solùm est mala; sed etiam prouocans blando sermone alliciendo.

Vers. 25. NON CONCVPISCAT COR TVVM. Ac si apertiùs dixisset: Quantùs pulchritudo eius placeat oculis tuis; non tamen penetret cor tuum.

NE CAPIARIS NVTIBVS ILLIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Et non capiet te in palpebris suis.* hoc est, in officio oculorum suorum. Colli-

Arma mulieris. ge tria, (videlicet, linguam blandam, pulchritudinem, & oculorum motus,) esse arma mulieris: à quibus oportet se seruare iuuenem.

Vers. 26. PRETIVM ENIM SCORTI VIX VNIVS PANIS EST: MVLIER AVTEM VIRI PRETIOSAM ANIMAM CAPIT. Iuxta Hebræum habetur: *Quia per mulierem meretricem vsque frustum panis, & vxor viri animam pretiosam venabitur.* Intendens declarare grauitatem adulterij, manifestat grauitatem ipsius, primùm relatiuè ad fornicationem; deinde relatiuè ad furtum. Nec est sermo de grauitate essentiali, sed quoad nocu-

Nocumenta adulteræ, & extraneæ meretricis. menta. Comparando itaque nocumenta illata à scorto, ad nocumenta, quę inferuntur ab adultera, dicit, quòd per mulierem meretricem exhauriuntur opes, vsque ad frustum panis: mulier autem adultera venatur pretiosam animam; hoc est, facto tendit ad perimendum vitam hominis qua nihil est pretiosius. Fornicator enim non exponit se periculo mortis: adulter verò, & subiacet pœnæ mortis secundum leges, & exponit se periculo occisionis à marito.

Vers. 27. 28. & 29. NVNQVID ABSCONDERE POTEST, &c. Sententia huius clausulę satis clara est, & in textu declaratur. Quorsum affertur hæc similitudo ignis, & hìc clarè habes, quòd de adulterio est sermo, dum dicitur, ad vxorem proximi sui, &c. Quod autem sequitur:

Vers. 30. & 31. NON GRANDIS EST CVLPA, &c. Paraphrasis est, non interpretatio. Nam Hebraicè habetur: *Non vilipendent furem: quia furabitur ad implendum animam suam, quia esuriet.* Comparat consequẽter furtum adulterio, & quoad nocumenta, manifestando longè grauius esse adulterium. Et causas quidem furti describit subordinatas, videlicet, alere propriam vitam: quia indiget alimentis. A nocumentis autem eiusdem excludit ignominiam, declarando nocumenta furti esse restituere septuplum: etsi oportuerit omnem substantiam suam dare pro restitutione.

ET LIBERABIT SE. Superfluunt istæ tres dictiones.

Vers. 32. QVI AVTEM ADVLTER EST, PROPTER CORDIS INOPIAM, PERDET ANIMAM SVAM. Hęc clausula non redditur integrè: nam in Hebræo adiungitur: *Ipse faciet illud.* E regione causarum furti, collocat causas adul-

Comparatio furti, & adulterij. terij: ille furatur propter rerũ inopiam; iste adulteratur propter cordis defectum: rursus ille furatur, vt impleat animam suam; iste adulteratur ad perdendam animam suam: ille demum non facit sibiipsi malum; iste verò sibiipsi facit malum: illud hoc est, quia ille coactus fame furatur; iste autem sponte adulterium committit. Appellatione autem, *animæ*, intellige vitam: nam & fur ad sustentandum vitam suam furatur; & adulter exponit periculo mortis vitam propriam. Cordis autem defectum, internum defectum, quo adulter agitur, intellige: passio siquidem concupiscentiæ, & delectationis carnalis, aduersatur valdè bonæ dispositioni, tam intellectus, quàm appetitus: vnde & apud Ethnicos scribi-

Venus intellectum furatur. tur, quòd Venus furatur intellectum.

Vers. 33. TVRPITVDINEM, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Plagam, & ignominiam inueniet: & opprobrium eius non delebitur.* E regione nocumentorum consequentium furtum, supputat nocumenta consequentia adulterium. Et inter consequẽtia quidem furtum, non nisi facultatum dãna supputata sunt: concomitantia autem adulterium describuntur, primùm vulnera, & deinde ignominia, quo contrà de fure dictum est: *Non spernent eum.* Frequenter enim adulteri vulnerantur; & pro ignominia illata marito, & consãguineis, notantur; ita quòd opprobrium illius non deletur.

Vers. 34. QVIA ZELVS, ET FVROR VIRI, &c. Legendum est: *Zelus ira viri & non miserebitur in die vindictæ.* Ratio redditur, quare adulter perdet animam suam: quia zelus mariti est sua pte natura patiens iram, quæ est appetitus vindictæ: & propterea non miserebitur in die commodo ad vindicandum.

Vers. 35. NEC ACQVIESCET CVIVSQVAM PRECIBVS. Iuxta Hebræum habetur: *Nõ eleuabit faciem omnis pretij.* Hoc est, non respiciet ad personam quantumcunque pretiosam. Intendit enim, quòd adulterum, quantumcunque nobilem, occidet (commoditate habita) maritus.

NEC SVSCIPIET PRO REDEMPTIONE DONA PLVRIMA. Sẽtentia redditur. Iuxta Hebræum tamen dicitur: *Et non volet, quòd facies multiplicare munera.* Significatur enim, quòd maritus nõ appetit, quòd tu adulter multiplices munera,

[illegible]nia, ad placandum eum, cuius tamen oppositū quandoque videmus. Sed quia hoc euenit per accidens, ideò non contrariatur sententię Salomonis. Dicta siquidem à Salomone hic de animo mariti erga adulterum, verificantur per se, hoc est, secundùm ea, quæ communiter, & suapte natura conueniunt animo mariti. Propterea enim præmisit, quòd zelus mariti est ira. hoc est, appetitus vindictæ. Vnde sequitur, quòd nō est appetitus misericordiæ, neque munerum: per accidens autem (hoc est, propter mollitiem animi adiunctam) nonnulli mariti faciunt oppositū.

Mariti accidunt munera pro ueste per accidens

CAPVT VII.

Verſ. 1. FILI MI, CVSTODI SERMONES MEOS, &c. Post monita de adulterio, descendit ad specialem quendam modum attrahendi iuuenes ad adulterium. Et quoniam modus iste habet magnam vim attrahendi, ideò præmittit pater longum exordium, ad excitandum filium, vt sibi caueat.

Verſ. 2. FILI, HONORA DOMINVM, ET VALEBIS: PRÆTER EVM VERÒ NON TIMVERIS ALIENVM. Tota hæc particula superflua est. non enim habetur in textu Hebræo.

ET LEGEM MEAM QVASI PVPILLAM OCVLI TVI. Pupilla oculi conseruata est à natura multis internis tunicis, & externis palpebris, ac ciliis: sic conseruandam paternam legem à filio intùs, & extrà monet pater. Vnde ad externas, & internas vigilantias descendit dicendo:

Propriæ pupilla, paternæ custodia.

Verſ. 3. LIGA EAM IN DIGITIS TVIS, SCRIBE EAM IN TABVLA CORDIS TVI. Externa custodia describitur in digitis, interna in corde. Metaphora autem digitorum non assumitur ex ornamentis annulorum, qui gestantur in digitis, sed ex alligatis in digitis, quæ firmiùs retinentur. Et tendit parabola ad hoc, quòd, quemadmodum alligata digitis, non recedunt ab intuitu oculorum, (nullum enim membrum nostrum nudum, tam frequenter obiicitur propriis oculis:) ita paterna mandata sæpissime obiiciantur mentis oculis, tanquàm alligata digitis. *Scribere* autem *in tabula cordis*, sonat firmam retentionem in corde, in intimis affectibus, quemadmodum scribere (quod olim fiebat in tabulis) ad retinendum dicta ordinatur.

Quid sit alligare digitis.

Quid scribere in tabulis.

Verſ. 4. DIC SAPIENTIÆ: SOROR MEA ES. ET PRVDENTIAM VOCA AMICAM TVAM. Dictio interpretata *prudentiam*, interpretanda est, *intelligentiam*. Et hoc quoque pertinet ad modum custodiæ, vt, videlicet, amoris vinculo, & quasi naturali necessitudine iungat se filius sapientiæ, ac intelligentiæ, quæ percipiuntur paternis mandatis. Tanquàm connaturalem, quasi sororem iubet haberi sapientiā: quia verè connaturalis est sapientia homini, vtpote in quo virtutum semina congenita sunt: & quia non omnis soror, quamuis dilecta, est amica, ideò ad mutuum adipiscendum amorem adiungitur: *Et intelligentiā voca amicam tuam: dilige eam, & diligeris ab illa.*

Sapientia homini connaturalis.

Verſ. 5. VT CVSTODIAT TE, &c. Ad quid tendat huiusmodi dilectio, priùs descripta custodia paternæ legis, incipit manifestare, proponens in genere custodiam à muliere extranea, non quacunque; sed leniente verba sua ad attrahendum iuuenes.

Verſ. 6. DE FENESTRA ENIM DOMVS MEÆ, PER [illegible]CANCELLOS PROSPEXI. Descendit ad modum [illegible]specialiter intentum describendo illum. Vbi [illegible] quòd quemadmodum Salomon instruendo filium, non restringit filij nomen ad [illegible]oboam, & ad filios naturales; sed appellatione [illegible] comprehēdit adolescentes, iuuenésque omnes: ita induit personam patris, & describit sesum, tanquàm patrem prospicientem per fenestram domus propriæ, non patentem, sed cancellis opertam, hoc est, prospicientem ita, vt ipse videat alios, & non videatur ab aliis, qui foris sunt: [illegible]pe enim hoc fit.

ET VIDEO PARVVLOS: CONSIDERO VECORDEM IVVENEM. Iuxta Hebræum habetur: *Et vidi in simplicibus, intellexi in filiis adolescentem minutum corde.* Simplices appellantur, qui [illegible] iudicij: filij autem, qui pueri sunt [illegible]. Facilè enim ludentibus pueris miscentur [illegible] simplices. Et aptè describit pater seipsum videre [illegible] huiusmodi greges puerorum, & simplicium, & [illegible] fenestra cancellata prospicere: quoniam, si videretur ab eis, fugerent, inde erubescentes coram censore ludere. Inter itaque simplices, & [illegible] pueros vidit adolescentem minutum corde, ve[illegible] similem vtrisque. *Minutus* enim *corde* appellatur, cui desunt morales virtutes, quæ sunt [illegible] integritate vitæ animi.

Verſ. 7.

QVI TRANSIT PER PLATEAS IVXTA ANGVLVM. Non per medium plateæ, sed prope angulos plateæ idoneos, ad inchoanda ea, quæ libidinis sunt, vtpote loca minùs patentia, multis commoda hinc inde occursibus.

ET PROPE VIAM DOMVS ILLIVS GRADITVR. Parui refert, quòd Hebraicè habetur, *deambulat*. Nec habetur, *prope*, sed, *ad*; seu, *per*: pronomen autem, *illius*, cùm sit masculini generis, non demonstrat mulierem; sed anceps relinquitur, eò quòd dictio significans *domū*, est quoque masculini generis apud Hebræos. Sensus tamen porrigere videtur, quòd mulieris domus demonstratur. Periculum eiusdem describitur iuuenis ex hoc, quòd deambulat ad viam domus mulieris adulteræ.

IN OBSCVRO, &c. Iuxta Hebræum habetur: *In crepusculo, in vespera diei, in nigredine noctis, & obscuritate.* Descripto loco idoneo ad perpetrationem libidinis, describitur consequenter tempus idoneum ad idem. Describitur autem tempus relatiuè ad diem, tempus crepusculi vespertini: relatiuè autem ad noctem, describitur nigredo: ad significandum crepusculum magis aptè nigredinem noctis, quàm claritatem diei. Adiungitur verò, *obscuritas*, ad significandum qualitatem crepusculi, quòd, videlicet, non lucebat Luna, sed erat obscuritas.

Verſ. 8. Verſ. 9.

ET ECCE MVLIER, &c. Consequenter describitur occurrens adultera à multis conditionibus: & primò ab occursu; deinde ab habitu ornatus meretricij. Non expectat inuitari, quæ occurrit spontanea cum armis ornamenti meretricij.

Verſ. 10.

PRÆPARATA AD CAPIENDAS ANIMAS. Iuxta Hebræum habetur: *Et munita corde.* Qualitas cordis eius, tertiò describitur à defectu virtutum moralium, ac si apertiùs diceretur, vacua virtutis.

Mulieris [illegible] fictio.

GARRVLA. A lingua describitur, loquax, quasi tumultuosa.

ET VAGA. Inquietudo secundum localem motum significatur.

QVIETIS

Vers. 11. QVIETIS IMPATIENS. Istæ duæ dictiones sunt superfluæ.

NEC VALENS IN DOMO, &c. Sententia redditur. Declaratur enim, quòd ita est vaga, quòd non habitat in propria domo: pedes illius tam parua morula continentur domi.

Vers. 12. NVNC FORIS, &c. Officium, ad quod vagatur, describitur, videlicet, insidiari, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulum quemcunque.

Vers. 13. *Effectus procacitatis adulteræ triplex.* APPREHENSVMQVE, &c. Descriptis conditionibus mulieris, subiungitur consequenter effectus triplex, videlicet, apprehensionis, osculi, & procaci vultu allocutionis. Interpres enim apposuit, *blanditur*. Nam Textus Hebraïcus petulantis vultus dumtaxat meminit.

Vers. 14. & 15. VICTIMAS PRO SALVTE DEVOVI. Iuxta Hebræum habetur: *Sacrificia pacificorum super me.* Fingit mulier, Deum benignè exaudisse illam, & fouere desideria amoris sui erga illum adolescentem: fingit enim, se olim vouisse sacrificia pacificorum Deo pro amore illius iuuenis; & illo die exoluisse vota sua; & super hac fiducia, se egressam esse in occursum illius adolescentis, ad quærendum vultum eius; & inuenisse eum. Hæc enim sunt, quæ procaci vultu dixit quoad animum suum erga illum. Deinde subiungit, quæ præparauit dicens:

Vers. 16. *Inferiùs, cap. 31. redduntur, ornaui ornamentis. Abraham enim per pauimenta intelligit ornamenta.* INTEXVI FVNIBVS, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Pauimentaui pauimentis lectum meum, electis funibus Ægypti.* Similitudo pauimenti facilè intelligitur in lecto strato. Sed qualis funis Ægypti vsus fuerit, non facilè patet, nisi quòd ad delicias spectare videtur.

ASPERSI CVBILE MEVM, &c. Mixtura liquida ex aromatibus, ligno aloes, myrrha, &

Vers. 17. cinnamomo, insinuatur ex Hebraico verbo significante colare, quod Interpres antiquus rectè exposuit, *aspergere*.

Vers. 18. *Amoribus propriè: prior tamen dictio potest verti, dilectis amabilibus.* VENI, INEBRIEMVR VBERIBVS, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Eamus, satiemur amoribus vsque mane, lætemur in amabilibus.* Reliqua Interpres addidit circunloquendo Hebraïcam breuitatem.

NON EST ENIM VIR IN DOMO SVA, &c.

Vers. 19. & 20. Pronomen, *sua*, demonstrat, quòd verba ista non sunt mulieris, sed Authoris libri, ad reddendum rationem securitatis mulieris: quia, videlicet, non est maritus in domo eius, sed abiit via longinqua munitus pecunia.

IN DIE PLENÆ LVNÆ, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Die supputato veniet ad domum suam.* Ex his enim vxor interim absque timore viri vacat suæ libidini.

Vers. 21. *Vide, quomodo lecha sit pluralis numeri, cùm plurale sit, melecha.* IRRETIVIT EVM MVLTIS SERMONIBVS, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Fecit declinare eum in multitudine captionis suæ, in lenitate labiorum suorum impellet eum.* Efficacia muliebris occursus, blanditiarum, procacitatis, & promissionum describitur sub nomine multitudinis captionum, quæ vim habent impellendi animum hominis ad libidinis opus.

Vers. 22. STATIM EAM SEQVITVR, QVASI BOS DVCTVS AD VICTIMAM. Legendum esset: *Ad macellum venit.* Quid autem sequitur:

Tres similitudines, quibus declaratur amentia ab adultera pressum. ET QVASI AGNVS LASCIVIENS, ET IGNORANS, QVOD AD VINCVLA STVLTVS TRAHATVR. Iuxta Hebræum habetur: *Et tanquàm ira tintinnabulum ad castigationem stulti.* Tres similitudines afferuntur ad declarandum modum, quo iuuenis iste vadit post adulteram mulierem. Prima est bouis euntis ad macellum: & per hanc manifestatur modus, quo à muliere non tam ducitur, quàm trahitur ad mortem animæ. Secunda est hominis insanientis, cui alligatur tintinnabulum in pede; & sic ducitur ad locum, vbi castigantur fatui; & per hanc manifestatur, quòd tanquàm cum festiuitate iuuenis ducitur ad ignominiam fatuorum: & rursus quòd macellum eius non tollit vno ictu vitam; sed est assidua mors, velut castigatio fatuorum. Tertia autem similitudo subiungitur auis festinantis ad laqueum, ignorando, quòd contra vitam suam festinat: & per hanc manifestatur initium spontaneæ ambulationis, per quam adolescens incidit in laqueum mulieris; ignorando, quòd contra vitam sui animi ambulat. Omnis enim malus, ignorans; &, vt inferiùs scribitur: *Errant omnes, qui operantur malum.* Verùm inter secundam, & tertiam interponitur hæc clausula:

DONEC TRANSFIGAT SAGITTA IECVR EIVS, &c. Secundùm enim sententiarum ordinem, hæc clausula in fine omnium similitudinum intelligenda est, quoniam significat, tamdiu iuuenem assimilari aui, boui, & insanienti, quandiu sagitta amoris scindit illius iecur, in quo Philosophi concupiscibilem animæ partem collocarunt. Potest quoque contraria intelligi sententia, videlicet, quòd iuuenis assimilatur istis, quandiu habet iecur non scissum sagitta resipiscentiæ; sed ex integro concupiscens. Dictio enim interpretata, *transfigat*, iuxta Hebraïcam veritatem interpretanda esset, *scindet*. Resipiscentia enim scindit cupidinem, & auertit animum ab amore adulteræ: & quia causatur huiusmodi resipiscentia ex aliquo nocumento, vel ex aliquo tristi, aut turpi superueniente; ideò appellatur sagitta scindens iecur. Quandoque enim diuturnus adulter, ex aliqua superueniente ignominia, vel ex aliquo nocumento notabili in persona, vel in rebus, tanquàm ex sagitta scinditur quoad amorem, & resipiscit: *Vexatio namque dat intellectum.* Et hic sensus pro germano amplectendus est. Vers. 23. *Quibus resipiscimus.* *Isai. 28. 19.*

NVNC ERGO, FILI, &c. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et nunc, filij, audite me.* Vicissitudo pluralis, vel singularis testatur, quòd (vt dictum est) iuuenes omnes monet, vt filios. Vers. 24.

NE ABSTRAHATVR, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Non declinabit ad vias eius cor tuum, & non decipieris in viis illius.* Quia initium peccandi est declinare in vias ducentes ad locum adulteræ; ideò monet pater filios, vt principiis obstent, vt cor non declinet in vias adulteræ; & sic euitabunt fallacias viarum, hoc est, operum illarum. Vers. 25.

MVLTOS ENIM VVLNERATOS, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Quia multos occisos fecit cadere, & fortes omnes occisi ab ea.* Particula prima clara est. Libido siquidem carnalis fecit cadere multos, sic quòd fuerunt occisi. Sed particula secunda quæstione non caret: quia nec occisos omnes propter libidinem fuisse fortes, nec fortes omnes occisos fuisse per libidinem verificatur. Solutio est, quòd cùm dicitur, fortes omnes fuisse occisos propter mulieres, non est sensus, quòd singuli fortes fuerint sic occisi; sed quòd genera omnia fortium hominum fuerunt sic occisa: est enim distributio pro generibus singulorum, & non pro singulis generum: & Vers. 26. *Quæstio.* *Solutio.*

adiecit

adiecit hoc Salomon, ne iuuenes confiderent in viribus suis.

Vers. 27 VIÆ INFERI, DOMVS EIVS. Dictio interpretata, *Inferi*, interpretanda esset, *fouea*. Et directè redditur ratio occisorum propter adulterium, ex hoc, quòd domus adulteræ nil aliud est, quàm via ad foueam sepulcri. Et de eisdem viis subiungitur:

Adultera domus.

PENETRANTES IN INTERIORA MORTIS. Quod clariùs Hebraicè scribitur, *Descendentes ad cubicula mortis.* Multæ sunt viæ ad mortem ex adulterio, iuxta multitudinem modorum, quibus contingit occidi adulteros: & sunt tales, quòd cùm credunt ducere ad cubicula delectationis, deducendo ab intento, ducunt ad cubicula mortis.

CAPVT VIII.

Vers. 1. NONNE SAPIENTIA CLAMITAT. Dictio interpretata clamitat, interpretanda esset, *vocabit*. Quod autem sequitur:

ET PRVDENTIA DAT VOCEM SVAM. Iuxta Hebræum habetur: *Et intelligentia dabit vocem suam.* Quia in præcedentibus introduxerat Salomon mulierem procacem, inuitantem iuuenes ad libidinem sermone blando & petulanti; ideò consequenter introducit sapientiam inuitantem homines ad virtutem. Ad demonstrandum itaque, quòd non minùs inuitantur homines à sapientia, quàm à muliere mala, adæquat sapientiam mulieri malæ quoad hoc, videlicet, quòd etiam ipsa sapientia vocat: & similiter intelligentia perseuerat dando vocem suam. Est autem vocare, excitare, atque vertere vocatos, ad audiendum loquentem sapientiam: quemadmodum vocans voce sensibili excitat, & conuertit vocatum ad audiendum loquentem. Introducit autem primam sapientiam, quatenus est in hominibus, vocantem alios: deinde sapientiam, quatenus est in diuina mente, loquentem.

Sapientia inuitat.

Vocare Hebræi sapientiam, recte in usum boni intelligunt.

Vers. 2. & 3. IN SVMMIS, &c. Iuxta Hebræum habetur: *In capite excelsiorum super viam, domo semitarum stetit, in manu portarum ad os ciuitatis, in ingressu portarum vocabunt.* Ad instar personæ ex diuersis locis vocantis, videlicet, ex loco excelso supra viam sito, ac frequentato, & ex loco portæ ciuitatis, vbi conueniebant olim Primates, &c. probat simul, & manifestat ex locis, quòd sapientia, & intelligentia vocant: & affert duo loca, in quibus sapientia vocat.

Primus locus est, caput excelsorũ supra viam: caput, inquam, quod est domus semitarum. In huiusmodi capite sterit sapientia. & si Hebraica veritas reddenda est, oportet fingere participium præteriti, *stetit*: significatur enim, quòd constituta est stans. Hinc enim elicitur clarior sensus, quòd caput diuinæ legis describitur, in quo constituta est sapientia stans: est autem diuinæ legis caput amor, ac timor vnius summi Dei, vt patet Deut. 6. Est enim huiusmodi amor, caput excelsorum præceptorum super viam humanæ vitæ: est & domus semitarum omnium humanorum studiorum. Nam & ad eam terminantur omnes humanæ viæ, & ex ea incipiunt omnia humana opera; est & in quo constituta est à Deo sapientia stans, non cadens, non declinans. Et ex hoc itaque, quòd sapientia stat in capite legis, mani-

Diuinæ legis caput, amor, timor.

[illegible]festatur, quòd inde (hoc est, ex lege) ex legis [illegible] summitate excitat homines.

Alter locus est manus portarum ad os ciuitatis; manus, inquam, qui ingressus est portarum. [illegible] Iusti Iudices, ac Gubernatores ciuitatum optimi describuntur: manus enim portarum, opus [illegible]lentium in portis Iudicium significat ad os ciuitatis, hoc est, ad officium oris publici, sic quòd [illegible] inuitans homines ad frequentandum ingressum portarum ciuitatis pro iudicio, & iustitia: etenim [illegible] ibus enim iustis Gubernatoribus frequentant homines locum iudicij. Non solùm itaque ex lege, sed ex operibus iudicij, & iustitiæ Gubernatorum ciuitatis sapientia vocat homines. Minis [illegible]tica, quia Litera sonat, quòd sapientia, & intelligentia cantabunt, non vocabunt submissa voce, sed perseuerant vocantes alta, ac modulata voce, [illegible] cantantes. Nihil enim efficacius ac [illegible] excitat homines ad virtutes, quàm sapientia operibus comprobata Optimatum, qui gubernant ciuitatem.

O VIRI, AD VOS CLAMITO. Iuxta Hebræum habetur: *Ad vos viri vocabo, & vox mea ad filios hominis.* Manifestato vocante, & vnde vocat, manifestantur vocati, videlicet, homines; & principaliter quidem viri, generaliter autem vniuersum genus humanum ad comprehendendum etiam mulieres, & ad excludendum irrationabilia animalia.

INTELLIGITE, PARVVLI, ASTVTIAM; ET INSIPIENTES, ANIMADVERTITE. Iuxta Hebræum habetur: *Intelligite, simplices, ingenium; & stulti, intelligite cor.* Incipit sapientia proponere ea, ad quæ excitat: excitat autem primùm homines ad cognoscendum seipsos. Nam idem est hominem penetrare notitia vtramque sui partem internam, (videlicet, ingenium, & cor.) & nosse seipsum. Ingenium enim sonat partem, qua cognoscimus, cor verò, partem, qua appetimus, & vniuersa opera inchoamus. Appellatione verò simplicium intelliguntur (vt priùs dictum fuit) homines modici iudicij: & talem verò imprudenter operantes. Per hæc [illegible] duo genera comprehenduntur omnes non sapientes.

AVDITE, QVONIAM DE REBVS MAGNIS LOQVVTVRA SVM. Iuxta Hebræum habetur: *Audite, quia extractiones loquar, & apertio labiorum meorum rectitudines.* Postquàm proposuit, quòd homo intelligat, quid, quantum [illegible] est tam ingenium quàm cor humanum, consequenter magis excitando proponit, quòd dicta [illegible] est ea, quæ maximè perficiunt, tam ingenium [illegible] quàm cor hominis: pro perfectione ingenij [illegible] respondet, quòd loquetur extractiones, hoc est, e[illegible] quæ homines latent, quæ indigent extractione [illegible] vt educantur in lucem humani ingenij, qualia sunt diuina opera. Pro perfectione verò cordis [illegible] aperiet os suum ad loquendum rectitudines [illegible] motuum, & operum.

Vers. 7 VERITATEM MEDITABITVR GVTTVR MEVM. In Hebræo habetur: *Quia veritatem meditabitur palatum meum; & abominatio labiorum meorum, impietas.* Ne putares, quæ [illegible] mysteria proferenda, essent figmenta, explanat, & quòd veritatem meditatam loquetur [illegible] similiter ne suspicareris, quòd rectitudines [illegible] essent rectitudines fictæ, manifestat [illegible] quòd omnis impietas erit abominatio labio[illegible] eius.

Vers. 8. IVSTI SVNT OMNES SERMONES [illegible]. Parui refert,

refert, quòd Hebraïcè habetur: *In iuſtitia omnia dicta oris mei.* Quia non ſufficit ad rectitudinem abominari malum; ſed oportet adeſſe bonum, ideò abominationi impietatis adiungit iuſtitiam, non quorundam, ſed omnium dictorum eius. Et ad maiorem claritatem iuſtitiæ ſubiungit:

NON EST IN EIS PRAVVM QVID, ET PERVERSVM. Dictiones Hebraïcæ interpretatæ prauum, & peruerſum, ambæ ſonant tortum: differunt autem inter ſe, quòd prima ſonat valde tortum; altera verò tortum: ſæpè enim Hebraica lingua præponit maius minori. Quoniam itaque iuſtitia conſiſtit in æqualitate, cui opponitur quomodolibet tortum; ideò ad excludendum omne tortuoſum à ſermonibus ſapientiæ, negatur non ſolùm valde tortum: ſed etiam parum tortum: ſicut paulò antè affirmando veritatem meditatam, excluſa eſt non ſolùm falſitas; ſed etiam præcipitatio à ſermone ſapientiæ. Per hæc enim diſcimus, quòd nullus ſermo falſus, aut præceps, valdè, aut parum tortuoſum proficiſcitur à ſapientia in quocunque homine.

Verſ.9. *Sermo ſapientia qualis.* RECTI SVNT INTELLIGENTIBVS. Parui refert, quòd Hebraice habetur: *Omnes ipſi recti intelligenti, & rectis inuentoribus ſcire.* Quoniam apud diuerſas nationes variatur iudicium recti, iuxta diuerſas conſuetudines, leges, ſeu animi paſſiones, (Germani enim furti vitium olim ignorabant, Aſſyrij inceſtum non abominabantur, apud Romanos diuortia non ſolùm licita; ſed ſancta habebantur, &c.) *Recti iudicium varia.* ideò ad huiuſmodi omnia inſana iudicia excludenda dicit ſapientia, quòd ſermones ſui omnes ſunt recti, apud vigentes intellectu, & inquiſitoribus ſcientiæ, (hoc eſt, notitiæ certæ,) ita quòd perueniunt ad inuentionem ipſius ſcire: tales enim habent iudicium mundum à paſſionibus, & purum ab admixtione errorum.

Verſ.10. ACCIPITE DISCIPLINAM MEAM. Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Accipite eruditionem meam, & non argentum, & ſcire plusquam aurum electum.* Propoſitis his, ad quæ excitat, proponit conſequenter, quàm pretioſa ſunt: proponit autem relatiuè ad res pretioſas, argentum, aurum, margaritas, & id genus reliqua. Nam ſubiungit:

Verſ.11. MELIOR EST SAPIENTIA CVNCTIS OPIBVS PRETIOSISSIMIS. Ad paraphraſim ſpectant tres vltimæ dictiones: nam Hebraicè vnica tantùm dictio habetur interpretata, *Margaritis.* Et adiungitur omne deſiderabile præſentis vitæ, bonum, ſiue vtile, ſiue delectabile: nam honeſtum claudi in ſapientia reſtantur ſubiuncta:

Verſ.12. EGO SAPIENTIA HABITO IN CONSILIIS, ET ERVDITIS INTERSVM COGITATIONIBVS. Iuxta Hebræum habetur: *Ego ſapientia habitaculum ingenium, & ſcire cogitationum inueniam.* Poſtquàm ſapientia propoſuit ea, ad quæ excitat, & pretioſitatem eorum; conſequenter manifeſtat, habere ſe illa: minùs dico, quia manifeſtat diuitias ſuas, explicando per partes ea, quæ ſummariè propoſuit. *Diuitiæ ſapientiæ.* Et inchoando ab illis, quæ perficiunt intellectum, dicit, habitaculum ſuum eſſe ingenium; intentionem verò ſuam eſſe ſcire cogitationum. Et dum primum in præterito, ſecundum verò in futuro ſcribit, docet, quòd ſapientia priùs habitat in ingenio: & deinde extendit ſe ad inueniendum ſcire in multis meditationibus: & eſt ſermo de cogitationibus circa ſingularia occurrentia in diuerſis eligendis, vel reſpuendis, agendis, vel omittendis, &c. Sapientia enim in viro ingenioſo inuenit ſcire (hoc eſt, certam notitiam) iſtarum cogitationum, ducendo cogitationes varias ad certam notitiam eligendorum, ac agendorum, conferendo cogitationes inter ſe, & ad rectitudinem; ita quòd inuentio prouenit ex ingenio habitato à ſapientia.

Verſ.13. TIMOR DOMINI ODIT MALVM. Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Timor Iehouah odio habere malum, ſuperbiam, & ſuperbum, & viam mali, & os verſutiarum odiui.* Poſt pertinentia ad intellectum, ſubiungit conſequenter pertinentia ad voluntatem. Et & eſt ordo literæ: quia timor Iehouah eſt odio habere malum; ideò ego ſapientia, cuius principium eſt timor Iehouah, odiui, & ſuperbiam, & ſuperbum, & viam mali, & os vertens nigrum in candida: hæc enim omnia mala ſunt. Et ſuperbia quidem malum eſt animi; os verò verſutiarum, malum eſt ſermonis; viam verò mali ſignificat malum operis. Meminit autem non ſolùm ſuperbiæ, ſed ſuperbi; ad inſinuandum, quòd etiam ipſe homo ratione ſuæ ſuperbiæ dignus eſt odio.

Verſ.14. MEVM EST CONSILIVM, ET ÆQVITAS Iuxta Hebræum habetur: *Mihi conſilium, & ſtatutum.* Ius poſitiuum appellatur ſtatutum, & inter ſapientiæ diuitias ſupputantur iura poſitiua, quæ verè ſunt poſitiua, non corruptiones virium: & ſimiliter conſilia, non corruptiones conſiliorum. *Non eſt dictio, eſcha, ſeu coch, ſed thuſciah, ſonans eſſentiam, ſapientiam, legemque videtur denominari ab eſſe, hoc eſt, à rebus.* *Iura poſitiua, non autem corruptiones inter ſapientiæ diuitias computantur.*

MEA EST PRVDENTIA, MEA EST FORTITVDO. Iuxta Hebræum habetur: *Ego intelligentia, mihi potentia.* Quia, vt ſuprà ſcripta ſæpè reſtantur, ſapere inſeparabile eſt ab intelligere; ideò ſapientia ait: *Ego ſum intelligentia.* vt ſic omnis perfectio intellectus ad rectè viuendum, comprehenſa in ſapientia intelligatur. Quòd autem ſubditur: *Mihi potentia.* initium eſt ſubiunctarum particularum. Gloriatur autem ſapientia, quòd ſua eſt potentia, non ea ſolùm ratione, quia ſapientiæ debetur potentia (deberent enim ſoli ſapientes poſſe ſuper alios;) ſed præcipuè, quia ex ſapientia ſuapte natura oritur potentia, vnde Phyſici dicunt, quòd homines vigentes ingenio naturaliter ſunt domini aliorum. *Sapiens naturaliter potens eſt.*

Verſ.15. PER ME REGES REGNANT. Parui refert, quòd Hebraïcè ſcribitur: *In me Reges regnabunt.* Regnabunt, inquit, non corrumpent regna: vertentes enim regnum in tyrannidem, & abutentes regno non regnant; ſed corrumpunt regna: ſola autem ſapientia eſt ratio regnandi, hoc eſt, rectè vtendi dignitate & poteſtate regia. *Soli ſapientes, Reges.*

ET CONDITORES LEGVM IVSTA DECERNVNT. Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Et Principes ſculpent iuſtitiam.* Ad inſtar ſculptorum decernentes iuſtitiam in ſcriptis, ſignificantur, eò quòd firmam, ac ſtabilem reddunt ſcribendo, ſicut ſculpentes.

Verſ.16. *Propriè Principes principabunt.* PER ME PRINCIPES IMPERANT, ET POTENTES DECERNVNT IVSTITIAM. Iuxta Hebræum habetur: *In me domini dominabuntur, & nobiles omnes Iudices terræ.* Quod diximus de regnare, intellige quoque de dominari, videlicet, vt diſtinguitur contra corruptionem dominij. Quòd autem ſubditur: *Et nobiles omnes Iudices terræ.* ſignificat, quòd ſapientia efficit, vt nobiles ſoli aſſumantur ad iudicandum terram: *Quare nobiles iudicant.*

hoc

hoc enim spectat ad authoritatem Iudicum: nam, cùm viles sunt Iudices, iudicium redditur contemptibile.

Vers. 17. EGO DILIGENTES ME DILIGO. Legendum est, *diligam*, hoc est, perseuerabo diligendo. Enumeratis siquidem bonis, quæ habet sapientia, consequenter manifestat, quibus communicat illa, & primùm explicat amicos dicendo: *Ego diligentes me diligam*. Deinde inquisitores eius dicendo:

Qui habeant bona sua sapientia communicat.

ET QVI MANE VIGILAVERINT AD ME, INVENIENT ME. Hebraicè tamen breuiùs dicitur: *Et inquisitores mei inuenient me*. Ne errares putando, quòd sufficit diligere sapientiam, adiunxit, quòd oportet ipsam ab homine inquiri ad hoc, vt inueniatur, & habeatur.

Vers. 18. MECVM SVNT DIVITIÆ, ET GLORIA, OPES SVPERBÆ, ET IVSTITIA. Iuxta Hebræum habetur: *Diuitiæ, & honor mecum: substantia multa, & iustitia*. Prænumeratis propriis sapientiæ bonis, adiectitia bona subiunguntur: qualia sunt bona fortunæ: comitata tamen iustitia. Sapientia enim confert etiam hæc bona; sed non per fas, & nefas; sed iustitia concomitante.

Sapientia sapientia confert etiam bona fortunæ.

Vers. 19. MELIOR EST FRVCTVS MEVS AVRO, ET LAPIDE PRETIOSO. Dictio interpretata, *lapide pretioso*, sonat *aurum*, ita quòd geminatur *aurum*: ac si apertius dixisset; Melior est fructus meus auro quolibet, & quantocunque. Paulò antè siquidem dixerat de seipsa: *Melior est sapientia*. & modo dicit: *Melior est fructus meus*, vt discamus, quòd non solùm ipsa; sed etiam fructus eius, qui ex ipsa nascitur, præstat cunctis opibus.

ET GENIMINA MEA ARGENTO ELECTO. Dictio interpretata, *genimina*, sonat prouentum omnium ex frugibus terræ: ad instar enim, tam arborum fructificantium, quàm segetum proferentium fruges, describit effectus suos sapientia, præponendo illas omnibus fortunæ bonis.

Vers. 20. IN VIIS IVSTITIÆ AMBVLO. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *In via iustitiæ ibo: in medio semitarum iudicij*. Ne putares deficere sapientiæ huiusmodi bona corporalia, pro eo, quod comitem habet iustitiam, (abundant enim tabernacula prædonum,) manifestat sapientia, quòd indefessè ibat ipsa per viam iustitiæ, & non declinando ad aliquod extremorum, pergit semper per medium iudicij. Ius enim, & iustitia in medio consistunt.

Vers. 21. VT DITEM DILIGENTES ME, ET THESAVROS EORVM REPLEAM. Manca est littera: nam Hebraicè habetur: *Ad faciendum hæreditare diligentes me est: & thesauros eorum implebo*. Et est sensus: Euntem me sapientiam per viam iustitiæ, & iudicij, est apud me, quod sufficit diligentibus me pro hæreditate, & thesauros quoque eorum implebo. Et hinc habetur, quòd diligentes sapientiam non solùm consequuntur plenitudinem, & thesaurum temporalium bonorum; sed etiam quòd hæreditario iure bona eiusmodi consequuntur. Hæc vera, tam honor, quàm opes, & id genus reliqua, sapientibus debentur tanquàm hæredibus sapientiæ, quamuis quasi per errorem bona hæc ab iniustis sæpe de facto possideantur. Et tu, prudens lector, considerabis, quòd hæc sapientiæ verba verificantur dupliciter. Primùm, ex parte sufficientiæ ipsius sapientiæ: quia, videlicet, perseuerans in iustitia sufficiens est ad communicandum hæc temporalia bona diligentibus eam: & hinc sequitur

Hæreditario iure naturaliter sapientibus debentur.

Tempora ... sapientiæ.

præsefert litera. Deinde, quòd loquitur tempore legis Mosaïcæ promittentis bona temporalia populo perseueranti in iustitia, quod euentus verificauit, vt patet legenti historiales libros sacræ Scripturæ.

Vers. 22. DOMINVS POSSEDIT ME IN INITIO VIARVM SVARVM. Iuxta Hebræum habetur: *Iehouah acquisiuit me principium viæ suæ*. Eleua, prudens lector, mentem: quoniam non moralia, sed spectabilia valdè traduntur. Sapientia enim, postquàm pinxit seipsam, quatenus habitat in hominibus, volat ascendendo ad describendum seipsam, quatenus est apud Deum ratio diuinorum operum: analogicè siquidem dicitur sapientia de sapientia humana, & sapientia diuina. Cerne ordinem. Postquàm è regione impudicæ mulieris occurrentis, blandoque sermone inuitantis iuuenes, pinxit sapientiam habitantem in hominibus sapientibus, vocantem, & inuitantem alios ad virtutem; modò consequenter è regione impudicæ mulieris, quæ iactauerat se vouisse Deo, & exauditam à Deo, introducit sapientiam narrantem coniunctionem suam cum summo Deo. De sapientia autem diuina loqui possumus dupliciter: vel absolutè; & sic non verificatur, quòd est acquisita à Deo; quoniam essentia Dei est sapientia sua, & nulla interuenit acquisitio inter essentiam, & sapientiam: vel, vt est determinata ad opera Dei facienda; & sic sapientia est acquisita à Deo, mediante electione diuina; non enim naturaliter, sed ex electione diuina determinauit Deus sapientiam suam ad hoc, vt esset ratio eorum, quæ fecit, facit, & faciet.

Quomodo sapientia habeat ...

Si hæc non penetras, reuoca ad memoriam differentiam 9. Meth. scriptam inter potentiam naturalem, & potentiam rationalem: quòd illa est ex seipsa determinata ad vnum, (vt calor ad calefaciendum, & frigus ad frigefaciendum:) potentia autem rationalis potest efficere opposita: sicut ars Medicinæ potest, & sanare, & ægritudinem inducere: & ars fabrilis potest opificium, & pulchrum, & turpe efficere: & nisi determinetur ab electione Medici, seu fabri, nunquam aliquid operabitur, neutrius oppositorum erit principium. Sic sapientia diuina nullius esset operis principium, nisi ab electione ipsius Dei determinata esset ad hoc, quòd sit principium, & ratio bonum, & illorum operum. Sapientia itaque, sed quatenus principium vniuersi, non absolutè, dicit de seipsa: *Iehouah acquisiuit me principium viæ suæ*. hoc est, operis sui vniuersi, operis diuini. Vide, quantum refert habere textum correctum iuxta Hebraicam veritatem.

ANTEQVAM QVICQVAM FACERET A PRINCIPIO. Iuxta Hebræum habetur: *... opera sua ex tunc*. Dixerat, se acquisitam à summo Deo; incipit declarare, quando fuit acquisita ab ipso Deo dicens: *Ante opera sua ex tunc*. hoc est, ex illo ante opera sua, ex quo fuit ... ante opera sua. Et per hoc declarat duo mysteria. Alterum est diuinitatis suæ: ex hoc enim, quòd ante opera Dei acquisita est à Deo sapientia, habetur, quòd ipsa sapientia non est opus Dei, ac per hoc non est creatura; sed creaturæ omnis principium, vt dictum est: & verè sic est, quoniam sapientia determinata diuina electione ad hoc, quòd sit principium diuinorum operum, vna & eadem res est cum diuina essentia. Alterum

Duo mysteria sapientiæ.

Quid sit esse acquisitam ex tunc.

rum æternitatis, dicendo, *ex tunc*: nisi enim ab æterno acquisita esset, nequaquam verificaretur, quòd ex tunc, demonstrando ante opera Dei acquisita est. Quod vt penetres, finge huiusmodi acquisitionem non ab æterno, sed ante creationem mundi per annos mille imaginarios: & videbis, quòd de huiusmodi acquisitione non verificatur, quòd ex tunc (demonstrando opera Dei) fuit; nam ante illos mille annos imaginarios præcessit ab æterno ante opera Dei, & ex tunc non erat acquisita: erat enim illud tunc, & non erat acquisitio. Ad docendum itaque, quòd nunquam fuit tunc demonstrans ante opera Dei, quin fuerit sapientia acquisita à Deo, adiunxit, *ex tunc*.

Ex tunc, dominata sum, regnaui.

Vers. 23.

AB ÆTERNO ORDINATA SVM, ET EX ANTIQVIS, ANTEQVAM TERRA FIERET. Iuxta Hebræum habetur; *A semper fui dominata à capite ante terram.* Postquàm sapientia, quatenus principium omnium operum Dei, dixit se à Deo acquisitam esse, & quando, (scilicet, ab æterno:) consequenter adiungit, qualis fuit ab æterno ante diuina opera dicendo: *Et semper dominata sum.* Sed statim occurrit quæstio, quomodo verificatur, quòd sapientia ab æterno dominata est, nullo existente seruo; quum dominus intelligi non possit sine seruo? Solutio est, quòd, quamuis ab æterno non fuerit seruus, cui dominaretur sapientia, & propterea non erat relatio dominij in sapientia: erat tamen in sapientia tam potestas dominij, quàm actio dominandi. In dominante enim inueniuntur tria: videlicet, potestas, actio, & relatio, quorum vltimum conuenit Deo, non ab æterno, sed ex tempore, quo fuit creatura aliqua: alia verò duo conueniunt diuinæ sapientiæ ab æterno. Et de potestate quidem facile est intelligere: de actione verò dominandi difficile est. Exercitati tamen in Metaphysica intelligunt, quòd omnis actio diuina est in actu ab æterno: itaque actiua creatio, gubernatio, dominatio, in Deo est in actu ab æterno. Et ratio est: quoniam, si aliqua actio diuina non esset actu ab æterno, adueniret Deo de nouo, & mutaretur Deus de otio ad agendum, quod est omninò impossibile: quia Deus est actus purus, ac per hoc alienus ab omni specie mutationis. Sapientia itaque diuina dicit, verum manifestando, quòd *à semper dominata sum*: quatenus ab æterno habuit actualiter actionẽ dominandi, quamuis non esset tunc, quæ seruiret creatura: sicut & habuit actionem creandi, quamuis nulla tunc fieret creatura.

Est nominatiuus plenè in regimine, ita quòd sequens dictio est genitiui, ab initiis terræ.

Quæstio.

Solutio. Tria inueniuntur in dominante.

Omnis actio diuina est in actu ab æterno.

Causarum duplex genus.

At si ex Metaphysica obiicitur, quòd causa in actu exigit effectum in actu, respondendum est, causarum duplex esse genus; alterum, naturale; alterum, à proposito, vt in eadem Metaphysica traditur. Et differunt etiam penes hoc, quòd causa naturalis in actu, ponit effectum suum in actu coæuum sibi, quatenus est in illo actu: calefaciens enim infert calefieri coæuum calefactioni, & sic de aliis: causa autem à proposito in actu, non infert fieri coæuum actioni: sed, si efficax est, infert fieri tempore decreto ab ipsa causa à proposito. Verbi gratia. Medicus decreuit hodie, potionem exhibendam ægrotanti hora matutina: & si vires artis existentis in mente Medici cum tali decreto essent per seipsas sufficienter efficaces ad potionem matutinam inferendam absque ministro, & instrumento, tam coniuncto (vt est manus,) quàm separato, (vt sunt instrumenta aromatariorum,) causa fuisset in actu hodie, & effectus eius foret in actu non hodie; sed cras hora matutina. Si enim istis adiunxeris, quòd Deus est agens à proposito, & virtutis efficacissimæ, & quòd decreuit creaturas fieri, non ab æterno, sed in tempore; percipies, quòd Deus est causa in actu ab æterno, & effectus eius non est in actu ab æterno, sed in tempore decreto à diuina sapientia. Qui potest capere, capiat.

Ait ergo: *A semper dominata sum.* quoad actionem dominandi, & ad hoc amplius manifestandum subiungit: *A capite ante terram.* Semper enim sonat distributionem omnis temporis: ab æterno autem ante terram nullum fuit tempus secundùm rem; sed imaginario tempore vtendo dicimus, *ante terram.* Ne itaque errares intelligendo, *à semper*, hoc est, ab omni tempore, adiungit explanando, *à capite ante terram*; hoc est, à capite æternitatis, quæ est duratio ante terram, hoc est, mundum: terra enim est centrum mundi; & propterea idem est dicere, *ante terram*, & ante mundum. Nec mireris, nouitie, quòd vtamur tempore imaginario, vt intelligamur à discentibus: nam eadem ratione Philosophi vtuntur situ imaginario, quum dicunt: *Extra cælum nihil est, nec locus, nec vacuum*, &c. Præpositio enim, *extra*, non demonstrat situm realem, qui nullus est; sed situm imaginarium.

Tempus imaginarium.

Situs imaginarius, apud Philosophos.

Vers. 24.

NONDVM ERANT ABYSSI, ET EGO IAM CONCEPTA ERAM: NECDVM FONTES AQVARVM ERVPERANT. Iuxta Hebræum habetur: *In non abyssis fui parturita: in non fontibus aggrauationibus aquarum.* Et est sensus, quòd non existentibus fontibus, vnde incrementa magna aquarum proueniunt, nec existentibus abyssis (hoc est, immensis profunditatibus aquarum) fuit genita sapientia. Prosequitur enim manifestando modum, quo acquisita est à summo Deo: & simul per negationes manifestat, quod dixerat affirmatiuè; videlicet, *ante terram*, hoc enim manifestat per negationem abyssorum, fontium, & montium. Per metaphoram verò partus manifestat, quòd non est à Deo acquisita ab extrinsecis exemplaribus, seu obiectis contemplatis; sed ex intimis diuinæ mentis, diuinæque voluntatis acquisita est, quemadmodum proles ex intimis matris prodiens acquiritur matri: vnde & Eua, quum peperit primogenitum suum Caïn dixit: *Acquisiui hominem.*

Parta sum, vna dictione.

Vers. 25.

NECDVM MONTES GRAVI MOLE CONSTITERANT. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *In adhuc non montes fuerunt fundati: ante colles fui parturita.* Sententia patet ex antedictis.

Antequam, vna dictione: Antequam montes fixi sunt.

Vers. 26.

ADHVC TERRAM NON FECERAT: ET FLVMINA, ET CARDINES ORBIS TERRÆ. Iuxta Hebræum habetur: *Vsque non fecit terram, & plateas: & caput puluerum orbis habitati.* Ad excludendum omnem ambiguitatem, explicat sapientia suam æternitatem; clarè narrando, quòd partus eius fuit, non aliquo tempore ante terram; sed tota duratione mensurante non facere terrã: hoc enim significatur adiungẽdo, *vsque non facere terrã*: & est sermo de facere terrã in effectu. *Platearũ* autẽ nomine intelligitur planities: meminerat enim montiũ, & collium tacendo planities. Quòd autẽ subditur: *Et caput pulueris habitabilis*, spectat ad id, quod in Genesi scriptũ est de derelictione terræ ab aquis. Terra siquidem habitabilis est ex hoc, quòd eleuata est secundùm aliquas sui partes super aquas: & hîc emerserunt pulueres in

Parta sum, vna dictione. Orbis, est theuel. Habitati, non habetur expressè.

Terra habitabilis.

Aditus sapientiæ. Audite eruditionem. ac si apertiùs dixisset: Audite, nec est audire eruditionem. Audire autem eruditionem sic, vt fiatis sapientes, & non per vnam aurem ingrediatur, & per alteram exeat: hoc enim significatur dicendo: *Et non vertetis in contrarium* fructus sapientiæ.

Vers. 34. BEATVS HOMO, QVI AVDIT ME. Dixerat beatos custodientes vias eius, per quas diuina sapientia venit ad homines: adiungit, beatum fore audientem eam ad perseuerandum iuxta fores eius: Hebraicè enim subiungitur, non, vt volgata editio habet:

ET QVI VIGILAT AD FORES MEAS QVOTIDIE. sed, *Ad perseuerandum iuxta fores meas die die.* Vbi manifestè significatur, beatum esse hominem sapientiam audientem: ad hoc, videlicet, ad perseuerandum de die in diem iuxta fores sapientiæ. Propinquiores sunt isti sapientiæ, quàm curam habentes viarum sapientiæ: isti enim iuxta fores, illi iuxta vias. *Fores sapientiæ effectus eius sunt.* Ostia autem diuinæ sapientiæ, effectus sunt illius, per quos intellectos quasi per ostia aperta, conspicitur ab humanis mentibus sapientia diuina. Perseuerantes itaque indefessè circa intelligentiam effectuum diuinæ sapientiæ, describuntur beati.

Postes sapientiæ sunt Doctores. ET OBSERVAT AD POSTES OSTII MEI. Iuxta Hebræum habetur. *Ad custodiendum postes ostiorum meorum.* Postes ostiorum sapientiæ, sunt Doctores sustinentes ostia, hoc est, effectus, quatenus reuelatos, & cognitos: sustinentes autem doctrina, vel saltem pura exemplari vita.

Vers. 35. QVI ME INVENERIT, INVENIAT VITAM. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Quia inuentor mei inuenit vitam.* Rationem reddit tractæ vigilantiæ ex fructu: quia inuentor sapientiæ iam inuenit vitam animi.

Vers. 36. ET HAVRIET SALVTEM A DOMINO. Iuxta Hebræum habetur: *Et eduxit voluntatem a Iehouah.* Hoc est: Et eduxit à summo Deo, quod voluit, intellige, *impetrando.*

Prima pœna relinquentium sapientiam. QVI AVTEM IN ME PECCAVERIT, LÆDET ANIMAM SVAM. Dictio interpretata, *lædet*, sonat potiùs, *torquebit.* Post præmia obsequentiū sapientiæ, apponuntur pœnæ peccantium contra sapientiam diuinam. Quarum prima est contra seipsos: torquent enim vitam animi proprij: nonnullum enim tormentum est animi, repleri contrariis, qualia sunt peccata: naturaliter enim habet animus virtutum, non vitiorum semina.

Secunda pœna. OMNES, QVI ME ODERVNT, DILIGVNT MORTEM. Ecce altera pœna, & iuxta Hebræum præteriti temporis est, *diligunt.* Dilexerunt enim osores sapientiæ non solùm tenebras magis, quàm lucem; sed etiam mortem animæ plusquàm vitam. Et hic finitur octauum capitulum.

CAPVT IX.

Vers. 1. SAPIENTIA ÆDIFICAVIT SIBI DOMVM. Iuxta Hebræum habetur: *Sapientiæ ædificauit domum suam.* Discordat nominatiuus cum verbo: *sapientiæ*, enim nominatiui est pluralis; *ædificauit* verò numeri est singularis: sed non est hoc rarum in Hebraica phrasi. De *Eadem sapientia diuersè diuersa sapiunt.* diuina siquidem sapientia secundùm multas illius participationes in hominibus est sermo: aliud est enim sapere vitæ contemplatiuæ, aliud vitæ actiuæ, aliud Pastorum, aliud Eremitarum, aliud virginum, aliud coniugatorum. In præcedenti siquidem capitulo introduxit Salomon sapientiam, quatenus habitat in hominibus: deinde introduxit sapientiam, quatenus est in Deo principium omnium: nunc consequenter coniunctionem humanæ sapientiæ cum diuina manifestare intendit. Et quia diuina sapientia in seipsa vnica multis participationibus communicat se hominibus; ideò ad insinuandum participationes multas, scripsit, *sapientiæ*, in numero plurali: & ad insinuandum vnitatem diuinæ sapientiæ participatæ, tanquàm principalis agentis, dixit, *ædificauit*, in numero singulari. Et est sensus: Sapientia diuina per multas ipsius participationes ædificauit domum suam. *Multiplex participatio sapientiæ.* Vt autem elucescat intentio huius capituli, aduerte, quòd in præcedentibus Salomon introduxit mulierem impudicam, & sapientiam, tum in hominibus, tum in Deo: ex altera parte vocantes homines illam ad libidinem, istas ad virtutem: in hoc autem capitulo intendit Salomon manifestare differentiam inter istas simul iunctas, & illam: tum quoad modum vocandi homines: tum quoad id, ad quod vocantur: tum quoad vocatos. Simulque manifestans, quòd exempli causa introduxit mulierem impudicam, exponendo, quid intendit per illam. Hæc est huius capituli intentio. *Intentio capituli.* Ad magnificandum itaque inuitandi modum, narrat primùm, quòd diuina sapientia mediis eius participationibus ædificauit domum suam; hoc est, domum propriam habet, non ædificatam ab alio, sed ipsamet ædificauit domum suam. Est autem domus sapientiæ omnis anima iusta: scriptum est enim: *Anima iusti sedes est sapientiæ.* *Domus sapientiæ.* & pari ratione domus est sapientiæ ædificata ab ipsa sapientia, quoniam anima iusta dono fit sapientiæ diuinæ. Rursus sapientia non destruit, non facit ruere domum suam, quæ est anima hominis, eò quòd gratia non tollit naturalia; sed perficit ea: & hoc est, ædificare domum suam. *Quid sit, sapientiā ædificare domū suam.*

EXCIDIT COLVMNAS SEPTEM. Deficit pronomen: nam Hebraicè habetur: *Excidit columnas eius septem.* hoc est, vniuersas: septenarius enim numerus ad vniuersitatem significandam ponitur. *Septenarius numerus vniuersitatem significat.* Appellantur autem columnæ domus, sapientiæ Doctores, & Pastores aliorum, dicente Paulo ad Galatas cap. 2. de primis Apostolis. *Qui videbantur columnæ esse.* Gal. 2. 9. Vniuersos siquidem Pastores & Doctores excidit, segregauit, dolauit, præparauit, & fecit columnas ad sustinendum domum suam.

IMMOLAVIT VICTIMAS SVAS. Iuxta Hebræum habetur: *Laniauit lanionium suum.* Nomen enim, & verbum, eiusdem deriuationis sunt hoc in loco: & propterea *Lanionium* appellauimus, quod lanitur: est enim sensus, quòd mactauit, & parauit animalia, quemadmodum in macello occiduntur, & parantur carnes ad esum. Præparatio enim describitur conuiuij in domo sapientiæ columnis fulta, ad instar præparationis corporeæ, quemadmodum in Euangelio de conuiuij apparatu dicitur: *Tauri mei, & altilia occisa sunt.* Etiam ad literam describuntur obsonia conuiuij in genere; describet enim panem, & vinum. Matth. 22. 4. Sunt autem sapientiæ obsonia spiritualia, quæ non tam ad necessitatem pascendi animum, quàm ad commoditatem spectant: quorum maxima est in sacra Scriptura copia à diuina sapientia parata, ad conuiuium nostri animi, tanquàm obsonia.

Miscvit vinvm. Aiunt Hebræi, quòd dictio interpretata, *miscuit*, secundùm primæuam originem significat *colare*: & proptereà legendum potiùs esset: *Colauit vinum.* Non tamen reprehendenda est vulgata editio. Legēdo itaque, *Miscuit vinum*, similitudo minùs digna conuiuio scribitur: solet enim in conuiuio solenni non vinum mixtum, sed merum exhiberi. Et hinc innuitur, quòd legendum est: *Colauit vinum.* de solenni siquidem conuiuio agitur; & vinum colatum (hoc est, optimè depuratum) describitur. Vel colatio ad extractionem vini ex vegete spectat, vt præparatio vini perfecta describatur in promptu. Vinum autem sapientiæ est spiritualis delectatio, quam fert secum sapientia.

Quid sit vinum sapientiæ.

Et proposvit mensam svam. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Etiam parauit mensam suam.* Non solùm res, sed etiam mensam integram, (vt vnico verbo omnia concluderet) parasse describitur. Est autem sapientiæ mensa doctrina sacra, abundè continens omnia ad conuiuium animarum pertinentia.

Mensa sapientiæ est sacra doctrina.

Vers. 3. Misit ancillas svas, vt vocarent ad arcem, et ad moenia civitatis. Iuxta Hebræum habetur: *Misit puellas suas, vocabit super humeros excelsorum ciuitatis.* Ecce modus vocandi, quo, scilicet, diuina sapientia vocat homines ad conuiuium suum; mittendo, scilicet, puellas suas, hoc est, virtutes: ipsæ enim dicuntur sapientiæ puellæ, eò quòd suapte natura famulantur, & obsequuntur diuinæ sapientiæ, ad excitandum homines ad conuiuium diuinum. Describuntur autem sapientiæ diuinæ nuncij sub specie puellarū, eò quòd per inermes inuitat, & non per arma cogit. Locus autē, vnde per virtutes diuina sapientia vocat, describitur, *super humeros excelsorum ciuitatis* Metaphora est, significans, quòd virtutes missæ à diuina sapientia officium vocandi exercent, non prædicatæ, nec scriptæ; sed portatæ super humeros hominum, hoc est, sustentatæ factis, viribus, & laboribus hominum, quemadmodum ea, quæ super humeros portantur.

Puellæ sapientiæ sunt virtutes.

Virtutes itaque in factis consistentes, excitant homines ad diuinum conuiuium: nunquam enim Apostoli, & alij sancti Pastores excitassent mundum ad diuinum conuiuium, nisi factis propriis, nisi vita propria virtutes portassent tanquàm in humeris propriis. Facta autem excelsorum præcipuè vocant alios. Et cogor ex subiunctis in eodem capitulo intelligere per *excelsos ciuitatis*, non celsos virtutibus; sed celsos statu, & officio: quoniam *excelsi ciuitatis* communes scribuntur sapientiæ, & insipientiæ: vt inferiùs patet. Et quamuis virtutes in factis quorumcunque hominum suapte natura inuitent alios ad sapientiæ conuiuium: quia tamen diuina sapientia gubernat infima per media: ideò ad ordinem diuinæ sapientiæ spectat, quòd virtutes in factis hominum excelsorum in ciuitate (qui alijs præsunt statu, authoritate, officio, vel consilio) exerceant, & inuitent alios ad cæleste conuiuium: conuenit enim eis ex officio: tenentur nanque Episcopi & Pastores ad vocandum alios vita virtutibus prædita.

Fine mouent exempla quā verba.

Excelsi ciuitatis qui.

Vers. 4. Si qvis est parvvlvs, veniat ad me: et insipientibvs locvta est. Iuxta Hebræum habetur, *Qui simplex declinabit huc, minutus corde dixit ei.* Aduerte, quòd fit mentio sex generum hominum: nominantur enim simplices, minuti corde, derisores, impij, sapientes, & iusti: sed diuersimodè describuntur relatiuè ad vocationem sapientiæ per suas puellas: simplices, & minuti corde describuntur vocari ad conuiuium: derisores autem, & impij describuntur non vocari: sapientes verò, & iusti describuntur foueri, tanquam existentes iam in conuiuio. Inter simplices autem, & minutos corde interest, quòd simplices modici sunt iudicij, minuti verò corde, modici sunt cordis. illi deficiunt in parte, qua cognoscimus; isti deficiunt in parte, qua appetimus: deficiunt autem ob ignorantiam, vel passiones, vel fragilitatem humanam, & non ob malitiam à veris virtutibus. Per puellas itaque suas dicit sapientia diuina: Qui est simplex, declinet huc; hoc est, in domum meam; & similiter, qui est minutus corde. Quod autem subditur, dixit ei, ad vtrunque refertur. Vnde & pluraliter subiungitur:

Sex hominū genera.

Simplex, & minutus corde, quomodo differant.

Vers. 5. Venite, comedite panem mevm: et bibite vinvm, qvod miscvi vobis. Loco dictionum trium vltimarum in Hebræo habetur: *Colaui*, vt iam prædiximus. Et quemadmodum, quia vinum lætificat cor hominis, significatur delectatio spiritualis, qua potamur à diuina sapientia, (vnde & sancti viri leguntur semper hilares;) ita quia panis cor hominis confirmat, diuinæ sapientiæ panis intelligitur doctrina illius præstans reliquis doctrinis in hoc, quòd sola habet in se, vnde firmet cor humanum in benè, beatéque viuere. Reliquæ enim doctrinæ infirmæ sunt ad conferendum firmitatem cordis in vita beata; & proptereà sapientia diuina dicit: Pascimini panem meum mihi proprium. Vinum autem colatum, delectatio est depurata ab admixtis carnis, ac mundi delectationibus, in promptu parata, quantum est ex parte diuinæ sapientiæ. Nos enim impedimenta affectionum nostrarum opponentes efficimus, vt non tanquàm bibentes repleamur illa delectatione pura.

Quare viri sancti semper hilares.

Panis sapientiæ.

Vers. 6. Relinqvite infantiam, et vivite. Iuxta Hebræum habetur: *Relinquite simplices, & viuite: & dirigite in via intelligentiæ.* Non solùm vocantur ad conuiuium boni, sed monet deficientes in iudicio, aut moribus, vt relinquant procul dubiò vias suas: promittendo eis vitam animæ, à qua recedunt suis defectibus, ad quam peruenient dirigendo gressus proprios per viam intelligentiæ veræ beatitudinis.

Vers. 7. Qvi ervdit derisorem, ipse sibi facit inivriam. Iuxta Hebræum habetur: *Erudiens derisorem accipit sibi ignominiam.* Tertium hominum genus introducitur non inuitatum à puellis sapientiæ, & sapientia tanquàm respondens tacitæ obiectioni, quare derisores, & impij non inuitantur ad conuiuium sapientiæ, reddit rationem; quia erudiens derisorem accipit sibi ignominiam: eò quòd irrisor veræ doctrinæ, quū eruditur, deridet erudientem: ac per hoc ipsum irrideri, est ei ignominia. Et militat hæc ratio quoad vocationem per puellas, hoc est, virtutes in hominibus existentes: vocatio enim horum deberet esse eruditio, à quo abstinent viri probi cognoscentes esse inutilem, & nihil aliud parere, quàm erudientium ignominiam.

Ratio quare derisores non inuitat sapientia.

Et qvi argvit impivm, generat macvlam sibi. Iuxta Hebræum habetur: *Et arguens impium maculam eius.* Subauditur enim verbum, *accipit*, quod in præmissa oratione positum est.

Ratio

Ratio, quare Puellæ non vocant impium, arguendo ipsius, redditur: quia homo arguens impium, accipit maculam ipsius impij. Appellatur autem impius peccator ex malitia: qui, quantum est ex se, est incorrigibilis: & propterea si arguitur, multiplicat peccatum, quo fit, vt homo arguens ipsum, accipiat sibi maculam multiplicatam ab impio: vtpote, qui arguendo illum, occasionem dedit multiplicandi peccatum. Imprudenter enim fit huiusmodi increpatio pertinacium in malo moris, quod est quartum genus hominum.

Vers. 8. NOLI ARGVERE DERISOREM, NE ODERIT TE. Non habetur in Hebræo, *noli*, sed, *Non reprehendas derisorem, ne quando odio habebit te.* Accumulat rationes ad idem: & non esse à te excitandum ad tui odium derisorem, manifestat; tum, quia excitaretur ad peccatum odij; tum, quia iustos odio haberi non expedit communi bono. Facilè autem derisores, & impij excitantur ad iustorum odium, eò quòd moralem habent contrarietatem ad eos.

Quare impij odiant iustos.

ARGVE SAPIENTEM, ET DILIGET TE. E regione derisorum collocantur sapientes, non quòd sapientes egeant increpatione; sed vt insipientia derisorum manifestetur per contrarium effectum ex vna, eadémque actione: increpare siquidem derisores, parit odium: increpare autem sapientes, parit dilectionem, siue iure, siue iniuria fiat increpatio.

Vers. 9. DA SAPIENTI OCCASIONEM, ET ADDETVR EI SAPIENTIA. Interpres addidit, *occasionem*: nam Hebraicè scribitur: *Da sapienti, & capiet amplius.* Et quoniam de augmento sapientis agitur, subintelligi congruit rem dandam esse doctrinam, consilium, & id genus reliqua. Quintum itaque genus hominum introducitur dicentis: Da, siue sponte, siue requisitus sapienti consilium, & huiusmodi; & fiet sapientior.

Quintum genus hominum.

DOCE IVSTVM, ET FESTINABIT ACCIPERE. Iuxta Hebræum habetur: *Fac scire iustum, & addet doctrinam.* Sextum hominum genus introducitur gens iusta: iusti enim quouis modo cognoscant noniter aliquid, addunt & sibi ipsis, & aliis doctrinam, seu statutum: & propterea, tam iusti, quàm sapientes proficiunt ex noua notitia, quã accipiunt. E regione siquidem impiorum describuntur iusti; quemadmodum è regione derisorum describuntur sapientes: & illi quidem dimittuntur inanes; isti autem vocantur ad perfectum. At si amplius perspexeris ista sex hominum genera, videbis, quòd simplices, derisores, & sapientes, ad partem pertinent, qua cognoscimus: nam simplices sunt modici iudicij; derisores verò arrogant sibi censuram omnium: sapientes autem verè iudicant. Alij verò tres ad partem pertinent, qua appetimus: nam minuti corde deficiunt à morali virtute; impij autem in excessu sunt mali moralia, vtpote ex malitia peccantes; iusti autem verum bonum eligunt.

Sextum genus hominum.

Tria genera hominum ad partem cognitiuam pertinent, & tria ad affectiuam.

Vers. 10. PRINCIPIVM SAPIENTIÆ, TIMOR DOMINI: ET SCIENTIA SANCTORVM, PRVDENTIA. Iuxta Hebræum habetur: *Principium sapientiæ, timor Iehouah: & scire Sanctorum, intelligentia.* Ratio redditur, quare sapientes, & iusti instructi proficiunt ex eo, quòd in eis est timor summi Dei, qui principium est sapiẽdi: & ipsum scire est intelligere sancta; hoc est, munda, & quæ Deo dicanda, seu dicata sunt. Dicitur hoc ad differentiam sapientum mundi huius, in quibus non est timor summi Dei. Et propterea ægrè ferunt instrui, vel argui: scitè eorum non est intelligentia Sanctorum, sed profanorum.

Ratio, quare sapientes, & iusti proficiunt.

Vers. 11. PER ME ENIM MVLTIPLICABVNTVR DIES TVI: ET ADDENTVR TIBI ANNI VITÆ. Vt refert, quòd iuxta Hebræum legendum esset: *Per me.* Ratio redditur conuiuij diuinæ sapientiæ; vtilitas, non ipsius sapientiæ diuinæ; sed hominum obsequentium illi. Et priùs quidem reddit rationem ex hoc, quòd ipsa diuina sapientia est benefica: vtpote, quia ipsius conuiuæ consequũtur longitudinem vitæ, non qualitercunque, sed felici successu: longitudo siquidem vitæ significatur multiplicatione dierum: prosperitas autem appositione annorum vitæ, ad differentiam annorum mortis. Et verificantur hæc in hac quidẽ vita secundùm promissiones veteris legis; in æterna autem secũdùm gratiam noui Testamẽti.

Anni vitæ, & anni mortis, qui sint.

Vers. 12. SI SAPIENS FVERIS, TIBIMETIPSI ERIS: SI AVTEM ILLVSOR, SOLVS PORTABIS MALVM. Sententia redditur, quamuis in Hebræo Textu non scribatur, *malum*, & omnia verba sunt præteriti temporis. Rationi ex parte beneficentiæ adiungit rationem nullius vtilitatis redundantis in ipsam diuinam sapientiam, dicendo, quòd si homo sapit, sapit sibiipsi, & non diuinæ sapientiæ: & similiter si illusor fuerit, ipse patietur, non diuina sapientia.

Vers. 13. MVLIER. Iuxta Hebræum habetur: *Nupta.* Superiùs in cap. 6. & 7. introduxit Salomon mulierem nuptam impudicam: & propterea ad insinuandum, quòd de illa met muliere nunc loquitur, non dicit, *mulier*; sed, *nupta*: intendens declarare, quòd mulier illa nupta non restringitur ad venerea; sed significat delectationem, tam carnis, quàm mundi, delectationem comprehendentem delectari, & in his, quæ sunt sensuum, & in his, quæ sunt dominij gloriæ, famæ, & huiusmodi. Ita quòd è regione diuinæ sapientiæ vocantis homines ad conuiuium suum, collocatur delectatio, tam carnis, quàm mundi sub specie mulieris nuptæ. Mulieris quidem, propter blandam attractionem: nuptæ verò, propter coniunctionem, quam in homine sortita est. Est delectatio & carnis, & mundi, cum rationis regimine, tanquàm marito gubernante eam. Appetitus siquidem huiusmodi delectabilium subditur in homine rationi, & secundùm naturæ ordinem regendus est recta ratione, sicut vxor à viro. Et ideò quoties à regimine rationis rectæ exorbitat, quasi nupta mariti thorum relinquens adulteratur, adhærens vano, vel sensui. Mulier itaque nupta, hoc est, delectatio mundi, ac carnis, è regione sapientiæ distincta describitur multipliciter, & primò secundùm illius statum, dicendo:

Hebræi hanc mulierem exponunt, alij pro stultitia, alij pro corpore, in quo est sensualitas, &c.

Mulier nupta quare significet carnis, & mundi delectationem.

STVLTA, ET CLAMOSA, PLENAQVE ILLECEBRIS, ET NIHIL OMNINÒ SCIENS. Iuxta hebræum habetur: *Fatuitatis tumultuatrix, simplicitatis & nescivit quid.* Nupta fatuitatis quidẽ describitur tumultuatrix; simplicitatis verò describitur nesciẽs quid; hoc est, effectũ sequẽtem. Delectatio profana, si vsque adeò exorbitat, vt fatuitate abundet, excitat tumultus nõ solum in ciuitate, sed in regnis: quod vtinã humanum genus non sæpè experiretur ex insana dominandi libidine. Si verò non insanit, sed simplex (hoc est, modici iudicij) est, cæca est, nõ videns effectus sequẽtes actiones suas: & hoc sæpè videmus euenire. Sæpè enim oportet eos dicere: Nõ putaram.

Fatuitas tumultuatrix etiam in regnis.

Vers. 14. Sedet in foribus domus suæ. Patul refert, quòd deficit coniunctio, &. Descripto enim diuerso statu delectationis profanæ, describitur commnuoe vtrique statui officium; videlicet: *Et sedet in foribus domus suæ.* De diuina sapientia dixerat, quòd ædificauit domum suam: de delectatione dicit, quòd sedet in ostio domus suæ: illius officium est ædificare; istius est quiescere, non intra domum, sed in ostio domus in manifesto. Est nut siquidem delectatio, tam fatua, quàm modici iudicij. Domus autem sua animus est, affectus concupiscentijs, & vanitatibus.

Officium sapientiæ, & profanæ nuptæ, seu delectationis, quale.

Super sellam in excelso vrbis loco. Iuxta Hebræum habetur: *Super sedem excelsorum ciuitatis.* Sapientia diuina super humeros excelsorum ciuitatis, vocat homines. Delectatio autem profana, super sedem excelsorum ciuitatis vocat homines: quia illa super labores hominum excelsorum ciuitatis; ista super quietem eorundem innititur. Excelsi siquidem in ciuitate recusando labores virtutum, & delectabilibus vacando, fulciunt profanam delectationem in se, & alijs.

Vers. 15. Vt vocaret transeuntes per viam, et pergentes in itinere suo. Dictio interpretata, *pergentes*, sonat, *dirigentes*: ita quòd absque coniunctione legendum est, *Dirigentes vias suas.* Officium vocandi attribuitur delectationi: quia verè excitat, & inuitat homines. Inuitat autem transeuntes, dirigentes vias suas. Quemadmodum enim sapientia non inuitat derisores, & impios, (vtpote pertinaces;) ita profana delectatio non inuitat sapientes, & iustos, (vtpote contrarios ei,) sed medios descriptos à transitu per viam huius vitæ, & à directione viarum suarum, quibus, scilicet, placent boni mores, quamuis ex ignorantia, seu fragilitate peccent.

Quos vocat sapientia, quos profana delectatio inuitat.

Vers. 16. Qui est paruulus, declinet ad me. Et vecordi loquuta est. Iuxta Hebræum habetur: *Qui simplex, diuertat huc, & minutus corde: & dicet ei.* Vide, quòd eorúdem generum homines vocantur à sapiétia diuina per puellas in humeris excelsorum, & à delectatione profana quiescente in sede excelsorum: simplices enim & corde minuti ab vtraque vocantur, vtpote viuentes in moribus absque pertinacia, & mobiles ad vtramque partem: & propterea descripti sunt, non fixi, sed transeuntes. Nec opus est, hanc particulam aliter exponere; sed intellige, vt suprà.

Vers. 17. Aquæ furtiuæ dulciores sunt: et panis absconditus suauior. Sententia redditur, & vulgatum prouerbium assumi puto: ita tamen, vt per aquam, & panem, significentur vniuersa spectantia ad conuiuium. Sapientia siquidem inuitauit ad paratum conuiuium panis, vini, occisorúmque animalium; & vniuersæ denique mensæ ordinatæ: profana autem delectatio inuitat ad aquas furtiuas, hoc est, furto ablatas (vt Hebraica sonat litera,) & ad panem absconsionum, quia dulcescunt. Et species ipsæ testantur, quantùm præstet conuiuium conuiuio; quantùm, videlicet, vinum præstat aquæ, & ordinata mensa, absconditis comestionibus, tanquàm furtim vescentibus. Prouerbium autem ortum est ex eo, quòd vesci in abscondito, dulcescit in hominibus, tanquàm singulare aliquid, & frui alienis furtiuè, dulcescit, tanquàm aliquid valdè concupitum, & rarum; hoc est, quod non semper in promptu habetur. Hinc enim veneréa cum aliena dulcescunt sæpè magis, quàm cum propria vxore, quamuis pulchriore, &c. Ex hoc autem ipso, quòd ad aquas furtiuas, & panem absconsionum inuitat delectatio profana, testatur, quòd turpia sunt, quòd inhonesta, seu mala sunt. Nam odium lucis, testimonium est mali, & turpis, dicente Domino: *Omnis, qui malè agit, odit lucem.* & quòd *homines dilexerunt magis tenebras, quàm lucem propter mala eorum opera.* Ad satietatem itaque appetitus in occultis inuitat delectatio. Occulta autem intellige, quæ ex se vendicant sibi occultationem, vel ratione modi, quia male parta sunt; vel ratione rei, quia turpia sunt. Naturale siquidem est homini, occultare, ac tegere proprium malum morale, & turpe: & propterea, quamuis peccata multorum manifesta, ac notoria sint, tamen omnia peccata, quàtùm est ex eorum natura, sunt in genere occultorum, hoc est, habétia in seipsis turpitudiné, quæ deberet occultari.

Quare ad furtiua inuitat profana nupta.

Ioan. 3. 18. ibid 3. 19.

Peccata ex natura sua vendicant sibi occultari.

Vers. 18. Et ignorauit, quòd gigantes ibi sint. Iuxta Hebræum habetur: *Et nesciuit, quòd mortui ibi.* Nihil dicitur de gigantibus, sed declaratur suprascripta particula illa: *Et nesciuit quòd.* Declaratur enim, quòd nesciuit multitudo dedita delectationi profanæ, quòd ibi (hoc est, in conuiuio profanæ delectationis) sunt mortui; hoc est, incurrunt mortem, quam incurrerunt priores. Et est sermo de morte animæ.

Et in profundis Inferni conuiuæ eius. Sententia redditur, quamuis Hebraicè habeatur: *In vallibus foueæ vocati ab ea.* Sed de fouea Inferni sermo est: & est sensus, quòd delectatio nesciuit effectum sequétem post hanc vitam: quòd, videlicet, mortui in côuiuio eius, habitant in vallibus Inferorum. Et dicitur hoc è regione eius, quod dixerat sapientia: *In me multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ.* Describitur autem delectatio nesciens hunc effectum, pro quanto attrahit, & seruat conuiuas, tanquàm nesciens malum consequens. *Qui enim applicabitur illi, descendet ad Inferos: nam qui abscesserit ab ea, saluabitur.* Tota hæc clausula superflua est, vtpote quæ non habetur in Hebræo.

CAPVT X.

Parabolæ Salomonis. Titulus iste restatur, quòd liber iste Parabolarum Salomonis ex diuersis fragmentis collectus est, quod clariùs etiam apparet inferiùs in principio cap. 25. Salomon enim edidit tria millia parabolarum, vt scribitur 3. Reg 4 ex quibus non habemus nisi scriptas in hoc libro: &, vt hæc testantur, sine ordine collectæ sunt; sparsæ siquidem ac perditæ fuerant ante tempus Ezechiæ Regis: & hoc paruum volumen conflatum est collectis quibusdam: ea propter hactenus ordinatè processimus: quia literam ordinatam habuimus, prout ab ipso Salomone ordinata fuit: deinceps autem, sine ordine exponemus literam, vt sese offert. Secunda itaque pars huius libri hic incipit à titulo, propter rationem dictam.

Hic incipiunt Parabolæ, seu sententiæ Salomonis, vt Hebræi sentiunt: quod autem præcessit, est veluti præfatio quædam.

Secunda pars libri.

Filii Dauid, Regis Hierusalem. Dictiones istæ superfluæ sunt: in Hebræo enim non habentur.

Vers. 1. Filius sapiens lætificat patrem. Sententia tam clara est, vt quotidiana experientia comprobatur in patre, & matre naturali, & in

in his, qui patris, vel matris officio funguntur.

Vers. 2. Non proderunt thesauri impietatis: iustitia verò liberabit à morte. Relatiuè ad Deum verificatur, non prodesse alicui thesauros impietatis, hoc est, impiè acquisitos: quò contrà iustitia hominis tantùm valet apud Deum, vt eruat hominem, etiam à morte corporis imminente. Ezechias enim audiens ab Isaïa Propheta: *Dispone domui tuæ, quia morieris*, orauit ad Deum: *Memento, Domine, quemodo ambulauerim in viis tuis; & quod rectum fuerit, fecerim*, &c. & exauditus euasit mortem.

Isaia 38.1.

Dan. 3. 49.

Ananias, Azarias, & Misaël, liberati sunt à morte, iustitia sua.

Vers. 3. Non affliget Dominus fame animam iusti: et insidias impiorum subuertet. Iuxta Hebræum habetur: *Non faciet perire fame Iehouah animam iusti, & fractionem impiorum impellet*. Iustitia hominis valet apud Deum, non solùm ad eruendum à morte imminente; sed etiam ad subueniendum in penuria, in periculis famis, & aliorum incommodorum: quò contrà impios incipientes ruere, Deus impellit ad perfectam ruinam.

Vers. 4. Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium diuitias parat. Iuxta Hebræum habetur: *Pauperem facit manus fraudis, & manus sollicitorum ditabit*. Relatiuè quoque ad Deum verificatur, quòd manus fraudis (hoc est, actio fraudulenta) facit hominem pauperem, eò quòd accumulat homini non sua, & obligatus ad restituendum aliena, ex quibus se diuitem fecit, restituendo remanet pauper: vtpote qui non dedit operam ad habendum propria, sed aliena. Quò contrà subditur, quòd manus sollicitorum ditabit actio præstantium acumine ingenij, & non parcentium labori opportuno ad negotiationes: facit eos diuites, quoniam licita actione acquirunt facultates, quas alij fraudibus, dolis, aliisve illicitis actionibus acquirunt.

Manus fraudulenta, & manus sollicita.

Qui autem nititur mendaciis, hic pascit ventos: idem sequitur aues volantes. Nihil huius clausulæ inuenitur in Textu Hebraico.

Vers. 5. Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confusionis. Iuxta Hebræū habetur: *Colligens in æstate filius intelligens: dormiens in messe filius confusionis*. Æstatis nomine intellige tempus commodum ad acquirendum: æstas tempus est ad colligēdum fruges pro toto anno. Per messem autem intellige ipsas res acquirendas se offerentes, quemadmodum secūdæ segetes tempore messis. Filius verò confusionis sonat plenum cōfusione; quemadmodum filij nuptiarum appellantur vacantes nuptiis. Et experientia testatur, homines nescientes (aut minùs curantes) vti commoditatibus temporum, & rerum ad prouidendum domibus suis, vel ad negotiandum, seu lucrandum, confusos inueniri.

Quid æstas.

Quid messis.

Quos filios confusionis experientia manifestat.

Vers. 6. Benedictio Domini super caput iusti: os autem impiorum operit iniquitas. Iuxta Hebræum habetur: *Benedictiones capiti iusti: & os impiorum operietur iniquitate*. Caput iusti, locus benedictionum (hoc est, officij benedicendi) describitur. Nam benedicere proprium est iusti: quò contrà impiorum os: quod in capite est, operit sermonem suum iniquitate, eò quòd si benedixit, non ea pietate, sed ex iniquitate benedicit ad tegendum impietatem suam. Impij enim, siue benedictiones taceant, siue illas proferant, non rectè, sed iniquè agunt ad hoc, vt facilius nocere, aut decipere possint.

Diuersimodè benedicit iustus, & impius.

Vers. 7. Memoria iusti cum laudibus: et nomen impiorum putrescit. Parui refert, quòd dictio interpretata, *laudibus*, sonat benedictionem: sensus enim in idem redit, nisi quòd clariùs Hebraica litera explicat, quòd memoria virorum iustorum ad benedictionem (hoc est, ad multiplicatam laudem) erit. Quò contrà nomen impiorum paulatim deficiet, quemadmodum putrescens: imò multiplicando producit fœtorem: & hoc non solùm est verum ex meritis iusti, & impij; sed verificatur de facto apud colentes Deum.

Vers. 8. Sapiens corde præcepta suscipiet: stultus cæditur labiis. Iuxta Hebræum habetur: *Et stultus labiorum impinget*. Relatiuè ad præceptorem describitur sapiens, quòd ipse mandata suscipit corde, hoc est, non solùm excipit illa sermone, sed animo. Quò contrà stultus nec labiis suscipit; sed renuit, vel murmurat. Et proptereà appellatur stultus labiorum: & impingit in offendiculum aliquod sine regula mandatorum progrediens.

Vers. 9. Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter: qui autem deprauat vias suas, manifestus erit. Dictio interpretata, *simpliciter*, sonat, *in puritate*; & dictio interpretata, *manifestus erit*, in multis codicibus sonat, *frangetur*. Et hæc dictio complectenda videtur, eò quòd è regione ambulantis confidenter congruentiùs collocatur *frangere*, quàm *manifestus erit*. De operante, seu quodcunque negotiū exercente sub similitudine ambulantis dicitur ambulās, quòd in puritate (absque admixtis astutiis, dolis, & aliis malis artibus) progredietur cōfidenter, vtpote propriæ puritati, & diuino auxilio innixus. Quò contrà deprauans torquendo vias suas (hac, & illac torquens astutiis, & versutiis operationes suas, tanquàm torquens iter) frangetur in progressu: quia hoc meretur ex malis suis artibus: detegentur enim & machinationes eius frangentur.

Vers. 10. Qui annuit oculo, dabit dolorem: stultus labiis verberabitur. Dictio interpretata, *annuit*, sonat, *innuit*. Secunda verò particula iuxta Hebræum habetur sic: *Et stultus labiorum impinget*. Non est sermo de quocunque annuente oculo (cùm hoc quandoque rectè fiat;) sed de innuente oculo, vel ad irrisionem, vel ad proditionem, vel ad libidinem: hæc enim sæpè fiunt, & malè. Effectus autem huiusmodi innuere describitur, *dabit dolorem*: quia irrisus dolet, & similiter proditus: maritus quoque, seu consanguineus mulieris, cui innuitur, dolet. Innuens itaque oculo infert dolorem aliis. Quò contrà stultus labiorum (loquens, scilicet, stulta) frangetur, vel impinget: quia contra seipsum agit.

De nutu oculi ad irrisionem intelligit Aben-Ezra.

Vers. 11. Vena vitæ, os iusti: os autem impiorum operit iniquitatem. Legendum est: *Operitur iniquitate*. Assimilatur venæ, sermo iusti: quia per eum vita aliorum, tanquàm per venam venit. Sermo enim iustorum ad vitam, tum animæ, tum corporis aliorum tendit. Quò contrà os impiorum tegetur à propria iniquitate, ne vitalia proferat, nisi fortè fictè.

Quare sermo iusti similis venæ.

Vers. 12. Odium suscitat rixas: et vniuersa

Vers. 12. DELICTA OPERIT CHARITAS. Dictio interpretata, *delicta*, sonat *rebelliones*. Legendùmque esset: *Et super omnes rebelliones operiet charitas.* De odio itaque dicitur, quòd mouet lites, contentiones, & rixas inter eos, quos homo odio habet, vel inter seipsum, & eum, quem odio hàbet. Quo contrà vniuersas rebelliones (vel aliorum inter sese, vel aliorum relatiuè ad diligentem) operiet charitas, teget amor, atque dilectio diligentis rebelles: nulla siquidem est maior vis, quàm vis amoris. Et cùm amari se conspicit rebellis, sedatur. Nobilis siquidem animus hominis, amore trahitur magis, quàm timore, verbere, & gladio. Et propterea hic dicitur, quòd super vniuersas rebelliones operiet charitas; hoc est, vir diligens: operiet autem, ne appareant amplius. Aptè autem affertur similitudo tegminis: quoniam amor verba hinc, & inde tegentia occasiones litiganti seu contendenti, multis referta coloribus pallіantibus causam, adhibet.

Operiet, id est, communè verbum, quod ante.

Nulla vis maior, quàm amoris.

Vers. 13. IN LABIIS SAPIENTIS INVENIETVR SAPIENTIA: ET VIRGA IN DORSO EIVS, QVI INDIGET CORDE. Dictio interpretata, *sapientis*, sonat, *intelligentis*. Et eius, *qui indiget corde*, sonat, *minuti corde*. Vigens intelligentiæ acumine non solùm sapit in animo; sed etiam in sermone, ita quòd etiam in labiis eius relucet sapientia. Quò contrà minutus corde (hoc est, deficiens in ornatu animi) vsque adeò alienus est à sapientia, vt indigeat virga castigante eum super humeros eius, hoc est, castigatione magna, quæ vulgari Italico dicitur, *bastonata*.

Sermo, imago animi.

Vers. 14. SAPIENTES ABSCONDVNT SCIENTIAM: OS AVTEM STVLTI CONFVSIONI PROXIMVM EST. Vltimæ dictiones iuxta Hebræum habentur: *Fractio propinqua*. Sapientibus attribuitur recondere suum sapere, reseruantes illud loco, & tempore. Quò contrà ori stultorum attribuunt, quòd est tanquàm fractio propinqua. Assimilatur siquidem fractioni imminentis ruinæ propinquæ: quia eloquium stultorum vitandum, ac fugiendum est ab aliis, vtpote propinqua fractio animorum, tractatuum, & sensatorũ sermonum.

Quomodo sapiens occultet scientiam.

Hanc sententiam vsurpat Horat., tacitando ad laborem ... tar.

Vers. 15. SVBSTANTIA DIVITIS, VRBS FORTITVDINIS EIVS: PAVOR PAVPERVM EGESTAS EORVM. Dictio interpretata, *pauor*, sonat, *fractio*. Attribuitur diuitibus, quòd facultates eorum sunt, in quibus confidunt, tanquàm in vrbe fortitudinis suæ. Quò contrà pauperibus attribuitur, quòd paupertas eorum non est dumtaxat paupertas, sed est fractio animi eorundem: pauperes enim non audent apparere, & virtutes suas proferre. Nam, quemadmodum diuitiæ præstant fortem animum diuitibus, & protegunt eos ab aliis: sic paupertas, & frangit animum pauperis, & efficit, vt alij frangant sermones eius.

Diuitiæ extollunt, paupertas frangit.

Vers. 16. OPVS IVSTI AD VITAM: FRVCTVS AVTEM IMPII AD PECCATVM. Iusti intentio commendatur, quòd omne opus eius tendit ad vitam, proculdubiò animorum. Quò contrà impij vituperantur, quòd etiam prouentus frugum eorum cedit in peccatum, tam praua siquidem eorum est intentio, vt abuti intendant, & abutantur etiam bonis, quæ profert terra eis: dictio siquidem interpretata, *fructus*, sonat, *prouentus*, iuxta Hebraicam veritatem.

Vers. 17. VIA VITÆ CVSTODIENTI DISCIPLINAM: QVI AVTEM INCREPATIONES RELINQVIT, ERRAT. Prima particula clarior iuxta Hebræum habetur: *Via ad vitam, custodire eruditionem.* Custodia (hoc est, adhibita cura) ad seruandum eruditiones susceptas commendatur penes hoc, quòd est via ad vitam, proculdubiò animi, tam in præsenti, quàm in futura vita. Quò contrà relinquens increpationes, non solùm paruipendendo eas, sed etiam obseruationem earum relinquendo, errat in via vtriusque vitæ.

Custodire, id est, attendere.

Vers. 18. ABSCONDVNT ODIVM LABIA MENDACIA: QVI PROFERT CONTVMELIAM, INSIPIENS EST. Duæ odij dispositiones quoad linguam contrariæ describuntur: altera in viro astuto; & hæc est tegere odium verbis falsis, sermonibus simulatis, vt fecit Absalon, dissimulando tanto tempore odium, quod conceperat aduersus Amon fratrem suum. Quò contrà odium in stulto inducit ad proferendum infame aliquid. Dictio enim interpretata, *contumeliam*, sonat, *infamiam*. Vterque iniquè agit: ille astutè falsitatibus vtitur; iste stultè profert, quæ sunt infamiæ.

Vers. 19. IN MVLTILOQVIO NON DEERIT PECCATVM: QVI AVTEM MODERATVR LABIA SVA PRVDENTISSIMVS EST. Iuxta Hebræum habetur: *In multitudine verborum non prohibebit rebellionem: & prohibens labia sua, intelligens.* Superiùs dictum est, quòd charitas tegit omnes rebelliones: & consequenter modò dicitur, quòd multitudo verborum non tantùm vitium est, vt prohibeat aliorum rebelliones; & propterea, nunc homo innititur multiloquio ad cohibendum rebellionem. Quò contrà vir intelligens (hoc est, intelligendi acumine vigens) cohibebit labia sua, ne effundat sermonem, vbi non est auditus.

Prohibens, aliud communè verbum.

Vers. 20. ARGENTVM ELECTVM, LINGVA IVSTI: COR AVTEM IMPIORVM PRO NIHILO. Dictio interpretata, *pro nihilo*, sonat, *sicut modicum*. Assimilatur sermo iusti argento electo ex igne purgante ipsum: eò quòd eloquia iusti purgata, atque examinata splendent pulchrè, & sonant rectè. Quò contrà impiorum non solùm sermo; sed etiam cor assimilatur modico, eò quòd parùm boni habet: quia enim ex toto non potest esse malum, (quia malum si fuerit integrum, destruit seipsum,) ideò non assimilatur nihilo, sed modico, quod pro nihilo reputatur.

Sermo iusti, argento similis.

Cor impij assimilatur modico, & non nihilo.

Vers. 21. LABIA IVSTI ERVDIVNT PLVRIMOS: QVI AVTEM INDOCTI SVNT, IN CORDIS EGESTATE MORIENTVR. Iuxta Hebræum habetur: *Labia iusti pascent multos, & stulti in defectu cordis morientur.* Efficacia, ac fructus eloquiorum iusti describitur, pascere multos; quod est conseruare vitam animæ in multis. Quò contrà stulti non solùm alios pascere nequeunt sermonibus iustitiæ, & iudicij; sed ipsimet ex defectu cordis secundùm virtutem moralem morientur morte animæ, & hic, & in futuro.

Vers. 22. BENEDICTIO DOMINI FACIT DIVITES: NEC SOCIABITVR EIS AFFLICTIO. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et non iunget dolorem secum.* Commendatur diuinæ benedictionis gratia ditans aliquos. Commendatur autem præferendo illam gratiæ huius mundi, penes hoc, quòd mundus ditat aliquem apponendo dolorem, vt sæpe apparet. Diuina autem benedictio ditando aliquem, non affert secũ dolorem: tũ, quia sine pœnitentia sunt dona Dei: tum, quia Deus nobis non indiget: tum, quia Dei perfecta sunt opera, ac per hoc ditando nõ solùm diuitias multiplicat; sed & largitur, vt gaudere possint

Gratia benedictionis diuinæ quomodo præferatur gratiæ mundanæ.

potius diuitiis. Benedictio autem mundi, siue per Principes, siue per industriam multiplicata (per peccaturam, & similia) sæpè datur, hoc per se; sed cum perturbationibus animi, vel diuitiis corporis admixtas, vt diuites incipiant sibi diuitias, quas habent.

Verf.23. Quasi per risum stultus operatur scelus; sapientia autem est viro prudentia. Iuxta Hebræum habetur: *Tanquam risus stulto facere scelus: & sapientia homini intelligentiæ.* Attribuitur stulto, quòd facere scelus reputat risum: hoc est, reputat pro ridiculo, parui pendit, ac si nihil sit: imò lætatur faciendo scelus, sicut lætatur, qui ridet. Quòd contrà sapientia asseruatur viro intelligentiæ: vir enim vigens intelligentia, sapit ponderando, quid est facere scelus, nec reputat ridiculum, sed execrabile.

Verf.24. Quod timet impius, veniet super eum: desiderium suum iustis dabitur. Dictio interpretata, *dabitur* sonat, *dabit*, & legendum esset: *Et desiderium iustorum dabit.* Quamuis etiam in hac vita quandoque verificetur, quòd eueniat impiis malum, quod timent; semper tamen verificatur quoad meritum; hoc est, quòd impij merentur, vt malum, quod timent, eueniat eis. Verificatur quoque semper in vita futura, quoniam longè plus mali habebunt, quàm quod timent. Quò contrà desiderium iustorum dabit summus Deus, & in hac vita, vt merentur, & in futura supra merita. Et est sermo de desiderio simpliciter, hoc est, omnibus pensatis; huiusmodi enim desiderium iustorum semper impletur: secùs autem est de desiderio secundùm quid; hoc enim sæpè negatur à summo Deo, vt tribuat, quod mallent iusti, si omnia scirent.

Quod desiderium iustorum semper impleatur.

Verf.25. Quasi tempestas transiens non erit impius: iustus autem quasi fundamentum sempiternum. Quia impiorum dispositiones caducæ valdè sunt, nec habent firmitatem fruendi concupitis bonis, ideò assimilatur duratio impiorum secundùm viuere lætum, turbini, seu tempestati ventorum. Quò contrà iustus vt sic, est secundùm virtutem stabilis, (vtpote, quæ nunquam excidit,) & secundùm concupitam, velut fundamentum perpetuum, seu rectius iuxta Hebræum loquendo, fundamentum perpetuitatis, eò quòd sit, cui credidit; & reposita est sibi corona iustitiæ æterna.

Verf.26. Sicut acetum dentibus, et fumus oculis: sic piger his, qui miserunt eum in via. Superfluit, *in via*, & dictio interpretata, *acetum*, quamuis significet acetum, extenditur tamen ad acre: & interpretanda est, *acre*. Nam acetum tam vtile censetur dentibus, vt nulla dentium medicina secundùm Medicos eximenda sit ab aceto: acre autem, inimicitia ad dentes manifesta est ex eo, quòd acre stupefacit dentes. Legendum itaque est: Sicut acre dentibus, & fumus oculis; sic piger mittentibus eum. Pigritia siquidem nuncij ita molesta est mittentibus illum, quemadmodum fumus molestus est oculis, & acre molestum est dentibus.

Verf.27. Timor Domini apponet dies, et anni impiorum breuiabuntur. Nomen est tetragrammaton. Verificantur hæ sententiæ in hac quidem vita: tum secundum statum veteris Testamenti, in quo longitudo dierum promittitur populo timenti Deum: impio verò exterminium decernitur: tum, quantum est ex parte meritorum; quia timentes summum Deum merentur diu viuere; impij autem citò mori, cum peccator indignus sit cibo, & pane, quo vescitur. Relatiuè verò ad statum post mortem, clarum est, quòd timor Domini apponet dies æternæ vitæ: anni verò impiorum breuiabuntur: quia in morte desinent viuere, & mortem perpetuam incurrent.

Expectatio iustorum lætitia: spes autem impiorum peribit. Directè ad vitam futuram tendit hæc parabola: quod enim sperant, & expectant iusti, lætitia vitæ æternæ est: quod autem sperant impij, cũ eorum vita peribit. Verf.28.

Fortitudo simplicis via Domini: et pauor iis, qui operantur malum. Iuxta Hebræum habetur: *Fortitudo puritati via Iehouah, & fractio operantibus iniquitatem.* De via Iehouah dicitur, quòd ipsa est fortitudo puritati, hoc est, hominibus puris ab admixtione iniquitatum, duplicitatum, & huiusmodi. Quò contrà ipsa eadem via summi Dei, est fractio operantium iniquitatem. Puris enim præstat fortitudinem animi; operantes verò iniquitatem frangit. Et verificantur hæc, tam de via Dei ad homines, quàm de via hominum ad Deum: nam operatio diuinæ gratiæ erga homines fortes, facit puros, & animos impiorum frangit, eos sibiipsis relinquendo: redduntur enim pusillanimes relatiuè ad verè beatam vitam assequendam. Via quoque hominum ad Deum, quantum roboris præstet puris tendentibus ad cælestem patriam, exempla Sanctorum manifestant: quantùm verò frangat animos perseuerantium in iniquitate, illorum desperatio, vel modica spes testatur. Verf.29.

Iustus in æternum non commouebitur: impii autem non habitabunt super terram. Directè ad populum veteris Testamenti hoc spectat. nam illi promissum est non exturbari à terra promissionis, si fuerit iustus: & comminatum est illi exterminium ab eadem terra, si fuerit impius. Verf.30.

Os iusti parturiet sapientiam: lingua prauorum peribit. Iuxta Hebræum habetur: *Os iusti loquetur sapientiam: & lingua versutiarum succidetur.* Sicut adiungitur sapientia iustitiæ; ita sermoni iusti sermo sapientiæ. *Ex abundantia enim cordis os loquitur.* Quò contrà lingua reuolutionum (quæ, scilicet, vertit hoc in illud, & illud in alterum) non est iustitiæ aut sapientiæ lingua; sed quæ meretur succidi. Verf.31.

Matth. 12.

Labia iusti considerant placita: et os impiorum peruersa. Iuxta Hebræum habetur: *Labia iusti scient sive voluntatem, & os impiorum, reuolutiones.* Iustus conformat sermonem cordi: non enim est mendax, sed verax, ac per hoc verbo suo indicat voluntatem, vt non decipiat proximum. Quò contrà os impiorum latebrosis vtens consiliis, reuolutiones (hoc est, crebras verborum versiones) profert, vt nequeas intelligere voluntatem eius: imò, vt contraria intelligas. Verf.32.

CAPVT XI.

Statera dolosa, abominatio est apud Deum: et pondus æquum, voluntas eius. Parùm refert, quòd Hebraicè habetur: *Bilances doli abominatio Iehouah: & lapis perfectus* Verf.1.

perfectus voluntas eius. Sententiæ claræ sunt manifestantes in ponderibus iustitiam placere summo Deo; dolum autem, seu fraudem abominabilem esse eidem. Vbi aduerte, quòd quia lapide appenso ponderabant antiqui res; ideò lapis hic nominatur pro pondere.

Vers. 2. VBI FVERIT SVPERBIA, IBI ERIT ET CONTVMELIA: VBI AVTEM HVMILITAS, IBI ET SAPIENTIA. Quamuis hæc vera sint, iuxta Hebræum tamen legendum est: *Venit impietas, & venit ignominia, & cum honestis sapientia.* Comes impietatis describitur ignominia, & verificatur, tam actiuè, quàm passiuè: nam adueniens impius, & infert aliis ignominiam, & ipse meretur, & frequenter incurrit ignominiam. Quò contrà honestorum comes scribitur sapientia, & honore digna, & honorans alios.

Vers. 3. SIMPLICITAS IVSTORVM DIRIGET EOS, ET SVPPLANTATIO PERVERSORVM VASTABIT ILLOS. Iuxta Hebræum habetur: *Perfectio rectorum ducet eos: & prauitas mendacium franget eos.* Integritas hominum, qui recti sunt, dux est ipsorum in via operum: quia integritatem sequendo, tanquàm ducem itineris, proficiscuntur rectè operando. Quò contrà obliquitas
Tit. 1. 16. mentientium facto (*Qui confitentur se nosse Deum; factis autem negant.*) frangit eosdem in via operum suorum, vt nec etiam assequantur intenta mala, & hoc sæpè videmus in hominibus tot obliquitatibus vtentibus.

Vers. 4. NON PRODERVNT DIVITIÆ IN DIE VLTIONIS: IVSTITIA AVTEM LIBERABIT A MORTE. Declaratur hic parabola in principio capituli decimi scripta. Repetitur enim illa adiungendo tempus, videlicet, in die vltionis, proculdubiò diuinæ.

Vers. 5. IVSTITIA SIMPLICIS DIRIGET VIAM EIVS: ET IN IMPIETATE SVA CORRVET IMPIVS. Dictio interpretata, *simplicis*, sonat, *perfecti.* Sequendo enim iustitiam, vir perfectus habet iustitiam pro directrice operum suorum, quemadmodum legimus de Dauide fugiente Saülem. Quò contrà impius corruit in sua impietate, quemadmodum Saul.

Vers. 6. IVSTITIA RECTORVM LIBERABIT EOS: ET IN INSIDIIS SVIS CAPIENTVR INIQVI. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et in fractione mentientium capientur.* Et hinc apparet, quòd euasio scripta in prima particula, est euasio à captione: attribuitur siquidem iustitiæ rectorum, quòd faciet eos euadere, ne capiantur ad vincula, ad carceres, ad captiuitatem. Quò contrà, cùm tempus fractionis mentientium (hoc est, violatorum legis diuinæ, quam professi sunt) aduenerit, capientur, in captiuitatem ducentur ipsi mentientes. Lege veteris Testamenti historias, & inuenies pluries hæc verificata.

Vers. 7. MORTVO HOMINE IMPIO NVLLA ERIT VLTRA SPES: ET EXPECTATIO SOLLICITORVM PERIBIT. Iuxta Hebræum habetur: *Moriente homine impio peribit spes: & spes diuitiarum peribit.* Assimilantur diuitiæ homini impio quoad spem: quòd, quemadmodum cum homine impio perit spes; ita perit spes diuitiarum. Fiducia enim in diuitiis, etiam ipsis durantibus, vana est.

Vers. 8. IVSTVS DE ANGVSTIA LIBERATVS EST: ET TRADITVR IMPIVS PRO EO. Parùm refert, quòd dictio interpretata, *traditur*, sonat, *venit.* Verificationem habes in libro Hester, de Mardocheo liberato, & Haman suspenso.

SIMVLATOR ORE DECIPIT AMICVM SVVM: IVSTI AVTEM LIBERABVNTVR SCIENTIA. Vers. 9.
Iuxta Hebræum habetur: *In ore simulatorum destruent socium suum. & in scire iustorum euadent.* Efficacia simulationis adulatorum hypocritarum, & aliorum eiusmodi manifestatur, attribuendo illis, quòd homo simulator destruit socium suum quoad facultates, & quandoque quoad personam: quò contrà scientia iustorum tantæ est efficaciæ, vt euadere faciat iustos à laqueis simulationum.

IN BONIS IVSTORVM EXALTABITVR CIVITAS: ET IN PERDITIONE IMPIORVM Vers. 10.
ERIT LAVDATIO. Iuxta Hebr. habetur: *In benificatione iustorum lætabitur ciuitas: & in perditione impiorum cantus.* Hoc est, quando benefit iustis, quando prosperi sunt successus iustorum, lætatur ciuitas: & eadem ratione in perditione impiorum non solùm lætitia, sed etiam cantus rectæ ciuitatis erit: metentur enim iustorum bona lætitiam communem, & perditio impiorum cantum publicum.

BENEDICTIONE IVSTORVM EXALTABITVR CIVITAS: ET ORE IMPIORVM SVBVERTETVR. Vers. 11.
Dictio interpretata, *iustorum*, sonat, *rectorum.* Benedictio rectorum anceps est ad multiplicationem, & ad sermonem bonum. In vtroque autem sensu verificatur sententia hæc: nam & multiplicatio virorum rectorum, & benedicere à rectis prodiens exaltat ciuitatem. Quò contrà ore impiorum ruit ciuitas: impij enim non loquuntur ea, quæ ad bonum sunt ciuitatis: recti verò commune bonum semper prædicant.

QVI DESPICIT AMICVM SVVM, INDIGENS Vers. 12.
CORDE EST: VIR AVTEM PRVDENS TACEBIT. Iuxta Hebr. habetur: *Vilipendit socium suum minutus corde: & vir intelligentiarum tacebit.* Despicere amicum, seu socium, attribuitur deficienti corde. hoc est, homini, cui desunt interna animi bona. Quò contrà viro intelligentiarum fœcundo attribuitur tacere cognitis defectibus amici, seu socij: ille prorumpit in despectionem, iste silet.

QVI AMBVLAT FRAVDVLENTER, REVELAT Vers. 13.
ARCANA: QVI AVTEM FIDELIS EST CELAT AMICI COMMISSVM. Iuxta Hebr. habetur: *Ambulans explorator reuelat secretum: & fidelis spiritus tegit rem.* Officio explorationis attribuitur detegere secreta, quæ explorando per signa, seu verba nosse potuit. Quò contrà fideli spirituum, attribuitur tegere rem amici, seu domini, quam nouit. *Spiritum* est genitiui casus: & ad differentiam fidelis rerum, dicitur *fidelis spirituum.* Ille enim est fidelis circa res; iste autem est fidelis circa spiritum, hoc est, impulsum animi. Videns enim motus internos animi ex signis, aut percipiens ex verbis, tegit, quam nouit, rem amici, seu domini; fidem seruat non solùm circa verba, sed etiam circa spiritum; hoc est, impulsus, seu motus animi domini, seu amici sui. Reuelans autem secretum domini, vel amici sui; non amici, aut familiaris, sed exploratoris officio fungitur, quorum plenæ sunt Curiæ, à quibus nequeunt se custodire Principes, quoniam domestici sunt.

VBI NON EST GVBERNATOR, POPVLVS Vers. 14.
CORRVET: SALVS IVSTI, VBI MVLTA CONSILIA. Iuxta Hebræum habetur: *In non ingeniis corruet populus: & salus in multitudine consultorum.*

Quibus exploratoribus plena sint Curia.

rum. Venarem non videremus respublicas corruere: quia gubernatores earum deficiunt ingenijs requisitis ad prudentiam rectè gubernandi. Quò contrà salus publica, & &c. & conseruatur multitudine, non hominum; sed consultorum, qui, scilicet, idonei sunt consultores, qui vigent consilio, & ex meritis ingenij, ac prudentiæ ad officium consultoris assumpti sunt. Meminit autem multitudinis: quia ex collatione multorum particularium, præteritorum, præsentium, & futurorum, conflatur consilium: huiusmodi autem collationes, pensando singula, non fiunt plenè ab vno, sed regulariter oportet multos concurrere.

Quæ conseruet rempublicam.

Vers.15. AFFLIGETVR MALO, QVI FIDEM FACIT PRO EXTRANEO: QVI AVTEM CAVET LAQVEOS, SECVRVS ERIT. Iuxta Hebræum habetur: *Fractione frangetur: quia fideiussit pro extraneo: & osor tangentium confidens.* Superius in principio capituli 6. de fideiussione tractatum est: repetitur autem hic declarando, quòd fideiubens pro extraneo (ad differentiam coniunctorum, pro quibus debet homo fideiubere) fractione frangetur in facultatibus suis, eò quòd extraneus non soluet: quò contrà odio habens tangentes, hoc est, promittentes. Describitur enim promissio à contactu manuum, quo promissiones firmantur. Vsque enim in hodiernum diem firmantur promissiones contactu dexterarum manuum, tanquam signo fidei. Osor igitur contactuum (hoc est, promissionum, quæ firmantur contactu dexterarum) securus manet à vexatione solita fieri à creditoribus. Quomodo hæc intelligenda sint laudari, & vituperari, in capitulo 6. diximus.

Vers.16. MVLIER GRATIOSA INVENIET GLORIAM: ET ROBVSTI HABEBVNT DIVITIAS. Iuxta Hebræum habetur: *Nupta gratiæ fulcit honorem: & fortes fulciunt diuitias.* Assimilatur vxor gratiæ, (hoc est, venustatis gratæ hominum oculis.) viris fortibus quoad hoc, quòd quemadmodum viri fortes fulciunt, quas habent diuitias sua fortitudine; ita mulier nupta, & gratæ venustatis, fulciet honorem, sustentabit, ac tuebitur honorem proprium; non detrahetur à sua venustate ad aliquid minùs dignum suo honore: sed vtetur gratia sua ad fulciendum honorem suum, ac viri.

Vers.17. BENEFACIT ANIMÆ SVÆ VIR MISERICORS: QVI AVTEM CRVDELIS EST, PROPINQVOS ABIICIT. Iuxta Hebræum habetur: *Rependit animæ suæ vir gratiæ: & conturbat carnem suam crudelis.* Ne putares, quòd vir gratuitò benefaciens alijs, solis alijs prodest, docet te Salomon, quòd vir gratiæ (hoc est, gratuitò beneficus) sic prodest alijs, quòd rependit animæ suæ, quod illi debet: reddit enim animæ suæ actum veritatis, quem illi debet: tenetur enim homo ad implendum animum virtute ex hoc ipso, quòd animum impellentem ad virtutem sortitus est. Quò contrà vir crudelis non solùm nocet alijs crudelitate sua; sed etiam carnem suam (hoc est, consanguineos suos) conturbat, saltem exponendo eos periculo vltionis, vt, scilicet, læsi à crudeli sæuiant in consanguineos illius.

Tenetur homo implere animum virtute.

Vers.18. IMPIVS FACIT OPVS INSTABILE: SEMINANTI AVTEM IVSTITIAM, MERCES FIDELIS. Iuxta Hebræum habetur: *Impius facit opus falsitatis: & seminans iustitiam, stipendium veritatis.* Experientia quotidiana testatur, quòd impij opera, falsitatis plena sunt; vtpote fallaciam, fraudis, & doli copiam secum ferentia. Quò contrà vir seminans iustitiam verbis, & factis, stipendium sibi, & alijs parit veritatis; hoc est, lucem agendorum. Veritatis enim stipendium est lux: meretur siquidem lucem veritas: imò vendicat sibi lucem veritas, vt clareat. Et verè seminans iustitiam ducit ad lucem agendorum; & dignos reddit infusione diuinæ lucis.

Lux stipendium veritatis.

Vers.19. CLEMENTIA PRÆPARAT VITAM: ET SECTATIO MALORVM MORTEM. Iuxta Hebræum habetur: *Sic iustitia ad vitam: & sectator mali ad mortem suam.* Proportionalis similitudo sectatoris iustitiæ, & sectantis malum morale proponitur penes hoc, quòd sicut ille se habet ad vitam; sic iste ad mortem propriam. Ille enim continuè viuificat animum proprium; iste autem iugiter mortificat animum suum: præter hoc, quòd ille pergit ad vitam æternam; iste ad mortem æternam.

Non habetur, ad, & sequitur, vitæ, in datiuo; & postea, mortis eius.

Vers.20. ABOMINABILE DOMINO COR PRAVVM: ET VOLVNTAS EIVS IN IIS, QVI SIMPLICITER AMBVLANT. Iuxta Hebræum habetur: *Abominatio Iehouah iniqui corde: & voluntas eius perfecti in via.* Non solùm iniquitas, sed etiam iniquus (si non opere, tamen corde) manifestatur, quo est abominatio apud summum Deum. Quò contrà non solùm perfectio, sed homines perfecti in via huius vitæ declarantur, quòd sunt voluntas Dei, quòd beneplacent summo Deo.

Proportio sectantis iustitiam, & sectantis malum.

Vers.21. MANVS IN MANV NON ERIT INNOCENS MALVS: SEMEN AVTEM IVSTORVM SALVABITVR. Iuxta Hebræum habetur: *Manus ad manum non erit mundus malus; & semen iustorum euadet.* Et est sensus: Mox mox vir malus non erit mundus, non habebitur mundus à pœna, non erit impunis; sed citò citò punietur: totum enim præsentis vitæ tempus, tanquam momentum est relatiuè ad æternitatem futuræ vitæ. Quò contrà semen iustorum, quatenus iusti sunt, euadet æternam pœnam.

Sic quidam Hebræorum intelligunt hunc locum.

Vers.22. CIRCVLVS AVREVS IN NARIBVS SVIS: MVLIER PVLCHRA, ET FATVA. Dictio interpretata *fatua*, Hebraicè sonat, *recens à sapore.* Sed sensus in idem redit: insipidum nanque, seu insulsum appellamus fatuum. Porco itaque ornato in naribus circulo aureo assimilatur mulier pulchra, & insipida; eò quòd quemadmodum porcus fœdat circulum aureum in naribus eius, cœno, in quo delectatur, immiscens illum; ita mulier fatua abutitur pulchritudine sua ab ingenij, prudentiæque sapore recedens.

Hebræorum de porco similitudo.

Vers.23. DESIDERIVM IVSTORVM OMNE BONVM EST: PRÆSTOLATIO IMPIORVM FVROR. Iuxta Hebræum habetur: *Desiderium tantum bonum: spes impiorum ira.* Differentia inter desiderium iustorum, & impiorum describitur penes hoc, quòd desiderium iustorum tendit ad bonum duntaxat; spes autem impiorum similis est iræ, hoc est, tendit ad bonum, & malum; ad bonum delectabile sibi; malum verò aliorum. Ira enim delectabilis est in executione vindictæ; nociua autem illis, in quos exercetur. Et hæc intellige formaliter de desiderio iustorum, quatenus iusti sunt; & spes impiorum, quatenus sunt impij.

Differentia desiderij iustorum, & impiorum.

Vers.24. ALII DIVIDVNT PROPRIA, ET DITIORES FIVNT: ALII RAPIVNT NON SVA, ET SEMPER IN EGESTATE SVNT. Iuxta Hebræum habetur: *Est sparsor, & addetur etiam: & est prohibens à rectitudine tantùm ad defectum.* Et est sensus, quòd

Etiam siue, Amplius.

inuenitur

CAPVT XII.

Vers. 1. QVI DILIGIT DISCIPLINAM, DILIGIT SCIENTIAM: QVI AVTEM ODIT INCREPATIONES, INSIPIENS EST. Iuxta Hebræum habetur: *Diligens castigationem, amat scire: & osor increpationis stultus.* Ab effectu discernitur amator scientiæ à stulto. Ille enim cognoscitur ex eo, quòd placet ei castigari: iste verò ex eo, quòd odit increpari. Castigatio siquidem, & increpatio sunt viæ, suntque media ad discendam scientiam, hoc est, notitiam certam agendorum.

Quibus signis cognoscitur stultus, & amator scientiæ.

Vers. 2. QVI BONVS EST, HAVRIET A DOMINO GRATIAM: QVI AVTEM CONFIDIT COGITATIONIBVS SVIS, IMPIE AGIT. Iuxta Hebræum habetur: *Bonus educet voluntatem à Iehouah: & virum cogitationum condemnabit.* Quantum placeat vir bonus summo Deo, manifestatur ex hoc, quòd educet voluntatem (hoc est, id, quod vult) à summo Deo: educet autem meritis, & precibus. Qui contrà virum cogitationum condemnabit summus Deus. Distinguitur autem è regione viri boni vir cogitationum, hoc est, vir non credens reuelatis à summo Deo, sed inhærens cogitationibus humanis, quales omnes infideles sunt, qui non inhærent reuelatis per Prophetas à Deo, sed euanescunt in cogitatis ab hominibus.

Vers. 3. NON ROBORABITVR HOMO EX IMPIETATE: ET RADIX IVSTORVM NON COMMOVEBITVR. Iuxta Hebræum habetur: *Non stabilietur homo impietate, & radix iustorum non commouebitur.* Impietas facit hominem instabilem, eò quòd etiam ad contraria ducit impium, prout vtile, vel delectabile occurrerit. Videmus enim impium, & auarum, & prodigū, & superstitiosum, & minùs religiosum, &c. Quò cōtrà iustitia reddit hominem immobilē, quia radix iustorū (quę est rectitudo) inflexibilis est, & obliquitatis impatiens.

Quare impius instabilis.

Quare iustus immobilis.

Vers. 4. MVLIER DILIGENS, CORONA EST VIRO SVO: ET PVTREDO IN OSSIBVS EIVS, QVÆ CONFVSIONE RES DIGNAS GERIT. Iuxta Hebræum habetur: *Mulier fortitudinis, corona mariti sui: & sicut putre in ossibus eius faciens pudere.* Commendatur vxor fortis animi, tanquàm corona mariti sui; hoc est, honorem, & gloriam præstans marito. Quò contrà vxor faciēs pudere maritum suum, non solùm pudefacit maritum, & seipsam; sed etiam in ossibus propriis (hoc est, in intimis,) refert animum, tanquàm putredine, hoc est, putribus qualitatibus: ita quòd non solùm extrà, sed etiam intùs fœtida est.

Eius, ... fortis mariti sui.

Vxor impudens fœtet intus, &c.

Vers. 5. COGITATIONES IVSTORVM IVDICIA, ET CONSILIA IMPIORVM FRAVDVLENTA. Secunda particula iuxta Hebræum legenda est: *Ingenia impiorum dolus.* Cogitationes iustorum tendunt ad iudicium, tendunt ad ius suum vnicuique reddendum. Quò contrà ingenia impiorum tendunt ad fallendum.

Cogitationes iusti, & impii, quo tendant.

Vers. 6. VERBA IMPIORVM INSIDIANTVR SANGVINI: ET OS IVSTORVM LIBERABIT EOS. Sępè contingit impios occultè tendere ad effusionē sanguinis innocentis, & ad hoc verbis suis operam dant; occultè tamen, tanquàm per insidias: sed diuina benignitate sæpè quoque euenit, vt verba rectorum faciant euadere eos, quibus impij insidiantur.

Vers. 7. VERTE IMPIOS, ET NON ERVNT: DOMVS AVTEM IVSTORVM PERMANEBIT. Iuxta Hebr. habetur, *Vertendo impios, & non ipsi: & domus iustorum stabit.* Versio fortunæ de bona in malam sæpè tollit etiam esse impiorum, eò quòd protegebantur bonis fortunę solis: impietas enim eorum merebatur mortem; sed bona fortunæ sustentabant eum, experientia sæpe testante hoc. Quò contrà familia iustorum fundata non in bonis fortunæ, sed in virtute, quamuis vertatur fortuna eorum; habent tamen, vnde stent: habent enim virtutem, quæ permanet.

Fortuna iusti, & impij, qualis.

Vers. 8. DOCTRINA SVA NOSCITVR VIR: QVI AVTEM VANVS, ET EXCORS EST, PATEBIT CONTEMPTVI. Iuxta Hebr. habetur: *Secundùm intellectum suum laudabitur vir: & iniquus corde erit in contemptum.* In conciliis videmus laudari vnumquemque consultorem secundùm intellectum eius plus, & minùs, & vbi laus attribuitur intellectui, ibi iniqui corde (quorum studium est ad malum) contemnuntur; ideò quòd non secundùm ingenium, sed secundùm iniquitatem cordis consulunt.

Vers. 9. MELIOR EST PAVPER, ET SVFFICIENS SIBI, QVAM GLORIOSVS, ET INDIGENS PANE. Iuxta Hebræum habetur: *Melior vilipensus, & seruus sibi.* Quotidie in multis locis contrarium huius parabolæ videmus: multi siquidem apparere honorabiles, & indigere pane malunt, quàm deiicere seipsos ad exercitium aliquod, & sruire sibimet, vt habeant, quæ opportuna, & commoda sunt ad victum. Contra hanc peruersitatem inquit Salomon, quòd melior est homo vilipensus à seipso, propterea quòd est seruus sibiipsi, quòd opera seruilia facit sibi ipsi, vt habeat victum; quā honorās se nolēdo vilia opera facere: & minus est pane, quia deficit ei necessarius victus.

Peruersitas nostri.

Vers. 10. NOVIT IVSTVS ANIMAS IVMENTORVM SVORVM: VISCERA AVTEM IMPIORVM CRVDELIA. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et miserationes impiorum crudelitas.* Iustus tam benignus describitur, vt non solùm curam habeat seruandi, quo indigent filij, famuli, & serui; sed etiam, quid appetant iumenta, & pecora eius, vt prouideat eis, vt det vnicuique quasi ius suum. Quò contrà impius describitur cum sola crudelitate: exaggerando enim crudelitatem impij dicitur, quòd miserationes eius sunt crudelitas; hoc est, loco miserationum habet crudelitatem.

Benignitas iusti etiam ad bruta animalia, secundùm Hebræorum intelligentiā.

Crudelitas impij.

Vers. 11. QVI OPERATVR TERRAM SVAM, SATVRABITVR PANIBVS: QVI AVTEM SECTATVR OTIVM, STVLTISSIMVS EST. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et sequens vacuos minutus corde.* E regione colentis agrum suum, collocatur sequens vacuos, proculdubiò arte, & officio: vt intelligamus comprehendi sub hac parabola, hinc omnes operarios cuiuscunque artis, seu industriæ, ex qua saturantur pane, (hoc est, acquirunt opportuna ad victum:) inde vacantes otio sine officio, sine arte, sine industria aliqua; quod ex defectu cordis (hoc est, internæ virtutis) euenire affirmat Salomon.

Vnde impotentes artem habeant.

QVI SVAVIS EST, VIVIT IN MODERATIONIBVS: ET IN SVIS MONITIONIBVS RELINQVIT CONTVMELIAM. Tota hæc clausula superflua est: non enim habetur in Hebræo.

Vers. 12. DESIDERIVM IMPII MONIMENTVM EST PESSIMORVM: RADIX AVTEM IVSTORVM PROFICIET. Iuxta Hebr. habetur: *Desideriū impij, laqueus malorū, & radix iustorū dabit.* Tam delectabilia, quàm vtilia, (quę sola ab impiis desiderantur,) laquei sunt hominum malorum: illaqueant enim

enim eos. Quò contrà iustorum radix (quæ rectitudo est) dabit. Desiderium impiorum illaqueando capit, rectitudo iustorum dat: illud accipere nititur; hæc ingerit dat, proculdubiò fructus iustitiæ volentibus eos. Iustitia enim virtus est tribuens vnicuique ius suum: & rectitudo communicatiua naturaliter est.

Vers. 13. PROPTER PECCATA LABIORVM RVINA PROXIMAT MALO: EFFVGIET AVTEM IVSTVS DE ANGVSTIA. Iuxta Hebræum habetur: *In rebellionem labiorum impegit malus: & exiuit de angustia iustus.* Et hoc quoque sæpè accidit, vt malignantes aduersùs aliquem impingant in contrarios sermones: & sic iustus, contra quem malignabantur, exit de angustia. Exemplum clarum habes in senibus malignantibus aduersùs Susannam, & in liberatione Susannæ, qua impegerant in contrarios sermones.

Impegit, habetur, malus, & exiuit iustus de laqueum.

Vers. 14. DE FRVCTV ORIS SVI VNVSQVISQVE REPLEBITVR BONIS: ET IVXTA OPERA MANVVM SVARVM RETRIBVETVR EI. Iuxta Hebræum habetur: *De fructu oris viri saturabitur bono: & meritum manuum hominis faciet reddere ei.* Disparitas inter os, & manus, inter fructum sermonis, & fructum operum describitur penes hoc, quod fructus eloquij est aliorum bonum: fructus verò manuum (hoc est, operum) est proprium bonum. Fructus oris est persuadere, instruere, consolari, & id genus reliqua, quæ satiant (hoc est, satiatiua sunt aliorum) bono animæ cibo: meritum autem manuum (hoc est, operum) facit reddere homini operanti, quod meretur: facit autem apud diuinum tribunal saltem.

Fructus oris, & fructus operis quanti.

Facit apud diuinum tribunal bona reddere, vt etiam Aben Ezra exponit.

Vers. 15. VIA STVLTI RECTA IN OCVLIS EIVS: QVI AVTEM SAPIENS EST, AVDIT CONSILIA. Sententia clara est. Stultitiæ siquidem attribuitur sequi propriam iudicium contra aliorum consilia: quia id, quod sibi videtur, iudicat rectum. Quò contrà sapientiæ attribuitur adhærere consilijs aliorum: & hæc verificantur in singularibus occurrentibus, quorum non est determinata rectitudo: nam consilium de rectitudine circa particularia huiusmodi versatur.

Sequi proprium iudicium contra aliorum consilia, stultitia est.

Vers. 16. FATVVS INDICAT STATIM IRAM SVAM: QVI AVTEM DISSIMVLAT INIVRIAM, CALLIDVS EST. Dictio interpretata *statim*, sonat *in die*. Secunda autem particula iuxta Hebræum habetur: *Et tegit ignominiam ingeniosus.* Stultitiæ ascribitur indicare in die (hoc est, manifestè) iram suam comminando, & manifestando se vindicaturum ignominiam, quam passus est. Quò contrà tegens illatam sibi ignominiam ingeniosus est. Ex hinc habes, quòd prima sententia intelligitur in casu, quo meditandum patiis esset, an sit vindicandum, seu in casu, quo tegi potest silentio illata sibi iniuria: in huiusmodi enim casibus ingeniosius fieret; stultus verò manifestè comminatur.

Vers. 17. QVI, QVOD NOVIT, LOQVITVR, INDEX IVSTITIÆ EST: QVI AVTEM MENTITVR, TESTIS EST FRAVDVLENTVS. Iuxta Hebræum habetur: *Loquetur fidelitas, annunciabit iustitiam: & testis falsitatum dolum.* Fidelitas (hoc est, homo fidelis, homo verax) cùm loquitur, loquitur iustitiam, hoc est, quod iustum est dici ab ipso. Quò contrà testis falsitatum loquitur dolum.

Vers. 18. EST, QVI PROMITTIT, ET QVASI GLADIO PVNGITVR CONSCIENTIÆ: LINGVA AVTEM SAPIENTIVM SANITAS. Iuxta Hebræum habetur: *Est loquens, sicut perforationes gladij: & lingua sapientum, sanitas.* Perforationes gladij appellantur, non plagæ, quas gladij incidendo faciunt, sed quas perforando ictibus penetrantibus per cuspides, seu mucrones: huiusmodi enim perforationibus assimilantur nonnullorum verba penetrantia aliorum animos, & plagas acutissimas inferentia honori, famæ, facultatibus. Quò contrà lingua sapientum assimilatur nouæ sanitati: quoniam sanitatem animæ alijs confert.

Quibus assimilentur verba aliorum.

Vers. 19. LABIVM VERITATIS FIRMVM ERIT IN PERPETVVM: QVI AVTEM TESTIS EST REPENTINVS, CONCINNAT LINGVAM MENDACII. Iuxta Hebræum habetur secunda particula: *Et vsque ad monumentum lingua falsitatis.* Habet enim in se veritas, vnde permaneat, & stabilis perseueret. Est enim veritas maximæ virtutis, ac constantiæ. Quò contrà mendacium instabile est: & propterea durat ad monumentum: citò enim detegitur, frequenter quoque mendax profert contraria.

Veritas stabilis, mendacium instabile, vnde dicitur: Oportet mendacem esse memorem.

Vers. 20. DOLVS IN CORDE COGITANTIVM MALA: QVI AVTEM PACIS INEVNT CONSILIA, SEQVITVR EOS GAVDIVM. Inter machinantes ad malum & consultores pacis describitur disparitas in corde penes hoc, quòd in corde illorum viget dolus, in corde autem istorum lætitia. Illi enim intùs torquentur: isti gaudent.

Vers. 21. NON CONTRISTABIT IVSTVM, QVIDQVID EI ACCIDERIT: IMPII AVTEM REPLEBVNTVR MALO. Iuxta Hebr. habetur. *Non parabitur iusto omne iniquum: & impij impleti sunt malo.* Nullum iniquum parabitur iusto, tanquam cibus eius, eò quòd iustus horret quodcunque iniquum. Quò contrà impij saturantur malo culpæ; vescuntur enim iniquis operibus.

Vers. 22. ABOMINATIO DOMINO LABIA MENDACIA: QVI AVTEM FIDELITER AGVNT, PLACENT EI. Non solùm hominibus displicent mendaces, & placent fideles; sed etiam summo Deo: vt discamus, quanta est inter veracem, & mendacem disparitas.

Vers. 23. HOMO VERSVTVS CELAT SCIENTIAM: ET COR INSIPIENTIVM PROVOCAT STVLTITIAM. Dictio interpretata, *versutus*, sonat, *ingeniosus*. Et interpretata, *prouocat*, sonat, *vocabit*, in futuro. Vir vigens ingenio occultat scientiam, non doctrinæ speculatiuæ, sed alicuius particularis, quam nouit: vt Samuel, instruente Deo, celauit Bethlehemitis, quòd venerat ad vngendum Regem. Quò contrà insipiens cor, non solùm despit in seipso: sed etiam silere, nota, vocat stultitiam. Et hinc apparet, quòd de loquutione in concilijs, seu tractatibus parabola ista tractat: ingeniosi siquidem viri in concilijs, seu tractatibus multa, quæ nouerunt, tacent, videntes non expedire tunc manifestare totum, quod sciunt circa negotium illud: nimis autem sapientes censent dicenda omnia, quæ quis nouit pertinentia ad negotium illud; & propterea appellant stultitiam, (hoc est, imprudentiam.) huiusmodi silentium.

Sapientis est celare non expedientia taceri.

Vers. 24. MANVS FORTIVM DOMINABITVR: QVÆ AVTEM REMISSA EST, TRIBVTIS SERVIET. Iuxta Hebræum habetur: *Manus sollicitorum dominabitur: & dolus erit ad liquefactionem.* Sollicitudini in quolibet opere attribuitur inualescere, immò præualere, & etiam dominari. Quò contrà dolosis operibus attribuitur deficere ad instar niuium, quæ liquescunt: dolo enim parta videmus

non

non malitiam durare; sed quasi liquefaciendo deficere: quæ autem sollicitudine acquirūtur, producunt hominem ad prævalendum. Ipsa enim sollicitudo euehit etiam ad dominium, vt experientia testatur in multis.

Vers. 25. MOEROR, QVI IN CORDE VIRI, HVMILIABIT ILLVM, ET SERMONE BONO LÆTIFICABITVR. Parabola clara est, nec expositione eget, cùm quotidie videamus, in mœstitia deiectos lætificari bonis verbis.

Vers. 26. QVI NEGLIGIT DAMNVM PROPTER AMICVM, IVSTVS EST: ITER AVTEM IMPIORVM DECIPIET EOS. Iuxta Hebr. habetur: *Abundat præ socio iustus: & via impiorum faciet errare eos.* Regulariter veteris Testamenti tempore iusti abundabant diuitiis, imò populo Israël iusto promissa est opulentia: impij verò ex propriæ malitiæ via errant per culpas, & pœnas. Relata quoque hæc parabola ad animos verificatur omni tempore: quoniam iustus, etiamsi minùs habeat, abundat præ socio suo: quia quiescit animo, & paupertas læta est illi; ac per hoc ditissimum reddit: impij autem insatiabiles ex meritis errant propriæ viæ.

Impius insatiabilis, & iustus abundans.

Vers. 27. NON INVENIET FRAVDVLENTVS LVCRVM: ET SVBSTANTIA HOMINIS ERIT AVRI PRETIVM. Iuxta Hebræum habetur: *Non aduret dolus venationem suam: & diuitiæ hominis pretiosæ, obrizum.* Describitur vir dolosus ad instar venatoris: & quia venator capram autem adurit igni, ad expurgandum illam pennis, ideò alludendo ad huiusmodi actionem dicitur, quòd dolus non aduret venationem suam, hoc est, non solum priuabitur comestione venationis suæ; sed etiam priuabitur adustione illius ad purgandum eam pennis, seu pilis: significatur enim per hoc, quòd citò amittet illam. Et declarando, in quo consistit huiusmodi venatio subiungit, quòd pretiosæ diuitiæ hominis consistunt in auro perfecto: quicquid enim acquiritur, in auro mensuratur, vtpote pretio omnium, & apud omnes charo.

Vers. 28. IN SEMITA IVSTITIÆ VITA: ITER AVTEM DEVIVM DVCIT AD MORTEM. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et via semitæ, non mors.* Qualis est via iustitiæ (hoc est, qua graditur iustitia) declaratur dicendo, quòd est vita, proculdubiò animi: & ne putares, quòd huiusmodi via vitalis admisceretur morti, subiungit, & via (proculdubiò prædicta) est semita, non mors, hoc est, sine morte. Est enim via vitæ, per quam iustitia graditur, immortalis: quoniam perseuerat etiam post mortem corporis. Potest quoque intelligi, quòd in hoc tempore vita iustitiæ est sine morte: quia non compatitur secum animæ mortem: non enim fieri potest, vt animus, partim viuat, & partim moriatur in via iustitiæ: nisi enim animus ex integro sit iustus, non viuit vita iustorum: propter quod in lege præcipitur, vt diligatur Deus ex corde toto, & non ex parte cordis.

CAPVT XIII.

Vers. 1. FILIVS SAPIENS, DOCTRINA PATRIS: QVI AVTEM ILLVSOR EST, NON AVDIT, CVM ARGVITVR. Sententia redditur, quamuis Hebraicè non doctrina, sed eruditio scribatur. Secunda verò particula legenda est: *Et illusor non audiuit increpationem.* Regulariter sapientia filij est eruditio patris, hoc est, est ex eruditione patris: filij enim benè eruditi à patre emergunt sapientes. Quòd contrà filius, qui non audiuit increpationem paternam, illusor est: non est culpandus pater, qui increpauit; sed culpa est filij. Et appellatur culpa hæc illusio, eò quòd vel animo fefellit, tanquàm deridens paternum beneficium. Sapientia itaque filij adscribitur beneficio patris: non audire autem adscribitur illusioni filij, vel è contra illusio filij adscribitur non auditioni patris.

Sapientia filij ex patre est.

Vers. 2. DE FRVCTV ORIS SVI HOMO SATIABITVR BONIS: ANIMA AVTEM IMPIORVM INIQVA. Iuxta Hebræum habetur: *De fructu oris viri comedet bonum: & anima mentientium iniquum.* In genere hîc dicitur, quod in specie Paulus dixit: *Christi bonus odor sumus*, aliis odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem: ex vno siquidem, eodemque fructu legis, fidei, iustitiæ, & doctrinæ, diuersos, imò contrarios cibos comedunt homines diuersimodè dispositi. Nam os viri nulla praua affectione infectum comedet bonum: & anima mentientium iniquitatibus suis Deo comedet iniquum, interpretando fructum, siue legis siue fidei, siue iustitiæ, siue doctrinæ, in malam partem.

2. Cor. 2. 15

Verè de malo, ex eodem fructu diuersi comedunt.

Vers. 3. QVI CVSTODIT OS SVVM, CVSTODIT ANIMAM SVAM: QVI AVTEM INCONSIDERATVS EST AD LOQVENDVM, SENTIET MALA. Secunda particula in Hebræo habetur: *Dilatans labia sua, fractio ei.* Curam habere propriæ linguæ est non solùm custodire ipsam linguam, sed etiam animam propriam à peccato, desideriumque proprium ab impedimentis. Quòd contrà dilatans labia sua, quando oporteret ea restringere, incurrit fractionē. Franguntur enim desideria, ac opera eius ab aduersariis propter immoderata illius verba.

Quæ vtilitas custodiendi linguam, & quale damnū dilatantis labia.

Vers. 4. VVLT, ET NON VVLT PIGER: ANIMA AVTEM OPERANTIVM IMPINGVABITVR. Iuxta Hebræum habetur: *Cupit sibi, & non anima eius, piger: & anima sollicitorum impinguabitur.* Et est ordo literæ: Piger cupit sibi, & non assequitur anima eius, quod cupit: quia pigritia retrahit ipsum à prosequutione concupiti. Quòd contrà sollicitorum anima ex propria sollicitudine impinguabitur assequendo, quod cupit. Et hæc verificantur in spiritualibus, & corporeis.

Pigri, & impigri proprietas.

Vers. 5. VERBVM MENDAX IVSTVS DETESTABITVR: IMPIVS AVTEM CONFVNDIT, ET CONFVNDETVR. Iuxta Hebræum habetur: *Verbum falsitatis odio habebit iustus, & impius faciet putrescere, & faciet vituperare.* Hebraïco more etiam factum appellatur verbum: ita quòd verbo falsitatis comprehendit omnem iniquum morem: & est sensus parabolæ, quòd iustus odio prosequitur iniquitatem occultam, arguendo occultantem eam falsa demonstratione, vt corrigat se huiusmodi simulator. Quòd contrà impius tacebit, & faciet putrescere iniquitatem alterius non correctam, & faciet vituperare illum: silendo enim est causa, quòd putrescat, fœtorémque emittat occulta priùs iniquitas, & consequenter est causa vituperationis illius.

Quomodo impius sit tacere contra vitia aliorū, & iustus arguere.

Vers. 6. IVSTITIA CVSTODIT INNOCENTIS VIAM: IMPIETAS AVTEM PECCATOREM SVPPLANTAT. Iuxta Hebræum habetur: *Iustitia custodiet perfectum viæ: & impietas deflectet peccatum.* Hoc est, iustitiam habens, custodiet eum vsque ad perfectionem viæ, tam operis, quàm huius vitæ. Quò

contrà impietas viri deflectet peccatum illius à via interna: sæpè enim ab interno, & à medijs deuiæ deflectente eum impietate eius.

Vers. 7. Est qvasi dives, cvm nihil habeat: et est qvasi pavper, cvm in mvltis divitiis sit. Expositio est non interpretatio. Nam iuxta Hebræum habetur: *Est ditescens, & non omne: qui pauper fit, & facultas multa.* Et scito, quòd Hebræi vtuntur hic gerundio significante fieri pauperem, quemadmodum ditescere significat fieri diuitem: & sensus clarus parabolæ in promptu est, videlicet, quòd inuenitur aliquis ex nihilo ditescens. Quò contrà inuenitur aliquis, qui ex multis facultatibus fit pauper. Quotidie hæc videmus.

Expositio Rabbinorum quorundam, licet alij exponant, quod est, qui ostentat diuitias, cùm nihil domi habeat, &c.

Vers. 8. Redemptio animæ viri, divitiæ svæ: qvi avtem pavper est, increpationem non svstinet. Dictio interpretata, *redemptio*, sonat, *pretium*. Et dictio interpretata, *sustinet*, sonat, *audiuit*. Et est sensus parabolæ, quòd homo æstimatur secundùm diuitias suas: ita quòd diuitiæ hominis sunt tanquàm pretium eius, & quòd tanti appretiamur hominem, quantæ sunt illius diuitiæ, quod vtinam non iugiter videremus. Quò contrà pauper vsque adeò habetur pro nihilo, quòd nec admittitur ad audiendum increpationem: abijcitur enim ab alijs, & multò magis repellitur ab audiu aliorum negotiorum.

Quantùm quis ... habet ... tantùm habet, & fides, &c.

Vers. 9. Lvx ivstorvm lætificat: lvcerna avtem impiorvm extingvetvr. Vtrunque verbum futuri est temporis apud Hebræos. Lux naturæ, lux doctrinæ, lux virtutum, lux denique gratiæ lætificabit, & ipsum iustum, & alios. Quò contrà lucerna impiorum, tam materialis, quàm doctrinæ, extinguetur à virtis eorum suffocantibus vel ventilantibus illam.

Lucerna iusti, & impij, quæ sit.

Vers. 10. Inter svperbos semper ivrgia svnt: qvi avtem agvnt cvncta consilio, regvntvr sapientia. Iuxta Hebræum habetur: *Tantùm in importate dabit litem, & cum consultoribus sapientia.* Impietas hic sonat iniquitatem, quæ studiosa fit, & huiusmodi soli impietati adscribitur dare litem. Non dicitur, quòd sola impietas litigat; sed, quòd sola impietas dat litem. Iustus enim paratus litem, non dat illam: sed, quæ satisfacere renuit, litem dare nolle autem satisfacere, impietatis est studiosæ, loquendo per se & formaliter. Est enim sermo de dare litem ex voluntate, & proposito. Quemadmodum autem dare litem, comes est impietatis dumtaxat: ita sapientia comitatur tantùm consultores, hoc est, viros consilio vigentes: & hoc manifestè est verum: defectus enim consilij desipere facit.

Quid sit, dare litem.

Vers. 11. Svbstantia festinata minvetvr: qvæ avtem pavlatim colligitvr manv, mvltiplicabitvr. Iuxta Hebræum habetur: *Opes à vanitate minuentur: & colligens super manum multiplicabit.* Amphibologicus sermo est. Nam à vanitate potest referri ad opes, & potest referri ad verbum, minuentur. Et si quidem refertur ad *opes*, sensus est, quòd opes ex vanitate, (hoc est, sine labore habitæ) minuentur: quæ enim homo sine labore habet, minus appretiatur. Si verò refertur ad verbum, *minuentur*, non eget expositione: quia clarum est, quòd vanitatibus vacando minuentur. E regione autem primi sensus directè collocatur secunda particula, sonans, quòd colligens sine ... super manum, hoc est, super proprio labore opes, multiplicabit eas.

Opes sine labore quæsitæ minuuntur.

Vers. 12. Spes, qvæ differtvr, affligit animam: et lignvm vitæ desiderivm veniens. Sententia redditur, prima tamen particula iuxta Hebræum habetur: *Spes protracta, ægrotans cordis.* E regione spei protractæ, quantùm ad rem speratam, ponitur desiderium veniens; & è regione ægritudinis cordis ponitur lignum vitæ, quod seruat ab omni ægritudine. Assimilatur siquidem assecutio desiderata, ligno vitæ, pro quanto reficit, recreat, atque consolatur animum hominis: & diuturna protractio rei speratæ, quantum ægritudinis in animo generet, experimur.

Vers. 13. Qvi detrahit alicvi rei, ipse se in futurvm obligat: qvi avtem timet præceptvm, in pace versabitvr. Iuxta Hebræum habetur: *Vilipendens verbum dolebit: & timens præceptum et retribuetur.* Ex eo, quòd è regione *vilipendentis verbum*, collocatur *timens præceptum*, innuitur, quòd de verbo præsidentium est sermo. Et quia è regione retributionis ponitur dolor, insinuatur, quòd sensus parabolæ est, quòd vilipendens verba, vel facta maiorum, dolebit tempore, quo distribuuntur officia reipublicæ, vtpote posthabitus. Quò contrà timens mandata maiorum, tempore, quo distribuuntur reipub. officia, retributionem accipiet, vtpote æstimatus, & euectus.

Ti. est nominatiuus.

Animæ dolosæ in peccatis: ivsti avtem misericordes svnt, et miserantvr. Iuxta Hebræum nihil huius clausulæ habetur.

Vers. 14. Lex sapientis, fons vitæ: vt declinet a rvina mortis. Iuxta Hebræum habetur: *Lex sapientis, vena vitæ: ad recedendum à laqueis mortis.* Optimè describitur sapientis lex, quantùm ad hoc, quòd est vena vitæ per recessum à laqueis mortis. Lex enim non confert vitam, nisi efficiendo, quòd homo obseruando ea, quæ sunt legis, euadat laqueos mortis & corporis, & animæ. Conferre enim vitam, non legis, sed gratiæ est.

Lex sinit à laqueis mortis: sola autem gratia vitam confert.

Vers. 15. Doctrina bona dabit gratiam: in itinere contemptorvm vorago. Iuxta Hebræum habetur: *Intellectus bonus dabit gratiam: & via mentientium dura.* Esse benignum, atque gratuitò beneficum proficiscitur ab intellectu bono, ab intelligente benè qualiter conuersandum cum alijs sit, & quòd morem gerere alijs docet. Quò contrà via mentientium, sine verbo, sine facto, dura est, vtpote non cedens precibus, non decoro, & congruis officijs.

... benignum habeas.

Astvtvs omnia agit cvm consilio: qvi avtem fatvvs est, aperiet stvltitiam. Iuxta Hebræum habetur: *Omne ingeniosus faciet sciendo; & stultus pandet stultitiam.* Ingeniosus vtitur scientia in omnibus, quæ facit. Quò contrà fatuus vtitur stultitia sua expandendo eam.

Vers. 16. Nvncivs impii cadet in malvm: legatvs avtem fidelis, sanitas. Iuxta Hebræum legendum est, *impius.* Sonat enim parabola, quòd nuncius impius in officio nuncij, qui, scilicet, impietate vtitur, vel erga mittentem non fideliter nunciando, vel circa materiam nunciando impia, quales fuerunt nuncij Senacherib ad viros Hierusalem tempore Ezechiæ: vtroque enim modo nuncius impius cadet in malum: quoniam vtrobique inuenitur iniquitas magna. Quò contrà è regione primi sensus legatus fidelis sanitas est: hoc est, tanquàm sanitas corporis est mittenti eum.

Egestas,

Vers. 18. EGESTAS ET IGNOMINIA EI, QVI DESERIT DISCIPLINAM: QVI AVTEM ACQVIESCIT ARGVENTI, GLORIFICABITVR. Iuxta Hebræum habetur: *Paupertas, & ignominia detegit correptionem, & custodiens increpationem honorabitur.* Commune est paupertati, & ignominiæ, parui pendere argui, ex eo, quòd tam pauper, quàm infamis, reputat se argui, non ex amore, quamuis diuersis rationibus: pauper quidem, cùm arguitur, accusat arguentem, quòd non subueniat suæ paupertati, quòd non habet curam subueniendi manifestæ inopiæ, & fingit se habere curam animæ pauperis: infamis verò accusat arguentem, vt famæ arguentis detrahat, similemque sibi reddat. Et propterea tam pauper, quàm infamis obiurgatus secretè non tacet, sed detegit increpationem, quam accepit. Quò contrà, qui curam habet reprehensionis sibi factæ, secretò honorabitur. Et ambo hæc verificari quotidie videmus.

Ratio, quare pauper, & infamis arguit paruipendunt.

Vers. 19. DESIDERIVM SI COMPLEATVR, DELECTAT ANIMAM: ET DETESTANTVR EOS STVLTI, QVI FVGIVNT MALA. Iuxta Hebræum prima particula dupliciter legitur: vel, *Desiderium existens*, vel, *Desiderium fractum dulcescet animæ.* Secunda autem particula sic habetur: *Et abominatio stultorum, recedere à malo.* Si legitur, *existens*, sensus est, desiderium adimpletum. Si verò legitur fractum, sensus est, desiderium discontinuatum quoad fruitionem rei desideratæ. Dulcescit namque animo non solùm assecutio rei desideratæ; sed etiam discontinuatio rei desideratæ: continuatio enim delectationis corporeæ fastidium parit. Quò contrà stulti tam assidui sunt in malo, vt abominabile sit apud eos recedere à malo. Et particula hæc directè secundæ lectioni quadrat.

Continuatio delectationis corporalis parit fastidium.

Vers. 20. QVI CVM SAPIENTIBVS GRADITVR, SAPIENS ERIT: AMICVS STVLTORVM EFFICIETVR SIMILIS. Iuxta Hebræum habetur: *Ambulans cum sapientibus sapiens fiet: & comes stultorum frangetur.* Quare gradiens cum sapientibus fiet sapiens, clarum est. Ratio verò, quare comes stultorum frangetur, eadem est: quia stulti franguntur, tum in factis, tum in verbis; impediuntur enim, & reiiciuntur: comes autem eorum, comes est quoque pœnæ illorum.

Vers. 21. PECCATORES PERSEQVITVR MALVM: ET IVSTIS RETRIBVETVR BONVM. Spectando ad merita dicit parabola, quòd peccatores sequetur, seu persequetur malum pœnæ, (hoc enim merentur:) iustis autem retribuetur bonum, quod merentur. Et quamuis hæc non semper hic verificentur, apud tamen summi Iudicis tribunal verissima hæc sunt.

Vers. 22. BONVS RELINQVET HÆREDES FILIOS, ET NEPOTES: ET CVSTODITVR IVSTO SVBSTANTIA PECCATORIS. Ad merita, & ad statum veteris legis spectat hæc parabola: merentur enim iusti habere hæredes filios filiorum, & vt facultates iniquorum recondantur ipsis iustis: & hoc in veteri lege permissum fuit: facultates enim Chananæorum reconditæ sunt Israelitis, &c.

Vers. 23. MVLTI CIBI IN NOVALIBVS PATRVM: ET ALIIS CONGREGANTVR ABSQVE IVDICIO. Iuxta Hebræum habetur: *Multus cibus sulcus capitum: & est consumptus in non iudicio.* Dictio interpretata, *capitum*, anceps est ad capita, vel pauperes: vtro autem modo legas, sensus parabolæ est, quòd aliquis ager profert fruges multas, & aliquis inuenitur consumptus absque iudicio, absque ratione, quare isti sunt consumpti, & non illi: & est sermo de iudicio humano: Deus enim non sine iudicio hanc disparitatem facit, quam videmus sæpe accidere.

Vers. 24. QVI PARCIT VIRGÆ, ODIT FILIVM SVVM: QVI AVTEM DILIGIT ILLVM, INSTANTER ERVDIT. Sententia redditur, quamuis Hebraicè vltima verba sonent: *Quærit castigationem eius.* Appellatur autem odium filij, non affectu, sed facto: pater enim non castigans filium, non afficitur odio filij; sed facto odit eum: ipsa enim omissio castigationis est factum contra bonum filij. Quò contrà pater filium diligens opere, & veritate, omni ex parte quærit bonum filij; & propterea non omittit castigationem eius.

Odium affectu, & odium facto.

Vers. 25. IVSTVS COMEDIT, ET REPLET ANIMAM SVAM: VENTER AVTEM IMPIORVM INSATVRABILIS. Dictio interpretata, *insaturabilis*, sonat, *deficiet.* Et hæc ad merita, & veteris legis statum spectant: merentur enim impij, vt deficiat eis cibus. Indignus enim peccator pane, quo vescitur, vt Augustinus dicit: iusti autem merentur, non solùm regnum cælorum, sed temporalia omnia ad satietatem: imò, *Hæc omnia*, inquit Dominus in Euangelio, *adiicientur vobis.*

Peccator est indignus pane quo vescitur. Matth. 6. 34.

CAPVT XIV.

Vers. 1. SAPIENS MVLIER ÆDIFICAVIT DOMVM SVAM: INSIPIENS EXTRVCTAM QVOQVE DESTRVIT MANIBVS. Iuxta Hebræum primæ dictiones sunt pluralis numeri: legitur enim: *Sapientes mulieres ædificauit*, &c. Et est sensus: Sapientes mulieres fiunt, vt qui ædificauit domum suam. Assimilantur mulieres sapientes ei, qui construxit domum suam, eò quòd mulier sapiens construit domesticas res, domesticásque curas. Quò contrà mulier stulta res domesticas, ordinémque domesticum manibus (hoc est, operibus) propriis destruit; & propterea assimilatur destruenti domum.

Ædificauit, vis femin. gen. Mulieris sapientis, & stultæ signa.

Vers. 2. AMBVLANS RECTO ITINERE, ET TIMENS DEVM, DESPICITVR AB EO, QVI INFAMI GRADITVR VIA. Iuxta Hebræum habetur: *Ambulans in rectitudine sua timet Iehouah: & peruersus viis suis contemnit eum.* Ambulare per viam rectam, quam onerat bonorum morum, conseruat timorem summi Dei. Quò contrà deflectere à viis rectis, peruersósque mores imitari, parit contemptum eiusdem summi Dei: imò est contemptus præceptorum summi Dei; quemadmodum progredi per viam rectam est timere summum Deum. Lege verba Nathan Prophetæ ad Dauidem, & inuenies quòd arguit Dauidem, adulterum, & homicidam, contemptus, quia facto contempserat præcepta summi Dei.

2. Reg. 12. 9.

Vers. 3. IN ORE STVLTI VIRGA SVPERBIÆ: ET LABIA SAPIENTVM CVSTODIVNT EOS. Dictio interpretata, *virga*, sonat, *ramus.* Describitur enim stultus, tanquàm habens radicem superbiæ intus, & per os emittens ramum superbiæ: stulti enim superbè loquuntur, comminantur, aut se posse facere iactant, & huiusmodi. Quò contrà sapientum labia moderata custodiunt eos ab huiusmodi excessibus. Ramus itaque superbiæ in sermone apparens effectus stultitiæ describitur: &

Aben Ezra hic virgam linguam intelligit.

Ramus stultitia, superbia in sermone.

& verè sic est. Si enim homo saperet, non superbè loqueretur.

Vers.4. VBI NON SVNT BOVES, PRÆSEPE VACVVM EST: VBI AVTEM PLVRIMÆ SEGETES, IBI MANIFESTA FORTITVDO BOVIS. Iuxta Hebræum habetur: *Sine bobus præsepe mundum: & multi prouentus in viribus bouis.* Parabola hæc metaphorica est: significat enim, quòd quemadmodum carens bobus gaudet munditia præsepij; habens verò boues fortes gaudet multitudine prouentuum: ita qui eximit se à curis, gaudet tranquillitate animi; sed caret abundantia opum, quas pariunt assumptæ industriæ, ac curæ corporalium negotiorum. Vita itaque contemplatiua confertur cum actiua in hac parabola. Confer tu has sententias, confer munditiam mentis cum multitudine fructuum, & elige, quam malueris.

Collatio vitæ actiuæ, & contemplatiuæ.

Vers.5. TESTIS FIDELIS NON MENTIETVR: PROFERT MENDACIVM DOLOSVS TESTIS. Sententiæ claræ sunt.

Vers.6. QVÆRIT DERISOR SAPIENTIAM, ET NON INVENIET: DOCTRINA PRVDENTIÆ FACILIS. Iuxta Hebræum habetur: *Quæsiuit derisor sapientiam, & non. & scire intelligenti leue.* Non est vsquequaque clarum, an negatio significata dicendo, *& non*, determinet verbum, *quæsiuit*: (vt sit sensus. Quæsiuit derisor sapientiam, & non quæsiuit: quia tam male quæsiuit, quòd nõ quæsiuit.) an determinet verbum substantiuum subintellectum: vt sit sensus: Quæsiuit derisor sapientiam, & non fuit sapientia, quia non est inuenta ab eo. Derisor enim mandatorum sapientiæ contrariam habet dispositionem ad ipsam sapientiam. Et ideò, quamuis quæsierit eam; nunquam tamen affuit illi: oportet enim priùs expoliari derisione, & deinde quærere sapientiam ad hoc, vt inueniatur. Recole, quòd superbis derisores non sunt à sapientia inuitati; sed simplices, & minus corde, & ideò non est mirum, si derisores non inueniunt eam. Quò contrà de vigentibus intelligentia dicitur, quòd eis leue est, hoc est, absque grauamine, scire proprium sapientibus: & per hanc leuitatem insinuatur difficultas, imò onus derisorum ad quærendum sapientiam. Onerosum siquidem est eis relinquere derisionem, vt verè quærant sapientiam.

Vers.7. VADE CONTRA VIRVM STVLTVM, ET NESCIET LABIA PRVDENTIÆ. Dictio interpretata, *contra*, significat, *è regione*, *à remotis*. Secunda verò particula iuxta Hebræum dicitur: *Et nescisti labia sciendi.* Subintelligitur autem pronomen cum relatiuo, videlicet, *eorum, quæ*. Itaque sensus est: Vade longiùs è regione hominis stulti: & eorum, quæ nescisti labia sciendi. A longè, & non propè, è regione, non ad latus aliquod, vitandi scribuntur duo, scilicet, vir stultus, & labium ignotum tibi, quod est labium scientiæ. Tam stultus itaque notus tibi, quàm ignotus aliquis, an loquatur, vt loquuntur homines sensati, vitandus longè, & è regione dicitur: ille quidem, quia cum stulto non potest communicari sine pœnitentia subsequente, iste autem propter cautelam.

Duo hominũ genera vitanda.

Vers.8. SAPIENTIA CALLIDI EST, INTELLIGERE VIAM SVAM, ET IMPRVDENTIA STVLTORVM ERRANS. Dictio interpretata, *callidi*, sonat, *ingeniosi*. Secunda verò particula iuxta Hebræum habetur: *Stultitia stultorum dolus.* Ingeniosus vtitur sapientia ad intelligendum efficaciam operum suorum, quantum, scilicet, valeant ad intentum effectum. Stultus autem stultitiam pro sapientia habens vtitur dolo ad intentum efficiendum.

Vers.9. STVLTVS ILLVDIT PECCATVM: ET INTER IVSTOS MORABITVR GRATIA. Iuxta Hebræum habetur: *Stulti interpretabuntur delictum, & inter rectos voluntas.* In malam partem interpretatur stultus, quod audit, vel videt. Et hoc est interpretari delictum. Quò contrà inter rectos interpretatio fit voluntatis; hoc est, eius, quod quis voluit dicere, vel facere, quod est rectè interpretari.

Interpretatio stulti, & sapientis diuersa.

Vers.10. COR, QVOD NOVIT AMARITVDINEM ANIMÆ SVÆ, IN GAVDIO EIVS NON MISCEBITVR EXTRANEVS. Superflum relatiuum, *quod*, & deficit coniunctio, *Et*. In principio secundæ particulæ de corde sapientis est sermo, & par describitur in amaritudine, & in lætitia, quoad hoc, quòd, quemadmodum amaritudinem animæ suæ intra se continet, ita gaudium cordis sui non communicat alieno. Et hæc intellige de secretis amaritudine, & lætitia. Ad hoc enim insinuandum vtitur, nomine animæ suæ, & cordis.

Sapiens premit altum corde dolorem, & lætitiam.

Vers.11. DOMVS IMPIORVM DELEBITVR: TABERNACVLA IVSTORVM GERMINABVNT. Sententia redditur, quamuis dictio interpretata *iustorum*, sonat, *rectorum*. Familia impiorum meretur deleri: tabernaculum verò rectorum meretur germinare filios multos.

Vers.12. EST VIA, QVÆ VIDETVR HOMINI IVSTA: NOVISSIMA AVTEM EIVS DEDVCVNT AD MORTEM. Sententia redditur, quamuis Hebraicè scribatur: *Est via recta in facie viri: & finis eius via mortis.* Operari, & laborare, nihilque omittere pro immortalitate famæ, via recta fuit in conspectu Romanorum; & tamen finis illius in vias mortis corporis, & animæ terminata est.

Vers.13. RISVS DOLORE MISCEBITVR: ET EXTREMA GAVDII LVCTVS OCCVPAT. Hebraicè habetur: *Et in risu dolebit cor: & finis lætitiæ, tristitia.* Quamuis quandoque exterior adsit risus; intus tamen cor dolet dissimulans lætitiam risu. Nec solùm contingit simul intùs dolere, & extrà ridere, sed etiam terminum gaudij esse tristitiam: vtrumque enim sæpè accidit.

Vers.14. VIIS SVIS REPLEBITVR STVLTVS: ET SVPER EVM ERIT VIR BONVS. Irreprehensibilis est interpretatio: potest tamen secunda particula interpretari aliter, videlicet: *Et de folijs suis vir bonus.* Et hæc secunda lectio magis quadrare videtur primæ particulæ sonanti, quòd de vijs suis saturabitur egressus à corde. Qui enim recedit à seipso, satiatur studijs, operibúsque suis. Quò contrà vir bonus habitans seipsum, saturatus folijs suis, hoc est, quia nec frondes suas amittit: de viro enim iusto scriptum est sub specie arboris: *Et folium eius non defluet*, seu, *arescet*. Est itaque sensus, quòd vir bonus non solùm fructibus, sed etiam frondibus suis saturatur: diligentibus enim Deum omnia cooperantur in bonum.

Differentia egredientis seipsum, & habitantis seipsum.

Psal. 1. 3.

Vers.15. INNOCENS CREDIT OMNI VERBO: ASTVTVS CONSIDERAT GRESSVS SVOS. Dictio interpretata, *innocens*, sonat, *simplex*. Et dictio interpretata, *astutus*, sonat, *ingeniosus*. Dictio quoque interpretata, *cõsiderat*, sonat, *intelliget*. Inter simplicem, (hoc est, hominem iudicij,) & ingeniosum disparitas scribitur penes hoc, quòd ille credit omni verbo, ac per hoc facilè mittitur: iste

Disparitas simplicis, & ingeniosi.

autem

autem cognoscit gestum studij, & operit proprij, nec imitatur dicente hoc, & illo diuersa; vtpote inimicus prudentiæ, & non variis verbis loquentium.

Vers. 16. SAPIENS TIMET, ET DECLINAT A MALO: STVLTVS TRANSILIT, ET CONFIDIT. Dictio interpretata, *transilit*, sonat, *irascitur*. Audito à fide dignis periculo, sapiens & timet, & timoris effectum facit: quia declinat à malo imminente. Quò contrà stultus irascitur, comminatur, & confidit permanere, seu occurrere.

Vers. 17. IMPATIENS OPERABITVR STVLTITIAM: ET VIR VERSVTVS ODIOSVS EST. Dictio interpretata, *impatiens*, sonat, *curtus furorum*: & dictio interpretata, *versutus*, sonat, *cogitationum*. Nuncupatur *curtus furorum*, qui propensus, ac festinus est ad furorem: & est ratio nominis, quia non protrahit in longum furere. Vir ergo celeris furoris operatur stulta; furens enim extra se existens, facit stulta: *vir autem cogitationum* (vir cogitabundus, alienus non solùm à furore, & excandescentia, sed etiam a tacituritate: propter quod vocatur *vir cogitationum*, occupatus, videlicet, in cogitationibus) odiosus erit aliis, vtpote suspectus, quòd machinetur malum aliquod. Exemplum habes in Cæsare dicente cauendum fore à Bruto, & Cassio, tacentibus.

Furibundi, & cogitabundi disparitas.

Vers. 18. POSSIDEBVNT PARVVLI STVLTITIAM: ET EXPECTABVNT ASTVTI SCIENTIAM. Iuxta Hebræum habetur: *Hæreditauerunt simplices stultitiam: & ingeniosi coronabuntur scientia.* Simplices naturaliter modici ingenij, tanquam iure sortiuntur superuenientem stultitiam. Quò contrà, qui naturali ingenio vigent, coronantur, hoc est, tanquàm coronæ ornamentum accipient scientiam acquisitam.

Vers. 19. IACEBVNT MALI ANTE BONOS: ET IMPII ANTE PORTAS IVSTORVM. Dictio interpretata, *iacebunt*, sonat, *humiliabunt se*. Et spectat hæc parabola, tum ad merita, tum ad veteris legis promissiones.

Vers. 20. ETIAM PROXIMO SVO PAVPER ODIOSVS ERIT: AMICI VERÒ DIVITIS MVLTI. Vtinam experientia, non quotidiana, sed continua, non attestaretur huic parabolæ.

Experientia parabolæ.

Vers. 21. QVI DESPICIT PROXIMVM SVVM, PECCAT: QVI AVTEM MISERETVR PAVPERIS, BEATVS ERIT. Consequenter ad præcedentem parabolam (sonantem, quòd pauper non solùm alienis, sed etiam proximo suo est odiosus) manifestatur, quòd proximus pauperis despiciens eum peccat: non enim excusatur à peccato propter paupertatem alterius. Et dicitur hoc, ne errares putando, quòd paupertas reddat hominem dignum despectione: propter quod consequenter subditur præmium eius, qui miseretur pauperis: & est præmium beatitudo hic in spe, & post mortem in re.

QVI CREDIT IN DOMINO, MISERICORDIAM DILIGIT. Nihil huius particulæ habetur in Hebræo.

Vers. 22. ERRANT, QVI OPERANTVR MALVM: MISERICORDIA, ET VERITAS PRÆPARANT BONA. Iuxta Hebræum habetur: *Nonne errabunt cogitantes malum: & gratia, & veritas cogitantibus bonum?* Ne putares, cogitationes immunes, aut impunes fore, declaratur, quòd cogitatores mali errant à rectitudine viæ moralis, & quòd cogitatoribus bonis communicantur vniuersa dona Dei comprehensa sub gratia, & veritate. Vniuersæ siquidem viæ Domini sunt gratia, & veritas. Et quia error ad intellectiuam partem pertinet, ex hac authoritate Scripturæ habetur, quòd omnis malus errat, & consonant Philosophi dicentes, quòd omnis malus ignorans.

Authoritas, qua probatur, cogitationis esse peccatum, & quòd omnis malus est ignorans.

Verſ. 23. IN OMNI OPERE BONO ERIT ABVNDANTIA: VBI AVTEM VERBA SVNT PLVRIMA, IBI FREQVENTER EGESTAS. Iuxta Hebræum habetur: *In omni labore erit abundantia: & verbum labiorum tantùm ad defectum.* Et est sensus parabolæ, quòd omnis labor suapte natura parit aliquod lucrum, præter laborem in loquutione. Quantò enim magis laborat aliquis ad multiplicanda verba, eò magis tendit ad defectum: ita quòd multiloquium suapte natura non tendit ad defectum: & verè sic est: quoniam auditori fastidium, sermoni peccatum, & sibiipsi indignitatem multiloquio parit.

Qui loquantur verba, quid facia.

Vers. 24. CORONA SAPIENTVM, DIVITIÆ EORVM: FATVITAS STVLTORVM, IMPRVDENTIA. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Stultitia stultorum, stultitia.* Opes, quibus abundant sapientes, sunt eis corona, hoc est, ad ornamentum, & vsum cum grauitate. Corona enim ornamentum est, & illa non vtuntur sapientes, & ad decus, & cum sensu graui. Quò contrà stultorum stultitia, tam in paupertate, quàm in diuitiis, semper est stultitia, & stultè vtitur paupertate & stultè vtitur diuitiis.

Usus diuitiarum ad coronam.
Stultitia semper stulta.

Vers. 25. LIBERAT ANIMAS TESTIS FIDELIS: ET PROFERT MENDACIA VERSIPELLIS. Sententia redditur, & de liberatione à morte corporis est sermo. Et directè materia parabolæ est vir innocens accusatus ad mortem, à teste veritatis liberatus, ne anima (hoc est, vita) eius pereat. Testis autem dolosus profert mendacia, etiam in damnum alienæ vitæ.

Vers. 26. IN TIMORE DOMINI FIDVCIA FORTITVDINIS: ET FILIIS EIVS ERIT SPES. Dictio interpretata, *spes*, sonat, *protectio*. Et dictio interpretata, *Dominus*, est tetragrammaton. Timor summi Dei tantæ est gratiæ, vt largiatur timenti fiduciam fortitudinis, cum sustinendi aduersa, tum aggrediendi opera ardua. Nec his contentus est, sed largitur quoque filiis eius protectionem: protexit enim Deus filios Abrahæ, Isaac, & Iacob propter merita patrum: protexit & Salomonem, & Ezechiam propter Dauidem.

Timoris Dei effectus.

Vers. 27. TIMOR DOMINI, FONS VITÆ: VT DECLINET A RVINA MORTIS. Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Timor Iehouah, vena vitæ, ad recedendum à laqueis mortis.* Timor summi Dei describitur ad instar venæ, per quam meat vita animorū: quoniam vehiculum quoddam est spiritualis vitæ relatiuè ad pericula mortis: timor enim reddit animum sollicitum ad consilia capessenda, vt euadat laqueos mortis, qui sunt innumerabiles, loquendo de morte animæ: & non pauci sunt, loquendo de morte corporis. Exemplum habes in Dauide, timente Deum, & euadente à laqueis Saulis.

Timoris Dei sollicitudo.

Vers. 28. IN MVLTITVDINE POPVLI DIGNITAS REGIS: ET IN PAVCITATE PLEBIS IGNOMINIA PRINCIPIS. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et in non gente fractio Principis.* Frangitur enim, tum animus, tum decor Princi-

pis ipsi, gete, hoc est, absque multitudine gẽtis.

Vers. 29. QVI PATIENS EST, MVLTA GVBERNATVR SAPIENTIA: QVI AVTEM IMPATIENS, EXALTAT STVLTITIAM SVAM. Iuxta Hebræum habetur: *Longus furorum multus intelligentia: & curtus spiritus exaltat stultitiam.* Est genitiui casus, *spiritus*. Protrahere in longum iram abundantiæ intellectus est: ex magnitudine siquidem intelligẽtiæ proficiscitur, quòd homo in longum protrahit excandescere, irasci, & furorem exaggerare. Quò contrà breuitatis spiritus (hoc est, velocitati spiritus, hoc est, impulsui interni) adscribitur ira. Velocis enim impulsus homo appellatur curtus spiritu, eò quòd curtus est ad vtendum impulsu interno ad iram velociter emittendum illum: & hinc tam velociter excandescens exaltat stultitiam, vtpote impremeditata loquens, & irrogans ea, quæ oportuit irato dicenda quæ non nisi stulta solent esse.

Vers. 30. VITA CARNIVM, SANITAS CORDIS: ET PVTREDO OSSIVM, INVIDIA. Cor sanum, hoc est, animus sanus ab ægritudinibus moralibus, non solum est vita animi, sed est etiam vita carnium, hoc est, vita, ac vigor corporis. Animus enim sanus lætificat etiam corpus, ac per hoc viuificat illud. Quò contrà inuidia (quæ tristitia est alieni boni) non solum afficit animum: sed etiam putrefacit ossa. Tristitia siquidem in moestitia est vitæ corporeæ, vtpote retrahens cordis motus, ex quo perficitur vita: & propterea putredo dicitur ossium: putrescunt enim ossa non vitalitatis motibus cordis.

Quare sana mens corporis vita. Quare inuidia putrefacit.

Vers. 31. QVI CALVMNIATVR EGENTEM, EXPROBRAT FACTORI EIVS: HONORAT AVTEM, QVI MISERETVR PAVPERIS. Dictio interpretata, *calumniatur*, sonat, *rapina*, vel *fraude opprimens*. Et dictio interpretata, *exprobrat*, sonat, *vituperat*. Nec istæ sententiæ intelligantur absolutè, vt sonant, sed de opprimente pauperem, tanquam carentem adiutore: nam sic opprimens pauperem, conuiciatur Deo, qui fecit pauperem: opprimit enim tanquam Deo non sit cura tuendi causam pauperis; cum tamen scriptum sit: *Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor.*

Psa. 10. 14. Quò contrà, qui miseretur pauperis, honorat Deum, quoniam vices Dei agit, subueniendo pauperi: tam enim dictum est, quòd cura pauperum relicta est Deo.

Vers. 32. IN MALITIA SVA EXPELLETVR IMPIVS: SPERAT AVTEM IVSTVS IN MORTE SVA. De expulsione impij ex hoc mundo esse sermonem, manifestè particula secunda: ex eo enim, quòd è regione expulsionis impij collocatur spes (seu potiùs, iuxta Hebræum, protectio) iusti in suo mori, insinuatur significari impulsionem impij in malum proprium tempore mortis: impellitur enim impius in malum pœnæ sibi paratum: impellitur autem à propria malitia: vir enim iustus protegitur in morte sua à malis Inferni.

Vers. 33. IN CORDE PRVDENTIS REQVIESCIT SAPIENTIA, ET INDOCTOS QVOQVE ERVDIET. Dictio interpretata, *prudentis*, sonat, *intelligentis*. Secunda verò particula iuxta Hebræum habetur: *Et inter stultos cognoscetur.* Quies sapientiæ describitur in corde vigentis intellectu, in penetralibus mentis eius: ita tamen, quòd etiam inter stultos non obscurabitur, sed cognoscetur, sed laudabitur: opposita enim iuxta se posita magis elucescunt.

Vers. 34. IVSTITIA ELEVAT GENTEM, MISEROS AVTEM FACIT POPVLOS PECCATVM. Iuxta Hebræum secunda particula habetur: *Et opprobrium gentium peccatum.* Naturale est virtuti iustitiæ exaltare iustum, & propterea iustitia publica eleuat gentem. Quò contrà peccatum publicum est opprobrium populorum.

Vers. 35. ACCEPTVS EST REGI MINISTER INTELLIGENS: IRACVNDIAM EIVS INVTILIS SVSTINEBIT. Iuxta Hebræum habetur: *Voluntas Regis ad seruum intelligentem: & ira eius erit ad degentem pudore.* Spontaneo amore mouetur Princeps ad benefaciendum ministro vigenti intellectu in officiis, & obsequiis ipsius: contrà ira Principis erga ministrum est, qui digna pudore agit, qui taliter agit, vt oporteat eum pudere facti proprij: & hoc experientia continua testatur.

Habetur, Ira eius erit pudefaciens.

CAPVT XV.

Ver. 1. RESPONSIO MOLLIS FRANGIT IRAM: SERMO DVRVS SVSCITAT FVROREM. Dictio interpretata, *frangit*, sonat, *faciet retrahere*. Secunda verò particula iuxta Hebræum habetur: *Et ad verbum contristans ascendet furor.* Experimur, quòd responsio mollis efficit, vt iratus retrahat iram suam. Quò contrà, si responsum fuerit verbum contristans, ascendet furor irati, crescet ira in furorem. Et ratio in promptu est: quia multiplicatur causa iræ, dicendo sermonem contristantem: ira enim ex iniuria surgit; responsione verò molli minuitur iræ materia: iratus enim videns humiliatum, contra quem irascitur; retrahit iram, tanquam defierit, contra quem irascatur.

Non habetur ad: sonat enim Hebr. Et verbum doloris ascendere faciet furorem. Quare mollis responsio iram frangat.

Vers. 2. LINGVA SAPIENTIVM ORNAT SCIENTIAM, ET OS FATVORVM EBVLLIT STVLTITIAM. Dictio interpretata, *ebullit*, sonat, *abundat*. Verè apparet, quòd eloquentia sapientum decorat scientiam, quam proferunt. Quò contrà os stultorum, etiam proferendo aliquas scientiæ sententias, abundat stultitia: miscet enim, saltem in dicendi modo, stultitiam.

Vers. 3. IN OMNI LOCO OCVLI DOMINI CONTEMPLANTVR BONOS, ET MALOS. Nomen est tetragrammaton. Diuina prouidentia manifestatur, quòd penetrat loca omnia ad retribuendum hominibus, tam bonis, quàm malis, nullusque locus exemptus est.

Vers. 4. LINGVA PLACABILIS, LIGNVM VITÆ: QVÆ AVTEM IMMODERATA EST, CONTERET SPIRITVM. Iuxta Hebræum habetur: *Sanitas linguæ, lignum vitæ: & tortuosum in ea, fractio in spiritu.* Lingua sana ab ægritudinibus vitiorum linguæ, est velut arbor vitæ aliis, vtpote viuificans aliorum animos. Quò contrà lingua tortuosa, sermo non intelligibilis, torquens quod dicitur huc, & illuc, frangit non corpus, sed spiritum auditorum. Frangit enim bonos impulsus, quibus agebantur auditores.

Vers. 5. STVLTVS IRRIDET DISCIPLINAM PATRIS SVI: QVI AVTEM CVSTODIT INCREPATIONES, ASTVTIOR FIET. Iuxta Hebræum habetur: *Stultus odio habebit eruditionẽ patris sui: & custodiens eruditionem ingeniabitur.* Odisse eruditionem paternam proculdubiò stulti est: fructus autem habentis curam eruditionum, quas audiuit, est ingenium exercere in iis, in quibus est eruditus, & exercitatione proficere.

Vers. 6. DOMVS IVSTI PLVRIMA FORTITVDO: ET IN

IN FRVCTIBVS IMPII CONTVRBATIO. Dictio interpretata, *fortitudo*, congruentius interpretatur, *thesaurus*. Quoniam è regione prouentuum collocatur: ita quòd parabola est: Domus iusti thesaurus multus, & in prouentu impij conturbabitur. Inter domum iusti, & domum impij manifestatur disparitas penes hoc, quòd domus iusti thesaurum multum retinet: domus verò impij tempore prouentuum ex frugibus conturbatur. Iusti enim domus conformis est iusto patrifamilias, & propterea simul vacant omnes conseruationi rerum reconditarum augentes potiùs illas: familia verò impij conturbatur, eò quòd vnusquisque ad proprium tendit bonum, propriam intendit perficere voluntatem, & propterea turbatio oritur inter eos ex prouentibus: dum iste abuti vult eis, vt placet; & ille vt vult, &c.

Disparitas inter domum iusti, & impij.

Vers. 7. LABIA SAPIENTIVM DISSEMINABVNT SCIENTIAM: COR AVTEM STVLTORVM DISSIMILE ERIT. Vltima verba secundæ particulæ iuxta Hebræum sonant, *Non sic.* Labia itaque sapientum commendantur, quòd spargunt scientiam, & proferunt ea, quæ digna sunt, vt sciantur: stultorum autem non solùm lingua, sed etiam cor alienum est ab huiusmodi intentione. Non enim intendunt spargere scitu digna: & propterea dicitur, quòd stultorum non sicut cor ac lingua sapientium.

Vers. 8. VICTIMÆ IMPIORVM ABOMINABILES DOMINO: VOTA IVSTORVM PLACABILIA. Nomen est tetragrammaton, secundáque particula iuxta Hebræum habetur: *Et oratio rectorum voluntas eius.* Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius, & non dicitur: Respexit Deus ad munera Abel, & ad Abel. vt intelligamus, ratione personæ placere Deo munera, & non è contrà. Ampliùs hæc instructio est, manifestans, quòd sacrificium impiorum non solùm non placet Deo; sed quòd est abominabile summo Deo: nefas siquidem est impium agere coram Deo personam iusti: iustorum enim est sacrificare Deo. Quò contrà viri recti oratio est voluntas summi Dei; est, quæ placet summo Deo. Sacrificium, exterior est oblatio: oratio verò interna est, vtpote mentis eleuatio in Deum: hæc est, quæ placet Deo secundùm seipsam, quæ à solis rectis offerri potest: sacrificium verò de facto commune est impiis, & rectis.

Munera Deo placent, secundùm quòd placet offerens, non è diuerso.

Vers. 9. ABOMINATIO EST DOMINO, VIA IMPII: QVI SEQVITVR IVSTITIAM, DILIGITVR AB EO. Nomen est tetragrammaton: & Interpres addidit, *ab eo*: in Hebræo enim dicitur in futuro, *diligetur*, absque pronomine aliquo. Ratio præcedentis parabolæ redditur ex hoc, quòd via, studia, ac opera impij in abominationem sunt summo Deo. Quò contrà sectator iustitiæ amabitur à Deo, & ab hominibus.

Vers. 10. DOCTRINA MALA DESERENTIVM VIAM VITÆ: QVI INCREPATIONES ODIT, MORIETVR. Prima particula iuxta Hebræum habetur: *Castigatio mala relinquenti viam.* Ad differentiam castigationis bonæ appellatur castigatio mala, castigatio publica, quæ directè tendit ad malum; hoc est, nocumentum eius, qui castigatur. Paterna siquidem castigatio directè tendit ad bonum eius, qui castigatur. Deserenti itaque vitam statutam à lege datur castigatio mala, publico flagello, vel aliquo eiusmodi: odio autem habens increpationes incidet in pœnam mortis publica authoritate inferendam: ex odio enim increpationum fit deterior, & ad digna morte opera patranda ducitur.

Castigatio mala, & castigatio bona.

Vers. 11. INFERNVS, ET PERDITIO CORAM DOMINO: QVANTO MAGIS CORDA FILIORVM HOMINVM? Sententia redditur, & nomen est tetragrammaton. Argumentum à remotiori. Infernus, & perditio remotissima sunt à Deo, (vtpote, contrarias penitùs habentes conditiones illis, quæ in domo Dei sunt:) tamen patent summo Deo: multò igitur magis patent Deo corda filiorum hominum, quæ media sunt, quæ in via sunt.

Argumentum à remotiori.

Vers. 12. NON AMAT PESTILENS EVM, QVI SE CORRIPIT: NEC AD SAPIENTES GRADITVR. Dictio interpretata, *pestilens*, sonat, *illusor*. Et verba sunt futuri temporis, *non amabit*, *non ibit*. Derisor, & in ludum deducens, quæ religionis & futuræ vitæ sunt, perseuerat non amando arguentem ipsum; sed increpationem quoque deridet: & propterea ad sapientes non graditur, sed ad similes sibi.

Vers. 13. COR GAVDENS EXHILARAT FACIEM, IN MOERORE ANIMI DEIICITVR SPIRITVS. Dictio interpretata, *exhilarat*, sonat, *decorat*. Et dictio interpretata, *animi*, sonat, *cordis*. Apparet in facie gaudium cordis, dilatante corde spiritus suos claros ad faciem. Quò contrà, mœrente corde, retrahuntur spiritus, & impulsus interni semifranguntur, quam semifractionem Interpres appellauit deiectionem: spiritus siquidem (hoc est, internus impulsus ad opera,) semifrangitur ex passione tristitiæ retrahentis vitales spiritus.

Quare gaudium decorat faciem.

Vers. 14. COR SAPIENTIS QVÆRIT DOCTRINAM: ET OS STVLTORVM PASCETVR IMPERITIA. Iuxta Hebræum habetur: *Cor intelligentis quæret scire: & faciem stultorum pascet stultitia.* Animus vigoris acumine intellectus indesinenter quærit scire, intellectu impellente ad scientiam acquirendam. Quò contrà non solum animus, sed etiam facies stultorum pascetur stultitia: delectat siquidem stultum stultitia, vsque adeò, vt in facie ostendat hilari, se pasci audiendo, quæ stulta sunt.

Simile similibus delectatur: sapiens, scilicet, sapientia, stultus stultitia.

Vers. 15. OMNES DIES PAVPERIS MALI: SECVRA MENS QVASI IVGE CONVIVIVM. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et bonus corde conuiuium iuge.* Nihil dicitur de securitate: sed primùm qualitas dierum pauperis, deinde qualitas cordis describitur: & dies quidem pauperis dicuntur mali omnes; tum propter multa mala euenientia diebus vitæ pauperis; tum, quia, si aliquis dies exemptus fuerit à superueniente malo aliquo, nullus tamen dies eius eximitur à malo paupertatis; & propterea verificatur, quòd omnes dies pauperis sunt mali malo pœnæ. De corde verò dicitur totum oppositum, si est bonum: affirmatur enim, quòd bonus corde est iuge conuiuium. Virtus est, quæ bonũ reddit habentem illam: & propterea bonus corde intelligitur præditus virtute: & de eo dicitur, quòd est quasi in iugi conuiuio, est in iugi consolatione, pascendo continuè seipsum: vt hinc intelligamus, quòd bonus corde est intra se, tanquam semper in conuiuio, quamuis sit pauper, & habeat exteriùs omnes dies suos malos: non enim ingrediuntur mala ad perturbandum animum præditum virtute, nec distrahunt ipsum à conuiuio iugi.

Quare, & quomodo omnes dies pauperis mali sunt.

Quomodo dies pauperis boni, quando cor bonum est, & animus non deficit æquus.

Vers. 16. MELIVS EST PARVM CVM TIMORE DOMINI, QVAM

QVAM THESAVRI MAGNI, ET INSATIABILES. Dictio interpretata, *insatiabiles*, sonat, *terror in eo*. Thesaurus enim numeri est singularis: & est nomen tetragrammaton. Parabola hæc similis est illi: *Malo rodere fabas, quàm vadi perpete cura*. nisi quòd hic adiungitur timor summi Dei. Melius est cum timore summi Dei habere partum humanarum facultatum, quàm habere thesaurum multum cum terrore illius comite. Exterrentur milies habentes thesauros multos, modò à tyrannis, modò à militibus, modò ab inuidis, &c. Et est sermo de diuite sine timore Dei, vt prima insinuat particula.

Sine Dei timore diues, semper in metu.

Vers.17. MELIVS EST VOCARI AD OLERA CVM CHARITATE, QVAM AD VITVLVM SAGINATVM CVM ODIO. Sententia redditur, quamuis Hebraicè dictio interpretata, *vocari*, sonet *pastus*. Parabola siquidem sonat, quòd melior est pastus olerum, & amor illic, quàm bouis saginati, & odium in eo, siue pastus fiat in propria, vel in aliena domo. Et sententiæ sunt per se claræ.

Vers.18. VIR IRACVNDVS PROVOCAT RIXAS: QVI PATIENS EST, MITIGAT SVSCITATAS. Parui refert, quòd Hebraice habetur: *Vir ira excitabit litem, & longus furorum faciet quiescere litem*. Experientia testatur, quòd vir, qui agitur ab ira, excitat litem aliquam inter se, & eum, aduersus quem irascitur. Quò contrà longus furorum (hoc est, protrahens in longum excandescere, qui non agitur ab impetu iræ, sed possidet seipsum, & differt in longum iram) faciet quiescere litem moram aduersus se: & hoc sæpissimè apud mansuetos videmus.

Vers.19. ITER PIGRORVM, QVASI SEPES SPINARVM: VIA IVSTORVM ABSQVE OFFENDICVLO. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et via rectorum calcata*. Pigris apparet via, per quam gradi debent, sicut sepes spinarum, quæ est inmeabilis: pigritia enim repræsentat pigro viam, non solum difficilem, tanquam inter spinas, sed etiam inmeabilem tanquàm sepem spinarum. Quò contrà rectis repræsentatur via tanquàm calcata, & facillima, vt per eam gradiantur. Et est sermo vtrobique de via operum. Vbi etiam annotatione est dignum, quòd è regione pigrorum collocantur recti, vt intelligas pigritiam inter vitia supputari.

Via pigritantium, & via iustorum ex oppositionibus utrique apparent.

Vers.20. FILIVS SAPIENS LÆTIFICAT PATREM, ET STVLTVS HOMO DESPICIT MATREM SVAM. Repetitio est parabolæ scriptæ in principio cap. 10. nisi quòd ibi dicitur, quòd stultus est mæstitia matris suæ: hic verò dicitur, quòd despicit matrem suam: ibi effectus, hic causa commemoratur.

Vers.21. STVLTITIA GAVDIVM STVLTO: ET VIR PRVDENS DIRIGIT GRESSVS SVOS. Iuxta Hebr. habetur: *Stultitia gaudij minuto corde: & vir intelligentiæ diriget ire*. Gaudium parens stultitiæ describitur apud deficientem corde: quia ex gaudio desipit. Quò contrà vir intelligentia vigens non desipit ex gaudio: sed pertenerat ad dirigendum ire; hoc est, ambulare tam suum, quàm aliorum suæ curæ commissorum secundùm diuersa officia, studia, & opera.

Vers.22. DISSIPANTVR COGITATIONES, VBI NON EST CONSILIVM: VBI VERÒ PLVRES SVNT CONSILIARII, CONFIRMANTVR. Iuxta Hebræum habetur: *Frangere cogitationes in non secreto: & multitudo consultorum firmabit*. Et est sensus, frangere cogitationes, officium est non secretò custodientis cogitationes tractatas: & hoc sæpissimè contingit: officium autem firmandi cogitationes, est multitudinis consiliariorum prudentium multa impedimenta, & prouidentium. De cogitatis enim circa singularia (quorum notitia non subest scientiæ: sed circa ea plus vident oculi, quàm oculus) est sermo.

Singularia plus vident oculi, quàm oculus.

Vers.23. LÆTATVR HOMO IN SENTENTIA ORIS SVI: ET SERMO OPPORTVNVS EST OPTIMVS. Dictio interpretata, *sententia*, sonat, *responsione*: secunda quoque particula iuxta Hebræum clarior est: *Et verbum in tempore suo quàm bonum*. De responsione quadrante dicitur, quòd homo requisitus lætatur in oris sui responsione congrua. Qui enim respondit, prout oportuit, & decuit, lætatur, quòd occurrerit sibi requisito talis responsio. Quomodolibet autem, siue respondendo, siue proponendo, sermo prolatus tempore suo (hoc est, quando tempus id exigit) est quàm bonus, id est, valdè bonus: carent enim Hebræi superlatiuo.

Sermo, & responsio opportuna, valdè bona.

Vers.24. SEMITA VITÆ SVPER ERVDITVM: ET DECLINET DE INFERNO NOVISSIMO. Dictio interpretata *eruditum*, sonat, *intelligentem*. Et dictio interpretata, *nouissimo*, sonat, *inferiore*. Magnum documentum super hominem vigentem intelligentia extat via vitæ (proculdubiò æternæ) ad recedendum ex inferiori: & describitur super hominem huiusmodi via: quia verè est supra vires naturales hominis, reuelata à Deo, vt intelligentes credant, & gradiantur per viam fidei, & sic recedant ab Inferno Damnatorum, quem nostris meritis merebamur. Appellatur autem Infernus Damnatorum, Infernus, seu fouea inferior, ad differentiam foueæ superioris, quæ est fouea sepulcri: hæc enim est fouea corporis, illa animæ.

Quare Infernus Damnatorum dicatur fouea inferior.

Vers.25. DOMVM SVPERBORVM DEMOLIETVR DOMINVS: ET FIRMOS FACIET TERMINOS VIDVÆ. Nomen est tetragrammaton. Diuinæ iustitiæ opus, quod quandoque exercet Deus, describitur in vindicta aduersùs superbos opprimentes personas miserabiles, & occupantes agros earum. Demolitur siquidem Deus familiam superborum, qui occupauerant res pauperum, & restituet agros viduæ in suos terminos, quos vsurpauerant superbi. Appellatione enim viduæ intelliguntur omnes miserabiles personæ.

Vers.26. ABOMINATIO DOMINI COGITATIONES MALÆ: ET PVRVS SERMO PVLCHERRIMVS FIRMABITVR AB EO. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et munda dicta dulcedinis*. Et est nomen tetragrammaton. Cogitationes itaque malæ abominabiles summo Deo dicuntur. Quò contrà dicta dulcedinis asseruntur munda apud eundem summum Deum. Cogitationes itaque mali inferendi, & non solùm ipsa mala, abominatur Deus; & è regione illarum collocantur dicta dulcedinis erga proximum; hoc est, sermones dulcedinis conferendæ aliis.

Vers.27. CONTVRBAT DOMVM SVAM, QVI SECTATVR AVARITIAM: QVI AVTEM ODIT MVNERA, VIVET. Iuxta Hebræum habetur: *Conturbat domum suam cupidus rerum: & osor donorum viuet*. Conturbatio familiæ ex cupiditate dupliciter oritur; vel ex eo, quòd cupidus molestus est familiæ suæ circa sumptus, arguendo, quòd multùm consumitur in victu, & vestitu: vel ex eo, quòd malè parta introducendo, materiam conturbandi

Cupiditas conturbat familiam et repudiat.

conturbandi familiam suam præbet; conturbanda siquidem quandoque erit à Deo, vel ab hominibus, propter res alienas, quas cupidos rerum male acquisiuis. Quò contra osor munerum
Eccl. 23. 1. (quæ excæcant oculos sapientum) viuet procul dubio vita animæ, ac per hoc vita æterna.

PER MISERICORDIAM, ET FIDEM PVRGANTVR PECCATA: PER TIMOREM AVTEM DOMINI DECLINAT OMNIS A MALO. Nihil huius clausulæ habetur in Hebræo.

Vers. 28. MENS IVSTI MEDITATVR OBEDIENTIAM: OS IMPIORVM REDVNDAT MALIS. Iuxta Hebræum habetur: *Cor iusti meditabitur ad respondendum: & os impiorum scaturiet, & ebulliet, abundabit malis.* Quia non sapientiæ, sed iustitiæ attribuitur meditari ad respondendum, insinuatur, quòd præsentis parabolæ materia est inquisitio mali, seu damni in præiudicium alicuius. Vir enim iustus requisitus de huiusmodi, cauet, ne loquatur in præiudicium alterius; & propterea meditatur, quid respondendum sit, ne præceps respondeat. Quò contra os impiorum abundat malis, & præcipiti sermone, & malo habitu.

Vers. 29. LONGE EST DOMINVS AB IMPIIS: ET ORATIONES IVSTORVM EXAVDIET. Nomen est tetragrammaton. Dicitur autem summus Deus longè ab impiis metaphoricè; hoc est, ad instar longè distantis, non exaudiendo impios. Verè autem longa est distantia non localis, sed dissimilitudinis: eò quòd valdè dissimiles sunt impij diuinæ voluntati, pro quanto delectantur in peccatis, quæ odio habet Deus. Quò contrà iustorum orationes Deus exaudiet, tanquàm propinquus illis propinquitate similitudinis: sunt enim conformes diuinæ voluntati obsequentes illi.

Deus longè ab impiis distantia dissimilitudinis.

Vers. 30. LVX OCVLORVM LÆTIFICAT ANIMAM: FAMA BONA IMPINGVAT OSSA. Dictio interpretata, *anima*, sonat, *cor*; & dictio interpretata, *fama*, sonat, *nuncium*. Comparat siquidem parabola auditum visui: & significat, quòd corporea quidem lux, oculis præsens lætificat cor, vt experimur cælo sereno, lucente Sole. Sed longè plùs afficit auditum nuncium bonum, eò quòd non solùm lætificat; sed impinguat ossa: non solùm ad animum penetrat; sed & in corpus redundat.

Vers. 31. AVRIS, QVÆ AVDIT INCREPATIONES VITÆ, IN MEDIO SAPIENTVM COMMORABITVR. Sententia clara est. Tam enim fructus, quàm præmium libenter audientis se increpari, ad hoc, vt rectè viuat, describitur commorari in medio sapientum: hic est enim fructus, hoc est, præmium in hac vita.

Vers. 32. QVI ABIICIT DISCIPLINAM, DESPICIT ANIMAM SVAM: QVI AVTEM ACQVIESCIT INCREPATIONIBVS, POSSESSOR EST CORDIS. Iuxta Hebræum habetur: *Vertens eruditionem abominatur animam suam: & audiens increpationem acquisitor cordis.* Vertere eruditionem est voluere illam in iocum, vel in malum, vel in quodcunque aliud: & hoc est abominari facto propriam animam; hoc est, vitam propriam animi, quæ consistit in virtute. Quò contrà audiendo increpationes acquirit homo cor proprium; acquirit homo virtutes, quibus possidebit internos motus animi, iam habitibus virtutum securus.

Vertere eruditionem, quid.

Vers. 33. TIMOR DOMINI, DISCIPLINA SAPIENTIÆ: ET GLORIAM PRÆCEDIT HVMILITAS. Iuxta Hebræum habetur: *Timor Iehouah, eruditio sapientiæ: & in facie honoris mansuetudo.* Anceps est dictio, *in facie*, ad *ante*, vel *coram*. Et si legitur, *ante*, sensus est, quòd timorem quidem summi Dei præcedit eruditio sapientiæ: effectus enim eruditionis, procedentis à sapientia erudientis, est timor summi Dei, qui initium est sapiendi; & proportionaliter honorem præcedit mansuetudo: per mansuetudinem enim eleuantur homines ad statum honorabilem: amantur enim mansueti, & idonei censentur ad gubernandum, tanquàm alieni à passionibus animi. Si verò legitur, *coram*, sensus est, quòd coram timente summum Deum viget eruditio sapientiæ, (quoniam delectatur erudiendo, & videndo eruditos alios,) & proportionaliter coram viro honoris floret mansuetudo: quoniam delectatur in mansuetudine, & sua, & aliorum.

Mansueti idonei censentur ad gubernandum.

CAPVT XVI.

HOMINIS EST PRÆPARARE COR: ET DOMINI GVBERNARE LINGVAM. Iuxta Hebræum habetur: *Hominis sunt præparationes cordis: & à Iehouah responsio linguæ.* Oritur statim quæstio, quomodo verificatur, quòd adscribatur homini è regione Dei præparare cor, cùm totum oppositum verius appareat: quoniam vsus linguæ est penitus voluntarius; præparatio autem cordis multas habet passiones animi inuoluntarias impedientes illam: ac per hoc debuisset potiùs attribui homini loquutio, & attribui Deo præparatio cordis. Solutio est, quòd Litera non tractat de loquutione absolutè, sed de loquutione responsiua: responsio autem manifestè differt à præparatione cordis penes hoc, quòd responsio non semper occurrit idonea, seu satisfaciens; vel, quia nescit interrogatus, & erubescit dicere se nescire; vel, quia de aliquo articulo impræmeditato interrogatur, vel etiam, quia meditata non semper occurrunt: & propterea respondere satisfaciendo non est in potestate hominis, sed diuino dono attribuitur, quòd occurrat in promptu, quando oportet, responsio satisfaciens: præparatio verò cordis agitur intra ipsummet hominem, & non obligatur ad tempus interrogantis: & propterea, si commoditas non adest nunc, differri potest in aliud tempus congruum; & idcircò attribuitur homini, tanquàm libera ab interrogatione aliena. Non excluditur itaque Dei donum à præparatione cordis: sed appropriatur hæc homini, & responsio Deo propter differentiam, quæ est inter eas penes occursum tempore, quo oportet. Vers. 1.

Quæstio.

Solutio.

Sic etiā quidā Hebræorum exponunt licèt aliŷ aliter, videlicet, quiā quantumcunque homines cor de aliquo meditantur, frustrà tamen mirantur etiam lingua exprimere sine Dei auxilio, &c.

OMNES VIÆ HOMINVM PATENT OCVLIS EIVS: SPIRITVVM PONDERATOR EST DOMINVS. Iuxta Hebræum habetur: *Omnes viæ viri mundi in oculis eius: & numerans spiritus Iehouah.* Dictio interpretata, *numerans*, anceps est ad numerans, vel dirigens: & quocunque modo legatur, dubium restat, an *spiritus* intelligantur substantiæ spirituales, quas Angelos, & Dæmones vocamus; an intelligantur diuersi spiritus, hoc est, interni impulsus, quibus aguntur homines ad diuersa. Est itaque sensus parabolæ, quòd homo mundus videt omnes vias suas, omnia studia sua, omniáque opera sua; Vers. 2.

Dubium.

sed

sed numerare nequit, quot sunt spiritus, quibus aguntur homines: quia hoc est reseruatum summo Deo; vel dirigere spiritus, quibus aguntur homines, non potest, quia hoc est reseruatum Deo. Prima tamen lectio magis quadrat, è regione primæ particulæ sonantis, quòd omnes viæ hominis mundi sunt coram eo. Consonat enim, vt è regione dicatur, quòd non potest spiritus omnes numerare, quibus homo agitur. Et eadem ratione non est sermo de spiritualibus substantiis; sed de spiritibus, hoc est, internis impulsibus, quibus aguntur homines. Et si consideratum fuerit, quòd de homine mundo est sermo, rationabile erit, quòd de spiritibus, qui à Deo immittuntur, de internis inspirationibus est sermo. Soli enim Deo notus est numerus diuinarum inspirationum, quibus agit homines ad opera diuersa, siue gratiæ gratum facientis, siue gratiæ gratis datæ.

Vers. 3. REVELA DOMINO OPERA TVA, ET DIRIGENTVR COGITATIONES TVÆ. Dictio interpretata, *reuela*, sonat, *volue*, vel, *verte*. Et dictio interpretata, *Domino*, cum præpositione, sonat, *ad Iehouah*. Clarus est sensus parabolæ monentis. Verte ad Deum opera tua. Religiosa siquidem intentione vertuntur ad Deum ex mundo, ex carne, ex omnibus rerum operanostra. Fructus autem huiusmodi versionis diffinitur dicendo, *Et dirigentur cogitationes tuæ:* proculdubiò ab ipso Deo, ad quem nos dirigimus opera nostra.

Vers. 4. VNIVERSA PROPTER SEMETIPSVM OPERATVS EST DOMINVS: IMPIVM QVOQVE AD DIEM MALVM. Sententia redditur, & nomen tetragrammaton est. Deus, quamuis nihil propter vtilitatem propriam fecerit (eò quòd nullo indiget;) omnia tamen propter semetipsum, vt vltimum finem operatus est, & operatur. Incommunicabile siquidem est esse vltimum finem, quemadmodum incommunicabile est esse primum efficiens. Et quoniam impios, quatenus impios, non operatur, (quoniam Deus non est author impietatis, & cuiuscunque peccati:) ideò specialiter meminit impij dicendo, quòd etiam impium operatus est Deus propter ipsum Deum, non absolutè; sed ad diem mali, quod est dicere: Deus propter seipsum ordinat impium ad diem mali; hoc est, ad pœnam claræ iustitiæ. Deus itaque non facit impium, sed ordinat impium ad diem, ad claram iustitiam mali, hoc est, pœnæ: sic enim culpa ordinatur per pœnam: & hic ordo est à Deo propter ipsum Deum, vt vltimum finem.

Deus non propter vtilitatem suam, sed propter seipsum, tanquam vltimum finem, operatur omnia.

Quomodo Deus operatus est impium propter seipsum.

Vers. 5. ABOMINATIO EST DOMINI OMNIS ARROGANS: ETIAMSI MANVS AD MANVM FVERIT, NON ERIT INNOCENS. Iuxta Hebræum habetur: *Abominatio Iehouah omnis elatus corde: manus manui non mundabitur, siue ad manum non erit mundus.* Superbus non verbis, aut gestu; sed corde abominabilis Deo scribitur, sic quòd manu ad manum (hoc est) citò non erit mundus à pœna, hoc est, citò punietur. Apparet siquidem in hoc mundo, quòd diuina vltio celerius exercetur aduersus superbos, quàm alios vitiis irretitos: videmus enim sæpè eos deiici subitò.

INITIVM VITÆ BONÆ FACERE IVSTITIAM: ACCEPTA AVTEM APVD DEVM MAGIS, QVAM IMMOLARE HOSTIAS. Nihil huius clausulæ habetur in textu Hebraico.

Vers. 6. MISERICORDIA, ET VERITATE REDIMITVR INIQVITAS: ET IN TIMORE DOMINI DECLINATVR A MALO. Parui refert, quòd dictio interpretata, *misericordia*, sonat, *gratia*. Et dictio interpretata, *redimitur*, sonat, *ignoscetur*. Vniuersæ viæ Domini, gratia, & veritas: & propterea cerne disparitatem. Recedere à malo efficit timor Dei: ad veniam autem peccatorum requiruntur vniuersæ viæ Dei: requiritur veritas, qua vnicuique debitum reddimus: requiritur etiam gratia, qua gratuito benefici aliis sumus. Et hoc insinuatur, difficilius esse consequi veniam peccatorum, quæ admisimus, quàm consequi primæ iustitiæ partem, quæ est declinare à malo culpæ.

Ad declinandum à malo, sufficit timor Dei: ad veniam autem consequendam duo requiruntur. Difficilius est consequi veniam, quàm declinare culpam.

Vers. 7. QVVM PLACVERINT DOMINO VIÆ HOMINIS, INIMICOS QVOQVE EIVS CONVERTET AD PACEM. Sensus redditur: efficacia enim diuinæ beneuolentiæ describitur erga virum, cuius opera placent Deo, quoad hoc, quòd etiam inimicos illius viri pacabit cū illo viro, vt vndique pacem habeat. Hoc non semper fieri intellige: sed sæpè in veteri lege, in qua terrenum regnum cum temporalibus bonis promittebatur iustis: & apparet hoc in pacatione Assueri cum populo Iudæorum. Esther 8.

Vers. 8. MELIVS EST PARVM CVM IVSTITIA, QVAM MVLTI FRVCTVS CVM INIQVITATE. Dictio interpretata, *cum iniquitate*, sonat, *sine iudicio*. Et per fructus significantur prouentus frugum terræ: quod autem sine iudicio est, sine iustitia quoque oportet esse; quoniam iudicium ius comprehendit. Hæc enim parabola ex Psalmo sumpta est. *Melius est modicum iusto, super diuitias peccatorum multas.* Psal. 36. 16.

Vers. 9. COR HOMINIS DISPONIT VIAM SVAM: SED DOMINI EST DIRIGERE GRESSVS EIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Cor hominis cogitabit viam suam: & Iehouah diriget gressum eius.* Cupis, vt Deus dirigat gressus operum tuorum; cogita meditatione penetrante cor, viam tuam: cogita autem, vt sit habilis ad hoc, vt dirigatur à Deo: via enim mala inhabilis est ad dirigi à Deo.

Vers. 10. DIVINATIO IN LABIIS REGIS: IN IVDICIO NON ERRABIT OS EIVS. Dictio interpretata, *errabit*, sonat, *mentietur*. Parabolæ huius duplex est sensus. Alter, sermo Regis habetur, vt oraculum diuinationis, & propterea existimatur à populo, quòd sententia, quam profert Rex iudicando, non est mendax, sed iusta. Alter, sermo Regis extra iudicium potest esse etiam diuinatio (quæ inter pessima supputatur;) sed in iudicio non est mendax, non peccat; sed ius vnicuique reddit. Tunc enim Rex iudicabat, vt patet de Dauid, & Salomone; & summa adhibebatur diligentia iudiciis; ita quòd iudicium Regis reputabatur ius. Elige quem mauis sensum.

Vers. 11. PONDVS, ET STATERA IVDICIA DOMINI SVNT: ET OPERA EIVS OMNES LAPIDES SACCVLI. Dictio interpretata, *pondus*, sonat, *bilances*. Et dictio interpretata, *iudicia*, sonat *iudicij*. Est enim sensus, quòd statera, & bilances iudicij (hoc est, iustæ, sunt Dei, & similiter lapides crumenæ, quibus fiebant pondera iusta, sunt opera Dei. Est enim nomen tetragrammaton. A Deo siquidem prouenisse iustitiam in ponderibus declaratur.

Vers. 12. ABOMINABILES REGI, QVI AGENT IMPIE: QVONIAM IVSTITIA FIRMATVR SOLIVM. Verissima est parabola de Rege quoad officium, quamuis

Abominatio regi sunt...

quamuis quoad personam Regis quandoque fiat contrarium. Regale siquidem officium abominatur impietates: quia iustitia firmatur solium eius.

Vers. 13. VOLVNTAS REGVM, LABIA IVSTA: ET QVI RECTA LOQVITVR, DILIGETVR. Hæcquoque parabola verificatur ex parte officij regalis; quamuis non semper ex parte personæ Regis: placent enim Regi iusta labia, & amatur ab eo, qui recta loquitur.

Vers. 14. INDIGNATIO REGIS, NVNCII MORTIS: ET VIR SAPIENS PLACABIT EVM. Sententia redditur, quamuis ira Regis scribatur in Hebraico, quòd est tanquam nuncij mortis: nunciat enim futurum malum mortis, vt patet in ira Assueri

Esther 7.8. Regis Persarum, aduersus Aman. Similiter, Hebraicè habetur: *Et vir sapiens expiabit eam*, videlicet, iram Regis erga se: purgabit siquidem causam iræ, vtendo prudentia.

Vers. 15. IN HILARITATE VVLTVS REGIS, VITA: ET CLEMENTIA EIVS QVASI IMBER SEROTINVS. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *In luce vultus Regis vita: & voluntas eius, sicut nubes serotina.* Lux vultus metaphoricè appellatur hilaritas, seu iucunditas, quam vultus Regis monstrat in se alicui: voluntas autem pro beneplacito sumitur. Et illa quidem appellatur vita, hoc est, grata homini, tanquam vita: illa autem assimilatur nubi serotinæ, hoc est, nubi longo tempore desideratæ pro pluuia. Est enim consolatoria hominis, quemadmodum pluuia diu expectata.

Vers. 16. POSSIDE SAPIENTIAM, QVIA AVRO MELIOR EST: ET ACQVIRE PRVDENTIAM, QVIA PRETIOSIOR EST ARGENTO. Iuxta Hebræum habetur: *Acquire sapientiam, quàm melius quàm obrizum: & acquire intelligentiam, quàm electum argentum.* Sententiæ claræ sunt.

Habetur, electum præ, seu plus argento.

Vers. 17. SEMITA IVSTORVM DECLINAT MALA: CVSTOS ANIMÆ SVÆ SERVAT VITAM SVAM. Dictio interpretata, *declinat*, sonat, *declinare*. Et dictio interpretata, *vitam*, sonat, *viam*. Est itaque parabola, quòd semita iustorum est recedere à malis culpæ: & propterea custos vitæ suæ est custos animæ suæ. Custodit enim animam propriam à peccatis, qui custodit viam suam (hoc est, studia & opera sua) à malo.

Vers. 18. CONTRITIONEM PRÆCEDIT SVPERBIA: ET ANTE RVINAM EXALTATVR SPIRITVS. Parui refert, quòd dictio interpretata, *contritionem*, sonat, *impactionem*. Sed quæstio oritur de veritate huius parabolæ: eò quòd frangitur quandoque aliquis in rebus, vel honore, statu, aut corpore; & non tamen propter illius superbiam: & similiter impingit quandoque aliquis in malum aliquod, & non propter elationem spiritus. Exemplum habes in Samuële, qui fractus est in statu regiminis populi Israël, & impegit in malos filios; & tamen non propter superbiam, aut elationem spiritus ipsius Samuëlis. Solutio est, quòd non est hîc sermo de fractione, & impactione absolutè: sed, quatenus sunt pœnæ peccati, quatenus à Deo distribuuntur in pœnam præcedentis peccati. Credendum enim, quòd regulariter, tam fractio, quàm impactio respondet peccato superbiæ, vt pœna illius in hac vita. Inter fractionem autem, & impactionem differentia est penes hoc, quòd frangimur ab alio; impingimus verò ex propria actione. Et vtranque pœnam meretur superbia; & lucerent Philosophi, qui manserunt in cogitationi-

Quæstio.

Solutio.

Inter fractionem, & impactionem quid intersit.

bus suis, vt Apostolus docuit.

Vers. 19. MELIVS EST HVMILIARI CVM MITIBVS, QVAM DIVIDERE SPOLIA CVM SVPERBIS. Deficit in prima particula vna dictio, videlicet, *spiritu*. Legitur enim: Melius est humiliari spiritu cum mansuetis. Et est sensus: Melior est deiectio proprij spiritus similis deiectioni, quàm habent mansueti, quàm habere spiritum audacem similem spiritui diuidentium prædam. Et verum dicitur: quoniam melius est imitari virtutem mansuetorum, quàm acquirere partem spoliorum.

Vers. 20. ERVDITVS IN VERBO REPERIET BONA: ET QVI IN DOMINO SPERAT, BEATVS EST. Dictio interpretata, *eruditus*, sonat, *intelligens*. Et dictio interpretata, *est*, sonat, *ipse*. Et scribitur tetragrammaton. Vigens acumine intelligendi, siue interpretando verba, siue penetrando res, inueniet bona, & ex actis & ex rebus intellectis: vt experientia quotidie testatur in viris doctis excellenti ingenio præditis: verùm multò felicior est sperans in summo Deo, quoniam ipse beatus hîc in spe, postea in re erit.

Vers. 21. QVI SAPIENS CORDE EST, APPELLABITVR PRVDENS: ET QVI DVLCIS EST ELOQVIO, MAIORA PERCIPIET. Dictio interpretata, *prudens*, sonat, *intelligens*. Et vltimæ duæ dictiones (scilicet, *maiora percipiet*) sonant, *addet doctrinam*. Sapiens corde ex sua interna sapientia appellabitur intelligens, hoc est, penetrans acumine intellectus, & res, & scripta verba. Vir autem dulcis eloquij docendo alios, multiplicabit doctrinam. Currunt enim homines ad eloquia dulcia. Et sapientes quidem laudant quoad intelligentiam: ad dulcia verò eloquia pergunt pro instructione: & sic vir dulcis eloquij addit docere, accumulat & multiplicat actus docendi. Vtinam Prædicatores trahentes homines dulci eloquio, adderent doctrinam, & non fabellas.

Aduerte, Concionator.

Vers. 22. FONS VITÆ, ERVDITIO POSSIDENTIS: DOCTRINA STVLTORVM, FATVITAS. Iuxta Hebræum habetur: *Vena vitæ, intelligentia herorum suorum: & eruditio stultorum stultitia.* Vide, quantùm intersit sermonum fortiri heros intelligentes, vel stultos. Intelligentia siquidem herorum est seruis velut vena vitæ, per quam vita animi ad seruos venit: erudiuntur enim ab heris intelligentia vigentibus. Quò contrà eruditio à stultis heris proficiscens, stultitia est.

Vers. 23. COR SAPIENTIS ERVDIET OS EIVS: ET LABIIS EIVS ADDET GRATIAM. Dictio interpretata, *erudiet*, sonat, *legem*. Sapientis viri est intelligere proprium os, quo declinat, in quo deficit, & reliquas eius circunstantias: intellecto autem proprio ore, officium eius est addere legem labiis suis ne peccet in sermone.

Vers. 24. FAVVS MELLIS VERBA COMPOSITA, ET DVLCEDO ANIMÆ, ET SANITAS OSSIVM. Dictio interpretata, *composita*, sonat, *dulcedinis*. Eloquia dulcia assimilantur fauo mellis, & explanando duo dicuntur; videlicet, quòd sunt animæ quidem dulcedo; ossibus verò sanitas: hoc est, quòd sunt suauia, & animæ, & corpori. Audientes enim dulcia eloquia non lassantur corpore, sed recreantur: & propterea attribuitur eloquio dulci sonare ossa.

Vers. 25. EST VIA, QVÆ VIDETVR HOMINI RECTA: ET NOVISSIMA EIVS DVCVNT AD MORTEM. Repetitio est parabolæ scriptæ in cap. 14. nec aliter oportet exponere.

Verſ. 26. ANIMA LABORANTIS LABORAT SIBI: QVIA COMPVLIT EVM OS EIVS. Iuxta Hebræum in præterito ſcribitur, *laborauit*. Et ſecunda particula ſic habetur: *Quia inclinauit ſuper ſe os ſuum.* Quia hominum alij laborant ſibi, alij pro aliis, declarat hæc parabola, quòd diuerſitas hæc oritur ex eo, quòd aliqui flectunt ſermones ad ſeipſos; alij verò non. Sequentes enim de ſeipſis curam habent ſuimet; & propterea laborant ſibiipſis. Qui verò de ſeipſis non loquuntur, conſequenter nec curam habent ſuimet, & aut non laborant, aut laborant aliis. Sed iſti non deſiderant laborare, quemadmodum illi, quorū deſiderium deſcribitur nomine animæ dicendo: Anima laborantis (hoc eſt, deſiderium laborantis) eſt ad laborandum ſibiipſi: quia flexit ad ſe os ſuum.

Verſ. 27. VIR IMPIVS FODIT MALVM: ET IN LABIIS EIVS IGNIS ARDESCIT. Et opere, & ſermone vir impius ad malum tendit: nam opere fodit malum; hoc eſt, tanquàm fodiens quærit malum culpæ propriæ, & pœnæ alienæ. Non enim ſufficit ei occurrere malum, ſed quaſi fodiendo inquirit illud: ſermone verò tanquam ignis ardens comburit; nocumenta mandando, vel ſaltem excitando.

Verſ. 28. HOMO PERVERSVS SVSCITAT LITES: ET VERBOSVS SEPARAT PRINCIPES. Dictio interpretata, *peruerſus*, ſonat, *reuolutionum*. Et dictio interpretata, *verboſus*, ſonat, *ſuſurro*. Homo, qui vertit ſermones, excitat litem (vel inter alios, vel inter ſe, & alterum) ex hoc ipſo, quòd vertit ſermonem modò in illam, modò in illam faciem: moleſta enim eſt huiuſmodi reuolutio altera, & propterea excitat litem: ſuſurronis verò officium eſt ſeparare amicos, ſiue etiam duces, deſeruiendo vtrunque vtrique.

Verſ. 29. VIR INIQVVS LACTAT AMICVM SVVM: ET DVCIT EVM PER VIAM NON BONAM. Parùm refert, quòd dictio interpretata, *ducit*, ſonat, *facit ire*: ſententia clara eſt, & vtinam non ſæpè huiuſmodi ſeductiones contingerent.

Verſ. 30. QVI ATTONITIS OCVLIS COGITAT PRAVA: MORDENS LABIA SVA PERFICIET MALVM. Iuxta Hebræum habetur: *Claudet oculos ſuos ad cogitandum reuolutiones, attenuans labia ſua, perficiet malum.* Primæ particulæ talis ſenſus, quàm ratio in promptu eſt. Quoniam cogitans, quòd vertatur reſpublica in ſtatum, ſeu regimen alterum, claudit oculos, diſſimulat videre, ſinit currere actiones, & ſtudia diuerſorum in diuerſa, vt ſic vertatur reſpublica in ſtatum, aut regimen alterum. Et quod diximus de republica, ſimile proportionaliter intellige in rebus aliis. Ad exequendam enim cogitatas verſiones, vtile eſt claudere oculos. Sed ſecundæ particulæ ſenſus non eſt vſquequaque clarus: ſonare tamen videtur diſparitatem inter machinantem auerſiones, & eum, qui perficit, qui potitus eſt concupito malo. Hic enim claudit oculos, vt aſſequatur malum: iſte autem minuit labia, hoc eſt, vult intelligi, quòd pareatur ei ad motum labiorum. Signum enim, quòd iam perfecit malum, quòd tyrannidem firmauit, eſt, quòd vult ſine ſermone ad ſolum motum labiorum obediri ſibi.

Verſ. 31. CORONA DIGNITATIS SENECTVS, QVÆ IN VIIS IVSTITIÆ REPERIETVR. Dictio interpretata, *dignitatis*, ſonat, *gloria*. Et aiunt Hebræi, non ſenium, ſed decrepitum ſignificari ætatem. Decrepita itaque ætas perſeuerans in via iuſtitiæ dicitur corona gloriæ: eò quòd ornamentum eſt glorioſum apud omnes mortales.

MELIOR EST PATIENS VIRO FORTI: ET QVI DOMINATVR ANIMO SVO, EXPVGNATORE VRBIVM. Iuxta Hebræum habetur: *Melior longus furorum, quàm potens: & dominator ſpiritus ſui, quàm capiens vrbem.* Iam dictum eſt, quòd longus furorum eſt, qui in longū protrahit iraſci. Qui itaque nouit ſe continere ab iræ impetu, melior eſt, quàm potens viribus exercere vindictam: & ſimiliter longè melior eſt dominator ſpiritus proprij, quàm expugnator vrbium: eò quòd iſte aduerſùs alios præualet: ille verò ſeipſum poſſidet, ſeipſum ſibi ſubiicit; quod eſt maximum in virtute morali. Verſ. 32.

Seipſum ſibi ſubiicere maximum eſt.

SORTES MITTVNTVR IN SINVM: SED A DOMINO TEMPERANTVR. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et à Iehouah omne iudicium earum.* Vſus ſortium frequens fuit apud Hebræos, & homines quidem ſortes mittebant in ſinum, hoc eſt, in locum congruum: iudicium verò earum, non ab homine, ſed à ſummo Deo expectabatur. Ita quòd non caſui, aut fortunæ, ſed diuinæ prouidentiæ iudicio committebantur ſortes, vt Deus dirigeret ſortem bonam ad eum, qui maieſtati eius magis placebat. Vnde coram Deo (hoc eſt, cum ſacrificiis, vel orationibus) iaciebant ſortes. Verſ. 33.

Sortes apud Hebræos in vſu.

CAPVT XVII.

MELIOR EST BVCCELLA SICCA CVM GAVDIO, QVAM DOMVS PLENA VICTIMIS CVM IVRGIO. Dictio interpretata, *gaudio*, ſonat, *pace*. Eſt enim ſenſus parabolæ, quòd melior eſt panis ſolus cum pace, quàm domus plena animalibus optimis pro ſacrificio pacificorum ad ſolenne conuiuium cum iurgio, ſeu lite: pax enim præſtat omnibus obſoniis conuiuiorum. Verſ. 1.

SERVVS SAPIENS DOMINABITVR FILIIS STVLTIS: ET INTER FRATRES HÆREDITATEM DIVIDET. Prima particula iuxta Hebræum habetur: *Seruus intelligens dominabitur filio pudore digno.* Vide, quantùm præſtat intelligentia libertati, & dominio. Seruus enim præſtantior ſcribitur domino ſuo, cùm ſeruus fuerit intelligens, & dominus pudore dignus; hoc eſt, turpis in moribus, ſeu actionibus ſuis; & propterea oportet eum pudere factorum propriorum: & vſque adeò præſtat dominis ſuis, quòd inter eos diuidet hereditatem: in tantam euectus eſt autoritatem, vt inter eos, qui fratres ſunt, diuidēdi hereditatem poteſtatem accipiat. Verſ. 2.

Eſt vna dictio ſonans actionem, pudefaciens, eſt enim hiphil.

SICVT IGNE PROBATVR ARGENTVM, ET AVRVM CAMINO, ITA CORDA PROBAT DOMINVS. Iuxta Hebræum habetur: *Cineritium argento, & caminum auro: & diſcernens corda Iehouah.* Carentes vocabulis propriis eorum, quæ purificant argentum, & aurum, vtimur vocabulis iuxta vulgare artificum purgantium aurum, & argentum. Parabolæ autem ſenſus clarus eſt, quòd cineritium diſcernit argentum; caminus verò aurum ab admixtis: Deus autem diſcernit corda ab impuritatibus eorum. Verſ. 3.

MALVS OBEDIT LINGVÆ INIQVÆ, ET FALLAX OBTEMPERAT LABIIS MENDACIBVS. Dictio interpretata, *obedit*, & *obtemperat*, ſonat, *auſcultat*. Et dictio interpretata, *mendacibus*, ſonat, *fractionum*. Vir manifeſtè malus auſcultat libenter verba iniqua: delectatur enim audire iniquitates, & modos exequendi illas. Verſ. 4.

illas. Vir autem fallax, qui simulat se virum probum, libenter audit sermones fractionum, siue quibus seipsos frangunt homines, siue quibus frangunt aliorum dicta, vel facta. Delectatur enim in huiusmodi fractionibus, tanquam porrigentibus illi media ad fallendum, & præualendum.

Vers. 5. QVI DESPICIT PAVPEREM, EXPROBRAT FACTORI EIVS: ET QVI IN RVINA LÆTATVR ALTERIVS, NON ERIT IMPVNITVS. Prima particula iuxta Hebræum habetur: *Irrisor pauperis vituperat factorem eius.* Et hoc superius declaratum est in cap. 14. secunda verò particula clara est: punietur enim saltem à Deo.

Vers. 6. CORONA SENVM, FILII FILIORVM: ET GLORIA FILIORVM, PATRES EORVM. Ornamentum senum est progenies vsque ad nepotes: gloria verò filiorum, quanta sit ex patribus, patet ex eo, quòd gloriamur in patribus, & auis.

Vers. 7. NON DECENT STVLTVM VERBA COMPOSITA: NEC PRINCIPEM LABIVM MENDAX. Iuxta Hebræum habetur: *Non pulchrum vili labium superfluitatis: quanto magis Principi labium falsitatis?* Appellatur labium superfluitatis sermo iactantis se, vel promittentis ea, quæ excedunt vires, seu facultates. Et est sensus parabolæ, quòd longè minùs pulcher est in ore nobilium sermo falsus, quàm in ore personæ vilis sermo superfluus: vtrique siquidem dedecet, sed ille magis.

Labium superfluitatis.

Vers. 8. GEMMA GRATISSIMA, EXPECTATIO PRÆSTOLANTIS: QVOCVNQVE SE VERTIT, PRVDENTER INTELLIGIT. Iuxta Hebræum habetur: *Lapis gratiæ munus in oculis dominorum eius: ad omne, quo verterint, faciet intelligere.* Dictio interpretata, *faciet intelligere*, potest quoque interpretari, *prosperabitur*. Efficacia munerum oblatorum à subdito domino eius, describitur ad instar lapidis pretiosi gratissimi alicui. Quemadmodum enim gratiosè aspicitur pretiosus lapis; ita munus; & tantæ est efficaciæ, quòd ad omne, quò offerens vertetis petitionem suam, faciet dominum intelligere, dabit intelligentiam nouam domino ad modum, & viam faciendi offerentem voti compotem; quod vtinam frequentissimum non esset. Et ad idem tendit, si legatur *prosperabitur*, prima tamen lectio magis propria est, & magis declarat quid faciat munus.

Efficacia munerum.

Vers. 9. QVI CELAT DELICTVM, QVÆRIT AMICITIAS: QVI ALTERO SERMONE REPETIT, SEPARAT FOEDERATOS. Secunda particula iuxta Hebr. habetur: *Et improperans rem, separat socium.* Amati quærit tegens alterius crimen: improperans autem beneficium separat à se socium. Molesta est enim, & pro iniuria habetur improperatio.

Improperatio beneficij, iniuria est.

Vers. 10. PLVS PROFICIT CORRECTIO APVD PRVDENTEM, QVAM CENTVM PLAGÆ APVD STVLTVM. Iuxta Hebræum habetur: *Melior clamor intelligenti, quàm percutere stultum centies.* Verissimum est, quòd clamor vnicus, arguendo intelligentem, vtilior est mille percussionibus ad arguendum stultum: percussiones enim istæ nihil prosunt: vigens autem intelligentia non expectat iterum clamari aduersus se, sed ad primum clamorem corripit se.

Propriè habetur: Descendet increpatio in intelligente. vel ponitur, techath pro, echath, id est, vna. & est prima dictio versus.

Vers. 11. SEMPER IVRGIA QVÆRIT MALVS: ANGELVS AVTEM CRVDELIS MITTETVR CONTRA EVM. Iuxta Hebræum prima particula anceps est: nam legi potest: *Tantùm rebellis quæret malum.* vel, *Tantùm rebellionem quæret malus.* Et primæ lectionis sensus est, quòd vir rebellis quærit duntaxat malum, nihil boni quærit: quoniam mala sunt, quæ sunt vtilia viro rebelli. & in publicis quidem rebellionibus manifestè apparet hoc verificari; in priuatis autem simile quid intelligendum est. Potest nihilominùs eiusdem lectionis alter sensus esse, videlicet, quòd solus rebellis quærit malum: alia siquidem crimina admittunt mala, sed rebellio quærit mala, vt rebellionem foueat. Secundæ autem lectionis sensus est, quòd solus malus quærit rebellionem, & hic sensus non eget ratione: clarum est enim, quòd boni non quærunt. Et quoniam tam quærens malum, quàm quærens rebellionem, grauissimum incurrit crimen; ideò subiungitur grauissima pœna; videlicet, quòd nuncius crudelis mittetur contra eum, siue à Rege, siue à Deo. Et appellatur nuncius crudelis quoad modum exercendi vindictam instar crudelis.

EXPEDIT MAGIS VRSÆ OCCVRRERE RAPTIS FOETIBVS, QVAM FATVO CONFIDENTI SIBI IN STVLTITIA SVA. Vers. 12.
Sententia redditur: Hebraicus tamen sermo mutilus est: nam legitur: *Occurrere vrsum orbatam in virum, & non stultum in stultitia sua.* Et nihil aliud scribitur. Subintelligitur autem: Tolerabilius est occurrere visum filiis orbatum viro, quàm occurrere virum stultum in stultitia sua: quoniam visus agit solo impetu passionis; homo autem stultus agit ratione stultitiam suam, & propterea deterior est. Nec stulti nomine intelligas amentem, seu fatuum, sed imprudentem, ac impudentem.

Quare tolerabilius occursus vrsæ, quàm stulti.

QVI REDDIT MALA PRO BONIS: NON RECEDET MALVM DE DOMO EIVS. Vers. 13.
Si ad meritum spectas, verissima est sententia: meretur enim iuge malum in domo propria, qui reddit alteri malum pro bono. Si ad euentum respicimus, videmus quandoque hoc verificari, & fortè sæpissimè. Multa habemus exempla de hoc in Scripturis.

QVI DIMITTIT AQVAM, CAPVT EST IVRGIORVM: ET ANTEQVAM PATIATVR CONTVMELIAM, IVDICIVM DESERIT. Vers. 14.
Iuxta Hebræum habetur: *Aperiens aquas principium litis: & antequam misceatur lis, dimitte.* Documentum ad vitandam litem duplex datur. Alterum, ad non præbendum occasionem litigandi sub metaphora aperientis hinc, & inde aquæ alueum. Minuit enim, aut tollis cursum aquæ ad locum suum: ac per hoc principium dat litis cum eo, qui inde damnum incurrit. Alterum, ad cauendum à mota lite, antequàm lis sit contestata monendo, dimitte litem, antequàm misceatur. Et est sermo de lite, quam agis, non quam pateris.

ET QVI IVSTIFICAT IMPIVM, ET CONDEMNAT IVSTVM, ABOMINABILIS EST VTERQVE APVD DEVM. Vers. 15.
Siue in iudicio, siue extra iudicium dicens, virum impium esse iustum, seu dicens, virum iustum esse impium, abominabilis est vterque apud summum Deum. Est enim hic nomen tetragrammaton.

QVID PRODEST STVLTO HABERE DIVITIAS, CVM SAPIENTIAM EMERE NON POSSIT? Vers. 16.
Iuxta Hebr. habetur: *Quare hoc pretium in manu stulti acquirere sapientiam, & cor non?* Vanum censetur pretium in potestate stulti ex eo, quòd neque cor, neque sapientiam emere potest: & sapientia quidem refertur ad partem intellectiuam; cor verò ad partem appetitiuam; & sumitur pro perfectione appetitiuæ partis, hoc est, pro virtute morali. Facultates enim sunt organa felicitatis consistentis in

Et cor construitur cum non.

Vana sunt dominia in vera stulti. in virtute: & ideò censentur vanæ in stulto; quia acquirere non potest esse cordatum, & sapientem.

QVI ALTAM FACIT DOMVM SVAM, QVÆRIT RVINAM: ET QVI EVITAT DISCERE, INCIDET IN MALVM. Nihil huius clausulæ habetur in Hebræo.

Vers. 17. OMNI TEMPORE DILIGIT, QVI AMICVS EST: ET FRATER IN ANGVSTIIS COMPROBATVR. *Expositio quomodo in Hebræo.* Secunda particula iuxta Hebr. habetur: *Et frater ad angustiam nascetur.* Et est sensus, quòd natiuitas fratris ordinatur ad opem ferendam fratri in angustia: eget enim frater fratre tempore necessitatis. Quemadmodum itaque frater nascitur ad opitulandum in angustia; sic amicus diligit, non tempore prosperitatis duntaxat, sed omni tempore, hoc est, etiam tempore aduersitatum: alioquin est amicus fortunæ, non hominis.

Vers. 18. HOMO STVLTVS PLAVDET MANIBVS, CVM SPOPONDERIT PRO AMICO SVO. Iuxta Hebr. *Quis sit amici fideiussor, ne...* habetur: *Homo minutus corde, tangens manum, fideiubet fideiussionem ante socium eius.* Quia dictio interpretata, *ante*, anceps est ad *ante*, vel *coram*; ideò anceps quoque est sensus. Nam, si legitur, *ante*, sensus est, quod vir deficiens corde tangit manum, tanquàm signum fidei, & fideiubet, antequàm socius fideiubeat. Pertineret enim fideiubere ad socium illius, pro quo fideiubet, & non ad ipsum; & propterea defectui cordis adscribitur præuentio fideiussionis. Si verò legitur, *coram*, sensus est, quem vulgata editio transtulit, videlicet, quòd vir deficiens corde tangit manum plaudendo coram socio suo, pro quo fideiussit: & adscribitur stultitiæ hoc signum gaudij: deberet enim cogitare de satisfactione, vt superiùs cap. 6. dictum est.

Vers. 19. QVI MEDITATVR DISCORDIAS, DILIGIT RIXAS: ET QVI EXALTAT OSTIVM, QVÆRIT RVINAM. Iuxta Hebræum habetur: *Amans rebellionem, amat contentionem: exaltans ostium suum, quærit fractionem.* Prima pars clara est: secunda autem obscura: sonat tamen, quòd exaltans ostium suum, non corporea elatione, sed virtute auctoritatis, vult seruare impunes ingredientes ostium domus suæ: multi enim sic exaltant ostium domus propriæ. Et de hoc hominum genere dicitur quòd quærit fractionem, quòd talis quærit frangi à populo, seu Magistratu, aut à Rege: odiosum est enim hoc illis, qui reipublicæ curam agunt.

Vers. 20. QVI PERVERSI CORDIS EST, NON INVENIET BONVM: ET QVI VERTIT LINGVAM, INCIDET IN MALVM. Parui refert, quòd prima particula iuxta Hebræum habetur: *Iniquus corde non inueniet bonum.* Inter iniquum corde, & vertentem linguam proprium est comparatio: quòd ille non inueniet bonum, iste cadet in malum: ergo iste peior est illo, quantò peius est incidere in malum, quàm carere bono.

Vers. 21. NATVS EST STVLTVS IN IGNOMINIAM SVAM: SED NEC PATER IN FILIO FATVO LÆTABITVR. Iuxta Hebræum habetur: *Generans stultitiam tristitiam sibi: & non lætabitur pater vilis.* Inter patrem stulti, & patrem vilis animo fit comparatio, quòd ille tristitiam propriam genuit, ille verò priuatur lætitia: ergo infelicior est primus.

Vers. 22. *Animus valde confert corpori.* ANIMVS GAVDENS ÆTATEM FLORIDAM FACIT: SPIRITVS TRISTIS EXSICCAT OSSA. Prima particula iuxta Hebræum habetur: *Cor lætum benefacit medicina.* Hoc est, tanquàm medicina benefaciet corpori. Lætitia enim cordis valdè confert corpori. Quò contrà spiritus tristis exsiccat ossa; hoc est, contenta in ossibus, medullas, scilicet. Tristitia enim valdè inimica est sanitati corporis, & vitæ: quoniam consistit in motu contrario motui vitali. Viuificatio enim corporis à corde proficiscitur per modum pulsus. Tristitia autem in retractione spirituum consistit. *Tristitia valde nocet corpori.*

MVNERA DE SINV IMPIVS ACCIPIT: VT PERVERTAT SEMITAS IVDICII. Parui refert, quòd Hebraicè legitur in casu genitiuo, *impij*. Certum est enim, quòd solus impius dat, & solus accipit munera, ad peruertendum semitam iustitiæ. Iusti enim, neque dant, neque accipiunt ad huiusmodi effectum. Vers. 23.

IN FACIE PRVDENTIS LVCET SAPIENTIA: ET OCVLI STVLTORVM IN FINIBVS TERRÆ. Prima particula iuxta Hebræum habetur: *Facies intelligentis sapientia.* Nullumque verbum apponitur. Et est sensus, quòd etiam facies intelligentis præsefert sapientiam, pro quanto vigens intellectu vtitur facie sapienter. Quò contrà stultus vtitur insipienter facie, vagis oculis aspiciendo ad angulos, seu extremitates terræ. Vers. 24. *Quomodo sapientia, & stultitia in facie appareat.*

IRA PATRIS, FILIVS STVLTVS: ET DOLOR MATRIS, QVÆ GENVIT EVM. Filius enim imprudens prouocat patrem ad iram: in matre autem parit amaritudinem. Vers. 25.

NON EST BONVM DAMNVM INFERRE IVSTO: NEC PERCVTERE PRINCIPEM, QVI RECTA IVDICAT. Iuxta Hebræum habetur: *Etiam condemnando ad iustum non bonum: ad percutiendum Principes super rectitudine.* Obscura est sententia ponderantibus verba, vt iacet. Potest tamen esse sensus, etiamsi condemnatio pertingat ad iustum, ita quòd iustus damnetur, non propter hoc est medium bonum ad percutiendum Principes super rectitudine, hoc est, rectè iudicantes. Contingit enim, Principes communiter rectè iudicantes quandoque condemnare iustum: contingit autem multis modis. Dauid enim Princeps nimis præceps damnauit Miphiboseth: Nabuchodonosor coactus damnauit Danielem: Rex Israël repentina ira mandauit præcidi caput Helisei. Et populus Hebræus in Babylone deceptus à falsis testibus damnauit Susannam. Vers. 26. 2. Reg. 16. 4. Dan. 14. 8. 4. Reg. 6. 31. Dan. 14. 31.

QVI MODERATVR SERMONES SVOS, DOCTVS ET PRVDENS EST: ET PRETIOSI SPIRITVS VIR ERVDITVS. Iuxta Hebræum habetur: *Prohibet dicta sua sciens scientia: & pretiosus spiritu vir intelligentia.* Quantò aliquis maiori viget scientia, tantò magis ponderat eloquia sua; & multa considerando retinet apud se dicta sua, aspirans ad meliora: vir quoque vigens intellectus acumine, in magno habetur pretio non pecuniæ, sed spiritus, pretio, inquam, spirituali, cui incomparabiles sunt diuitiæ omnes. Vers. 27.

STVLTVS QVOQVE, SI TACVERIT, SAPIENS REPVTABITVR: ET SI COMPRESSERIT LABIA SVA INTELLIGENS. Tam silentium spontaneum, quàm clausio labiorum prouocatorum ira contentum colloquentium, signum est sapientiæ, & intelligentiæ: & propterea etiam imprudens, si hæc seruauerit, reputabitur sapiens, & intelligens, vel absolutè à non cognoscentibus eum, vel pro tunc ab [illegible] omnibus. Vers. 28. *Silentij pretium quod sit.*

CAPVT

CAPVT XVIII.

Vers. 1. OCCASIONES QVÆRIT, QVI VVLT RECEDERE AB AMICO: OMNI TEMPORE ERIT EXPROBRABILIS. Iuxta Hebræum habetur: *Pro appetitu quæret separatus: in omni statuto miscebit se.* Cerne, quàm dispar est vulgata editio ab Hebraica veritate. Vir separatus animo à conuersatione communi quærer, perseuerat quærendo pro appetitu; hoc est, viuendi modú iuxta appetitum proprium. Is enim, cui non placet communis conuersatio, quærit iugiter aliquem viuendi modum conformem appetitui suo, & quærendo miscet se in omni statuto, reuoluit codices statutorum diuersorum circa diuersos viuendi modos, si fortè inueniat, vel hauriat viuendi modum aliquem secundùm desiderium suum.

Homines non conuersatiui, inquieti.

Vers. 2. NON RECIPIT STVLTVS VERBA PRVDENTIÆ: NISI EA DIXERIS, QVÆ VERSANTVR IN CORDE EIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Non volet stultus intelligentiam, quòd si, ad detegendum cor suum.* Et est sensus, quòd stultus nõ studet ad intelligendum: quòd si studet ad intelligendum, studet ad hoc, vt detegat cor proprium; hoc est, ad manifestandum alijs, quod ipse intelligit. Vana gloria itaque describitur finis imprudentis, si studet ad penetrandum aliqua intellectu. Absolutè autem non placet illi intelligentia rerum, aut scriptorum.

Vana gloria, finis stulti.

Vers. 3. IMPIVS, CVM IN PROFVNDVM VENERIT PECCATORVM, CONTEMNIT: SED SEQVITVR EVM IGNOMINIA, ET OPPROBRIVM. Iuxta Hebræum habetur: *Veniente impio venit etiam contemptus: & cum ignominia vituperium.* Comes impij describitur contemptus actione, eò quòd impij est vilipendere, & iura, & homines: veniente autem ignominia (hoc est, homine ignominiosè viuente, vtpote turpia exercente) comitatur cum vituperium proprium. Inter impium autem, & turpem moraliter differentia est, quòd turpis agit ea, quæ sunt infamiæ, putà inebriatur, scurram agit, & similia facit: impius autem iniquitatibus delectatur, & quæ ab hominibus honorantur, agit: vt occupantes regna sunt.

Impius, & turpis quo differant.

Vers. 4. AQVA PROFVNDA VERBA EX ORE VIRI: TORRENS REDVNDANS, FONS SAPIENTIÆ. Dictio interpretata, *fons*, sonat, *vena*. Duo genera sermonum sapientum describuntur. Alterum occultarum, vel excelsarum sententiarum; & hoc genus assimilatur aquis profundis, quæ & excelsæ sunt secundùm profunditatem, & in fundo, quod est, latet nos. Alterum, abundans in alios: vt doctrinæ sapientia, qua sapientes alios docent, & huiusmodi sermo assimilatur torrenti, seu flumini abundanti.

Vers. 5. ACCIPERE PERSONAM IMPII IN IVDICIO, NON EST BONVM: VT DECLINES A VERITATE IVDICII. Iuxta Hebræum habetur: *Eleuare faciem non bonum: ad inclinandum iustum in iudicio.* Minus dicitur, & plus significatur. Dicitur enim, non esse bonum: significatur autem, esse pessimum eleuare faciem impij, hoc est, honorare impium ad humiliandum iustum in iudicio. Fiunt enim duo mala: alterum, quòd in iudicio spectatur ad personam impij: alterum, quòd tollitur ius iusti.

Vers. 6. LABIA STVLTI IMMISCENT SE RIXIS: ET OS EIVS IVRGIA PROVOCAT. Iuxta Hebræum habetur: *Labia stulti venient in litem: & os eius percussiones vocabit.* Facilè sermones viri imprudentis fiunt litigiosi, & frequẽter os eius facto vocat percussiones. Dicendo enim verba percussione digna, vocat facto percussiones sibi inferendas.

OS STVLTI CONTRITIO EIVS: ET LABIA IPSIVS RVINA ANIMÆ EIVS. Declaratio est præcedentis particulæ: & dictio interpretata, *ruina*, sonat, *laqueus*. Os stulti (hoc est, sermo ipsius stulti) frangit imprudentem ipsum: loquitur enim contraria sibi: quandoque verò dicit ea, quibus illaqueatur, & vtroque modo aduersùs se loquitur. Illaqueatur autem animus eius proprijs verbis: quia nequit euadere; sed est tanquàm auis, quæ incidit in laqueum. Vers. 7.

Stultus illaqueatur propriis verbis.

VERBA BILINGVIS QVASI SIMPLICIA: ET IPSA PERVENIVNT VSQVE AD INTERIORA VENTRIS. Dictio interpretata, *simplicia*, sonat, *percussiones*. Assimilantur enim verba susurronis motantis linguam, cum hoc, & illo, percussionibus: quoniam percutiunt animos huius, & illius, nec sunt percussiones leues, tanquàm cutem percutientes; sed penetrantes vsque ad cubicula ventris, hoc est, penetralia animi instar percussionum corporearum, quæ penetrant ad intima corporei ventris. Vers. 8.

PIGRVM DEIICIT TIMOR: ANIMÆ AVTEM EFFOEMINATORVM ESVRIENT. Nihil huius clausulæ habetur in Hebræo.

QVI MOLLIS, ET DISSOLVTVS EST IN OPERE SVO, FRATER EST SVA OPERA DISSIPANTIS. Iuxta Hebræum habetur: *Etiam lentus in opere suo, frater ipse destructoris.* Contingit, quòd lentus ad opera propria festinus est ad adiuuandum destructorem; & propterea dicitur frater destructoris. Vers. 9.

TVRRIS FORTISSIMA, NOMEN DOMINI: AD IPSAM CVRRIT IVSTVS, ET EXALTABITVR. Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Turris fortitudinis, nomen Iehouah: ad ipsam curret iustus, & roborabitur.* Assimilatur nomen summi Dei turri fortitudinis, eò quòd inuocatio eius similis est efficaciæ relatiue ad confugientes ad ipsum: roborat enim concurrentes ad eum; alioquin actum esset de peccatoribus. Vers. 10.

Quare nomẽ Domini turris fortitudinis.

SVBSTANTIA DIVITIS, VRBS ROBORIS EIVS: ET QVASI MVRVS VALIDVS CIRCVNDANS EVM. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et sicut murus validus in cælaturis eius.* Prima particula repetitio est superiùs habitæ cap. 10. secundæ autem particulæ sensus est, quòd apud diuitem aula variis incisionibus artis ornata, reputatur tanquàm murus fortis. Tendit enim parabola ad hoc, quòd diues reputat diuitias tanquàm ciuitatem fortitudinis ad tuendum eum, & ornamenta domus reputat, quasi murum fortem. Existimat enim inter huiusmodi ornamenta se esse securum, tanquàm iuxta murum fortem, quasi ornamenta illa prohibeant aliorum animos ab offensione ipsius. Vers. 11.

Est singul. num. à verbo sonante, pingere, vel aspicere, Psal. 12. ver. 7. redditur, cogitationes.

Diues ab diuitiis se tutum putat.

ANTEQVAM CONTERATVR, EXALTATVR COR HOMINIS: ET ANTEQVAM GLORIFICETVR, HVMILIABITVR. Parabola hæc repetitio est scripta superiùs cap. 16. & propterea non oportet expositionem repetere. Vers. 12.

QVI PRIVS RESPONDET, QVAM AVDIAT, STVLTVM SE ESSE DEMONSTRAT, ET CONFVSIONE DIGNVM. Iuxta Hebræum habetur vltima particula: *Stultitia ipsa ei, & pudor.* Sensus clarus est, & veritas clarior. Vers. 13.

SPIRITVS VIRI SVSTENTAT IMBECILLI- Vers. 14.

TATEM SVAM: SPIRITVM VERÒ AD IRASCENDVM FACILEM QVIS POTERIT SVSTINERE? Iuxta Hebræum habetur: *Spiritus viri feret ægritudinem suam: & spiritum contritum quis feret illum?* Disparitas inter mala spiritus (mala quasi congenita, seu ab intrinseco nata,) & mala eiusdem ab extrinseco proficiscentia describitur, penes hoc, quòd illa sunt tolerabilia; ista verò intolerabilia. Assimilans itaque mala congenita, seu ab extrinseco nata ægritudinibus dicit, quòd viri spiritus sufferent ægritudines proprias, (putà, pusillanimitatem, iracundiam, esse præcipitem, & alias huiusmodi animi ægritudines:) spiritum verò contritum ab alio, (hoc est, non solùm percussum, & fractum, sed etiam quasi contritum ignominiis, despectionibus, irrisionibus, aliisque iniuriis) quis sufferret? ac si apertius dixisset: Intolerabilis est. non quòd penitùs intolerabilis sit, sed quia difficilè valdè tolerari potest.

Differentia inter mala congenita, & impropera-ta.

Vers. 15. COR PRVDENTIS POSSIDEBIT SCIENTIAM: ET AVRIS SAPIENTIVM QVÆRET DOCTRINAM. Iuxta Hebræum habetur: *Cor intelligentis acquiret scientiam, & auris sapientum quæret scire.* Auditu, qui auribus exercetur, vtitur sapiens ad quærendum scire: *Audiens* enim *sapiens, sapientior fiet.* corde verò vtitur intelligens ad acquirendum ipsam scientiam: quoniam adhibet diligentiam ad intelligendum ea, quæ audit.

Hoc lib. Prou. 1. 5.

Vers. 16. DONVM HOMINIS DILATAT VIAM EIVS: ET ANTE PRINCIPES SPATIVM EI FACIT. Sententia redditur: secundæ tamen particulæ vltima verba sonant: *Ducet eum.* Experientia testatur, quòd deferenti munus aperitur via custodium frequentia occupata, & ante Principes ducitur deferens munus.

Vers. 17. IVSTVS PRIOR EST ACCVSATOR SVI: VENIT AMICVS EIVS, ET INVESTIGABIT EVM. Prima particula iuxta Hebræum habetur: *Iustus primus in lite sua.* Nihil dicitur de accusatione: futuri quoque temporis est, quod subiungitur: *Et veniet.* Est autem parabola, quòd, cùm aduersus iustum consurgit lis, seu querimonia, & vniuersaliter cùm imponitur ei crimen aliquod, iustus primus est ad loquendum, non expectat accusatorem, aut testes; sed sciens se iustum, primus loquitur confidens in innocentia sua. Loquitur autem veritatem, & non expectat examinari, & respondere ad obiecta. Oportet autem, vt inuestigator eius non sit inimicus; & proptereà subiungitur, *Et veniet* amicus eius, qui non agitur odio, aut passione aliqua aduersus iustum: venit, inquam, amicus, non hominis, sed iusti, & inuestigabit eum discutiendo causam eius. Si enim Iudex non esset amicus iustitiæ, facile esset corrumpi iudicium.

Iusti fiducia.

Vers. 18. CONTRADICTIONES COMPRIMIT SORS, ET INTER POTENTES QVOQVE DIIVDICAT. De còtradictionibus circa temporalia bona (honores, facultates, & huiusmodi) est sermo. Dissensiones enim tales ob temporalia bona sors facit quiescere: & similiter inter potentes, seu fortes, sors diiudicat, quod in quæstionem vertitur. Concordant enim in sortis euentu.

Vers. 19. FRATER, QVI ADIVVATVR A FRATRE, QVASI CIVITAS FIRMA: ET IVDICIA, QVASI VECTES VRBIVM. Iuxta Hebræū habetur: *Frater rebellis pro ciuitate fortitudinis: & contentiones manifestæ tanquàm vectes palatij.* Frater rebellis (proculdubiò à fratre) minùs expugnabilis est, quàm ciuitas fortis. Et est sermo iste partim hyperbolicus, & partim verus: hyperbole quidem est, quòd frater sit inexpugnabilior ciuitate forti, quemadmodū dicimus hominem velociorem aquila: veritas autem est, quòd faciliùs flecti potest ciuitas fortis, mutādo animos ciuium, quàm flectatur animus fratris rebellis; est enim vnicus, pertinax, & contemnens: in ciuitate autem forti nihil horum oportet esse. Quod verò adiungitur in secunda particula, simile est contentis in prima: sonat enim, quòd manifestæ inimicitiæ inter aliquos sunt sicut vectes palatij. Claudunt enim aditū suadentibus pacem valdè firmiter, quemadmodum vectes palatij claudunt ostium eius.

DE FRVCTV ORIS VIRI REPLEBITVR VENTER EIVS: ET GENIMINA LABIORVM IPSIVS SATVRABVNT EVM. Sententia redditur, & clara est. Multos enim videmus viuere, & ditari de fructu oris, docendo, orando. Etenim assimilabitur fructus oris prouentui frugum terræ: est & tanquàm germen labiorum, quemadmodum est terræ. Vers. 20.

MORS, ET VITA IN MANIBVS LINGVÆ: ET QVI DILIGVNT EAM, COMEDENT FRVCTVS EIVS. Manus linguæ potestas est linguæ ad loquendum ea, quæ sunt mortis, & ea, quæ sunt vitæ: & proptereà diligentes linguam ad officium vitæ, comedent fructus vitæ: diligentes autem linguam quoad officium mortis, comedent fructus mortis. Et verificantur hæc secundùm merita, & euentum internū, hoc est, vitā, vel mortē æternā. Vers. 21.

In lingua vita sita est, & mors.

QVI INVENIT MVLIEREM BONAM, INVENIT BONVM: ET HAVRIET IVCVNDITATEM A DOMINO. Iuxta Hebræum nō habetur illud adiectiuum, *bonam*, & dictio interpretata, *iucunditatem*, sonat, *voluntatem*, seu *beneplacitum*. Et scribitur tetragrammaton. Est itaque prima particula: Qui inuenit mulierem, inuenit bonum. Et sumitur *inuenire* propriè, vt distinguitur contra *reperire*: inuenimus enim quæsita; reperimus autem occurrentia. Est itaque sensus, quòd qui post diligētem inquisitionem inuenit vxorem, inuenit bonum. Docet enim per hoc Salomon, nō esse desponsandam mulierē, nisi præmissa diligenti inuestigatione. Tūc enim, si inuenit vxorem, inuenit bonum; quoniam præmittens huiusmodi diligentes inuestigationes circa conditiones mulieris, non assentit nisi bonæ, & proptereà subiūgitur: *Et eduxit beneplacitum.* (seu, quod voluit à Iehouah:) obtinuit enim, quod voluit à summo Deo. Duo itaque docet ducturum vxorem: alterum, quòd adhibeat diligentem inuestigationē: alterū, quòd agnoscat beneficium hoc à sūmo Deo prouenisse, scilicet, vxorem, qualis dicta est. Vers. 22.

Admonitio ducturo vxorem.

QVI EXPELLIT MVLIEREM BONAM, EXPELLIT BONVM: QVI AVTEM TENET ADVLTERAM, STVLTVS EST, ET INSIPIENS. Nihil huius clausulæ habetur in Hebræo. Vers. 23.

CVM OBSECRATIONE LOQVITVR PAVPER: ET DIVES EFFABITVR RIGIDE. Dictio interpretata, *effabitur*, sonat, *respondebit*. Videmus quotidie hæc adimpleri. Pauperes enim obsecrando loquuntur: diuites autē respōdent durè. Vers. 24.

VIR AMICABILIS AD SOCIETATEM, MAGIS AMICVS ERIT, QVAM FRATER. Iuxta Hebræum habetur: *Vir sociorum vt sit societatis: & est amans adhærens plusquàm frater.* Amicorum genera duo describuntur: alterum eorum, qui affabiliter, ac comiter conuersantur: alterum eorum, qui plùs diligunt, quàm frater: & isti carissimi sunt. Primi in prima particula describuntur dicendo, Vers. 25.

Duo amicorum genera.

dicendo, quòd vir sociorum, (hoc est, qui delectatur societate) ad hoc tendit, vt sit sociatus, vt habeat socios, cum quibus conuersetur. Alij verò in secunda particula describuntur dicendo: *Et est amans adherens amato plusquàm frater.*

CAPVT XIX.

Vers. 1. MELIOR EST PAVPER, QVI AMBVLAT IN SIMPLICITATE SVA, QVAM DIVES TORQVENS LABIA SVA, ET INSIPIENS. Dictio interpretata, *simplicitate*, sonat, *perfectione*. In secunda autem particula superfluit dictio, *diues*. Nulla fit diuitis mentio; sed comparatur pauper gradiens in integritate animi sui, imprudenti labiorum tortorum: & est sensus, quòd melior est pauper procedens in studiis, ac operibus suis integrè, quàm procedens labiis tortis (hoc est, sermonibus tortuosis) imprudens. E regione siquidem pauperis describitur stultus, & è regione ambulantis in perfectione sua describitur torquens labia sua, tanquàm ambulans sermonibus tortuosis. Et dicitur melior quoad fructum, quia plùs proficit in studiis, & operibus suis pauper progrediens in sua integritate, quàm progrediens tortuosis sermonibus imprudens.

Melior est pauper integer, quàm imprudens.

Vers. 2. VBI NON EST SCIENTIA ANIMÆ, NON EST BONVM; ET QVI FESTINVS PEDIBVS OFFENDIT. Iuxta Hebræum habetur: *Etiam sine scientia anima nō bonum: & festinus pedibus peccator.* Amphibologia occurrit in prima particula, an dictio, *animæ*, iungatur præcedētibus, an sequentibus. Si enim iungitur præcedentibus, sensus est, etiam nescire animam non bonum. Si verò iungitur sequentibus, sensus est, etiam sine scientia non bonū animæ est: vterque autem sensus verus est. Nā & nescire animam (quæ est vitæ principium) est ignorare seipsum, & carere scientia eorum, quæ debet homo scire, non est ad bonum animæ: Hebræa tamen porrigunt potiùs primū sensum. Dictum siquidem in genere fuerat, quòd scire quæritur à sapientibus, & intelligentibus: dicitur nūc in specie de scire animam, quòd etiam sine scire animam non inuenitur bonum. Impossibile est enim, quòd aliquis sit bonus, & ignoret animum, ignoret seipsum, ignoret se liberi arbitrij esse, ignoret vera bona esse bona animi. Aptè autem ignorantiæ animi adiungitur præcipitatio, quæ opponitur prudentiæ sub metaphora festinantes ambulantis. Et est sensus, quòd festinus in suis affectionibus est peccator: qui enim festinat ad exequendum proprias affectiones, proculdubiò sæpè peccat. Oportet enim consilium intercedere examinans, an expediat exequi illud, ad quod appetitus trahit: pedes enim in sacris Literis pro affectibus sæpè ponuntur.

Impossibile est, quòd sit bonus, qui seipsum nescit.

Pedes.

Vers. 3. STVLTITIA HOMINIS SVPPLANTAT GRESSVS EIVS: ET CONTRA DEVM FERVET ANIMO SVO. Iuxta Hebræum habetur: *Stultitia hominis torquebit viam eius: & super Iehouah irascetur cor eius.* Vide, quò progreditur stultitia hominis. Primùm enim torquet à recto itinere viam hominis moralem: deinde excitat cor hominis ad iram aduersùs Deum, tanquàm Deus iniuriatur illi, vel in honoribus, vel in filiis, & huiusmodi.

Vers. 4. DIVITIÆ ADDVNT AMICOS PLVRIMOS: A PAVPERE AVTEM ET II, QVOS HABVIT, SEPARANTVR. Amici fortunæ describuntur, quales vbique videmus.

TESTIS FALSVS NON ERIT IMPVNITVS: ET QVI LOQVITVR MENDACIA, NON EFFVGIET. Vers. 5.
Sētentiæ claræ sunt: & verificātur, tā secundùm merita, quàm apud diuinū tribunal infallibiliter.

MVLTI COLVNT PERSONAM POTENTIS, ET AMICI SVNT DONA TRIBVENTIS. Dictio interpretata, *potentis*, sonat, *liberalis*. Secunda autem particula iuxta Hebræum habetur: *Et omnis socius viro donorum.* Facta hominum testantur sententias istas esse veras: liberales enim à multis coluntur: & vir largitor donorum, comitatus ab omnibus & graditur, & domi manet. Vers. 6.

FRATRES OMNES PAVPERIS ODERVNT EVM: INSVPER ET AMICI PROCVL RECESSERVNT AB EO. QVI TANTVM VERBA SECTATVR, NIHIL HABEBIT. Hebraïca litera cogit ad dirimendum contextum vulgatæ editionis: nam loco horum iuxta Hebræum habetur: *Omnes fratres pauperis oderunt eum: quantò magis à socio suo se elongauerunt ab eo sequente dicta non eorum.* Argumentum est ad excusandum socios relinquentes socium non acquiescentem eorum dictis, sed sectātem dicta non eorum: excusantur siquidem isti ex eo, quòd fratres (hoc est, consanguinei) pauperis relinquunt pauperem tanquàm odio habentes eum: perspicuum est enim, & quòd maior est necessitudo fraterni vinculi, quàm societatis: & quòd minor est ratio relinquendi fratrem paupertas, quàm dissensio à sociis talis, quòd acquiescit potiùs aliorum dictis, quàm sociorum. Vers. 7. & 8.

QVI POSSESSOR EST MENTIS, DILIGIT ANIMAM SVAM: ET CVSTOS PRVDENTIÆ INVENIET BONA. Iuxta Hebræum habetur: *Acquirens cor diligit animam suam: & custodiens intelligentiam ad inueniendum bonum.* Vacans ad hoc, vt fiat cordatus, diligit verè animam suam: vtpote studens bono illius: curam verò gerens intelligentiæ vacat ad inueniendum bonum. Meditando enim, & legendo, vel audiendo, cura habetur intelligendi, & his mediis inuenitur ab intellectu bonum.

FALSVS TESTIS NON ERIT IMPVNITVS: ET QVI LOQVITVR MENDACIA, PERIBIT. Repetitio est parabolæ superiùs scriptæ in capitulo hoc eodem: nec opus est repetere expositionem. Vers. 9.

NON DECENT STVLTVM DELICIÆ; NEC SERVVM, DOMINARI PRINCIPIBVS. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Non pulchrum stulto solatium: quantò magis seruo dominari Principibus?* Argumentum est ad damnandum principatum serui super nobiles: si enim solatia ludorum, venationum, & similium dedecēt stultū, multò magis dedecet seruum dominari Principibus: solatia siquidem decent sapientes post longa studia ad ea, quæ sunt reipublicæ, vel scientiæ, vel ingenij. Ad recreandos enim animos suapte natura ordinantur: & propterea dedecent imprudentes, quorum occupatio non fuit in huiusmodi bonis officiis; multò autem maior dedecentia inuenitur, si seruus dominatur dominis, cùm dominari repugnet seruo. Vers. 10.

Indecens est seruum dominari.

DOCTRINA VIRI PER PATIENTIAM NOSCITVR: ET GLORIA EIVS EST INIQVA PRÆTERGREDI. Iuxta Hebræum habetur: *Intellectus hominis est prolongare furorem suum: & gloria eius pertransire rebellionem.* Ad intellectus vigilantiam spectat dominari propter iræ, & in lōgum differre eam. Intellectus enim debet præsidere motibus appetitus, & non trahi ab eis: consequenter autem gloria viri est occurrētes rebelliones: hoc Vers. 11.

Qualis vigilantia intellectus.

 est,

est, contemptum aliquem) funda aure pertransite, vt non abducatur ab huiusmodi iniuriis. Aiunt enim Hebræi, quòd dictio interpretata, *rebellionem*, sonat, *peccatum ex contemptu*.

Vers. 12. SICVT FREMITVS LEONIS, ITA ET REGIS IRA: ET SICVT ROS SVPER HERBAM, ITA ET HILARITAS EIVS. Sententia redditur: & metaphoræ claræ sunt. Terret enim Regis ira, quemadmodum leonis rugitus occurrentis: & proportionaliter suauis est beneuolentia Regis, quæ signis mulitatur, quemadmodum ros super herbā.

Vers. 13. DOLOR PATRIS, FILIVS STVLTVS: ET TECTA IVGITER PERSTILLANTIA, LITIGIOSA MVLIER. Dictio interpretata, *dolor*, sonat, *fractio*. Secunda particula breuior iuxta Hebræum habetur, videlicet: *Gutta continua, lites mulieris*. Duo mala viri describuntur; alterum, ex filio stulto, hoc est, imprudente; alterum, ex vxore litigiosa: & illud quidem fractio patris dicitur; quia sæpè animus patris inde frangitur. Hoc autem assimilatur assiduè stillanti guttæ, quæ intolerabilis est cadens super aliquem; cauat enim etiam lapidem: sic molesta est viro mulier litigiosa.

Duo mala viri, ex vxore & filio.

Vers. 14. DOMVS, ET DIVITIÆ DANTVR A PARENTIBVS: A DOMINO AVTEM PROPRIE VXOR PRVDENS. Dictio interpretata, *dantur*, sonat, *hæreditas*. Et dictio interpretata, *prudens*, sonat, *intelligens*. Nec habetur, *propriè*, & scribitur tetragrammaton. Disparitas itaque inter vxorem vigentem intellectu, & domum, ac facultates describitur, quòd penes hoc domum, & facultates iure hæreditario à patribus habemus, vxorem autem cordatam à Iehouah. Peculiare Dei donum omnibus commune significatur habere vxorem cordatam. Appropriatur itaque Deo donum hoc, eò quòd succedere patribus commune est omnibus: habere autem vxorem sensatam, rarum est, & non fortunæ, sed Deo tribuendum.

Hæreditas à parentibus, sed vxor à Deo donatur.

Vers. 15. PIGRIDO IMMITTIT SOPOREM, ET ANIMA DISSOLVTA ESVRIET. Dictio interpretata, *dissoluta*, sonat, *doli*. Quòd pigritia causet soporem, manifestum est, sed anima doli non est perspicua: intelligo tamen, quòd animus audus doli esuriet, eò quòd expectando occasiones doli exequendi, otiosa interim est; & propterea esuriet, quia nec licita, nec illicita lucra acquirit.

Vers. 16. QVI CVSTODIT MANDATVM, CVSTODIT ANIMAM SVAM: QVI AVTEM NEGLIGIT VIAM SVAM MORTIFICABITVR. Secunda particula iuxta Hebræum habetur, *Despiciens vias eius morietur*. Et pronomen, *eius*, demonstrat mandatum: est enim sensus: Custos mandati custodit animum suum; contemnens autem vias mandati morietur: & verificatur hoc secundùm meritum; quia meretur mori: meretur enim priuari vita præsenti contemnens mandata legis, aut Regis: quo contrà curam habens præceptorum custodit vitam; tum animæ, tum corporis.

Vers. 17. FOENERATVR DOMINO, QVI MISERETVR PAVPERIS: ET VICISSITVDINEM SVAM REDDET EI. Dictio interpretata, *fœneratur*, sonat, *mutuat*. Et apponitur nomen tetragrammaton. Secunda autem particula iuxta Hebræum habetur: *Et meritum eius repensabit ei*. Magnæ gratiæ reuelatio, dum misericordiæ opus exerces erga pauperem; donas quidem homini, sed mutuas Deo: mutuas autem redditurio tibi iuxta meritum tuum.

Hæc sunt verba Domini in Matt. 25. Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

Vers. 18. ERVDI FILIVM TVVM, ET NON DESPERES: AD INTERFECTIONEM AVTEM EIVS NE PONAS ANIMAM TVAM. Dictio interpretata, *interfectionem*, anceps est ad interfectionem, vel rumorem. Castiga, inquit, filium tuum: quia est spes, vt corrigatur, & caue, ne eleues animam tuam ad interfectionem eius, tanquam incorrigibilis: vel, ne eleues animam tuam ad rumorem eius clamantis, murmurantis, & querulas voces emmittentis; hoc est, non propterea desistas quasi honorando animam tuam, reputando pudorem castigare filium inter huiusmodi voces querulas.

Querimonia filij rebellis non audienda.

Vers. 19. QVI IMPATIENS EST, SVSTINEBIT DAMNVM: ET CVM RAPVERIT, ALIVD APPONET. Iuxta Hebræum habetur: *Grandiens iram sustinet pœnam: quia si facies euadere, & adhuc addes*. Declaratio est prioris documenti iuxta primam lectionem, videlicet, vt caueat ab interfectione: monet siquidem patrem, vt castigando filium non grandiat iram: quoniam faciendo iram magnam, ipsemet luet pœnam, pœnitebit enim eum acrioris castigationis causatæ ex magnitudine iræ. Vnde & rationem minuendi iram subiungit, dicens: Quia si facies euadere filium à sæua castigatione, adhuc addes castigare eundem, hoc est, poteris iterum, atque iterum castigare eum, si mitis fuerit castigatio: si autem sæua ob magnitudinem iræ, tu sustinebis pœnam, nec amplius poteris castigare illum.

Dicitur proprie sonare magnum, in regimine, magnus iræ, seu ira, nec videtur posse esse participium, vel gerundiuum.

Moderatè castigandus est filius.

Vers. 20. AVDI CONSILIVM, ET SVSCIPE DISCIPLINAM: VT SIS SAPIENS IN NOVISSIMIS TVIS. Dictio interpretata, *disciplinam*, sonat, *eruditionem*. Præclara monitio, vt vsque ad finem homo sapiat audire consilia, & libenter suscipere conditiones: hæc enim duo debent iugiter comitari hominem; quia per hæc proficit vsque ad finem vitæ suæ, & non solùm in adolescentia, aut in iuuentute.

Vers. 21. MVLTÆ COGITATIONES IN CORDE VIRI: VOLVNTAS AVTEM DOMINI IN ÆTERNVM PERMANEBIT. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et consilium Iehouah ipsum firmabitur*. Cor hominis variis agitur curis, multis repletur cogitationibus: quæ tamen illarum firmabitur, incertum est. Quò contrà consilium Dei non in incertum agitur; sed firmabitur in executione. ac per hoc inter tot cogitationes in corde hominis illa sola firmabitur, quæ secundùm consilium summi Dei est: Deus enim nunquam mutat consilium, quamuis sæpè mutet sententiam. Quod ergo diuino dispositum est consilio, illud duntaxat firmabitur.

Cogitatio hominis solo Dei consilio firmatur.

Vers. 22. HOMO INDIGENS MISERICORS EST: ET MELIOR EST PAVPER, QVAM VIR MENDAX. Prima particula iuxta Hebr. habetur: *Desideriū hominis, gratia eius*. Non est perspicuum, an pronomen, *eius*, demonstret Iehouah in præcedenti scriptum particula, an demonstret hominem. Et iuxta primam lectionem sensus est, quòd appetitus hominis est gratia Dei: sumitur enim appetitus, pro re desiderata. Iuxta alteram autem sensus est, quòd res desiderata ab homine, est gratia hominis, hoc est, esse gratuitò beneficum: tendit enim parabola hæc ad hoc, quòd homo ex desiderio vellet esse beneficus aliis gratuitò; hoc enim est desiderium virorum bonorum: sed, quia posse benefacere aliis impeditur ex paupertate: ideò subiungit, quòd melior est pauper, quàm homo mendax, quàm homo peccator habens, vnde aliis possit benefacere.

Vers. 23. TIMOR DOMINI AD VITAM: ET IN PLENITVDINE COMMORABITVR ABSQVE VISITATIONE PESSIMA.

PESSIMI. Dictio interpretata, *pessimi*, sonat, *mali*. Et nomen scribitur tetragrammaton. Effectus timoris Dei multi describuntur. Primus est vitæ & animæ, & corporis, propter quod secundus subiungitur, saturitas permanens. Dictio enim interpretata, *plenitudine*, sonat *saturitatem*. Tertius autem est, quòd non visitabitur à malo, & verificantur secundum promissionem veteris legis, & secundùm merita.

Primus, 2. & 3. effectus timoris Domini.

Vers. 24. ABSCONDIT PIGER MANVM SVAM SVB ASCELLA: NEC AD OS SVVM APPLICAT EAM. Dictio interpretata, *ascella*, à multis interpretatur, *sinu*. Hebræi tamen dicunt, quòd sonat *ollam*; ita quòd legendum est: *Occultauit piger manum suam in olla: etiam ad os suum non reducet eam*. Et est sensus, quòd cùm piger manum suam intra ollam posuit, suauitate calidi loci detinet ibidem manum, ita quòd nec ad os suum reducit eam ob pigritiam. Et meminit ollæ, ad insinuandum maiorem pigritiam. Posuerat enim intra ollam manum, vt escam inde acciperet; & tamen tædet eum inducere manum cum cibo ad os.

Hanc ollam, pro gremio exponit David.

Vers. 25. PESTILENTE FLAGELLATO STVLTVS SAPIENTIOR ERIT: SI AVTEM CORRIPVERIS SAPIENTEM, INTELLIGET SAPIENTIAM. Iuxta Hebræum habetur: *Derisorem percuties, & simplex ingeniabitur: & arguendo intelligentem intelliget scientiam*. Quamuis percutere derisorem inutile sit ipsi derisori; est tamen vtile simplici, hoc est, viro modici iudicij: videns enim derisorem percussum timet, & nititur vti ingenio in operibus suis: arguere autem intelligentem, prodest ipsi intelligenti, efficit enim, vt vtatur intellectu ad sciendum ea, quæ neglexit scire.

Vers. 26. QVI AFFLIGIT PATREM, ET FVGIT MATREM, IGNOMINIOSVS ERIT, ET INFELIX. Iuxta Hebræum habetur: *Prædans patrem, & fugans matrem, filius ignominiæ, & vituperij*. Verè plenus ignominiæ, & vituperij est filius, patris facultates diripiens, tanquam præda, & matri molestus sic, vt fuget eam intra aulam tanquàm persequens illam.

Vers. 27. NON CESSES, FILI, AVDIRE DOCTRINAM: NEC IGNORES SERMONES SCIENTIÆ. Iuxta Hebræum longè aliter habetur: *Prohibe, fili mi, audire eruditionem ad errandum à dictis scientiæ*. Etiam audire prohibemur doctrinas inducentes ad errandum ab iis, quæ scientificè dicta sunt; hoc est, à scientia Sanctorum; imminet enim periculum errandi, si aures accommodemus.

Vers. 28. TESTIS INIQVVS DERIDET IVDICIVM, ET OS IMPIORVM DEVORAT INIQVITATEM. Iuxta Hebræum habetur prima particula: *Testis malus faciet interpretari iudicium*. Malus testis efficiet interpretationem iudicij in alteram partem. Modus autem, quo huiusmodi interpretatio fit, subiungitur dicendo: *Et os impiorum teget, seu glutiet iniquitatem*. Silendo enim, vel inuoluendo quod iniquitatis est, tegitur, & deglutitur.

Vers. 29. PARATA SVNT DERISORIBVS IVDICIA: ET MALLEI PERCVTIENTES STVLTORVM CORPORIBVS. Iuxta Hebræum secunda particula habet: *Et percussiones dorso stultorum*. Verificantur hæc, & secundùm merita, & apud diuini tribunalis censuram.

CAPVT XX.

Vers. 1. LVXVRIOSA RES VINVM, ET TVMVLTVOSA EBRIETAS: QVICVNQVE HIS DELECTATVR, NON ERIT SAPIENS. Iuxta Hebræum habetur: *Derisor vinum, tumultuosa sicera: & omnis errans in eo non sapiet*. Et est sensus, quòd vinum nimis bibitum efficit derisorem, quod experientia testatur. Derident enim, qui nimis biberunt, & iura, & homines. Sicera autem nimis bibita reddit hominem tumultuosum. Et Hebraicum nomen est, *sechar*, ab ebrietate deriuatum, significans omnem potionem valentem inebriare, ex quacunque fiat materia: ita quòd per hæc duo, *vinum*, & *siceram*, comprehendit omnem potionem inebriare valentem. Et ne putares, quòd de vino, & sicera absolutè loquatur Salomon, adiungit: *Omnis errans in eo* (tam vino, quàm sechar) *non sapiet*. De errore ergo in potu vini, vel siceræ est sermo: & vniuersaliter dicitur, quòd minùs sapiet errans in huiusmodi potu: quantum errat, tantùm abest à sapere.

Effectus vini, & siceræ.

Vers. 2. SICVT RVGITVS LEONIS, ITA ET TERROR REGIS: QVI PROVOCAT EVM PECCAT IN ANIMAM SVAM. Sententia redditur, quamuis non leonis, sed leunculi fiat mentio. Clarúmque est, quòd prouocans Regem ad iram peccat contra propriam vitam. Exponit enim periculo mortis seipsum.

Vers. 3. HONOR EST HOMINI, QVI SEPARAT SE A CONTENTIONIBVS: OMNES AVTEM STVLTI MISCENTVR CONTVMELIIS. Interpres addit, *contumeliis*. Sententiæ sunt claræ, & experientia testatur adscribi honori hominis separare se à contentionibus. Quò contrà miscentes seipsos (contentionibus proculdubiò) stulti sunt omnes.

Miscens se contentionibus, stultus est.

Vers. 4. PROPTER FRIGVS PIGER ARARE NOLVIT: MENDICABIT ERGO ÆSTATE, ET NON DABITVR EI. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Ab hyeme piger non arabit: & mendicabit in messe, & non*. Hyeme terrente pigrum omittit arare: & consequenter tempore messis nihil inueniet metendum; sed si mendicabit, nequaquam dabitur ei, eò quòd nota sit pigritia eius.

Vers. 5. SICVT AQVA PROFVNDA; SIC CONSILIVM IN CORDE VIRI: SED HOMO SAPIENS EXHAVRIET ILLVD. Dictio interpretata, *sapiens*, sonat, *intelligentia*. Vir enim vigens acumine intelligendi, tanquàm hauriens aquam ex profundo eleuabit consilium latens in corde viri: vtitur enim tot circumlocutionibus, adhibet tot sermones à remotis, pandit abqua sua: & breuiter vtitur tot artibus, vt penetret, quod occultum erat consilium in corde viri.

Vir acutus consilia penetrat.

Vers. 6. MVLTI HOMINES MISERICORDES VOCANTVR: VIRVM AVTEM FIDELEM QVIS INVENIET? Prima particula paraphrasis est: nam iuxta Hebræum habetur: *Multitudo hominis vocabit vnusquisque gratiam eius*. Et est sensus: Multitudo hominum inuenitur, quorum vocabit quisque gratiam (hoc est, multi sunt florentes gratia, hoc est, gratuita beneficentia:) sed hominem fidelitatum quis inueniet? sed rarus est vir vigens veracitatibus. *Omnis enim homo mendax*. Psal. 115, 11.

Vers. 7. IVSTVS, QVI AMBVLAT IN SIMPLICITATE SVA, BEATOS POST SE FILIOS DERELINQVET.

Dictio

Dictio interpretata, *simplicitate*, sonat, *perfectione*. Verificatur autem hæc sententia, quantum est ex parte meliorum iusti parentis. Nonnulla enim in hac vita felicitatis species est florere, parentibus iustis perseuerantibus in perfectione eorum: quamuis etiam ad veteris legis statum referri possit. Beatos enim fuisse Israëlitas constat propter merita Abrahæ, Isaac, & Iacob, iustorum perseuerantium in perfectione vsque ad mortem.

Nonnulla felicitas est iustos habere parentes.

Vers.8. REX, QVI SEDET IN SOLIO IVDICII, DISSIPAT OMNE MALVM INTVITV SVO. Verum dicit, non de Rege, sed de Rege sedente super solium iudicij, hoc est, exercente iudicium, reddente vnicuique ius suum: talis enim Rex omne malum, imò & omnem malum dispergit: timent enim omnes mali oculos eius.

Vers.9. QVIS POTEST DICERE: MVNDVM EST COR MEVM: PVRVS SVM A PECCATO? Iuxta Hebræum habetur: *Quis dicet: Mundaui cor meum purgatus a peccato meo?* Quasi dicat; Nullus. Nō est enim hominis operatio purgare cor, & purgare illud à proprio peccato. Hoc enim opus misericordiæ reseruatur diuinæ: hominis enim opus est peccare, & inquinare cor: mundare autem Dei est, iuxta illud: *Perditio tua ex te Israel; salus autem ex me.*

Hominis est peccare: Dei autem iustificare.

Oseæ 13.9.

Vers.10. PONDVS, ET PONDVS; MENSVRA, ET MENSVRA: VTRVNQVE ABOMINABILE APVD DEVM. Nomen est tetragrammaton: & dictio interpretata, *pondus*, sonat, *lapis*. Quia lapidibus vtebantur ad ponderandum alia. Est itaque sensus, quòd, tam diuersitas ponderis veri, & falsi, quàm diuersitas mensuræ veræ, & falsæ abominabilis est apud summum Deum. Est enim iniustitia manifesta in huiusmodi falsitate, seu in vsu vnius ponderis, seu mensuræ, emendo; & vsu alterius, vendendo.

Vers.11. EX STVDIIS SVIS INTELLIGITVR PVER: SI MVNDA, ET RECTA SINT OPERA EIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Etiam in operibus suis cognoscetur puer: si mundus, & si rectus sit opere suo.* Non solùm iuuenes, & prouectæ ætatis vir; sed etiam pueri ex operibus suis cognoscuntur, si mundi, vel immundi quoad animum: & si recti, vel obliqui quoad intentionem procedunt in operibus suis: ipsa enim opera monstrant intelligentibus mundum, vel immundum animum, rectam, vel obliquam intentionem pueri.

Opera animū produnt.

Vers.12. AVREM AVDIENTEM, ET OCVLVM VIDENTEM: DOMINVS FECIT ETIAM VTRVNQVE. Nomen est tetragrammaton, & indubitata veritas est, tam de corporis sensibus auditus, & visus, quàm de internis mentis auribus, & oculis. Summus enim Deus fecit ea ad officia audiendi, & videndi: hominis autem iniquitas, aut vanitas abutitur officiis istis.

Vers.13. NOLI DILIGERE SOMNVM, NE TE EGESTAS OPPRIMAT: APERI OCVLOS TVOS, ET SATVRARE PANIBVS. Quia clausis oculis dormimus, ideò cùm dixisset: *Non diligas somnum*, adiunxit contrarium somni dicendo: *Aperi oculos tuos*. Et è regione paupertatis dixit: *Saturare panibus*. Nec dicit: Ne dormias: sed, ne diligas somnum. Dormire enim necessitatis est naturalis: diligere autem dormitionem, voluntatis est: & huiusmodi effectus longiorem efficit somnum, quàm opus sit: & propterea ducit ad paupertatem eum, qui viuit ex proprio sudore.

Diligere somnum.

MALVM EST, MALVM EST, DICIT OMNIS EMPTOR: ET CVM RECESSERIT, TVNC GLORIABITVR. Interpres addidit dictionem, *omnis*. Morale siquidem est emptori, vt pretium petitum nitatur minuere dicendo: Malum est, malum est emere rem hanc tanti. Veruntamen, postquàm emit, & abiuit à vendente, iactat se, quòd bene emit, quòd ingeniosè se habuit emendo rem illam tanti, & non pluris. Quocircà prima verba: *Malum est, malum est*, ante dici intellige. Vers.14.

EST AVRVM, ET MVLTITVDO GEMMARVM: ET VAS PRETIOSVM, LABIA SCIENTIÆ. Labia proferentia scientiam assimilantur pretiosissimis rebus, auro, margaritis, & cuilibet vasi pretioso; minùs tamen dicitur, quàm significetur, eò quòd longè pretiosior est ipse sermo scientiæ. Vers.15.

TOLLE VESTIMENTVM EIVS, QVI FIDEIVSSOR EXTITIT ALIENI: ET PRO EXTRANEIS AVFER PIGNVS AB EO. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et pro extraneo pignora illud*. Proculdubiò vestimentum. Significatur enim, quòd oportebit fideiussorem soluere, eò quòd extraneus fallet eum. Vers.16.

Extraneis, vel, extranea

SVAVIS EST HOMINI PANIS MENDACII, ET POSTEA IMPLEBITVR OS EIVS CALCVLO. Dictio interpretata, *calculo*, sonat, *lapillo*. Et describitur per hanc parabolam illud hominum genus, qui hinc delectantur acquirere per fraudes, inde autem loquuntur plenis buccis de iustis ponderibus, de iustis ratiociniis, & breuiter de iustis contractibus: iustum prædicant, & iniustum exercent. Acquisitio itaque iniusta significatur dicendo: *Suauis est viro panis falsitatis*. Prædicatio verò iusti significatur dicendo: *Et postea implebitur os eius lapillo*. Lapillis enim ratiocinia fiebant, & lapillis ponderabant res pretiosas, & propterea lapillus pro ratiociniis, & librationibus iustis ponitur. Vers.17.

Lapillus quid significat.

COGITATIONES CONSILIIS ROBORANTVR: ET GVBERNACVLIS TRACTANDA SVNT BELLA. Iuxta Hebræum habetur: *Cogitationes consilio dirigentur: & ingeniis fac bellum*. Vtrunque verum est. Consilium enim directiuum est nostrarum cogitationum, & bella non minùs exigunt ingenium, quàm vires corporis. Vers.18.

EI, QVI REVELAT MYSTERIA, ET AMBVLAT FRAVDVLENTER, ET DILATAT LABIA SVA, NE COMMISCEARIS. Iuxta Hebræum habetur: *Reuelans secretum ambulat explorator: & dilatanti labia sua, non te miscebis.* Officium explorationis exercere conuincitur, qui reuelat secretum: nam, tanquàm explorauerit reuelandum aliquid, detegit secretum: & propterea, dum agit personas duas; & amici & consiliarij, dum re admittitur ad secreta; & exploratoris, dum reuelat ea. Euitandum autem huiusmodi hominem, monet Salomon subiungendo: *Non miscebis te homini dilatanti labia sua, ad reuelandum.* Vers.19.

Reuelator secretorum duas agit personas.

QVI MALEDICIT PATRI SVO, ET MATRI SVÆ: EXTINGVETVR LVMEN EIVS IN MEDIIS TENEBRIS. Sententia redditur, & quoniam in lege honoranti parentes promittitur longæua vita in terra promissionis: hoc in loco prædicitur sub metaphora lucernæ, quæ extinguitur in mediis tenebris (hoc est, tunc, quando præcipuè opus est lucerna) breuitas vitæ. Morietur enim tunc, quando maxima est necessitas vitæ. Moriens enim in iuuentute extinguitur tanquàm Vers.20.

Lucerna extincta in tenebris.

quàm lucerna tunc maximè opportuna.

Vers.21. HÆREDITAS, AD QVAM FESTINATVR IN PRINCIPIO, IN NOVISSIMO BENEDICTIONE CAREBIT. Si diceret, Facultas, seu res, seu opulentia, planus esset sensus, quòd de festinata acquisitione rerum esset sermo: sed dicendo hæreditas festinata in principio, alium præfert sensum: non enim de rebus, aut diuitiis absolutè, sed quatenus hæreditatis rationem habent, est sermo. Et appellatur hæreditas festinata in principio, hæreditas ante tempus experita & habita, quia si legitimus hæres ante mortem patris, seu patrui, cui succedit, festinat ad habendum hæreditatem: huiusmodi enim festinatio est præoccupatio hæreditatis: & propterea puniendą describitur priuatione benedictionis in fine. Æquum est enim, vt qui præoccupauit tempus ad multiplicandum res suas, tandem careat benedictione multiplicante. Et intelligitur pœna hæc secundùm merita, & diuini iudicij ratione.

Vers.22. NE DICAS: REDDAM MALVM. EXPECTA DOMINVM, ET LIBERABIT TE. Nomen est tetragrammaton. Nisi vindicta prohibita esset priuatis hominibus, nequaquam diceret Salomon: Non dices: Reddam malum pro malo. Et nisi vindicta reseruata esset Deo (iuxta illud: *Mea est vltio.*) nequaquam subiunxisset: Spera Iehouah, & saluabit te. per hoc tamen non prohibetur homo recurrere ad Iudicem pro vindicta: tum, quia Iudex minister Dei est: tum, quia Iudex non potest vindictas omnes exercere; sed Deo reseruantur, quæ hîc non possunt fieri, aut respuuntur.

Prohibetur vindicta hominibus priuatis.

Deut.32.35.

Licet ad Iudicem recurrere pro vindicta.

Vers.23. ABOMINATIO EST APVD DOMINVM PONDVS, ET PONDVS: ET STATERA DOLOSA NON EST BONA. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Abominatio Iehouah lapis, & lapis: bilanx doli non bona.* Sententiæ claræ sunt, intelligendo per lapides pondera: & aduertendo, quòd minus dicitur in secunda particula: bilanx enim doli non solùm caret bonitate apud Deum, & homines, sed etiam malum habet iniustitiæ, odiosum Deo, & hominibus.

Vers.24. A DOMINO DIRIGVNTVR GRESSVS VIRI: QVIS AVTEM HOMINVM INTELLIGERE POTEST VIAM SVAM? Interpres addit, *diriguntur.* Dictio autem interpretata, *quis*, sonat, *quomodo.* Nec est clarum, an legendum sit *suam*, vel *eius.* Vt demonstretur Deus, qui nominatus est Iehouah. Gressus itaque hominis à summo Deo pendere scribuntur; & propterea subiungitur: Et homo quomodo intelliget viam propriam pendentem à Deo; vel viam Dei, per quam Deus intendit ducere gressus hominis? Cura itaque peculiaris apud Deum de gressibus (hoc est, studus, affectibus, atque operibus) quibus homo progreditur in hac vita, commendatur, & inde deducitur ignorantia euentus viæ, per quam imus. Quod enim à Dei ducatu pendet, non penetratur ab homine.

Prouidentia Dei peculiaris, humanorum actuum.

Vers.25. RVINA EST HOMINIS DEVOTARE SANCTOS: ET POST VOTA RETRACTARE. Iuxta Hebræum habetur: *Laqueus hominis deglutiuit sanctitatem: & post vota inquirere.* Qui primogenita, & reliqua dedita Sacerdotibus, ac Leuitis ex lege deglutiuit, (hoc est, sibi appropriauit,) is deglutiuit sanctitatem: & de hoc dicitur: Laqueus homini est, quòd deglutiuit sanctitatem: quoniam illaqueatus est laqueo diuinæ legis, laqueo proprij sacrilegij: & similiter laqueus est sacrilegij post vota inquirere, inquirere siquidem dubitantis est: vota autem, postquàm sunt emissa, non sunt vertenda in dubium, sed exoluenda.

DISSIPAT IMPIOS REX SAPIENS: ET INCVRVAT SVPER EOS FORNICEM. Iuxta Hebræum habetur: *Dispergit impios Rex sapiens: & fecit reuerti super eos rotam.* Sapientiæ Regis adscribitur spargere impios, separando eos ab inuicem, ne congregati impij machinentur malum aliquod reipublicæ: & spargendo eos non prosequitur muneribus, sed fecit rotam reuerti super eos, rotam malorum, quam impij solent vertere aduersùs iustos, Rex sapiens fecit reuerti super ipsos impios, ita quòd spargit impios afficiendo eos malis pœnæ. Vers.26.

LVCERNA DOMINI SPIRACVLVM HOMINIS: QVÆ INVESTIGAT OMNIA SECRETA VENTRIS. Iuxta Hebræum habetur prima particula: *Lucerna Iehouah anima hominis.* Et sensus est duplex. Alter significans identitatem, videlicet, quòd ipse animus hominis est lucerna summi Dei, inuestigans omnia cubicula ventris. Et iuxta hunc sensum declaratur, quòd animus hominis, vt est quædam participatio diuinæ lucis, est inquisitiuus omnium secretorum latentium in affectibus, studiis, & cogitationibus sui ipsius; ad noscendum seipsum, ad petendum veniam peccatorum suorum, ad mutandum vitam suam de malis moribus in bonos. Alter significans lucem diuinæ gratiæ communicati animæ hominis, videlicet, *lucerna Iehouah*: hoc est, lumen gratiæ diuinæ, in anima hominis existens, est inquirens omnia cubicula ventris, hoc est, omnia intima animi: naturale enim lumen non sufficit homini ad scrutandum intima sui ipsius: sed superadditum lumen gratiæ facit hominem noscere seipsum sufficienter: & propterea hic sensus complectendus est. Vers.27.

MISERICORDIA, ET VERITAS CVSTODIVNT REGEM: ET ROBORATVR CLEMENTIA THRONVS EIVS. Dictio interpretata, *misericordia*, sonat, *gratia.* Secunda verò particula sic habetur: *Et fulciet in gratia sedem suam.* Sæpè diximus, Interpretem antiquum vsum fuisse *misericordia*, pro *gratia*: gratia siquidem, & veritas virtutes duas sonant, illa gratuitæ beneficentiæ, ista debitæ iustitiæ; & ambæ ad custodiendum Regem ab vniuersis malis sufficiunt. Et quamuis regio solio, si iustitiam exercet, detrahi nequeat: Regis tamen est fulcire thronum suum gratia, hoc est, beneficentia gratuita. Vers.28.

Naturale lumen non sufficit ad sui cognitionem.

Gratia Dei, veritas.

EXVLTATIO IVVENVM, FORTITVDO EORVM: ET DIGNITAS SENVM, CANITIES. Dictio interpretata, *exultatio*, sonat, *gloria.* Et dictio interpretata, *dignitas*, sonat, *pulchritudo.* Aiunt quoque Hebræi, quòd dictio interpretata, *canities*, sonat nescio quid ætatis decrepitæ. Quòd gloria iuuenilis ætatis consistat in iuuenum viribus, clarum est: decor autem senum in vigore decrepitæ ætatis fulget. Decrepiti enim, quando sunt viuidi, decorant concilia, & ciuitates. Vers.29.

LIVOR VVLNERIS ABSTERGET MALA: ET PLAGÆ IN SECRETIORIBVS VENTRIS. Iuxta Hebræum habetur: *Percussiones capitis mundabunt malum: & vulnera, cubicula ventris.* Sensus est, quòd diuina prouidentia purgat malum hominem minoribus quandoque, & interdum maioribus castigationibus. Percussiones enim Vers.30.

Vel liuor vulneris, absterſio in malo, & vulnera, &c.

capitis

Quomodo percutit Deus malos, vt resipiscant. capitis pro minoribus flagellis : vulnera verò pro maioribus flagellis scribuntur. Percussiones itaque capitis, quæ magnitiunt, adhibentur à Deo ad purgandum vitium malum, vt percussus in his,quæ sunt sibi chara, resipiscat agnoscens diuinam visitationem : ad purgandum verò intima vitia, & antiqua, adhibet vulnera,hoc est, maiora flagella.

CAPVT XXI.

Vers.1. SICVT DIVISSONIS AQVARVM, ITA COR REGIS IN MANV DOMINI : QVOCVNQVE VOLVERIT, INCLINABIT ILLVD. Interpres addidit aduerbia, *sicut*, & *ita*, ad maiorem claritatem. Efficaciam simul, & facilitatem diuinæ operationis, ad inclinandum cor hominis, quocunque Deo placuerit, describit Salomon instar diuidentis aquam in multos riuos. Facillima est enim diuisio aquæ in multos riuos, eò quòd aqua non resistit diuisioni. Quemadmodum itaque operatio hominis facillimæ est efficaciæ ad diuidendum aquam in multos riuos,nec opus est laborare ad huiusmodi diuisionem, quamuis laborare oporteat ad faciendum alueos, per quos aqua deducatur: ita facillima efficacia Deus mouet cor, & inclinat illud, quocunque voluerit ipse summus *Facilitas diuinæ operationis in cor humanum.* Deus : scribitur enim hic nomen tetragrammaton. Nullus intercedit labor, nulla resistentia, quando Deus vult : in omni enim creatura, & non solùm in corde hominis est,quæ à Theologis vocatur potentia obedientiæ, relatiuè ad Deum.Omnia enim quæcunque vult Deus, facit sine resistentia, prout vult.

Vers.2. OMNIS VIA VIRI RECTA SIBI VIDETVR: APPENDIT AVTEM CORDA DOMINVS. Dictio interpretata, *appendit*, sonat, *& adaptans.* Et *Quæstio.* scribitur nomen tetragrammaton. Occurrit quæstio,eò quòd falsa videtur prima particula, videlicet, *Omnis via viri recta in oculis suis:* multi enim prauè agunt, & cognoscunt prauitatem operis. Non est ergo verum,quòd omnis *Solutio.* via viri videatur illi viro recta: sed est sensus, quòd omnis via viri reputatur ab aliquo viro recta:idololatria enim, quamuis pessima sit; reputata tamen est recta à multis : turpitudines quoque venereæ non solùm excusatæ,sed etiam inter sacra supputatæ sunt : furta, & homicidia apud multos recta visa sunt : & breuiter, nulla est via viri, quæ non sit recta in oculis viri : & propterea subiungit Salomon, quòd Iehouah est ille, qui adaptat corda ad veram rectitudinem : ex eo enim, quòd homines dissentiunt circa rectitudinem humanorum operum, adscribitur Deo adaptare corda hominum ad veram rectitudinem operum humanorum.

Vers.3. FACERE MISERICORDIAM, ET IVDICIVM MAGIS PLACET DOMINO, QVAM VICTIMÆ. Dictio interpretata, *misericordiam*, sonat, *iustitiam.* Et dictio interpretata, *placet*, sonat, *electum.* Et scribitur tetragrammaton. Dicitur itaque, quòd magis fuit electum, relatiuè ad summum Deum,facere iustitiam, & iudicium, *Quare magis Deo placet iustitia, quàm sacrificium.* quàm sacrificium; hoc est, non solùm relatiuè ad homines; sed etiam relatiuè ad Deum, eligibilius fuit,& est,facere iustitiam, & iudicium, quàm facere sacrificium. Et ratio est : quia illud est internum animi bonum, hoc est, bonum externum : illud est ratio, quòd hoc placet Deo iuxta scripta in Genesi : *Respexit Deus ad Abel, & ad munera eius.* Genes.4.4.

Vers.4. EXALTATIO OCVLORVM EST DILATATIO CORDIS : LVCERNA IMPIORVM, PECCATVM. Iuxta Hebræum habetur : *Eleuatio oculorum, est latitudo cordis : sulcus impiorum, peccatum.* Clarum est, quòd eleuatio oculorum ambitionem sonat eorum, quæ supra vires sunt : sed latitudo cordis nullum sonat vitium. Vnde & inter præclaras dotes animi Salomonis supputatur latitudo cordis : & propterea absque coniunctione subiungitur in Litera : *Sulcus impiorum.* vt intelligamus appositiuè dici : *Et latitudo cordis, sulcus impiorum.* vt intelligamus, quòd non de latitudine cordis absolutè;sed de latitudine cordis, qua impij vtuntur vt sulco, loquitur : & ea proculdubiò est peccatum : latitudo siquidem cordis capacitatem significat innumerabilium appetibilium,in qua impij multos sulcos ducunt, dum nulli appetibili locum in corde suo negant, sed cuilibet, tanquam sulcum ad fructificandum parant : volunt enim frui quolibet desiderabili.

Vers.5. COGITATIONES ROBVSTI SEMPER IN ABVNDANTIA : OMNIS AVTEM PIGER IN EGESTATE EST. Iuxta Hebræum habetur : *Cogitationes solliciti tantùm ad abundantiam : & omnis festinans tantùm ad defectum.* Inter præcipitem in suis operibus, & sollicitum tam magna describitur disparitas, quòd sollicitus meditando, & considerando agenda, & circunstantias, tendit, & assequitur abundantiam duntaxat,hoc est,quòd nunquam perdit, seu amittit suum, sed auget illud : festinans autem præcipitando cogitationes, & considerationes, ad defectum duntaxat venit. Nunquam enim lucratur, (nisi fortè à casu,) sed semper amittit aliquid de suo, quantùm est ex parte modi negotiandi ; quia, videlicet, præceps negotiatur.

Vers.6. QVI CONGREGAT THESAVROS LINGVA MENDACII, VANVS, ET EXCORS EST : ET IMPINGET AD LAQVEOS MORTIS. Iuxta Hebræum habetur : *Operatio thesaurorum in lingua falsitatis : vanitas impulsa quæstores mortis.* Operatio thesaurorum, siue colligendo, siue effundendo res reconditas, quando fit in lingua falsitatis, (hoc est, cum multis mendaciis fingendo hoc, vel illud,) est in primis vanitas, vtpote studium circa res vanas : sed, quod deterius est, quandoque impellitur ad quæstores mortis. Mendacia enim officiosa interpretantur perniciosa reipublicæ ; & sic huiusmodi operatio non solùm est vanitas ; sed est vanitas impulsa ad quæstores mortis, hoc est, ad perniciem, in qua sunt quærentes propriis criminibus mortem.

Vers.7. RAPINÆ IMPIORVM DETRAHENT EOS : QVIA NOLVERVNT FACERE IVDICIVM. Sententia redditur : & ad Iudices, seu ministros iustitiæ restringitur sermo iste : reddit enim rationem, quare rapina impiorum trahet eos in malum pœnæ ; quia renuerunt facere iudicium, intolerabiles se reddiderunt populo, & sic detectæ rapinæ adduxerunt eos in exitium.

Vers.8. PERVERSA VIA VIRI, ALIENA EST : QVI AVTEM MVNDVS EST, RECTVM OPVS EIVS. Iuxta Hebræum habetur : *Vertens viam vir, & extraneus, & mundus rectus in opere suo.* Vertens *Non est participium, sed nomen sum.* viam appellatur mutator studij, seu operis, in partem oppositam : & quoniam diuersimodè hoc

hoc contingit, duæ in hac littera rationes assignantur, videlicet, vel homo, vel alienus. Contingit enim, quòd aliquis vertit in oppositum, quod dixerat, seu inchoauerat, non ex iniquitate, aut malitia; sed ex mutabilitate humana. Contingit etiam ex hoc, quòd homo aliquis est alienæ nationis; & per hoc quasi licitum sibi reputat vertere inchoata in oppositum, tanquàm nihil sit ei commune cum illis, cum quibus negotiatur tunc. Qui contrà vir mundus, etiamsi extraneus sit, est rectus in opere suo, & non vertit illud in contrarium.

Duo genera hominū vertunt verba in negotio.

Vers. 9. Melius est sedere in angulo domatis, quam cum muliere litigiosa, et in domo communi. Sententia redditur, nisi quòd dictio interpretata, *muliere*, sonat, *uxore*. Et duo tanguntur; videlicet, uxor litigiosa, & domus communis: quæ simul iuncta intelligenda videntur. Ita quòd sensus est: Melius est habitare in angulo tecti, quæ est pars domus, aut non habitata, aut habitata à seruis; quàm habitare in domo communi, in parte domus, in qua domestica societas habitat, existente ibidem uxore litigiosa: hoc enim malum corrumpit vniuersum reliquum bonum.

Vers. 10. Anima impii desiderat malum: non miserebitur proximo suo. Deficit, *In oculis suis*. Et præteriti est temporis dictio interpretata, *desiderat*. Est enim sensus, quòd animus assueti desiderare malum, quum in oculis suis apparuerit misellus, proximus non miserebitur eius.

Vers. 11. Mulctato pestilente sapientior erit paruulus: et si sectetur sapientem, sumet scientiam. Iuxta Hebræum habetur: *Damnando derisorem sapiet simplex: & faciendo intelligere sapientem capiet scientiam.* Repetitio est parabolæ scriptæ in capitulo 19. nec oportet aliter exponere.

Vers. 12. Excogitat iustus de domo impii: ut detrahat impios a malo. Sententia redditur: & iusti charitas, quando facultas suppetit, commendatur erga impios. Officium enim viri iusti describitur, intelligere in domo impij proximi sui, seu amici, causas iniquitatis, vt diuertat eos, qui sunt impij in familia illa à malo, tum culpæ, tum pœnæ.

Iusti viri officium.

Vers. 13. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis: etiam ipse clamabit, et non exaudietur. Tam de persona publica, quàm de priuata verificatur sententia hæc apud summi Iudicis tribunal.

Vers. 14. Munus absconditum extinguet iras: et donum in sinu indignationem maximam. Dictio interpretata, *extinguet*, sonat, *teget*, seu, *flectet*. Efficacia munerum gradatim describitur: dum munus monstratum in abscondito, tanquam sub pallio, tegit, vel flectit iram; positum autem in sinu irati, tegit, seu flectit iram vehementem: illud enim est tanquàm munus in spe: hoc autem est tanquàm munus in re.

Vers. 15. Gaudium iusto est facere iudicium: et pauor operantibus iniquitatem. Dictio interpretata, *pauor*, sonat, *fractio*. Vna, eadémque actio describitur valdè dispar iustis, & iniquis: facere siquidem iudicium parit gaudium in animis iustorum, & parit fractionem in animis iniquorum. Franguntur enim iniquorum animi videntes fieri iudicium: lætantur autem

Vnde iusto est gaudium, inde impiis pauor.

iusti, quia ius suum vnicuique tribuitur.

Vers. 16. Homo, qui erraverit a via doctrinæ, in coetu gigantum commorabitur. Dictio interpretata, *doctrinæ*, sonat, *intelligentiæ*. Et secunda particula sic habetur: *In congregatione mortuorum quiescet*. Errans à via intelligentiæ assimilatur viro à via recti itineris erranti, & tandem quiescenti inter sepulcra cœmeterij: eò quòd dum elongatur à via intelligentiæ (quæ sola est via recti operis) quiescet in cœtu mortuorum non corpore, sed animo. Alieni enim ab intelligentia non viuunt; sed mortui sunt secundùm vitam animi. Sunt enim priuati & vita gratiæ, & vita bonorum morum.

Via intelligentiæ.

Vers. 17. Qui diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum, et pinguia, non ditabitur. Prima particula iuxta Hebræum sic habetur: *Vir defectus amans gaudium.* Duo hominum genera à diuitiis excludit: alterum diligentium vinum quoad potum, & pinguia quoad cibum: alterum diligentium lætari, & gaudere: sed hoc magis detestatur appellando eos viros defectus: alios namque dicit non ditandos: longè autem peius est deficere, quàm non ditari, siue defectus intelligatur in facultatibus, siue in animo. Nec detestatur gaudentes, aut bibentes vinum, & comedentes pinguia: sed amantes; hoc est, affectus suos ponentes ad hæc. Affecti enim ad hæc, studia sua apponunt ad consequenda ista: quod dedecere hominem clarum est.

Duo genera hominum nō ditantur.

Vers. 18. Pro iusto datur impius: et pro recto iniquus. Sententia redditur, & sæpè in iudiciis euenit, vt accusatus liberetur, & accusator loco illius puniatur.

Vers. 19. Melius est habitare in terra deserta, quam cum muliere rixosa, et iracunda. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Quàm cum uxore litigiosa, & iracunda.* Sententia est clara præferens pacem societati domesticæ.

Thesaurus desiderabilis, et oleum in habitaculo iusti: et homo imprudens dissipabit illud. Dictio interpretata, *iusti*, sonat, *sapientis*: & dictio interpretata, *imprudens*, sonat, *stultus*. Et scito, quòd dictio interpretata, *oleum*, est illa, quæ pauló antè interpretata est, *pingue*: sumitur enim & pro oleo, & pro pingui. Sapiens itaque describitur cum congregato thesauro, tum rerum desiderabilium (hoc est, pretiosarum,) tum rerum pinguium, vt nihil desit eorum, quæ oportet ad vsum domus habere: officium autem stulti est dissipare congregata, & videmus frequenter hæc euenire.

Officium sapientis congregare, stulti verò dissipare.

Vers. 21. Qui sequitur iustitiam, et misericordiam; inueniet vitam, iustitiam, et gloriam. Dictio interpretata, *misericordiam*, sonat, *gratiam*: & dictio interpretata, *gloriam*, sonat, *honorem*. Et est sensus, quòd impendens aliis iustitiam, & gratiam, hoc est, debita, & gratuita; inueniet ipse saltem à Deo vitam animæ & corporis; inueniet & iustitiam, hoc est, retribui sibi secundùm merita, inueniet honorem, quoniam honorabitur. Ait enim Dominus in Euangelio: *Honorificabit eum Pater meus.* Ioan. 12. 26.

Vers. 22. Ciuitatem fortium ascendit sapiens: et destruxit robur fiduciæ eius. Dictio interpretata, *destruxit*, sonat, *descendere*

Quàm præstet sapientia fortitudini. Descendere facit. Cerne, quantùm præstat sapientia fortitudini. Vnus sapiens præualet persuadendo, ita vt deiiciat robur fortium ciuitatis, & desistant ab vsu fortitudinis, in qua confidebant. Exemplum habes in 2. libro Reg. quando mulier sapiens in Abela præcidi fecit caput Sebach. *2. Reg. 20.*

Vers. 23. QVI CVSTODIT OS SVVM, ET LINGVAM SVAM, CVSTODIT AB ANGVSTIIS ANIMAM SVAM. Experientia testatur, quòd multas angustias animi incurrit, qui linguæ suæ curam non habet: à quibus liberum se reddit custos linguæ propriæ. Meminit autem linguæ, & oris, vt custodiam, tum sermonis, tum nutrimenti significet. *Linguæ custos, in quibus malis.*

Vers. 24. SVPERBVS, ET ARROGANS VOCATVR INDOCTVS, QVI IN IRA OPERATVR SVPERBIAM. Iuxta Hebræum habetur: *Arrogans superbus derisor nomen eius: faciens in ira arrogantiæ.* Dictio interpretata, *arrogans*, & *arrogantiæ* non est vsquequaque certa. Apud multos enim sonat *impietatem*, apud alios *superbiam*. Et quoniam arrogantia species est superbiæ, intelligimus non de quolibet superbo, sed de superbo arrogante, qui, quæ non potest, aut nescit, dicit: quòd nomen eius est derisor. Arrogantes enim derident alios: & tanquàm soli sapiant, nihil reputant alios. Nec solùm hoc laborant vitio, sed etiam iracundia, exercendo ea, quæ sunt arrogantiæ in ira. Excandescunt enim tanquam in contristantes eos minùs satisfaciendo dictis, seu mandatis eorum: reputantes enim alios deficere, vel derident eos, vel excandescunt. *Arrogans derisor est aliorum.* *Secunda proprietas arrogantis.*

Vers. 25. DESIDERIA OCCIDVNT PIGRVM: NOLVERVNT ENIM QVICQVAM MANVS EIVS OPERARI. Desideria absque opere occidunt pigrum dupliciter: tum concomitanter, quia contristant pigrum vsque ad mortem: tum causaliter, quia negant pigro alimenta, & reliqua opportuna.

Vers. 26. TOTA DIE CONCVPISCIT, ET DESIDERAT: QVI AVTEM IVSTVS EST, TRIBVIT, ET NON CESSABIT. Parùm refert, quòd Hebraicè scribitur, *Desiderauit desiderio.* De pigro adhuc dicitur, quòd consumit tempus suum desiderando: & sic, per hoc in solis desideriis occupatur, nec sibi, nec aliis vtilis. Quò contrà de iusto dicitur, quòd tribuit aliis, nec prohibet seipsum à benefaciendo: laborat enim, si opus est, manibus propriis, vt habeat, vnde tribuat necessitatem patienti. *Piger, nec sibi, nec aliis est vtilis.*

Vers. 27. HOSTIÆ IMPIORVM ABOMINABILES, QVIA OFFERVNTVR EX SCELERE. Iuxta Hebræum habetur: *Sacrificium impiorum abominatio, quantò magis in cogitatione faciet venire illud?* Quia sacrificia non sunt secundùm seipsa Deo grata, sed ratione personarum: ideò sacrificium impiorum dicitur abominatio: & hinc argumentum sacrificium assumit Salomon, quòd impiorum sacrificium tantò magis est abominatio, quantò ex cogitatione (hoc est, ex suæ impietatis cogitatu) offert illud, putà pro prosperitate suarum impiarum actionum. Sacrificium itaque impiorum absolutè est abominatio: & multò magis eundem sacrificium pro cogitationibus suis implendis. *Sacrificium impij pro cogitatione implenda, abominatio est.*

Vers. 28. TESTIS MENDAX PERIBIT: VIR AVTEM OBEDIENS LOQVETVR VICTORIAM. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et vir audiens semper loquetur.* Dictio interpretata, *semper*, potest quoque interpretari, *fortiter*. Testis mendax peribit, quia loquitur, quod non audiuit, aut vidit, & propterea merebitur perire. Vir autem audiens (hoc est, qui testatur, quod audiuit) loquitur semper, seu fortiter; hoc est, perseuerabit loquendo idem.

Vers. 29. VIR IMPIVS PROCACITER OBFIRMAT VVLTVM SVVM: QVI AVTEM RECTVS EST, CORRIGIT VIAM SVAM. Sententia redditur: disparitas enim inter impium, & rectum, describitur penes hoc, quòd impius cùm arguuntur, audet firmare vultum suum tuendo, vel excusando: rectus autem diriget, seu intelliget vias suas scrutando, & disponendo eas, vt rectæ suæ intentioni sint conformes.

Vers. 30. NON EST SAPIENTIA, NON EST PRVDENTIA, NON EST CONSILIVM CONTRA DOMINVM. Nomen est tetragrammaton: & dictio interpretata, *prudentia*, sonat, *intelligentia*. Vana esse contra dispositionem diuinam quæcunque sunt in viribus cuiuscunque intellectualis creaturæ, asseritur, excludendo tria hæc; videlicet, intelligentiam penetratiuam, & rerum, & sapientiam ordinatricem omnium secundum profundas causas; & consilium electiuum agendorum. *Intelligentia. Sapientia. Consilium.*

Vers. 31. EQVVS PARATVR AD DIEM BELLI: *Dominus* AVTEM SALVTEM TRIBVET. Sententia redditur: & sub specie equi parati ad diem prælij, salutis verò in prælio reseruatæ summo Deo, declaratur præcedens sententia, manifestando, quòd præparare est hominis; saluare autem est Dei: & propterea non est consilium aliquod contra Deum: & scribitur etiam hic tetragrammaton. *Præparare quidē hominis est: saluare autem Dei solius.*

CAPVT XXII.

Vers. 1. MELIVS EST NOMEN BONVM, QVAM DIVITIÆ MVLTÆ: SVPER ARGENTVM, ET AVRVM, GRATIA BONA. Iuxta Hebræum habetur: *Eligibilius nomen, quàm diuitiæ multæ: quàm argentum, & quàm aurum gratia melior.* Nomen ad auditum, gratia ad visum spectat: auditur enim fama; videntur autem gratiæ, qua vulgariter *aggratiari* dicimur. Hæc duo bona, quamuis temporalia, præfert Salomon auro, argento, & diuitiis quibuscunque: ad hæc enim duo assequenda studuerunt, atque laborauerunt illustres viri in omni republica. Nixi sunt enim reddere seipsos acceptos reipublicæ, populis, ac regnis, & famam extendere factis: & hinc apparet, meritò hæc duo præferri diuitiis vniuersis. *Differentia inter famam, & gratiam.*

Vers. 2. DIVES, ET PAVPER OBVIAVERVNT SIBI: VTRIVSQVE OPERATOR EST DOMINVS. Nomen est tetragrammaton. Certum est, quòd diues, & pauper, tam secundùm seipsos, quàm secundùm paupertatem, & diuitias, fiunt à Deo. Verùm ad propositum præcedentis parabolæ affertur hæc sententia: prætulerat enim nomen, & gratiam diuitiis: & ne errares, reputando, diuites non esse à Deo, aut pauperes excludi à duobus bonis tam excellentibus, subiunxit pauperes, & diuites è regione diuersos, factos esse à Deo: vt ex diuino opificio considerato in neutram erroris partem declinaremus.

Vers. 3. CALLIDVS VIDET MALVM, ET ABSCONDIT SE: INNOCENS PERTRANSIIT, ET AFFLICTVS EST DAMNO. Dictio interpretata, *callidus*, sonat, *ingeniosus*.

Et

[illegible] interpretata, [illegible] at *simplex*. Disparitas inter [illegible] vigentes [illegible] describitur [illegible] [illegible] actionibus: altera est, [illegible] malum: altera est, occultare se, ne [illegible] malo. Ingeniosus siquidem, & prauidet, & [illegible] occultat: simplex autem non praeuidet; sed [illegible], quasi securus, & consequenter [illegible] incurrit. Frequenter haec accidunt, non [illegible] in [illegible] mulieribus, sed etiam in ipsis tributis [illegible], quae à Principibus imponuntur.

Vers. 4 FINIS MODESTIAE, TIMOR DOMINI, DIVITIAE, ET GLORIA, ET VITA. Iuxta Hebraeum habetur: *Calcaneus mansuetudinis, timor Iehouah, diuitiae, & honor, & vita.* Vis mansuetudinis qualis, ac quanta sit, describitur, relatiue ad Deum, facultates, honores, & vitam. Est enim sensus, quod vera mansuetudo calcat omnia, relatiuè quidem ad Deum, timendo summum [illegible] Deum, relatiuè verò ad facultates, [illegible] diuitias, relatiuè autem ad honores, reddendo eos debitos sibi: & denique relatiuè ad vitam animae, seruando illam, quantum etiam ad vitam corporis extendi possit, eo quòd mansuetudo calcat praecipuè iras proprias, & alienas, ac per hoc nocumentis vitae corporeae obuiat. Describitur autem mansuetudinis vis à calcaneo, tum ad designandum mansuetudinis virtutem perfectam vsque ad extremam partem significatam calcaneo: tum ad significandum actum mansuetudinis, qui est calcare; mansuetorum enim est obsequium vincere, & calcare omnia animi quiete. Sed nisi ipsa calcatio fiat filiali timore Dei, non virtus, sed apparentia virtutis est: quum autem timore Dei fit, omnia meretur bona facultatum, honorum, & vitae, frequenterque affert ea in republica bene dispositâ: libenter enim tales eliguntur, & promouentur ab aliis.

[illegible] *Dei* [illegible] *mercedem* [illegible] / *Definitio* [illegible]

Vers. 5 ARMA, ET GLADII IN VIA PERVERSI: CVSTOS AVTEM ANIMAE SVAE LONGE RECEDIT AB EIS. Prima particula iuxta Hebraeum habetur: *Spinae laquei in via peruersi.* Viam iniquorum describit septam, tum spinis, tum laqueis: addidit quòd, qui sibi ipsi prudens custodiam recedens longe ab huiusmodi spinis, & laqueis. De [illegible] autem Dominus in Euangelio, spinas esse diuitias suffocantes semina virtutum in animis hominum; quocirca laquei in via iniqui, quoniam fallaces sunt, & quibus vtuntur iniqui, & in spes incidunt. Spinae itaque diuitiae, felicitatis que saeculi huius, laquei verò fallaces [illegible], [illegible] sunt adiectis ea, quae [illegible] fidei, [illegible], & [illegible].

Vers. 6 PROVERBIVM EST: ADOLESCENS IVXTA VIAM SVAM, ETIAM CVM SENVERIT NON RECEDET AB EA. Iuxta Hebraeum habetur: *Assuefac puerum in via sua: etiam cum senuerit, non recedet ab ea.* Nihil dicitur de prouerbio, sed nec Salomon, vt non differtur instructio pueri, sed in via eius (hoc est, in ipso aditu, in ipso principio viae pueri, quam incipit parere, [illegible] in annum [illegible] pueri) assuefac illum: quoniam non sit capax doctrinae, est tamen capax consuetudinis: hoc est, vt incipiat assuefieri bonis actibus, verbis, moribus, &c. Et rationem subiungit: quia quae primum imbibimus, retinemus etiam in senectute. Praeter has [illegible] rationes communes [illegible] [illegible] adiutum per [illegible] diuinae gratiae, [illegible]

[illegible] ad mutandum [illegible] [illegible]. Neque [illegible] tribuit Apostolus [illegible] *[illegible] sapiebam, vt paruulus* [illegible] *quando autem factus sum vir,* [illegible] *quae erant paruuli*: quia Apostolus [illegible] communibus consequenter [illegible] non verò loquitur de [illegible] ex nostro vsu adiungitur [illegible] [illegible].

Vers. 7 DIVES PAVPERIBVS IMPERAT: ET QVI ACCIPIT MVTVVM, SERVVS EST FOENERANTIS. Dictio interpretata, *[illegible]*, [illegible]. Quemadmodum diues dominatur pauperibus, ita mutuans dominatum accipiens [illegible]. Et ratio vna, atque eadem est, quoniam [illegible] mutuum pauperem agit.

Vers. 8 QVI SEMINAT INIQVITATEM, METET MALA, ET VIRGA IRAE SVAE CONSVMMABITVR. Dictio interpretata, *mala*, [illegible], *iniquitatem*. Et [illegible] dictio interpretata, *consummabitur*, [illegible] *met*. Quemadmodum seminans [illegible], ita virga irae pariet consumptionem [illegible]. Aequum est enim, vt quis [illegible] est, [illegible] ipsa recipiat, sic enim Deus [illegible] [illegible] [illegible] est, vt qui virga [illegible] [illegible] iustitia, sed [illegible] [illegible] [illegible].

Vers. 9 QVI PRONVS EST AD MISERICORDIAM, BENEDICETVR: DE PANIBVS ENIM SVIS DEDIT PAVPERI. Prima [illegible] particulae (videlicet, *Qui pronus est ad misericordiam*) sonant, *Bonus oculo*. Quia [illegible] homo ad quaerendum indigentes pauperes [illegible] occurrentibus subuenire; ideo misericors appellatur bonus oculo: virtute siquidem bene [illegible], hoc est, notitia, quam habet de indigentibus, dando illis panes, hoc est, necessaria ad vitam.

VICTORIAM, ET HONOREM ACQVIRET, QVI DAT MVNERA: ANIMAM AVTEM AVFERT ACCIPIENTIVM. Nihil horum clausulae habetur in Hebraeo.

Vers. 10 EIICE DERISOREM, ET EXIBIT CVM EO IVRGIVM, CESSABVNTQVE CAVSAE, ET CONTVMELIAE. Sententia redditur, quae in [illegible] verba mutata videantur: sed [illegible] dit sensus. De [illegible] enim tria fere feceris, videlicet, litem, iudicia, & ignominias: [illegible] deridendo contemnuntur, & inde surgit [illegible] iurgia, & contemnuntur iudicia, hoc est, iudiciales contentiones: & propterea [illegible] derisorem e[illegible] [illegible] simul haec [illegible].

Vers. 11 QVI DILIGIT CORDIS MVNDITIAM, PROPTER GRATIAM LABIORVM SVORVM HABEBIT AMICVM REGEM. Interpres addidit praepositionem, *propter*. Nulla enim praepositio in Hebraeo Texta intercedit: sed appositiue legitur: *Amans munditiam cordis gratiam labiorum suorum.* Et est sensus: homo amans pro gratia labiorum munditiam cordis, hoc est, influentis in hoc sermonem suum [illegible] tum, quod loquatur mundo corde absque quibusdam [illegible] figmentis, dolis, versutiis & [illegible] bus [illegible] gratus est Regibus, [illegible] Rex est vere amicus eius, [illegible]

Vers. 12 [illegible] DOMINI CVSTODIVNT SCIENTIAM [illegible] [illegible] est

est tetragrammaton, & verba sunt præte temporis, & secunda particula legenda est: obstruit verba mendacis. Quanta sit dispar inter loquentes ex certa scientia, & loquen mendaciter, monstrat Salomon ex relatione sum ad diuinam curam: ait enim, quòd Iehouah custodierunt scientiam, estam hab ... necessariam, ne euanescat scientia præcipuè necess... sunt, ne euanescat. Quò contrà obstruxit Deus v... ad salutem. Quò contrà obstruxit Deus ... mendacis: obstruxit autem, & præceptis ... tali lumine fultis, & reuelata gratia per San... suos.

Asseritur hoc verbum sonare seruare, vel custodire, & eadem vel ... videtur ... proprie cap. vi. ... verbum.

Vers. 13. DICET PIGER: LEO EST FORIS: IN ME PLATEARVM OCCIDENDVS SVM. Parui te ... quòd Hebraicè in præterito scribitur, Dix... ger. Ab hoc vno periculo leonis disce, quò ... gritia proponit pigro pericula multa. & ... vt piger magnipendat illa, & sic otiosus ma... affectat enim piger otium: & propterea ... centia ad otium consonantes.

Pigritia proponit multa pericula.

Vers. 14. FOVEA PROFVNDA OS ALIENÆ: CVI IRATVS EST DOMINVS, INCIDIT IN EAM. Parui ... quòd pluralis numeri est dictio interpre... alienæ. Assimilatur os mulierum alienarum ... coniugio foueæ profundæ. Sermo siqui... blandus, & vultus alliciens cum gestibus ... signis, & illecebris, quia ordinantur ad ... viri, non coniugis, ideò assimilantur fo... Et quia cadens in ea non potest resurgere ... quasi in profunda fouea est; ideò assimilat... mulieris non suæ, profundæ foueæ: vide... enim viros sic captos alienæ mulieris amore ... nequeant se abstinere. præter hoc, quòd ... Dei iudicio agitur cum eis: de quo iudicio ... iungit, quòd ex ira summi Dei prouenit ... quòd aliquis cadit in huiusmodi foueam ... fundam: magna siquidem iustitia Dei (quæ ... similatur iræ) agitur, vt homo relinquatur ... ipsi in huiusmodi tentationibus, ita enim ... est relinquere hominem sibiipsi. *Gratiæ tuæ, Domine, deputo, quæcumque non deliqui*, inquit Augustinus.

Quare lapsi in talis amore, sibi ipsi relinquantur à Deo.

Aug.

Vers. 15. STVLTITIA COLLIGATA EST IN CORDE PVERI: ET VIRGA DISCIPLINÆ FVGABIT EAM. Ætas puerilis fert secum defectum prudentiæ ... qui vocatur stultitia. Similis est enim pueri ... dispositio ebrietati, propter fluxum abunda... humoris: & ideò stultitiæ aliquid habet, ... admodum semiebrij. Virga autem non iræ, ... eruditionis, sed moderata ad erudiendum, ... imprudentiam, quando eruditio sola non ... cit. Sunt enim quidam pueritiam benè dispo... vt eruditione sola fugetur imprudentia eorum.

Vers. 16. QVI CALVMNIATVR PAVPEREM, VT AVGEAT DIVITIAS SVAS; DABIT IPSE DITIORI, ET EGEBIT. Dictio interpretata, *calumniatur*, sonat accep... *nem per fraudem*, & vltimæ dictiones inter... tatæ, *& egebit*, sonant, *tantùm ad defectum*. ... clarat meritum oppressionis pauperem ... quia ipse opprimat; sed, vt multiplicet ... tates suas: talis enim, quia res pauperis ... ad multiplicandum suas, meretur vt ... do cum diuite, det, quicquid dat, cum ... defectus duntaxat. Æquum est enim, vt qui ex paupere studuit augere sua, sequatur ... per defectum rerum ... prouidentia suauiter gubernante homines secundùm illorum merita.

Vers. 17. INCLINA AVREM TVAM, ET AVDI VERBA SAPIENTIVM: APPONE AVTEM COR TVVM AD DOCTRINAM MEAM. Dictio interpretata, *doctrinam*, sonat, *scientiam*. Monet filium, vt sensum ... ditus (qui est sensus disciplinæ) flectat ad audiendum verba sapientum; vt discat à sapientibus vniuersis: ita tamen quòd cor (hoc est, intimum animum) apponat ad scientiam patris. Non vult, vt filius animo vagetur per diuersa sapientum verba; sed fixum retinendo cor ad paternam scientiam, audiat verba aliorum sapientum. Qualis autem sit scientia patris, subiungit:

Vers. 18. QVÆ PVLCHRA ERIT TIBI, CVM SERVAVERIS EAM IN VENTRE TVO: ET REDVNDABIT IN LABIIS TVIS. Iuxta Hebræum habetur: *Quia dulcedo, quia custodies eam ventre tuo: dirigentur pariter super labia tua.* Rationes duas subordinatas affert figendi cor in scientia patris: altera est, quia paterna scientia est dulcedo animi, hoc est, dulcis, ac delectabilis est animo: quam dulcedinem experieris: quia custodies ea, quæ à patris scientia sunt in ventre tuo, non corporis, sed mentis: & dirigentur simul super labia tua. Alludit ad corpoream dulcedinem gustatam, retentamque in stomacho; ita quòd simul delectabilis dulcedo etiam in ore est: iuxta hanc siquidem metaphoram dicitur scientia experta retentione in animo, & directione ad labia: significatur autem, & quòd intùs in animo, & foris in sermone dulcis est scientia paterna.

In Hebræo ... habetur ... & videntur omnia ... verba sapientum. Est enim verbum Hebraicè masc. gen.

Vers. 19. VT SIT IN DOMINO FIDVCIA TVA: VNDE ET OSTENDAM EAM TIBI HODIE. Iuxta Hebræum habetur: *Vt sit in Iehouah spes tua: feci scire te hodie, etiam tu.* Quorsum tendat paterna scientia dulcis intùs, & extrà, manifestat dicendo: Feci scire te hodie, ad hoc, vt sit spes tua in Iehouah. Finis itaque paternæ scientiæ est, non scire absolutè, sed scire ad hoc, vt spes in summo Deo figatur. Quòd autem subditur, *etiam tu*, mutilus sermo est. Subauditur enim, cooperare: & est sensus: Ego ex parte mea feci te hodie ad hoc, vt figas spem tuam in Deo: tu quoque ex parte tua cooperare ad ponendam spem tuam in Deo.

Intus, forisque scientia paterna dulcis.

Sonat, propter fiduciam, seu confidentiam.

Vers. 20 & 21. ECCE DESCRIPSI EAM TIBI TRIPLICITER, IN COGITATIONIBVS ET SCIENTIA: VT OSTENDEREM TIBI FIRMITATEM, ET ELOQVIA VERITATIS RESPONDERE EX HIS ILLIS, QVI MISERVNT. Iuxta Hebræum habetur: *An non scripsi tibi tripliciter: in consiliis, & scientia ad faciendum scire te rectitudinem dictorum veritatis, ad respondendum dicta veritatis mittentibus te?* Insinuat litera hæc, quòd Salomon in tres ordines distinxit librum parabolarum; propterea enim dicit: *An non scripsi tripliciter.* Pronomen enim *tibi*, monstrat filium, ad quem dirigit parabolas, vt patet in principio libri huius. Qualis autem fuerit distinctio trium ordinum, nescimus; quia non nisi fragmenta collecta habemus, materiam tamen explicat dicendo: *In consiliis, & scientia.* Consilia enim ad eligenda spectant, scientia verò ad credenda, spectanda, diligenda. Ambo quoque tam copiosè scripsisse fatetur, vt reddiderit filium perfectum in vtroque officio, videlicet, & relatiuè ad seipsum, & relatiuè ad superiores. Facere enim scire rectitudinem eloquiorum veritatis tendit ad perfectionem hominis in seipso: efficere verò, vt homo mittentibus eum respondeat eloquia veritatis, tendit ad perficiendum hominem relatiuè ad superiores, à quibus mittitur.

Triplex ordo in parabolis.

Consilia ad eligenda spectant, scientia ad credenda.

Homo perfectus ex triplicitate.

Vers. 22. NON FACIAS VIOLENTIAM PAVPERI: QVIA PAVPER EST: NEQVE CONTERAS EGENVM IN PORTA. Frequens peccatum est, vim inferre pauperi, eò quòd pauper pro nihilo habetur: & propterea Salomon monet filium, ne vim inferat pauperi, tam extra iudicium, quàm in iudicio significato per portam. In porta enim ciuitatis sedebant olim Iudices.

Vers. 23. QVIA DOMINVS IVDICABIT CAVSAM EIVS: ET CONFIGET EOS, QVI CONFIXERVNT ANIMAM EIVS. Iuxta Hebræũ habetur: *Quia Iehouah litigabit litem eorum: & rapiet rapientium eos animam.* Ex parte diuinæ opis, ac vindictæ rationem reddit. Deficientibus siquidem hominibus tuentibus pauperes, non deerit Deus ad vtrunque pro pauperibus officium, videlicet, & ad patrocinandum pauperibus, dicendo, *litigabit litem eorum:* & ad vindicandum, dicendo, *rapiet animam rapientium pauperes.* Implentur autem hæc sæpè in hac vita: sed nos non consideramus iudicia Dei. Et quando hic non implentur, in futura vita supplentur à summo Iudice, qui & nihil irremuneratum, & nihil impune relinquit.

Deus vindex pauperum.

Vers. 24. & 25. NOLI ESSE AMICVS HOMINI IRACVNDO, &c. Prohibetur societas cum hominibus, tam iracundis, quàm furibundis, ne ex societate discat vias eorum, & ex frequenti consortio illaqueetur animus socij: dictio enim interpretata, *scandalum*, sonat, *laqueum*. Ipsa enim ira laqueus est animæ.

Vers. 26. NOLI ESSE CVM IIS, QVI DEFIGVNT MANVS SVAS: ET QVI VADES SE OFFERVNT PRO DEBITIS. Valdè amicum fuit Interpreti verbum, *vades*; quod tamen nusquam reperitur in Litera, & sensus redditur: prohibetur enim fideiussio facilis: vnde & subiungitur pro ratione impotentia dicendo:

Vers. 27. SI ENIM NON HABES, VNDE RESTITVAS, QVID CAVSÆ EST, VT TOLLAT OPERIMENTVM DE CVBILI TVO? Vltima verba iuxta Hebræum sonant: *Lectum tuum ex subter te.* Ecce ratio non fideiubendi, ne, videlicet, incidat in hoc, quòd pro fideiussione soluenda tollatur ab eo lectus, in quo dormit; & hæc est altera ratio ab illa, quæ superiùs scripta est, & ista est communis, tam extraneo, quàm proximo.

Vers. 28. NE TRANSGREDIARIS TERMINOS ANTIQVOS: QVOS POSVERVNT PATRES TVI. Dictio interpretata, *transgrediaris*, sonat, *adiunges*. Et ad literam inhibetur vsurpatio partis agri alieni adiungendo ad antiquos terminos, qui fuerunt statuti à patribus, ad conseruandam proprietatem agrorum per familias in æternum. Dictio enim interpretata, *antiquos*, sonat, *sempiternos*. Mutare enim huiusmodi terminos, confusionem pariebat in anno Iubilei, quo restituendi erant agri primis possessoribus.

Vers. 29. VIDISTI VIRVM VELOCEM IN OPERE SVO, CORAM REGIBVS STABIT, NEC ERIT ANTE IGNOBILES. Parui refert, quòd dictio interpretata, *ignobiles*, sonat, *obscuros*. Quantò molestior est non solum pigritia, sed etiam tarditas hominis; tantò gratior est velocitas hominis in opere suo. Qui enim citò efficit, quasi bis efficit: & propterea coram Regibus stare describuntur huiusmodi viri expediti in operibus suis: nec sinuntur manere cum viris obscuris, sed vbi innotescunt, assumuntur à Principibus: vt quotidie videmus fieri. Nec est hic sermo de opere mechanico; sed de opere in genere, & præcipuè de opere liberali: veloces enim in exercitatione officiorum quorumcunque gratissimi sunt Principibus.

Grata velocitas in opere.

CAPVT XXIII.

QVANDO SEDERIS, VT COMEDAS CVM PRINCIPE, DILIGENTER ATTENDE, QVÆ SVNT APPOSITA ANTE FACIEM TVAM: ET STATVE CVLTRVM IN GVTTVRE TVO: SI TAMEN HABES IN POTESTATE ANIMAM TVAM, NE DESIDERES DE CIBIS EIVS, IN QVO EST PANIS MENDACII. Vers. 1. 2. & 3.
Iuxta Hebræum habetur: *Quia sedebis ad comedendum cum domino, intelligendo intelliges, quæ in facie tua, & pones cultrum in gutturibus tuis, si herus animæ tu. Non concupisces sapores eius: & ipse panis fallaciarum.* Metaphoricus sermo est ad insinuandum homini pericula conuiuiorum, quæ fiunt à dominis. Et sensus parabolæ est, quòd conuiua domini exponitur periculo vitæ animi, quemadmodum circumseptus gladiis iuxta guttur, expositus est periculo vitæ corporeæ; ita vt non sit herus vitæ propriæ. Clarum est enim, quòd habens circa collum suum imminentes gladios, non est herus vitæ propriæ; sed periculo subiacet perdendi corpoream vitam: quia non est in potestate eius vita sua; sed in potestate gladiorum imminentium ex omni parte gutturi. Iuxta hanc metaphoram monet conuiuam domini, vt intelligat, quæ in facie sua, hoc est, vt intelligat se conuiuam domini expositum periculo vitæ corporis. Assimilat itaque gladiis gutturi imminentibus ea, quæ coram conuiua domini sunt, & propterea concludit: *Non concupisces sapores*, (hoc est, diuersas epulas domini:) nam & ipse panis domini est fallaciarum: hoc est, non solum diuersitas epularum, sed etiam panis ipse ad fallendum tendit.

Ordinato itaque literam sic: Quia quandoque sedebis ad comedendum cum domino: ideò intelligendo intelliges, quæ in facie tua. Non restringitur relatiuum, *quæ*, ad epulas: sed comprehendit actiones, studia, interrogationes, & quæcunque in conuiuio à domino exercenda sunt. Qualia autem intelligenda sint hæc, quæ coram eo subiungit, declarat per similitudinem, dicens: *Et pones cultrum in gutturibus tuis.* Si vis intelligere, *quæ in facie tua*, pones multitudinem cultrorum circa guttur tuum, (hoc est, considerabis te, tanquàm positum sub multitudine gladiorum imminentium gutturi tuo:) ad intelligendum, *si herus animæ tu*, ad considerandum, quòd tu suppositus huiusmodi gladiis non es herus vitæ, & propterea, *non concupisces*, &c.

Vbi, prudens lector, aduerte, quòd conclusio fallacis panis manifestat, quò tendit parabola: videlicet, ad monendum, quòd conuiua domini, periculo exponitur fallaciarum domini in conuiuio. Considerauit Salomon, quòd quia mensa sæpè est tormentum efficax ad hoc, quòd conuiua proferat ea, quæ nunquam patuissent: ideò mensa domini efficax valdè tormentum est ad hoc, quòd conuiua prodat multa secreta, quæ latebant in animo eius. Cibi enim, & potus mutant homines, alterant humores, & nouam dispositionem inducunt

Mensa est tormentum efficax ad detegenda secreta animi.

inducunt corporis, & animi; & propterea do[illegible] ni vtuntur conuiuio, vt instrumento falle[illegible] conuiuium, introducendo aliquos sermones [illegible] fallendum: & redditur conuiua non herus pro[illegible] prij domini: mutatus enim perdit facultatem [illegible] tinendi internos animi motus, & consequenter [illegible] retinendi secreta, cohibendique sermones. Et propterea Salomon assimilauit conuiuam do[illegible] ni exposito gladiis circa guttur quoad hoc, q[illegible] neuter est herus vitæ: iste quidem non est h[illegible] vitæ corporis; ille autem non est herus vitæ animi.

Vers. 4. Noli laborare, vt diteris: sed prudentiæ tuæ pone modum. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Ab intelligentia tua prohibe.* Et est sensus: Non laborabis, vt dite[illegible]: prohibe hunc laborem ab intelligentia tua. Aliud est laborare ad habendum opportuna, & aliud est laborare ad habendum [illegible] commoda; aliud est laborare ad habendum diuitias. Primus labor exercendus est, quia [illegible] ptum est: *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Secundus labor vitandus hic scribitur: vitandu[illegible] tem non solùm ab exercitatione, sed etiam ab intellectu, à consideratione, & consilio. Et ratio subditur:

Laborare pro opportunis laudabile: sed pro diuitiis, vituperabile est. Genes. 3. 19.

Vers. 5. Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere, &c. Iuxta Hebræum habetur: *Nunquid illustrabis oculos tuos in ipso, & non ipsum? quia faciendo faciet sibi alas: sicut aquila volabit in cælos.* Ratio abiiciendi procul laborem pro diuitiis redditur ex eo, quod diuitiæ nihil habent [illegible] stationis; sed repentè euanescunt ad instar aquilæ volantis ad superos: ita quòd in mo[illegible] to spatij, quo figuntur oculi ad videndum aquilam, apparet ipsa, & non ipsa: hoc est, apparet ipsa, & statim euanescit ab oculis, & ipsa non videtur. Iuxta hanc siquidem metaphoram describit momentaneam durationem diuitiarum, dicendo: *Nunquid illustrabis oculos tuos in ipso, & non ipsum?* Pronomen, *ipsum*, demonstrat diu[illegible] te, seu diuitias: & est sensus: *Nunquid illustrabis* [illegible] *ipsum?* hoc est, figendo oculos clarè videbis ipsum? Et respondendo negatiuè subiungit: *& non ipsum?* hoc est, ideò non illustrabis oculos tuos in ipsum, quia statim est non ipsum. Et rationem [illegible] iungit, *quia faciendo faciet sibi alas*: hoc est, quia [illegible] simile est generi volantium, quod producit sibi [illegible] alas. Et qualitas, ac efficacia alarum describitur [illegible] instar aquilæ, quæ celerrimè volat ad superiora [illegible] aëris regionem, euanescens ab oculis nostris. Ratio ergo non laborandi pro diuitiis est, quia celerrimè euanescunt. Labor enim vanus censetur [illegible] pro re non necessaria tam repente euanesce[illegible]. Modus autem, quo euanescunt diuitiæ, describitur pulchrè sub metaphora alarum, dicendo, quòd diuitiæ faciunt sibi alas, hoc est, occasiones ambulandi in magnis, & mirabilibus. Ad differentiam non diuitum, qui regulariter viuunt, & operantur tanquam gradientes in terra, describuntur diuites alati, tanquam volantes in aëre viuendo, & operando super alios in magnis, & mirabilibus: & quia aspirant semper ad superiora, ideo producere sibi dicuntur alas aquilarum; nam aspirando ad suprema, euanescunt diuites, vt aquilæ, à nostris oculis.

Diuitiis alæ, & quare.

Ratio, quare non sit laborandum pro diuitiis cumulandis.

Vers. 6. Ne comedas cum homine inuido: et ne desideres cibos eius. Iuxta Hebræum habetur: *Non comedes panem mali oculo.* Nihil dicitur de inuido, sed de malo oculo, & si consideraueris superius dicta, in[illegible]uenies in cap. 22. bonum oculo appellari eum, qui de pane suo dedit pauperi. Et propterea vir malus oculo non videtur arctandus ad inuidum. Sed vir malus oculo, sonat virum intentum ad alterius malum oculo, hoc est, nequitia, quam habet. Et vt subiuncta insinuant, metaphoricè intelligendum est hoc præceptum. Itaque dicendo: *Non comedes panem viri mali oculo.* appellatione comestionis significatur omne commercium lucri speciem habens: ac si apertiùs dixisset: Nec appetes, nec vteris rebus viri mali oculo. Et ratio subiungitur:

[illegible]

Vers. 7. Qvoniam in similitudinem arioli, et coniectoris existimat, quod ignorat. Iuxta Hebræum habetur: *Quia sicut amaritudo in anima eius sic ipse.* Hoc est, sicut amaritudo occultatur in illius animo; ita ipse occultat se tibi: & rursus, sicut in anima eius est amaritudo; ita ipse est amaritudo aliis. Et ad hoc manifestandum subiungit modum, quo vtitur vir malus oculo ad amaritudinem aliorum dicendo:

Comede, et bibe, dicet tibi: et mens eius non est tecum. Parui refert, quòd dictio interpretata, *mens*, sonat, *cor*. Iste est modus, quo vtitur vir malus oculo: sermones siquidem profert bonos, dulces ac vtiles: cor autem alienum à te retinet, imò contrarium tibi.

Vers. 8. Cibos, quos comederas, euomes: et perdes pulchros sermones tuos. Iuxta Hebræum habetur: *Panem tuum comedisti, euomes illum, & destrues verba tua dulcia.* Hinc habetur, quòd metaphoricum est præceptum illud. Non enim dicit, panem eius; sed, *panem tuum comedisti*, ad insinuandum artem perniciosam, ac efficacem, qua vtitur tecum vir malus oculo: & vt vnico verbo dicatur, ars eius est proponere bona, & tendere, ac ducere ad terminum malum: proponit siquidem tibi bona mandando, consulendo, suadendo, hortando, laudando, offerendo, &c. sed animo tendet ad malum terminum, & ducet ad malum exitum. Hæc enim duo officia significantur sub duobus metaphoris, comedendi, videlicet, & dulcis eloquij: ad insinuandum, quod, tam in factis tuis, quàm in verbis tuis vtroque officio vtitur vir mali oculi. Ad facta enim tua spectat comestio panis tui terminata ad vomitum: ad verba autem tua spectat prolatio verborum dulcium terminata ad destructionem illorum. Dolosi itaque artes mali oculi describuntur in illis ordinatis effectibus metaphoricè. *Comedisti panem tuum, euomes illum.* hoc est, efficiet malus oculo, quòd sis, quantùm ad facta, similis comedenti panem suum, (& hoc est bonum,) & posteà euomenti: & hic est pessimus terminus: & similiter quantùm ad verba sis similis ei, qui protulit sermones dulces, (& hoc est bonum:) & posteà destruit eos confirmando, vel contradicendo, vel oppositum exequendo: & hic est pessimus terminus. Exemplum huiusmodi mali habes in tyrannis vsurpantibus sibi gubernationem reipublicæ. Tales enim semper bona proponunt, laudant, suadent, &c. tendunt autem, & ducunt ad malum, puta subiectionem aliorum, & mille viis vtuntur sub specie boni ad aliorum perniciem: & propterea Salomon sub illis metaphoris prohibet commercium cum illis, prohibet, & velle, & habere bona ab illis: monendo filium, quòd si concupisces, aut comedes, hoc est, vsus fueris illis,

Duo officia viri mali oculo.

Exemplum tyrannorum.

illis, eueniet tibi in factis: *Panem tuum comedisti, euomes illum: & in verbis, verba tua dulcia deperdes.* Vtinam frequenter non videremus hæc impleri in istis, quorum bona vertuntur in ipsorum malum.

Vers. 9. IN AVRIBVS INSIPIENTIVM NE LOQVARIS: QVIA DESPICIENT DOCTRINAM ELOQVII TVI. Dictio interpretata, *doctrinam*, sonat, *intellectum*. Sententia clara, & frequentissimè verificatur.

Vers. 10. NE ATTINGAS PARVVLORVM TERMINOS, ET AGRVM PVPILLORVM NE INTROEAS. Prima particula iuxta Hebræum habetur: *Non attinges ad terminum sempiternum.* Quod iam in præcedenti capitulo declaratum est. Secunda verò particula de introitu occupatiuo intelligitur: prohibet enim occupari in toto, vel in parte agrum pupilli: quia facilè res pupillorum ab aliis occupantur.

Vers. 11. PROPINQVVS ENIM EORVM FORTIS EST: ET IPSE IVDICABIT CONTRA TE CAVSAM EORVM. Iuxta Hebræum habetur: *Quia redemptor eorum fortis, ipse litigabit litem eorum tecum.* Quoniam pupilli sæpè carent adiutore; ideò rationem reddit ex parte Dei: ac si apertiùs dixisset, quòd licet pupilli careant homine, qui redimat eos à tua vexatione; redemptor tamen eorum, summus Deus, fortis est ad redimendum eos de manu tua: & Ipse faciet litigare litem eorum tecum; vel suscitando tibi aduersarios in hac vita; vel immittendo mala in te, aut tua, vel saltem puniendo in altera vita.

Vers. 12. INGREDIATVR AD DOCTRINAM COR TVVM, ET AVRES TVÆ AD VERBA SCIENTIÆ. Dictio interpretata, *doctrinam*, sonat, *eruditionem*, seu *castigationem*. Quum debuisset dicere: Ingrediatur eruditio ad cor tuum, & verbum scientiæ ad aures tuas, dixit contrario modo: *Ingrediatur cor tuum ad scientiæ eruditionem.* monet enim, vt applicet animum, & sensus, ad eruditionem, & scientiam: applicet autem, non qualitercunque, sed perscrutando penetralia eruditionis, & scientiæ: talis enim modus significatur per huiusmodi ingressum cordis, & auris; hoc est, sensus auditus, qui est sensus disciplinæ.

Quomodo ingrediatur cor ad eruditionem.

Vers. 13. & 14. NOLI SVBTRAHERE A PVERO DISCIPLINAM, &c. Parùm refert, quòd Hebraicè scribitur: *Non prohibebis a puero castigationem: quia percuties eum in virga, non morietur. Tu in virga percuties eum, & animam eius à fouea facies euadere.* Vtilitas castigandi puerum dicitur euasio animæ pueri à fouea: & sitte nomine foueæ intelligatur Infernus, siue casus in præsenti vita, verificatur litera: quoniam castigatio pueri, si effectum sortitur, dirigit puerum per viam bonorum morum, & sic euadit & pœnas Inferni in altera vita, & in hac vita euadit multos casus, in quos incidunt pueri iniqui.

Vtilitas castigandi puerum.

Vers. 15. FILI MI, SI SAPIENS FVERIT ANIMVS TVVS, GAVDEBIT TECVM COR MEVM. Dictio interpretata, *animus*, sonat *cor*. Et Interpres addidit, *tecum*, vel potiùs mutauit: nam Hebraicè scribitur: *Gaudebit cor meum, etiam ego.* Deinde subiungitur:

Vers. 16. ET EXVLTABVNT RENES MEI LOQVENTIBVS LABIIS TVIS RECTITVDINEM. Discerne singula. *Si cor tuum sapiet, cor meum gaudebit.* Aptè cor cordi reddit, & adiungit etiam, *ego*, subaudi, *gaudebo*; ad insinuandum, quòd huiusmodi delectatio cordis erit etiam delectatio ipsius patris; hoc est, erit delectatio placens ipsi patri ad differentiam delectationum intrinsecarum, quæ nobis displicent, quales sunt delectationes primorum motuũ de cogitatis, aut occurrentibus illicitis. Quòd autem addit de renibus, ad magnitudinem gaudij spectat, vt non solùm intus sentiat gaudium, & placeat sibi; sed in corpus redundet gaudium: significatur enim corpus à parte corporis appellata renes, & aptè exultationem corporis reddit sermoni, quæ exteriùs sentitur. Meminit autem renum: quoniam renibus attribuitur intelligentia, tanquàm remouentibus prohibens, vt superiùs declarauimus. Sermoni enim rectitudinis gaudium accommodat renum, pro quanto conferunt ad sciendum rectitudinem.

NON ÆMVLETVR COR TVVM PECCATORES, SED IN TIMORE DEI ESTO TOTA DIE: QVIA HABEBIS SPEM IN NOVISSIMO, ET PRÆSTOLATIO TVA NON AVFERETVR. Secunda clausula iuxta Hebræum habetur: *Sed est finis: & spes tua non succidetur.* Monet filium, vt non inuideat peccatorum prosperitati; sed perseueret tota die in timore Iehouah. Qui enim inuidet prosperitati iniquorum, postponit timorem Dei, & similis iniquis efficitur, vt prosperetur. Iuxta duo autem præmonita ponit duas rationes. Alteram, *sed est finis*; & hæc spectat ad primum: Non æmuleris peccatores: quia prosperitas eorum citò finitur, non multùm durabit; sed saltem finitur cum hac vita. Alteram, *& spes tua non succidetur*: & hæc respicit secundam, *in timore Iehouah esto tota die*: quia spes tua, quam in summo Deo fixisti, succidetur per mortem; sed æternum præmium assequetur. Vers. 17. & 18.

Non inuidendum prosperitati peccatorum propter duas rationes.

AVDI, FILI MI, ET ESTO SAPIENS, ET DIRIGE IN VIA ANIMVM TVVM. Deficit pronomen, *tu*, & dictio interpretata, *animum*, sonat, *cor*. Monet filium: quamuis alij non me audiant, audi tamen tu, fili mi, & sape secundùm partem intellectiuam: & dirige cor tuum, partem, scilicet, appetitiuam in via, hoc est, tanquam iter agens ad cælestem patriam, ad differentiam eorum, qui hac vita non vtuntur vt via, sed vt patria. Vers. 19.

NOLI ESSE IN CONVIVIIS POTATORVM: NEC IN COMESSATIONIBVS EORVM, QVI CARNES AD VESCENDVM CONFERVNT. Iuxta Hebræum habetur: *Non eris inter potatores vini, inter comestores carnis sibi.* Pronomen, *sibi*, arctat potatores, & comestores: & planus esset sensus, quòd de potatoribus ad æquales haustus loqueretur, si inuenirentur comestores carnis ad æquales cibos: nam pronomen, *sibi*, determinat vtrunque. Non ausim affirmare hunc sensum, an vnquam fuerit alicubi iste comedendi modus, sicut de facto inuenitur modus bibendi ad æquales haustus: tales enim bibunt sibi, vnde & dicunt: Bibo vobis. Incerto igitur existente hoc sensu certum est, quòd pronomen, *sibi*, ponitur ad differentiam naturæ. Qui enim bibunt, & comedunt carnes, vt viuant, bibunt, & comedunt naturæ: qui autem bibunt vinum, & comedunt carnes, vt delectentur, comedunt, & bibunt sibi, tanquàm felicitatem sibi acquirentes in cibo, & potu. Non prohibet itaque filium à potu vini, & esu carnis; sed à cibo, & potu propter delectationem: hoc est, ne constituat suum bonum in delectatione potus vini, & esus carnis. Vers. 20.

Qui comedant, & bibant sibi & qui naturæ.

Vers. 21. QVIA VACANTES POTIBVS, ET DANTES SY[illegible] BOLA CONSVMENTVR, ET VESTIETVR PA[illegible] NIS DORMITATIO. Iuxta Hebræum habet[illegible] *Quia bibax, & edax depauperabitur, & lacerti[illegible] *[illegible] somnus.* Si non moueris amore virtu[illegible] saltem moueat te amor boni vtilis; moueat [illegible] vitatio paupertatis. Incurrunt enim huiusm[illegible] homines paupertatem, tum propter maio[illegible] sumptus, tum propter otium annexum: opo[illegible] enim edaces, & bibaces multùm dormire, & p[illegible] propterea apponitur, quòd somnus facit indu[illegible] laceris vestibus.

Edaces & bibaces paupertatem incurrunt.

Vers. 22. AVDI PATREM TVVM, QVI GENVIT [illegible] ET NE CONTEMNAS, CVM SENVERIT MA[illegible] TER TVA. Ex beneficio generationis patern[illegible] amorem manifestat, vt securus confidat fi[illegible] in eruditione paterna. Et ex eodem benef[illegible] monet non esse despiciendam matrem in se[illegible] ctute: mulier enim in senectute vilis redd[illegible] tempore amissis conditionibus, propter quas [illegible] matur mulier, putà pulchritudine, fœcundit[illegible] & obsequendi facultate.

Conditiones, quibus æstimatur mulier, in senectute deficiunt.

Vers. 23. VERITATEM EME, ET NOLI VENDE[illegible] SAPIENTIAM, ET DOCTRINAM, ET IN[illegible] TELLIGENTIAM. Ordo literæ est: veritatem eme[illegible] non vendere, & ibi sit punctus: deinde sub[illegible] gatur appositiuè: *Sapientiam, & eruditionem [illegible] intelligentiam.* Quodlibet enim horum trium [illegible] positiuè ad veritatem legendum est: est e[illegible] sensus: Eme, & non vendas veritatem, sap[illegible] tiam, eruditionem, & intelligentiam. Quo[illegible] bet enim horum emendum esse, & nulla [illegible] tione vendendum, docet Salomon. Et est [illegible] sus, *eme*: hoc est, da res tuas, vt acquiras [illegible] ritatem, sapientiam, eruditionem, atque inte[illegible] gentiam, (optima est enim hæc commutatio:) [illegible] *non vendas*; hoc est, non alienabis à te verita[illegible] sapientiam, eruditionem, atque intelligenti[illegible] vt acquiras res alias; mala siquidem esset hui[illegible] modi commutatio. Hæc enim sunt pretiosissim[illegible] tera autem aliæ sunt valdè viles relatiuè ad hæc[illegible]

Veritas non vendenda sapienti.

Vers. 24. EXVLTAT GAVDIO PATER IVSTI: [illegible] QVI SAPIENTEM GENVIT, LÆTABITVR [illegible] EO. Tam iusti, quàm sapientis filij pater gau[illegible] dens describitur ob naturalem affectum patris [illegible] bonum filij tanquam ad bonum proprium.

Vers. 25. GAVDEAT PATER TVVS, ET MATER TVA, ET EXVLTET, QVÆ GENVIT TE. Ex imme[illegible] diatè præmisso gaudio patris ex filio iusto, & [illegible] piente, infertur consequenter monitio filij [illegible] lit enim gaudij paterni, & materni, hoc est [illegible] sit iustus, & sapiens, ac sic vterque parens [illegible] tetur in eo.

Vers. 26. PRÆBE, FILI MI, COR TVVM, ET OCVLI TVI VIAS MEAS CVSTODIANT. Ver[illegible] que animi partem poscit pater à filio, app[illegible] tiuam sub nomine cordis, & intellectiuam [illegible] nomine oculorum: petit autem dari sibi mo[illegible] & intendenti cor obsequens. Non enim exigi[illegible] cor, nisi ad obsequendum monitionibus pa[illegible] nis; & oculos mentis ad curam habend[illegible] viarum; hoc est, [illegible]orum, & operum, quæ docuit ipse pater: quamuis etiam viæ [illegible] intelligi possunt exempla virtutum in operibus, patris imitand[illegible] à filio.

Vers. 27. FOVEA ENIM PROFVNDA EST MERETRIX: ET PVTEVS ANGVSTVS, ALIENA. Assimilat meretricem profundæ foueæ: vt non paruipendatur commercium cum meretrice, sed magni pendatur, tanquam [illegible] fouea profunda. Cadere enim in profundam foueam non paruum periculi est, quoniam non est in potestate eius, qui cecidit in foueam profundam, redire. Significatur per hoc malum mortalis peccati fornicationis cum meretrice; illud enim est tanquàm fouea profunda, à qua redire non est in potestate eius, qui cecidit. Mulier quoque aliena (hoc est, quæ non est tua coniux) assimilatur puteo angusto, hoc est, puteo non amplo & manifesto, sed angusto & latenti, & propterea facilè excipienti incautos transeuntes: putantes enim securum agere iter, incidunt in huiusmodi puteos, ex quibus non possunt per seipsos redire. Ad metaphoram foueæ profundæ addit, puteus angustus, aquam in fundo, & occultationem ipsius foueæ: vt ex vtraque similitudine consideretur magnitudo casus in huiusmodi fornicationibus, quæ paruipenduntur ab hominibus.

Scortum alienum [illegible]

Scorta alienarum [illegible] puteo.

INSIDIATVR IN VIA QVASI LATRO: ET QVOS INCAVTOS INVENERIT, INTERFICIT. Vers. 28.
Iuxta Hebræum habetur: *Etiam ipsa sicut præda insidiabitur, & peccatores in homine addet.* Ecce officium foueæ, ecce officium putei angusti, insidiari hominibus, tanquàm prædæ, tanquàm animalibus, quæ in præda capiuntur. Et quale sit malum, quod humano generi ingerit scortum, declarat, subiungendo, quòd *peccatores in homine addet*: multiplicare siquidem peccatores, augere peccata, est malum, quod scortum efficit in homine, hoc est, in humano genere.

Habetur mendaces, seu mentitores.

CVI VÆ, CVIVS PATRI VÆ, CVI RIXÆ, Vers. 29.
CVI FOVEÆ, CVI SINE CAVSA VVLNERA, CVI & 30.
SVFFOSSIO OCVLORVM? NONNE IIS QVI MORANTVR IN VINO? ET STVDENT CALICIBVS EPOTANDIS? Iuxta Hebræum habetur: *Cui væ: cui væ: cui rixa? cui loquacitas? cui percussiones capitis frustra? cui rubor oculorum? morantibus super vinum, venientibus ad quærendum colatum?* Multa mala, quæ efficit vinum immoderatè bibitum, colligit Salomon: & primum duo væ (alterum animæ, alterum corpori) manifestat, quia nocet, & animæ, & corpori. Deinde mala duo in actionibus (alterum in factis, alterum in verbis) affert, rixas, videlicet, & loquacitatem. Vtrunque enim malum videmus in his, qui multum bibunt. Demum duo mala, quæ patitur huiusmodi potator, adducit. Alterum, quòd percutitur in capite frustra. Quod verificari potest, vel de percussione capitis, quam incurrit cadendo, vt sæpè istis accidit: & dicitur frustrà; quia sine causa percutitur, hoc est, non causa belli, non causa rixæ, aut odij: vel de percussione capitis, qua verberantur isti ab aliis in derisum; sed hoc vilibus tantùm contingit personis. Primum autem contingeret promiscuè, nisi prouiderent alij opem ferendo, portando, & locando in lecto. Alterum, quod patitur ab intrinseco: incurrunt enim ruborem oculorum alienum à natura. Quod autem subditur, *ad quærendum colatum*, vinum potius significatur inquiri ab istis. Colatio enim liquoris purificat illum; & propterea significantur, qui morantur bibendo vinum, & nihilominus quærendo vinum magis depuratum à fæce, & aliis conditionibus vini minùs gratis.

Est vna dictio sonans, proprie, vulnera, nec vlla fit mentio capitis.

Mala ex vino immoderatè bibito.

NE INTVEARIS VINVM, QVANDO FLAVESCIT: CVM SPLENDVERIT IN VITRO COLOR EIVS. Parum refert, quòd dictio interpretata, Vers. 31.

flauescit,

flauescet, sonat, *rubescet*. Secunda verò particula iuxta Hebræum sic habetur: *Quod dabit in poculo oculum suum*. Oculus vini appellatur perspicuitas ipsius vini. Oculus enim naturalis est animalis pars, habens esse perspicuum, visiuum, & propterea esse perspicuum, ac viuax ipsius vini appellatur metaphoricè *oculus vini*. Et est sensus: Ne intuearis vinum dans in poculo suam viuacitatem perspicuam. Est enim allectiua ad bibendum. Pulchritudo enim, & bonitas vini relucet in illius viuacitate perspicua: & videtur hoc apposuisse ad declarandum, quod dixerat, quòd rubescet: manifestat enim de quali rubore loquitur, videlicet, viuaci, perspicuo.

Quis oculus vini.

Vers. 32. INGREDITVR BLANDE: SED IN NOVISSIMO MORDEBIT VT COLVBER, ET SICVT REGVLVS VENENA DIFFVNDET. Dictio interpretata, *blande*, sonat *directè*. Et dictio interpretata, *venena diffundet*, sonat *punget*, seu *separabit*. Nec sis sollicitus de proprietate nominum serpentum: incerta enim habeo. Sat est, quòd describitur potus vini habens ingressum sine impedimento, tanquàm directa via ambulantem; sed in fine potus sentiuntur effectus mali, tanquàm serpentis intùs mordentis, & pungentis, seu separantis: separat enim rationem à sensu, pungit sanguinem, & mordet cerebrum.

In rectitudinibus.

Effectus interiores vini.

Vers. 33. OCVLI TVI VIDEBVNT EXTRANEA, ET COR TVVM LOQVETVR PERVERSA. Accidentia, quæ consequuntur ebrietatem, describuntur inchoando ab oculis. Impediuntur enim ebriorum oculi, ita quòd non vident res vt sunt, sed videntur extranea ab iis, quæ sunt. Cor verò eorum impeditur à proferendo per os verba expedita, & loquitur reuolutiones. Dictio enim interpretata, *peruersa*, sonat, *reuolutiones*: inuolutos enim sermones proferunt ex impedimento cordis, hoc est, animi laesis.

Accidentia consequentia ebrietatem.

Vers. 34. ET ERIS SICVT DORMIENS IN MEDIO MARIS, ET QVASI SOPITVS GVBERNATOR AMISSO CLAVO. Iuxta Hebræum habetur: *Et eris sicut iacens in corde maris, & sicut iacens in capite mali nauis*. Assimilatur ebrius iacenti in aquis maris: quia, quemadmodum iacens in mari continuis fluctibus agitatur; ita ebrius intùs agitatur tanquàm fluctuans. Potest nihilominus similitudo hæc intelligi quoad submersionem: iacens enim in corde maris, iacet submersus sub aquis fluctuantibus: & ebrij animus iacet mersus sub humoribus fluctuantibus ex copia vini. Assimilatur quoque iacenti in aëre in summitate mali nauis: summitas enim illa continuè agitatur; & sic ebrius intùs agitatur: agitatur enim corpus secundùm humores subimergentes animum; & propterea assimilatur iacenti in corde maris: agitatur & animus secundùm spiritus animales; & propterea assimilatur iacenti in summitate mali nauis.

In Hebræo non habetur, amisso clauo, sed sicut iacens in corde maris.

Quomodo iacet ebrius in corde maris.

Vers. 35. ET DICES: VERBERAVERVNT ME; SED NON DOLVI. TRAXERVNT ME, &c. Interpres addidit, & mutauit: nam iuxta Hebræum legitur: *Percusserunt me; non ægrotaui: verberauerunt me, nesciui: quando euigilabo, addam, quæram illud adhuc*. Verba hæc in persona ebrij dicuntur: ponunt enim, ebrium glossantem se de impassibilitate adepta per ebrietatem, & propterea perseueraturum inter pocula: impassibilem siquidem se fuisse iactat dicendo: *Percusserunt me, & non ægrotaui: verberauerunt me, & nesciui*. hoc est, vinum me facit talem, nec percussiones,

Ante sedando, pro non lenit, & ...

Pertinacia ebrij.

nec verbera molestè fero. Pertinacia autem significatur dicendo: Euigilabo à somno ebrietatis, addam potum vini; quæram illud vinum, vt sim iterum impassibilis. Irrisoriè dicit hæc Salomon, manifestando cæcitatem ebriorum.

CAPVT XXIV.

Vers. 1. NE ÆMVLERIS VIROS MALOS, NEC DESIDERES ESSE CVM EIS. Inhibetur inuidia prosperitatis virorum malorum: inhibetur & societas cum eis. Ratio autem subditur:

Vers. 2. QVIA RAPINAS MEDITATVR MENS EORVM: ET FRAVDES LABIA EORVM LOQVVNTVR. Pariter refert, quòd dictio interpretata, *mens*, sonat *cor*. Et dictio interpretata, *fraudes*, sonat, *iniquitatem*. Ratio prosperitatis virorum malorum dissimulatur iniquitas, & rapina; & quia hæc fugienda sunt, ideò non est inuidendum prosperitati eorum, nec expetenda eorum societas.

Quare non inuidendum est viris malis.

Vers. 3. 4. & 5. SAPIENTIA ÆDIFICABITVR DOMVS. Aduerte, prudens lector, quòd Salomon quinque actiones colligit accommodando singulas virtutibus, quibus ipsæ egent: colligit enim ædificare domum; dirigere eam; ac replere eandem, deinde fortitudinem: & demum robur virium: & intendit, quòd ædificare eget sapientia, dirigere eget intelligentia, replere eget scientia, fortitudo eget viro sapiente, & robur virium eget viro sciente: nam iuxta Hebræum sic legitur: *In sapientia ædificabitur domus; & in intelligentia dirigetur; & in scientia cubicula replebuntur omnibus opibus pretiosis & dulcibus: vir sapiens in fortitudine; & vir sciens in robore virium*. Vide singulorum rationes. Ædificare domum exigit sapientiam, tum ad fundandum eam super petram iuxta illud: *Simulabo eum viro sapienti, qui ædificauit domum suam super petram*. tum ad ædificandum in bono situ relatiuè ad plagas cæli, & relatiuè ad qualitates terræ ambientis, ne à terra paludosa lædantur habitatores. Dirigere autem domum in distinctas, & proportionatas partes eius, indiget intelligentia penetrante singula: vnde & vulgariter dicimus domum malè intellectam, quando in huiusmodi distinctionibus & proportionibus deficit. Prouidere autem domui de rebus & pretiosis & delectabilibus indiget scientia particularium, & temporum, ac commoditatum: vnde & nescios appellamus, qui cùm possint, non prouident domui suæ temporibus suis thesaurisando, &c. Fortitudinem autem egere viro sapiente testatur experientia: nam, nec ciuitas, nec ars, nec exercitus, quantumcunque fortis, præualet nisi vir sapiens præsideat. Robur demum virium, cuiuscunque etiam gigantis, nihil valet, nisi vir sciat vti robore: vnde & vulgo dicitur, quòd robur viri est damnum domus: quod verissimum est, nisi sit vir scientiæ, hoc est, sciens vti viribus. Nec intelligo Salomonem collegisse hæc, vt diceret hæc impertinentia ad vitam spiritualem; sed vt parabolas proponeret ad insinuandum, per ædificationem domus, quòd omnis prima constitutio cuiuscunque rei innixi debet sapientiæ; & similiter omnis directio innixi debet intelligentiæ; & omnis prouisio innixi debet scientiæ, & potentia quæcunque regulanda est à viro sapienti: & demum vires executiuæ regulandæ sunt scientia.

Quinque actiones accommodatas virtutibus colligit Salomon.

Maximè vnica dictione, roborans vires.

Rationes singulas actionibus accommodatas.

QVIA

Vers. 6. QVIA CVM DISPOSITIONE INITVR BELLVM, ET ERIT SALVS, VBI MVLTA CONSILIA SVNT. Iuxta Hebræum habetur: *Quia in ingeniis fa*[illegible] *tibi bellum: & salus in multitudine consiliorum.* Directè redditur ratio duorum vltimorum [illegible] eo enim, quòd tu facies bellum tibi (hoc [illegible] ad vtilitatem tuam) in ingeniis, (hoc est, vt [illegible] do multis ingeniis,) & vniuersaliter salus [illegible] quiritur, & seruatur ex multitudine consu[illegible] rum, manifestatur, quòd fortitudo, & vires [illegible] digens viris sapientiæ, & scientiæ.

Vers. 7. EXCELSA STVLTO SAPIENTIA: IN PORTA NON APERIET OS SVVM. Patet refert, quòd [illegible] ta Hebræum pluralis numeri est, tam exc[illegible] quàm *sapientia*. Et est sensus, quòd stultu[illegible] putat omnes sapientias excelsas, hoc est, inac[illegible] sibiles, tanquam valdè eleuatas ab ipso: & [illegible] pterea non studet, vt acquirat sapientiam [illegible] iacet in sua stultitia: & hinc ortus, quòd in [illegible] ta (hoc est, in loco publico, in quo sedent [illegible] timates) non aperiet os suum: quia nes[illegible] quid dicat. Vtinam non esset tam freque[illegible] huiusmodi stultitia.

Stulti despe-rant ad sapientiam.

Vers. 8. QVI COGITAT MALA FACERE, STVLTVS VOCABITVR. Iuxta Hebræum habetur: *Cogi*[illegible] *tem ad faciendum malum, illum [illegible] cogi*[illegible] *num vocabunt.* Et est sensus, quòd vir cogi[illegible] meditationibus multis adhibitis ad facien[illegible] malum, laudatur à multitudine, quòd est [illegible] cogitationum, tanquàm famulorum suor[illegible] Videns enim vulgus, quòd machinantes ad [illegible] lum assequuntur ad votum cogitata; laudant [illegible] quòd sunt heri cogitationum: quia cogit[illegible] nes illis famulantur ad successus. Ratio au[illegible] quare cogitantes ad malum potiùs, quàm [illegible] gitantes ad bonum fiunt votorum compo[illegible] est multiplex. Nam & ipse cogitans pronior [illegible] ad malum, quàm ad bonum, ac per hoc [illegible] pensior, & studiosior est ad malum: & mul[illegible] do ministrorum idonea ad malum in pro[illegible] ptu magis est, quàm ad bonum: & bonum [illegible] ta habet impedimenta, quibus caret mal[illegible] quia bonum consurgit ex causa integra, mal[illegible] autem ex quolibet particulari defectu.

Ratio, cur ad malum machinantes fiunt voti compotes magis, quàm ad bonum.

Vers. 9. COGITATIO STVLTI, PECCATVM EST: ET ABOMINATIO HOMINVM, DETRACTOR. Iuxta Hebræum habetur: *Cogitationes stultitia pec*[illegible] *catum: & abominatio hominum derisor.* Quid [illegible] Salomon sentit de laude hominis cogitantis [illegible] faciendum malum manifestat: cogit [illegible] per peccatum laudé, manifestando cogitatio[illegible] stultorum non esse dignas laude, eò quòd p[illegible] cata sunt; & quia cogitans ad faciendum [illegible] lum, aut stultus est (hoc est, imprudens) [illegible] derisor est eruditionum & documentor[illegible] ideò adiungit, quòd derisor legum, seu mor[illegible] abominatio est hominum, quatenus homo est [illegible] per hoc indignos est laude, etiam vulgari.

Cogitatio, seu cogitantes.

Vers. 10. SI DESPERAVERIS LASSVS IN DIE ANGVSTIÆ, IMMINVETVR FORTITVDO TVA. Iuxta Hebræum habetur: *Si laxasti in die angustiæ, vt in angustia erit fortitudo tua.* Monet filium, [illegible] die angustiæ non cedat, non relaxet animum, [illegible] non relaxet studium ad euadendum, immò ad propulsandum angustiam: quoniam, si cesserit, [illegible] angustia. Qui eueniet, quòd fortitudo eius erit angusta, nō erit deinceps [illegible] incœpit succumbere angustiæ, sed an-ceps in amplitudine suæ fortitudinis, tam in [illegible] gustabitur ampliùs: & hoc verificatur, tam in corporeis, quam spiritualibus, circa quæ versa-tur intentio Authoris.

Non habe-tur, si.

Quare non fortitudo in angustiis.

Vers. 11. ERVE EOS, QVI DVCVNTVR AD MORTEM, ET QVI TRAHVNTVR AD INTERITVM, LIBERARE NE CESSES. Dictio interpretata, *educuntur*, sonat *capti*. Et secunda particula iuxta Hebræum sic habetur: *Et inclinatos ad occasionem si prohibebis?* Et prima quidem particulæ sensus clarus est, videlicet, vt homines captos ad mortem, quoniam iniustè occidendi sunt: ipsa enim violentia, qua capti describuntur ad mortem, sonat iniustitiam. Secundæ verò particula minùs clara est; sonat tamen, vt homo prohibeat, ne occidantur illi, qui, licet non sint capti, sunt tamen humiliati, ac deiecti, vt inclinati sint ad hoc, vt occidantur: & capti quidem egent liberatore de manu eorum, qui tenent eos. Humiliati egent viro prohibente, ne ad vlteriora procedatur: & proptereà dicitur de istis: *Nunquid prohibebis?* & intendit affirmatiuam de iniustè humiliatis.

Vers. 12. SI DIXERIS: VIRES NON SVPPETVNT. Iuxta Hebræum habetur: *Quia dices: Ecce non sciuimus hoc.* Hinc apparet, quare interrogatiuè dixerit: *Nunquid prohibebis?* quia, videlicet, excusabis te dicendo: Nesciui illum fuisse iniustè humiliatum.

QVI INSPECTOR EST CORDIS. Iuxta Hebræum habetur: *An non dirigit cordium?* quod plus est quàm inspicere: Deus enim significatur, qui solus dirigit corda.

Hebræum ponderator, seu mensurator.

IPSE INTELLIGIT. Futuri temporis sunt verba hæc. Sententia est clara, sonans, quòd licet apud homines excusare te possis; apud Deum tamen nulla valet tergiuersatio: ipse enim intelliget veritatem, & cognoscet causam, & reddet vnicuique secundùm opus eius. Aduerte, quòd quemadmodum præceptum hoc dirigitur ad scientes iniustè captos inclinatos; ita dirigitur ad valentes liberare, & prohibere. Sciens enim, & potens liberare, vel prohibere, tenetur succurrere homini in talibus periculis constituto, sicut tenetur pascere morientem fame. Alioquin reus est mortis innocentum, quos sciuit, & valuit liberare.

Sciens, & potens liberare à morte, tenetur liberare.

Vers. 13. & 14. COMEDE, FILI MI, MEL, QVIA BONVM EST: ET FAVVM DVLCISSIMVM GVTTVRI TVO: SIC ET DOCTRINA SAPIENTIÆ ANIMÆ TVÆ. Patet refert, quòd dictio interpretata, *gutturi*, sonat, *palatum*; & dictio interpretata, *doctrina*, sonat, *cognosce*. Itaque legendum est: *Hic cognosce sapientiam animæ tuæ.* Instruit siquidem filium à similitudine comedendi mel, dicendo: *Comede, fili mi, mel, quia bonum est*; quia est cibus bonus corpori: & comede fauum mellis, qui est dulce palato tuo: & quemadmodum sentis bonum, ac dulce corpori; sic cognosce sapientiam bonam, ac dulcem animæ tuæ: perinde ac si dixisset: Bonitatem, ac dulcedinem spiritualem sapientiæ in anima cognosce ex similitudine cibi mellis, & faui. tu, fili mi, quia adhuc non sentis in anima sua bonitatem, ac dulcedinem sapientiæ.

Datiui casus.

Dulcedo sapientiæ.

QVAM CVM INVENERIS, HABEBIS IN NOVISSIMIS SPEM: ET SPES TVA NON PERIBIT. Iuxta Hebræum habetur: *Nunquid inuenisti, & est finis? & spes tua non succedetur?* Ratio redditur, quare spiritualis dulcedo non in seipsa cognoscitur; sed ex similitudine corporalium agnoscenda mandatur. Et consistit ratio in hoc: quia dulcedo sapientiæ non habetur in hac vita perfectè,

perfectè, sed inchoatiuè, & in spe, quæ non succidetur per mortem. Quòd enim non habeatur perfectè, sed inchoatiuè duntaxat, manifestatur dicendo: *Inuenisti, & est finis?* Hoc est, Nunquid inuenisti sapientiam, sic quòd est finita acquisitio sapientiæ? quasi dicat, minimè. Si sapientia inueniretur sic, quòd finiretur inuestigatio eius, haberetur perfectè bonitas, ac dulcedo eius in anima (vtpote, quia completa esset in anima;) sed ex eo, quòd acquisitio eius in hac vita non finitur: quia nunquam inuenitur perfecta, consequens est, quòd non habetur sapientia in hac vita nisi inchoatiuè: perfectio autem eius habetur in hac vita in spe nunc. Et propterea subditur: *Et spes tua de perfectione sapientiæ* (ac per hoc de bonitate, & dulcedine illius completa) *non succidetur per mortem*; sed in alia vita assequetur, & sentiet bonitatem, & dulcedinem sapientiæ.

Vers. 15. NE INSIDIERIS, VT QVÆRAS IMPIETATEM IN DOMO IVSTI, NEQVE VASTES REQVIEM EIVS. Paraphrasis est: nam iuxta Hebræum obscurior est littera: *Non insidiaberis impie habitaculo iusti: non prædaberis accubitum eius.* Et est sensus: In habitaculo iusti non insidiaberis unquam impio. Metaphora sumpta est ab insidiis, quæ disponuntur circa habitaculum impij ad capiendum eum in crimine: monet siquidem Salomon filium, vt cùm aliquis homo habetur iustus, non ad instar insidiantis impio inquirat, si iustus habet aliquid iniquitatis: huiusmodi enim inquisitio non ex recta ratione procedit, cùm nulla præcedat infamia, nulla accusatio, nulla denuntiatio; sed fama ad oppositum, quia reputatur iustus: & præter hoc nociua est viro iusto, quia tollit requiem eius: & propterea subiungitur: *Non prædaberis accubitum eius.* Accubitus enim pro quiete ponitur: quia accumbens quiescit: prædatur autem, quamuis non ipsum iustum, tamen quietem eius, inquirens in illo iniquitatem, & propterea inquisitio ista est mala vtrinque, videlicet, ex parte insidiantis, & ex parte iusti.

Vers. 16. SEPTIES ENIM CADIT IVSTVS, ET RESVRGIT: IMPII AVTEM CORRVENT IN MALVM. Parui refert, quòd futuri temporis sunt verba omnia. Ratio redditur, quare non est inquirendus iustus, quemadmodum impius ex disparitate casuum impij, & iusti: quia septem, hoc est, vniuersi casus hominis iusti sunt leues: & eorum leuitas patet ex hoc, quòd iustus ex casu resurgit: impij autem casus est cum ruina in malum. Septenarius numerus pro vniuerso ponitur: & ad instar corporeorum casuum describuntur casus spirituales, hoc est, peccata. Videmus enim in corporeis, quòd cùm aliquis cadit ita, quòd per seipsum surgit, leuis est casus, & paruissimum, aut nullum incurritur nocumentum: quum autem aliquis cadit ita, quòd ruit in malum; non surgit ex seipso, sed læsionem non paruam incurrit. Ex hac enim parabola declarat Salomon, peccata iustorum vniuersa leuia esse; impiorum autem esse grauia: & propterea non esse insidiandum iusto, tanquàm impio: non esse quærenda peccata iustorum, quemadmodum inquirenda peccata impiorum. Et sic cum istis intelligatur, quòd iustus, quamuis peccet, corrigit seipsum, (quia ex seipso surgit;) impius autem non; multiplicabis rationem præcepti: Non insidiaberis iusto, tanquàm impio.

Vers. 17. & 18. QVVM CECIDERIT INIMICVS TVVS, NE GAVDEAS, ET IN RVINA EIVS NE EXVLTET COR TVVM: NE FORTE VIDEAT DOMINVS, ET DISPLICEAT EI, ET AVFERAT AB EO IRAM SVAM. Parui refert, quòd dictio interpretata, *ruina*, sonat *impactionem*; & dictio interpretata, *ei*, sonat, *in oculis eius*, & scribitur tetragrammaton. Sed quæstio circa rationem huiusmodi mandati occurrit: nam mandatum ipsum sanctum est prohibens lætari de malo alterius, etiamsi sit inimicus: ratio verò subiuncta non apparet recta, sed maligna, vtpote ægrè ferens, quòd Deus auferat iram suam ab inimico: hoc enim contra charitatem proximi est. Solutio est, quòd Salomon dirigit hoc mandatum ad imperfectos, vt inducat eos ad continendum seipsos à peccato gaudij de malo inimici, proponit eis periculum mali proprij, vt si non amore virtutis, saltem amore boni proprij abstineant ab huiusmodi peccato. Declarat enim eis, quòd huiusmodi lætitia videtur à Deo, & displicet Deo, vtpote peccatum: & forte Deus ob hoc peccatum tuum desinet punire inimicum tuum; quia lætitia tua est addere afflictionem afflicto: & inde succedent tibi duo mala: alterum confusionis; quia confundetur lætitia tua, cessante ira Dei super inimicum: alterum virium inimici; quoniam cessante ira Dei super illum, reparabit vires inimicus tuus. Non itaque ratio affertur contra charitatem; sed vt homo imperfectus habendo rationem boni proprij hoc peccatum euitet: reuocatio enim iræ diuinæ ab inimico, non quatenus est bona inimico homini, sed quatenus esset mala tibi, pro ratione affertur.

Vers. 19. NE CONTENDAS CVM PESSIMIS: NEC ÆMVLERIS IMPIOS. Prima particula iuxta Hebræum habetur: *Non implicaberis cum malis.* Prohibet enim commercia cum viris malis, & inuidere prosperitati impiorum.

Vers. 20. QVONIAM NON HABENT FVTVRORVM SPEM MALI, ET LVCERNA IMPIORVM EXTINGVETVR. Prima particula iuxta Hebræum habetur: *Quoniam non erit finis malo.* Rationem reddit, quare abominari debet malos: quia in malis viris sunt duo; alterum malum; alterum bonum: sed bonum eorum extinguetur; malum autem nunquam finietur. Et bonum impiorum sub similitudine lucernæ describit, eò quòd nonnihil lucis habet prosperitas in istis temporalibus bonis.

Vers. 21. TIME DEVM, FILI MI, ET REGEM: ET CVM DETRACTORIBVS NE COMMISCEARIS. Dictio interpretata, *detractoribus*, sonat, *mutatoribus*. Siue mutent verba, modò dicentes vnum, & posteà contrarium: siue alios, & populum mutando libertates, exemptiones, priuilegia, vel consuetudines. Certum est enim, quòd mutatores hoc in loco in malam partem sumuntur, vt testatur eorum subiuncta pœna; & contextus insinuat, quòd appellatione mutatorum significantur ministri, seu curiales Regis, qui huiusmodi mutationibus malis student. Tres siquidem proponit Salomon, videlicet, Iehouah, Regem, & mutatores: & duos primos monet esse timendos propter potestatem eorum; tertium autem (scilicet, mutatores) euitari iubet.

Vers. 22. QVONIAM REPENTE CONSVRGET PERDITIO EORVM: ET RVINAM VTRIVSQVE QVIS NOVIT? Parui refert, quòd dictio interpretata, *perditio*, & *ruina*, sonat *fractio*. Et secunda particula clarium

tà sonat Hebraicè: *Et fractionem duorum ipsorum quis scit?* Quod ideò attulit, ut cognoscatur, quòd de duobus prænominatis loquitur, videlicet, de Rege, & mutatoribus. Dicit itaque mutatorum asserit, quia repentè surget fractio eorum: de punitione autem utrorumque simul, & Regis, dubiè loquitur dicendo: *Et fractionem duorum ipsorum quis scit?* Ratio vitandi mutatores est, quia puniuntur repentè, quando minùs creditur, siue puniantur à Deo, siue à Rege, siue à populo. Crepè enim huiusmodi inopinatæ ruinæ Cum aliium videntur. Pro ratione autem puniendi Regem, etiamsi malus sit, affertur, quòd etiam ipse subiacet periculo ruinæ: & propterea punitio Regis relinquenda est Deo: & interim timendus Rex est.

Inopinata ruina Cautorum.

Vers.15. Hæc quoque sapientibus. Non est perspicuum, an pronomen, *hæc*, demonstret præcedentia, vel subiuncta, & tantò obscurius est, quantò fragmenta sunt hæc. Fortè Salomon scripsit hæc verba alibi, ubi præcepta dabat sapientibus.

Cognoscere personam in iudicio non est bonum. Dictio interpretata, *personam*, sonat, *faciem*: vitium enim personarum acceptionis detestatur. Minùs autem dicit, & plus significat: dicit, quòd non est bonum: significat autem, quòd est malum.

Vers.24. Qui dicunt impio: Iustus es, maledicent eis populi, et detestabuntur eos tribus. Sententia clara est.

Vers.25. Qui arguunt, laudabuntur. Iuxta Hebræum habetur: *Et arguentibus dulcescet.* Deinde immediatè sequitur: *Et super eos veniet benedictio boni.* E regione dicentis impio: Iustus es, introducuntur arguentes impium. Et utrobique est sermo de Iudicibus: Iudices enim dicentes impium esse iustum, maledicentiam, & detestationem incurrunt populorum: iudicibus verò arguentibus impium, dulcescet os populorum, & super eos veniet bonum benedictionis à populis, & gentibus dicentibus: Benedicatur Iudex, & similia.

Vers.26. Labia deosculabitur, qui recta verba respondit. Respondens in rectitudine verborum, assimilatur osculanti labia eius, qui interrogauit: osculum enim labiorum maximum est signum beneuolentiæ, & magnam afferens consolationem osculato: similiter respondens recta, & monstrat se amare interrogantem, & consolatur eum recta respondendo.

Vers.27. Præpara foris opus tuum, et diligenter exerce agrum tuum: ut postea ædifices domum tuam. Sensus redditur: ordo siquidem operarum domesticarum describitur, instruendo filium, ut priùs vacet præparationi agrorum, vinearum, ouium, iumentorum, quæ foris sunt; & deinde ædificet domum. Et ratio ordinis in promptu est. Primùm enim oportet procurare ea, quæ pertinent ad victum, & deinde ad construendum propriam domum: & propterea hoc spectat ad virtutem prudentiæ domesticæ.

Vers.28. Ne sis testis frustra contra proximum tuum: nec lactes quenquam labiis. Testis frustrà appellatur, qui non citatus offert se testem nulla cogente causa, & propterea inhibetur: lactare autem labiis est fallere verbis blandis; quod patet esse malum.

Ne dicas; quomodo fecit mihi, sic faciam ei: reddam unicuique secundum opus suum. Vindicta prohibetur priuata, quod reseruatur publicæ potestati, aut Deo. Vers.29.

Per agrum hominis pigri transiui, et per vineam viri stulti. Parui referre, quod dictio interpretata *stulti*, sonat, *minuentis corde*, idem enim sensus redit. Vers.30.

Et ecce totum repleuerant urticæ: operuerunt superficiem eius spinæ, et maceria lapidum destructa erat. Parum refert, quòd iuxta Hebræum scribuntur spinæ & rubi. Sententia enim clara est. Vers.31.

Quod cum vidissem, posui in corde meo: et exemplo didici disciplinam. Parum refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Et videre ponam cor meum, vidi, accepi eruditionem.* Inspectus inculti agri, & vineæ in vico prudente describitur ordinatè, & primùm, quòd ex visione consecuta est appositio cordis ad considerandum causam defectus agri, & destructæ vineæ, & sic oculis mentis vidit meditando pigritiam, ac vecordiam hæc esse causam: & inde hausit eruditionem ad euitanda huiusmodi vitia. Vers.32.

Vsquequò, piger, dormies? usquequò de somno consurges? Clausula hæc superflua est, quia non habetur in Hebræo.

Parum dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres, ut quiescas. Vers.33. Iuxta Hebræum habetur: *Parum somnus, parum dormitationis, parum complexus manuum ad recumbendum.* Repetitio est sententiæ priùs scriptæ in cap. 6. ubi etiam subiuncta scripta est sententia.

Et veniet tibi quasi cursor egestas tua: et mendicitas quasi vir armatus. Vers.34. Iuxta Hebræum habetur: *Et veniet ambulando paupertas tua: & defectus tui, sicut vir scuti.* Ad pigros, & vecordes dirigitur hic sermo de somno, & paupertate. Describitur enim paupertas veniens ambulando, non quiescendo; & tandem defectus multi aduenientes tanquam vir scuti, à quo non valeat defendere. Cum enim multum paupertas oppresserit hominem, non valet amplius euadere: & propterea describitur tandem tanquam vir armatus.

CAPVT XXV.

Has quoque parabolæ Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiæ Regis Iudæ. Titulus iste subiunctarum parabolarum usque ad finem libri manifestat, quòd Salomonis parabolæ dispersæ erant, imò perditæ, fortè corrosis codicibus, aut laceratis. Ex tribus millibus enim parabolarum vix mille habentur in hoc libro; & propterea ex tribus fragmentis collectus apparet liber iste, ut superius in capitulo 10. incepimus dicere. Transtulerunt autem subiunctas parabolas ex codicibus mancis viri Ezechiæ, Regis Iuda, & apposuerunt supradictis: ut initium tituli huius testatur dicendo: *Etiam istæ parabolæ Salomonis.* Dicendo, *etiam istæ*, significatur adiunctio istarum ad præmissas. Vers.1.

Ex mille habentur ex tribus millibus parabolarum.

Gloria Dei est celare verbum: et gloria Regum, inuestigare sermonem. Dictio interpretata, *gloria*, sonat *honor*. Et Deus nominatur *Elohim.* Quod ideò annotandum duxerim, quòd de Deo, quatenus est Elohim; hoc est, Vers.2.

est, Iudex) est sermo. Vbi etiam aduerte, quòd è regione distinguuntur, *honor Elohim*, & *honor Regis*, penes actiones istas: videlicet, celare verbum, & inquirere verbum: ita quòd celare verbum est honor Elohim, & non Regum, & è conuerso inquirere verbum est honor Regum, & non Elohim: oportet enim hęc preintelligere, vt cognoscatur sensus parabolæ. Cùm igitur verbum *Elohim* (hoc est, Dei, quatenus Iudex) sit ipsum iudicium, consequens est, quòd celare verbum significet occultare rationes iudiciorum. Et est sensus: Ad honorem summi Iudicis spectat abscondere rationes iudiciorum. Occultissimæ siquidem nobis sunt in particulari rationes diuinorum iudiciorum, quæ sæpè exercet. Et inter Deum, & Reges disparitas tanta est, quòd ad ignominiam Regum spectat celare rationes iudiciorum suorum: quia debent manifestare, quare sic iudicant; quare illum damnant ad exilium, aut mortem, &c. Ad Dei autem honorem pertinet occultare rationes iudiciorum suorum: quia per hoc innotescit, quòd non habet superiorem, aut parem; quòd non pendet dominium suum, aut iustitia sua à nobis, sed à sola sua voluntate. Ad Regum autem honorem spectat, quærere, aut inuestigare verbum, hoc est, verborum, factorum, & rerum notitiam, ac veritatem: quod fas non est attribuere Deo. Inquirere enim est nescientis: Deus autem in seipso ab æterno omnia nouit.

Occultatio diuinorum iudiciorum ad honorem Dei spectat.

Ignominiosum est Regi, occultare iudicia sua.

Quare Deus occultet sua iudicia.

Vers. 3. CAELVM SVRSVM, ET TERRA DEORSVM: ET COR REGVM INSCRVTABILE. Iuxta Hebræum habetur: *Cælorum altitudini, & terræ profunditati, & cordi Regum non inquisitio.* Quemadmodum vana est inquisitio celsitudinis, ad quam extenditur cælum, & profunditatis, ad quam extenditur terra: ita difficilis ac vana est inquisitio latentium in corde Regis.

Vers. 4. & 5. AVFER RVBIGINEM DE ARGENTO, ET EGREDIETVR VAS PVRISSIMVM: AVFER IMPIETATEM DE VVLTV REGIS, ET FIRMABITVR IVSTITIA THRONVS EIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Auferendo scorias de argento, & exiuit argentario vas: auferendo impium à facie Regis, & dirigetur in iustitia solium eius.* Assimilatur impius coram Rege scoriis in argento: & ablatio impij à præsentia Regis ablationi scoriæ ex argento. Spurcitia enim regiæ præsentiæ est impius, quemadmodum scoria est spurcitia argenti. Assimilatur quoque effectus effectui: exclusis enim scoriis, quasi egreditur de conclusione sub scoriis, vas argentario; hoc est, materia parata argentario ad faciendum vasa: & similiter exclusis impiis à facie Regis, solium regale dirigetur in iustitia. Impij enim coram Rege assistentes impediunt iustitiam, quæ exerceri debet à regali solio. Frequens est hoc malum: nam nisi essent impij consiliatores familiares, aut amici Regum, iustitia haberet locum suum coram Regibus.

Impij consultores quod Reges impediunt iustitiam.

Vers. 6. & 7. NE GLORIOSVS APPAREAS CORAM REGE, ET IN LOCO MAGNORVM NON STETERIS: MELIVS EST ENIM, VT DICATVR TIBI: ASCENDE HVC, QVAM VT HVMILIERIS CORAM PRINCIPE. Interpres separauit particulas orationis: nam iuxta Hebræum non finitur parabola ista sic, sed adiungitur: *Quem viderunt oculi tui.* Interpres autem pro, quem, in, quæ, posuit hanc particulam in principio sequentis parabolæ. Dictiones autem interpretatæ: *Ne gloriosus appareas* sonant: *Ne te pulchrum facies.* Mandatum hoc est simile

Mandatum simile

mandato euangelico: *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non recumbas in primo loco.* Et eadem ratio redditur hic, & ibi: & non differunt, nisi quia ibi agitur de locis conuiuarum, hic autem de locis coram Rege. Mandat itaque, vt homo coram Rege non seipsum faciat pulchrum, hoc est, non seipsum agat, tanquàm appareat pulcher coram Rege, tanquam appareat dignus propinquitate ad Regem: quemadmodum res pulchræ gratæ habentur, quum propinquæ fuerint Regibus. Et hoc consequenter explicatur dicendo: *Et in loco magnorum non steteris.* Et ratio vtriusque subditur: *Quia melius est, vt dicatur tibi: Ascende huc, quàm vt dicatur tibi: Descende huc, & sic humilieris coram Principe, quem viderunt oculi tui.* Hoc enim damnum referes ex viso Principe. Luc 14.

Vers. 8. NE PROFERAS IN IVRGIO CITÒ: NE POSTEA EMENDARE NON POSSIS, CVM DEHONESTAVERIS AMICVM TVVM. Iuxta Hebræum habetur: *Ne egrediaris ad litem festinanter: ne quid facias in fine eius, cùm pudefaciet amicus tuus.* Vide, quantùm differt vulgata editio ab Hebraïca veritate. Monet Salomon filium, vt non sit festinus ad mouendum litem alicui. Et rationem reddit: Ne fortè in fine litis aliquid faciat indignum; & proximus tuus, contra quem mouisti litem, faciat te erubescere. Qui enim festinus est ad mouendum litem, minùs considerat, quæ occurrere possunt inter litigandum, & facilè decipitur circa exitum litis, & propterea facilè contingere potest, vt in fine litis faciat aliquid indignū, & sic erubescat.

Vers. 9. & 10. CAVSAM TVAM TRACTA CVM AMICO TVO, ET SECRETVM EXTRANEO NE REVELES: NE FORTE INSVLTET TIBI, CVM AVDIERIT, ET EXPROBRARE NON CESSET. Iuxta Hebræum habetur: *Lis tua, lis socij tui, & secretum alterius non deteges: nec opprobrabit tibi audiens, & infamia tua non quiescet.* Charitatis plena monitio, vt litigiosā causam amici tui repures tuam: & simile huic est mandatum, vt secretum alterius non detegas, sed tanquàm secretum tuum habeas. Et ratio subditur: Ne propria fama damnum patiatur irreparabile: afficiente te contumelia audiente detegi secreta, causāmque amici à te non æstimari. Irreparabilitas enim famæ significatur dicendo: Et infamia tua non requiescet.

GRATIA ET AMICITIA LIBERANT, QVAS TIBI SERVA, NE EXPROBRABILIS FIAS. Hæc clausula superflua est: non enim habetur in Textu Hebr.

Vers. 11. MALA AVREA IN LECTIS ARGENTEIS: QVI LOQVITVR VERBVM IN TEMPORE SVO. Iuxta Hebræum habetur: *Mala auri cæsuris argenti: verbū ordinatum super rotas suas.* Dictio interpretata, *cæsuras*, vocabulorum penuria est sic interpretata: significat enim incisiones, quas fabri pulchra arte efficiunt ad diuersas figuras, non per modū sculpturæ quo statuæ fiūt in massa aliqua argenti, vel marmoris, vel ligni habentis lineas sitas, sed quo partes separatas ad inuicē multis figurationibus efficiunt, repræsentando, vel rē naturalem, (puta, vitem cum frondibus & botris.) vel inuolucrum aliquod multis intersectionibus figuratum: quod opificij genus vulgari Italico appellatur, *intaglio*, in quacunque fiat materia. Assimilat itaque pomis ex auro figuratis super cæsuras huiusmodi in argento. (Fortè inuolucrum aliquod argenteum virgultorum producentium mala auri fiebat tunc temporis, non solùm preciosum, sed pulchrum ex opere artis.) His, inquā, assimilatur *verbum ordinatum super rotas suas.* Est enim & preciosus,

tiosos, & pulcher, ac mirandus sermo or[illegible] a in a tus
super rotas suas, hoc est, super loca op[illegible] su-
per colores rhetoricos, super modos lo[illegible] di.
Hæ enim sunt rotæ sermonis, in quibus [illegible] tur
sermo ad persuadendum, & instruendum [illegible]

Quæ sunt rotæ sermonis.

Vers. 12. INAVRIS AVREA, ET MARGARITVM [illegible] FVL-
GENS, QVI ARGVIT SAPIENTEM, ET [illegible] RIM
OBEDIENTEM. Iuxta Hebræum habetu[illegible] In-
auris aurea, & monile obrizi, arguens sapien[illegible] super
aurem audientem. Sapiens exercens offic[illegible] ar-
guentis non quencunque, sed habentem [illegible] rem
ad audiendum, (hoc est, libenter aud[illegible] tem
eruditiones, & increpationes) assimilat[illegible] auri obrizi: audiens verò assimilatur in[illegible] au-
tes: iste enim ornatas habet aures virtu[illegible] ille
autem ornamentum est fulgens pretio[illegible] ima
auri specie: vterque assimilatur auro; qu[illegible] vter-
que in gradu suo est valde pretiosus.

Vers. 13. SICVT FRIGVS NIVIS IN DIE MESSIS: [illegible] LE-
GATVS FIDELIS EI, QVI MISERIT EVM [illegible] ANI-
MVM IPSIVS REQVIESCERE FACIT. Se[illegible] cc-
mittit: Et assimilatur legatus fidelis, relat[illegible] ad
mittentes eum, & ad dominum eius, fri[illegible] ni-
uis supervenienti hominibus in diebus [illegible] ssis;
hoc est, in diebus magni æstus. Quemadm[illegible] dum
enim tunc temporis gratissimum est, (vt[illegible] re-
frigerans homines:) ita legatus fidelis [illegible] itur
requiem animo domini sui, tollens ab eo [illegible] tum
sollicitudinis, & anxietatis.

Vers. 14. NVBES, ET VENTVS, ET PLVVIÆ NO[illegible] SE-
QVENTES, VIR GLORIOSVS, ET PROMISS[illegible] NON
COMPLENS. Interpres pro claritate sensus [illegible]
dictionem, *sequentes*. Sola enim negatio [illegible] He-
bræo scribitur absque aliquo verbo, vel p[illegible] ci-
pio. Secunda verò particula iuxta Hebræu[illegible] ha-
betur: *Vir iactans se in dono falsitatis.* [illegible] non
iactator doni falsitatis, hoc est, doni, quod [illegible] re
intendit dare, (quales sunt magna, mul[illegible] ap-
promittentes,) assimilatur imminentibus i[illegible]
parentia nubi, vento, & pluuiæ non sequent[illegible] fu-
Quemadmodum enim apparent quandoque [illegible] ra-
turæ nubes, futurus ventus, futura pluuia; & [illegible]
men non sequuntur nubes, non sequitur vent[illegible]
non sequitur pluuia: ita apparet donatio iact[illegible]
tis se dona[illegible], & non sequitur donum: [illegible]
enim iactantia signum est, quòd non imple[illegible]
quæ promittit. Per hæc autem tria intendit [illegible]
uersa dona, vniuersosque fallaciter pollice[illegible]
dona comprehendere: nubes ab ascendent[illegible] ibus
vaporibus apparentes, dona ab inferioribus: [illegible]
uiæ descensiuæ, dona à superioribus: & [illegible]
tus lateraliter venturus, dona ab æqualibus si[illegible]
ficant.

Pollicentes magna, & mentientes, quibus assimilantur.

Vers. 15. PATIENTIA LINIETVR PRINCEPS: ET L[illegible]
GVA MOLLIS CONFRINGET DVRITIAM. Iuxta [illegible]
bræum habetur: *In longitudine furoris* [illegible]
Princeps: & lingua mollis franget ossa. Long[illegible] ad
do furorum dilationem significat iræ, qua[illegible]
mansuetudinem spectat: mansuetudine [illegible]
dem vtendo ad differendum vindictam [illegible]
Princeps ad condonandum delicta. Et qu[illegible]
admodum dilatio iræ flectit Principem: ita lin-
gua mollis, sermo [illegible] frangit ossa, hoc est, du-
ros animos.

Vers. 16. & 17. MEL INVENISTI: COMEDE, QVOD SVFFICIT
TIBI: NE FORTE SATIATVS EVOMAS ILLVD.
SVBTRAHE PEDEM TVVM DE DOMO PROXIMI
TVI, NE QVANDO SATIATVS ODERIT TE. Dictio
interpretata, *subtrahe*, sonat, [illegible]. Assimilatur
siquidem inuentori mellis inuentor dulcedinis

in aliena domo; hoc est, inuentor delectabilis
familiæ, ac conuersationis in aliena domo. Et
instruitur, quòd quemadmodum is, qui inuenit
mel, comedere non debet de melle superfluè,
sed quantum sibi sufficit, ne saturatus melle euo-
mat illud: ita, qui inuenit delectabilem conuer-
sationem in aliena domo, grauet pedem suum,
non habeat pedes leues ad frequentandum ali-
enam domum; sed grauet illos ad eundum, quan-
tum sufficit, & non erat superfluè: ne forte ve-
rus domus saturatus de te, de tuo frequenti ac-
cessu ad domum, odio habeat, & euomat te ab
amicitia sua. Documentum istius parabolæ com-
mendandum est memoriæ, vt homo non inge-
rat fastidium frequenter eundo ad aliquem, qui
dulcem se illi exhibet.

Documentum memorabile.

IACVLVM, ET GLADIVS, ET SAGITTA ACVTA, Vers. 18.
VIR, QVI LOQVITVR CONTRA PROXIMVM
SVVM FALSVM TESTIMONIVM. Dictio interpre-
tata, *iaculum*, sonat, *malleus*. Falsus testis assimi-
latur malleo, gladio, & sagittæ acutæ, hoc est,
vniuerso generi nociuorum ab homine. Per hæc
enim tria omnes nocendi modi significantur,
quibus homo hominem nocet: malleus enim tun-
dendo; gladius scindendo; & sagitta acuta pe-
netrando. Malleus est enim nocumentum exem-
ptum à falso testimonio: nocet enim, & perso-
næ, & famæ, & rebus.

Tria significant omnes nocendi modos ab homine.

DENS PVTRIDVS, ET PES LASSVS, QVI SPERAT Vers. 19.
SVPER INFIDELI IN DIE ANGVSTIÆ. Et hic
terminatur parabola hæc: quamuis in vulgata
editione adiungatur particula spectans ad para-
bolam sequentem: & iuxta Hebræum habetur:
*Dens putridus, & pes dimotus; fiducia mendacis in
die angustiæ.* Fiducia pollicita à mendace, vel fi-
ducia, quæ habetur in mendace, assimilatur in die
angustiæ denti fracto, (cuius officium nullum
est,) & pedi dimoto, cuius, scilicet, partes do-
lore conficiuntur, quia pars aliqua ex eo turbauit ab
aliis partibus, ac per hoc impeditur pes ab officio
pedis. Sicut itaque neque dens fractus, neque
pes dimotus vtilis est ad officium pedis, & den-
tis: ita fiducia mendacis inutilis est in die angu-
stiæ; non enim opem fert.

Fiducia in mendace, cui similis.

ET AMITTIT PALLIVM IN DIE FRIGORIS: Vers. 20.
ACETVM IN NITRO, QVI CANIT CARMINA COR-
DI PESSIMO. Iuxta Hebræum habetur: *Pertrans
sericum in die frigoris, acetum super saponem: &
cantabit in carminibus super corde mali.* Dictio in-
terpretata, *saponem*, sonat nescio quid, quo cum
aqua abluuntur panni, quod à multis nitrum vo-
catur per similitudinem ad dictionem Hebrai-
cam. Assimilatur cantans cantica cordi afflicto,
tum paranti vestem sericam in die frigoris, tum
aceto super saponem. Et ratio primæ similitudi-
nis est: quia cantus cantorum secundum se, est
pulcher, & delectabilis, incongruus est cordi af-
flicto: quemadmodum vestimentum sericum est
in seipso pulchrum, & pretiosum; non tamen
congruum in die frigoris. Ratio verò secundæ
similitudinis est: quia, quemadmodum pannis li-
neis, vel laneis ablutis sapone, seu ablutioni ni-
trosæ, aut saponariæ superinfusum acetum ad-
uersatur, (vtpote maculas ingerens, vt expertus
sum nuper in sapone lotis;) ita molestus est
cordi afflicto cantans cantica.

SICVT TINEA VESTIMENTO, ET VERMIS LIGNO:
ITA TRISTITIA VIRI NOCET CORDI. Parabola ista
superflua est quia in Hebræo non habetur.

SI ESVRIERIT INIMICVS TVVS, CIBA ILLVM: SI Vers. 21. & 22.
SITIERIT,

SITIERIT, DA EI AQVAM BIBERE: PRVNAS ENIM CONGREGABIS SVPER CAPVT EIVS: ET DOMINVS REDDET TIBI. Vbi dicitur, *cibo al-lum*, deficit, *pane*. Et dictio interpretata, *congregabis*, sonat, *dilatas*. Et Dominus nomen est tetragrammaton. Mandatum clarum est, vt inimicis indigentibus cibo, & potu conferamus beneficia panis, & aquæ: non mandat, vt propinet inimico sitienti vinum: quia sine vino potest subueniri siti: nec mandat, vt esurienti det carnem, aut obsonia alia, sed panem necessarium ad humanam vitam: & est proculdubiò mandatum hoc inter præcepta supputandum: quoniam explicat articulum necessitatis, famis, videlicet, & sitis. Obscura est autem similitudo, quæ pro ratione affertur, dicendo: quia prunas tu dilatas super caput eius: considerando tamen subiunctam retributionem diuinam percipitur, quòd beneficium aliquod similitudo hæc continet. Quam vt intelligas, scito, quòd dilatare prunas, est cumulum prunarum in latitudinem mouere. Est enim expādere prunas, quod facimus ad actuandum prunas, & ad maiorem distantiam, ad hoc vt magis calefaciant nos. Dilatare itaque prunas super caput eius, est dilatare prunas ad hoc, vt perueniant calefaciendo vsque ad supremam corporis partem, quæ est caput, vsque ad hoc, vt ex eis etiam caput caleat. Hæc est similitudo ad literam. Sæpè enim vtuntur Hebræi propositione, *super*, pro præpositione, *ad*. Insinuatur autem per hanc similitudinem officium spirituale, quod fit erga inimicum cibando, & potando illum cibo, & potu corporeo. In huiusmodi enim beneficio corporeo continetur sæpe natura vis mutandi mentem inimici ad amorem pascentis eum. Ita quòd panis, & aqua assimilantur prunis, & collatio panis, & aquæ ad reficiendum inimicum assimilatur dilatationi prunarum: nam, sicut prunas tum dilatatio actuat prunas ad hoc, vt etiam ex eis caput caleat: ita collatio panis, & aquæ actuat illos ad hoc, vt ex eis etiam animus inimici caleat amore, amétque, quem priùs oderat. Quemadmodum enim caput summè distat à prunis in imo positis; ita mens hominis summè distat à corporeo cibo. Ambo itaque beneficia tu conferes pascendo inimicum; alterum corpori; alterum animæ: & ideò meritò subiungitur: *Et Iehouah retribuet tibi*.

Præceptum de inimicis subueniendis.

Quid sit, dilatare prunas super caput inimici, vt etiam apud Apost. Rom. 12.

Vers. 23. VENTVS AQVILO DISSIPAT PLVVIAS: ET FACIES CRISTIS LINGVAM DETRAHENTEM. Scito, quia dictio interpretata, *dissipat*, anceps est ad *fugare*, vel *parturire*: & casus nominum sunt ambigui: ideò parabola ista dupliciter legitur, vel, *Ventus Aquilo fugabit pluuiam: & facies iracundia linguam absconsionis*. Quæ est lingua tam detrahentis, quam susurronis, & delatoris: isti enim omnes absconditè loquuntur ad nocendum alicui: iracundus autem vultus terret huiusmodi homines, vt non audeant officia hæc mala coram se exercere, sicut ventus septentrionalis fugat pluuiam: vel, *Ventus Aquilo parturiet pluuiam: & faciem iracundam lingua absconsionis*. Aquilo enim in regionibus istis, quæ sunt ex parte Septentrionis, fugat pluuiam; sed parit eam in regionibus meridiei, putà in Libya: & vt nonnulli putant, Syria, seu pars eius Iudæa sub huiusmodi regionibus meridiei comprehenditur: & propterea Salomon ponit Aquilonem ventum pluuiosum. Si verum est, quod putatur, complectenda est hæc lectio. Et est sensus, quòd quemadmodum aquilonaris ventus generat pluuiam: ita lingua absconsionis generat faciem iracundam in illo, aduersùs quem detractio, susurratio, delatio, & id genus reliqui sermones occulti habiti sunt.

Aquilo parit & faciem iracundam lingua absconsionis pluuiam in meridionalibus regionibus.

MELIVS EST SEDERE IN ANGVLO DOMATIS, QVAM CVM MVLIERE LITIGIOSA, ET IN DOMO COMMVNI. Repetitio est parabolæ scriptæ superiùs in cap. 21. & proptereà vide expositionem ibi. Vers. 24.

AQVA FRIGIDA ANIMÆ SITIENTI: ET NVNCIVS BONVS DE TERRA LONGINQVA. Dictio interpretata, *sitienti*, sonat, *lassa*. Et dictio interpretata, *nuncius*, sonat, *nuncium*, in neutro genere: nam clarè significatur id, quod nunciatur: & non is, qui nunciat: & legendum est, *nuncium bonum*. Assimilatur itaque nuncium bonum valdè expectatum à remotis partibus aquæ frigidæ exhibitæ homini lasso; delectabilis siquidem valdè est homini lasso, (ac per hoc ex nimio labore æstuanti,) potus aquæ frigidæ. Vers. 25.

FONS TVRBATVS PEDE, ET VENA CORRVPTA: IVSTVS CADENS CORAM IMPIO. Interpres addidit, *pede*. Dictio enim Hebraica sonat turbidum ex admixtione luti, seu cretæ, quæ admixtio fieri potest sine pede. Et dictio interpretata, *cadens*, sonat *inclinatus*, seu, *dimotus*. Et est sermo de inclinatione animi à recto: vt cùm iustus territus ab impio mouetur intus, & à celsitudine iustitiæ vacillando inclinatur ad dedecens aliquod. Apponuntur autem duæ similitudines: altera fontis turbidi, describendo animum iusti conturbatum coram impio; inuoluitur enim perspicuitas iustitiæ eius perturbationibus animi: altera venæ corruptæ ad describendum iusti animum coram impio, quando nō solùm est perturbatus, sed corruptus terrore ad instar venæ corruptæ, seu destructæ, pro quāto per os iusti, aut nullus venit sermo iustitiæ, vel venit sermo dedecēs. Vers. 26.

Iustus corruptus ab impio, cui similis.

SICVT, QVI MEL COMEDIT MVLTVM, NON EI BONVM: SIC QVI SCRVTATOR EST MAIESTATIS, OPPRIMETVR A GLORIA. Iuxta Hebræum habetur: *Comedendo mel multiplicare non bonum: & quærere honorem ipsorum honor*. Parabola hæc constat dissimilitudine comedētis multum mellis, & multum quærentis honorem communem: nam comedendo mel, multiplicare comestionem non est bonum. Quā contrà quærendo honorem ipsorum (hoc est, communem domui, collegio, seu ciuitati,) multiplicare inquisitionem est honor: ita quòd multiplicatio in esu mellis vituperatur; multiplicatio autem quærendo honorem communem laudatur. Communis enim honor significatur per pronomen numeri pluralis. Vers. 27.

SICVT VRBS PATENS, ET ABSQVE MVRORVM AMBITV: ITA VIR QVI NON POTEST IN LOQVENDO COHIBERE SPIRITVM SVVM. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Vir, cui non resistentia spiritui eius*. Assimilatur vrbi, tum absque muro, tum absque vallo. (ita quòd est penitùs patens,) homo, in quo spiritus, (hoc est, impulsus, seu impetus internus,) nihil habet resistens. Talis enim homo expositus est impulsibus animi, (vtpote carens ratione resistente istis impulsibus,) quemadmodum ciuitas absque muro, & vallo patens subest incursionibus, & huiusmodi: & est sermo de spiritu, tam ad loquendum, quàm ad faciendum. Vers. 28.

Homo praeceps cui similis.

CAPVT

CAPVT XXVI.

Vers. 1. QVOMODO NIX AESTATE, ET PLVVIA IN MESSE: SIC INDECENS EST STVLTO GLORIA. Parui refert, quòd dictio interpretata, *decorus*, sonat, *non pulcher*: & dictio interpretata, *gloria*, sonat, *honor*. Quemadmodum dissona est nix aestati, & pluuia messi, ita dissona est honor stulto. Honor enim est virtutis praemium: stultus autem longè est à virtute, ac per hoc longè debet esse ab honore, sicut nix longè ab aestate, & pluere à messe.

Honor virtutis praemium, deesse stulto.

Vers. 2. NAM, SICVT AVIS AD ALTA TRANSVOLANS, ET PASSER QVOLIBET VADENS: SIC MALEDICTVM FRVSTRA PROLATVM IN QVEMPIAM SVPERVENIET. Iuxta Hebraeum habetur: *Sicut auis ad vagandum, sicut hirundo ad volandum: sic maledictio gratis non veniet.* Maledictio [illegible] sine merito eius, cui maledicitur, assimilatur, tum auis vaganti, tum hirundini volanti. In hoc, quòd est solùm in aere. Hirundo [illegible] inter omnes aues sola patenter volando, [illegible] hirundo volat per aera solùm, ita [illegible] non tendit ad aquam, neque ad terram, [illegible] cibum vt faciunt aliae aues. Sic & maledictio prolata in innocentem verberat solùm aerem, & non ad innocentem tendit. Auis quoque [illegible] tanquam deambulando in aere vagatur, [illegible] lum terminum fixum tendit, & sic maledictio contra innocentem est tanquam vaga in aere, itaque nec innocenti, nec alij nocet; [illegible] praeterea [illegible] tanquam [illegible] in altitudinibus. Non veniet maledictio in innocentem, aut alium.

Sola hirundo posseruo volando.

Vers. 3. FLAGELLVM EQVO, ET CHAMVS ASINO, ET VIRGA DORSO IMPRVDENTIVM. Parui refert, quòd dictio interpretata, *imprudentium*, sonat, *stultorum*. Quemadmodum equus indomitus flagello domatur; & asinus chamo cohibetur: ita imprudens virgae percussione multatur. [illegible] duae similitudines, ad insinuandum, quòd percussio stulti habet vtranque vim, & chami refraenantis, & flagelli corrigentis [illegible] tus, quoniam ad corrigendum, & facta [illegible] lente.

Vers. 4. NE RESPONDEAS STVLTO IVXTA STVLTITIAM SVAM: NE EFFICIARIS EI SIMILIS. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Non respondeas stulto iuxta stultitiam suam, ne adaequeris ei etiam tu.* Deinde immediatè sequitur:

Vers. 5. RESPONDE STVLTO, IVXTA STVLTITIAM SVAM: NE QVANDO SIBI SAPIENS IN OCVLIS SVIS. Primi mandati sensus est, quòd respondere stulto [illegible] non debes [illegible] dicendo: *Non respondebis stulto* [illegible] [illegible] non [illegible] stultus [illegible] simul [illegible] opprobrando [illegible] non [illegible] subditur: Ne quando (scilicet) [illegible] piens [illegible] Si [illegible] mone, reddendo [illegible] ne forte etiam [illegible] actibus [illegible] sicut [illegible] frequentatis enim [illegible] generatur habitus [illegible] stultitia [illegible] est: [illegible] aut [illegible] [illegible]

Quomodo respondendum stulto, & quomodo non.

piens in oculis suis. Haec enim ratio manifesta quòd de responsione confutatiua, siue arguendo, siue declarando, siue docendo fiat, est sermo. Confutatò enim sermone stulti tollitur occasio, vt stultus reputet se sapientem. Et aduerte hic, quòd primum mandatum ordinatur ad bonum suum: secundum autem ad bonum stulti, & consequenter aliorum: nocet enim non solùm stulto, sed & aliis, quòd stultus reputet se sapientem, hoc est, quòd imprudens reputet se sapere, si est persona publica.

Vers. 6. CLAVDVS PEDIBVS, ET INIQVITATEM BIBENS, QVI MITTIT VERBA PER NVNCIVM STVLTVM. Dictio interpretata, *claudus*, sonat, *succidens*. Dictio interpretata, *per nuncium*, sonat, *in manu*. Itaque legendum est in principio, *succidens pedes*: & in fine, *in manu stulti*. Mittens igitur sermones suos in manu (hoc est, in potestate stulti.) assimilatur, tum incidenti pedes, tum bibenti iniquitatem. assimilatur quoad animum bibenti iniquitatem, quoad damna succidenti pedes. nam, sicut bibens iniquitatem delectatur iniquitate tanquam potu; ita committens verba sua facultati stulti conuincitur, quòd placent sibi facta stultorum. Nisi enim placerent ei, non crederet verba sua potestati stultorum. Et sicut succidens proprios pedes priuat se facultate ambulandi ad prouidendum rebus suis: ita mittens verba super stultum, priuat seipsum facultate eundi per seipsum ad tractandum negotium, quod stulto committit: quia stultus tractauit illud sic, quòd redegit in statum malum irreparabilem per illum, qui misit.

Quomodo stultum est committere stulto negotia.

Vers. 7. QVOMODO PVLCHRAS FRVSTRA HABET CLAVDVS TIBIAS, SIC INDECENS EST IN ORE STVLTORVM PARABOLA. Iuxta Hebraeum habetur: *Eleuatae sunt tibiae à claudo: & parabola in ore stultorum.* Assimilatur stultus proferendo parabolas claudo eleuanti tibias ad ambulandum. quia, quemadmodum claudus mouet tibias inaequaliter, vnam magis altera extendendo, ita quòd altera alteri non consonat, & vtraque simul ab aequa ambulatione dissonat: ita parabola in ore stulti sententias habet sine proportione, ita quòd altera alteri non quadrat, & tota simul parabola applicatur ineptè ad materiam occurrentem: quia stultus nescit proportionem seruandam in parabolis ex hoc ipso, quòd stultus est.

Vers. 8. SICVT QVI MITTIT LAPIDEM IN ACERVVM MERCVRII: ITA QVI TRIBVIT INSIPIENTI HONOREM. Iuxta Hebraeum habetur: *Sicut ligare lapidem in funda: sic dare stulto honorem.* Lapis in funda ponitur ad hoc, vt circumacta funda iaciatur: ideò ligare lapidem in funda, est efficere, quòd funda habeat lapidem ligatum, et circumagatur absque iactu, absque hoc, quòd aliquò tendat: & huiusmodi ligatae fundae assimilatur tributa honorem stulto, pro quanto honor, qui tribuitur stulto, caret, quò tendat in stulto. Quamuis enim tribuantur honores stultum; honoratio tamen nulla est, sicut circumactio fundae, [illegible] quantum ad hoc, quòd sicut funda nullò iacit: ita huiusmodi honoratio non tendit ad aliquid; quia in stulto non est virtus digna honore.

Vers. 9. QVOMODO SI SPINA NASCATVR IN MANV TEMVLENTI: SIC PARABOLA IN ORE STVLTORVM. Iuxta Hebraeum habetur: *Spina ascendit in manum ebrij, & parabola in ore stultorum.* Superius parabola in ore stultorum assimilata est tibiis claudi, [illegible] dissonantiam; hic verò assimilatur

spinae

spinæ, ascendenti in manu ebrij quoad ridiculum. Quemadmodum enim ebrius loco florum, aut alicuius rei pretiosæ eleuat in altum spinam, & sic spina, seu spinarum congeries in manu ebrij, quasi exaltata ascendit, & ridiculo est omnibus videntibus: ita parabola in ore stultorum ridicula est: prouocat enim homines ad risum loco instructionis.

Vers. 10. Iudicium determinat causas, et qui imponit stulto silentium, iras mitigat. Iuxta Hebræum habetur: *Magnus Creator omnium: & mercedem dat stulto, & mercedem dat transgressoribus.* Magnus (procul dubiò per antonomasiam) intelligitur Deus: de quo scribitur, quòd quia est factor omnium, ideo non solùm sapientibus, & iustis, & stultis, & transgressoribus mandatorum dat mercedem pro aliquibus bonis operibus, quæ exercent: nullum enim bonum opus cuiuscunque, siue delipientis, siue iniqui hominis, irremuneratum Deus relinquit, vt hic dicitur.

Nullum bonum irremuneratum.

Vers. 11. Sicut canis, qui reuertitur ad vomitum suum: sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. Parui refert, quòd dictio interpretata, *imprudens*, sonat, *stultus*. Petrus Apostolus in secunda epistola cap. secundo, vtitur hac parabola in peccatis recidiuis: Salomon autem extendit similitudinem canis reuersi ad vomitum proprium comedendum, ad vniuersum genus stultitiæ. Sed si perspectum fuerit, quòd Salomon stultitiam pro vitio accipit, de peccatis quoque ipse loquitur. Abominabilis itaque describitur stultus iterans stultitiam suam, quemadmodum canis reuersus ad vomitum suum. Et quoniam non dicit, stultus rediens; sed, *stultus iterans*, minùs quadrare videtur similitudo reuersi canis ad proprium vomitum. Solutio est, quòd quia pœnitudo stultitiæ patratæ est naturalis homini; ideò iterans stultitiam præsumitur rediens ad stultitiam, cuius iam pœnituerat. Propterea enim Salomon sub ratione stultitiæ proponit parabolam, & non sub ratione iniustitiæ, aut peccati.

2. Petr. 2. 22.

Quæstio.

Solutio.

Vers. 12. Vidisti hominem sapientem sibi videri: magis ille spem habebit insipiens. Iuxta Hebræum habetur: *Vidisti virum sapientem in oculis: spes de stulto, plusquàm de eo.* Maior est spes, quòd stultus sapiat, quàm quòd sapiat homo, qui sibiipsi videtur sapiens. Iste enim est incorrigibilis à verè sapiente, quia reputat se sapientem: ille autem potest à sapiente instrui.

Quare sapiens apud se est incorrigibilis.

Vers. 13. Dicit piger: Leo est in via, et leæna in itineribus. Parui refert, quòd Hebraïcè habetur: *Dixit piger: Leunculus in via: & leo inter plateas.* Per hanc similitudinem cogitationes pigrorum describuntur pingentium sibi pericula minora, & maiora ad excusandū otiū.

Vers. 14. Sicut ostium vertitur in cardine suo: ita piger in lectulo suo. Interpres addidit aduerbia, *sicut*, &, *ita*, ad clarificandum sensum. Parabola est clara: manifestans, quòd piger vertit se in lecto, non surgendo, quemadmodum ostium vertitur super suum cardinem, non recedendo inde.

Vers. 15. Abscondit piger manus sub ascella: et laborat, si ad os suum eas conuerterit. Iuxta Hebræum habetur: *Abscondit piger manum suam in olla: lassatur ad reducendum eam ad os suum.* Repetitio est parabolæ scriptæ in cap. 19. Vide ibi expositionem.

Vers. 16. Sapientior sibi piger videtur, septem viris loquentibus sententias. Parui refert, quòd verba interpretata *loquentibus sententias*, sonant, *reddentibus*, seu, *respondentibus causā*. Et ponitur numerus septenarius pro numero infinito: perinde ac si dictum fuisset, vniuersis reddentibus causam; hoc est, vniuersis Iudicibus, qui respondent populis reddendo illis ius in causis emergentibus: nascitur autem huiusmodi reputatio in animo pigri, ex eo, quòd otium valdè delectat eum. Ex hoc enim præfert se iis, qui occupantur ad respondendum in causis: existimans sapientiùs se elegisse otium, & minùs sapere, qui eligunt huiusmodi occupationes.

Vers. 17. Sicut, qui apprehendit auribus canem: sic, qui transit impatiens, et commiscetur rixæ alterius. Iuxta Hebræum habetur: *Apprehēdens aures canis transiens, & excandescens super lite non sibi.* Vir in transitu videns litem impertinentem sibi, & excandescens super ea, assimilatur apprehendenti canem per aurem. Prouocat enim aduersùs se litem, quemadmodum ille prouocat canem aduersùs se.

Vers. 18. & 19. Sicut noxius est, qui mittit lanceas, et sagittas in mortem; ita vir, qui fraudulenter nocet amico suo: et quum fuerit deprehensus, dicit: Ludens feci. Iuxta Hebræum habetur: *Sicut abscondit se iaculans fauillas, sagittas, & mortem: sic vir decepit amicū suum, & dicit: An nō ridens ego?* Assimilatur vir, qui, postquàm decepit socium suum manifesto dolo, excusat se dicēdo, quòd iocando, seu ludēdo, dixit, aut fecit; assimilatur, inquam, homini iaculanti ignē, & sagittas, & mortē, (hoc est, quæcūque mortifera,) abscōdentique seipsum, vt latet iaculator talium: quemadmodū enim iaculator iste facta exercet nociua, & seipsū occultat; ita fallēs amicū suum, nociua facta, vel verba habet, & occultat seipsū sub excusatione ioci, vel ludi.

Vers. 20. Quum defecerint ligna, extinguetur ignis: et susurrone subtracto conquiescunt iurgia. Sētentia redditur: & fundatur similitudo super hoc, quòd lites fouentur communiter à malis linguis, quemadmodum ignis fouetur à lignis: sunt enim materia ignis, & maledicta sunt materia litis. Appellatione enim susurronis, omnē maledicā linguam intelligi, Hebraicus insinuat Textus, dicendo: *Et in non susurro quiescet lis.* Insinuat enim, quòd de susurrone, & similibus malis linguis loquitur.

Lites in malis linguis, sicut ignis in lignis.

Vers. 21. Sicut carbones ad prunas, et ligna ad ignem: sic homo iracundus suscitat rixas. Interpres addidit aduerbia similitudinis, ad clarificādum sensū: sed dictio interpretata, *iracundus*, sonat, *litigiosus*. Carbones enim materia sunt prunarū, & ligna materia ignis: & similiter verba, seu facta hominis litigiosi excitant litē facillimè: quia litigiosus homo dispositus est naturaliter ad litigandum, quemadmodū carbones ad hoc, vt accendātur in prunas, & ligna in ignē: lis enim aptè assimilatur igni, quandoque prunarum, quandoque flammæ: quoniam secundùm veritatem vrit, & consumit vtroque modo, magis, & minùs, prout maior, vel minor lis est.

Verba, & facta litigiosi, quibus assimilantur.

Vers. 22. Verba susurronis quasi simplicia, et ipsa perueniunt ad intima cordis. Iuxta Hebræum habetur: *Verba susurronis sicut percussiones: & ipsa descenderunt in cubicula ventris.* Repetitio est parabolæ scriptæ in cap.

cap. 18. Assimilantur enim delatorum verba percussionibus penetrantibus vsque ad intima ventris, eò quòd percutiunt animos, vsque ad intima cordis commouendo eos.

Vers. 23. QVOMODO SI ARGENTO ORNARE VELIS VAS FICTILE: SIC LABIA TVMENTIA CVM CORDE PESSIMO SOCIATA. Iuxta Hebræum habetur: *Argentum scoriarum coopertum super testam, labia comburentia, & cor malum.* Assimilatur coniunctio mali cordis cum labiis comburentibus, vasi fictili cum scoriis argenti cooperto. Et partes quidem hinc & inde facilè intelliguntur. *Labia enim comburentia*, sermones significant adurentes, seu succendentes alios ad mala: sed coniunctio argenti cum vase fictili obscura est. Crediderim enim ego intelligendum esse, quòd argenti scoria posita sit in vase fictili subter, & supra (hoc est, quòd contineatur in vase fictili, & cooperiatur vase fictili, quod appellatur assitectum,) & similitudo sit, quòd cor malum assimilatur scoriæ, & labia comburentia assimilantur fictilibus incensis igne purgante scoriam: coniunctio autem commotioni respondeat. Quemadmodum enim intus scoriam, & foris testa incensa iunguntur, & ambæ malæ sunt, ita cor malum, & labia ardentia iunguntur, & ambo iniqua sunt.

Vers. 24. LABIIS SVIS INTELLIGITVR INIMICVS: CVM IN CORDE TRACTAVERIT DOLOS. Congruentiùs legitur, *Labiis suis non cognoscetur osor: & intra se ponet dolum.* Ex hoc enim, quòd describitur continens dolum intra se, magis quadrat, vt non cognoscatur, quàm vt cognoscatur ex sermone odio habens aliquem: & hoc ideò dixerim, quia vtroque modo legi potest. Verùm legendo non cognoscetur, intellige, quòd cognoscetur tanquàm alter, non tanquàm odio habens. Huiusmodi enim cognitionem sonat Hebraica dictio: est enim sensus parabolæ, quòd quandoque osor sui, sermone præfert non osorem; & tamen intra se ponit dolum aduersùs eum. Vnde declarando, ac augendo hanc parabolam subiungit:

Vers. 25. QVANDO SVBMISERIT VOCEM SVAM, NE CREDIDERIS EI: QVONIAM SEPTEM NEQVITIÆ SVNT IN CORDE EIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Quia miserebitur voce sua, non credes ei: quia septem abominationes in corde eius.* Verè non cognoscetur in labiis suis osor: sed apparebit misericors, formans vocem commiserantis: sed non ideò credas ei, quia in corde eius vniuersæ latent abominationes.

Vers. 26. QVI OPERIT ODIVM FRAVDVLENTER, REVELABITVR MALITIA EIVS IN CONSILIO. Dictio interpretata, *fraudulenter*, sonat, *in silentio*. Et dictio interpretata, *consilio*, sonat, *congregatione*. Hactenus tractauit de odio occulto sub aliena specie, modò tractat de odio occultato sub silentio. Qui enim tacens odio aliquem habet, operit odium sub silentio, sed malitia eius detegetur in congregatione: quia distribuuntur honores, & onera ciuitatis: quia tunc loquetur, aut faciet aduersùs eum, quæ odit.

Amicus, vel osor in distributione honorum dignoscitur.

Vers. 27. QVI FODIT FOVEAM, INCIDET IN EAM: ET QVI VOLVIT LAPIDEM, REVERTETVR AD EVM. Vtrunque horum verificatur semper secundùm merita: quia fodiens foueam, vt alter cadat, meretur incidere in eam: & præsumens supra vires suas voluere saxum meretur, vt lapis motus reuertatur super eum. Verificatur autem facto, non semper, sed quandoque: sed vtrunque metaphoricè intelligendum est; videlicet, quòd parans alteri periculum, incidit in illud. Sæpè enim in aulis hoc accidit, & similiter voluens aliquem supra vires suas Principem aduersùs alium, sæpe ab eodem Principe opprimitur, vt pluries videmus.

Vers. 28. LINGVA FALLAX NON AMAT VERITATEM: ET OS LVBRICVM OPERATVR RVINAS. Iuxta Hebræum habetur: *Lingua mendax habebit odio contritiones suas: & os blandum faciet impulsionem.* Qui delectatur mendaciis, consequenter odio habet conterentes mendacia: & sermo blandus impellit animum; imò efficit in animo eius, cui blanditur, impulsionem, impetu expostulatum à blanditur.

CAPVT XXVII.

Vers. 1. NE GLORIERIS IN CRASTINVM: IGNORANS, QVID SVPERVENTVRA PARIAT DIES. Iuxta Hebræum habetur: *Non te laudabis in crastinum: quia nescies, quid pariat dies.* Quia ignorans, quid futurum sit cras, non potes te laudare de crastino opere, de crastina prosperitate, de crastino successu.

Vers. 2. LAVDET TE ALIENVS, ET NON OS TVVM: EXTRANEVS, ET NON LABIA TVA. Inhibuit laudem quoad tempus futurum, inhibet modò quoad personam laudantem: ne aliquis laudet seipsum: facilè enim fallitur homo in propriis meritis.

Quare nemo seipsum laudare debet.

Vers. 3. GRAVE EST SAXVM, ET ONEROSA ARENA: SED IRA STVLTI GRAVIOR VTROQVE. Ex sensibilium rerum comparatione declaratur, quòd intolerabilis sit ira stulti, hoc est, ira imprudentium: caret enim freno rationis.

Vers. 4. IRA NON HABET MISERICORDIAM, NEC ERVMPENS FVROR: ET IMPETVM CONCITATI SPIRITVS FERRE QVIS POTERIT? Iuxta Hebræum habetur: *Crudelitas ira, & inundatio furoris: & quis stabit coram inuidia?* Vitia vitiis comparantur, & crudelitas quidem attribuitur iræ: vindictam enim exercentes crudelitate vtuntur. Furori verò attribuitur prius quàm crudelitas, videlicet, inundatio, hoc est, impetus, & sæuitia ad instar impetus aquarum inundantium, quæ eradicant arbores, & occurrentia omnia non solùm submergunt, sed transportant: homines enim furore acti destruunt omnia promiscuè. Peior autem tam ira, quàm furore describitur inuidia, dicendo: Et quis stabit in facie inuidiæ? quasi dicat, nullus. Ira enim, & furor breui tempore transeunt, & quiescunt: inuidia autem quietem nescit, & insatiabilis est, vtpote quæ directè delectatur malo alterius, impatiens alieni boni.

Vitia vitiis comparata.

Vers. 5. MELIOR EST MANIFESTA CORRECTIO, QVAM AMOR ABSCONDITVS. Nam amor absconditus non prodest tibi: manifesta autem correctio vtilis est tibi.

Vers. 6. MELIORA SVNT VVLNERA DILIGENTIS, QVAM ODIENTIS FRAVDVLENTA OSCVLA. Iuxta Hebræum habetur: *Fideles percussiones amici, & multa oscula osoris.* Sensus parabolæ est, quòd etiam percussiones illatæ ab amico sunt fideles, sunt absque fraude, &

meliora

malitia, sunt propter bonum percussi: oscula verò osoris, quamuis sint multa, plena sunt fallaciæ: ex his enim antiquus Interpres transtulit sensum illum comparatiuum.

Vers. 7. ANIMA SATVRATA CALCABIT FAVVM: ET ANIMA ESVRIENS ETIAM AMARVM PRO DVLCI SVMET. Dictio interpretata, *calcabit*, sonat, *abominabitur*. Et parabola clara est. Et sermonis animæ, eò quòd de actionibus animæ sermo est. Abominari enim, & esurire, actus sunt animæ. Et tam propriè, quàm metaphoricè intellecta parabola inuenitur vera. Homo enim satur cibo, & potu, fastidio habet omnem cibum, quantumcunque delicatum; & homo famelicus cibum etiam amarum comedit tanquàm dulcem, eò quòd fames condimentum est omnis cibi. Et similiter homo valdè appetens rem aliquam, quodcunque expediens, quamuis difficile, attentat. Quò contrà satiatus appetibili aliquo, fastidio habet similia.

Fames, præcipuum condimentum.

Vers. 8. SICVT AVIS TRANSMIGRANS DE NIDO SVO: SIC VIR DERELINQVIT LOCVM SVVM. Dictio interpretata, *transmigrans*, sonat, *vagatur*. Et similiter dictio interpretata, *derelinquit*, sonat, *vagatur*. Et legendum est in ablatiuo, *à loco suo*. Et est sensus parabolæ: sicut auis à nido suo pulsa vagatur, quærendo locum pro nido: ita homo à loco suo recedens vagatur quærendo requiem. Et tendit parabola ad hoc, vt homo maneat in vocatione, qua vocatus est: maneat in gradu suo, maneat in officio suo, maneat in statu suo, ne contingat ipsum vagari animo, inquirendo gradum, statum, seu officium quietum.

Manere quisque in vocatione, qua quisque vocatus est. 1.Cor. 7.20.

Vers. 9. VNGVENTO, ET VARIIS ODORIBVS DELECTATVR COR: ET BONIS AMICI CONSILIIS ANIMA DVLCORATVR. Dictio interpretata, *variis odoribus*, sonat, *suffimento*. Quod vulgo dicimus, *profumar*. Secunda verò particula iuxta Hebræum habetur: *Et dulcedo amici sui de consilio animæ*. Vnguento enim vtebantur antiqui pro lætitia, & iucunditate vngentes caput, & barbam: suffimento autem etiam hodie vtuntur multi suffumigantes vestes pro odore, & vtrunque lætificat cor, circa quod sunt organa sensuum omnium, vt insinuat his Salomon, & posteà docuit Aristoteles. Delectabilia enim secundùm sensus, delectant cor fundans organa omnium sensuum. Istis assimilatur amicus, non quicunque, sed de consilio animæ, hoc est, de consilio desiderato: ita quòd amicus, cum desiderato consilio assimilatur vnguento, & suffimento: Lætificationi verò cordis assimilatur dulcedo proueniens ex amico consulente: quandoquidem nomine consilii animæ significare quoque possit consilium ex animo ad differentiam consilij facti, quàm superficialis: dulce siquidem est consilium amici ex animo, ex interno amore amicitiæ procedens.

Sensibile delectabile cor lætificat.

Consilium amici dulce.

Vers. 10. AMICVM TVVM, ET AMICVM PATRIS TVI NE DIMISERIS, ET DOMVM FRATRIS TVI NE INGREDIARIS IN DIE AFFLICTIONIS TVÆ. Secūda particula iuxta Hebræum habetur: *Et domus fratris tui non venies in die fractionis tuæ*. Ex eo enim, quòd non secundæ, sed tertiæ personæ est verbum interpretatum, veniet, oportet domum interpretari in casu nominatiuo. Et quadrat lectio ista primæ particulæ parabolæ: quadrat enim, vt antiquus amicus (vel patris tui, & tuus) non derelinquatur: quia contingit familiam fratris tui relinquere te in die fractionis tuæ. Ac si apertiùs dixisset: Amicus patris tui, & tuus, veniet in die contritionis tuæ, quamuis familia fratris tui non veniet. Et verè sæpè hoc accidit, vt antiquus amicus visitet afflictum, quem consanguinei, seu affines deserunt.

Suam ... & sic potest etiam verti, iuxta alios ... veterem quare non debemus dimittere.

MELIOR EST VICINVS IVXTA, QVAM FRATER PROCVL. Dictio interpretata, *iuxta*, sonat, *propinquum*: & dictio interpretata, *procul*, sonat, *longinquum*. Sententia est clara: quia vicinus propè potest opem ferre: frater autem procul existens non potest.

STVDE SAPIENTIÆ, FILI MI: ET LÆTIFICA COR MEVM: VT POSSIS EXPROBRANTI RESPONDERE SERMONEM. Sententia redditur, si dictio interpretata, *possis*, legatur in prima persona, *possim*. Et dictio interpretata, *exprobranti*, sonat, *opprobranti*. Et est sermo de vituperantibus patrem in filiis, vtpote ignauis, aut insipientibus, & huiusmodi. Huiusmodi enim iniuriis obuiatur, si filius sapit: & præter hoc lætificatur cor patris, ita quòd sapientia filij & prodest patri, & pellit opprobria. Vers. 11.

ASTVTVS VIDENS MALVM ABSCONDITVS EST: PARVVLI TRANSEVNTES SVSTINVERVNT DISPENDIA. Dictio interpretata, *astutus*, sonat, *ingeniosus*. Et dictio interpretata, *paruuli*, sonat, *simplices*. Et est repetitio parabolæ scriptæ in cap. 2. Vers. 12.

TOLLE VESTIMENTVM EIVS, QVI SPOPONDIT PRO EXTRANEO: ET PRO ALIENIS AVFER EI PIGNVS. Dictio interpretata, *alienis*, sonat, *aliena*; proculdubiò mulier: comprehendit enim vtrunque sexum; & repetitur parabola scripta cap. 20. Vers. 13.

QVI BENEDICIT PROXIMO SVO VOCE GRANDI DE NOCTE CONSVRGENS, MALEDICENTI SIMILIS ERIT. Dictiones interpretatæ, *de nocte consurgens*, sonant, *manè diluculando*, hoc est, manè surgendo, seu veniendo. Quod autem dicitur, *maledicenti similis erit*, iuxta Hebræum legitur: *Maledictio reputabitur illi*. Et ratio est: quia salutans illa hora voce magna excitat illum à somno autore multùm grato. Vers. 14.

TECTA PERSTILLANTIA IN DIE FRIGORIS, ET LITIGIOSA MVLIER COMPARANTVR. Iuxta Hebræum habetur: *Gutta perseuerans in die siccitatis, & vxor litigiosa adæquata sunt*. Gutta perseuerans appellatur, multitudo guttarum stillantium ex tecto intra domum: sunt enim valdè molestæ habitantibus in illa domo, & tantò molestiores sunt, si pluit in die siccitatis; hoc est, tempore, quo desideratur siccitas: nam, si desideraretur pluuia, temperaret tribulationem guttarum lætitia desideratæ pluuiæ: huiusmodi enim tribulationi domesticæ adæquatur vxor litigiosa: est enim non minùs viro molesta vxor talis. Vers. 15.

QVI RETINET EAM, QVASI QVI VENTVM TENEAT: ET OLEVM DEXTERÆ SVÆ EVOCABIT. Iuxta Hebræum habetur: *Abscondens eam abscondit ventum: & oleum dextera sua vocabit*. Incurabilis significatur vxor litigiosa: quia nec absconsione in aula, nec retentione in loco arcto curari potest: occultare nanque eam perinde est, ac si occultares ventum; & restringere eam est, tanquam restringere oleum manu dextera: & oleum enim si restringatur manu, elabitur: propterea describitur dextera vocans oleum, velut elapsum; ventus autem nō patitur occultari. Vers. 16.

Vxor litigiosa, malum incurabile.

 FERRVM

Vers. 17. FERRVM FERRO ACVITVR: ET HOMO EXACVIT FACIEM AMICI SVI. Dictio interpretata, *exacuit*, sonat, *acuitur*, ita quòd legendum esset: Et homo acuitur coram socio suo. Experientia testatur, quòd homines inuicem conuersando, conferendo, negotiando, disputando, acuuntur, solitariis remanentibus in sua hebetudine.

Homo conuersando acuitur.

Vers. 18. QVI SERVAT FICVM, COMEDET FRVCTVS EIVS: ET QVI CVSTOS EST DOMINI SVI, GLORIFICABITVR. Dictio interpretata, *glorificabitur*, sonat, *honorabitur*; proculdubiò à domino suo, ab aliis cognoscentibus fidem, ac curam eius erga personam domini. Parabola clara est.

Vers. 19. QVOMODO IN AQVIS RESPLENDENT VVLTVS PROSPICIENTIVM: SIC CORDA HOMINVM MANIFESTA SVNT PRVDENTIBVS. Iuxta Hebræum habetur: *Sicut aquarum facies ad facies sic cor hominis ad hominem.* Absque verbo quocunque scribitur parabola hæc; & propterea Interpretes diuersi Expositoris officio fungentes diuersa verba inseruerunt textui. Tendit parabola hæc ad reuocandum ad mentis oculos hominem, quòd cor cuiusque hominis tale est, quale ipse homo efficit illud. Assimilatur siquidem cor hominis relatum ad hominem, cuius est cor, aquis affectis faciebus relatiuè ad facies, à quibus resultant facies in aquis. Et consistit similitudo in hoc, quòd quemadmodum facies in aquis (hoc est, similitudines facierum) sunt à faciebus, quæ verè sunt facies; ita cor hominis (hoc est, intima hominis) sunt ab ipso homine, & verificatur similitudo secundùm interiorem partem, tam cognoscitiuam, quàm appetitiuam. Similitudines enim, quæ sunt in intellectu, & phantasia, sunt ab homine per sensus exteriores ingerente illas partibus internis: & similiter dispositiones diuersarum affectionum in voluntate, & appetitu sunt ab homine, in cuius signum ex frequentatis actibus generatur habitus. Docet itaque Salomon, vt non culpes intima tua, sed teipsum: quia intima tua resultant ex te, & pendent à te, quemadmodum facies in aquis pendent à faciebus, à quibus imprimuntur. Meminit autem potiùs aquarum, quàm speculi: quia humidi est facilè recipere: aqua enim humidissima assumpta est, ad insinuandum humiditatem organorum internorum: ex qua habent, quòd facilè recipiunt similitudines, vt Physici tradunt.

[illegible marginal note]

Vers. 20. INFERNVS, ET PERDITIO NON REPLENTVR: ET SIMILITER OCVLI HOMINVM INSATIABILES. Parum refert, quòd dictio interpretata, *Infernus*, sonat, *fouea*. Nam, siue intelliges foueam Inferni expositam per adiunctam perditionem, siue foueam sepulcri, & interitum, verificatur insatiabilitas: oculi quoque hominis, tam corporis, quàm mentis, nunquam satiantur, sed anhelant semper ad videndum noua.

Vers. 21. QVOMODO PROBATVR IN CONFLATORIO ARGENTVM, ET IN FORNACE AVRVM: SIC PROBATVR HOMO ORE LAVDANTIS. Sensus redditur, & vis laudum declaratur ex hoc, quòd assimilatur purgatoriis auri, & argenti. Laus enim probat laudatum ex hoc, quòd laudatus in seipsum reflectitur considerando, an verificentur laudes eius, & si inuenit non verificari, nititur ad hoc, vt verificentur: & sic purgatur ab imperfectionibus suis: si autem laudes verificantur, & non extollitur animo, est tanquàm argentum, & aurum probatum, vtpote constantia [illegible] suæ probitatis.

Quomodo laus probet [illegible].

COR INIQVI EXQVIRIT MALA: COR AVTEM RECTVM EXQVIRIT SCIENTIAM. Clausula hæc superflua est: quia in Hebræo nō habetur.

Vers. 22. SI CONTVDERIS STVLTVM IN PILA, QVASI PTISANAS FERIENTE DESVPER PILO: NON AVFERETVR AB EO STVLTITIA EIVS. Sensus redditur, & incurabilis quorundam stultitia declaratur quibuscunque flagellis, ac verberibus, dicendo hyperbolicè, quòd si stultus fuerit contusus in mortario, in medio eorum, quæ contunduntur pilo, non propterea recedet ab eo stultitia eius: vt intelligas, quòd omnis attritio vana est.

Stultitia [illegible].

Vers. 23. DILIGENTER AGNOSCE VVLTVM PECORIS TVI, TVOSQVE GREGES CONSIDERA. Parum refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Sciendo scies vultum pecoris tui pone cor tuum ad greges.* Ab ista particula, vsque ad finem capituli, instruit Salomon filium domesticam curam, inchoando à cura gregum, vt agnoscat qualitatem, & quantitatem pecorum suorum. qualitas enim in vultu; numerus autem in gregibus perpēditur.

Vers. 24. NON ENIM HABEBIS IVGITER POTESTATEM, SED CORONA TRIBVETVR TIBI IN GENERATIONE, ET GENERATIONEM. Rectiùs legitur prima particula: *Quia non semper diuitiæ.* Secunda verò clarè sonat: *Et an corona ad generationem, & generationem.* Et est sensus, quòd diuitiæ non sunt sempiternæ: & dubium est, an etiam corona regni perseueret in filiis, & nepotibus, pronepotibus, & sic deinceps. Et scito, quòd particula ista intelligenda est in principio, vel in fine totius istius instructionis domesticæ prouidentiæ. Nam hæc clausula rationem reddit, quare necessaria est ista prouidentia domestica: quia, videlicet, nec diuitiæ sunt sempiternæ, nec successio filiorum in regno est certa. Si enim diuitiæ alicuius essent sempiternæ, non esset opus, quòd prouidentia eius occuparetur circa hæc sigillatim, vt hic distinguuntur: & multò minùs esset opus, si corona, seu dominium esset certum quoad successionem.

Regna, corona [illegible].

Vers. 25. APERTA SVNT PRATA, ET APPARVERVNT HERBÆ VIRENTES: ET COLLECTA SVNT FOENA DE MONTIBVS. Post curam qualitatis, & quantitatis pecorum, ad curam fœni & herbarum pro pastu pecorum transit. Et ex montibus, & pratis herbas prouidendas docet tempore congruo.

Vers. 26. AGNI SVNT AD VESTIMENTVM: ET HOEDI AD AGRI PRETIVM. Dictio interpretata, *hœdi*, sonat, *arietes*. Instruit consequenter filium, vt lanam pecudum seruet pro indumentis domus suæ: pretium verò arietum venalium conuertat ad emendum agrum.

Vers. 27. SVFFICIAT TIBI LAC CAPRARVM IN CIBOS TVOS, ET IN NECESSARIA DOMVS TVÆ: ET AD VICTVM ANCILLIS TVIS. Parùm refert, quòd in Hebræo habetur: *Pro pane tuo, pro pane domus tuæ, & vita puellarum tuarum.* Certum est, quòd appellatione lactis intelligitur non solùm lac, sed caseus, ac butyrum: verùm autem intelligantur etiam hœdi lactentes, non est clarum. Meminit autem caprarum, non quòd de capris solis intendat loqui; sed de lacte vaccarum, & ouium vsque ad lac caprarum: hæc enim partim in substantia, & partim in pretio casei, butyri, & lactis, quæ venduntur, mādat sufficere oblonis domus eius. Crediderim ego alias subiunctas fuisse instructiones à Salomone circa prouidentiam domesticam per singula, sed caret nos illis.

CAPVT

CAPVT XXVIII.

Vers. 1. FVGIT IMPIVS, NEMINE PERSEQVENTE: IVSTVS AVTEM QVASI LEO CONFIDENS ABSQVE TERRORE ERIT. Sensus redditur, quamuis Interpres addiderit vltima verba (videlicet, *absque terrore erit*,) & leunculum mutauerit in leonem. Sæpè contingit, quòd impius conscius propriæ iniquitatis fugit interno actus timore, nullo externo persecutore fugante ipsum. Quò contrà iustus certus suæ innocentiæ, etiamsi exterreatur ab aliquo, constanter confidens manet instar leonis magnanimi, & nullius pauentis occursum.

Quare impius pauidus, & iustus confidens.

Vers. 2. PROPTER PECCATA TERRÆ MVLTI PRINCIPES EIVS: ET PROPTER HOMINIS SAPIENTIAM, ET HORVM SCIENTIAM, QVÆ DICVNTVR, VITA DVCIS LONGIOR ERIT. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et in homine intelligente sciente sic prolongabitur.* Et primæ quidem particulæ sensus clarus est, si (vt Hebræi sonant) nomine peccatorum intelligas rebelliones: est enim sensus, quòd dissensiones causant multitudinem dominorum, quod quotidie videmus: & in regno Israël apparuit, tum post mortem Saulis, tum post mortem Salomonis. Secundæ verò particulæ sensus subobscurus est: si tamen considerauerimus, quòd è regione primæ particulæ collocatur, apparebit, quòd sensus est, & terra hominibus vigentibus intelligentia, & scientia prolongabitur terra sic; hoc est, indiuisa, non scissa in multos dominos. E regione siquidem rebellionum & dissensionum describuntur homines acumine intellectus penetrantes futurum malum scissionis, & scientes damna, quæ sequuntur: ac per hoc studentes vnitati, & paci terræ: tales enim homines faciunt prolongari regimen sic, hoc est, absque diuisione.

Vnde sit mutabilitas operantium.

Vers. 3. VIR PAVPER CALVMNIANS PAVPERES, SIMILIS EST IMBRI VEHEMENTI, IN QVO PARATVR FAMES. Iuxta Hebræum habetur: *Vir pauper, & fraudans pauperes, pluuia inundans, & non panis.* Officium pluuiæ regulariter est vtile ad producendum panem; hoc est, ea, quæ sunt necessaria ad victum. Et propterea pluuia inundans sic, quòd non est vtilis agris pro pane, est pluuia cum multorum damno absque vtilitate alicuius: & tali pluuiæ assimilatur vir pauper exercens fraudes in pauperes: nam infert damnum multis pauperibus, & ipse non efficitur diues; sed etiam est pauper, ac per hoc est tanquam nulli vtilis, & multis nocens.

Pauper fraudans pauperes, nulli vtilis, & multis nocens.

Vers. 4. QVI DERELINQVVNT LEGEM, LAVDANT IMPIVM: QVI CVSTODIVNT, SVCCENDVNTVR CONTRA EVM. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Custodientes legem excitabuntur contra eos.* Naturale est, vt non seruantes legem Dei laudent sibi similes impios. Quò contrà seruantes diuinam legem insurgunt aduersus impios, tam intus, quàm foris, hoc est, tam in ciuitate, seu regno, quàm extra: & directè sermo iste aduersùs religionem lege Moysi descriptam loqui videtur, qualis apparuerunt, & tempore Machabæorum, & tempore multorum Regum.

Vers. 5. VIRI MALI NON COGITANT IVDICIVM: QVI AVTEM REQVIRVNT DOMINVM, ANIMADVERTVNT OMNIA. Dictio interpretata, *cogitant*, & similiter dictio interpretata, *animaduertunt*, sonat, *intelligent*. Et nominatur tetragrammaton. Magna disparitas intelligentiæ describitur, dum viri mali, nec iudicium intelligunt, nec penetrant ius debitum vnicuique, excæcante eos malitia eorum. Et hoc verum est de cognitione practica, qua iudicant iudicia iniusta: & quandoque verificatur etiam de cognitione speculatiua. Quò contrà viri quærentes Iehouah, (hoc est, ea, quæ sunt grata summo Deo,) intelligent omnia, intelligent non solùm iudicium, sed omnia, quæ ad bonum prosequendum, vel malum vitandum morale spectant.

MELIOR EST PAVPER AMBVLANS IN SIMPLICITATE SVA, QVAM DIVES IN PRAVIS ITINERIBVS. Sensus redditur. Dictio tamen interpretata, *simplicitate*, sonat, *perfectione*. Præponiturque paupertas comitata perfectione diuitiis cum iniquitate: & vtilius reipublicæ describitur studium, ac opus pauperis præditi virtute, quàm diuitis tortuosa studia, & opera. Vers. 6.

QVI CVSTODIT LEGEM, FILIVS SAPIENS EST: QVI AVTEM PASCIT COMESSATORES, CONFVNDIT PATREM SVVM. Sensus redditur. Dictio tamen interpretata, *sapiens*, sonat, *intelligens*. Confunditur autem pater ex filio prodigo erga comessatores: eò quod mali filij mores redundant in erubescentiam patris. Vers. 7.

QVI COACERVAT DIVITIAS VSVRA, ET FOENORE LIBERALI, IN PAVPERES CONGREGAT EOS. Dictio interpretata, *fœnore liberali*, sonat, *multiplicatione*. Et dictio interpretata, *vsura*, sonat, *morsu*: quia in libris sacris Hebræorum vsura nominatur morsus in detestationem vsurarij lucri. Duo autem modi iniusti lucrandi ex mutuo tanguntur: alter est per vsuram, alter per multiplicationem: vt si mutuando centum, scribitur debitum, centum quinquaginta. Dictio autem interpretata, *in pauperes*, sonat, *miserentis pauperum*. Prædicit Salomon, quòd eueniet oppositum eius, quod intendit, & facit vsurarius: nam ipse mordet eos pauperum indigentium mutuo: & iusto Dei iudicio diuitiæ eius peruenient ad virum miserentem pauperum, vel dum ex timore Dei restituit pauperibus, vel aliàs misericordia erga pauperes vtitur. Vers. 8.

vsura.

QVI DECLINAT AVREM SVAM, NE AVDIAT LEGEM: ORATIO EIVS ERIT EXECRABILIS. Parui refert, quòd secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Etiam oratio eius abominatio*. Certè, quantum damnum ingerat non audire diuinam legem; quia etiam oratio illius est apud Deum abominatio. Æquum est enim, vt recusans audire Deum loquentem in sua lege, recusetur à Deo, quum ipse alloquitur Deum orando. Vers. 9.

QVI DECIPIT IVSTOS IN VIA MALA, IN INTERITV SVO CORRVET: ET SIMPLICES POSSIDEBVNT BONA EIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Faciens errare rectos in via mala, in foueam suam ipse cadet: & perfecti hæreditabunt bonum.* Metaphoricus est sermo parabolæ huius. Ad instar facientis errare recta via incedentem in viam malam describuntur, qui rectos fallendo distinguunt ad malum aliquod, & eorum pœna describitur cadere in propriam foueam, hoc est, incidere in malum, ad quod rectos ducunt. Et hinc apparet, quòd de malo pœnæ est sermo, & similiter Vers. 10.

similiter de bono vtili, & delectabili subiungi-
tur: *Et perfecti hæreditabunt bonum.* quod veri-
ficatur (vt sæpè dictum est) tum secundùm
merita; quia perfecti merentur hæreditario iu-
re habere bona, & patrum bonorum, & alio-
rum iniquorum, qui non sunt digni pane, quo
vescuntur: tum secundùm statum, & promis-
siones veteris legis.

Vers. 11 SAPIENS SIBI VIDETVR VIR DIVES: PAVPER AVTEM PRVDENS SCRVTABITVR EVM. Dictio interpretata, *prudens*, sonat, *intelligens*. Significatur enim, quòd pauper vigens acumine intelligendi explorat intellectu suo, an diues verè sapiat, & compereins, quòd non verè sapit, sed reputat se sapere, vtitur eo, tanquàm tali.

Vers. 12 IN EXVLTATIONE IVSTORVM MVLTA GLORIA EST: REGNANTIBVS IMPIIS RVINÆ HOMINVM. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et surgentibus impiis mutabitur homo.* Quotidiana experientia attestatur vtrique particulæ: mutari enim homines intus, & extra videmus, quum impij surgunt ad regendum, & dominandum: omittunt enim negotia, & timent, &c.

Vers. 13 QVI ABSCONDIT SCELERA SVA, NON DIRIGETVR: QVI AVTEM CONFESSVS FVERIT, ET RELIQVERIT EA, MISERICORDIAM CONSEQVETVR. Dictio interpretata, *dirigetur*, sonat, *prosperabitur*. Et parabola hæc, quàmuis sæpè verificetur inter homines in confessione, vel negatione extra iudicium: (nam negantes se offendisse relinquimus sibi ipsis: quum tamen offenderint, abijcimus à nobis: agnoscentibus autem propriam culpam, & deserentibus illam, corrigendo veniam damus;) infallibiliter tamen verificatur relatiuè ad Deum: nam Deus veniam dat confitentibus peccata sua, & derelinquentibus ea: occultantes autem (hoc est, ad instar occultantium non agnoscentes peccata propria,) relinquit Deus sibiipsis absque largitione prosperitatis, proculdubiò spiritualis, & quandoque corporeæ.

Vers. 14 BEATVS HOMO, QVI SEMPER EST PAVIDVS: QVI VERÒ MENTIS EST DVRÆ, CORRVET IN MALVM. Parum refert, quòd dictio interpretata, *mentis*, sonat, *cordis*. Relatiuè ad Deum intellige hanc parabolam. Beatus est enim in spe, qui iugiter timet à diuinis iudicijs. Magnipendit enim diuinam iustitiam, & suorum merita peccatorum. Quò contrà indurans cor proprium. (ita quòd non cedit reuelationibus in lege scriptis de diuina iustitia,) corruet in malum æternæ miseriæ.

Vers. 15 LEO RVGIENS, ET VRSVS ESVRIENS; PRINCEPS IMPIVS SVPER POPVLVM PAVPEREM. Parabola potiùs exigit commiserationem, quàm expositionem: frequens enim experientia manifestat illam.

Vers. 16 DVX INDIGENS PRVDENTIA MVLTOS OPPRIMIT PER CALVMNIAM: QVI AVTEM ODIT AVARITIAM, LONGI FIENT DIES EIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Dux deficiens intelligentiis, & multus fraudum. osor auaritiæ prolongabit dies.* Et est sensus: Dux minùs intelligens causas, & causarum rationes eorum, quæ occurrunt agenda, similis est duci multarum fraudum. Assimilatur enim quoad effectum: nam vterque infert populo multa damna: ille ex ignauia, iste ex industria. Dux autem osor auaritiæ, (quia latus est,) prolongabit dies, hoc est, merebitur prolongationem dierum vitæ suæ. Vtilis enim est valdè reipublicæ, & populis. E regione vtriusque ducis scribitur dux osor auaritiæ: quia nullum damnum infert, ambo autem illi nocent multis.

Vers. 17 HOMINEM, QVI CALVMNIATVR ANIMÆ SANGVINEM, SI VSQVE AD LACVM FVGERIT, NEMO SVSTINET. Iuxta Hebræum habetur: *Homo fraudator in sanguine animæ, vsque ad puteum fugit, non sustentabunt eum.* Et est sensus: Homo fraudulenter homicida fugiet vsque ad puteum tribulationis, & non inueniet sustentantem eum: odiosus enim omnibus describitur ex eo, quòd fraudulenter occidit hominem.

Vers. 18 QVI AMBVLAT SIMPLICITER, SALVVS ERIT: QVI PERVERSIS GRADITVR VIIS, CONCIDET SEMEL. Dictio interpretata, *simpliciter*, sonat, *perfectus*. Secunda verò particula iuxta Hebræum habetur: *Et transuersans vias cadet in vna.* Qui enim ad instar vertentis iter in multas diuersas vias, ac per hoc exponentis se periculo cadendi in vna earum inanitetur studia, ac operationes suas, facilè cadet in vna earum. Quò contrà ambulans in integritate sua in sola integritatis via saluabitur à casu, & malo.

Vers. 19 QVI OPERATVR TERRAM SVAM, SATIABITVR PANIBVS: QVI AVTEM SECTATVR OTIVM, REPLEBITVR EGESTATE. Dictio interpretata, *otium*, sonat, *inanes*. Et appellantur viri vacui, qui sunt otiosi, vtpote vacui virtutibus, industrijs, & artibus: & repetitur parabola scripta cap. 12.

VIR FIDELIS MVLTVM LAVDABITVR: QVI AVTEM FESTINAT DITARI, NON ERIT INNOCENS. Iuxta Hebræum habetur: *Vir fidelitatum multus benedictionum: & festinans vt ditescat, non mundabitur.* Vir enim nunquam fallens aliquem, sed cuilibet fidelis, tam verbis, quàm factis, vir fidelitatum appellatur, & multis benedictionibus eum omnes prosequuntur: de festinante verò ad diuitias dicitur, quòd non mundabitur, non erit mundus, quoniam ipsa festinatio diuitiarum accusat aliquam turpitudinem lucri. Et insinuatur minùs fidelis ex hoc, quòd tanquàm è regione fidelis collocatur: peccant enim tales fallendo multos. Vers. 20

QVI COGNOSCIT IN IVDICIO FACIEM, NON BENEFACIT: ISTE ET PRO BVCCELLA PANIS DESERIT VERITATEM. Parum refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Respicere faciem non bonum: & super buccellam panis præuaricabitur vir.* Vitium acceptionis personarum detestatur, & absolutè, & relatiuè ad minima munera, quod, videlicet, pro paruo lucro (significato per buccellam panis) homo præuaricatur vitio acceptionis personarum. Vers. 21.

VIR, QVI FESTINAT DITARI, ET ALIIS INVIDET, IGNORAT, QVOD EGESTAS SVPERVENIAT EI. Iuxta Hebræum habetur: *Festinans ad diuitias vir malus oculo: & nesciuit, quod defectus veniet eo.* Dicitur, quòd festinans ditari non erit mundus: declarat modò immunditiam eius, tum quoad voluntatem, describendo eum esse malum, esseque malæ intentionis, malè vti oculo mentis suæ, vtpote cum nocumento aliorum; tum quoad intellectum describendo eum nescire, quòd defectus veniet ei, hoc est, quòd diuitiæ sunt valdè caducæ, & deficient, quando minùs credit. Vers. 22.

QVI CORRIPIT HOMINEM, GRATIAM POSTEA

EA INVENIET APVD EVM, MAGIS QVAM ILLE, QVI PER LINGVÆ BLANDIMENTA DECIPIT. Expositio est: nam iuxta Hebræum breuiter dicitur: *Corripiens hominem postea gratiam inueniet, magis quam blandiens lingua.* Sæpè contingit, quòd homo consideret, tum arguentem, tum blandientem: & animaduertat, quòd arguens magis illum diligit, quàm blandiens: & proptereà magis beneuolum, ac beneficum exhibet se posteà corripienti, quàm blandienti. Et hoc præcipuè verificatur apud dominos, & alios Primates prudentes, dum secum meditantur, & ponderant, quòd arguens dixit veritatem, & bonum quærit eius, quem arguit.

Aduertunt prudentes Primates.

Vers. 24. QVI SVBTRAHIT ALIQVID A PATRE SVO, ET A MATRE, ET DICIT, HOC NON ESSE PECCATVM: PARTICEPS HOMICIDÆ EST. Iuxta Hebræum habetur: *Prædans patrem suum, & matrem suam, & dicens, non crimen: socius ipse viro destructori.* Officium siquidem dissipatoris exercet filius prædando patrem, aut matrem tanta animi securitate, vt dicat non esse crimen, quod facit. Destructores enim ciuitatis, seu domus simili securitate destruunt.

Vers. 25. QVI SE IACTAT, ET DILATAT, IVRGIA CONCITAT: QVI VERÒ SPERAT IN DOMINO, SALVABITVR. Iuxta Hebræum habetur: *Latus animo excitabit litem: & sperans super Iehouah impinguabitur.* Latus animo reputat animum suum sufficere ad quæcunque capessenda: & proptereà facilè incitat ad litem. Quò contrà sperans non in animi sui latitudine, sed in summo Deo, impinguabitur absque litibus, prosperabitur Deo fauente illi.

Vers. 26. QVI CONFIDIT IN CORDE SVO, STVLTVS EST: QVI AVTEM GRADITVR SAPIENTER, IPSE LAVDABITVR. Dictio interpretata, *laudabitur*, sonat, *euadet.* Confidens in corde suo non solùm excitat lites, sed etiam stultus describitur: quia cor hominis non sufficit ad seruandum eum, nec à periculis, & malis præsentis vitæ, nec à futuræ vitæ. Quò contrà ambulans in sapientia, habens pro duce in via huius vitæ, non animum suum, sed sapientiam, ipse euadet ab imminentibus malis, & in præsenti vita, & in futura.

Confidentia in corde suo, & ambulantes in sapientia dissimiles exitus.

Vers. 27. QVI DAT PAVPERI, NON INDIGEBIT: QVI DESPICIT DEPRECANTEM, SVSTINEBIT PENVRIAM. Iuxta Hebræum habetur: *Danti pauperi non defectus: & celans oculos suos multus maledictionum.* Diuina promissio est, quòd danti pauperibus non deficiet, quod necessarium est ad victum vestitúmque dantis. Auertens autem oculos suos à paupere tanquam occultans oculos suos, replebitur maledicentiis, vt experientia testatur.

Vers. 28. QVVM SVRREXERINT IMPII, ABSCONDENTVR HOMINES: QVVM ILLI PERIERINT, MVLTIPLICABVNTVR IVSTI. Exaltatio impiorum manifestè parit absconsionem eorum, qui probi, & pacem sectantur: quoniam timent sibi ab impiis. Quò contrà multiplicabuntur iusti excluso timore, quum impij perierint.

CAPVT XXIX.

Vers. 1. VIR QVI CORRIPIENTEM DVRA CERVICE CONTEMNIT, REPENTINVS EI SVPERVENIET INTERITVS, ET EVM SANITAS NON SEQVETVR. Iuxta Hebræum habetur: *Vir increpationum indurans ceruicem, subitò frangetur, & non sanitas.* Quia increpatus vir, & corrigens se, attendit, ne incidat in mala, studétque cauere à periculis, consequens est, vt vir increpationum, (hoc est, frequenter increpatus,) & indurans ceruicem non sit cautus, non metuat à periculis, & imminentibus malis: & ideò exponit se multorum malorum occursibus: & proptereà de eo dicitur, quòd repentè frangetur absque remedio. Verisimile enim est, vt qui increpationibus indiget, & eas dura ceruice contemnit, incidat repentè in malum aliquod, (siue corporis, siue rerum,) cui non potest obuiam ire: & proptereà dicitur, *& non sanitas.*

Exitus contemnentium, & increpationum.

Vers. 2. IN MVLTIPLICATIONE IVSTORVM LÆTABITVR VVLGVS: QVVM IMPII SVMPSERINT PRINCIPATVM, GEMET POPVLVS. Dictio interpretata, *multiplicatione*, sonat quoque, *grandescere.* Et magis quadrat secundæ particulæ, quòd legatur: *Grandescentibus iustis lætabitur populus.* Nam è regione dominij impiorum, hoc scribitur: dominio autem impiorum opponitur, quòd grandescant iusti. Patet quoque referre, quòd dictio interpretata, *gemet*, sonat, *suspirabit.* Et sensus parabolæ clarus est.

Vers. 3. VIR, QVI AMAT SAPIENTIAM, LÆTIFICAT PATREM SVVM: QVI AVTEM NVTRIT SCORTVM, PERDET SVBSTANTIAM, hoc est, opes. Oportet enim multum habere Thaidem: & in Euangelio filius prodigus dissipauit substantiam suam cum meretricibus.

Vers. 4. REX IVSTVS ERIGIT TERRAM: VIR AVARVS DESTRVET EAM. Iuxta Hebræum habetur: *Rex in iudicio faciet stare terram: & vir eleuationum diruet eam.* Clarum est, quòd Rex ius suum vnicuique tribuens, facit populum terræ stare rectum. Quò contrà, si Rex est vir eleuationum, (hoc est, susceptor munerum, quæ *eleuationes* vocantur, quia tanquàm eleuentur, offeruntur Regibus:) talis Rex diruit terram, hoc est, populos terræ: quia non est locus iuri, sed donis.

Vers. 5. HOMO, QVI BLANDIS, FICTISQVE SERMONIBVS LOQVITVR AMICO SVO; RETE EXPANDIT GRESSIBVS EIVS. Interpres addidit fictionem: nam Hebraicè fit mentio blanditiarum duntaxat. Et est sensus, quòd blandiens expandit rete ad capiendum blanditiis animum amici sui, ad illaqueandum gressus (hoc est, affectus) eius. Blanditiæ enim alliciunt affectus hominis ad blandientem, & impediunt dispositos affectus ad ea, quæ displicent blandienti.

Blandus amicus.

Vers. 6. PECCANTEM VIRVM INIQVVM INVOLVET LAQVEVS: ET IVSTVS LÆTABITVR, ATQVE GAVDEBIT. Iuxta Hebræum habetur: *In scelere hominis malus laqueus: & iustus cantabit, & gaudebit.* Et est sensus, quòd scelus hominis parit ei malum laqueum, seu malam impactionem. Et hoc sæpè videmus: multos enim propter sua flagitia incidere in laqueos malos variorum tormentorum, & occisionis, videmus: & iusti videntes gaudent intùs, & cantant exterioribus signis lætitiæ, laudando diuina iudicia: scriptum est enim: *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam.* Psal. 57.11.

Vers. 7. NOVIT IVSTVS CAVSAM PAVPERVM: IMPIVS IGNORAT SCIENTIAM. Dictio interpretata, *causam*, sonat, *iudicium.* Et dictio interpretata, *ignorat*, sonat, *non intelliget.* Inter iustum, & impium relatiuè ad iudicium pauperum, describitur

describitur disparitas penes hoc, quòd iustus applicat se ad cognoscendum ius pauperum, studetque, donec cognoscat illud: impius autem non intelliget scientiam, non curat penetrare vsque ad scientiam iuris pauperum: quia impius est.

Vers. 8. HOMINES PESTILENTES DISSIPANT CIVITATES: SAPIENTES VERÒ AVERTVNT FVROREM. Prima particula iuxta Hebræum habetur: *Homines derisores facient sufflare ciuitatem*. Sæpe hoc accidit, quòd homines derisores legum, & morum, commouent ciuitatem, & faciunt eam sufflare ad instar sufflantis minari, atque fremere, rebellare: viri autem sapientes auertunt excitatum furorem. Et hoc quoque sæpè accidit.

Vers. 9. VIR SAPIENS SI CVM STVLTO CONTENDERIT, SIVE IRASCATVR, SIVE RIDEAT, NON INVENIET REQVIEM. Iuxta Hebræum habetur: *Vir sapiens iudicatus cum viro stulto, & fremet, & ridebit, & non requies*. De viro sapiente non sponte miscente se cum stulto, sed indicato cum stulto (hoc est, vocato ad iudicium in. . .) describitur sapiens. . . siue agat vehementem, siue agat ridentem, ad hoc, vt motem gerat stulto, non propterea assequitur . . . : quia non sequitur requies stulti ex sapientis sermone, nec ex sapientis ai. . . , hoc est, iucundo & . . . sermone, sicut nec ex . . . responsione.

Vers. 10. VIRI SANGVINVM ODERVNT SIMPLICEM: IVSTI AVTEM QVÆRVNT ANIMAM EIVS. Dictio interpretata, *simplicem*, sonat, *perfectum*. Consonat viris sanguinum odium virorum integrorum: quia istorum vita contraria est illis. Qui contra rectè quærent vitam hominis perfecti seruare.

Vers. 11. TOTVM SPIRITVM SVVM PROFERT STVLTVS: SAPIENS AVTEM DIFFERT, ET RESERVAT IN POSTERVM. Secunda particula sic habetur: *Et sapiens in posterum*. . . . Et spiritum est enim fœminini generis in Hebræo . . . Stultus verbo pronomen, sicut est spiritus . . . ad quæ impellitur ab animo dicenda profert absque fræno: quia stultus est, & impetu agitur: sed sapiens . . . spiritum . . . , & . . . verba in posterum, partim dicentem, & partim reticentem, vt congruo tempore proferat.

Vers. 12. PRINCEPS, QVI LIBENTER AVDIT VERBA MENDACII, OMNES MINISTROS HABET IMPIOS. Sensus redditur. & parabola clara est, vera. . . comprobatur: quoniam seruitores . . . imitantur domini mores, & deteriores illo fiunt.

Vers. 13. PAVPER, ET CREDITOR OBVIAVERVNT SIBI: VTRIVSQVE ILLVMINATOR EST DOMINVS. Iuxta Hebræum habetur: *Pauper, & vir fractionum obuiauerunt sibi: & illuminans oculos amborum Iehouah*. Et est sensus, quòd pauper, & vir passus multa damna, cui multæ occurrerunt fractiones in facultatibus, vel honoribus, &c. obuiauerunt sibi tanquam conformes. Afflictus enim afflicto facilè iungitur, tanquam se inuicem consolando, propter quam consolationem subiungitur, quòd Deus illuminat ambos ad patienter ferendum mala (ille paupertatis, iste damnorum) propter diuina iudicia. Illuminat enim eos ad referendum omnia ad diuinæ prouidentiæ beneplacitum.

Vers. 14. REX, QVI IVDICAT PAVPERES IN VERITATE: THRONVS EIVS IN ÆTERNVM FIRMABITVR. Parum refert, quòd dictio interpretata *firmabitur*, sonat, *dirigetur*. Meretur enim Rex iudicans in veritate pauperes, vt sedem eius in æternum dirigat: quia, quantum ex Rege pauperi . . . cìo est, ipse dirigit in sempiternum regnum illius: nam, qui in veritate iudicat pauperem, multò magis iudicat alios in veritate.

Vers. 15. VIRGA, ATQVE CORRECTIO TRIBVIT SAPIENTIAM: PVER AVTEM, QVI DIMITTITVR VOLVNTATI SVÆ, CONFVNDIT MATREM SVAM. Interpretes addidit, *voluntati suæ*; in Hebræo enim solummodo scribitur, *puer dimissus*, hoc est, derelictus à correctione, & virga. Ætas enim puerilis prona est ad mala, & vana, & propterea eget, vt corrigatur verbis, & si hæc non sufficiunt, castigetur virga ad hoc, vt fiat sapiens.

Vers. 16. IN MVLTIPLICATIONE IMPIORVM MVLTIPLICABVNTVR SCELERA: ET IVSTI RVINAS EORVM VIDEBVNT. Expectat Deus certam mensuram iniquitatum ad hoc, vt puniat impios, prout ipse reuelauit Abrahæ: & proptereà hic dicitur, quòd iusti videbunt casum impiorum multiplicatis impiis, & sceleribus.

Vers. 17. ERVDI FILIVM TVVM, ET REFRIGERABIT TE: ET DABIT DELICIAS ANIMÆ TVÆ. Dictio interpretata, *refrigerabit*, sonat, *faciet quiescere*. Eruditus enim filius dat quietem patri suo, qui de inerudito filio sollicitatur: & non solùm dat quietem; sed etiam afficit eum longè delectabilioribus animo, quàm delectat corporea: affectus siquidem læti, deliciæ sunt animæ.

Vers. 18. CVM PROPHETIA DEFECERIT, DISSIPABITVR POPVLVS: QVI VERÒ CVSTODIT LEGEM, BEATVS EST. Prima particula iuxta Hebræum habetur: *In non visione nudabitur populus*. Secunda particula insinuat sensum primæ, de quali defectione, seu nuditate est sermo, videlicet, de nuditate à decore legis. Nudatur siquidem populus à moribus legalibus (hoc est, mandatis diuinæ legis) non existente visione; hoc est, cessantibus reuelationibus diuinis, quæ percipiuntur per visiones imaginarias, aut intellectuales, siue in somnis, siue in vigilia. Assuetus siquidem populus ad consulendum Deum, & ad habendum responsa à Deo, quando priuatur huiusmodi responsionibus relinquit præcepta legis, & diuertit ad magos, & ariolos, vt fecit Rex Saul circa finem vitæ suæ, vt fecerunt Iudæi circa tempus Machabæorum. Nudantes enim se decore legis diuinæ transierunt ad mores gentium. Hunc esse germanum sensum, è regione posita particula secunda manifestat dicendo: *Et custodiens legem beatus ipse*. Qui deficientibus visionibus perseuerat in obseruatione legis diuinæ, prædicatur peculiariter beatus; quia & verè est beatus ipse; & ex oppositis eius beatitudo magis elucescit.

Vers. 19. SERVVS VERBIS NON POTEST ERVDIRI: QVIA QVOD DICIS, INTELLIGIT, ET RESPONDERE CONTEMNIT. Iuxta Hebræum habetur: *Verbis non erudietur seruus; quia intelliget, & non responsio*. Ratio, quare verba non sufficiunt ad erudiendum seruum; sed oportet addere verbera, redditur; quia, quamuis intelligat eruditionem; non tamen correspondet seruilis animus eruditioni: leuior siquidem est medicina. Valentiorem exposcit seruilis morbus medicinam: & proptereà describitur non respondens.

VIDISTI,

Vers. 20. VIDISTI HOMINEM VELOCEM AD LOQVENDVM. STVLTITIA MAGIS SPERANDA EST, QVAM ILLIVS CORRECTIO. Iuxta Hebræum habetur: *Vidisti virum festinantem in verbis suis: spes de stulto magis, quam de illo.* Festinatio in sermone potest intelligi dupliciter: vel in prolatione, hoc est, quia festinanter verbum verbo iungit, & de huiusmodi festinatione non est hic sermo: vel in applicatione ad loquendum; quia, videlicet, præcipiti mente promptus est ad loquendum. & de hac festinatione est hic sermo: & detestatur eam Salomon vsque adeò, vt stultum præferat huiusmodi viro præcipiti. Difficiliorem enim censet curam præcipitis, quàm insipientis: quoniam præceps ex defectu consilij, & malo habitu peccat; stultus autem ex defectu solo.

Quare præceps in sermone difficile corrigitur.

Vers. 21. QVI DELICATE A PVERITIA NVTRIT SERVVM SVVM: POSTEA SENTIET ILLVM CONTVMACEM. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *In nouissimo suo erit dominus.* Dictio tamen interpretata, *dominus*, sonat etiam, *filius*. Et est sensus, quòd seruus deliciis assuetus à pueritia, dedignabitur exercere seruilia officia; & audebit ingerere se tanquàm dominum; hoc est, ad officia domini percipiendum aliis, vel tanquàm filium ad officia filij exercenda.

Seruus contumax.

Vers. 22. VIR IRACVNDVS PROVOCAT RIXAS: ET QVI AD INDIGNANDVM FACILIS EST, ERIT AD PECCATA PROCLIVIOR. Iuxta Hebræum habetur: *Vir furoris prouocabit litem: & vir iræ multum sceleris.* Prima particula clara est. In secunda autem ira pro affectu vindictæ sumitur. Et est sensus, quòd vir vindictæ prouocat multum sceleris, hoc est, multitudinem scelerum: hoc enim sæpè accidit: quoniam & in suis adiutoribus, & in aduersariis occasio est multorum criminum, qui ad vindictam tendit.

Vers. 23. SVPERBVM SEQVITVR HVMILITAS: ET HVMILEM SPIRITV SVSCIPIET GLORIA. Clarius iuxta Hebræum habetur: *Superbia hominis humiliabit eum: & humilis spiritu sustentabit honorem.* Valdè propinqua est parabola hæc euangelicæ sententiæ: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur; & qui se humiliat, exaltabitur.* Superbia, inquit, hominis humiliabit eum, hoc est, meritorio, & occasio est, vt homo humilietur. Quò contrà humilis spiritu nihil perdet honoris: sed humilitas spiritus eius fulcit meritoriè & facto honorem hominis: è regione siquidem humiliationis ponitur fulcire honorem, vt intelligas, quòd superbus perdet honorem. Et quia è regione superbiæ ponitur humilis spiritu, consequens est, vt è regione vitij superbiæ collocetur virtus humilitatis appellata humilitas spiritus.

Conformis parabola euangelicæ sententiæ.

Luc. 14 & 18.

Vers. 24. QVI CVM FVRE PARTICIPAT, ODIT ANIMAM SVAM: ADIVRANTEM AVDIT, ET NON INDICAT. Significatur non particeps furti, sed particeps rei furatæ. Et duo peccata illius scribuntur: alterum, quòd partem capit rei alienæ: alterum, quòd non manifestat furem audiens maledicta, & execrationes, quæ fiunt adiurando scientes furem: & propter vtrumque peccatum dicitur de eo, quòd odio habet propriam animam; vt pote volens illi malum æternæ damnationis.

Duo mortalia peccata participantis cum fure.

Vers. 25. QVI TIMET HOMINEM, CITÒ CORRVET: QVI SPERAT IN DOMINO, SVBLEVABITVR. Iuxta Hebræum habetur: *Tremor hominis dabit impedimentum: & sperans in Iehouah roborabitur.* Valdè timens hominem, ita quòd non solùm timet, sed tremit, facilè impingit, seu incidit in laqueum vehementi timore actus. Et est sermo de casu, seu laqueo peccati. Quò contrà sperans in Iehouah (ac per hoc non extremens ab homine, ac per hoc à timiditatis vitio alienus,) roborabitur animo ab ipso summo Deo, & non impinget in offendiculum alicuius peccati.

Timor hominis, causa peccati.

MVLTI REQVIRVNT FACIEM PRINCIPIS: ET IVDICIVM A DOMINO EGREDITVR SINGVLORVM. Sensus redditur: culpat Salomon cæcitatem humanam quoad hoc, quòd multitudo hominum prona est ad quærendum faciem, (hoc est, serenum vultum domini sui:) & non sic quærit faciem Iehouah; à quo tamen pendet, & egreditur iudicium vniuscuiusque. Ac si apertiùs dixisset, currunt ad gratiam Principis, qui est Iudex eorum; & non currunt ad gratiam Dei, à quo pendet omne iudicium. Vers. 26.

ABOMINANTVR IVSTI VIRVM IMPIVM, ET ABOMINANTVR IMPII EOS, QVI IN RECTA SVNT VIA. Sententia redditur, clariùs tamen sonat Hebræa: *Abominatio iustorum, vir iniquitatis: & abominatio impij, recta via.* Habet in se vir iniquitatis, vnde reddatur abominabilis apud iustos: sed rectus via huius vitæ non est ex parte sui abominabilis apud impios, sed ex mala dispositione hominum impiorum. Vers. 27.

Quare impius abominabilis iusto, & iustus impio.

VERBVM CVSTODIENS FILIVS EXTRA PERDITIONEM ERIT. Hæc clausula superflua est: quia in Hebræo non habetur.

CAPVT XXX.

SCITO, prudens lector, quòd principium huius trigesimi capituli est titulus, & à multis creditur, quòd sint in hoc titulo multa nomina propria; à multis verò, quòd sint dictiones appellatiuæ: & propterea vtranque lectionem referendam duxi. Prima itaque lectio est: *Verba Agur, filij Iaceh, prophetia dictum viri Ithiel: Ithiel & Vchal.* Hic est titulus secundùm putatores, Agur, Iaceh, Ithiel, & Vchal esse nomina propria virorum: significans, quòd Agur, filius Iaceh dixit subiuncta ad Ithiel, & Vchal. Et secundùm hanc lectionem Salomon inseruit parabolis suis dicta Agur ad Ithielem, & Vchal. Altera lectio est iuxta vulgatam editionem.

Expositio Aben Ezra.

VERBA CONGREGANTIS FILII VOMENTIS: VISIO, QVAM LOCVTVS EST VIR, CVM QVO EST DEVS: ET QVI DEO SECVM MORANTE CONFORTATVS AIT. Sed iuxta Hebraicam veritatem lectio est ista: *Verba collecti filij vomentis, prophetia dictum viri per mecum El: per mecum El: & potero.* Hæc est altera lectio de verbo ad verbum respondens Hebraico textui vtendo dictionibus omnibus pro appellatiuis. Et hæc lectio præferenda est. Tum, quia certa præferenda sunt incertis: incertum est enim, an prædicta fuerint nomina propria virorum: certum est autem, quòd appellatiuè intelligi possunt. Tum, quia subiuncta quadrant huic lectioni, vt patebit. Difficile autem est ad amussim iungere subiuncta primæ lectioni. Quia igitur de scientia Sanctorum tractaturus est Salomon, ideò specialem titulum Vers. 1.

præposuit

[illegible] proposuit declarantem qualitatem subiun[illegible] : videlicet, quòd sunt prophetica : & hoc [illegible] ad differentiam parabolarum, quæ sunt doctrinæ moralis : declarantem quoque, à quo [illegible] hanc prophetiam, videlicet, à Deo [illegible] : modum nihilominus declarantem, quo [illegible] prophetica hæc habuit, videlicet, collecto in se [illegible] prophetica hæc habuit, videlicet, collecto in se [illegible] : & modum denique, quo protulit [illegible] : & modum denique, quo protulit [illegible] hæc, videlicet, ad instar vomentis : & demum effectum subsequutum in eo ex Deo [illegible] : & potero. Hæc enim quinque in hoc [illegible] manifestantur. Vide singula : verba [illegible] procul dubio subiuncta sunt collecti in seipsum : quum enim homo eleuatur in spiritu, colligitur totus in seipsum : abstrahitur enim ab vsu exteriorum sensuum. *Filij vomentis*, abundantis vomitu appellatur *Filius perseuerantis* [illegible], Hebræo more : sicut dicitur *filius nuptiarum*, filius [illegible]. Repletam mentem suam [illegible] donibus diuinis per hoc significat Salomon : ita quòd ad instar abundantis vomitu cogitur [illegible] foras, quæ collecto spiritu didicit. [illegible] hæc [illegible], quòd huiusmodi reuelationes factæ [illegible] ad hoc, vt manifestet illas ad Dei gloriam, & hominum vtilitatem. Qualia autem sint verba, aperit subiungendo, *propheticæ*. Ap[illegible] positione enim legendum est, sicut & sequens particula, videlicet : *Dictum viri per mecum El*. [illegible] ne putares humana admonitione, aut Spiritu diabolico prophetiam hic esse, manifestat, quòd prophetia hæc est *dictum viri per mecum El*, hoc est, dictum viri mei ipsius, non ex me, sed per El mecum, hoc est, per Deum fortem mecum. Simile quid dixit Apostolus : *Gratia Dei mecum*. Et dicendo, *mecum*, declarat, quòd non [illegible] [illegible] modum acceperit habuit hanc prophetiam. [illegible] acceperunt à Diabolo multa dicunt nescientibus ipsis quid dicant, loquente Diabolo per eos [illegible] [illegible] : ad excludendum, inquam, huiusmodi modum dicit, *per El mecum*. Aperit enim, quòd ipse concurrit ad cooperandum Deo [illegible] autem *per mecum El*, vel significat pluribus vicibus secum sibi reuelasse subiunctis, vna vice [illegible] vinum, & aliud : vel ad sequens verbum videlicet, *potero*, refert. Et est sensus, quòd, *per El mecum*, non solum prædictas sum prophetias, sed *per El mecum* etiam potero ea, quæ sunt & [illegible], & religionis factis comprobare.

2 Stultissimus sum virorum. Iuxta Hebr. habetur : *Quia stultior ego viro*. Sic incipit [illegible] [illegible] huius capituli. Et quoniam in subiunctione nihil habetur, ad quod referatur coniunctio, [illegible] ; ideò ad præcedentia oportet eam referri. Et redditur ratio, quare prædictis duobus donis, videlicet, prophetiæ, & facultatis benè operandi, donatus est. Redditur autem ratio ex dispositione triplici ipsius Salomonis, quarum prima est virtus humilitatis explicata in agnitione, & professione hac : *Stultior ego viro*. Paulus Apostolus ad Phil. 2. manifestat humilitatis actum, ut superiores sibi inuicem arbitrari. Talem humilitatis actum exercet Salomon dicendo : *Stultior ego viro* : præfert enim alios sibi. Nec mentitur, quoniam non est sermo de stultitia, quæ est vitium, nec de stultitia, quæ est defectus naturalis ingenij sed de stultitia vt negatiuè opponitur sapientiæ humanæ. & est sensus : Quia ego, [illegible] est ex parte mea, stultiorum, stultitiam me agnosco, & profiteor viro, hoc est, viris secundum communem cadem. Quemadmodum enim pensans vires proprias ex seipso, [illegible] secundum donum Dei, agnoscit se infe[illegible] [illegible] cæteris ; & bonitatem propriam pensans [illegible] agnoscit reliquos meliores se : ita rationes [illegible] [illegible] vsum pensans ex seipso, agnoscit se [illegible] [illegible] alijs. Reddit itaque rationem [illegible] [illegible] tum in se, ex propria humilitate dicens [illegible] *tior ego viro*. *Deus enim dat gratiam hum[illegible]*

Et sapientia hominum non est [illegible] non didici sapientiam. Iuxta Hebræum habetur : *Et non intelligentia hominis mihi* [illegible] *didici sapientiam*. Secunda ratio dictorum [illegible] ex parte intellectus : virtus enim [illegible] est in voluntate · & propterea prim[illegible] ex parte voluntatis adiungit rationem [illegible] intellectus, tum quod negationem [illegible] humanæ, tum quod negationem [illegible] relatiuè ad sapientiam humanam. Duo [illegible] humanæ scientiæ. Alter dicendo [illegible] verbo, vel scripto : & hæc excludit [illegible] do : *Et non didici sapientiam*. Alter [illegible] ex naturali intellectus lumine : & [illegible] dicendo : *Et non intelligentia hom[illegible]* Esse autem hanc rationem donorum [illegible] testatur Dominus in Euangelio : [illegible] *Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus* [illegible] *dentibus*.

Et noui scientiam sanctorum. [illegible] Hebræum habetur : *Et scientiam sanctorum* [illegible]. Tertia est hæc ratio dictorum donorum [illegible] tertia, quia studio peruenit vtcet ad [illegible] scientiam, non sanctorum hominum, [illegible] sanctorum, quales sunt scientiæ, & [illegible] lege Dei. Par est enim, vt hominibus, & non [illegible] humana sapientia, studiosis autem erga [illegible] cta, *Deus det gratias* prophetiæ, & bonorum operum, *ad confundendum sapientes* [illegible], vt Paulus scripsit Corinthiis. Incipit autem manifestare materiam scientiæ sanctorum [illegible] gens: 1. Cor. 1.

Quis ascendit in cælum, atque descendit? Pauci referunt, quod Hebraice [illegible] habetur in cælum, sed sine præpositione, [illegible]. Nec admiratiuè, vel interrogatiuè sumitur [illegible], sed enunciatiuè, quemadmodum sumitur [illegible] dicimus. Indicabo tibi, quis ille est, qui fecit hoc. Hunc enim esse germanum sensum omnium subiunctorum manifestat particula in calce subiuncta, vt ibi patebit. Supponit autem pro Deo [illegible], & est sensus. Quis ad instar ascendentis cælos, & descendentis eos instituit? Videmus enim astra (hoc est, Solem, Lunam, & stellas) ascendere ab Oriente ad Meridiem, & descendere à Meridie ad Occidentem. Et propterea Deus institutor, & primus motor describitur, tanquam ascenderit cælos, & descenderit: & verificatur in motibus astrorum. Quamuis enim Deus in seipso non ascenderit cælos, & descenderit : in effectibus tamen suis cælestibus à principio mundi ascendit cælos, & descendit. & propterea verbis præteriti temporis vtitur Salomon dicendo. *Quis ascendit cælos, & descendit?* Vers. 4

Quis continuit spiritum in manibus suis? Iuxta Hebr. habetur: *Quis colliget ventum in [illegible] pugillis suis?* Post effectus Dei in cælis, subiungit effectus Dei in aëre. Gradatim enim descendit sermo iste, & Deus similiter supponitur [illegible]. *Quis colliget ventum* [illegible]. Plura siquidem particulas [illegible] ponenda de elemento aëris [illegible] metaphoricè per aliquem [illegible] ventus in [illegible] proprie

propriis pugillis. In Deo enim nulla membra corporea sunt, sed metaphoricè attribuuntur hæc Deo ad significandum aliquid simile, non in ipso Deo, sed in effectu. Quemadmodum enim colligens aliquid recondit in pugillo suo, & se longè excellentiorem collectæ, & minimum quid rem collectam esse, (vtpote conclusam pugillo,) & plenum dominium disponendi de re illa manifestat: ita Deus describitur instar colligentis ventum in pugillis suis.

QVIS COLLIGAVIT AQVAS QVASI IN VESTIMENTO? Interpres addidit, *quasi*. Ab aere descendit ad aquas, & Deus supponitur per relatiuum, *quis*, & ad instar ligantis aquas in veste, seu panno, describitur instituisse generationem aquarum. Nam, quemadmodum aquæ ligatæ in panno sic continentur, quòd effluunt: ita & aquæ, tum pluuiales generantur tanquàm fluentes ex nubibus, tum aquæ fluminum generantur ex intimis montium, tanquàm ex illis effluentes.

QVIS SVSCITAVIT OMNES TERMINOS TERRÆ? Dictio interpretata, *suscitauit*, sonat, *eleuauit*. Ad terram postremò descendit, vt omnes vniuersi corporei primas partes complectatur. Et Deus significatur eleuans terram super aquas, prout
Gen. 1. 9. scriptum est in principio Genesis: *Congregentur aquæ in locum vnum, & appareat arida*. Hoc enim factum est, eleuando quasdam partes terræ ad hoc, vt essent excelsiores aquis. Istæ enim excelsiores partes appellantur termini terræ: quia separant aridam à maribus.

QVOD NOMEN EST EIVS? Post propositum Deum, vt actorem, & gubernatorem vniuersorum corporum, proponit nomen ipsius Dei, non secundùm seipsum, (quia Deus est innominabilis;) sed secundùm quod innotescit & Angelis, & hominibus per reuelationem. Multipliciter enim in sacra Scriptura sic nominatur.

ET QVOD NOMEN FILII EIVS, SI NOSTI. Iuxta Hebræum habetur: *Et quod nomen Filij eius, quia scies*. Aduerte, prudens lector, & pondera hæc vltima verba, videlicet, *quia scies*: quoniam ex istis pendet sensus germanus præmissorum: est enim sensus: Quia scies ista sex, videlicet, quis ascendit cælos, & descendit, quis collegit ventum; quis ligauit aquas; quis eleuauit terram; quod nomen eius; & quod nomen Filij eius: scientia enim Sanctorum dat scire hæc. Scies enim in scientia Sanctorum, quòd Deus est ille, qui est actor, & gubernator cælestium, & elementorum. Et non errabis cum negantibus diuinam prouidentiam, cum negantibus creationem cælorum, & elementorum à Deo: scies
Mysterium Personarum in Trinitate. quoque nomen Dei, quod secundùm veritatem conuenit illi; & non errabis cum nominantibus Deum, Iouem, Saturnum, Martem, &c. Scies diuinum mysterium plurium Personarum in vna diuina substantia: nam scies nomen Filij Dei, & proculdubiò non ficti, sed veri Filij Dei; ac per hoc scies nomen Patris, & Filij in Deo: Filius enim nequit intelligi sine Patre. Scies autem nomen Filij eius; hoc est, quæ sunt nomina, quæ verè conueniunt Filio eius: puta, quòd consubstantialis Patri, quòd est verus Deus, quòd est æqualis Patri, &c. Et non errabis cum
Quæque in Deo sunt, in illis sex annis comprehenduntur. negantibus nomē consubstantialis, nomen Dei, nomen æqualis, &c. Et si diligenter perspexeris, vniuersa, quæ Dei sunt, in istis comprehenduntur. Nam in primis quatuor Deus, vt actor, & gubernator; in quinto Deus, quatenus
Caietan. in S. Script. Tom. III. secundùm

essentiam; & in sexto Deus secundùm mysterium Trinitatis significatur cognoscendus in scientia Sanctorum.

OMNIS SERMO DEI IGNITVS: CLYPEVS EST OMNIBVS SPERANTIBVS IN SE. Iuxta Hebr. habetur prima particula: *Omne dictum Elohe purgatum*. De ipsa Sanctorum scientia, quæ diuinæ innititur reuelationi, consequenter subiungit, quantæ sit veritatis, ac efficaciæ, & sufficientiæ, & authoritatis: monstrata enim dictæ scientiæ materia, consequens fuit, vt monstraret illius veritatem: & congruit sententia hæc Psalmo canenti: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, purgatum septies*. Nominat autem Deum *Elohe*: quia de Deo, quatenus legislator, intendit dicere, quòd vniuersa dicta à Deo, qui dedit legem populo Israël, sunt tanquàm purgata igne, nihil scoriarum habentia, sed veritatem puram retinentia: nec sunt solummodò puræ veritatis, sed, quod amplius est, protegunt tanquàm scutum sperantes omnes in Deo. Et verificatur hæc protectio, non solùm relatiuè ad homines aduersantes, sed etiam relatiuè ad Dæmones. Ad quod manifestandum Iesus Christus non alio vsus est scuto aduersus tentantem Diabolum, quàm sacræ Scripturæ eloquiis. Et Moyses dixit filiis Israël de diuina lege. *Hæc est intellectus, & sapientia vestra coram populis*. Vers. 5. Psal. 11. 7. Matt. 4. 4. Deu. 4. 6.

NE ADDAS QVICQVAM VERBIS ILLIVS: & ARGVARIS, INVENIARISQVE MENDAX. Iuxta Hebræum habetur: *Non addes super verbis eius, ne quando arguat te, & eris mentitus*. Ecce sufficientia legis cum authoritate: sufficientia enim significatur prohibendo additionem: ideò enim non est addendum; quia sufficiunt dicta Dei. Et hæc ratio tenet se ex parte dictorum Dei: altera autem tenet se ex crimine addentis, & explicitè scribitur dicendo: *Ne quando Deus increpet te, & eris mentitus*. hoc est, & conuincat te in crimine mendacij: verè nanque mentitur, qui dictis sacræ Scripturæ addit: quia illa, quæ addit, publicat nomine Dei (hoc est, tanquam dicta à Deo:) cùm tamen Deus non dixerit illa. Vers. 6. Quare mentitur, qui addit verbis sacræ Scripturæ.

DVO ROGAVI TE, NE DENEGES MIHI, ANTEQVAM MORIAR. Sententia redditur, nec saltat Salomon, sed postquàm docuit, qualis secundùm partem intellectiuam esse debet studiosus in lege Domini, consequenter manifestat, qualis debet esse secundùm partem appetitiuam: in persona siquidem huiusmodi viri manifestat appetitum ex petitione: postulatio enim interpres est appetitus. Fatetur autem, se postulasse à Deo duo, quæ subiunguntur: postulasse autem, non ad mensem, aut ad annum; sed ad vniuersum tempus vitæ suæ: hoc enim significatur dicendo: *Ne deneges mihi, antequàm moriar*. quod clarius sonat Hebraica: *Non prohibeas a me, priusquàm moriar*. hoc est, donec viuam. Vers. 7. Postulatio, interpres est appetitus.

VANITATEM, ET VERBA MENDACII LONGE FAC A ME: MENDICITATEM, ET DIVITIAS NE DEDERIS MIHI. Dictio interpretata, *vanitatem*, sonat, *falsitatem*. Et dictio interpretata, *mendicitatem*, sonat, *paupertatem*. Ecce duo desiderata, & postulata: primum excludit vitium fictionis, tam facto, quàm verbo: facto quidē dicendo, *falsitatem*: verbo autem, dicendo, *& verba mendacij*: secundum autem spectat ad rectum statum secundùm opes, excludendo status extremos ambos (videlicet, paupertatis, & diuitiarum) & postulando statum medium. Vers. 8. Duo desiderata à Salomone.

Hhh 2 TRIBVS

Tribve tamen victvi meo necessaria. Iuxta Hebræum habetur: *Ale me pane statuti mei.* Hoc est, ale me cibo congruo mihi secundùm statum meum. Et hoc adiunctum est ad integritatem secundæ petitionis.

Vers. 9. Ne forte satiatus illiciar ad negandum: et dicam: Qvis est Dominvs? Rationem reddit, quare petit negationem diuitiarum, ex hoc, quòd satur opum euanescit, & tam insolens fit, vt mentiatur (hoc est, vt peccet facilè;) & paulatim deducitur ad dicendum: *Quis Iehouah?* hoc est, ad blasphemandum Deum, ad non cognoscendum summum Deum. Hæc enim vitia parit opulentia. Dictio interpretata, *illiciar ad negandum*, sonat, *& mentiar.* Quo vocabulo vtuntur Hebræi ad significandum transgressionem diuinorum mandatorum.

Vitia quæ parit opulentia.

Avt egestate compvlsvs fvrer: et periurem nomen Dei mei. Iuxta Hebræum habetur: *Et ne quando efficiar pauper, & furabor: & assumam nomen Eloha mei.* Rationem reddit, quare postulauit negationem paupertatis, ex duplici similiter crimine: videlicet, ne paupertas ducat eum ad furandum: & posteà ad periurium, negando se accepisse rem alienam: hæc enim vitia parit paupertas. Et in istis perspice, prudens lector, quàm rectus sit appetitus iste, quàm recta sit oratio iste, horrens tam paupertatem, quàm diuitias, propter pericula, cùm peccandi, tum offendendi directè Deum.

Vitia paupertatis.

Vers. 10. Ne accvsas servvm ad dominvm svvm: ne forte maledicat tibi, et corrvas. Parui refert, quòd dictio interpretata, *accuses*, sonat, *deferas.* Et dictio interpretata, *corruas*, sonat, *delinques, seu, culpaberis.* Quæstio non dissimulanda occurrit, quorsum hæc, quæ subiunguntur documenta moralia, tendunt hoc in loco sub titulo prophetiæ? Solutio mihi occurrens est, quòd descripto Propheta studioso in scientia Sanctorum, tam secundùm partem intellectiuam, quàm secundùm partem appetitiuam, incipit Salomon exercere Prophetæ officium, & miscet prophetica moralibus, vt consueuerunt Prophetæ, vt patet in Isaie, Ieremia, & Ezechiele. Vt dicamus itaque ad Prophetæ officium spectare nō solum vaticinari, sed etiam admonere de moralibus: multa subiungit documenta moralia sub prophetico titulo. Admonet itaque, vt non sis delator verborum, vel factorum serui apud dominum eius: & rationem reddit: Nequando seruus delatus maledicat tibi, (hoc est, maledica lingua vtatur aduersùs te, dicendo, te esse virum malum, te fecisse sic, & sic:) & inde delinques: hoc est, tanquàm delinquens habearis, ac in culpa reputeris, seu innotescas; & sic malum reportes ex eo, quòd delator fuisti. Et quamuis delatio serui nominetur; extenditur tamen documentum hoc ad delationem cuiuscunque: eò quòd ratio in litera reddita communis est omnibus delatis. Consueuerunt enim euomere mala, quæ sciunt eorum, qui detulerunt, & quandoque imputare illis mala, quæ non fecerunt.

Quæstio.

Solutio.

Propheta officium.

Delatores mala audiunt.

Vers. 11. Generatio, qvæ patri svo maledicit: et qvæ matri svæ non benedicit. Quatuor generationes hominum iniquorum subiunguntur. An autem *generationis* nomine intelligatur *genus* (vt sit sensus, *genus hominum*;) vel natiuitas, (vt sit sensus, quòd à natiuitate sunt tales; hoc est, quòd nascuntur inclinati ad huiusmodi vitia,) certum non est: vterque sensus capax est Literæ: & vterque in seipso verus est: nam & inueniuntur hæc quatuor genera iniquorum: & verum est, quòd multi nascuntur inclinati ad huiusmodi vitia, quemadmodum multi nascuntur inclinati ad poesim, multi ad agriculturam, multi ad militiam, &c. Ait itaque, quòd inuenitur generatio hominum patri non benedicentium, & patri maledicentium.

Quatuor hominum iniquorum genera.

Vers. 12. Generatio, qvæ sibi mvnda videtvr: et tamen non est lota a sordibvs svis. Sententia redditur. Affirmatur enim inueniri generationem hominum perseuerantium in sordibus peccatorum suorum; & tamen mundorum in propriis oculis, hoc est, reputantium se mundos. Accidit autem huiusmodi cæcitas, vel ex ignorantia sordis: putà, si reputaret furtum non esse peccatum, & perseueraret in furto: & iuxta hunc modum gentiles idololatræ erant mundi in oculis suis: & non loti à sordibus idololatriæ. Vel ex ignorantia affectata: iuxta quem modum Primates Iudæorum persequentes Christum erant mundi in oculis suis; & tamen in sordibus.

Secunda generatio est mundorum in propriis oculis, qui tamen depositi non sunt.

Vers. 13. Generatio, cvivs excelsi svnt ocvli: et palpebræ eivs in alta svrrectæ svnt. Post generationes impiorum, & cæcorum, generatio scribitur superborum ex eleuatione oculorum ad celsiora, quæ modum eius excedant: & ex eleuatione palpebrarum, ne impediant intuitum. Superbi enim eleuantur ad vtrunque, videlicet, ad tollendum impedimenta, & ad inhiandum excelsa.

Vers. 14. Generatio, qvæ pro dentibvs gladios habet, et commandit molaribvs svis: vt comedat inopes de terra, et pavperes ex hominibvs. Dictio interpretata, *commandit*, sonat alteram gladiorum speciem: & legendum est, *Et cultri molares eius.* Generatio opprimentium pauperes quarto loco describitur à dentibus scindentibus cibum, tanquàm gladiis; & à molaribus mandentibus officio nescio quorum gladiorum: & fortè significantur gladij concerentes carnes, & herbas tanquàm mandentes. Ambo itaque officia dentium (videlicet, scindere, & mandere) ad comedendum requisita proculdubiò significantur, & ad eorum instar oppressores pauperum, & scindunt, & mandunt res aliorum ad comedendum pauperes indigenas terræ, & misellos ex quacunque natione.

Vers. 15. Sangvisvgæ dvæ svnt filiæ dicentes, affer, affer. Interpres addidit, *dicentes:* Hebraicè enim habetur: *Sanguisugæ duæ filiæ, da, da.* Auaritia describitur ad instar sanguisugæ cum duabus filiabus, quarum vtraque vocatur, *da*: quia auaritia per seipsam fugit res aliorum, tum fraude, tum vi; & præter hoc vendit, tum iustitiam, tum gratiam: & propterea ambæ filiæ vocantur, *da*: putà, si vis iustitiam, da: & si vis gratiam, da.

Duæ filiæ auaritiæ.

Tria svnt insatiabilia: et qvartvm, qvod nvnqvam dicit, svfficit. Iuxta Hebr. habetur: *Tria ipsa non saturabuntur, quatuor non dixerunt diuitias.* Sic iacet in Hebræo. Non enim scribitur quartum, sed quatuor, ad nullam inter ista subiuncta significandum ordinem. Quartum enim nomen est ordinis numeralis: quatuor autem nomen est numeri absque ordine. Et est sensus, quòd genera eorum, quæ insatiabilia præmissis tribus surgunt in quatuor.

Quòd

[illegible] subiungitur, [illegible] dimitte [illegible] est significans, quòd hæc postrema [illegible] quantùmcunque habeant, & abu[illegible] nunquam dicunt, [illegible]: nunquam ad in[illegible] se agnoscant, sed semper [illegible] is ha[illegible] mes præsentus.

Infernus, et os vulvæ, et terra, quæ non satiatur aqua; ignis verò nunquam dicit, sufficit. Iuxta Hebræum habetur: *Infernus, & angustia vulvæ, terra non satiata aqua: & ignis non dixit, dimitte.* De fouea sepulcri est sermo: & est sensus, quòd mors nunquam satiatur. *Angustia vulvæ*, mulier sterilis [illegible], cò [illegible] vulua, id est, matrix, eius nunquam dis[illegible] [illegible] pariendo prolem: ad differentiam [illegible] fecundarum vuluarum, quæ plenæ [illegible] mulieribus grauidis, dicitur: quia natura[illegible] non appetunt concubitum, sed sunt quem[illegible] admodum stomachus plenus cibo, vt Physici tradunt. Terra verò non satiata aquis, [illegible] elementum terræ significat, quod si omnibus man[illegible] aquis tegeretur, non satiaretur aquis: quia [illegible] partes [illegible]. De igne autem manifestum est, quòd nunquam di[illegible] *dimitte*, quantacunque apponantur combu[illegible] [illegible]. Sed quia hæc [illegible] sunt, nec propheta [illegible] moralia sunt, oportet ea [illegible] dicta esse [illegible] [illegible] quidem insatiabile, morale ad cuan[illegible] [illegible] hominum, vt [illegible] lem esse, & memor sit de nouissima sua, non pec[illegible] cet. Ignis autem finali dinem [illegible] gehennæ internalis: illa enim nunquam dicit, *dimitte*, quantacunque sit multitudo damnatorum. Duo autem media, (videlicet, sterilis vulua, & terra selata ad aquas) duo insatiabilia vitia signifi[illegible] cant. vulua enim sterilis delectationem præci[illegible] pue venereum significat, (insatiabilis quippe est appetitus delectabilis; loc. vt Poëta scribit, *lassata quidem, sed non satiata recessit.* Terra demum [illegible] vinum significat: quamuis enim appetitus [illegible] mensuram habeat, odium tamen insa[illegible] tiabile est, modo, atque mensura omni caret. Et quantumcunque fruatur, adhuc appetit lucrum, nec multitudine, nec magnitudine damnorum, & malorum eius, cætera quæ est odium, expletur.

[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible] [illegible]

Ver. 17 Oculum, qui subsannat patrem, et despicit partum matris suæ, effodiant eum corui de torrentibus, et comedant eum filii aquilæ. Dictio interpretata, *partum*, sonat, *rugas*. Mater enim in senectute describitur per rugas faciei. Superius generatio introducta est maledicentium patri, & matri, modò describitur pœna minoris offensæ parentes, videlicet, offensæ, quæ fit solo signo oculi: vt ex pœna minoris criminis pensetur pœna maioris, quæ fit maledicendo parentibus. Et intelligenda est pœna hæc secundum meritum, hoc est, quòd meretur, vt corui effodiant oculum, &c.

Tria sunt difficilia mihi: et quartum, quod penitus ignoro. Iuxta Hebræum habetur: *Tria ipsa fuerunt separata à me: & quatuor non noui ea.* Sensus est, quòd fuerunt mirabilia, plusquàm ego inuestigare potui, [illegible] fuerunt mirabilia supra vires intelli[illegible] meæ. Dictionem autem, *quartum*, in[illegible] vt suprà.

Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, et viam viri in adolescentia. [illegible] Hebr.

[illegible] [illegible] [illegible]: in [illegible] viam [illegible] mari, [illegible] tum refert: quòd dictio interpretata, *adolescentia*, sonat, *abscondita*. Et est ablatiuus fœmini[illegible] [illegible] dictio enim Hebraica, *halma*, ex proprie[illegible] te vocabuli significat mulierem [illegible]. Aduerte hic, prudens lector [illegible]. Primum non est in parabola sermo de via [illegible] quo aquila volat, quo serpens graditur [illegible] de via post volationem aquilæ, post gressum colubri, post transitum nauis, post concubitum viri cum abscondita. Nam, cùm actualiter aquila volat, videmus viam, qua volat: & quùm [illegible] liter coluber graditur super petram, videmus viam, per quam graditur. & similiter videmus viam nauis, cùm actualiter nauigat: & notum est via concubitus, cùm actualiter vir concumbit cum *halma*. sed post factum nulla istarum viarum apparet, quia nullum remanet vestigium in aëre, in petra, in mari & in *halma*. Secundò, quod [illegible] talem sensum via aquilæ, via colubri, & via nauis, afferuntur propter [illegible], [illegible] multitudine [illegible] viarum post factum [illegible] [illegible], inter gentes [illegible] ignorantiam [illegible] tam. Tertiò, quòd *halma*, seu abscondita, hoc loco supponitur pro muliere non virgine, sed prius corrupta. nam via in virgine [illegible] apparet post concubitum; ex hoc enim, quòd [illegible] signaculum virginitatis, relinquit, vnde post factum cognoscatur. sed, si mulier erat prius corrupta, nullum relinquitur viæ vestigium, quo cognoscatur concubitus post factum, nam in pudibundo muliebris nihil penitus apparet testificans concubitum factum. Quod autem sit ad literam sermo de via concubitus, testatur subiuncta clausula.

Talis est via mulieris adulteræ: quæ comedit, et tergit os suum, et dicit: Non sum operata malum. Prius refert, quòd dictio interpretata, *talis*, sonat, *sic*. Et dictio interpretata, *tergit*, sonat, *tersit*. Et dictio interpretata, *dicit*, sonat, *dicet*. Et dictio interpretata, *malum*, sonat, *iniquitatem*. Dicendo itaque: *Sic via mulieris adulteræ*, insinuat, quòd de via concubitus in *halma* fuerat sermo. Vere enim sic est via mulieris adulteræ, [illegible] concubitus in *halma* non virgine [illegible] via habet, vnde notetur. Mentio [illegible] tur, sub nomine absconditæ, ad insinuandum, quòd de concubitu clandestino [illegible] [illegible] tendit per hæc declarare innumerabiles concubitus occultos, tam [illegible] nuptiis, quàm [illegible] nuptiis: & monere, quòd [illegible] crimine, non possunt cognosci huiusmodi [illegible]. Adiuncta quoque verba: *Quæ comedit, & tergit os suum*, metaphoricè significant, quæ concubuit, & tersit pudenda, ad instar eius, [illegible] post quam comedit, tersit os suum: & [illegible] [illegible] facto vestigio dicet: Non sum operata [illegible] [illegible] frangendo fidem viro meo. Ac clandestino enim adultero est sermo.

Ver. 21 Per tria mouetur terra, et quartum non potest sustinere. Iuxta Hebræum habetur: *Sub tribus tremuit terra: & sub quatuor non poterit sufferre.* Intellige quartum, vt suprà.

Ver. 22 Per seruum, cum regnauerit: per stultum, cum saturatus fuerit cibo: per odiosam mulierem, cum in matrimonio fuerit assumpta: et per ancillam, cum

FVERIT HÆRES DOMINÆ SVÆ. Sensus sedul-
tutrira tamen quòd præpositio, *per*, transferatur
in præpositionem, *sub*. Et dictio interpretata, *nul-*
lum, sonat, *ignominiosum*. Parabola hæc, quatuor
dissona, sic quòd eorum quodlibet contra se ipsum
pugnat, colligendo duo in viris, & duo in mu-
lieribus, notat. Seruum enim regnare, pugnat
contra seipsum: nam regno contrariatur condi-
tio seruilis, & econtrà: & ideò non solùm timet,
sed tremit terra, si seruus regnat. Simili-
ter ignominia, & opulentia sibi inuicem ad-
uersantur, quum infamis indignus sit pane, quo
vescitur: & si diuitiis abundat, adeò efficitur, vt
intolerabilis sit: & propterea & timent, & tre-
munt alij eum. Mulier quoque odiosa, & coniu-
gium, sibi inuicem aduersantur: quoniam, si coniux
sua est, debet esse amabilis: & si odiosa est con-
iux, tremit domus sub huiusmodi monstro: nihil
enim pacis, nihil boni expectat. His autè omni-
bus intolerabilius censetur, quum ancilla fuerit
hæres dominæ suæ. Valde totet se pugnant, esse
ancillam, & esse hæredem eius, cuius est ancilla:
& intolerabilius omnibus censetur, quòd sub
ancilla sint, quæ fuerunt sub domina post mor-
tem dominæ; & nihilominùs viuente domina, si
ancilla futura est hæres, insolerabilis est eò quòd
vsque adeò superbit, & alij dedignantur seruire
illi, vt terra sufferre hoc non possit. Hic est sen-
sus, iuxta vocabulorum proprietatem: extensio
autem hæredis nomine ad subrogatum, sensus
est, quòd terra sustinere non potest ancillam sub-
rogatam dominæ suæ: longè enim intolerabi-
lius est hoc, quòd electa domina succedat ancil-
la in locum dominæ.

Vers. 24. QVATVOR SVNT MINIMA TERRÆ, ET IPSA
SVNT SAPIENTIORA SAPIENTIBVS. Parui re-
fert, quòd Hebraicè habetur: *Quatuor ipsa parua*
terra: & ipsa sapientia effecta sapientia. Dictio
enim Hebraica postremò scripta, sonat effectos
sapientes: & est sensus, quòd ista minima terræ
sunt sapientia, non quomodocunque, sed sic, vi-
delicet, quòd sunt effecta sapientia; hoc est, sunt
creata sapientia, non didicerunt, aut inuenerunt
sapientiam, sed inditam habent illam: & attribui-
tur animalibus irrationalibus sapientia non pro-
priè, sed secundum similitudinem. Naturalis co-
rum industria appellatur sapientia: quia natura-
liter operantur ad instar sapientium, tanquàm si
saperent.

Vers. 25. FORMICÆ, POPVLVS INFIRMVS, QVI PRÆ-
PARAT IN MESSE CIBVM SIBI. Parui refert,
quòd iuxta Hebræum habetur: *Formica, populus*
non fortis: & praeparauerunt in æstate panem suum.
Formica pluralis est numeri, & appositiuè de-
scribuntur *populus non fortis*, (hoc est, multitudo
absque fortitudine,) ad explicandum, quòd non
ex fortitudine, aut robore, sed ex naturali pru-
dentia parat in æstate cibum suum.

Vers. 26. LEPVSCVLVS, PLEBS INVALIDA, QVÆ COL-
LOCAT IN PETRA CVBILE SVVM. Iuxta He-
bræum habetur: *Cuniculi, populus non robustus: &*
posuerunt in petra domum suam. Similiter, *cunicu-*
li, pluralis est numeri: & appositiuè dicuntur, *po-*
pulus non robustus: quia multitudo est sine robo-
re, carens armis, quæ natura multis animalibus
dedit: nec corpore robusti sunt; & tamen tan-
quàm si saperent, habitant in cauernis.

Vers. 27. REGEM LOCVSTA NON HABET: ET EGRE-
DITVR VNIVERSA PER TVRMAS SVAS. Se-
cunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et egre-*
ditur adunata omnis ipsa. Si locustæ haberent Re-
gem, attribueretur ductui Regis congregatio
earum ad egrediendum simul: sed carendo Re-
ge, & catervatim egrediendo, demonstrant natu-
ralem instinctum ad adunationem in egrediendum
eundum aliò.

STELLIO MANIBVS NITITVR: ET MORA- Vers. 28.
TVR IN ÆDIBVS REGIS. Prima particula iuxta
Hebræum habetur: *Aranea in manibus capit.* Di-
ctio tamen interpretata, *aranea*, interpretari po-
test, *simia*. Et hæc lectio nihil habet difficultatis
in proprietate vocabulorum: quoniam simia ma-
nibus capit cibum, & multa alia. Et in palatiis
Regum sunt. Si autem legitur aranea, verificatur
quidem, quòd ipsa in ædibus Regis est; sed non
verificatur propriè, quòd manibus capit, vt pa-
tet. Metaphoricè autem intelligi possunt manus,
instrumenta naturalia, quibus vtitur loco ma-
nuum. Tendit autem vniuersa hæc parabola ad
moralia documenta; videlicet, vt ex sapientia
formicarum discamus præparare tempore con-
gruo, quæ necessaria sunt nobis: ex sapientia ve-
rò cuniculorum discamus habitare securè: ex sa-
pientia autem locustarum discamus vniri: ex sa-
pientia demum simiarum discamus modum no-
bis congruum assequendi dignitates; simia enim
ex eo, quòd manibus capit, quod officium est ei
congruum, & dignum, vt spectetur, ad palatia
Regum transfertur. Et similiter homo operam
dando decentibus eum officiis dignis spectaculo,
lo, assumitur ad dignitates. Aranea si in exem-
plum admittitur, subtilitas operis eius ad perspi-
caciam, & ad miranda officia inuitat: ex his
enim penetrant multi palatia Regum.

TRIA SVNT, QVÆ BENE GRADIVNTVR: Vers. 29.
ET QVARTVM, QVOD INCEDIT FELICITER.
Iuxta Hebræum habetur: *Tria ipsa bona incessus:*
& quatuor bona deambulationis.

LEO FORTISSIMVS BESTIARVM AD NVL- Vers. 30.
LIVS PAVEBIT OCCVRSVM. Parui refert, quòd
secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et*
non reuertetur a facie omnium. Nec propriè dici-
tur leo fortissimus bestiarum: sed leo potens in
bestia, hoc est, potens inter bestias.

GALLVS SVCCINCTVS LVMBOS. Iuxta He- Vers. 31.
bræum habetur: *Leporarius lumborum.* Recole,
quòd nominum propriorum notitia apud He-
bræos periit maxima ex parte: & non miraberis
dictionem interpretatam, *leporarium*, variè inter-
pretari. Canis itaque leporarius ex lumbis habilis
ad incedendum secundo loco scribitur.

ET ARIES iuxta Hebræum habetur: *Et hir-*
cus. Vbi scito, quòd dictio interpretata *&*, propriè
sonat, *vel*: sed hic, sicut & alibi creditur sonare, *&*:
quia aliter non inuenirentur quatuor à Salomo-
ne proposita; sed tria duntaxat, quoniam disiun-
ctiua pro vna supputatur. Ita quòd secundo loco
collocaretur leporarius lumborum, vel hircus; ac
per hoc non inuenirentur quatuor proposita.

NEC EST REX, QVI RESISTAT EI. Iuxta
Hebræum habetur: *Et Regem non leuare cum eo.*
Hoc est quartum: & Hebræi intelligunt per hæc
quatuor prophetari quatuor regna, tanquàm mo-
narchias, videlicet, Assyriorum, Persarum, Græ-
corum, & Romanorum. Et Assyriorum quidem
regnum figuratur per leonem, dicente Ieremia Ierem. 4. 7
cap. 4. de Rege Assyriorum: *Ascendit leo de cu-*
bili, &c. bene siquidem incessit humiliando
Reges, & regna, & tanquàm leo à nullius fa-
cie fugiens vsque ad regnum Persarum figu-

ratum

[illegible] Cum [illegible] regnum [illegible] Rex [illegible], qui [illegible] coertus [illegible]. E[illegible] fuit Rex Græcorum, Alexander Magnus, ideo cum exclamatione [illegible] intro[illegible] Obiter. Testatur enim Daniel cap. 8. per hircum [illegible] Regem Græcorum, qui percussit Regem Persarum. Romanorum de[illegible] monarchia describitur dicendo: *Et Regem non stabit cum eo.* Imperatores siquidem Regis Ro[illegible] vsque ideo fuit, vt nec Iulio Cæsari regium [illegible] appetenti consenserit. Monarchia ergo sine Rege describitur Romana, & de eadem di[illegible] subiuncta omnia in hoc capitulo.

Vers. 32. Et qui stultus apparuit, postquam elevatus est in sublime. Si enim intellexisset, ori imposuisset manum. [illegible] Hebræorum habetur. *Si stultus quum exaltatus es, & si non considerasti manum ad os:* Apostrophat ad monarchiam Romanam: propterea, quod tunc vilescet, quando erit exaltata, vt Hebræa sonat, *vt esset exaltatam vi[illegible].* Et verè sic fuit: quoniam [illegible] Senatus populusque Romanus, [illegible] cecidit, quando Cæsares dominati sunt. Et propterea interrogatione subditur: *Si considerasti manum ad os?* Manus ad os, executio est ad imperium oris: ita quod quicquid dicit, fit, & per hoc describitur officium Dictatoris, cui conferebatur summa potestas, vt quicquid diceret, fieret. Et quia officium hoc occasio fuit, vt Roma perderet libertatem, vsurpante sibi Iulio Cæsare dictaturam perpetuam, ac vrbis, & consequenter orbis dominium: ideò dicitur: *Nunquid considerasti manum ad os?*

Homo tunc vilescit, cum exaltatus fuerit.

Vers. 33. Qui autem premit fortiter vbera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: et qui vehementer emulget, elicit sanguinem: et qui provocat iras, producit discordias. Iuxta Hebræum habetur. *Quia emulsio lactis proferet butyrum, & emulsio nasi proferet sanguinem, & emulsio furorum proferet litem.* Coniunctio, *quia*, manifestat responsionem redditam [illegible]. Ratio siquidem, quare Roma, & voluit, & cecidit à libertate, fuit dictatura: & quoniam dictatura boni quandoque effectus fuit, & quandoque mali; ideò assertur vna, eademque actio proferens quandoque bonum, & quandoque malum: emulsio siquidem [illegible] inuenitur proferens bonum, putà butyrum, ex emulsio enim lacte resultat butyrum: [illegible] emulsio inuenitur effectrix mali; nam emulsio nasi profert sanguinem. Et hinc tertio loco applicat ad propositum dicendo, quod emulsio furorum profert litem. Ad literam enim emulsio furorum Cæsaris, & Pompeij, protulit litem, quam oportuit bello dirimere cum iactura Romanæ libertatis.

Furor Romanorum.

CAPVT XXXI.

Verba Lamuelis Regis. Latinè declinauit Interpres dictionem, *Lamuel*, [illegible] Titulus subiunctorum est iste: & [illegible] est proprium intellectum, vt sonat [illegible] per *u* in penultima syllaba [illegible] syllaba penultima scribatur non [illegible] *Lemoel*, sed vt in [illegible] legitur, *Lamoel.* A [illegible] est significat [illegible] Lamoel vero [illegible] Lemoe [illegible] est [illegible] ex [illegible] [illegible] Dei. nam *El* est nomen Dei. & significatur [illegible] El. & quoniam inferius loquens mater [illegible] petit *Lemuel*, sed nominat filium *Lamoel*, [illegible] Hebræi intelligunt corruptam dictionem, *Lamuel*, declarari, & quasi corrigi per subiuncta matris verba: vt intelligamus, quòd Salomon nominat seipsum in tertia persona dicendo, *[illegible] El.* Quemadmodum in principio præcedentis capituli dixerat in prima persona, *per meam El.* Apponit autem, *Regis*, ad manifestandum, quòd seipsum describit & manifestatur per huiusmodi titulum, quòd verba subiuncta sunt à Salomone scripta tempore, quo erat gratus Deo, ad differentiam temporis, quo depravatum est cor eius, & recessit à Deo. 3 Regum 4.

Visio, qua erudivit eum mater sua. Dictio interpretata *visio*, sonat, *prophetia*. Duo aperiuntur hic. Alterum, quòd subiuncta verba, licet sint scripta à Salomone, non sunt tamen Salomonis, nisi recitatiuè; sed sunt verba matris [illegible]. Alterum, quòd huiusmodi verba materna sunt prophetica, non prænunciando futura, sed ad eruditionem filij. Ex hoc enim, quòd [illegible] prophetia, qua erudiuit eum, restringitur prophetia in prophetiam eruditionis. Et insinuatur per hoc, quòd huiusmodi documenta sunt diuinitùs revelata: & est sensus: Prophetia, hoc est, revelata doctrina, qua erudiuit eum mater sua. Et dicitur hoc ad manifestandum authoritatem diuinam in subiunctis documentis, ne authoritas mulieris vilescat. Nec propter hunc titulum oportet fateri matrem Salomonis habuisse revelationem propheticam immediatè à Deo, quoniam cum veritate huius tituli stat, quòd mater eius didicerit hæc à Nathan Propheta, qui curam gerebat Salomonis. Nathan enim docebat Bethsabee, vt instrueret filium ab ætate tenera, repetendo crebrò huiusmodi documenta. Hic enim modus rationi consentaneus est.

Quid, dilecte mi? quid, dilecte vteri mei? quid, dilecte votorum meorum? Dictio interpretata *dilecte*, semper sonat, *fili*. & [illegible] conjunctio, *&*, bis, videlicet, ante secundum, & ante tertium *quid*. Sine verbo autem [illegible] tota oratio. Ex eo tamen, quòd hoc est initium eruditionis, non sunt verba argumentis, sed excitantis ad attentionem. Propterea enim toties repetit, *quid*, vt puer attento animo audiat quid mater dicet. Subaudiatur enim [illegible], & primò blandè vocat eum, *fili mi*, deinde blandius, *fili vteri mei*, affectum carnalem ex naturali generatione exprimens. & demum blandissimè, *fili votorum meorum*; hoc est, [illegible] desideratus, vt non sis minus desideriorum meorum filius, quàm vteri mei. Rursus, *fili votorum meorum*, hoc est, secundùm vota mea, satians omnia vota mea. Vers. 2.

Ne dederis mulieribus substantiam tuam. Dictio interpretata *substantiam*, potest & melius interpretari, *robur*. In partes quinque distinguuntur documenta hæc materna. Primùm enim instruit filium circa vsum venereorum. & [illegible] *substantiam*, instruit eum, ne det opes suas mulieribus; ne tantum ardeat amorem al[illegible] vt [illegible] opes suas, sed, quia non est timendum, [illegible] Rex consumat opes suas in mu[illegible] Vers. 3.

De [illegible]

ctiùa legitur, *robur tuum*: meruendum etiam fi-
quidem Regi est, ne frequentia coitus tollat ro-
bur eius personale. Sub primo itaque documen-
to immoderatus vsus venereorum prohibetur.

Et divitias tvas ad delendos Reges.
Iuxta Hebræū habetur: *Et vias tuas ad exturbā-
dū Reges.* Secundū documētum ad moderandum
bella, bellorūque causas tollēdum tendit. Monet
enim, vt non applicet vias suas (hoc est, studia, &
opera) ad exturbādos Reges: quod fit, tum bellis
offensiuis, tum procurando seditiones, vel prodi-
tiones in aliorum regnis. Et sub hoc mandato in-
hibetur immoderatus appetitus regnandi in
alienis regnis.

Vers. 4 Noli Regibvs, ô Lamvel, noli Regi-
bvs dare vinvm: qvia nvllvm secretvm
est, vbi regnat ebrietas. Iuxta Hebræum
habetur: *Non Regū, Lamoel, nō Regum, bibere vi-
num, & ducū vbi sicera.* Sic iacet in Hebræo, nu-
tatū casu datiuo in genitiuū. Sētentia huius tertij
documēti clara est; videlicet, quòd Regibus non
coogruit bibere vinum, & duces nō decet inqui-
rere loca, in quibus est inebriatiuū bonum. Nec
inhibetur vsus vini, sed immoderatus, tam vini,
quàm siceræ vsus, &, vt sectiùs loquar, inhibetur
delectari in potu vini, & cuiuscūque inebriatiui:
delectatio enim in vino facillimè ducit ad im-
moderatū potū omnes homines, & tantò facilius
Reges, ac Principes, quibus optima vina adsunt,
& qui non timēt reprehendi. Significatur autem
vtitur nomine, *Lamoel*, vt intelligamus, instru-
ctionem hanc dirigi ad eum, cum quo est Deus,
ad timentem, & amantem Deum: & non ad A-
lexandrum Magnum, non ad Tiberium Cæsa-
rem, & eorum imitatores in bibendo.

Quare Principes immoderatè potū.

Vers. 5. Ne forte bibat, et oblivisçatvr ivdiciorvm: et mutet cavsam filiorvm
pavperis. Dictio interpretata, *iudiciorum*, sonat,
statuti. Et secūda particula iuxta Hebr. habetur:
Et mutet iudicium omnium filiorum afflictionis. Vltra
peccatū intéperātiæ, periculū adiungitur peccati
iniustitiæ: immoderatus siquidē vini potus per-
turbat internas vires phantasiæ, & memoriæ: &
ideò facilis est occasio obliuionis scriptorum iu-
stitiæ: & facilè abducit hominē à discernenda veri-
tate: & trahit eū ad dicēdum, & faciendū ea, ad
quæ impetu spiritus inclinatur: & propterea fa-
cilè mutat iudiciū afflictorū. Quamuis enim non
inebrientur, efficiuntur tamen lætiores, & distra-
huntur à ponderato vsu rationis. Et propterea
labuntur ad dicendum, & faciendum, quæ non
facerent, & dicerent ex integro sobrij.

Periculum ex immoderato vini potu.

Vers. 6. Date siceram moerentibvs, et vinvm
his, qvi amaro svnt animo. Dictio interpre-
tata, *mœrentibus*, sonat, *pereunti*. Dixerat vinū dede-
cere Reges, quia redūdat in publicum damnum.
Quò cōtrà dicit, vinū fore medicinā pereuntiū,
& eorū, qui amaro sunt animo: potus enim im-
moderatus Regi, moderatus est amaritudine
animi oppressis: isti enim egēt potu vini, quantū
appetunt: Regibus autem non congruit bibere,
quātum volūt: datur enim istis abundās vinum,
tanquàm medicina. Nominantur verò afflicti
amaritudine animi in genere, & pereuntes, (hoc
hoc est, damnati ad mortem,) in specie: sunt
enim & ipsi amarissimo animo.

Quibus sit moderatum, vinum immoderatum.

Vers. 7. Bibant, et obliviscantvr egestatis
svæ: et doloris svi non recordentvr
amplivs. Dictio interpretata, *doloris*, sonat, *la-
boris*. Obliuio, quæ oritur ex fœcundis calicibus
nociua mōstrata est in Principibus. Quòd cæteris in
amaris animo declaratur ipsa obliuio vtilis esse: in
potu obliuiscūtur malorū propriorum; videlicet,
egestatis, & laboris, hoc est, malorū, tā in persō-
na, quàm in rebus: labor enim ad personam, ege-
stas verò ad res pertinet: ex his enim duobus, vel
eorum altero surgit amaritudo animi; & vtile
est, vt non perseuerent in huiusmodi amaritudi-
ne, quod efficit plenior vini potus tollendo à
memoria perpessa mala: & propterea dicitur:
Et non recordentur amplius.

Amaro animo...

Vers. 8. Aperi os tvvm mvto, et cavsis omnivm filiorvm, qvi pertranseunt. Pagnin.
refert, quòd dictio interpretata, *causis*, sonat, *e-
dictū*. Nec interponitur cōiunctio, & sed præpo-
sitio, *ad*. Quartū documentū cōtinens redēdendū
ius quibusdā generibus personarum carentium pa-
tronis causarū suarū: & primū ius peregrinorum,
ius intelligendū, ac reddendū scribitur, appellan-
do peregrinū mutū: eò quòd similis est mutis ca-
rens patrono causæ, nec audēs per seipsū in aliena
patria querelas proferre. Ad explicandū enim
huiusmodi mutū, subiūgit, ad iudiciū omnium fi-
liorū transitus. Transeūtes enim peregrinū manifestè
significantur: & monetur Rex: Aperi os
tuum muto, alloquere tu peregrinum mutum,
& animæquiorem redde ad dicēdum causam,
ad hoc, vt facias iudiciū omnium transeuntium.

Vers. 9. Aperi os tvvm, decerne, qvod ivstvm
est: et ivdica inopem, et pavperem. Iux-
ta Hebræū habetur: *Aperi os tuū ad iudic... os ad iu-
stitiā, & iudicium pauperis, & miselli.* Iudicio trās-
euntium adiungitur iudiciū miserabiliū persona-
rū, pauperū, videlicet, & plusquàm pauperū ca-
rentium patrociniis, & qui facilè opprimuntur
ab aduersariis, & facilè despiciuntur à iudicibus.

Vers. 10. ALEPH. Ab hoc loco vsque ad finē metra scri-
būtur, ordine alphabetico, ita quòd primus ver-
sus incipit à prima litera alphabeti Hebræi, quæ
vocatur Aleph: & secundus à secūda, & tertius à
tertia, &c. Et ad hunc ordinē insinuādum Inter-
pres antiquus præposuit singulis versibus lite-
ras alphabeti Hebraici, quas non oportuisset
præponere, si versus inciperent à literis alpha-
beti ordinatè in Latino, sicut incipiūt in Hebræo.

Mvlierem fortem qvis inveniet? Iuxta
Hebræū habetur: *Vxorem fortitudinis quis inue-
niet?* Nō est hìc sermo de muliere in genere, sed
de vxore. Quintū siquidē documentū maternū
circa vxorem Salomonis versatur: describit enim
partes vxoris in genere, vt discat sibi quærere,
& habere vxorē habentē subiūctas partes: vt v-
xores eius nō vacēt deliciis otiosæ, &c. sed quæ-
libet curā suæ familiæ habeat. Et sit fortis, & ti-
mēs Deū, reliquàsque subiunctas partes habere.
Et quoniā rara, seu potius rarissima inuenitur v-
xor talis, (sicut nec inuenitur Orator à Tullio
descriptus;) ideò inchoat dicendo: *Vxorē fortitu-
dinis quis inueniet?* Et est sermo de fortitudine
animi ad seruandā pudicitiam cōstanti animo, &
de fortitudine operum cōgruentū matrisfamilias.

Conditiones vxoris raro inuentæ.

Procvl, et de vltimis finibvs terræ
pretivm eivs. Iuxta Hebræum habetur: *Et
longe quam a margaritis pretium eius.* Non solùm
difficultas inueniendi vxorem talem; sed etiam
pretiositas talis vxoris simul cū elongatione de-
scribitur: ita quòd difficultati inueniendi additur
elongatio distantiæ metaphoricè. Res enim, quæ
multū distāt à nobis, rariores sunt apud nos. Et de-
mū adiūgitur pretiositas superās pretiū gēmarū.

BETH.

Vers. 11. HETH. CONFIDIT IN EA COR VIRI SVI, ET SPOLIIS NON INDIGEBIT. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et res familiaris non deficiet.* Dictio interpretata, *res familiaris*, vnica est, & circumloquuta per has duas dictiones. Partes vxoris fortis describuntur, inchoando à fiducia mariti in ea, quod est primum desideratum ab vxore. Et significanter nominatur cor mariti, ad insinuandum fiduciam ex intimo corde, & non superficialem duntaxat. Et per hoc describitur vxor exempta à zelotypia: nec in pudicitia solùm, sed etiam in prouidentia vxoris describitur confidens maritus subiungendo, & res familiaris non deficiet.

Vers. 12. GIMEL. REDDET EI BONVM, ET NON MALVM OMNIBVS DIEBVS VITÆ SVÆ. Præteriti temporis est verbum, & masculini generis est pronomen, *ei*. Et est sensus, quòd marito ex corde confidenti in vxore, vxor reddebat bonum, & pudicitiæ,& prouidentiæ: bonum autem purum, non admixtum malo, (quod est rarissimæ virtutis,) non vno mense, aut vno anno, sed omnibus diebus vitæ suæ: maxima est hæc vxoris pars ergo virum.

Vers. 13. DALETH. QVÆSIVIT LANAM, ET LINVM: ET OPERATA EST CONSILIO MANVVM SVARVM. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et fecit in voluntate manuum suarum.* Hoc est, ex lana, & lino fecit operam manus suas in voluntate; hoc est, ea, quæ voluit. Manus enim suas appellat manus familiæ suæ ad opera lanæ, & lini: huiusmodi enim opera ad prouidentiam matrisfamilias spectant.

Vers. 14. *Dictio Heb. est nomen fœminin. longinquitatem seu distant. &c.*

HE. FACTA EST QVASI NAVIS INSTITORIS DE LONGE PORTANS PANEM SVVM. Iuxta Hebræum habetur: *Fuit sicut nauis mercatoris: de longe adducet panem suum.* Prouidentia vxoris extensa declaratur ad habendum necessaria ad victum, etiam à partibus remotis. Quum enim non sufficiunt ea, quæ in patria sunt, oportet à remotis partibus habere. Et quoniam hoc commodius fit per naues: propterea vxor prouidens à remotis assimulatur naui mercatoris, quoad hoc, quòd à remotis faciet venire panem suum.

Vers. 15. VAV. ET DE NOCTE SVRREXIT, DEDITQVE PRÆDAM DOMESTICIS SVIS, ET CIBARIA ANCILLIS SVIS. Iuxta Hebræum habetur: *Et surrexit in adhuc nocte, & dedit cibum domui suæ, & statutum puellis suis.* Dictio interpretata, *cibum*, sonare videtur, *carnes animalium syluestrium*: operariis siquidem ituris ad labores diurnos, ante lucem distribuit alimenta, ne partem diei perdant: puellis autem etiam ante lucem statuit, quid quælibet operari debeat die illo: vigilantia itaque vxoris erga operarios, & operarias describitur.

Vers. 16. ZAIN. CONSIDERAVIT AGRVM, ET EMIT EVM: DE FRVCTV MANVVM SVARVM PLANTAVIT VINEAM. Iuxta Hebræum prima particula habetur: *Cogitauit agrum suum, & accepit eum.* De agro occupato ab aliis, vel inculto ex negligentia, est sermo, dicendo: *Cogitauit agrum suum*, occupatum, vel incultum, & accepit eum ab occupatoribus, vel accepit eum adcolendum, quemadmodum implantatam vineam plantauit sumptu parto de fructu manuum suarum.

Vers. 17. HETH. ACCINXIT FORTITVDINE LVMBOS SVOS, ET ROBORAVIT BRACHIA SVA. Quoniam ardua opera mulieri attribuerat, (videlicet, plantare vineam, & reformare agrum,) ideò describit eam ad instar expediti quoad corpus, & robusti quoad brachia, dum dicitur: Accinxit fortitudine lumbos suos. nullam corporis partem subtrahens operibus fortitudinis, sed & brachia quoque ad similia robusta exhibuit: totam se dedit ad opera ardua relatiuè ad mulieres.

TETH. GVSTAVIT, ET VIDIT, QVIA BONA EST NEGOTIATIO EIVS: NON EXTINGVETVR IN NOCTE LVCERNA EIVS. Superfluunt duæ dictiones, videlicet, *& vidit*. Gustauit enim, quòd negotiatio eius est bona; & propterea non extinguetur in nocte lucerna eius. Ad instar gustantis incepit experiendo sentire, quòd negotiatio eius in prædictis exercitiis est bona, hoc est, vtilis, delectabilis, & honesta: & propterea assidua fuit huiusmodi officiis in nocte: itaque lucerna eius tota nocte lucet ob crebras exercitationes domesticas. Vers. 18.

IOD. MANVM SVAM MISIT AD FORTIA: ET DIGITI EIVS APPREHENDERVNT FVSVM. Iuxta Hebræum habetur: *Manus suas misit ad verticulum; & manus eius sustinuerunt colum.* Quamuis arduis operam daret, minima tamen opera non est aspernata: hoc enim significatur per hoc, quòd non est dedignata nere. Vers. 19.

CAPH. MANVM SVAM APERVIT INOPI, ET PALMAS SVAS EXTENDIT AD PAVPEREM. Opera misericordiæ eius commendantur. Vers. 20.

LAMED. NON TIMEBIT DOMVI SVÆ A FRIGORIBVS NIVIS: OMNES ENIM DOMESTICI EIVS VESTITI SVNT DVPLICIBVS. Prouidentia circa indumenta domesticorum commendatur. Vers. 21.

MEM. STRAGVLATAM VESTEM FECIT SIBI: BYSSVS QVOQVE, ET PVRPVRA INDVMENTVM EIVS. Superfluis quoque, & vnica est dictio interpretata *stragulatam vestem*. Nec dictio Hebraica determinatur ad significandum vestem, sed ornamenta significat: est enim numeri pluralis. Insinuant autem materiæ indumenti adiunctæ (videlicet, byssus quoad linea, & purpura quoad lanea) significari per illam dictionem ornamenta. Atque autem indefinitè significari ornamenta personæ vel lecti, vel aulæ. Vers. 22.

NVN. NOBILIS IN PORTIS VIR EIVS, QVANDO SEDERIT CVM SENATORIBVS TERRÆ. Dictio interpretata, *nobilis*, sonat, *cognitus*. Describitur enim spectatus inter senes terræ sedens in porta, quæ erat celebrior ciuitatis locus. Et in hoc commendatur prouidentia vxoris, quòd reddebat maritum sic indutum, quòd erit spectatus inter alios. Vers. 23.

SAMECH. SINDONEM FECIT, ET VENDIDIT: ET CINGVLVM TRADIDIT CHANANÆO. Commendatur de tela venali: ita quòd non solùm fecit telam pro vsu domus; sed etiam venalem cum cingulis ingeniosè elaboratis venditis mercatoribus. Dictio enim interpretata, *Chananæo*, sonat, *mercatori*. Mercaturam enim exercentes emebant hæc vehenda aliò. Vers. 24

HAIN. FORTITVDO, ET DECOR INDVMENTVM EIVS, ET RIDEBIT IN DIE NOVISSIMO. Secunda particula iuxta Hebræum habetur: *Et risit ad diem posterum.* De dotibus animi sub specie indumentorum est sermo: habitus enim fortitudinis medium tenentis inter audaciam & timorem, describitur indumentum eius, eò quod apparet in actibus suis fortis simul, Vers. 25.

Dotes animi boni vxoris.

Quare fortitudo indumentum dicatur.

mul, & decorum seruans modestiæ, atque authoritatis: grauitatem enim præseferre non indecentem significatur: & propterea subiungitur, quòd ridit ad diem posterum, hoc est, erit ea, quæ materia gaudij, non pœnitentiæ forent postea.

Vers. 26. *Duæ virtutes linguæ in muliere.* PE. Os svvm aperuit in sapientia, et lex clementiæ in lingua eius. Dictio interpretata, *clementia*, sonat, *gratia*. Post virtutes totius, virtutes linguæ describuntur duæ, sapientia, & gratia: illa ab intellectu, ista à voluntate proficiscitur. Ad locutionem exigente prudentia, & non aliter aperuit os suum ad loquendum: & lex gratiæ (hoc est, gratuitò benefaciendi aliis) sonat in lingua eius. Itaque ex parte sui mulier hæc gubernat linguam sapientia, ex parte verò aliorum gubernat eandem lege gratiæ ad vtilitatem aliorum.

Vers. 27. *[illegible]* ZADDI. Considerauit semitas domvs svæ, et panem otiosa non comedit. Dictio interpretata, *otiosa*, sonat, *pigritia*. Altera siquidem non solum ab otio, sed etiam à pigritudine describitur. Sollicitè siquidem speculata est studia, operaque familiæ suæ, & nullum pigritiæ locum reliquit, nihil distulit prouidentia. Prandium enim non oratum post cibum sumptum. iteraxit eam à cura, & opera.

Vers. 28. COPH. Svrrexervnt filii eivs, et beatissimam prædicaverunt eam: vir eivs et lavdavit eam. Sæpe dictum est, quòd Hebræi carent superlatiuo: quod tamen Interpres apposuit. Commendata mulier hactenus à propriis officiis, describitur modò commendata à filiis, & à marito, vt nihil ei desit.

Vers. 29. RES. Mvltæ filiæ congregaverunt divitias: et tv svpergressa es vniversas. Iuxta Hebræum habetur: *Multæ filiæ fecerunt fortitudinem, & tu ascendisti super omnes ipsas.* Vox mariti, & filiorum laudantium eam est hæc: præferunt siquidem eam reliquis mulieribus alloquendo eam. Et quoniam descriptionem vxoris inceperat à fortitudine (dicendo, *Vxorem fortitudinis quis inueniet?*) ideò laudatur relatiuè ad alias mulieres, quæ fecerunt fortitudinem, hoc est, ea, quæ sunt fortitudinis. Et verè dicitur: *Tu ascendisti super omnes ipsas*, quia, si inuenitur vxor habens omnes prædictas conditiones, non habet parem, & omnibus præeminet.

SIN. Fallax gratia, et vana est pvlchritvdo: mvlier timens Dominvm, ipsa lavdabitvr. Tacitæ obiectioni respondet, quare inter laudes vxoris non supposuerit corpoream pulchritudinem, & gratiam: hoc est, venustatem, qua gratiosæ appellantur vulgariter mulieres in oculis aliorum. Respondet, inquam, ex duplici capite: primum ex eo, quòd tam gratia, quàm pulchritudo sunt bona fallacia ac vana: deinde, quia vera laus consistit relatiuè ad Deum in timore Iehouah: relatiuè verò ad homines consistit in operibus, & non in pulchritudine, & propterea subiungit:] Vers. 30. *quare inter laudes [illegible] pulchritudinis [illegible].* *Vera laus in quo consistat.*

THAV. Date ei de frvctv manvvm svarvm: et lavdent eam in portis opera eivs. Retribuendum esse mulieri, non de fructu pulchritudinis, aut gratiæ; sed de fructu manuum suarum concludit: vt secundùm ea, quæ fecit manibus (hoc est, organis propriis; siue coniunctis, vt sunt manus; siue separatis, vt sunt ministri:) & in portis (hoc est, in locis grauibus, in Senatu,) laudent eam opera eius, non blanda colloquia. Et sic tandem inter tot ægritudines finitur liber Parabolarum Salomonis. Vers. 31.

D. D. THOMÆ

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. SIXTI,

IN ECCLESIASTEN COMMENTARII.

CAPVT I.

Vers. 1.

VERBA ECCLESIASTÆ, FILII DAVID, REGIS HIERVSALEM. Legendum est, *in Hierusalem*. Et rursus, Hebraica dictione potius, quàm Græca vtendum moderni putant: & legendum: *Verba Coheleth*. Græci enim interpretantur *Ecclesiastæ*: Latini autem (vt Hieron. dicit) *Concionatoris*, eo quòd sermo istius libri dirigitur ad populum: ad differentiam libri Parabolarum, cuius sermo dirigitur ad filium. Et quia *Coheleth* inferius in cap. 8 inuenitur fœminini generis: ideò communis generis est, dum nunc in masculino, nunc in fœminino inuenitur. Et propterea rectius interpretetur apud Latinos *Concionantis*. Appellat autem Salomon seipsum Authorem libri huius, *Coheleth*, hoc est, Concionantem: vt intelligant lectores, quòd non tanquàm Doctor; sed tanquàm Orator alloquitur populum, diuersa loca topica vndique assumens, conferendo contraria, difficultando hinc & inde, & tandem veritatem concludens. Propter quod crediderim ego, quòd à congregando varia, & rationes vanitatis Salomon nominat seipsum *Coheleth*: nam apud Hebræos à congregando, *Coheleth* dicitur. Quod autem dicitur, *in Hierusalem*, potest referri, vel ad Dauidem, (ad differentiam filiorum Dauidis Regis in Hebron: Salomon siquidem natus est ex Dauide iam Rege in Hierusalem. Significantiusque commendatur Dauid regnans *in Hierusalem*, ad differentiam Saulis, qui nullam habuerit ciuitatem regiam: Dauid siquidem inter Israëlitas fuit primus Rex, qui instituit regni thronum in ciuitate certa, eligendo ad hoc Hierusalem.) Vel ad verba *Coheleth*, & est sensus, quòd verba huius libri fuerunt scripta, seu edita in Hierusalem: ad insinuandum, quod populum fidelem alloquitur, quòd inter colentes vnum Deum, religiososque concionem hanc habet, ad differentiam Ethnicorum, qui nihil credunt de salute animæ post mortem, de Inferno, &c.

Vers. 2.

VANITAS VANITATVM, DIXIT ECCLESIASTES: VANITAS VANITATVM, ET OMNIA VANITAS. Superfluit coniunctio, &, nec est vsquequaque clarum, an legenda sint omnia in nominatiuo; videlicet, *Vanitas vanitates, dixit Coheleth: Vanitas vanitates, omnia vanitas*. Hæc enim lectio magis quadrare videtur subiunctis: subiungit enim introducendo nunc aliquam vanitatem, nunc multas vanitates simul; & inchoat à vanitate vltimò proposita, videlicet, *omnia vanitas*. In his enim verbis proponitur materia libri: nam vsque ad calcem tractat vanitatem, & vanitates, & nunquam introducit aliquam vanitatem excessiuam, quam appellet, vanitas vanitatum. Reduplicat autem hic dicendo bis, *Vanitas vanitates*, ad exaggerandum, cuius signum est quòd in capitulo vltimo, absque huiusmodi reduplicatione resumit: *Vanitas vanitates, omnia vanitas*. Et quia vanum appellatur id, quod nullius ferè æstimationis est, (iuxta quem sensum dicimus iuuenes vanos, qui delectantur apparere in his, quæ modici momenti sunt,) & appellatur præcipuè, quod frustra fit, (in vanum enim laborasse dicimus eos, qui frustra laborauerunt,) iuxta vtrunque sensum verificatur litera hæc: nam & nullius ferè momenti sunt vniuersa, quæ in motu consistunt, & relatiuè ad hominis felicitatem frustra secundùm se sunt.

Quid vanum sit, vt vsus Psal. 10. & 18. & Iob. 11.

Psal. 126.

QVID

Vers. 3. QVID HABET AMPLIVS HOMO DE VNIVERSO LABORE SVO, QVO LABORAT SVB SOLE? Sententia redditur, & particula ista duo exercet officia. Alterum declarandi sensum propositæ vanitatis: intendit enim disputare, non de vanitate rerum secundùm seipsas; sed de earum vanitate relatiuè ad felicitatem hominis: & hunc sensum declarat per hæc verba: Quid plus est homini, quàm aliis rebus in omni labore suo, quo laborat sub Sole? Huc enim tendit vniuersa huius libri concio, & omnia vana disserit esse ad hominis felicitatem: & propterea proponendo vanitatem; apponit: Quid superest homini ex tanto labore eius, quo laborat in hac vita, qua degit sub Sole? Alterum inchoandi explanationem illius particulæ vltimæ propositæ; videlicet, *omnia vanitas.* Ab hac enim incipit. Et intendit non de omnibus distributiuè, sed collectiuè, hoc est, de vniuerso corporeo, quod sub cælis est, vt inferius in hoc eodem capitulo explicatur. Intendit siquidem in primis disputare, quòd vniuersitas rerum vana est, ita quòd homo, vt pars vniuersi, nihil habet plùs ex omni labore suo; sed similis est aliis vniuersi partibus.

Intentio Authoris Concionatoris: vt plenius explicatur in proœm. seq. cap.

Exequutio intentionis.

Modus, seu forma processus.

Vers. 4. GENERATIO PRÆTERIT, ET GENERATIO ADVENIT: TERRA AVTEM IN ÆTERNVM STAT. Sententia redditur: quamuis propriè dictio interpretata, *præterit*, sonat, *vadit*: describitur enim generatio vadens, & generatio veniens. Vbi, prudens lector, aduerte, quòd Salomon declaraturus vniuersi vanitatem, assumit partes vniuersi, quatenus consistunt in ire, & venire, in motu quasi circulari, discurrendo per elementa omnia, scilicet, inchoando à terra, & dicendo: *Generatio vadit, generatio venit: terra autem* (in qua generantur, & homines, & animalia; in qua eunt, & veniunt,) *in æternum stat.* Terra enim secundùm se totam in æternum stat: generationes autem, tum vegetabilium, tum animalium, & hominum, successiuè fiunt; & altera occumbente, altera venit. Et in hoc similitudo quædam est motus circularis: homo enim vadit, & homo venit; non quòd illimet homines, qui vadunt moriendo, veniant nascendo: sed, quia homo in quibusdam vadit, & in quibusdam venit: & sic de aliis animalibus, & vegetabilibus.

Generationes.

Natura.

Vers. 5. & 6. ORITVR SOL, ET OCCIDIT, ET AD LOCVM SVVM REVERTITVR, IBIQVE RENASCENS GYRAT PER MERIDIEM, ET FLECTITVR AD AQVILONEM. Iuxta Hebræum habetur: *Et oritur Sol, & occidit Sol: & ad locum suum desiderat oriens ipse ibi. Vadit ad Meridiem, & circuit ad Aquilonem, circumiens, circumiens.* Circumitus Solis secundùm vtrunque motum Solis affectus consequenter, vt causa motuum, qui fiunt in sphæra elementari, vt causa generationis euntis, & generationis venientis, ac aliorum motuum, qui subiungentur in aëre, & in aquis: ita quòd non solùm motus circulares eorum, quæ apparent in elementis, sed etiam cælestium corporum colligit, vt & effectus, & causas in motu circulari consistere manifestet. De motu itaque Solis, qui appellatur diurnus, sequendo primum mobile, dicit: *Et oritur Sol, & occidet Sol, & ad locum suum oriens ipse ibi* (hoc est, in quo ipse Sol oritur) *desiderat ab occasu ire.* De motu verò Solis in Zodiaco subiungit: *Vadit ad Meridiem*, hoc est, ad tropicum Capricorni: & circuit ad Aquilonem, hoc est, ad tropicum Cancri. Modus verò, quo vadit ad Austrum, & ad Aquilonem describitur subiungendo *circumiens, circumiens*: nō enim per lineam rectam mouetur Sol à tropico in tropicum; sed multiplicando circuitus per modum lineæ helicæ.

Solis circuitus, causa mutabilium.

Duplex motus Solis.

LVSTRANS VNIVERSA IN CIRCVITV. Hæc verba in Hebræo non habentur; sed præmissa verba (videlicet, *circumiens, circumiens*) Interpres transtulit iuxta sensum proprium, & fecit initium sequentis particulæ, non solùm mutando sensum; sed segregando à præcedenti particula.

PERGIT SPIRITVS, ET IN CIRCVLOS SVOS REVERTITVR. Iuxta Hebræum habetur: *Vadit ventus, & super circuitus suos reuertitur ventus.* Perspicuum est, quòd vna, eademque dictio apud Hebræos anceps est ad ventum, vel spiritum: & ideò interpretationes diuersæ sunt: & ingenio, ac iudicio opus est ad discernendum, quando ventum, & quando spiritum significat. Ex eo autem, quòd in hoc loco elementorum motus circulares colliguntur, (incipit enim à terra, & terminatur ad aquas) rationabile est, quòd ventus significetur ad describendum motum quasi circularem elementi aëris: Ventus enim secundùm genus suum generatur circulariter. Vnus namque ventus secundùm circulum succedit alteri: vnde & disponuntur duodecim venti iuxta plagas cæli, & propterea de vento in genere commouente aërem dicitur: *Vadit ventus, & ad circulos suos reuertitur.* Significantérque dicit, *suos*: quoniam circulus ventorum, neque in cælo, neque in terra, nec in suprema aëris regione; sed in ista, quæ prope nos est, instabili apparet, tanquàm in proprio loco generationis ventorum. Nec sis adeò rudis, vt intelligas, eundem numero ventum ire, & reuerti: sed genus venti ire secundùm diuersos ventos, per circulum, & redire secundùm similes etiam per circulum.

Ruah, [illegible] ventum, animā, & spiritum [illegible] apud Hebr.

OMNIA FLVMINA INTRANT MARE, ET MARE NON REDVNDAT: AD LOCVM VNDE EXEVNT FLVMINA REVERTVNTVR, VT ITERVM FLVANT. Vers. 7.
Sententia redditur: quamuis Hebraicè torrentes potiùs, quàm flumina significentur: sed sensus literæ cogit ad intelligendum, flumina. Non enim mirum esset ex fluxu torrentium non impleri mare, cùm aquæ torrentium exiguæ valde sint: sed ex eo, quòd omnia flumina confluunt ad mare, & mare nunquam impletur, argumentatur Salomon circularem motum aquarum; videlicet, quòd ad locum, vnde exeunt flumina, reuertuntur, vt inde fluant. Sed ex istis non imponas Salomoni, quòd eadem numero aqua, quæ fluit ad mare, reuertatur per subterraneos meatus ad loca, vnde exeunt flumina: sed quemadmodum in terra dixit, *generationem euntem, & generationem reuertentem*, & in aëre dixit, *ventum euntem, & ventum reuertentem*: ita in aquis dicit, *aquam fluminum euntem in mare, & redeuntem ad locum, vnde exit.* Verificatur enim sententia hæc, simili modo, videlicet; quòd ex aquis eleuantur vapores, qui conuertuntur in aquas, quive humidum reddunt aërem, vt habilior sit ad hoc, vt conuertatur in aquam, in locis, in quibus generantur flumina. Istis enim duobus modis flumina reuertuntur ad loca sua: nam sic flumina in suis similibus; hoc est, in vaporibus humidis, redeunt ad loca, vnde fluunt.

Post motum aëris argumentatur Sal. motum aquarum.

Duobus modis flumina reuertuntur ad loca sua.

CVNCTÆ

CVNCTÆ RES DIFFICILES. Iuxta Hebræum habetur, *laboriosæ*. Hactenus partes vniuersi primas, (videlicet, elementa,) descripsit in motu quasi circulari; modò complectendo omnes vniuersi partes relatiue ad hominem, dicit omnes res esse laboriosas homini, procul dubiò quoad notitiam. Et propterea subiungit:

NON POTEST EAS HOMO EXPLICARE SERMONE. NON SATVRATVR OCVLVS VISV, NEC AVRIS AVDITV IMPLETVR. Hæc enim tria ad notitiam spectant. Auditus enim sensus est disciplinæ: & visus plures rerum differentias demonstrat, valdè seruiens inuentioni. Sermo autem interpres est notitiæ. Vide laborem ad cognoscendum res omnes ex hoc, quòd mens hominis insatiabilis est, tum per auditum discendo, tum per visum inueniendo, & præter hoc imbecillis est, & inualida ad explanandum sermone: desunt enim propriæ appellationes, etiam in multis, quæ nouimus.

Auditus inseruit disciplinæ, visus inuentioni, sermo interpretationi.

Nota laborē receptorem.

Vers. 9. & 10. QVID EST, QVOD FVIT? IPSVM, QVOD FVTVRVM EST. QVID EST, QVOD FACTVM EST? IPSVM, QVOD FACIENDVM EST. NIHIL SVB SOLE NOVVM. Manca est litera. Legendum est: *Quid quod fuit? ipsum quod erit: & quid quod factum fuit? ipsum quod fiet.* Deinde immediatè sequitur: *Et nihil nouum sub Sole.* Descripto circulari motu partium vniuersi ex parte rerum, describit eundem ex parte temporis. Argumentatur enim ex æternitate temporis, res omnes in motu circulari consistere, tam secundùm esse, quàm secundùm fieri. Et de esse dicit: *Quid est, quod fuit?* & respondet: *Ipsum, quod erit.* De fieri verò dicit: *Et quid est, quod factum fuit?* & respondet: *Ipsum, quod fiet.* subiungitque concludendo: *Et nihil est nouum sub Sole.* Vbi, prudens lector, aduerte duo. Alterum, quòd non est sermo de identitate numerali, sed specifica: non enim intendit, quòd istæ eædem res numero præfuerint olim, sed quòd istæ res eædem secundum speciem olim fuerunt, & erunt, olim factæ fuerunt, & fient. Et propterea infert, nihil esse nouum secundùm speciem sub Sole, hoc est, in sphæra elementari. Alterum, quòd Salomon concionando loquitur de tempore mundi, secundùm id, quod probabiliter apparet ex sensibilibus: rationes enim naturales suadent æternitatem mundi: quòd, videlicet, mundus nunquam incepit, & hac opinione (quamuis falsa, probabili tamen) vtitur Salomon hoc in loco, affirmando, nihil esse sub Sole nouum: hoc est enim, quod Philosophi tradunt, cuius tamen contrarium fides catholica tenet.

Esse, & fieri omnium in motu.

Nota duo.

Eodem modo identitatem specificam, & ponit Aben Ezra.

Vnde & hic Author ad motum celestium hoc confert.

NEC VALET QVISQVAM DICERE: ECCE HOC RECENS EST. IAM ENIM PRÆCESSIT IN SÆCVLIS, QVÆ FVERVNT ANTE NOS. Parùm refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Est res, quam dicet, vide ista, noua ipsa: iam fuit saeculis, quod fuit ante nos.* Obiicit contra dictam sententiam, quòd res aliqua noua est, dicendo: Est res, quam aliquis dicet alteri, vide ista res est noua. Et tangere videtur artes, quæ videntur nouæ. Huic autem obiectioni respondet cum Philosophia, quòd res illa iam fuit in prioribus sæculis temporis, quod fuit ante nos. Et propterea cum eisdem Philosophis subiungit.

Vers. 11. NON EST PRIORVM MEMORIA: SED NEC EORVM QVIDEM, QVÆ POSTEA FVTVRA SVNT, ERIT RECORDATIO APVD EOS, QVI FVTVRI SVNT IN NOVISSIMO. Rectiùs vltima dictio interpretatur, *in perpetuo*. Nam opinantes mundum æternum,

non ponunt tempus nouissimum, sed in æternum duraturum mundum. Ideò inquiunt, apparet noua res aliqua: quia non est memoria eorū, quæ prius fuerunt; & apud posteros non erit recordatio eorum, quæ nunc sunt, & fiunt: & propterea apparebit res aliqua noua. Istæ sunt excusationes Philosophorū, quibus vtitur Salomon.

Vers. 12. & 13. EGO ECCLESIASTES FVI REX SVPER ISRAEL IN HIERVSALEM, ET PROPOSVI IN ANIMO MEO QVÆRERE, ET INVESTIGARE SAPIENTER DE OMNIBVS, QVÆ FIVNT SVB SOLE. Iuxta Hebræū legendum est: *Et dedi cor meum ad quærendum, & ad explorandum in sapientia super omne, quod factum fuit sub cælis.* Post descriptam qualitatem vniuersorum (quòd, videlicet, omnia consistunt in motu quasi circulari) deductiua conclusionem, Salomon refert propriam authoritatem manifestando, quòd ipse concionans fuit Rex super Israël, & non super partem Israelis, vt fuerunt posteriores eo Reges: & quòd regnauit in ciuitate regali Hierusalem, in qua regnauerat Dauid pater eius. Ecce authoritas ex dignitate personæ. Ex sapientiæ autem studio subiungitur authoritas, dicendo: Et dedi cor meum ad quærendum & explorandum secundum sapientiæ regulas, omnia, quæ facta fuerunt sub cælis.

Duplex authoritas in Salom.

HANC OCCVPATIONEM PESSIMAM DEDIT DEVS FILIIS HOMINVM, VT OCCVPARENTVR IN EA. Legendum est: *Ipsam occupationem malam dedit Elohim filiis Adam, ad occupandum se in ea.* Parenthesis est hæc: interponit enim rationem, quare dederit cor suum ad inuestigandum vniuersorum, quæ sub cælis sunt, naturas, proprietates, qualitates, &c. quia Elohim, hoc est, Deus gubernator vniuersi distribuendo rebus officia, indidit hominibus hanc occupationem, vt, videlicet, exerceant mentes suas in explorando sapienter conditiones rerum, quæ sub cælis fiunt: hoc est enim officium supremum, ad quod naturaliter pertingere potest homo, & in quo excedit reliqua, quæ sunt sub Sole: nam per ista sensibilia intellecta cōspicit homo (quamuis valdè imperfectè) etiam inuisibilia Dei, vt Apostolus dicit. Appellat autem occupationem hanc malam: tum, quia afflictiua est hominis; tum, quia longa ac diminuta valdè est. Minimum enim quid scitur cum tanto studio, ac labore ab homine: & tam exiguum est, vt pro nihilo haberi possit.

Officium supremum humanum.

Occupatio mala duplici de causa.

Vers. 14. VIDI CVNCTA, QVÆ FIVNT SVB SOLE: ET ECCE VNIVERSA VANITAS, ET AFFLICTIO SPIRITVS. Sententia redditur: dictio tamen interpretata, *afflictio*, sonat, *fractio*, & deficit vna dictio. Legendum est, *Vidi omnia opera*, &c. Affirmat post tantum studium vidisse omnia opera, quæ facta sunt sub Sole: vidisse autem mentis oculis omnia opera, non singulariter singula inspiciendo; sed omnia, quatenus vniuersi partes sunt. Sic enim collegit omnia, quæ fiunt in sphæra elementorum, vt testantur suprascripta. Quid autem ex hac visione concluserit, subiungit dicendo: *Et ecce omnia vanitas, & fractio spiritus.* Hæc est conclusio totius præhabiti discursus. Et dicit, *ecce*, demonstrando ex præmissis apparere in promptu vanitatem vniuersorum. Vbi aduerte, quòd quia res consistens in motu est valdè instabilis, (nil enim est instabilius motu,) propterea Salomon dubitanter res omnes considerauit, quatenus cōsistūt in motu quasi circulari, vt concluderet vniuersa esse vana, modicæ æstimationis. Et quia

Conclusio præcedentis discursus.

Nihil instabilius motu.

inter istas res sub Sole supputatur homo: ideò etiam hominem, & vniuersa reliqua, vana esse ad felicitatem habendam significatur. Plùs suum eò includit, quàm proposuerit. Nam propositum duntaxat, *omnia vanitas*: infert autem duo,
Duo conclusiones Salom. videlicet, *omnia vanitas, & fractio spiritus*. Verùm hanc secundam conclusionis particulam, quia non ex præmissis deduxerat, ideò tanquàm adiectam probat subiungendo:

Vers. 15. PERVERSI DIFFICILE CORRIGVNTVR: ET STVLTORVM INFINITVS EST NVMERVS. Iuxta Hebræum habetur: *Tortum non potest aptari: & defectus non potest numerari*. Humanus itaque spiritus frangitur (hoc est, ad instar rei, quæ frangitur, impellitur, retrahitur, & in diuersa retorquetur,) ex consideratione omnium, quæ fiunt sub Sole: eò quod considerat in eis multa torta, quæ homo non potest dirigere, & aptare; & considerat in eis tot defectus, quòd nec numerari
Defectus naturales, animales, & rationales. possunt. Inuenitur enim magna multitudo in operibus naturæ, & animalium, & hominum, tam defectuum, quàm iniuriarum; putà quòd agnus capitur à lupo, quòd segetes destruuntur ab imbribus, vel caumatibus; quòd iusti opprimuntur ab iniustis, &c. Et ideò spiritus hominis tendens ad rectitudinem & integritatem, frangitur occurrentibus tot defectibus & obliquitatibus.

Vers. 16. LOCVTVS SVM IN CORDE MEO DICENS: ECCE MAGNVS EFFECTVS SVM, ET PRÆCESSI OMNES SAPIENTIA, QVI FVERVNT ANTE ME IN HIERVSALEM. Postquàm explicauit, quòd omnia vanitas, adiciendo, quòd etiam sunt fractio spiritus, intendit manifestare interpositam sententiam, videlicet, hanc occupationem malam dedit Elohim filiis hominum, intendens aperire, non quòd est vanitas; sed quòd est fractio spiritus: hæc enim malitia eius est. Manifestat autem introducendo proprias cogitationes, proprium studium, propriumque factum. Et de cogitationibus quidem propriis dicit, *locutus sum*, &c. Quòd autem dicit se sapientiorem omnibus, qui fuerunt ante ipsum in Hierusalem, intellige de sapientia humana, de qua commendatur
3. Reg. 4. 3. Reg. cap. 4. Dauid enim fuit sapientior ipso, sapientia diuina.

ET MENS MEA CONTEMPLATA EST MVLTA SAPIENTER, ET DIDICI. Iuxta Hebræum habetur: *Et cor meum vidit multam sapientiam, & scientiam*. Hoc est, & intima mea viderunt tam sapientiam, quàm scientiam esse multam, hoc est, habere latitudinem magnam, & in multas distingui partes.

Vers. 17. DEDIQVE COR MEVM, VT SCIREM PRVDENTIAM, ATQVE DOCTRINAM, ERRORESQVE, ET STVLTITIAM. Iuxta Hebræum habetur, *Et dedi cor meum ad sciendum sapientiam, & sciendum tricas, & stultitiam*. Dictio interpretata, *tricas*, sonat, *mixtionem*, *intricationem operum*, *seu negotiationum*. Post itaque visam multitudinem scientiarum, consequenter applicauit cor suum ad sciendum tria, videlicet, sapientiam secundum totam scientiarum latitudinem; & opera negotiationum etiam intricata, quibus humanum genus valdè se miscet, & stultitiam, hoc est, multitudinem imprudentiarum, quibus homines abundant; parabolas quoque propter hæc edidit.

Per tria se consequenter manifestat ... [illegible]

ET AGNOVI QVÒD IN HIS QVOQVE ESSET LABOR, ET AFFLICTIO SPIRITVS. Pariter ... quòd Hebraicè habetur: *Spiritus* ... etiam hoc ipse fractio spiritus. Ecce fructus studij notitia, quòd ipsorum studium sciendi est fractio spiritus: immò est ipsa spiritus fractio, pro quanto est præcipua ratio, quòd frangatur spiritus. Ignorantes enim suos prosequuntur spiritus, suis aguntur impulsibus.

ET QVÒD IN MVLTA SAPIENTIA MVLTA SIT INDIGNATIO: ET QVI ADDIT SCIENTIAM, ADDIT ET LABOREM. Iuxta Hebræum habetur: *Quia in multitudine scientia multa ira: & addit scire, addet dolorem*. Aduerte hic, quòd sapientia secundùm se non est ratio irascendi, ac per hoc multitudo sapientiæ non efficit multam iram: sed per accidens sapientia multa est ratio iræ, pro quanto magnitudo sapientiæ reddit magnam & vindicta dignam iniuriam omnem, quæ irrogatur sapienti, & ratione huius effectus verificatur hæc sententia: & ipsa magnitudo sapientiæ probatur fractio spiritus ratione concomitantis iræ. Similiter scientia secundùm seipsam non est ratio dolendi, sed gaudendi, (est enim perfectio intellectus, & præcipuum animæ bonum:) sed per accidens, videlicet, ratione scriptorum adiungit tristitiam, pro quanto cognoscuntur aduersantia multa. Quantò enim homo plura cognoscit sibi contraria, tantò maiorem habet tristitiæ rationem. Ratione itaque, tum bonorum quibus priuamur; tum malorum, quæ patimur, additio scientiæ addit dolorem: liberando hæc. Et ad literam est sermo de sapientia, & scientia humana, quæ humano studio acquiritur, vt testatur litera dicendo: *Et dedi cor meum ad sciendum sapientiam, &c.*

CAPVT II.

DIXI ERGO IN CORDE MEO. Errore Scriptorum legitur, *ergo*: nam legendum est, *ego*. Non enim inferendo transit ad aliam materiam; sed absolutè prosequitur narrando, quid ipse secum contulerit.

VADAM, ET AFFLVAM DELICIIS: ET FRVAR BONIS. Iuxta Hebræum habetur: *Vade nunc, miscebo gaudium, & videre in bono*. Dictio interpretata, *miscebo*, potest quoque interpretari, *experiar*. Ecce quid dixit in corde suo, videlicet: *Vade nunc*. Dixerat in calce præcedentis capituli de proprio corde: *Et dedi cor meum ad sciendum, &c.* Et ideò allocutus postea est cor suum dicendo ei, *Vade nunc*, ne me impedias à nostro proposito prosequendi delectabilia. Et aptissimè vacaturus delectationibus emittit cor deditum occupationi sciendi: quoniam non stant simul. Et ne penitùs emittere videatur, non dicit, vade; sed, *vade nunc*, recede pro hoc tempore. Quorsum autem aperit dicendo, miscebo gaudium, & videre bonum, vacabo delectabilibus; & percipiam bonum vtile, ac delectabile. Cerne ordinem: primùm disseruit de vanitate vniuersi, deinde disseruit de studio sapientiæ, & scientiæ, in quibus consistit sapientia mentis humanæ perfectio, & non conclusit vanitatem, sed fractionem spiritus. Tertio autem loco hic, scilicet, disserit de fruitione delectabilium in [illegible], & aliis appetibilibus, quæ delectant homines. Proponit autem hæc iuxta Hebraicam veritatem sub ratione misce[ndi], vt intelligamus non genitus [illegible] modestum habuisse propositum, sed

miscendo

miscendi sapientiæ, & scientiæ fruitionem externorum bonorum vtilium, ac delectabilium. Et proptereà eligenda est prima lectio explicans huiusmodi mixtionem. Duo itaque se desiderasse explicat, videlicet gaudium, & videre bonum; hoc est, percipere sensibus, & videre bonum; hoc est, cognoscere bonum vtile, ac delectabile; & delectari, ac frui illis. Ambo siquidem hæc miscebo, inquit, cum præmissis sapientiæ, & scientiæ, tum inter sese.

Duo desiderat Salom.

Vers. 2.
Et vidi, quòd hoc quoque esset vanitas. Parum refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Et ecce etiam vanitas.* Obiicit oppositum dicto suo proposito dicendo, quòd in promptu apparuit vanitas gaudij, & fruitionis bonorum.

Risum reputavi errorem: et gaudio dixi: Quid frustra deciperis? Iuxta Hebræum habetur: *Risui dixi, stultitia: & gaudio, quid hoc facis?* Apparente vanitate gaudij, consequenter nominauit risum stultitiam. Risus enim effectus est lætitiæ, & similiter gaudium accusauit vanitatis, dicendo, quid hoc facis? quasi dicendo quòd nihil facis. Contra deditos delectabilibus, obiicit, quòd gaudium nihil facit, & risus signum gaudij est species stultitiæ. Risus enim ratio attribuitur sapienti, & gaudia nihil egregij pariunt.

Risus effectus lætitiæ, & species stultitiæ.

Vers. 3.
Cogitavi in corde meo abstrahere a vino carnem meam. Iuxta Hebræum habetur: *Explorans in corde meo ad trahendum in vino carnem meam.* Totum oppositum eius, quod scribitur in vulgata editione, significatur: trahere enim propriam carnem in vino, est esse bibacem, & nunquàm sobrium: huiusmodi enim homines vitam suam trahunt in vino: & quoniam priuantur actibus veræ vitæ rationalis, vtpote nunquam plenè sobrij; ideò non tam vitam, quàm carnem suam trahunt, non ducunt vsque ad mortem. Accumulat siquidem Ecclesiastes delectationes, quæ occurrunt cordi suo, vt declaret multas simul vanitates. Propter hoc enim tractando de risu, & gaudio, adiungit ebrietatem, describendo eam, quòd est tractus carnis in vino. Et si ebrietas fuerit iugis, trahitur (videlicet) caro vsque ad mortem: si verò fuerit ad tempus, trahitur caro pro illo tempore, quo durat ebrietas. Et quia perspicaciter considerat ebrietatis effectum, ideò dicit: *Explorans in corde meo, quorsum tendat ebrietas*, videlicet, ad trahendum in vino carnem meam.

Ebrietatis effectus.

Vt animum meum transferrem ad sapientiam, devitaremque stultitiam. Iuxta Hebræum habetur: *Et cor meum assuescens in sapientia, & ad tenendum stultitiam.* Contra intentionem explorandam in corde proprio, obseruantiam proprij cordis, narrando, quòd cor suum ipsa ebrietate assuefecit in sapientia, & ad tenendum stultitiam; hoc est, assuefecit ad tenendum stultitiam, ne debaccharetur in eam, & ad vtendum sapientia in actionibus suis.

Donec viderem, quid esset vtile filiis hominum, quo facto opus est sub sole numero dierum vitæ suæ. Clarè iuxta Hebræum habetur: *Vsquequò videbo, quale hoc bonum filiis Adam, quod facient sub cælis numerum dierum vitæ eorum.* Inter occurrentes delectationes varias vtilium, ac delectabilium, & specialiter ebrietatis, dicit, quòd cor suum exercuit in abstrahendo à stultitia, & vtendo sapientia, vsquequò videret mentis oculis, quale est illud bonum hominum, quod facere deberent homines, non vno mense, aut anno; sed omnibus diebus vitæ eorum. Studium significatur ad inquirendum, quale est illud, quod est verè bonum exercendum ab homine in tota vita eius. Et hinc tu, prudens lector, intentionem Salomonis in hoc libro sume. Ad hoc enim dixit de vanitatibus, vt ostendat, nullum humanum opus esse tale: videlicet, bonum homini faciendum, per totam hominis vitam.

Nota intentionem Ecclesiastæ.

Vers. 4.
Magnificavi opera mea: ædificavi mihi domos, et plantavi mihi vineas.

Vers. 5.
Feci mihi hortos, et pomaria et consevi ea cuncti generis arboribus.

Vers. 6.
Et extruxi mihi piscinas aquarum: vt irrigarem silvam lignorum germinantium.

Vers. 7.
Possedi servos, et ancillas, multamque familiam habui: armenta quoque, et magnos ovium greges, vltra omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem.

Vers. 8.
Coacervavi etiam mihi argentum, et aurum, et substantias regum, et provinciarum: feci mihi cantores, et cantatrices, et delicias filiorum hominum. Proposuerat duo in genere, videlicet, miscere gaudium, & videre bonum: & consequenter narrauit dispositionem cordis sui circa hæc: modò ab experientia manifestat vanitatem horum. In hac autem narratione experimentorum diuitiarum, & deliciarum, quia clara est, non est expositione opus, sed aliqua correptione literæ.

Scyphos et vrceolos in ministerio ad vina fundenda. Quot interpretes, tot interpretationes: alij ministros vini, & ministras, alij instrumenta musica, alij mulieres electas ex præda, alij plaustra, & plaustrula interpretantur. Quo fit, vt incerti reddamur: sed materia non eget exacta discussione.

Pro Scidah, [illegible]

Vers. 9.
Et supergressus sum opibus omnes, qui fuerunt ante me in Hierusalem. Superfluit dictio, opibus.

Sapientia quoque perseveravit mecum. Deficit pronomen, mea. Fatetur enim, quòd inter hæc non perdidit propriam sapientiam: & proptereà quod subiungit:

Vers. 10.
Et omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis. intelligendum est seruata sapientia.

Nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, et oblectaret se in his, quæ præparaveram. Iuxta Hebræum legendum esset, *Nec prohibui cor meum ab omni lætitia, quia cor meum lætatum est de omni labore meo.* Cuiuslibet laboris eius prosper successus describitur.

Et hanc ratus sum partem meam, si vterer labore meo. Iuxta Hebræum habetur: *Et hæc portio mea fuit, ex omni labore meo.* Fructus laborum suorum describitur gaudium, ex eo quòd prosperè omnia succedebant.

Vers. 11.
Cumque me convertissem ad vniversa opera, quæ fecerant manus meæ, et ad labores, in quibus frustra sudaveram. Non est in Hebræo *frustrà*; sed *Et in labore, quo laboraui ad faciendum.* Contemplatus est enim & opera quæ fecerat, & laborem quem adhibuerat ad faciendum.

Vidi in omnibus vanitatem, et afflictionem animi, et nihil permanere sub Sole. Iuxta Hebræum legendum est: *Et ecce totum vanitas & fractio spiritus, & non refidaum*

residuum sub Sole. Concludit, quòd vniuersa congregatio diuitiarum, deliciarum, & gaudij, apparuit vanitas, & afflictio spiritus, quæ duo intellige, vt supra. Tertium autem adiunctum (*& non residuum sub Sole,*) apponi- hic videlicet, *& non residuum sub Sole,*) apponitur ad significandum, quòd etiam apparuit nihil superesse homini ex his omnibus, quæ sub Sole fiunt. Et directè respondet hæc particula quæstioni in principio libri huius propositæ: videlicet: *Quid superest homini ex omni labore suo, quo laborat sub Sole?* Respondet enim nunc. Et [illegible] non superest sub Sole. Hoc est, præter [illegible] præsentium, quæ sunt vana, & [illegible] nihil homini superest ad felicitatem hominis. Hæc enim inquiritur.

Vers. 12. TRANSIVI AD CONTEMPLANDAM SAPIENTIAM, ERRORESQUE, ET STVLTITIAM. Pro [illegible] quod iuxta Hebræum habetur: *Et verti me ego ad videndum sapientiam, & [illegible], & stultitiam.* [illegible] in calce primi capituli dixerit: *Et dedi [illegible] ad sciendum sapientiam, & [illegible] & stultitiam.* modo dicit, quòd verti se ad videndum sapientiam & [illegible], & stultitiam [illegible]

Q[illegible]

[illegible]

[illegible] *in capite eius.* Quod dupliciter intelligi potest [illegible] *sapientis oculi* secundum officium [illegible] *in capite* (hoc est, in principio operis [illegible] operatur tanquam in tenebris con[illegible] finem (quod principium est) operis [illegible] media congrua ad finem: sapientis [illegible] caput, hoc est, principium operis, [illegible] est, & consequenter vident media. Vel [illegible] sapientis oculi vident propriam [illegible] reflexè, tanquam in speculo: cum quodam luce [illegible] primum noscunt seipsos, & sic omnium [illegible] operantur: stultus autem ambulat in tenebris [illegible] cognoscens seipsum.

[illegible] QVOD VNVS VTRIVSQVE [illegible] Iuxta Hebræum habetur: *Et [illegible] quod euentus vnus eueniet omnibus ijs.* [illegible] disputationem tantam inter sapientem, [illegible] & quod conueniunt in eo, [illegible] similia eueniunt omnibus ipsis, [illegible] & [illegible] Hæc enim valde [illegible]

[illegible] in corde meo: Si vnus, [illegible] QVIA [illegible] NON [illegible] SAPIENTIÆ [illegible] Iuxta Hebræum habetur. *Et dixi ego in corde meo. Sicut euentus stulti, etiam eueniet mihi, & quare [illegible] sapiens ego tunc magis?* Cogitauit enim, conferendo similitudinem euentuum [illegible] disparitate sapientiæ: & quia sicut euenit stulto, ita etiam eueniet mihi sapienti: ideo [illegible] sapiens, hoc est, studui, vt fierem, & factus sum sapiens?

[illegible] VANITAS [illegible] *Et loquutus sum [illegible] corde, quod etiam hoc vanitas.* Cum cogitasset, [illegible] quid hoc, videlicet, [illegible] vanitas. Respexit [illegible]

NON ENIM ERIT MEMORIA [illegible]

[illegible]

Quinque vanitates annexæ sapientiæ.

spiritus. Iuxta Hebræum habetur: *Et odi vitam: quia malum super me opus, quod factum fuit sub Sole: quia totum vanitas, & fractio spiritus.* Prætulerat sapientem stulto, subiungendo tamen, quòd attudat sapientiæ etiam esse vanitas: colligit modò vanitates quinque annexas sapientiæ. Et proptereà introducit seipsum, quem factum sapientem paulò antè dixit, odio in primis habentem vitam, eò quòd videt, imò experitur opus vniuersum, quod fit sub Sole, esse malum sibi, seu supra se. Et rationem subdit: *Quia totum est vanitas, & fractio spiritus.* Imprudentes enim hæc non considerant, & ideò lætam ducunt vitam: ego autem sapiens odio habui vitam: quia repleta est malis. Omnia enim, quæ sub Sole fiunt, sunt mihi mala, ingerunt mihi mœstitiam: *Quia omnia sunt vanitas, & fractio spiritus.*

Prima vanitas.

Vers. 18. RVRSVS DETESTATVS SVM OMNEM INDVSTRIAM MEAM, QVA SVB SOLE STVDIOSISSIME LABORAVI, HABITVRVS HÆREDEM POST ME,

Vers. 19. QVEM IGNORO, VTRVM SAPIENS, AN STVLTVS FVTVRVS SIT, ET DOMINABITVR IN LABORIBVS MEIS, QVIBVS DESVDAVI, ET SOLLICITVS FVI. ET EST QVICQVAM TAM VANVM? Clausula hæc iuxta Hebræum sic habetur: *Et odi ego omnem laborem meum, quo laboro sub Sole: quia dimittam illū homini, qui erit post me. Et quis scit, an sapiens erit, vel stultus, & dominabitur omni labori meo, in quo laboraui, & in quo sapui sub Sole? etiam hoc vanitas.* Secundam sapientis vanitatem narrat, in propria quoque persona; odium, videlicet, laboris proprij relatiuè ad successorem. Considerat enim sapiens, quòd incertus est, an successor futurus sit sapiens, vel stultus: & consequenter quòd fortè stultus dominabitur omnibus, quæ sapiens cum tanto labore, & cum tanta sapientia effecit. Et proptereà infert, etiam hoc esse vanitatem: & pronomen, *hoc*, demonstrat, odium huiusmodi laboris cum causa eius.

Secunda vanitas.

Vers. 20. VNDE CESSAVI, RENVNCIAVITQVE COR MEVM VLTRA LABORARE SVB SOLE.

Vers. 21. NAM CVM ALIVS LABORET IN SAPIENTIA, ET DOCTRINA, ET SOLLICITVDINE, HOMINI OTIOSO QVÆSITA DIMITTIT: ET HOC QVOQVE VANITAS, ET MAGNVM MALVM. Iuxta Hebræum habetur: *Et verti ego ad faciendum desperare cor meum super omni labore, quo laboraui sub Sole. Quia est homo, cuius labor in sapientia, & scientia, & in rectitudine, & homini, qui non laborauit in illo dabit ipse partem suam: & hoc vanitas, & malum magnum.* Tertia sapientis vanitas introducitur etiam in propria persona: & est fastidium laboris relatiuè ad priuationem eorum, quæ tanto labore, sapientia, atque scientia, & rectitudine parta: priuationem, inquam: quia quandoque oportet sapientem ac rectum, dare partem suam homini, qui nihil laborauit secum. Frequenter enim accidit oportere dare huiusmodi hominibus, putà viris militantibus vexantibus, vel curialibus, vel tyrannis, &c. Et hoc scilicet oportere dare partem suam sic, non solùm est vanitas, sed malum magnum. Et similiter effectus eius, scilicet, fastidium laboris est vanitas, & malum est magnum.

Tertia vanitas.

Vers. 22. QVID ENIM PRODERIT HOMINI DE VNIVERSO LABORE SVO, ET AFFLICTIONE SPIRITVS, QVA SVB SOLE CRVCIATVS EST?

Vers. 23. CVNCTI DIES EIVS LABORIBVS, ET ÆRVMNIS PLENI SVNT, NEC PER NOCTEM MENTE REQVIESCIT. ET HÆC NONNE VANITAS EST? Hæc quoque clausula iuxta Hebræum habetur: *Quid enim est homini in omni labore suo, & in fractione cordis sui, quo laborauit sub Sole? Quia omnes dies eius dolore affecti, & ira exercitatio eius, etiam in nocte non quiescit cor eius: etiam hoc vanitas.* Quartam sapientis vanitatem introducit inquirendo, quis est fructus laborum exteriorum, & laboris interni: relatiuè ad iuges labores, & iram in die, & inquietudinem animi in nocte: experimur enim in die multas tristitias, multásque iracundias, in iis, quibus exercemur: in nocte verò inquietudinem, ob ea, quæ occurrerunt, vel imminent agenda, vel patienda. Et proptereà respondendo interrogationi: *Quid est homini?* quis fructus superest homini de labore interno & externo dicit, quòd est vanitas.

Quarta vanitas in labore interno, & externo, & in nocte quarta.

Vers. 24. NONNE MELIVS EST COMEDERE, ET BIBERE, ET OSTENDERE ANIMÆ SVÆ BONA DE LABORIBVS SVIS? ET HOC DE MANV DEI EST. Clausula hæc iuxta Hebræum habetur: *Non bonum in homine, quàm comedat, & bibat, & faciat videre animam suam bonum in labore suo: etiam hoc vidi ego, quod de manu Elohim ipsum.* Quinta sapientiæ vanitas introducitur, & consistens in duobus, videlicet, cibo, & potu sibi bono fructu propriorum laborum. Introducit autem hanc vanitatem cum exclusione dicendo, non bonum in homine. Ex eo enim, quòd vita, labor, tempúsque, sapienti displicent, infert nullum aliud esse bonum in homine, nisi pascere seipsum, & frui fructu bono laboris proprij. Et qualificat huiusmodi bonum, eò quòd vidit hoc concedi homini de manu (hoc est, de operatione) Elohim Dei gubernantis vniuersum.

Quinta vanitas in duobus consistit.

Bonum duplex in homine.

Vers. 25. QVIS ITA DEVORABIT, ET DELICIIS AFFLVET, VT EGO? Iuxta Hebræum habetur: *Quia quis comedet, & quis accelerabit extrà plus me?* Ratio redditur vtriusque dicti, videlicet, nō bonū in homine, nisi comedere, & bibere. Et quoad cibum, & potum, reddit rationem experientia in seipso dicendo; *Quia quis comedet plus me?* & quoad videre bonum proprij laboris rationes similiter reddit expertus dicendo: *Et quis accelerabit extrà plusquàm ego?* accelerabit videre bonum proprij laboris extrinseci. Salomon enim abundauit cibo maximè: vt scribitur 3. Reg. 4. & celeriter ædificauit templum, tot palatia, & exercuit negotiationes, omniumque operum suorum successus prosperos vidit. Et proptereà ex propria experientia testatur, non inuenisse aliud bonum in homine, quàm hoc.

Ratio vtriusque boni ex experientia.

3. Reg. 4.

Vers. 26. HOMINI BONO IN CONSPECTV SVO DEDIT DEVS SAPIENTIAM, ET SCIENTIAM, ET LÆTITIAM. PECCATORI AVTEM DEDIT AFFLICTIONEM, ET CVRAM SVPERFLVAM, VT ADDAT, ET CONGREGET, ET TRADAT EI, QVI PLACVIT DEO. Deficit prima dictio. Nam iuxta Hebræum habetur: *Quia homini, qui bonus coram eo, dedit sapientiam, & scire, & lætari: & peccatori dedit occupationem ad colligendum, & congregandum, ad dandum bono in conspectu Elohim.* Probat aliud, quod dixerat, videlicet, *etiam hoc vidi, quod de manu Elohim.* Probat autem ex disparitate inter virum gratum Deo, & peccatorē, relatiuè ad gubernationē diuinā. Et consistit disparitas in hoc, quòd Elohim homini bono in cōspectu eius (hoc est, grato sibi) dedit sapiētiā, &

scien-

scere, & lætari. In hic enim comprehenditur comedere, & bibere, & frui bono laboris proprij. Peccatori autem dedit, quòd occupetur ad multiplicandum opes, non vt ipse peccator fruatur [illegible] vt iniuriis det bono in conspectu Elohim. Et ex hoc, quòd Deus priuat peccatorem [illegible] proprij laboris, apparet, quòd donum Dei [illegible], quòd homo fruatur bono ex proprio labore. [illegible], prudens lector, afferri hæc à Salomone [illegible] ad probandum, quòd ipsemet vidit, hoc [illegible] Elohim: & hauries, quòd hæc, quæ [illegible] de viro grato Deo, & peccatore, verificata [illegible] de Dauide patre suo homine grato Deo, [illegible] Ammonitis, Moabitis, Syris, & aliis peccatoribus, qui congregauerant opes non sibi ipsis, sed Dauidi.

SED ET HOC VANITAS EST, ET CASSA SOLLICITVDO MENTIS. Iuxta Hebræum habetur: *Etiam hoc vanitas, & pastio spiritus*. Pronomen, *hoc*, demonstrat comedere, & bibere, & frui bono proprij laboris. Et est sensus, quòd, quamuis hoc sit bonum & donum Dei, est tamen vanitas, quia modicæ æstimationis est, & [illegible], quia commune est [illegible] peccatoribus, sapientibus, & insipientibus.

CAPVT III.

Vers. 1. OMNIA TEMPVS HABENT: ET SVIS SPATIIS TRANSEVNT VNIVERSA SVB CAELO. [illegible] refert, quòd [illegible] [illegible] de vanitatibus [illegible] [illegible] quòd nihil [illegible] hominum cum [illegible] [illegible] vicissitudine [illegible] [illegible] Et in genere [illegible] omnibus est tempus [illegible] interpretatur [illegible] sensus [illegible] [illegible] Alteratio [illegible] tempus [illegible] nullum [illegible] re, sed quandoque est, quòd [illegible] manifestat habet suam periodum [illegible] multitudo, ex [illegible]

Vers. 2. TEMPVS NASCENDI, ET TEMPVS MORIENDI. Incipit inducere quatuor contrarietates spectantes ad generationem, & corruptionem. Prima [illegible] est inter nasci, & mori. [illegible] dicitur, æquale est tempus generationis, & corruptionis secundum [illegible] quo homo perficitur [illegible] quidem [illegible] quinque annorum. [illegible] [illegible] ad [illegible] [illegible] hac ad [illegible].

[illegible] TEMPVS PLANTANDI, ET TEMPVS EVELLENDI QVOD PLANTATVM EST.

Vers. 3. TEMPVS OCCIDENDI, ET TEMPVS SANANDI. TEMPVS DESTRVENDI, ET TEMPVS AEDIFICANDI. Plantare [illegible], & ædificare [illegible] spectant ad generandum, & [illegible] contraria (euellere, occidere, & destruere) spectant ad corruptionem. Prima quidem respectu vegetabilium: secunda verò respectu animalium: tertia autem respectu artificialium.

Vers. 4. TEMPVS FLENDI, ET TEMPVS RIDENDI. TEMPVS PLANGENDI, ET TEMPVS SALTANDI.

Vers. 5. TEMPVS SPARGENDI LAPIDES, ET TEMPVS COLLIGENDI. TEMPVS AMPLEXANDI, ET TEMPVS LONGE FIERI AB AMPLEXIBVS. Istæ quatuor contrarietates, ad delectabile bonum spectant: & vbi habitur: *Tempus plangendi*, legendum esset: *Tempus lamentandi*. Verùm quæstio suboritur, quonam pacto inter contrarietates delectabilium, & tristium admiscetur: *Tempus spargendi lapides, & tempus colligendi lapides?* Et dictio interpretata, *spargendi*, sonat, *proiiciendi*. Colligere siquidem lapides, vel proiicere, non spectat ad delectabile, nisi sit sermo de lapidibus pretiosis, quorum collectio delectat: & verum est, certa currere tempora, quibus homines student colligendis lapidibus pretiosis, & rursus alia obueniunt tempora, quibus homines nituntur abdicare a se lapides pretiosos, & quasi proiicere illos: perinde ac si diceretur: Tempus colligendi ornamenta, & tempus proiiciendi illa.

Vers. 6. TEMPVS ACQVIRENDI, ET TEMPVS PERDENDI. TEMPVS CVSTODIENDI, ET TEMPVS ABIICIENDI.

Vers. 7. TEMPVS SCINDENDI, ET TEMPVS CONSVENDI. Istæ tres contrarietates spectant ad bonum vtile: nec egent expositione.

TEMPVS TACENDI, ET TEMPVS LOQVENDI.

Vers. 8. TEMPVS DILECTIONIS, ET TEMPVS ODII. TEMPVS BELLI, ET TEMPVS PACIS. Istæ tres contrarietates ad homines, quatenus est animal sociale, spectant. Locutio enim, & amor, & pax cum eorum contrariis, ad societatem spectant humanam.

Vers. 9. QVID HABET AMPLIVS HOMO DE LABORE SVO? Sententia redditur: Hebraicè tamen habetur: *Quæ præstantia facientis, in quo ipse laborat?* Quasi dicat, nulla. Huc enim tendit vniuersa dicta temporum inductio, ad inferendum, videlicet, quòd homo laborans in faciendo, in quo est factus, in nullo excellit, nulli præstans. [illegible] enim, quòd vtraque que hominis actio suo contrario tempore transit, & contraria pariter succedit, patet quòd nihil superest faciendi, & laborantis: vicissitudines enim contrariorum manifestant nihil superesse. Quia tamen conclusio hæc non est adhuc manifesta, ideò Ecclesiastes manifestaturus eam, subiungit, se lustrasse vniuersam hominis occupationem dicendo:

Vers. 10. VIDI AFFLICTIONEM, QVAM DEDIT DEVS FILIIS HOMINVM, VT DISTENDANTVR IN EA. Iuxta Hebræum habetur: *Vidi occupationem, quam dedit Elohim filiis Adam, ad occupandum se in ea*. Declaraturus proposita, dicit, se vidisse vniuersa exercitia, quibus gubernator vniuersi Deus exercet homines, libero intercedente hominis arbitrio.

Vers. 11. VNIVERSA FECIT BONA IN TEMPORE SVO. Vniuersa, quod in singulari numero scribitur. *Omne fecit pulchrum in tempore suo*. Vi[illegible] hac lustratione, quòd Elohim [illegible] omnia [illegible] effecit pulchrum, [illegible] tempore, sed in tempore suo. Vnde contraria [illegible] fieri à Deo [illegible], & pulchra vtrumque quodlibet in tempore suo. Et per hoc declaratur vicissitudinem temporum suprà dictam, & bo[illegible]

nat, & à Deo gubernante vniuersum esse.

ET MVNDVM TRADIDIT DISPVTATIONI EORVM, VT NON INVENIAT HOMO OPVS, QVOD OPERATVS EST DEVS AB INITIO VSQVE AD FINEM. Dictio interpretata, *mundum*, sonat etiam, *perpetuum*, & propterea legendum potiùs est: *Etiam perpetuum dedit in corde eorum, à sine quo non inueniet homo opus, quod fecit Elohim à capite, & vsque in finem.*

Homini contrariorum, respectu diuinæ prouidentiæ, licet sint vniuersi.

Quamuis viderem singula contraria hominum opera, bona, seu pulchra, non semper, sed suo tempore; attamen vidi etiam in corde hominum perpetuum, hoc est, perpetuitatis appetitum, (omnes enim vellemus esse immortales,) à sine quo perpetuitatis appetitu homo non inueniet opus Dei à principio vsque ad finem, hoc est, secluso perpetuitatis appetitu homo nihil inueniet diuini operis, eò quòd nihil diuini operis inquiret, nullum adhibebit studium ad hoc, vt sciat opera, quæ fecit Deus à capite, & vsque ad finem, hoc est, totum prætermittet. Adscribit itaque Ecclesiastes humanum studiū ad inquirendum opera Dei appetitui perpetuitatis, ita quòd sine eo nihil inquiret, nihil inueniet operis. Et verificari hoc apparet in Philosophis inquirentibus naturas rerum, quæ sunt opera Dei amore perpetuitatis, vt essent perpetui in memoria hominum. Quanta autem sit vis appetitus perpetuitatis lodatæ humano cordi, testantur gesta etiam ethnicorum; & eorum, qui nihil credunt cœlestis patriæ.

Vers.12. ET COGNOVI, QVÒD NON ESSET MELIVS, NISI LÆTARI, ET FACERE BENE IN VITA SVA. Iuxta Hebræum legendum est: *Sciui, quia non bonum in eis, nisi lætari, & facere bonum in vita sua.* Inter videndum opera hominum, & singula tempore suo pulchra, & appetitū perpetuitatis in corde hominum, cognoui in primis, quòd non est bonum in eis, (scilicet, operibus hominum,) nisi lætari, & benefacere, durante vita sua, & per hoc respondet ad quæsitum, quæ præstantia facientis, in quo homo laborat? Respondet enim, quòd nulla est præstantia, sed hoc solummodo boni est in operibus hominum, lætari videlicet, & benefacere, quandiu homo viuit. Et his adiungit

Et appetitum perpetuitatis ita entimr. quòd omnes homines natura fecit desiderant. Omnia vanitas præter Deum cœli seruire.

Vers.13. OMNIS ENIM HOMO, QVI COMEDIT, ET BIBIT, ET VIDET BONVM DE LABORE SVO, HOC DONVM DEI EST. Iuxta Hebræum habetur alter contextus: *Et etiam omnis homo, qui comedet, & bibet, & videbit bonum in omni labore suo, donum Elohim ipsum.* Sciui etiam hoc, quod superiùs dixi, videlicet, esse donum Dei gubernantis vniuersum, quod homo lætetur comedendo, & bibendo, & videndo, hoc est, percipiendo bonum laboris proprij. Vbi aduerte, prudens lector, quòd oratio concionantis crescit. Nam superiùs circa calcem præcedentis capituli, intulerat hæc eadem absque illa particula, *& benefacere*: modò autem adiungit, quòd bonum in operibus hominum, est non solùm donari gaudio, &c. sed etiam benefacere: & vtrunque quandiu homo viuit.

Omne datū optimum, & omne donum perfectū desursum est.

Vers.14. DIDICI, QVÒD OMNIA OPERA, QVÆ FECIT DEVS, PERSEVERENT IN PERPETVVM. Iuxta Hebræum habetur: *Sciui, quod omne, quod faciet Elohim, ipsum erit in perpetuum.* Dictio interpretata, *in perpetuum*, sonare quoque potest, *in sæculum.* Et si legitur, *in sæculum*, sensus planus est, quòd quicquid facit Deus, illud erit in suo sæculo, in sua periodo. *Si verò legitur, in perpetuum*, non est sensus, quòd quicquid faciet Deus [illegible] erit perpetuum; quoniam multa faciet, quæ corrumpentur: sed est sensus, quòd in perpetuum [illegible] semper verificatur, quòd quicquid faciet Deus, [illegible] ipsum erit. Dixerat itaque, quòd inter videndum opera hominum, sciui non bonum, &c. [illegible] subiungit modò aliud cognouisse de operibus Dei, dicēdo: *Sciui, quòd omne, quod faciet Elohim, ipsum erit.* Hæc est basis totius huius discursus, [illegible] quòd in tanta temporum, humanarúmque rerum contrariarum vicissitudine, erit illud, quod faciet Elohim; & nō illud, ad quod adnititur homo, si aduersatur, hoc est, quamuis homo laboret: efficacia tamen proferendi opus est penes Deum, non penes hominem. Illud enim, quod faciet Deus erit, quantumcunque homo conetur & laboret ad faciendum contrarium.

Nam illud apud [illegible] sæculum [illegible] perpetuitatem, æternitatemque significat interdum & pro longo tempore accipitur.

Basis totius discursus.

NON POSSVMVS EIS QVICQVAM ADDERE, NEC AVFERRE. Parùm refert, quòd Hebraicè habetur: *Super illud non addendum: & illo non minuendum.* Certe efficaciam diuini [illegible] ria, non solùm erit illud, quod Deus faciet, erit sic, quòd ab eo non potest aliquid subtrahi, nec ei potest aliquid addi. Ac si apertiùs dixisset: Laboret homo, quantùm potest, & [illegible] non minuet, aut addet ad id, quod faciet Deus.

QVÆ FECIT DEVS, VT TIMEATVR. Iuxta Hebræum habetur: *Et Elohim fecit, quod timeant à facie eius.* Non disposuit Deus gubernator vniuersi tantam, ac talem efficaciam operationis, vt tolleret liberum hominis arbitrium; sed, vt homines timeant à facie Dei: [illegible] homines videntes tantam efficaciam in opere Dei, timeant à facie Dei operantis scientes etiam homines, quòd non possunt addere, aut minuere id, quod facit Deus, timere debent tantam potestatem nullo impedimento mutabilem.

Imperium diuinæ prouidentiæ [illegible]

[illegible] præcepta [illegible] manifesta est.

Vers.15. QVOD FACTVM EST, IPSVM PERMANET, QVÆ FVTVRA SVNT, IAM FVERVNT; ET DEVS INSTAVRAT, QVOD ABIIT. Parùm refert, quòd Hebraicè habetur: *Quicquid fuit, iam ipsum; & quod erit, iam fuit; & Elohim requiret persecutum.* Liceat vsurpare, *persecutum*, in significatione passiua, vt reddatur Hebraica veritas. Aduersari videtur efficaciæ diuinæ gubernationis, tam quòd in primo capitulo dictum fuerat, nihil esse sub Sole nouum, quàm vicissitudo contrariorum in hoc capitulo dicta: & proptereà ad excludendum huiusmodi obiectionem dicit, quòd quamuis quod fuit, est, & quod erit, fuit, nihil propterea adimitur efficaciæ diuini operis: quia Elohim est ille, qui requirit persecutum; hoc est, qui instaurat illud, quod passum est persecutionem, hoc est, quod fugatum est, quod desiit esse. Cōfert, prudens lector, hæc de efficacia diuinæ gubernationis dicta (videlicet, quòd illud erit absque additione, & diminutione, quod Deus faciet, & quòd Deus tempora contrariorum secundùm vicissitudines, & singula bona, & pulchra facit in tempore suo,) cum laboribus, & operibus hominum: & perpendes Ecclesiasten differere, quid superest homini laboranti; & argumentari, quòd in operibus hominis nihil est boni, nisi lætari, & benefacere: & hoc ipsum est donum Dei: quia id erit, quod Deus facit, & non potest homo illud impedire; ac per hoc intelligendum relinquit, quòd nihil superest homini laboranti

Concilians præcedentem cap. sic & Aben-Ezra interpretatur, licet alij aliter.

Rerū vicissitudines timor efficaciæ diuinæ potentiæ.

ex propriis operibus: sed ex diuina gubernatione superest homini timere Deum gubernatorem omnium.

Vers. 16. VIDI SVB SOLE IN LOCO IVDICII IMPIETATEM: ET IN LOCO IVSTITIÆ INIQVITATEM. Legendum est: *Et adhuc vidi sub Sole locum iudicij, ibi impietas: & locus iustitia, ibi impietas.* Iudicij locus appellatur tribunal Iudicum, quibus ius dici debet omnibus: locus verò iustitiæ appellatur quilibet, contrahens, emens, vendens, distribuens. Quilibet enim in actionibus ad alterum iustitiam seruare debet. Ait ergo se vidisse, tam in publicis iudiciis, quàm in priuatis debitis, pro iudicio, & iustitia impietatem. Significanter autem dicit, *& adhuc vidi*, ad insinuandum, quòd prosequitur lustrationem temporum, & operum hominis.

In publicis & priuatis impietas.

Vers. 17. DIXI EGO IN CORDE MEO: IVSTVM, ET IMPIVM IVDICABIT DEVS: ET TEMPVS OMNIS REI TVNC ERIT. Deus nominatur *Elohim*, & vltima particula habetur sic: *Quia tempus omni voluntati, & super omne operis ibi.* Visa impietate pro iudicio, & iustitia, cogitaui in corde meo, futurum quandoque tempus, in quo Elohim iudicabit iustos, & impios: quia Elohim permittit nunc huiusmodi impietates, eò quòd ibi (hoc est, post hanc vitam) erit tempus iudicandi, tum omnem voluntatem, tum omne opus. Sancta cogitatio proculdubiò est ista, nec minùs vera.

Vers. 18. DIXI EGO IN CORDE MEO DE FILIIS HOMINVM, VT PROBARET EOS DEVS. Iuxta Hebræum habetur: *Dixi ego in corde meo super loquela filiorum hominum, ad eligendum eos Elohim.* Contrariam cogitationem introducit: visa enim impietate pro iudicio, & iustitia, cogitationes contrarias in corde suo refert. Et prius quidem cogitasse de futuro post hanc vitam iudicio, deinde cogitasse oppositum, videlicet, quòd forte nullum superest iudicium post hanc vitam. Argumentatur siquidem ad vtranque partem. Et quoniam locutio est actus rationis, secundùm quam homo præstat cæteris animalibus: propterea intendens vertere in dubium immortalitatem animæ, argumentum inchoat ab hoc, quòd Deus elegit homines, ex cunctis animalibus, ad loquendum. Soli enim homini præstitum est, vt loquatur. Super hac excellentia hominis, dixi in corde meo Deum elegisse homines (proculdubio ex omnibus animalibus) ad huiusmodi excellentiam.

VT OSTENDERET SIMILES ESSE BESTIIS. Veritas Hebraica à nullo interprete mihi noto reddita est. Nam iuxta Hebræum habetur: *Et ad videndum quid ipsi, bestia ipsi ad ipsos.* Dixi in corde meo Deum elegisse homines ad duo officia, hoc est, ad loquendum, & ad videndum quid sunt homines, videlicet, quòd sunt bestiæ, tales, scilicet, ipsi ad ipsos. Et est sensus, quòd homo est bestia ciuilis. Et significatur ad literam, quòd homo est sub genere bestiæ, in hoc præstans brutis animalibus, quòd est bestia politica. Politiam enim, seu ciuilitatem significauit apponendo, ipsi ad ipsos: consistit enim ciuilitas in communione hominum ad homines. Et hunc esse germanum sensum, subiuncta testantur, dum probant hæc ex communibus homini, & aliis animalibus. Cogitaui itaque in corde meo, quòd homo est sub genere bestiæ (vtpote bestia politica, ac per hoc mortalis, sicut pecora nulli post hanc vitam iudicio obnoxius), excedens tamen cæteras animantia, tam in sermone exteriori, quàm in visu interno: quia solus homo loquitur, & solus homo videt, quid est.

Homo bestia ciuilis.

Vers. 19. IDCIRCO VNVS INTERITVS EST HOMINIS, ET IVMENTORVM, ET ÆQVA VTRIVSQVE CONDITIO. Iuxta Hebræum habetur: *Quia euentus filiorum hominis, & euentus bestia, & euentus vnus eis.* Incipit probare, hominem esse sub genere bestiæ, ex eo, quòd conueniunt in hoc, videlicet, quòd tam homini, quàm bestiæ euenit: hoc est, præter operationem, laborémque proprium multa eueniunt: &, quod magis vrget, vnus euentus est eis, hoc est, similia eueniunt eis, homini scilicet, & brutis, vt patet in multis communibus homini, & pecoribus.

SICVT MORITVR HOMO, SIC ET ILLA MORIVNTVR, SIMILITER SPIRANT OMNIA ET NIHIL HABET HOMO IVMENTO AMPLIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Sicut mori istud, sic mori istud, & spiritus vnus omnibus, & amplius hominis, quàm bestia non.* Post communionem euentuum, affertur communitas, tam modi moriendi, quàm spiritus. Eodem enim modo videmus mori homines, & pecora, & vnus atque idem est spiritus omnibus. Non est perspicuum, an nomen, *spiritus*, in hoc loco significet flatum, quo viuimus homines, & pecora (vnum siquidem, eundémque aërem respirando viuimus) an significet animam; ita quòd cogitauerit vnius generis esse animam hominis, & animam pecoris. Primus sensus nullam habet difficultatem, & eius veritas patet manifestè. Secundus autem cogitatus non assertus intelligendus est. Et huic sensui quadrat subiuncta particula, videlicet, quòd nõ est amplius homini, quàm pecori, quòd nihil superest homini magis, quàm pecoris: hoc enim propriè sonant Hebraica.

Communio ... spiritus ... anima ...

CVNCTA SVBIACENT VANITATI. Iuxta Hebræum habetur: *Quia omnia vanitas.* Ecce ratio, quare nihil plus superest homini, quàm bestiæ: quia omnia sunt vanitas, hoc est, instabilia, & nullius æstimationis.

Vers. 20. ET OMNIA PERGVNT AD LOCVM VNVM: DE TERRA FACTA SVNT, ET IN TERRAM PARITER REVERTVNTVR. Dictio interpretata, *terra*, sonat *puluerem*. Et iuxta Hebræum appositiue absque coniunctione subiungitur, declarando omnium vanitatem, omnia ad vnum ire locum, hoc est, puluerem, quia omnia de puluere facta sunt, & in puluerem reuertentur. Et quoniam obiici potest, quòd hæc verificantur de corporibus hominum & pecorum, secùs autem de spiritibus hominum & pecorum, propterea ad hanc obiectionem excludendam subiungit.

Vers. 21. QVIS NOVIT, SI SPIRITVS FILIORVM ADAM ASCENDAT SVRSVM, ET SI SPIRITVS IVMENTORVM DESCENDAT DEORSVM? Pauli refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Deorsum in terram.* Ecce verba argumentantis ad vertendum in dubium immortalitatem animæ. Nam per ascendere sursum, intelligit animam hominis recedentem ex corpore ad diuinum tribunal, quod est esse immortalem, & recipere à Deo præmium vel pœnam. Per descensum verò deorsum appositiue ad terram, animam brutorum corrumpi per resolutionem in terram, hoc est, in elementa, de quorum potentia educta est ab agentibus naturalibus. Vertit autem in dubium negando sciri ab homine disparitatem talem. Nam dicendo, *Quis scit?* perinde dicit, ac si dixisset, nulli

nullus fuit. Et quamuis argumentando loquatur, dicit tamen verum, negando certitudinem immortalitatis animæ nostræ. Nullus enim Philosophus hactenus demonstrauit animam hominis esse immortalem: nulla apparet demonstratiua ratio; sed fide hoc credimus, & rationibus probabilibus consonat.

Vers. 22. ET DEPREHENDI NIHIL ESSE MELIVS, QVAM LÆTARI HOMINEM IN OPERE SVO. Iuxta Hebræum habetur: *Et vidi, quia non bonum a quo lætabitur homo in operibus suis.* Rerum (imò certò) eandem infert conclusionem; videlicet, quòd non est bonum in humanis, nisi lætari in operibus propriis. Disputato enim iudicio post mortem, & in dubium redacto, dimittendo incertum, & complectendo certum, infert: Et vidi: quis non bonum inuenitur extra hominem, qui lætatur in opere suo; hoc est, quia non est bonum nisi in præsenti vita lætari in propriis operibus. Et rationem subiungit:

A librum suū post mortem contra D. Th. 3. con. c. 61. & 62. in fine & 60. vel 70. & 11

ET HANC ESSE PARTEM ILLIVS. Iuxta Hebræum habetur: *quia id pars eius.* Ecce ratio, quare in hoc consistit bonum hominis: quia id, (hoc est, lætari in propriis operibus) est pars hominis, est ex toto vniuerso pars, quæ beat hominem, its quòd nihil plùs debetur homini, quemadmodum sortitus portionem suam nihil aliud iure expectat.

QVIS ENIM EVM ADDVCET, VT POST SE FVTVRA COGNOSCAT? Legendum esset, *videat.* Ratio redditur, quare lætari in propriis operibus est portio hominis, ex ignorantia futuri post mortem: quia quod futurum est post se nullus videt: nullus enim videt id, quod futurum est post mortem propriam: hinc enim præsenti debet homo frui bono, nescius futuri.

CAPVT IV.

Vers. 1. VERTI ME AD ALIA. Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Et reuertar ego.* Tanquàm digressus in præcedenti capitulo ad diuina opera iterat differendo: & propterea ad humanas actiones, & passiones redituris, dicit: *Reuertar ego*, considerando, & differendo de humanis inter sese. Intendit enim in hoc capitulo conferre humana inter sese, comparando illa ad inuicem secundùm rationem boni, & mali. Hic enim est ordo contextus.

ET VIDI CALVMNIAS, QVÆ SVB SOLE GERVNTVR. Iuxta Hebræum habetur: *Et vidi omnes oppressiones, quæ fiunt sub sole.* Ecce terminus reuersionis, consideratio oppressionum omnium, quæ inter homines fiunt.

ET LACRYMAS INNOCENTIVM, ET NEMINEM CONSOLATOREM. Legendum esset: *Et ecce lacrymæ oppressorum, & non eis consolator.* Sententia clara est. Apparent enim iugiter oppressi flentes absque consolatore.

NEC POSSE RESISTERE EORVM VIOLENTIÆ CVNCTORVM AVXILIO DESTITVTOS. Iuxta Hebræum habetur. *Et de manu opprimentium eos vis: & non eis consolator.* Priùs vidit oppressos absque consolatore flentes; deinde vidit violentiam opprimentium etiam absque consolatore: vt priùs oppressos in genere, deinde oppressos violentia intelligamus viros.

Vers. 2. ET LAVDAVI MAGIS MORTVOS. Ex consilio legitur iuxta Hebræum. *Et laudaui ego mortuos, qui iā mortui sunt, præ viuis, ipsi qui viui adhuc sunt ipsi.* Aduerte, prudens lector, in hoc capitulo conferri humanas res inter sese adiecta comparatione: & propterea visis oppressis exaggerat miseriam eorum, præferendo mortuos viuentibus. Quod autem adiungit: *Qui iam mortui iā sunt*, ad differentiam eorum, qui inter oppressiones moriuntur, dicit, significando benè actum fuisse cum illis, qui non viderunt hominum oppressiones, qui mortui sunt ante tempus oppressionum. Vnde & Iosiæ Regi pro beneficio promittitur, quòd moritur ante tempus futuræ oppressionis: & Ezechias Rex audita captiuitate Babylonica futura, pro gratia reputat pacem in diebus suis. Melioris itaque conditionis censet illos præmortuos, quàm illos, qui perseuerant in hac vita tempore oppressionum absque consolatore: illi enim non sentiunt oppressiones: isti autem experiuntur eas in seipsis.

Vers. 3. ET FELICIOREM VTROQVE IVDICAVI, QVI NECDVM NATVS EST, NEC VIDIT MALA, QVÆ SVB SOLE FIVNT. Iuxta Hebræum habetur: *meliorem ambobus, qui adhuc non fuit: qui non vidit opus malum, quod factum fuit sub Sole.* Comparatio clara est. Et ratio, quare præfert præmortuis, quàm viuentibus inter oppressiones eum, qui adhuc non fuit, redditur in littera, eo, quòd non vidit opera mala, tam culpæ, quàm pœnæ, quæ facta sunt sub Sole. Non præfertur is, qui adhuc non fuit ex aliqua, quam habeat, bonitate, sed ex negatione mali. Carere enim malo, rationem boni inducit. Et ponderat hanc disparitatem (videlicet, quòd tam præmortui, quàm perseuerantes in vita viderunt, & vident opera mala, quod sine tristitia fieri nequit. Ille autem, qui adhuc non fuit, exemptus est ab huiusmodi malo, præfertur iste illis, & non absolutè: & propterea quæstionis scrupulo caret sententia hæc.

[illegible]

RVRSVM CONTEMPLATVS SVM OMNES LABORES HOMINVM, ET INDVSTRIAS ANIMADVERTI PATERE INVIDIÆ PROXIMI. Iuxta Hebræum habetur: *Et vidi ego omnem laborem, & omnem rectitudinem operis, quod ipsa inuidia viri de proximo suo.* Post iniurias oppressionum spectat ad iniurias inuidiæ, quibus patent, tum labores fructuosi, tum rectitudines operum. Et malum hoc inter socios versatur. Inter pares enim est inuidia: oppressio autem à superioribus infertur. Vers. 4.

Inuidia inter pares, oppressio à superioribus.

ET IN HOC ERGO VANITAS, ET CVRA SVPERFLVA EST. Iuxta Hebræum habetur: *Etiam hoc vanitas, & fractio spiritus.* Nulla infertur comparatio: sed supputatur miseria hæc inter vanitates, & fractiones spiritus. Verè siquidem frangitur displicentia spiritus eius, cui inuidetur, & modici momenti est inuidiis aliorum patere.

STVLTVS COMPLICAT MANVS SVAS, ET COMEDIT CARNES SVAS DICENS. Dictio interpretata, *complicat*, sonat, *amplectitur.* Et superflua dictio, *dicens*, interpretes illam addidit, & destruit sensum germanum; tertio namque loco differit Ecclesiastes inter extrema laboris, & præfert medium vtrique extremo: inchoans ab extremo altero, quod est pigritia sub appellatione stulti, describendo pigrum a duabus conditionibus: altera est, complecti manus proprias, hoc est, tam charas habere manus, quòd complectitur eas, seruando eas ab exercitio. Altera est, comedere carnem suam, hoc est, consumere, seu consumere seipsum. qui enim non laborat Vers. 5.

Describitur piger à duabus conditionibus.

laboras, cæter pastu: ac per hoc consumit carnem propriam, patiendo famem: macrescit enim, & macrescere, est comedere carnem propriam.

Vers. 6. MELIOR EST PVGILLVS CVM REQVIE, QVAM PLENA VTRAQVE MANVS CVM LABORE, ET AFFLICTIONE ANIMI. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Melius implere volam requie, quam replere pugillos labore, & fractione spiritus.* Alterum extremum est, implere manus cum labore corporis & fractione animi, & huic extremo præfertur medium, videlicet, implere volam cum requie, hoc est laborare mediocriter ad implendum volam, hoc est ad acquirendum quantum sufficit. Pigro enim desunt necessaria, implere autem pugillos labore & fractione spiritus, multa superfluunt: contentus plenitudine volæ, quiescens absque sollicitudine vt ditescat. Carne hic confert humanum laborem, & despecto pigro præfert anxiis laboribus ad cumulandum rebus eum, cuius appetitus quiescit in plenitudine volæ.

Vers. 7. CONSIDERANS REPERI ET ALIAM VANITATEM SVB SOLE. Iuxta Hebræum legendum esset, *Et reuertar ego & vidi vanitatem sub sole.* Reuersio quòd iterum ad considerandum laboris excessum applicaturus erat mentem. Quarto enim loco comparaturus vnum multis, occasionem accipit à vanitate visa sub sole in hac transitione.

Vers. 8. VNVS EST, ET SECVNDVM NON HABET; NON FILIVM, NON FRATREM: ET TAMEN LABORARE NON CESSAT, NEC SATIANTVR OCVLI EIVS DIVITIIS, NEC RECOGITAT DICENS: CVI LABORO ET FRAVDO ANIMAM MEAM BONIS? Sententia clara est, & tanto clarior, quia interpres inseruit tres illas dictiones: Nec recogitat dicens. quæ subintelligendæ erant, eò quòd in Hebræo non habentur.

IN HOC QVOQVE VANITAS EST ET AFFLICTIO PESSIMA. Iuxta Hebræum habetur, *Etiam hoc vanitas & occupatio mala ipsa.* Non est opus expositione.

Vers. 9. MELIVS EST ERGO DVOS ESSE, QVAM VNVM. HABENT ENIM EMOLVMENTVM SOCIETATIS SVÆ. Iuxta Hebræum habetur, *Meliores duo quàm vnus: quibus est eis merces bona in labore eorum.* Esce comparatio nata ex miseria laborantis vnius absque filio, absque fratre, &c. Nec præfert vni duos absolutè, sed duos, quibus est merces bona in labore eorum. Et addit hanc conditionem, ad differentiam duorum qui non inueniunt mercedem sufficientem pro vtroque. Vbi enim sunt duo inuenientes mercedem bonam vtrique, alter alteri nocet, & ideo non sunt duo meliores vno. Hoc autem sæpè accidit in paruis oppidis.

Vers. 10. SI VNVS CECIDERIT, AB ALTERO FVLCIETVR. VÆ SOLI, QVIA CVM CECIDERIT NON HABET SVBLEVANTEM SE.

Vers. 11. ET SI DORMIERINT DVO, FOVEBVNTVR MVTVÒ: VNVS QVOMODO CALEFIET?

Vers. 12. ET SI QVISPIAM PRÆVALVERIT CONTRA VNVM, DVO RESISTVNT EI. FVNICVLVS TRIPLEX DIFFICILE RVMPITVR. Tripliciter manifestat duos præferri vni: primum à casu, deinde à calore, & tertio à pugna: quibus adiungit quartum exemplum ab inanimatis, videlicet, quòd funiculus triplex non citò rumpitur.

Triplicitur duo præferuntur vni.

Vers. 13. MELIOR EST PVER PAVPER ET SAPIENS REGE SENE, ET STVLTO. Quinto comparat hominem trium conditionum, videlicet pueritiæ, paupertatis, & sapientiæ, hominis oppositas habenti conditiones, scilicet seni Regi, & stulto. Et declarando stultitiam subiungit:

QVI NESCIT PRÆVIDERE IN POSTERVM. Iuxta Hebræum habetur, *Qui non sciuit curam habere adhuc.* Imperfecta est oratio, nisi sequentium iungatur particulæ.

Vers. 14. QVOD DE CARCERE, CATENISQVE INTERDVM QVIS EGREDIATVR AD REGNVM: ET ALIVS NATVS IN REGNO, INOPIA CONSVMATVR. Sensus redditur, quamuis obscurius iuxta Hebræum habetur, *Quod de domo fœtorum exiuit ad regnandum, quòd etiam in imperio suo natus pauper.* Stultitia Regis senis describitur penes hoc, quòd adhuc in tanta ætate nesciuit habere curam diuersorum euentuum, videlicet quòd contingit è domo fœtorum (qualis est carcer vilis malolens) exire aliquem ad regnandum, & è contra natum in regno contingit fieri pauperem. Præfert itaque puerum pauperem, & sapientem seni Regi, & stulto, sic quòd nescit considerare euentus, qui possunt Regibus accidere.

Vers. 15. VIDI CVNCTOS VIVENTES, QVI AMBVLANT SVB SOLE CVM ADOLESCENTE SECVNDO, QVI CONSVRGET PRO EO. Multitudo expositionum ab Hieronymo recitata, inuitat me ad præmittendum summarium totius huius clausulæ, & est, quòd Rege existente sene, & stulto, omnes, tam moderni, quàm priores, & posteriores, secundam in regno personam sequuntur ad regnandum, abiiciendo senem. Vide singula in litera. Ad probandum enim, quod proposuerat, (deterioris, scilicet, conditionis fore Regem senem, ac stultum, paupere puero & sapiente,) introducit, se vidisse ruinam Regis senis, adulti, ab adolescente, secunda regni persona, dicendo: Vidi omnes viuentes ambulantes sub Sole. (hoc est, viuentes præsenti tempore,) cum adolescente secundo à Rege sene, hoc est, secundum locum tenentem in regno: his est enim communiter primogenitus. Et ad explanandum, in qua re cum adolescente vidit modernos, subdit, qui stabit pro eo, hoc est, qui regnabit pro sene, hoc est, ad regnandum pro sene. Et ex eo, quòd vidit omnes pronos ad sequendum adolescentem secundam regni personam ad regnandum pro sene, qui non curauit de euentibus, abiectio insinuatur Regis stulti senis. Et ne putares huiusmodi inclinationem esse in modernis tantùm (viderat enim eam Salomon bis; semel, quando Absalon vsurpauit sibi regnum; & iterum quando Adonias inceperat vendicare sibi regnum) adiungit, huno rumorem fuisse apud priscos, & futurum apud posteriores. Et de priscis quidem dicit: 2 Reg. 15. 3 Reg. 1.

Vers. 16. INFINITVS NVMERVS EST POPVLI OMNIVM, QVI FVERVNT ANTE EVM: ET QVI POSTEA FVTVRI SVNT, NON LÆTABVNTVR IN EO: SED ET HOC VANITAS, ET AFFLICTIO SPIRITVS. Iuxta Hebræum habetur: *Non finis omni populo, omnibus qui fuere ante eos.* Et est sensus, quòd Infinitum fuit populi, qui fuerunt ante istos modernos, similes illis modernis in sequela adolescentis secundi. De futuris autem subdit iuxta Hebræum: *Et posteriores non lætabuntur in eo*, Rege sene, ac stulto: sed deiicient eum à regno, sequentes adolescentem secundum. *Quia etiam hoc vanitas, & vallio spiritus.* Vidi. quòd hoc quoque (scilicet, meliorem esse puerum pauperem, & sapientem Rege sene, ac stulto,) inter humanas supputandum

sandum est vanitates, & afflictiones spiritus, & verum esse perspicuum est.

Vers. 17. CVSTODI PEDEM TVVM INGREDIENS DOMVM DEI, ET APPROPINQVA, VT AVDIAS. MVLTÒ ENIM MELIOR EST OBEDIENTIA, QVAM STVLTORVM VICTIMA. Iuxta Hebræum habetur: *Custodi pedem tuum, quando ibis ad domum Elohim: & propinquior ad audiendum, quam ad dandum stultorum sacrificium.* Hic incipere deberet capitulum quintum, quoniam hic ad nouam transitur materiam & nouum concionandi modum. Hactenus enim Ecclesiastes disseruit de vanitatibus, argumentando hinc, & inde: modò concionem prosequitur per modum exhortantia, & monentis ad ea, quæ religionis sunt, ita quòd non vertit religionem in dubium argumentando, nec supputat religionis actus inter vanitates, sed inter tractandum de vanitatibus, miscet instructionem de religionis actibus, hortando ad illos tanquam indubiè bonos cum debitis circunstantiis. Tractat autem actus religionis quinque, inchoando ab auditione legis. Vbi aduerta, prudens lector, quòd in hoc primo de religione capite tangit duos actus, videlicet, audire lectionem, seu prædicationem diuini verbi, & dare sacrificium stultorum: & præfertur auditio diuini verbi, oblationi pro sacrificio stultorum. Appellatur autem sacrificium stultorum, quod ex stulta procedit fiducia, quale est, cùm quis putat sacrificio placare Deum; & tamen impœnitens est. *Respexit enim Deus Abel, & munera eius*, & non è contrà. Monet itaque hominem, vt pergens ad domum Elohim (hoc est, ad templum, vbi & offeruntur sacrificia, & prædicatur verbum Dei,) curam habeat pedis proprij, hoc est, gressus proprij, vt dirigat gressus suos versùs locum doctrinæ, potiùs quàm ad locum oblationis animalium, seu munerum pro sacrificio stultorum, hoc est, pro sacrificio confidendo in ipso sacrificio. Et rationem subdit:

Cap. 5 hic incipit.

Quinque actus religionis, ad quos hortatur Ecclesiastes.

Nota duos primos actus religionis.

Sacrificium stultorum quale.

Genes. 4. 4.

QVI NESCIVNT, QVID FACIVNT MALI. Iuxta Hebræum habetur, *Quia non ipsi scientes ad faciendum malum.* Et est sensus: Quia ipsi stulti nesciunt, quòd eundo ad huiusmodi oblationes, pergunt ad faciendum malum: eundo autem ad audiendum diuinum verbum, pergunt ad bonum. Sed suboritur quæstio ex eo, quòd huiusmodi sacrificia stultorum, quamuis non sint grata Deo, non sunt tamen peccata, & consequenter euntes ad huiusmodi oblationes non pergunt ad faciendum malum. Solutio est, quòd oblationes procedentes ex fiducia, quòd sacrificia iustificent hominem, aut impetrent à Deo, sunt peccata, quæ ipsi imprudenter nesciunt: vnde & scriptum est in Prouer. *Victimæ impiorum abominabiles Domino.* Simili namque ratione victimæ stultorum, quatenus scelesti sunt, peccata sunt. Stultitiæ enim actus, stultos oportet esse, ac per hoc malos.

Quæstio suboria.

Solutio.

Prou. 15. 8.

CAPVT V.

Vers. 1. NE TEMERE QVID LOQVARIS, NEQVE COR TVVM SIT VELOX AD PROFERENDVM SERMONEM CORAM DEO. DEVS ENIM IN CÆLO, ET TV SVPER TERRAM. Iuxta Hebr. habetur: *Non accelerabis super os tuum non festinabit cor ad proferendum sermonem in conspectu Elohim.* Actus secundus religionis dirigitur, monendo, vt supplicatio, seu oratio, qua homo precatur Deum, careat festinatione, tam in corde, quàm in ore. *Quia [illegible] Elohim in cælo, & tu super terram.* Ratio nõ festinandi redditur, ex præsentia Dei indissolubili [illegible] cælum siquidem est præsens terræ, & è contra [illegible] nam nec cælum à terra, nec terra à cælo elongatur: ac per hoc, quòd Deus est in cælo, & tu [illegible] super terram, omnis euacuatur timor absentiæ [illegible] imminentis, tam ex parte Dei, quàm ex parte [illegible] Imminens autem absentia, vel audientis, vel [illegible] quentis, ratio est festini sermonis. Dicendo [illegible] que: *Quia Elohim in cælis, & tu super terram* [illegible] tionem festinandi tollit. Nulla enim est ratio [illegible] festinæ elocutionis, vbi iugis est hinc inde parte loquentis, & audientis Præsentia. Vbique [illegible] & semper alloqui potes Deum in cælo existentem, tu in terra existens: & ideò nec corde, nec ore, festinandi subest ratio. Contra quod agunt tam qui Missam & orationes festinanter dicunt, quàm qui cor vertunt ad Deum, & diuina [illegible] in momento temporis.

Diuersis secundi actus religionis.

Ratio festinationis vitandæ, absentiæ imminentis audientis.

IDCIRCÒ SINT PAVCI SERMONES TVI. MVLTA OBSCVRA SEQVVNTVR SOMNIA, ET IN SERMONIBVS INVENIETVR STVLTITIA. Dictio interpretata, *idcircò*, anceps est ad *idcircò*, vel *super sic*: & hoc in loco quadrat potiùs, vt interpretetur, *super sic*, quoniam iuxta Hebraicam veritatē subiungitur ratio huius documenti dicendo: *Quia veniens somnium in multitudine occupationis: & vox stulti in multitudine sermonũ.* Ex [illegible] enim, quòd subditur, *quia*, insinuatur, quòd [illegible] dras legere: *Super sic erunt sermones tui* [illegible] Et est sensus: quia super has materia diuinæ præsentiæ, & supplicationum, quæ offeruntur Deo, sint sermones tui pauci, inquirendo, disputando, asserendo, quæstiones mouendo. Et ratio redditur adiuncta similitudine: quamadmodum somnia surgunt in homine multarum occupationum, ita vox stulta surgit in multitudine verborum. Multæ enim occupationes in vigilijs multiplicant phantasmata, ex quibus surgunt somnia in dormiente, & similiter multitudo sermonum de rebus tamen occultis, & arduis, producit aliquam stultitiæ vocem. Vt serues ergo temetipsum à periculo proferendi stultam vocem de diuinis, pauca loquere de hac materia.

Missa, & orationes non festinanter.

Vers. 2.

Vnde somnia.

SIQVID VOVISTI DEO. Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Quando voueris votum Elohim, non tardabis ad reddendum illud.* Post orationem tractat de voto, quo promittitur aliquid Deo. Monet autem in primis, vt tollatur tarditas ad reddendum votum. Nec dicit, vt statim reddas, nec prohibet tempus medium: sed prohibet tarditatem, quæ non est, nisi vltra tempus decretum differatur.

Vers. 3. *Tertius actus religionis.*

DISPLICET ENIM EI INFIDELIS, ET STVLTA PROMISSIO. Iuxta Hebræum habetur: *Quia non voluntas in stultis.* Et est sensus: quia non placent Deo stulti, & quia non est beneplacitum Deo in stultis. Et significatur per hoc ex stultitia proficisci tarditatem exoluendi votum. Verè enim ex paucitate iudicij prouenit, quòd homo non veretur violare fidem polliciti Deo temporis.

SED QVODCVNQVE VOVERIS, REDDE. Superfluit dictio, *sed*. Alterum documentum circa votum est, vt reddatur Deo illud met, quod promissum est.

Vers. 4. *Quartus actus, quo terminatur ad sinceram.*

MVLTOQVE MELIVS EST NON VOVERE, QVAM POST VOTVM PROMISSA NON REDDERE. Sententia redditur: & ratio dictorum redditur.

Abulensem

Abusiuam tamen intellige comparationem, quemadmodum cùm dicitur nix albior coruo: sic enim dicitur, melius non vouere, quàm vouentum non reddere. Nam votum non reddere, tam alienum est à bono, vt sit malum perfidiæ: non vouere autem nihil sonat mali, & relatiuè ad non reddere fortitur rationem boni.

Vers. 5. *Ore vtimur ad tria.* NE DEDERIS OS TVVM, VT PECCARE FACIAS CARNEM TVAM. Ore vtimur ad tria: videlicet, ad comedendum, ad loquendum, ad osculandum. Et quoniam littera sonat: Non dabis os tuum ad faciendum peccare carnem tuam, si intelligimus, dare os cibo, & potui, sensus est: Non dabit os tuum gulæ ad faciendum peccare carnem suam luxuria. Sine Cerere enim, & Baccho friget Venus. Si verò intelligimus: Non dabis os tuum osculandum: manifesta est sequela venereorum. Si autem intelligimus de officio loquendi, sensus est: Non assuefacies os tuum ad sermones facientes peccare carnem tuam, ad sermones de venereis. Hoc est enim dare os ad faciendum peccare carnem in venereis. Et hic sensus, vt germanus, complectendus videtur. Quadrat enim subiunctis.

Neque dicas coram Angelo: Non est providentia, ne forte iratus Dominus dissipet cuncta contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum. Iuxta Hebræum habetur: *Et non dices in facie Angeli: quia error ipse.* Hoc est, non excusabis peccatum carnis, dicendo, ipsum esse inuoluntarium, tanquam errorem. Error enim inuoluntarius suapte natura est. Et quoniam dicere hoc contingit dupliciter (vel ioco, vel seriò;) ideò ad monendum, ne huiusmodi excusatio dicatur seriò, adiungitur, *in facie Angeli*, ponderantis animum, quo dicuntur verba. Rursus, quia excusatio ista redundat in iniuriam Creatoris (tanquàm Deus dederit nobis carnem malam moraliter, vtpote facientem peccare nos inuoluntarios in peccatis venereis) ideò significanter dicit, & non dices in facie Angeli, proculdubiò Dei, in facie nuncij Dei, id quod vergit in iniuriam Dei. Et hinc, habes, quòd Deus est non solùm per seipsum præsens vbique; sed, quòd Angeli eius adsunt nobis vbique. Nisi enim pro constanti haberet Ecclesiastes, quòd Angeli adsunt nobis, vbicunque sumus, non diceret: *Et non dices in facie Angeli.*

Excusatio, & error non sunt facienda tanquam naturalia. [margin]

Angeli adsunt nobis vbique, & in facie eorum Ecclesiastes. [margin]

Ne forte iratus Dominus, &c. Legendum iuxta Hebræum esset: *Quare irascetur Elohim super vocem tuam: & destruet opus manuum tuarum.* Inutiliter prouocas iram summi Iudicis. Meretur enim vox tua, vt Deus dissipet opera manuum tuarum, ad quæ applicas illas.

Vers. 6. Vbi mvlta svnt somnia, plvrima svnt vanitates, et sermones innvmeri: tv verò Devm time. Legendum est iuxta Hebræum: *Quia in multitudine somniorum, & vanitatum, & verborum multorum.* Deinde immediatè sequitur. *Quia Elohim time.* Sic iacent in Hebræo ista duo, *quia*: & discretione opus est ad intelligendum, quò tendunt. Duo dixerat, alterum, quia error: & ratio, quare existimanti error, redditur dicendo: *Quia in multitudine somniorum, & vanitatum, & sermonum multorum.* Ex his enim surgit in animis hominum opinio, quòd peccata carnis sint inuoluntaria. Sequuntur enim non veritatem, sed somnia, quæ apparent, & non sunt; sequuntur non fundatas doctrinas, sed instabiles vanitates: sequuntur non legis diuinæ verba, sed multitudinem eloquiorum. Subiunctum autem, *quia*, dicendo, *quia Elohim time*, refertur ad iram Dei vitandam. Dicit ac si dixisset: quare irascetur Elohim super vocem tuam? & reddita ratione vocis, reddit consequenter rationem iræ vitandæ. Et est sensus: quia initium sapientiæ est hoc, (videlicet, Elohim time: *principium enim sapientiæ est timor Domini*.) ideò, qui timet Deum, non prouocat iram eius.

Pro modo somniorum vanitatum, & verborum multorum. [margin]

Psal. 1[illegible] [margin]

Vers. [illegible] Si videris calvmnias egenorvm, et violenta ivdicia, et svbverti ivstitiam in provincia; non mireris svper hoc negotio. Iuxta Hebræum habetur: *Si oppressionem pauperis, & violentiam iudicij, & iustitiæ videbis in prouincia, non miraberis super voluntate.* Post tractatum quarto loco religionis actum, qui est reuereri diuinam legem, decernentem peccata carnis esse voluntaria, tractat quinto loco de veneratione diuinæ prouidentiæ, seu gubernationis permittentis opprimi pauperes, & vim inferri iudicio, & iustitiæ. Et propterea dicit: Si videris hæc in prouincia, non miraberis super voluntate, vel diuina, tanquàm hæc mala exempta sint à voluntate, vtpote non extensa ad hæc infima, vel iniquorum, quòd impune voluntatem suam expleant, pro libito vexando, & opprimendo alios.

Quæ [illegible] [illegible] [margin]

Qvia excelso excelsior est alivs, et svper hos qvoqve eminentiores svnt alii.

Vers. [illegible] Et insvper vniversæ terræ Rex imperat servienti. Iuxta Hebræum habetur, *Quia excelsus ex superexcelso custos, & excelsi super eos. Et super plenum terræ in omni ipsa Rex agro culto.* Duæ scribuntur sententiæ: altera, quòd non ex defectu gubernationis prouenit huiusmodi licentia: quia custos iustitiæ est excelsus ex superexcelso, hoc est, summus Deus ex suprema celsitudine officium Principis, (quod est custodire iustitiam, curam habere iustitiæ, exercet: & exercet sic, quòd constituit excelsos sanctos Angelos super eis super prouinciis. Diuina enim tam prouidentia, quàm gubernatio executioni mandatur per media. Altera est ratio permittendi huiusmodi mala. Et hæc ratio non aliter affertur, quàm sub parabola terræ cultæ. In qualibet enim culta terra, multa superflua nascuntur. Inter frumenta enim nascuntur lolia, & zizania, & id genus reliqua, & permittuntur vsque ad messem, ita quod non ex defectu gubernatoris, sed ex ratione gubernandi permittuntur etiam à Rege in agro culto multa exoria mala. Hinc enim vult Ecclesiastes, vt intelligamus, quòd Deus gubernat humana, sicut Rex agrum cultum, in quo mixta sunt multa superflua, quæ permittuntur vsque ad messem. Et per has duas sententias satisfacit admiranti oppressionem pauperum impunem, &c.

[illegible] Angelos [illegible] [margin]

Matt. 13. [margin]

Avarvs non implebitvr pecvnia; et qvi amat divitias, frvctvm non capiet ex eis. Sensus redditur: quamuis Hebraicè habetur: *Amans argentum, non satiabitur argento.* Argentum enim pro pecunia sumitur. Redit Ecclesiastes ad disserendum de vanitatibus, & de multiplici diuitum vanitate tractans, incipit ab amatoribus pecuniæ, de quibus dicit duo mala. Alterum, quòd sunt insatiabiles (Crescit enim amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit.) alterum, [illegible] fructum. Et quarum intelligit [illegible] de fructu [illegible]; [illegible] quia amatores

oper

opes non fruuntur eis.) Hebraica tamen sonant priuationem prouentus. Et sensus est, quòd diligentes opes tenent eas charas: & per hoc non fructificant eis, nullum habent ex eis prouentum. Et ad literam carpit eos, qui thesauros reconditos habent auri, argenti, & huiusmodi.

Vers. 10. SED ET HOC VANITAS. Non eget probatione huiusmodi vanitas.

Duplex incommodum diuitiis non amari, videre alienos propria comedere, & in somno minus quiescere.

IN MVLTITVDINE ENIM BONORVM, MVLTI ET QVI COMEDVNT EA. Superfluit, *enim*. Post diuites auaros tractat de diuitibus non auaris, & tam in vigilia, quàm in somno describit. In vigilia quidem, quoniam, vbi multiplicantur bona facultatum, ibidem multiplicantur comedentes ea amici, ministri, famuli mercenarij: ac per hoc nihil ampliùs habet dominus ex diuitiis, nisi quòd videt eas: ipse nanque non fruitur eis, nisi vt vnus homo. Reliquis autem, quæ alij consumunt, nullo sensu fruitur, nisi sensu visus. De somno autem subiungit, deteriorem esse conditionem diuitis laborante: quia laboranti, siue parum, siue multùm comedat, dulcescit somnus. Diuitem autem non sinit saturitas dormire. Aduerte, quòd vbi vulgata editio habet:

Vers. 11. ET QVID PRODEST POSSESSORI, NISI QVOD CERNIT DIVITIAS OCVLIS SVIS? DVLCIS EST SOMNVS OPERANTI, SIVE PARVM, SIVE MVLTVM COMEDAT. SATVRITAS AVTEM DIVITIS NON SINIT EVM DORMIRE. Hebraica veritas habet. *Et quid rectitudo domini earum?* Et est sensus: Et quid rectitudo visus, quo vtimur diuitiis, tribuit domino diuitiarum, nisi cernere illas consumi? Et dixit hæc, ad differentiam abusus diuitiarum.

Vers. 12. EST ET ALIA INFIRMITAS PESSIMA, QVAM VIDI SVB SOLE: DIVITIÆ CONSERVATÆ IN MALVM DOMINI. Sæpè dictum est, Hebræos carere superlatiuis nominibus, & propterea legendum esset: *Est ægritudo mala*. Quandam speciem diuitum scribit oppressi euentu malo, tanquàm ægritudine. Quemadmodum enim congregati humores ex cibo, & potu sæpè sunt in ægritudinem malam corporis: ita contingit quandoque custoditas diuitias cedere in malum domini earum: quia prouocant quandoque alios ad occidendum eum, prouocant quandoque tyrannos ad expilandum, & opprimendum eum.

Pulchra comparatio.

Vers. 13. PEREVNT ENIM IN AFFLICTIONE PESSIMA. GENERAVIT FILIVM, QVI IN SVMMA EGESTATE ERIT. Iuxta Hebræum habetur: *Et peribunt diuitiæ in occupatione mala*. Prosequitur accidentia diuitibus. Contingit enim, & sæpè, perire diuitias in aliqua occupatione mala: puta, negotiando cum fisco, vel exponendo mari, aut negotiationi opes. Et sic adiungitur malum malo: dum genitum filium relinquit inopem.

Vers. 14. SICVT EGRESSVS EST NVDVS DE VTERO MATRIS SVÆ, SIC REVERTITVR: ET NIHIL AVFERET SECVM DE LABORE SVO. Post euentus contingentes, tractat euentum ineuitabilem communem hominibus omnibus, ita quòd diuites non sunt exempti ab eo, sed tantò horribilior est diuitibus, quantò plura, maioráque sunt, quæ amittere coguntur. Scribitur autem clarè euentus iste, quamuis multa verba optimantur Hebraicæ literæ, sed non mutatur sententia.

Euentus ineuitabilis.

Vers. 15. MISERABILIS PRORSVS INFIRMITAS. Iuxta Hebræum habetur. *Hæc etiam mala ægritudo*. Communis conditio hominum in morte appellatur ægritudo mala. Assimilatur enim ægritudini collectio rerum laborando in hac vita, pro quanto terminatur ad malum, videlicet, ad priuationem omnium per mortem, & propterea explanans ægritudinem hanc malam subiungit:

QVO MODO VENIT, SIC REVERTETVR. Parui refert, quòd Hebraicè habetur. *Omnis, contra quod venit, sic ibit*. Et est sensus: Quilibet homo eo modo, quo venit, nascendo sine opibus, sic ibit moriendo. Venit obuiando nuditati: nudus ibit. Et propterea subiungit:

QVID ERGO PRODEST EI, QVOD LABORAVIT IN VENTVM? Iuxta Hebræum habetur: *Et quid superest ei, quod laborauit in ventum?* Quasi dicat, nihil. Optimè infert ex eo, quòd in morte quilibet priuatur omnibus partibus, & quomodolibet habitis, nihil superesse homini ex labore suo, sed tanquàm laborauerit in ventum (hoc est, manifest) egreditur ex hoc mundo.

Laborare [illegible]

Vers. 16. CVNCTIS DIEBVS VITÆ SVÆ COMEDIT IN TENEBRIS, ET IN CVRIS MVLTIS: ET IN ÆRVMNA, ATQVE TRISTITIA. Demum exaggerans vanitatem laboris humani ad multiplicandas opes adiungit magnitudinem laboris dicendo iuxta Hebraicam veritatem: *Etiam omnibus diebus suis in tenebris comedet, & vanulta, & ægritudine sua & ira*. Quia toto die occupatus, non habet tempus comedendi in die, sed semper comedet in tenebris, hoc est, in nocte. Et aduersis occurrentes sæpè irascitur: & cùm ægritudinem aliquam incurrit ex impatientia excandescit: quia non potest exercere se ad acquirendum, vel seruandum opes: quas omnes oportet in morte relinquere.

Vers. 17. HOC ITAQVE VISVM EST MIHI BONVM. Iuxta Hebræum habetur: *Ecce quod vidi ego bonum esse quod pulchrum*. Post collatas tot miserias humani laboris, concludit, in promptu præsens esse bonum, & pulchrum, quod in humanis vidit.

VT COMEDAT IPSE, ET BIBAT. Iam quartò hanc eandem conclusionem intulit Ecclesiastes: quia discurrendo per præsentis vitæ bona hoc præstat cæteris.

ET FRVATVR LÆTITIA EX LABORE SVO, QVO LABORAVIT IPSE SVB SOLE NVMERO DIERVM VITÆ SVÆ, QVOS DEDIT EI DEVS: ET HÆC EST PARS ILLIVS. Parui refert, quòd Hebraicè legendum esset: *Et videat bonum in omni labore suo*. Sed ad videndum bonum constatur frui lætitia. Ex tribus itaque constare bonum, & pulchrum declarat; videlicet, comedere, & bibere, & videre bonum (hoc est, sentire bonum) ex omni labore suo, non vno mense, aut anno; sed numero dierum vitæ suæ, quos dedit ei Elohim: hoc est, quandiu vixerit: & rationem subiungit, dicendo: *Quia id pars eius*. Hoc est, quia nihil aliud boni debetur homini sed ex toto vniuerso id (scilicet, comedere, & bibere, & sentire bonum, &c.) est portio hominis: tollat ergo homo, quod suum est, & vadat.

Ex tribus est [illegible] bonum humanum.

Pensata quod si consideraret homo, quare; [illegible] ad hac vita, [illegible] possent [illegible], quæ dicuntur hoc à Salom.

Vers. 18. ET OMNI HOMINI, CVI DEDIT DEVS DIVITIAS. Post conclusionem boni, & pulchri apud homines in genere, subdit conclusionem de diuitibus seperando, & applicando ad diuites sententiam pluries dictam.

ATQVE SVBSTANTIAM, POTESTATEMQVE EI TRIBVIT, VT COMEDAT EX EIS: ET FRVATVR PARTE SVA, ET LÆTETVR DE LABORE SVO. Legendum esset, *gemmas*. Significantur namque pretiosæ res. *Hoc Dei donum est*. Nomen est Elohim, & agnoscendum beneficium diuinum à talibus diuitibus declarat.

Vers. 19. NON ENIM MVLTVM RECORDABITVR DIERVM VITÆ SVÆ: QVIA DEVS OCCVPAT IN LÆTITIA COR EIVS. Vltimæ particulæ iuxta Hebræum habetur: *Quia Elohim testificans in lætitia cordis eius.* Nouam rationem dum Deo relatiuè ad diuites tales reddit, dicendo: quia non multùm recordabitur diues, hoc est, non multùm reuocabit ad mentem parum cogitabit dies vitæ suæ, quot, scilicet, annis victurus est, quàm breue est tempus vitæ huius, & id genus mœstas rationes humanæ vitæ. Et ratio non recolendi huiusmodi mœsta subiungitur: quia Elohim testificatio est in lætitia cordis eius, id est, diuinæ testificatio est in lætitia cordis eius, id est, diuina Et est sensus: quia Deus dando in corde diuitis iugem lætitiam, est tanquàm præbens testimonium felicitatis ipsius diuitis. Facto enim testatur, quòd diues talis habet portionem suam: quod est frui felicitate præsentis vitæ.

Ratio, quare diuites non cogitant de morte.

CAPVT VI.

Vers. 1. EST ET ALIVD MALVM, QVOD VIDI SVB SOLE: ET QVIDEM FREQVENS APVD HOMINES. Dictio interpretata, *frequens*, sonat, *multum*, seu *magnum*: quod extensiuè sumptum coincidit cum frequens. Et superfluunt duæ dictiones, videlicet, *& aliud*. Ad probandum enim conclusionem antedictam de bono, & pulchro hominum, & specialiter diuitum, introducit oppositum malum primum in diuitibus, dicendo:

Vers. 2. VIR, CVI DEDIT DEVS DIVITIAS, ET SVBSTANTIAS. Nomen est Elohim, tam hic, quàm inferius, cùm repetitur Deus, & dictio interpretata, *substantiam*, sonat, *gemmas*, hoc est, res pretiosas. Sententia huius clausulæ clara est.

ET HONOREM, ET NIHIL DEEST ANIMÆ SVÆ EX OMNIBVS, QVÆ DESIDERAT, NEC TRIBVIT EI DEVS POTESTATEM, VT COMEDAT EX EO, SED HOMO EXTRANEVS VORABIT ILLVD. Et hoc VANITAS, ET MAGNA MISERIA EST. Iuxta Hebræum habetur: *Et ægritudo mala.* Est enim ægritudo animi abundare diuitiis, & non vti illis. attribuitur autem Deo, non dare potestatem vtendi, quia Deus negat illis hanc gratiam.

Donum Dei pro vti suis.

Vers. 3. SI GENVERIT QVISPIAM CENTVM LIBEROS, ET VIXERIT MVLTOS ANNOS. Post malum diuitum, subditur malum simile in humano genere.

ET PLVRES DIES ÆTATIS HABVERIT. Declaratio est multorum annorum. Declarat etiam annos vitæ multos non qualescunque, sed sic, quòd multiplicentur dies annorum, hoc est, ad longam peruenerit senectutem.

ET ANIMA ILLIVS NON VTATVR BONIS SVBSTANTIÆ SVÆ. Iuxta Hebræum habetur: *Et anima eius non saturabitur ex bono.* Hoc est appetitus eius nunquam satiabitur cibo, & potu. Sed semper non purè, sed miserè comedet, & bibet.

SEPVLTVRAQVE CAREAT. Describitur infelix, tum multitudine filiorum, tum multitudine annorum vitæ. Infelix autem, tum in vita, tum in sepultura, ita quòd nec in sepultura, nec in opinione hominum (ad quam spectat bonum sepulcri) sentit bonum.

Descriptio viri felicis ex duplici abundantia.

DE HOC EGO PRONVNCIO, QVOD MELIOR ILLO SIT ABORTIVVS. Parum refert, quòd Hebraicè habetur: *Dixi, melior illo abortiuus.* Qui ante tempus natus est mortuus, vel statim mortuus. Sententia clara est.

FRVSTRA ENIM VENIT, ET PERGIT AD TENEBRAS, ET OBLIVIONE DELEBITVR NOMEN EIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Quia in vanum venit, & in tenebras ibit, & in tenebris nomen eius tegetur.* Redditur ratio, quare abortiuus præferatur viro descripto, afferendo primùm conditionem abortiui. Et de viro quidem illo dicit tria. Primùm, quòd venit nascendo in vanum, videlicet nunquam appetitum explens ex bono: secundò, quòd ibit per mortem in tenebras, et miseria ad tenebras, vel Infernum, vel priuationis: tertiò, in opinione humana, quòd nomen eius tegetur tenebris, nulla claritate manifestum remanebit: cùm careat etiam memoria sepulcri. De abortiuo autem subiungit:

NON VIDIT SOLEM, NEQVE COGNOVIT DISTANTIAM BONI, ET MALI. Iuxta Hebraicam veritatem: *Et an Solem non vidit, & non cognouit.* Interpres addidit distantiam boni, & mali. Duas abortiui conditiones narrat: alteram pertinentem ad sensum, alteram pertinentem ad intellectum, dicendo, etiam quòd abortiuus nec Solem vidit, nec sciuit aliquid, requiescit tamen iste magis illo. Subiungitur enim iuxta Hebraicam veritatem: *Requies illi præ illo.* Et hæc particula non habetur in vulgata editione. Et est sensus: Illi abortiuo requies est præ isto descriptione misero. Hinc patet, quo sensu, quare ratione præferatur abortiuus misero: quia, videlicet, minorem turbationem passus est. Iste namque negationem sortitus est bonorum, ille autem contrarietatem: deterius vero est in contraria incidere, continuaque pati bonorum, quàm bonis carere.

ETIAMSI DVOBVS MILLIBVS ANNIS VIXERIT. Ad eandem conclusionem expeditius arguit, quòd si homo vixerit bis mille annos.

ET NON FVERIT PERFRVITVS BONIS. Parum refert, quòd Hebraicè habetur: *Et bonum vidit.* In hoc consistit tota vis, ratio istius, quàm præcedentium rationum, quòd, videlicet, homo in hac vita bonum nunquam sensit. Et est sermo mutilus. Subauditur enim, quòd infelix est, quòd in vanum venit nascendo.

NONNE AD VNVM LOCVM PROPERANT OMNIA? Rectiùs legeretur, *omnes.* Intelligitur ratio ex identitate termini, ad quem properando erunt omnes, & ex priuatione boni percepti in hac vita. Ac si apertiùs dixisset: Ille, qui non vidit bonum, par est aliis post mortem. Et postponitur aliis in hac vita comedentibus, & bibentibus, & gaudentibus. & propterea infelix est. Recole, prudens lector, quòd concionator de ex [illegible] sensibilibus loquitur Salomon, & propterea non exiges verificationem eorum, quæ in hoc capite in-dicuntur: quamuis hoc, quod dicitur, ad locum vnum omnes pergere, trahi possit ad vetustatem, vel secundùm corporis resolutionem in terram, vel quia omnium animæ tunc [illegible] hanc ad Infernum: germanus tamen sensus vt dictus est, quem diximus.

OMNIS LABOR HOMINIS IN ORE EIVS. Vers. 7. Hactenus, [illegible] est triplicitèr ad [illegible] ad eandem [illegible] omnis labor hominis [illegible] ad ventrem eius [illegible] labor [illegible]

per hoc bonum hominis consistit in cibo, & potu, & perceptione boni ex proprio labore.

SED ANIMA EIVS NON IMPLEBITVR BONIS. Iuxta Hebræum habetur: *Et etiam anima non implebitur.* Ad excludendam obiectionem aduersùs assumptam propositionem, (videlicet, omnis labor hominis ad os eius,) affert, quòd anima non implebitur. Obiicitur enim dicendo, quòd propositio illa est falsa: eò quòd multi labores hominis sunt non propter victum, sed propter animam: vtpote de laborantibus pro honore, pro imperio, &c. Aduersùs obiectionem hanc dicit: *Et etiam anima non implebitur.* hoc est, accedit ad hoc, quòd appetitus animæ non implebitur, vanus est, non perueniet ad id, quod appetit: ac per hoc labor hominis pro appetitu animæ vanus est, vtpote non explens appetitum. Et hinc relinquitur, quòd omnis labor hominis est ad os eius, vtpote assequens intentum, vtpote perueniens ad id, ad quod ordinatus est, videlicet, ad lætitiam de labore. Hanc enim assequitur comedens, & bibens, ac sentiens bonum ex labore, seu diuitiis, &c. Consistit itaque confirmatio propositionis assumptæ in hoc, quòd labor relatiuè ad animam non assequitur intentum, (quia anima non implebitur:) relatiuè verò ad os assequitur intentum, vt experientia testatur. Ergo omnis labor hominis ad os eius ordinatur suapte natura.

In hoc ab- *solutè.*

Vers. 8. QVID HABET AMPLIVS SAPIENS A STVLTO? Legendum est: *Quia quid amplius sapienti, quam stulto?* Probare intendit hoc, quod dixerat; videlicet, quòd vanus est labor propter animum: ad hoc enim affert tria argumenta, quorum primum est: Quid plus est sapienti, quam stulto? quasi dicat, nihil: neuter enim implet animum: & si in iis, quæ animæ sunt, bonum hominis consisteret, præstaret sapiens imprudenti quoad esse felicem: quod tamen non apparet.

Tria argum. quòd vanus est labor propter animã.

ET QVID PAVPER, NISI VT PERGAT ILLVC, VBI EST VITA? Iuxta Hebræum habetur: *Quid pauperi scienti ad eundum obuiam viuis?* Dictio tamen interpretata, *viuis*, potest interpretari, *vita*. sed sensus in idem redit. Argumentum secundum assumitur à professione pauperis, profitentis se in hac vita iter agere, ad obuiandum viuis in altera vita. Et est sensus, quid plus est pauperi tali? quasi dicat, nihil. Ita quòd nec disparitas inter sapientem, & stultum, nec disparitas inter pauperem sperantem in alia vita, & non sperantem aliam vitam, largitur plùs quàm bonum suprà descriptum: videlicet, lætari in cibo, & potu, & fructu laboris proprij, seu diuitiarum. Potest alter intelligi pauper ille: videlicet, secta Philosophorum in paupertate viuentium obuiantium doctrina, & exemplo, vitæ communi hominum, tanquàm vita communis hominum aliena sit à vero bono hominum. Et est sensus, quid plus, quid felicitatis est pauperi voluntario, scienti, profitenti scientiam obuiandi vitæ, quæ communiter fit, qua homo lætatur in cibo, potu, &c. quasi dicat, nihil.

2. ratio.

Morales Stoici & Cynici.

Vers. 9. MELIVS EST VIDERE, QVOD CVPIAS, QVAM DESIDERARE, QVOD NESCIAS. Iuxta Hebræum habetur: *Melior aspectus oculorum, quàm ambulatio animæ.* Argumentum tertium affertur directè ad manifestandum, quòd melius est descriptum hominis bonum (videlicet, comedere, & bibere, & lætari, &c.) quàm bonum animæ, quod consistit in desiderio: eò quòd desiderium animæ nunquam impletur: adhuc enim affert hanc rationem, formaliter, quòd melius est præsens, quàm futurum: melius est id, quod oculis videtur, eo, quod solo desiderio habetur: ambulatio siquidem animæ gressibus desiderij, ac spei fit. Bonum autem descriptum (videlicet, lætari, &c.) videtur oculis, vtpote præsens. Quod autem sperat pauper, aut sapiens, futurum est, & in desiderio animæ, tanquàm ambulatione consistit.

3. ratio. Melius est præsens, quàm futurum.

SED ET HOC VANITAS, ET PRÆSVMPTIO SPIRITVS. Parui refert, quòd Hebraicè habetur: *Etiam hoc vanitas, & fractio spiritus.* Pronomen, hoc, demonstrat bonum, quod oculis videtur, quod conclusum fuerat esse bonum, & pulchrum homini. Et quidem quòd sit vanitas, clarum est: quòd verò sit fractio spiritus, manifestat ex incertitudine doctrinæ humanæ, subiungendo:

Vers. 10. QVI FVTVRVS EST, IAM VOCATVM EST NOMEN EIVS, ET SCITVR, QVOD HOMO SIT, ET NON POSSIT CONTRA FORTIOREM SE IN IVDICIO CONTENDERE. Iuxta Hebræum legendum est longè aliter, quàm interpretatum est ab aliis: nam in masculino genere legendum est: *Quis quis fuit iam vocatus nomine suo, & notificatus est ipse homo: & non poterit ad iudicandum cum quod fortius.* Et est sensus, quòd quicunque fuit iam Philosophus nominatus nomine proprio, cum hoc fuit notus, quis ipse homo fuerit (sicut modò est notus Plato, Aristoteles, Socrates, qui fuerit,) & quicunque fuerit ille, non poterit ad iudicandum, hoc est, non præualebit iudicare id, quod est fortius se, hoc est, quod excedit ingenium eius. Accusat enim ignorantiam Philosophorum, quòd nullus inter Philosophos nominatos, & notos, potest iudicare id, quod excedit vires ingenij sui. Et prosequitur dicendo:

Accusatur ignorantia Philosophorum.

Vers. 11. VERBA SVNT PLVRIMA, MVLTAMQVE IN DISPVTANDO HABENTIA VANITATEM. Iuxta Hebræum habetur: *Quia sunt verba multa multiplicantia vanitatem. quid plus homini?* Explicat illud fortius, quod non valet Philosophus iudicare, dicendo: quia sunt sermones multi à diuersis Philosophis prolati, multiplicantes vanitatem, hoc est, multas diffinientes vanitates circa hanc quæstionem, quid plus homini: hoc est, in quo consistit præstantia hominis: quid est illud, quod beat hominem? Et quòd multiplicent vanitates, probat subiungendo:

Dogmata & secta frustrà multiplicata.

Cap. VII. Vers. 1. QVID NECESSE EST HOMINI MAIORA SE QVÆRERE, CVM IGNORET, QVID CONDVCAT SIBI IN VITA SVA NVMERO DIERVM PEREGRINATIONIS SVÆ, ET TEMPORE, QVOD VELVT VMBRA PRÆTERIT? Iuxta Hebræum habetur: *Quia quis sciens quid bonum homini in vita numero dierum vitæ vanitatis suæ, & faciet eos sicut vmbram?* Clarius explanat illud fortius, & vanitates multiplicatas à Philosophis circa illud dicendo, quòd nullus scit, quod est bonum hominis in hac vita, non ad horam, sed numero dierum vitæ vanitatis suæ: hoc est, toto tempore vitæ præsentis. Præsens enim vita appellatur vita vanitatis, eò quod, & valdè instabilis, & ferè nihil est. Quod autem adiungit: *Et faciet eos tanquam vmbram*, rationem continet ignorantiæ humanæ. Nam, quantò homo extendit magis vmbram suam, tantò minùs habet lucis Solis: & similiter quantò magis extendit dies suos, tantò magis cognoscit deficere sibi lumen, tantò magis

Vita præsens, vita vanitatis.

 cognoscet

Hoc vnum scio quòd nihil scio. cognoscet se nescire: vnde posteriorum Philosophorum non minimus dixit, hoc vnum scio, quòd nihil scio.

Argumentum à minori. AVT QVIS EI POTERIT INDICARE, QVID POST EVM FVTVRVM SVB SOLE SIT? Superflue conjunctio, *aut*. Argumentum assumitur à minori. Directè enim intendit manifestare ignorantiam Philosophorum ex eo, quod est ignotum id, quod erit post hanc vitam. Esse siquidem ignotum probat per hoc, quòd nullus potest annunciare homini, quid erit post eum sub Sole, hoc est, in hoc mundo: ergo multò magis latet quid erit post eum non sub Sole: & quia hinc pendet notitia boni hominum in hac vita, ideò nullus scit, quid est bonum hominis in hac vita. Et hoc intelligendo, quid particula sub Sole denotat verbum, *erit*. Cessaret enim hic argumentandi modus si particula, *sub Sole*, ordinaret super relatiuum, *quæ*, dicendo: Quæ sub Sole annunciabit homini, quid erit post eum? & si determinat præpositionem, & pronomen, scilicet, *post eum*, dicendo: Quis annunciabit homini, quid post eum sub Sole, hoc est, post eum viuentem erit: nam vtraque literæ ordinatio directe [illegible] absque argumento. Aduerte, prudens lector, quod infra terminos naturalis scientiæ loquitur Salomon in istis argumentis: & propterea dicit, nihil plus esse pauperi, quàm obuiam viuis, & quod latet, quod est bonum hominis in hac vita, & quid melius est præsens futuro. Aduerte quoque, quod aliter sentiendum est de bono hominis in hac vita à retributionibus felicitatum hominum post mortem, & aliter à negantibus pœnas & præmia post mortem. & ideò ex ignorantia eius, quod erit post mortem, prosiciscitur ignorantia boni hominum in hac vita.

Infra terminos naturalis scientiæ loquitur Salomon.

CAPVT VII.

Vers. 1. MELIVS EST NOMEN BONVM, QVAM VNGVENTA PRETIOSA. Iuxta Hebr. habetur: *Melius nomen, quàm oleum bonum*. Et per oleum bonum significantur vnguentum bonum. Et est sensus, melius esse nomen (hoc est, famam) quàm vnguentum redolens, quo vngebantur personæ nobiles. Postquam enim disputauit de bonis corporis, intendit disputare de bono animi inchoans à fama.

Disputatio de bono animi. Nomen enim honorabile ad animum spectat. Nam *famam extendere factis, est virtutis opus*. Et aptè nomen præfertur vnguento: nam vnguento redolet homo secundùm corpus ad aliquantum spatium loci, & tempore præsenti: nomine autem redolet animus hominis ad longinquas regiones, & ad multa sæcula.

ET DIES MORTIS DIE NATIVITATIS. Relatiuè ad animum præfertur dies mortis diei natiuitatis, pro quanto anima per mortem liberatur à vanitatibus, & malis præsentis vitæ, assequens libertatem spirituum: per natiuitatem verò subiicitur anima tot malis, totque vanitatibus præsentis vitæ.

Vers. 3. MELIVS EST IRE AD DOMVM LVCTVS, QVAM AD DOMVM CONVIVII. Hæc quoque comparatio relatiuè ad animum fit, vt subiuncta testatur ratio.

Sicut præcedentia vera sunt de homine, quatenus

IN ILLA ENIM FINIS CVNCTORVM ADMONETVR HOMINVM, ET VIVENS COGITAT, QVID FVTVRVM SIT. Iuxta Hebræum habetur: *In quo finis omnis hominis: & viuus dabit cor suum.* Finis pro termino ponitur: mors enim non est finis, sed terminus cuiuslibet hominis. Præfertur itaque domus luctus funebris domui conuiuij, eo quod in illa terminus cuiusque hominis repræsentatur, & homo viuens occasionem accipit recogitandi ad cor suum mortem, futurum illius terminum: hoc enim ad animæ bonum pertinet, vt homo ponderet mortalitatem propriam. Omittuntur enim hinc multa moderamina.

MELIOR EST IRA RISV: QVIA PER TRISTITIAM VVLTVS CORRIGITVR ANIMVS DELINQVENTIS. Interpres vltimas tres dictiones exponendo mutauit. Non enim iuxta Hebræum habetur, *corrigitur animus delinquentis*: sed scribitur, *bonificabitur cor*. Relatiuè itaque ad animum præfertur ira risui, hoc est, præfertur is, qui irascitur, ei, qui arridet: quoniam tristitia vultus vtilis est animo tuo: prouocat enim cor rationabile ad bonum, vt experientia testatur. Ita enim vocatus ad bonum contrarium illi malo.

Vers. 4. COR SAPIENTVM, VBI TRISTITIA EST: ET COR STVLTORVM, VBI LÆTITIA. Parui refert, quòd dictio *ubi* interpretata, *ubi*, sonat, *in domo*. Describitur enim cor sapientum in domo tristitiæ, & cor stultorum in domo lætitiæ. Et quia non dicit corpus sapientum, aut corpus stultorum: sed, *cor sapientum, & cor stultorum*, sensus est, quòd cogitationes, & sollicitudines sapientium, sunt de pertinentibus ad domum tristitiæ: sollicitudines verò & affectus imprudentium, versantur circa ea, quæ spectant ad domum lætitiæ. Hæc enim cupiunt, & ad hæc student assequenda: illi autem ponderant materias tristitiarum, quibus affliguntur homines. Et quia sapientes præstant stultis: ideò hinc Ecclesiastes arguit domum tristitiæ præferendam esse domui lætitiæ. ita quòd non solum domus funebris luctus præfertur domui conuiuij, sed vniuersaliter domus tristitiæ præfertur domui lætitiæ, quorum opposita superiùs sæpè concluserat, ponendo bonum hominis in cibo, & potu, ac lætitia, in proprio labore, seu diuitiis: sed neque superiùs, neque hic assertiuè loquitur, sed differendo & argumentando ad opposita more concionantis. Verificantur tamen hæc, & illa aliquo modo: ita quòd si non sunt vera simpliciter, & absolutè, sunt tamen vera secundùm quid.

Non ex [illegible] dicit [illegible] sed [illegible] ad opposita.

Vers. 5. MELIVS EST A SAPIENTE CORRIPI, QVAM STVLTORVM ADVLATIONE DECIPI. Iuxta Hebræum habetur: *Melius audire clamorem sapientis, quàm virum audientem cantum stultorum.* Melius est homini secundùm animum audire clamorem increpationis à sapiente quàm audire delectabiles cantus imprudentium. Et ratio subditur:

Vers. 6. QVIA SICVT SONITVS SPINARVM ARDENTIVM SVB OLLA, SIC RISVS STVLTI. Et assertur similitudo quoad insuauitatem sonitus. Quemadmodum enim insuauis est sonus stridentium spinarum, quæ sub olla ponuntur ad ardendum, ita insuauis est animo, tam risus, quàm cantus (hoc est, exteriora signa lætitiæ) stultorum.

SED ET HOC VANITAS. Pronomen, *hoc*, demonstrat bonum animi descriptum in fama & tristitia.

stultia. Et rationem subdit, quare etiam hoc est vanitas, subiungendo:

Vers. 8. CALVMNIA CONTVRBAT SAPIENTEM, ET PERDET ROBVR CORDIS EIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Quia oppressio intricabit sapientem, & perdet cor donum.* Ratio, quare hæc etiam animi bona sunt vana: redditur ex eo, quòd ipse sapiens est vanitas, vt manifestat caducitas eius. Vt enim sapiens tam caducus est, vt mutetur, tum ab oppressione, tum à muneribus. Oppressio siquidem intricat animum sapientis sic, quòd delirare eum facit: & dona perdunt cor sapientis, excæcando internos eius oculos. Vbi clarè vides, quòd sapiens in prosperis, & aduersis caducus est, & quòd argumentando pro, & contrà procedit Ecclesiastes.

Sapiens in prosperis, & aduersis caducus.

Vers. 9. MELIOR EST FINIS ORATIONIS, QVAM PRINCIPIVM. Dictio interpretata, *orationis*, sonat, *verbi*. In fine enim sermonis fit conclusio perficiens sermonem: in exordio autem imperfectus valdè est sermo; & propterea finis sermonis præfertur illius principio. Et describit per hoc eloquium sapientis: commune siquidem est hominibus benè inchoare locutionem; sed sapientum duntaxat est benè finire. Multi namque post bonum exordium, vagantur per vana, & impertinentia, & non respondent vltima primis: sapientum autem sermo, ritè progreditur ad conclusionem intentam. Sermo itaque laudandus in fine describitur, vt hunc cognoscamus, talem esse sermonem sapientis. Prosequitur enim differendo de bonis animi; & post famam, & tristitiam, locutionem tractat, quæ ab intellectu procedit, subiuncturus de affectibus, seu passionibus animi.

Sermo laudandus in fine.

MELIOR EST PATIENS ARROGANTE. Iuxta Hebræum habetur: *Melior longitudo spiritus, quàm celsitudo spiritus.* Spiritus nomine effectum animi impulsiuum intellige, qualis est concupiscentia, spes, audacia, atque ira. Longitudo spiritus, dilatio est impulsus. Celsitudo autem spiritus, eleuatio est impulsus. Præfertur autem dilatio spiritus eleuationi illius, pro quanto sapientis est ponderare proprij animi impulsus, & prospicere, quò ducrent, & frena adhibere differendo: superborum autem est extollere proprios impulsus, nihili pendendo comitantes deformitates.

Spiritus pro effectu animi impulsiuo.

Longitudo, & celsitudo spiritus quid.

Vers. 10. NE SIS VELOX AD IRASCENDVM: QVIA IRA IN SINV STVLTI REQVIESCIT. Parui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Non festinabis in spiritu tuo ad irascendum, quia ira in sinu stultorum requiescet.* Descendit ad speciem affectus, qui vocatur ira. Et non prohibet iram, (quoniam ira materia est virtutis, cùm moderatè homo vtitur illa aduersùs vitia,) sed prohibet festinum impulsum ad iram, hoc est, vt ira non præueniat rationem: (nam præuenire esset festinare,) sed sequatur rationem: de festina siquidem ira subiungit: *Quia ira in sinu stultorum quiescet*, metaphora est. Vbi enim quiescimus diutiùs, moramur, & inuenimur, tanquam in loco proprio. Iuxta hanc similitudinem describitur ira quiescens in sinu stultorum, tanquàm proprius locus iræ sit animus stultorum, vtpote ratione non cohibentium illam. Et aptè vtitur quietis nomine; quia ira in animo sapientis non quiescit, sed per modum transeuntis assumitur à sapiente. In stultorũ autè animis æquàm quiescens moratur, & in promptu semper esse

Licet irasci, sed non festinanter.

Proprius locus iræ.

Ira in animo sapientis non quiescit.

Vers. 11. NEC DICAS: QVID PVTAS CAVSÆ EST, QVÒD PRIORA TEMPORA MELIORA FVERE, QVAM NVNC SVNT? STVLTA ENIM EST HVIVSCEMODI INTERROGATIO. Sententia redditur: quanuis non tempora, sed dies nominentur in Hebræo, & non nominetur stultitia, sed dicatur: *Quia non ex sapientia interrogasti super hoc.* Ratio, quare hæc interrogatio non procedit ex sapientia, est, quia quærit causam falsi, tanquàm veri. Falsum enim est, quòd priora tempora meliora fuerint istis. Aduerte, prudens lector, quòd aliud est loqui de prioribus temporibus absolutè, & aliud est loqui de aliqua certa ætate relatiuè ad aliquod certum bonum, seu certum locum. Perspicuum est enim, quòd aliqua ætas quoad studium scientiæ, fuit melior ista, (ætas in qua floruerunt Plato, Socrates, Aristoteles, tanta multitudo Philosophorum, & sic de similibus:) sed non propterea absolutè loquendo priora tempora fuerunt meliora istis. Sed quorsum hæc hic dicuntur? Responsio est, quòd de bonis animi differendo, par fuit comparare bonitatem præsentium bonitati priscorum, vt agnoscat bonitas modernorum non minor bonitate antiquorum, vt ex collatione temporum intelligatur, non surgere maiorem bonitatem, sed aliud de hominem homini præstare.

Priora tempora quando meliora dicenda.

Dubium.

Vers. 12. VTILIOR EST SAPIENTIA CVM DIVITIIS, ET MAGIS PRODEST VIDENTIBVS SOLEM. Iuxta Hebræum habetur: *Bona sapientia cum hæreditate, & amplitudine videntibus Solem.* Commendatur sapientia iuncta diuitiis non qualitercunque, sed ex hæreditate habitis; ad differentiam diuitiarum partarum industria, & labore diuitis. Non enim commendatur sapientis studens ad acquirendas diuitias; sed quam diuitiæ hæreditariæ comitantur. Tales enim diuitiæ significantur dicendo: *Cum hæreditate, & amplitudine videntibus Solem.* Hoc est, cum hæreditate, non quantacunque, sed ampla relatiuè ad videntes Solem, hoc est, ad homines viuos illo tempore. Et ratio subiungitur:

Vers. 13. SICVT ENIM PROTEGIT SAPIENTIA, SIC PROTEGIT PECVNIA: HOC AVTEM PLVS HABET ERVDITIO, ET SAPIENTIA, QVÒD VITAM TRIBVIT POSSESSORI SVO. Paraphrasis est: nam iuxta Hebræum habetur: *Quia in vmbra sapientiæ, in vmbra argenti, & excellentia scientiæ sapientia viuificabit habentes eam.* Ratio redditur, quare sapientiæ congruunt diuitiæ, ex eo, quòd conueniunt in hoc, quòd sunt vmbræ (hoc est, protectiones) hominum. In vmbra enim sapientiæ multi proteguntur, & in vmbra diuitiarum multi proteguntur. Verùm sapientia præstat diuitiis: quia sapientia habet virtutem viuificandi habentem illam: pecunia autem non viuificat animum possessoris: sapientia enim est bonum animi; pecunia autem est bonum externum, ac fortuitum.

Quare sapientia præstat diuitiis.

Vers. 14. CONSIDERA OPERA DEI, QVÒD NEMO POSSIT CORRIGERE, QVEM ILLE DESPEXERIT. Iuxta Hebræum vniuersalis scribitur: *Vide opus Elohim, quòd quis poterit aptare, quod tortum fecit ille?* Quasi dicat, nullus. Præmissa spectant ad commendationem bonorum animi, & præcipuè sapientiæ erga humana opera. Hæc autem spectant ad qualificãdum humanam sapientiam erga diuina opera. Declarat enim, quòd sapiens circa diuina opera non temerè audet, sed videt,

videt, sed contemplatur Dei opera excedere humanas vires. Per modum itaque monitionis alloquitur sapientem, describendo qualitatem actus eius dicens: Vide opus Dei, nec vlterius progrediaris: sic sit tibi videre opus Elohim gubernantis vniuersum: quia nullus poterit aptare, quod ille fecit tortum, siue in naturalibus, siue in humanis, tam externis, quàm corporis, quàmque animi bonis, & malis. Facit enim Deus tortum in bonis animi, dum facit aliquos stultos: in bonis verò corporis, cùm nascuntur cæcus, mancus, aut claudus: in externis autem bonis, dando diuitias iniquis.

Diuersa Dei opera.

Vers. 15. IN DIE BONO ESTO IN BONO, ET IN DIE MALO, VIDE. Consequenter descendit ad sapientis actum, respectu euentuum bonorum, & malorum. Et ratio ordinis est: quia huiusmodi euentus sunt quædam opera Elohim gubernantis omnia. Ait itaque: in die bono quoad ea, quæ eueniunt, esto in bono, complectere bonum, in die autem malo, hoc est, mali quod occurrit, vide, siste in videndo, nec temerè iudicabis malum immeritum: contemplare, quòd à Deo proficiscitur, vt fecit Iob, vt fecit Dauid fugatus ab Absalom. Quocircà non intelligas, quòd sapiens debet abstinere ab aptatione tortorum, nec debet obuiare malo euentui: sed, quòd sapiens videt, quòd id, quod Deus diffinitiuè fecit, nullus potest aptare, nullus potest mutare.

Quomodo in bono, & in malo se habendum sit. 2 Reg. 15.

SICVT ENIM HANC, SIC ET ILLAM FECIT DEVS, VT NON INVENIAT HOMO CONTRA EVM IVSTAS QVERIMONIAS. Iuxta Hebræum habetur: *Etiam hoc contra hoc fecit Elohim, super eloquium, quo non inueniet homo post eum quicquam.* Extenditur diuinum opus ad ea, quorum alterum alteri obuiat, ad ea, quæ è regione diuersa conspiciuntur ad ostendendum infirmitatem humanæ sapientiæ. Ait itaque: Elohim fecit etiam hoc contra hoc, id est, alterum è regione alterius, in diuersitatem, super eloquium humanæ sapientiæ, quo eloquio homo non inueniet quicquam post eum, scilicet, Elohim gubernantem omnia. Ex hoc enim, quòd Deus facit etiam ea, quæ apparent contraria, fit vt sapientia humana post gubernationem diuinam nihil inueniat: quia nihil dimittitur ingubernatum à Deo.

Vers. 16. HAEC QVOQVE VIDI IN DIEBVS VANITATIS MEAE. Iuxta Hebræum habetur: *Omnia vidi in diebus vanitatis meæ.* Tria de diuino opere dixerat, & subiungit hæc omnia se vidisse in diebus vitæ suæ, quam appellat vanitatem, eò quòd instabilis, atque nullius ferè pretij est humana vita, tam fluxa.

IVSTVS PERIT IN IVSTITIA SVA, ET IMPIVS MVLTO VIVIT TEMPORE IN MALITIA SVA. Legendum est: *Est iustus periens in iustitia sua, & est impius prolongans in malitia sua.* Exemplum tertio loco narrati operis diuini affert, de iusto pereunte citò, & tamen perseuerante in operibus iustitiæ, & de impio prolongante dies vitæ suæ perseuerando in malitia: hæc enim sunt opera Dei hoc contra hoc, eo quia siquidem ratione gubernationis diuinæ agitur vtrumque, alterum è regione alterius.

Vers. 17. NOLI ESSE IVSTVS MVLTVM, NEQVE PLVS SAPIAS, QVAM NECESSE EST. Sæpè diximus, amicum fuisse Interpretem verborum, *multi*: quæ tam Hebræi, quàm Græci carere videntur. Legendum itaque est: *Non esto iustus multum, & non sapiens nimium: quare desolaberis.* Prosequitur per modum monentis bona animi, prohibendo excessum tum in actu iustitiæ, tum in actu sapientiæ. Nec est sensus, quòd in actibus virtutum inueniatur peccatum per excessum: (est enim implicatio in adiecto, dicere virtutis actum peccatum) sed est sensus, quòd excessus transfert multitudinem, qui esset virtutis, in vitium, esse namque iustum, & sapere nimiùm, vitij est, non virtutis: mensuram enim iustitiæ, quam sapientiæ actus suam habet: quam si excedit, non virtutis, sed vitij actus est. Pœna autem subiúcta: *Quare desolaberis*, destitutionem nimis iustorum, & nimis sapientum sonat. derelinquuntur enim tales communiter ab hominibus in commerciis, & negotiis: fugiunt enim negotiatores commercium cum nimis iustis, & votum nimis sapientum despicitur in conciliis: & propterea pœna desolationis in litera adiungitur.

[illegible]

NE IMPIE AGAS MVLTVM, ET NOLI ESSE STVLTVS: NE MORIARIS IN TEMPORE NON TVO. Sententia redditur: Non sis ita rudis, vt intelligas concedi esse impium, ex eo, quòd prohibetur esse impium multùm: & similiter non concedi esse stultum, ex eo, quòd prohibetur esse stultum multùm. Subauditur enim repetitio aduerbij, *multum*. Sed ad literam, cùm prohibuisset excessum iustitiæ, & sapientiæ, prohibet quoque excessum in contrariis, videlicet, impietatem, (quæ contrariatur iustitiæ,) & stultitiam, quæ opponitur sapientiæ: nec per hoc concedit impietatem: multùm autem impius appellatur, tam qui impietates multiplicat, quàm qui impietatem valdè malignam committit: & similiter intellige de stulto multum extensiuè, seu intensiuè. Pœna autem apposita (scilicet: *Quare morieris in non tempore tuo.*) ad euentus diuturnorum iudiciorum, & humanarum vltionum spectat. Impius enim multum prouocat iram Dei (vt sæpè in veteri legimus Testamento,) prouocat quandoque iram hominum, & iudicum; & sic moritur in tempore non suo: hoc est, ante tempus naturalis mortis suæ. Similiter autem intellige de multùm stulto: exemplum habes in populo Israel, cui dicitur: *Popule stulte, & insipiens.* Deu. 1.

Vers. BONVM EST TE SVSTENTARE IVSTVM, SED AB ILLO NE SVBTRAHAS MANVM TVAM: QVIA QVI TIMET DEVM, NIHIL NEGLIGIT. Iuxta Hebræum habetur: *Bonum, quòd apprehendes in hoc, & etiam ab hoc non relinques manum tuam: quia timens Elohim egreditur ad omnia ipsa.* Et est sensus, dante te operam, ad acquirendum multa bona animi, cùm apprehenderis bonum illud, quod est in isto, (hoc est, in aliqua re, seu virtute,) non eris contentus bono illo, sed etiam non facies quiescere manum tuam, hoc est, operam tuam ab illo, hoc est, ab alia virtute, seu re. Et ratio subditur: quia timens Elohim egreditur ab intimis animi ad omnia ipsa exteriora virtutum opera. Significanter autem dicit: Non facias quiescere manum tuam, ad insinuandum, quòd de inchoante studio ad virtutem aliam est sermo. Et per hoc ostendit, quòd studium ad bona animi debet esse vniuersale, debet esse ita ad bonum huius virtutis, quòd etiam extendatur ad bonum alterius virtutis, quia timens Deum ad omnia virtutum opera extendit animum, prout opus est. Virtutes enim omnes congestæ sunt in timore Dei: nam qui in vno offendit Deum, reus omnium factus est

Vers. 20. SAPIENTIA CONFORTAVIT SAPIENTEM SVPER DECEM PRINCIPES CIVITATIS. Patuit refert, quòd Hebraicè habetur: *Sapientia roborauit sapientem, magis quam decem domini, qui fuerunt in ciuitate.* Prætulerat sapientiam diuitiis, modò præfert eam dominio, dicens, quòd sapientia magis roborabit sapientem, quàm decem, (hoc est, vniuersi domini, qui fuerunt successiuè in ciuitate, roborauerunt illum, vel illum.

Præfertur sapientia dominio.

Vers. 21. NON EST ENIM HOMO IVSTVS IN TERRA, QVI FACIAT BONVM, ET NON PECCET. Ratio redditur antedictæ sententiæ: quia non inuenitur homo in terra iustus, sic quòd faciet bonum, & non peccabit: non enim inuenitur homo absque peccato actuali. Hoc enim significat, *& non peccabit*. Et ista ratio potest referri ad sapientiam, & est sensus: Quia iustitia non roborat iustum, eò quòd nullus inuenitur iustus secundùm vtranque iustitiæ partem, (scilicet, facere bonum, & declinare à malo,) ideò sapientiæ attribuitur roborare hominem, plusquàm vniuersi domini ciuitatis. Si verò refertur ad decem dominos, sensus est: quia nullus homo inuenitur, qui non peccet; consequens est, quòd vniuersi domini, cùm sint homines, postponantur sapientiæ, quæ non peccat.

Vers. 22. SED ET CVNCTIS SERMONIBVS, QVI DICVNTVR, NE ACCOMMODES COR TVVM. Dictio interpretata, *accommodes*, sonat, *dabis*. Inter alia animi bona monendo supputat, non apponere cor ad vniuersa verba, quæ loquuntur alij scienda seu ponderanda.

NE FORTE AVDIAS. Iuxta Hebræum habetur: *Quo non audies seruum tuum maledicentem tibi*. Et est sensus, quo corde non audies maledicentiam serui tui. Virtutis enim est auditum maledicum sermonem proprij serui dissimulare: & si contingit auribus illum percipere, non audire corde, non ponderare corde; sed parui pendere. Et ad hoc suadendum subdit:

Virtutis est, non ponderare maledicta.

Vers. 23. SCIT ENIM CONSCIENTIA TVA, QVÒD ET TV CREBRÒ MALEDIXISTI ALIIS. Iuxta Hebræum habetur: *Quia etiam vicibus multis scit cor tuum, quod etiam tu maledixisti aliis.* Ab ipsiusmet exemplo ignoscere docet. Ex eo enim, quòd maledicentiæ vitium commune est tibi, & aliis, sicut cupis tuos lapsus maledicendo non ponderari, non ponderabis simile in aliis peccatum.

Maledicentiam vitium commune.

Vers. 24. CVNCTA TENTAVI IN SAPIENTIA. Deficit pronomen. Legendum est: *Cuncta hæc*. Commendata multipliciter sapientia, monstrat consequenter difficultatem acquirendi eam dicens: Omnia hæc de bonis animi dicta tentaui in sapientia. hoc est, vtendo sapientia tentaui sapienter, ad instar tentantis inuestigaui.

DIXI: SAPIENS EFFICIAR. Dixi in corde meo, hæc est via, qua perueniam ad hoc, vt sim sapiens.

ET IPSA LONGIVS RECESSIT A ME MVLTÒ MAGIS QVAM ERAT. Iuxta Hebræum duæ sunt orationes: altera: *Et ipsa longius à me.* altera: *Elongatum est, quicquid fuit.* Nec dicit, nec rationi consonat, quod sapientia sapienter quæsita magis elongetur, quàm priùs: sed dicit, quòd ipsa sapientia sapienter quæsita adhuc longè distet ab eo, & hoc est verum: quoniam non perfectè apprehenditur, multaque sapientiæ mysteria procul sunt à quærente. Quæ sunt autem mysteria hæc, subiungit distinguendo ea in duo genera [illegible] videlicet, prætericorum, & valdè profundorum [illegible]. Et de præteritis quidem dicit: *Elongatum est quicquid fuit.* De profundis verò in mente subiungit:

Duo genera mysteriorum occultorum.

Vers. 25. ET ALTA PROFVNDITAS, QVIS INVENIET EAM? Iuxta Hebraicam veritatem: *Et profundum profundum, quis inueniet illud?* Ecce quare dixerit, sapientiam elongatam ab eo. Valde enim [illegible] elongantur à nostra notitia, & quæ olim fuerunt, & quæ velut in profundo latent. Et [illegible] hoc monstratur difficultas consequendi sapientiam.

Vers. 26. LVSTRAVI VNIVERSA ANIMO MEO. Iuxta Hebræum habetur: *Circumiui ego, & cor meum* [illegible]. Hoc est, ego cum vniuersis viribus meis, [illegible] qualitercunque, sed vtendo illis per intimum, [illegible] conuiui sensibilia perscrutatione mentis.

VT SCIREM, ET CONSIDERAREM, ET QVÆRERER SAPIENTIAM, ET RATIONEM. Dictio interpretata, *considerarem*, sonat, *explorarem*. [illegible] ce, ad quid circumiuit, videlicet, ad quærendum, & explorandum, & sciendum, tam sapientiam (secundùm causas altiores iudicantem de [illegible] bus,) quàm rationem rectam operum humanorum.

ET VT COGNOSCEREM IMPIETATEM STVLTI, ET ERROREM IMPRVDENTIVM. Iuxta Hebræum habetur: *Etiam ad sciendum impietatem stultitiam, & fatuitatem tricarum.* Non solùm [illegible] sciendum bona circumiui, sed etiam ad sciendum mala, videlicet, impietatem, quæ malum [illegible] affectus, & stultitiam, quæ malum est intellectus, & fatuitatem tricarum, quæ malum est executorum operum, intricantium homines implicando, & perplexos reddendo.

Triplex [illegible]

Vers. 27. ET INVENI AMARIOREM MORTE MVLIEREM. Ordine retrogrado prosequitur tria quæsita; videlicet, sapientiam, rationem, & mala impietatis, &c. Ab hoc enim vltimo inchoans ait: *Et inueni amariorem ego morte mulierem.* Mors siquidem amara est, quia contrariatur vitæ corporis, & tollit eam. Mulier autem amarior est morte: quia aduersatur vitæ animi tollens eam.

Tria proposita.

QVÆ LAQVEVS VENATORVM EST. Iuxta Hebræum habetur: *Quæ ipsa laquei.* Ne de muliere absolutè intelligeres, adiunxit, *quæ ipsa laquei.* Non enim intendit damnare sexum, sed vitium, quod in multitudine regnat mulierum. Mulier itaque, quæ ipsa laquei, amarior morte dicitur. Est autem illa laquei, quæ tota plena est laqueis: componit enim se mulier secundùm omnes sui partes, ad illaqueandum animos: nam & caput, & frontem, & oculos, & genas, & reliquas partes ad officium delectandi, fallendi, aptat.

Non damnatur sexus femineus, sed vitium.

ET SAGENA COR EIVS. Ipsa quidem mulier tota exteriùs est fallaria: interiùs autem cor eius est retia: expanditur non tanquàm vnum rete; sed tanquàm multitudo retium ad retinendum in sui aspectu & delectatione omnes transeuntes; quemadmodum retia sistunt transeuntes aues in aëre, & pisces in aquis. De muliere itaque non præter intentionem trahente alios ad sui amorem, sed de illa, cuius cor officium multitudinis retium exercet, ad sistendum homines in sua pulchritudine, est sermo.

Rete mulieris.

VINCVLA SVNT MANVS EIVS. Iuxta Hebræum habetur: *Vincta manus eius.* Hoc est, vincti sunt, quos tangunt manus eius: tactus enim

 solius

solius manus efficaciæ tantæ describitur, vt vinctos reddat tactos. Si verò per manus intelliguntur opera, post ornatum, & cor describitur opus muliebre, quod exercet ambulando, videndo, blandiendo, &c. hæc enim opera vinctos reddunt homines.

Qvi placet Deo, effvgiet illam. Qvi avtem peccator est, capietvr ab illa. Sententia redditur, quamuis Hebraïcè habeatur: Bonus in facie Elohim euadet ab ea: & peccator capietur in ea. Diuinæ gratiæ attribuitur euadere ab huiusmodi muliere. Meritis autem peccatoris attribuitur capi in huiusmodi mulieris laqueis, retibus, & manibus. Nemo igitur suæ arroget virtuti euadere à mulieribus.

Vers. 28. Ecce hoc inveni, dixit Ecclesiastes: vnvm, et altervm, vt invenirem rationem.

Vers. 29. Qvam adhvc qværit anima mea, et non inveni. Iuxta Hebræum habetur: Vide, hoc inueni, dixit Coheleth. Vnam per vnam ad inueniendum rationem. Quam adhuc quæsiuit anima mea, & non inueni. Pronomen, hoc, demonstrat antedicta de mulieribus, euasionem, & non euasionem ab eis. Attentum enim reddit auditorem, vt discernat inter inuentum, & non inuentum. Inuenta asserit hæc de malis mulieribus, &c. non inuentum autem affirmat rationem, quam secundo loco proposuerat. Diximus enim, quòd retrogrado procedit ordine. Et scito, quòd in Textu Hebræo Coheleth oportet hoc in loco esse fœminini generis: quia verbum, dixit, est hic fœminini generis. non ergo Coheleth hic sonat Concionatorem, sed concionem: & est sensus: Dixit concio ad inueniendum rationem, non confusè, seu in genere, sed per vnam, hoc est, per singulas rationes discurrens. Describit namque Salomon sermonem istius libri, appellando ipsum sermonem, concionem, non ad quodcunque tendentem, sed ad inueniendum rationem viuendi bene in tota vita. Inueniendam autem discurrendo per singulas viuendi rationes: & introducit ipsam concionem loquentem, & dicentem, quid inuenit, & quid non inuenit. Adiungit enim quam rationem quærit anima mea adhuc, quæsiuit desiderium meú hucusque, & non inueni. Studiū enim istius libri vniuersum tendit ad quærendā rationē benè viuendi, non ad horam, sed quādiu homo vixerit.

[illegible] Virvm de mille vnvm reperi: mvlierem ex omnibvs non inveni. Legendum est: Hominem virum ex mille inueni: & mulierem in omnibus his non inueni. Mutilus est sermo, quoniam nullum adiectiuum apponitur homini, aut mulieri; sed contextus ipse insinuat sensū. Ex eo nanque quòd de ratione nō inuenta tractat, intelligimus, quod hominem ratione benè viuendi vtentem inuenit vnum ex mille, mulierem autem nullam. Affert enim ex tanta raritate rationis argumentum, quòd non est inuentam, non inuentam esse rationem tanto desiderio quæsitam. Consonat sententia hæc de mulieribus, Philosophis negantibus in muliere virtutem, propter modicum rationis lumen in illis. Et tamen hæc intelligenda est abstrahendo ab ordine gratiæ diuinæ, tam in fœminis, quàm in mulieribus.

Consonum Philosophis de raritate mulierum [illegible].

Vers. 30. Solvmmodo hoc inveni, qvòd fecerit Devs hominem rectvm: et ipse se infinitis miscverit qvæstionibvs. Iuxta Hebræum habetur: Nisi, vide, hoc inueni, quòd fecit Elohim hominem rectum: & ipsi quæsierunt rationes multas. Attentum reddit auditorem, vt animaduerteat ad causam tantæ raritatis. Fatetur enim, quòd nihil aliud inuenit circa hæc, nisi quòd Deus quidem fecit hominem rectum rectitudine animi, (ac per hoc non est imputanda Deo tanta raritas rectæ rationis,) sed ipsimet homines quæsierunt multas viuendi rationes declinantes à vero hominis bono. Multitudo siquidem sectarum collocantium hominis felicitatem in diuersis, testatur veram esse hanc Salomonis sententiam. Et si ponderaueris verbum, inueni, intelliges, quòd non est sermo de creato homine in gratuito dono rectitudinis originalis: sed de homine facto à Deo in naturali rectitudine animi: talem enim rectitudinem concionantis disputatio inuenit sub naturali lumine intellectus humani discurrendo. Iustitiam autem originalis iustitiæ credimus, & non inquirendo inuenimus.

Qvis talis, vt sapiens sit? Iuxta Hebræum habetur: Quis sic vt sapiens? Prosequitur primò propositum, videlicet, ad sciendam sapientiam: & vbi priùs dixerat sapientiam elongatam à se, modò negat inueniri sapientem, dicendo: Quis vt sapiens? quasi dicat, nullus est, vt sapiens esse debet, vt conditiones sapientis requirunt.

Et qvis novit solvtionem verbi? Iuxta Hebræum habetur: Et quis sciens interpretationem verbi? Sapientis officium est interpretari verba ardua, quale est, de quo nunc agitur, verbum de bono hominis. Declarando itaque, quòd nullus est, vt sapiens; dicit, quòd nullus est sciens interpretari verbum, de quo tractatur, videlicet, de bono hominis in tota vita præsenti.

Cap. VIII. Vers. 1. Sapientia hominis lvcet in vvltv eivs, et potentissimvs faciem eivs commvtabit. Iuxta Hebræum habetur: Sapientia hominis illuminabit vultum eius, & fortitudo vultus eius mutabitur. Manifestat ab effectu [illegible] sapientem ex integro: effectus [illegible] hoc est, illorum, qui [illegible] est mutatio sapientis [illegible] Mutantur enim, quoniam [illegible] reputantur sapientes. Mutantur enim quandoque illuminatur vultus eorum, quandoque autem mutatur fortitudo vultus eorum. Quando enim sapiunt, tunc vultum habent illuminatum: quando verò desipiunt, mutatur fortitudo vultus eorum. Superius enim declaratum est, & ex muneribus, & ex oppressionibus desipere sapientes, & tunc mutatur fortitudo [illegible] vultus eorum: quoniam ad libertatem etiam se [illegible] vultum amittunt [illegible] authoritatem, quia [illegible] agunt, & clarificatur [illegible] cùm sapienter agunt coram aliis. Non sunt itaque [illegible] vultus eorum [illegible] sapientes simpliciter, & absolutè, quia ad tempus sapiunt, & ad tempus desipiunt.

Nemo integer sapiens.

CAPVT VIII.

Vers. 1. Ego, os Regis obserua, et præcepta ivramenti Dei. Iuxta Hebræum habetur: Ego, os Regis custodi, & super verbo iuramenti Elohim. [illegible] est sermo, eo quòd [illegible] verbum, cum [illegible] nomen, ego, nullum [illegible] in principio huius libri [illegible] abs que additione [illegible] Et quoniam [illegible] concionator dixit se Regem [illegible] authoritatē dicēdo, ego in [illegible] proponit suam [illegible] principiū habet plus [illegible] per hoc, quòd i[illegible]

mitiam subiunctorum, quòd ipse est locupletissimus eorum horum. Ac si apertius dixisset: Ego expertus, & plenè sciens, sum, qui loquor hæc, videlicet, *os Regis obserua*. Vt & perfectè nouerat Salomon Rex, quanti referat obseruare os Regis; hoc est, curam habere exequendi, quod dicit Rex. Prosequendo enim bona animi, inter illa numerat custodire verba Regis. Nam post-habentes, aut obliuioni tradentes illa, mala multa incurrunt: curam autem adhibentes ad exequendum ea, bona multa consequuntur. Adiungitur autem mandato huic, cura exequendi dictum firmatum iuramento Dei, non quodcunque; sed quod vocatur homagium, hoc est, iuramentum fidei, quod in principio præstatur Regi à subditis. Illud enim authoritas Regis, illud authoritas iurisiurandi fulcit: illud Rex, istud tu metipse introduxisti: in illo ostenditur Elohim, qui est super omnes Reges, istud est radix, & ratio illius. Et propterea adiunctum est hic:

Vers.3. NE FESTINES RECEDERE A FACIE EIVS.
Iuxta Hebræum habetur: *Ne festines, à facie eius ibis*. Et est sensus: Quando ibis à facie Regis, non festinabis, non velociter gradieris, tanquàm currens, sed moderato gressu recedes, ne offendas conspectum Regis. Vide ordinem. Duo proposuerat: alterum, custodire os Regis; alterum, custodire eloquium iuramenti Elohim. Et prosequuturus vtrunque inchoat à primo, monens, vt faciei Regis non ingerat festinationem in recessu, quæ conspectu regio indigna est, & leuitatis index.

NEQVE PERMANEAS IN OPERE MALO. Iuxta Hebræum habetur: *Non stabis in verbo malo*. Post Regis os, & faciem, monet tertiò, quid agendum tibi est in malo Regis verbo. Et appellatur *verbum malum*, verbum tonans aduersus te. Monet autem, vt audito (vel propriis auribus, vel per relationem fidelem) malo verbo Regis, non stes, non permaneas; sed saluum te facias extra loca iurisdictionis Regis. Et rationem subdit:

Vers.4. QVIA OMNE, QVOD VOLVERIT, FACIET: ET SERMO ILLIVS POTESTATE PLENVS EST.
Iuxta Hebræum habetur: *Quia omne, quod volet, faciet: in quo verbum Regis potens*. Simul docet rationem non manendi, & quò eundum est. Ratio quidem non manendi redditur: quia Rex omne, quod volet, faciet in omni loco, in quo sermo Regis potestatem habet. Locus verò, quò eundum est, ex his insinuatur, videlicet, extra loca, ad quæ se extendit imperium Regis.

NEC DICERE EI QVISQVAM POTEST: QVARE ITA FACIS? Paruùm refert, quòd Hebraicè habetur: *Et quis dicet ei: Quid facies?* Quasi dicat: Nullus audebit præueniendo arguere Regem dicendo: Quid facies? Et propterea omne, quod volet, faciet in regno suo aduersùs aliquem.

Vers.5. QVI CVSTODIT PRÆCEPTVM, NON EXPERIETVR QVICQVAM MALI. Iuxta Hebræum habetur: *Custos præcepti nesciet verbum malum*. Dixerat in principio huius capituli: *Os Regis custodi*. Adiungit modò fructum custodiæ dicendo, quod custos præcepti regis nesciet verbum malum, nesciet aduersùs se verbum Regis, vt pote nullum. Quod enim non est, sciri non potest: Reges autem aduersùs obedientes sibi non dicunt verba mala. Et hoc est verum regulariter, ac per hoc audiens malum aduersùs se verbum Regis, delicto aliquo notatus est.

TEMPVS, ET RESPONSIONEM COR SAPIENTIS INTELLIGIT. Iuxta Hebræum habetur: *Et tempus, & iudicium sciet cor sapientis*. Dixerat: *Non manebis in verbo malo*. Et rationem reddiderat ex parte potestatis regiæ: modò consequenter declarat modum, quo Rex facit, quicquid vult. Introducit autem modum hunc, & cognitum à sapientibus, quamuis vulgus non penetret illum, vt intelligas, quòd non est modus nouus, & inauditus apud sapientes. Consistit autem modus iste in tempore, & iudicio. Et consequenter declarat eundem subdendo:

Vers.6. OMNI NEGOTIO TEMPVS EST, ET OPPORTVNITAS. Iuxta Hebræum habetur: *Quia omni volito est tempus, & iudicium*. Et est sensus: Sapientes intelligunt tempus, & iudicium, cognoscendo, quòd omni volito à Rege est tempus, & iudicium, (hoc est, nanciscitur Rex tempus faciendi, quod vult, inuenit iudicium, id est, rationem iudicandi,) aduersùs eum, cui malum vult. Quotidiana sunt hæc in tribunalibus Principum, seruauerat hæc olim ipse Salomô Rex aduersùs Semei, & aduersùs Adoniam. Custodia apud Principes non tuta. 3.Reg.2.

Vers.7. ET MVLTA HOMINIS AFFLICTIO: QVIA IGNORAT PRÆTERITA, ET FVTVRA NVLLO SCIRE POTEST NVNCIO. Iuxta Hebræum habetur: *Quia malum hominis multum super eum*. Hoc est, ideò omni Regis volito nactum tempus est, & iudicium: quia malum, & culpæ, & pœnæ, quod imminet homini, est multum. Et propterea non deerit occasio Regi temporis, & iudicij. Et immediatè sequitur: *Quia non ipse sciens quicquid erit: quia sicut erit, quis annunciabit ei?* Mali hominis multum. Ignorantiam hominis respectu duorum futurorum (videlicet, quid erit, & sicut erit) affert pro ratione multi mali ineuitabilis ab homine: nescit enim homo futurum sibi malum, tum quoad substantiam mali, tum quoad modum eueniendi, vt intelligas ex parte subditorum rationem, quare Rex facit, quodcunque voluerit. Si enim subditus præuideret huiusmodi futura, euaderet à tempore, & iudicio, & sic impediretur voluntas Regis.

Vers.8. NON EST IN HOMINIS POTESTATE PROHIBERE SPIRITVM. Clarius iuxta Hebræum legitur: *Non homo potens inuentum ad prohibendum ventum*. Dictio Hebraica anceps est ad spiritum, vel ventum, & hoc in loco quadrat interpretatio venti, eò quòd tres similitudines affert ad inferendum in quarto loco, quòd impietas non potest eruere hominem impium, & omnes similitudines attenduntur penes impotentiam. Prima itaque impotentia affertur in homine respectu venti, declarando actionem: quia, videlicet, non potest homo prohibere ventum, quin flet, quamuis possit separare se à flante vento. Tres similitudines Sal. respectu impotentia hominis. Prima impotentia.

NEC HABET POTESTATEM IN DIE MORTIS. Secunda impotentia hominis affertur respectu mortis naturalis, quòd, videlicet, homo non potest diem naturalis suæ mortis pertransire, non potest retinere spiritum in corpore, supremo aduenientе die. Secunda.

NEC SINITVR QVIESCERE INGRVENTE BELLO. Iuxta Hebræum habetur: *Et non missio in prælio*. Tertia impotentia hominis est, quòd in ipso actu præliandi non potest homo mittere alium pro se. Ante prælium enim potuisset subrogare alium. Sed in ipso prælio non potest [illegible] alium subrogare, sed oportet præliari, aut succumbere. Tertia.

NEQVE

Neque salvabit impietas impium. Sententia redditur, & ex tribus similitudinibus præmissis affertur intentum; videlicet, quòd sicut impotens est homo ad tria prædicta, ita impotens est impietas ad eruendum hominem impium à tempore, & iudicio Regis. Et verum dicit: quia, quantis fautores amici, vel scandalum imminens possit eruere impium; ipsa tamen impietas non potest eruere impium.

Vers. 9. Omnia hæc consideravi, et dedi cor meum in cunctis operibus, quæ fiunt sub Sole. Interdum dominatur homini homini in malum suum. Clausula ista in vulgata editione discerpitur: legendum siquidem est: *Totum hoc vidi, & dando cor meum ad omne opus, quod factum est sub Sole, tempore, quo dominatus est homo homini in malum*, &c. Fatetur Ecclesiastes hæc, quæ de Regis potestate dicta sunt, se vidisse: & dando cor suum (hoc est, applicando mentem suam) ad hominum opera, quæ facta sunt sub Sole, vidit hæc spectare ad tempus illud, ex quo homo homini cœpit dominari: potestas enim Regum non fuit ante illud tempus. Quòd autem apponit, *in malum ei*, (scilicet, homini,) ad differentiam domini domestici, quo, videlicet, pater naturaliter dominatur filus, & maritus vxori, dicitur: dominium enim domesticum non est in malum humani generis, sed in bonum: dominium autem, quo Principes dominantur, in malum pœnæ humani generis inchoatum fuisse testantur historiæ, & sæpe experientia testatur in oppressionibus & expilationibus subditorum, quæ fiunt à Regibus, & dominis aliis.

Dominium domesticum in bonum est humani generis: dominium autem regale est in malum pœnæ.

Vers. 10. Vidi impios sepultos: qui etiam, cum adhuc viverent, in loco sancto erant, et laudabantur in civitate, quasi iustorum operum. Iuxta Hebræum habetur: *Et in sic vidi impios sepultos, & venerunt, & ex loco sancto exibunt, & obliuioni tradentur in ciuitate, qua sic fecerunt.* Dicendo, *in sic*, demonstrat modum temporis, quo homo dominatus est homini. Ad idem enim tempus significat spectare subiunctam peruersitatem, videlicet, impios honorabili sepulcro decorari, vsque adeò quòd veniunt in memoriam, & laudem, ad posteros: quò contrà viri ex loco sancto ibunt à laude & memoria hominum, ita quòd obliuioni tradentur, etiam in ciuitate, in qua sic (hoc est, sanctè) fecerunt opera sua. E regione impiorum collocat viros ex loco sancto; vt intelligamus, non tam sanctitatem loci, quàm sanctitatem virorum; hoc est, genitos, altos, & prouectos, secundùm animum ex loco sancto. Clarum autem est, quòd peruersitas ista sequitur dispositionem temporis, ex quo homo cœpit homini dominari. Principum enim potentia efficit sepulcra honorabilia, & successum memoriæ apud posteros, vt & historiæ tradunt de Belo, & Nino Regibus Assyriorum, & quotidie huiusmodi memoriæ renouantur.

Vnde eleuatio impiorum, & obscuritas sanctorum virorum.

Sed et hoc vanitas est. Pronomen, *hoc*, demonstrat vniuersa dicta in hoc tractatu de Rege.

Vers. 11. Etenim, quia non profertur citò contra malos sententia, absque timore vllo filii hominum perpetrant mala. Iuxta Hebræum habetur: *Quod non fuit factum indicium operis mali citò; super sic impletum est cor filiorum hominum in eis ad faciendum malum.* Propo-

posuerat in principio capituli duo, (videlicet, custodire os Regis, & custodire eloquium iuramenti Elohim;) & prosecutus est hactenus primum, modò consequenter prosequitur secundum, tractando de iudicio diuinæ iustitiæ, inchoans à dilatione diuini iudicij. Et intendit declarare, quòd dilatio diuini iudicij non est secundùm se ipsam peccandi occasio; sed secundum quod homines abutuntur illa, vt propter dilationem diuini iudicij non negligas custodire eloquium iuramenti Elohim. Duo itaque dicit: alterum sonans dilationem diuini iudicij super operibus malis; & hoc videmus ad sensum: alterum sonans abusionem; quòd, videlicet, homines videntes non citò puniri mala opera, abutuntur huiusmodi dilatione, implendo cor affectibus ad operandum mala: promittunt enim sibi, vel impunitatem, vel pœnitentiam fructuosam, quando voluerint. Quare autem Deus non citò puniat, ratio est, vel, quia expectat pœnitentiam; vel, quia non est impleta mensura delictorum secundùm ordinem diuinæ sapientiæ: vtranque enim rationem ex sacra Scriptura discimus.

Abusio patientiæ diuini iudicij.

Vers. 12. Attamen peccator ex eo, quod centies facit malum, et per patientiam sustentatur. Interpres diuersas sententias iunxit. Nam iuxta Hebræum integra est sententia: *Quia peccator facit malum centies, & faciens prolongat ei.* Ad probandum, quòd Deus non citò punit, affert testimonium ex eo, quòd inuenitur peccans non semel, aut bis, vel decies, sed centies: & Deus facit prolongare ei sententiam iudicij sui. Si enim citò puniret, non expectaret vsque ad centies.

Vers. 13. Ego cognovi, quod erit bonum timentibus Deum, qui verentur faciem eius. Non sit bonum impio, nec prolongentur dies sui; sed quasi umbra transeant, qui non timent faciem Domini. Iuxta Hebræum habetur altera sententia: *Quia etiam sciens ego, quod erit bonum timentibus Elohim, qui timebunt à facie eius. Et bonum non erit impio, & non ipse prolongabit dies tanquam umbra: qui non ipse timens à facie Elohim.* Dilatio sententiæ habet duas conditiones; videlicet, quòd sententia non citò datur, & quòd tandem datur. (Quod enim differtur, non aufertur.) Et propterea cùm dilationem quoad primam conditionem, declarat modò quoad secundam, videlicet, quòd Deus tandem iudicabit retribuendo bonum bonis, & malum malis. Ait itaque, quia etiam cum prædictis scio ego, quòd erit bonum timentibus Elohim, hoc est, quòd tandem retribuetur bonum timentibus Deum; timentibus autem non à custodia [illegible] sed à facie eius à conspectu ipsius [illegible] videntis omnia. Et dixi hoc ad [illegible] [illegible] quidem diuinam prouidentiam [illegible] Prospectum Dei ad hoc [illegible] [illegible] sed non extendi totum operum. Deus [illegible] singularia [illegible] dicit: Et bonum [illegible] [illegible] verò impio [illegible] de bono longæuitatis [illegible] [illegible] & in specie [illegible] dies [illegible] [illegible] *Et non prolong.* [illegible] meritum [illegible] [illegible] & dolosi [illegible] longa vita [illegible] [illegible] verificatur quoad [illegible] [illegible] peccator non solùm [illegible] Elohim [illegible] [illegible] vescitur [illegible] non est [illegible] [illegible] à conspectu [illegible] [illegible] sicut vmbra [illegible] [illegible]

Duæ conditiones dilationis sententiæ diuinæ.

Famulus [illegible]

[illegible] *Psalm. 54.*

cuius est umbra, sed quædam repræsentatio illius, non mens diuinum conspectum non adhortetur, id hominis umbra. Non est, inquam, homo secundum mentis visum, sed iuxta hominis. Visus enim humani animi pendet à timore conspectus diuini, tanquam à prima regula.

Verf. 14. ET EST ALIA VANITAS, QVÆ FIT SVPER TERRAM. Superfluit ŉ alia. Demonstrantur occasiones humanæ sumptæ ex dilatione diuinæ sapientiæ, & diuersi euentus in hac vita redditi. Et appellatur vanitas super terram facta, ad differentiam eorundem, quatenus fiunt à diuina gubernatione, ita quòd bonum in hac vita timentibus Deum, & non bonum non timentibus Deum, quatenus super terram fiunt, supputantur inter vana, quamuis relata ad diuinam prouidentiam, non sint vanitas.

SVNT IVSTI, QVIBVS MALA PROVENIVNT, QVASI OPERA EGERINT IMPIORVM: ET SVNT IMPII, QVI ITA SECVRI SVNT, QVASI IVSTORVM FACTA HABEANT. Legenda est hæc clausula iuxta Hebræum: Quos sunt iusti, quibus euenit, tanquam operibus impiorum: & sunt impij, quibus euenit, sicut operibus iustorum. Tractans de diuino iudicio, cum proposuisset dubitationem, modò proponit magis admirandam conditionem diuinæ sententiæ: videlicet, quòd apparet sæpe peruersa. Nam inueniuntur iusti mala illa patientes, quæ merentur opera impiorum: & similiter inueniuntur impij bonis illis donari, quæ merentur iustorum opera. huiusmodi enim retributio peruersitatem iudicij sonat: argumentando siquidem procedit Ecclesiastes: vnde & subiungit.

SED ET HOC VANISSIMVM IVDICO. Iuxta Hebræum habetur: Dixi, quod etiam hoc vanitas. Pronomen, hoc, demonstrat dictum euentum: nam huiusmodi tam diuersi euentus ad vanitatem huius vitæ pertinent. Et propterea appellatur vanitas.

Verf. 15. LAVDAVI IGITVR LÆTITIAM, QVÒD NON ESSET HOMINI BONVM SVB SOLE, NISI COMEDERE, ET BIBERE, ATQVE GAVDERE: ET HOC SOLVM SECVM AVFERET DE LABORE SVO IN DIEBVS VITÆ SVÆ, QVOS DEDIT EI DEVS SVB SOLE. Parum refert, quòd Hebraicè habetur: Et laudaui ego lætitiam. Sententia in vulgata editione redditur. & Deus nominatur Elohim. Ecce quòmodò Ecclesiastes laudat bonum hominis in gaudio, & cibo, & potu, [illegible] tamen pro conditione concomitantiam talis boni in tota vita hominis. Nam dictio interpretata, et hoc feret, sonat, comitabitur: nec habetur dictio, solum. Vacillans igitur Ecclesiastes inter effectus diuini iudicij, ac inter bona animi ab initio septimi capitis numerata, tedit ad totius [illegible] sententiam de felicitate hominis in hac vita.

Verf. 16. ET APPOSVI COR MEVM, VT SCIREM SAPIENTIAM, ET INTELLIGEREM DISTENTIONEM, QVÆ VERSATVR IN TERRA. [illegible] HOMO, QVI DIEBVS, ET NOCTIBVS SOMNVM NON CAPIT OCVLIS. Iuxta Hebræum habetur: Quando dedi cor meum ad sciendum sapientiam, & ad videndum occupationem, quæ facta est super terram: quòd etiam in nocte somnum in oculis suis non videt. Intendit prosequi disputationem de bonis animi, assumens argumentum ex eo, quòd bona animi sunt priuilegiata: quod probat ex hoc, quòd iusti, & sapientes sunt in manu Elohim: & ad hoc procedit ex discussione diuinorum sub Sole operum, ab aliis, & à [illegible] facta. Introducit enim seipsum olim totis viribus inuestigantem ea, quæ sunt sapientiæ, & videntem occupationem humanam in Philosophia. Huiusmodi enim occupatio describitur, dicendo. Quæ facta est super terram. ita quòd etiam in die, & in nocte somnum in oculis suis homo non videt. Studiosi enim circa speculabilia vix dormiunt. Et intendit per hoc declarare, quòd vidit traditiones Philosophorum.

Verf. 17. ET INTELLEXI, QVÒD OMNIVM OPERVM DEI NVLLAM POSSIT HOMO INVENIRE RATIONEM EORVM, QVÆ FIVNT SVB SOLE. Iuxta Hebræum habetur: Et vidi omne opus Elohim, quod non poterit homo inuenire opus, quod factum est sub Sole. Narrat consequenter, quid assecutus fuerit ex tam diuturno studio, dicendo: Et vidi, quòd non potest homo inuenire vnum opus Elohim: opus, inquam, quod factum est sub Sole, ad differentiam operum Dei in corporibus cælestibus, & in substantiis spiritualibus, Angelis, scilicet, & Dæmonibus.

ET QVANTO PLVS LABORAVERIT AD QVÆRENDVM, TANTÒ MINVS INVENIAT. Iuxta Hebræum habetur: Et inde quod laborabit homo quærendo, & non inueniet. Relatiuum, quod, refert omne opus Dei sub Sole. Vniuersum enim hoc quæritur à Philosophis, & non inuenitur. Multa enim sub Sole fiunt, de quibus semper ambiguum remansit, an sint opera Dei, an sint euentus fortuiti, sen à casu, qualia sunt vltimò enumerata, videlicet, iustos affligi, & impios prosperari.

ETIAMSI DIXERIT SAPIENS SE NOSSE, NON POTERIT REPERIRE. Iuxta Hebræum habetur: Etiam si dicet sapiens ad sciendum, non poterit inuenire. Ad confutandum præsumptionem sapientum huius mundi, arbitrantium posse ex Philosophia discerni, quæ sunt opera Dei sub Sole, & quæ non sunt opera Dei, dicit hoc. Multi enim Philosophi arrogarunt sibi huiusmodi notitiam, quales sunt omnes, qui opus Dei in sphæra generabilium, & corruptibilium limitauerunt ad id, quod commune est ad indiuidua, quatenus communicant in specie, quatenus sapientes participant, & consequuntur ad esse perpetuum.

Cap. IX. Verf. 1. OMNIA HÆC TRACTAVI IN CORDE MEO, VT CVRIOSE INTELLIGEREM. Iuxta Hebræum habetur: Quia omne hoc dedi ad cor meum, & ad eligendum omne hoc. Et est sensus: quia vniuersum opus Dei sub Sole, & ignorantiam huiusmodi [illegible] dedi ad cor meum, id est, reduxi ad [illegible] mentis meæ, & ad eligendum omne hoc, [illegible] eligendum ex omni hoc sententiam subiectam.

SVNT IVSTI, ATQVE SAPIENTES, ET OPERA EORVM IN MANV DEI. Iuxta Hebræum habetur: Quòd iusti, & sapientes, & opera eorum in manu Elohim. Ecce sententia, ad quam eligendam ex omnibus consideratis studuit, videlicet, quòd iusti, & sapientes secundum eorum personas, & opera eorum sunt, & gubernantur manu (hoc est, operatione) Elohim, Dei gubernatoris, & iudicis vniuersorum. Hæc enim sententia diuinæ prouidentiæ gubernationem ad indiuidua sapientium, & iustorum extendit, [illegible] est tanquam electio, discernens sapientes, & iustos ab aliis.

Verf. 2. ET TAMEN NESCIT HOMO, VTRVM AMORE, AN ODIO DIGNVS SIT.

Sed

Vers. 1. SED OMNIA IN FVTVRVM SERVANTVR INCERTA. Iuxta Hebræum habetur: *Etiam amorem, etiam odium non sciunt homo tormenta in facie eorum.* Altera est hæc pars eligendæ sententiæ, quòd cum hoc, quòd iusti & sapientes gubernantur ab Elohim, concurrit ignorantia humana, quòd nescit homo amorem, vel odium; hoc est, quid ex amore, & quid ex odio erga aliquem operatur Elohim: & omnia, tam ex amore, quàm ex odio gesta sunt in facie hominum. Sententia hæc verissima est. Nam coram nobis sunt ea, quæ circa nos geruntur, siue prospera, siue aduersa: & cum hoc nescimus causam aduersitatis, vel prosperitatis, an sit odium, vel amor Dei, hoc est, an Deus tanquam amans aliquem gubernet eum per aduersa, & similiter an tanquam habens odio aliquem gubernet eum per aduersa, idémque dicito de prospera. Ignoramus enim an Deus tanquam amans aliquem gubernet eum per prospera, vel tanquam odio habens aliquem gubernet ipsum per prosperitates. Hoc enim est dicere, quòd nescit homo etiam amorem, etiam odium: hoc est, an spectens ad amorem, vel odium, quæ coram eis fiunt. Ita quòd quamuis sapientes & iusti sint prælallegati penes esse in manu Elohim, communi tamen ignorantiæ subduntur: quia ipsi nesciunt discernere quæ ex amore ab iis, quæ ex odio procedant Elohim.

Rabbi Sal. intelligit, quòd iusti & sapientes tantùm adversantur, an à Deo diligantur, vel odio habeantur. Nescit homo, an id, quod Deus circa se operatur, fiat ex amore, vel odio.

CAPVT IX.

EO QVÒD VNIVERSA ÆQVE EVENIANT IVSTO, ET IMPIO; BONO, ET MALO; MVNDO, ET IMMVNDO; IMMOLANTI VICTIMAS, ET SACRIFICIA CONTEMNENTI: SICVT BONVS, SIC ET PECCATOR: VT PERIVRVS, ITA ILLE, QVI VERVM DEIERAT. Interpres secutus est textum. Nam iuxta Hebræum habetur: *Omnia, sicut omnibus.* Et argumentatur contra electionem dictæ sententiæ, scilicet, quòd iusti, & sapientes in manu sunt Elohim. Argumentatur autem ex eo, quòd omnia, tam bona, quàm mala eueniunt, sicut omnibus, hoc est, absque delectu inter iustos, sapientesque, & iniquos, ac stultos. Deinde iuxta Hebraicã veritatem immediatè subiũgitur: *Euentus vnus iusto, & impio, bono, & mundo, & immũdo, sacrificanti, & non sacrificanti: sicut bonus, sicut peccator, iurans, sicut iuramentum timens.* Sententia est clara: intelligendo, quòd iurans è regione timentis iuramentum collocatur, significat timere iurantem, qui, videlicet, non reueretur religionem iuramenti. Vna tamen relinquitur quæstiuncula: Cur in vniuersa ista supputatione afferuntur semper contraria, excepta supputatione boni. Nam dicitur: *Euentus vnus iusto, & impio.* & subditur, *bono.* nec adiungitur, & malo; quam tamen additionem Interpres apposuit. Forte ratio est: quia non intendit de viro bono bonitate inhærente sibi loqui; sed de bono bonitate extrinseca ex parte Dei: & quia huiusmodi bonitas caret ex parte Dei contrario, ideò dixit, *bono*, nulla mentione facta contrarij. Ex hoc itaque, quòd euentus vnus est iustis, & iniustis, &c. argumentum sumitur, quòd iusti, & sapientes non sunt in manu Elohim plusquàm alij. Verificari autem hæc, experientia quotidiana monstrat in prosperitatibus, & aduersitatibus mundi huius.

Tam bona quàm mala absque discrimine iustis, vel impiis eueniunt.

Quæstio.

Solutio.

HOC EST PESSIMVM INTER OMNIA, QVÆ SVB SOLE FIVNT, QVIA EADEM CVNCTIS EVENIVNT. Iuxta Hebræum habetur: *Hoc malum omni, quod factum est sub Sole, quod euentus vnus omnibus.* Inter omnia, quæ sub Sole fiunt, [illegible] matur præcipuum malum hoc; videlicet, omnibus indifferenter & similia eueniunt adu[illegible] tatum, & prosperitatum.

Vers. 3.

VNDE ET CORDA FILIORVM HOMINVM [illegible] ui refert, quòd iuxta Hebræum habetur: *Et etiam cor filiorum Adam impletum est malo, & [illegible] corde eorum in vita sua.* Exaggeratio est [illegible] mali, ab effectibus in cordibus hominum du[illegible] bus: alter est, quòd hinc corda hominum [illegible] plentur malitia: alter est, quòd replentur [illegible] Et vtrunque videmus: primum in affectu, & se[illegible] cundum in intellectu.

ET POST HÆC AD INFEROS DEDVCENTVR. Iuxta Hebræum habetur: *Et postea ipse ad mor[illegible] tuos.* Sub euentu vno omnibus, supputat mo[illegible] tem, à qua nullus eximitur. Et propterea dic[illegible] & posteà ipse homo ad mortuos vadit, hoc e[illegible] mortem incurrit.

NEMO EST, QVI SEMPER VIVAT, ET QVI HVIVS REI HABEAT FIDVCIAM. Iuxta Hebræum ha[illegible] betur: *Quicunque quod asignetur, ad omnes viuos [illegible] spes* (Quasi dicat, nullius est spes [illegible] tas,) quòd affixus erit ad viuos omnes [illegible] coæuus erit viuentibus omnibus. Ex hoc [illegible] quòd nulla est spes euadendi mortem, declar[illegible] quòd post communes huius vitæ euentus hom[illegible] cadit ad mortuos.

QVIA CANIS VIVVS MELIOR EST LEONE MORTVO. Declarata communitate mortis, exaggerat malum mortis: primùm, quia canis viuus melior est leone mortuo, hoc est, quilibet quantumcunque minimus viuens, præstat cuicunque excellentissimo mortuo.

VIVENTES ENIM SCIVNT SE ESSE MORITVROS: MORTVI VERÒ NIHIL NOVERVNT AMPLIVS. Legendum esset iuxta Hebræum: *Et mortui non sciunt quicquam.* Rationi sumptæ ex comparatione viui ad mortuum, adiungitur ratio ex comparatione scientiæ ad negationem illius: viuentes enim sciunt saltem hoc, quòd sunt morituri: mortui autem nihil sciunt. Et quantumuis disputatiuè hæc dicant, vera tamen sunt formaliter loquendo de mortuis: mortui enim, quatenus mortui sunt, nihil sciunt, quicquid sit de scientia animarum viuentium post mortem: formaliter enim Ecclesiastes loquitur omittendo sermonem de scientia separatarum animarum. Vers. 5.

Mortui nihil sciunt.

NEC HABENT VLTRA MERCEDEM. Patui refert, quòd Hebraicè habetur: *Et non vltra eis merces.* Tertia ratio affertur ex priuatione mercedis. Homines enim viui, merentur aliquid: mortui autem nihil merentur.

Mortuus nihil meretur.

QVIA OBLIVIONI TRADITA EST MEMORIA EORVM.

Vers. 6. AMOR QVOQVE, ET ODIVM, ET INVIDIA SIMVL PERIERVNT; NEC HABENT PARTEM IN HOC SÆCVLO, ET IN OPERE, QVOD SVB SOLE GERITVR. Principium est totius huius sextæ clausulæ hæc particula Et propterea iuncti legenda est iuxta Hebraicam veritatem sic: *Quia obliuioni tradita est memoria eorum, etiam amor eorum, etiam odium eorum, etiam inuidia eorum iam periit, & pars non eis vltra in æternum in omni, quod factum est sub Sole.* Post exaggeratum malum mortis ex priuatione passionum a viuis, includendo à recordatione.

recordatione. Quamuis aliqui mortui per tempus aliquod sint in memoria hominum, & honorentur; aliqui verò odio habeantur (ita quòd extumulantur, & comburuntur ossa eorum, &c.) commune tamen mortuis omnibus est, quòd tandem obliuioni traduntur, & consequenter amor, odium, atque inuidia erga eos perit: & vniuersaliter nulla illis pars eorum, quæ sub Sole fiunt, remanet. Quandiu enim in memoria, opinione,

Nulla mortuis pars eorum.

laude, vel vituperio hominum durant, habent aliquam eorũ, quæ apud viuos fiunt, partem (videlicet, memoriam, amorem, odium, & id genus reliqua in animis viuorum.) sed postquàm obliuioni dati sunt, nulla remanet mortuis pars eorum, quæ sub Sole fiunt. Et procedit hæc ratio supposita æternitate mundi: hac enim præsupposita, commune est mortuis omnibus tradi obliuioni, &c.

Vers. 7. VADE ERGO, ET COMEDE IN LÆTITIA PANEM TUUM, ET BIBE CUM GAUDIO VINUM TUUM: QUIA DEO PLACENT OPERA TUA. Superfluit, ergo: & Deus nominatur Elohim: præteritique temporis est verbum interpretatum, placent. Ecce sextò iterat conclusionem de felicitate humana in lætitia fruitionis bonorum sensibilium, inchoando à cibo, & potu in gaudio cordis. Considerata enim communitate euentuum, tanquàm confutata sententia, quòd iusti & sapientes sunt in manu Elohim præ alijs, redit ad priorem opinionem adiungendo rationem ex parte Dei: quia complacuit Elohim in opere tuo. Quod enim est bonum delectabile secundùm naturam, & morem, & sine alicuius iniuria, gratum est Deo, gubernatori vniuersi. Et propterea Ecclesiastes dicit placere Deo hæc delectabilia opera.

Vers. 8. OMNI TEMPORE SINT VESTIMENTA TUA CANDIDA, ET OLEUM DE CAPITE TUO NON DEFICIAT. Delectationibus cibi, & potus, adiungit iucunditatem vestium, & vnguentum aromaticum in capite iuxta morem Orientalium.

Vers. 9. PERFRUERE VITA CUM VXORE, QUAM DILIGIS CUNCTIS DIEBUS VITÆ INSTABILITATIS TUÆ, QUI DATI SUNT TIBI SUB SOLE OMNI TEMPORE VANITATIS TUÆ. Legendum esset: *Vide vitam cum vxore, quam dilexisti omnibus diebus vitæ vanitatis tuæ*, &c. Sententia est clara, annotando, quòd tum vita præsens appellatur vita vanitatis, tum dies omnes, quibus homo viuit, appellantur dies vanitatis, vt inter vana constitutus homo ex vanis capiat id boni, quod potest, quod est bonum delectabile, quod modò describitur.

HÆC EST ENIM PARS IN VITA, ET IN LABORE TUO, QUO LABORAS SUB SOLE. Reperit rationem superiùs allatam ad hoc idem: quia, videlicet, huiusmodi delectabile bonum est pars tua, ita quòd nihil aliud tibi debetur ex toto vniuerso. Hæc est enim doctrina opinantium felicitatem hominis consistere in huiusmodi bono delectabili secundùm naturam, & mores.

Vers. 10. QUODCUNQUE FACERE POTEST MANUS TUA, INSTANTER OPERARE. Iuxta Hebræum habetur: *Omne, quod inuenerit manus tua ad faciendum, virtute tua fac.* Negligentiam ab huiusmodi felicitate excludit mandando, vt quod vnusquisque iuxta conditionem suam inuenerit ad faciendum, non negligat facere, sed pro viribus efficiat. Et rationem subdit:

QUIA NEC OPUS, NEC RATIO, NEC SAPIENTIA, NEC SCIENTIA ERUNT APUD INFEROS, QUO TU PROPERAS. Dictio interpretata, Inferos, sonat *foueam*. Et legendum esset, *in fouea*. Et est sermo de fouea sepulcri: intendit enim suadere, quòd vtaris ratione, sapientia, scientia, & opere, quandiu viuis: quia nihil horum comitatur te in sepulcro, sed omnia cum præsenti vita definiunt.

VERTI ME AD ALIUD, ET VIDI, QUÆ SUB SOLE. Legendum esset: *Reuersus sum, & videndo sub Sole.* Tractaturus de inopinatis, & irregularibus euentibus, describit seipsum reuersum ad materiam euentuum, de quibus superiùs tractauit: reuersum autem considerando, & videndo euentus sub Sole. Vers. 11.

NEC VELOCIUM ESSE CURSUM, NEC FORTIUM BELLUM, NEC SAPIENTIUM PANEM, NEC DOCTORUM DIVITIAS, NEC ARTIFICUM GRATIAM, SED TEMPUS, CASUMQUE IN OMNIBUS. Iuxta Hebræum declaratiui casus sunt omnia subiuncta: ita quòd legitur: *Quòd non leuibus cursus: & non fortibus prælium: & etiam non intellectoribus diuitiæ: & etiam non scientibus gratia: quia tempus, & casus obuiant omnibus ipsis.* Discursus iste tendit ad hoc, quòd in humanis propriæ causæ deficiunt ab effectibus, qui deberent proficisci ab eis: hoc enim sonat collectio quinque causarum humanarum relatiuè ad proprios effectus: nam leuitas corporis causa est cursus, & fortitudo causa est prosperi prælij: sapientia quoque vendicat sibi necessaria victus, vtpote sapientibus debita, industria quoque vigentium intellectu parit diuitias, & scientia gratiosos reddit homines. Ecclesiastes autem vidisse ait sub Sole, quòd cursus non respondet leuibus, & fortibus non succedit prælium, nec sapientibus suppetit panis, nec viris industriis adsunt diuitiæ, nec scientes comitatur gratia: & rationem subdit, quia tempus, & casus obuiant eis. Et in ratione temporis intendit actiones cælestium corporum, secundùm quorũ motus mensura est tempus: ita quòd intendit impediri humana à cælestibus motibus, & à casu. Et vocum dicit, comparando dispositiones humanas ad conseruationem effectuum corporeorum, de quibus solis fit mentio in littera.

Defectus in causis quorum humanarum respectu suorum effectuum.

[illegible]

Humana impediri à cælestibus motibus.

NESCIT HOMO FINEM SUUM. Iuxta Hebræum habetur: *Quia etiam nescit homo tempus suum.* Declarat illam particulam: *Quia tempus obuiabit eis.* Declarat autem inchoando à radice; videlicet, quia homo nesciet tempus suum, hoc est, quale erit sibi tempus suum. Latet enim hominem, qualis erit ei dies crastinus, immò qualis erit Meridies præsentis diei: hinc siquidem proficiscuntur subiuncta, videlicet: Vers. 12.

SED SICUT PISCES CAPIUNTUR HAMO, ET SICUT AVES LAQUEO COMPREHENDUNTUR, SIC CAPIUNTUR HOMINES IN TEMPORE MALO. Iuxta Hebr. legendum est: *Sicut pisces, qui capti sunt in malo: & sicut aues, quæ captæ sunt in laqueo: sic impegerunt filij Adam in tempus malum.* Assimilat homines respectu temporis mali auibus, & piscibus: eò quòd commune est eis incidere, quando non cogitant malum.

Impedimenta ineuitabilia.

CUM EIS EXTEMPLO SUPERVENERIT. Legendum potiùs est, *Quia quod cadet super eos subitò.* Assimilat accidentia hominibus ex tempore malo, illis, quæ cadunt repentè super aliquem. Et per hanc similitudinem, seu potiùs rationem declarat ineuitabilitatem, & superioritatem: vt intelligamus, quòd hæc impedimenta

pedimenta proficiscuntur à causis superioribus, quem- lic quòd sunt ineuitabilia ab hominibus, quem- admodum cadentia super hominem subitò.

Vers. 13. HANC QVOQVE SVB SOLE VIDI SAPIENTIAM, ET PROBAVI MAXIMAM. Iuxta Hebræum vlti- mæ dictiones sic habentur: *Et magna ipsa mihi.* Pronomen, *hanc*, demonstrat subiunctam pau- peris sapientiam magnipēsam apud Ecclesiasten.

Vers. 14. CIVITAS PARVA, ET PAVCI IN EA VIRI: VE- NIT CONTRA EAM REX MAGNVS, ET VALLAVIT EAM, EXTRVXITQVE MVNITIONES PER GYRVM, ET PERFECTA EST OBSIDIO.

Vers. 15. INVENTVSQVE EST IN EA VIR PAVPER, ET SAPIENS, ET LIBERAVIT VRBEM PER SAPIEN- TIAM SVAM, ET NVLLVS DEINCEPS RECORDA- TVS EST HOMINIS ILLIVS PAVPERIS. Senten- tia clara est: siue res gesta recitetur, siue exempli gratia ficta intelligatur historia. Idem enim in- tentum habetur quouis modo intelligas: ad hoc enim afferitur vera, vel ficta historia hæc, vt de- scribatur sapientia pauperis despecta, & [illegible] be- nè absoluta.

Sapientia pauperis despecta.

Vers. 16. ET DICEBAM EGO. Iuxta Hebræum habetur: *Et dixi ego, melior sapientia fortitudine.* Et pro- culdubio benè dixit.

QVOMODO ERGO? Non sic scribitur in He- bræo, sed immediatè sequitur: *Et sapientia pau- peris contempta, & verba eius non audita.* Quamuis melior sit sapientia, quàm fortitudo; paupertas tamen reddit sapientiam contemptibilem, & fa- cit verba pauperis non audiri. [illegible] conclusionem hanc intelligas adiunctam ab Ecclesiaste, occa- sione tempestatis recitata historia. [illegible] enim pauper audiuit fuit in sola [illegible] necessitate, & postea despectus est. Pauperis autem verba, quamuis sapientis, communiter non audiuntur; sed diuitum, & Magnatum.

Pauperis verba non audiuntur, quamuis sapientis.

Vers. 17. VERBA SAPIENTVM AVDIVNTVR IN SILEN- TIO, PLVSQVAM CLAMOR PRINCIPIS INTER STVLTOS. Legendum iuxta Hebræum est: *Verba sapientum in quiete audita fiunt, plusquam clamor domini in stultis.* Postquàm prætulit sapientiam fortitudini, præfert verba eius verbis domino- rum, dicendo, quòd verba sapientum in quiete, cum loquuntur, quam audientium plùs audiun- tur, plus placent, quàm clamor, vox magna do- mini in stultis, hoc est inter stultos.

Vers. 18. MELIOR EST SAPIENTIA, QVAM ARMA BELLI- CA. Sententia clara est, & vera comprobatur, ex eo, quòd bellica arma nihil prosunt, nisi sapientia regantur.

ET QVI IN VNO PECCAVERIT, MVLTA BONA PERDET. Iuxta Hebræum habetur: *Et peccator vnus perdet bonum multum.* E regione vnius sa- pientis, qui seruauit ciuitatem, describit pecca- torem vnum destruentem multitudinem, seu magnitudinem bonorum, iuxta vulgatum pro- uerbium: *Vnus stultus proiicit lapidem in pu- teum, & mille sapientes non extrahunt.*

Vulgatum prouerbium.

CAPVT X.

Vers. 1. MVSCÆ MORIENTES PERDVNT SVAVI- TATEM VNGVENTI. Iuxta Hebræum habetur: *Musca mortis faciet fœtere, fa- ciet bullas scatere vnguentum aromaticum.* Familiaris est Hebraicæ linguæ mutatio numeri: & ideò non mirabitis legendo, *musca mortis faciet.* Est enim sensus, multitudo muscarum morientium in vn- guento aromatico, quod est suauis odoris, faciet illud & bullas scatere, quemadmodum pu[illegible] centia; & fœtere: putrefactionem enim con[illegible] tur fœtor. Affertur autem hoc exēplum ad con- tinuandum inchoatum tractatum de con[illegible] sapientiæ: primùm enim attulit paupertat[illegible] contra honorem sapientibus debitum: deinde [illegible] tulit peccatorem, & ad hoc continuandum at[illegible] lit exemplum de vnguento pretioso, quod p[illegible] tret, & fœtet ex morte muscarum.

PRETIOSIOR EST SAPIENTIA, ET GLOR[IA] PARVA AD TEMPVS, ET STVLTITIA. Iuxta He- bræum habetur: *Pretiosum præ sapientia, præ ho- nore stultitia modica.* Et est sensus: Modica stultiti[a] facit putrere, & fœtere hominem pretiosiorem sapientia, & honore. Hyperbolico sermone ex- cellens vir dicitur pretiosior sapientia, & honore, quemadmodum dicitur velocior aquilis. Accom- modatur enim similitudo muscarum, & vnguen- ti stultitiæ modicæ, & viro raro: vt hinc perpen- damus, quòd bonum consurgit ex causa integra & tantam esse vim mali admixti bono, vt stulti- tia exigua deturpet virum, quantuncunque sa- pientem, & honorabilem.

COR SAPIENTIS IN DEXTRA EIVS, ET COR STVLTI IN SINISTRA ILLIVS. Et est sensus, quòd cor sapientis intendit ad ea, quæ sunt dextera, hoc est, bona honorabilia, & viro digna: cor au- tem stultorum ad ea, quæ sunt sinistra, [illegible] vilia, turpia, & similia.

SED ET IN VIA STVLTVS AMBVLANS, CVM IPSE SIT INSIPIENS, OMNES STVLTOS EXISTIMAT. Vers. 3. Iuxta Hebræum habetur: *Et etiam in via, quando stultus ambulat, cor eius deficit: & dicit omnibus stultum se.* Non solùm cor stulti est ad sinistram: sed etiam cùm ambulat; hoc est, cùm negotiatur, cùm tractat de occurrentibus, cor eius, hoc est intimè eius, deficit à rectitudine rationis, & pro- prio defectu manifestat omnibus se stultum esse.

SI SPIRITVS POTESTATEM HABENTIS ASCEN- DERIT SVPER TE, LOCVM TVVM NE DIMISERIS: Vers. 4. QVIA CVRATIO FACIET CESSARE PECCATA MAXIMA. Parum refert, quòd dictio interpretata, *potestatem habentis*, sonat, *dominantis*: & dictio in- terpretata, *maxima* sonat, *magna*. Post tractatum de impedientibus sapientiam monasticam, cõse- quenter tractat de sapientia politica, inchoando ab impedimentis per modum monentis dicens: Si super te venerit spiritus dominantis, hoc est, authoritas, seu ventositas dominantis, (quod est dicere, si eleuatus fueris in dominium, putà in principem ciuitatis,) ne dimittas locum tuum, ne dimittas virtutem animi tui, in qua quiescere so- litus es: si eleuaris potestate, non eleueris animo; sed in pristina morare sapientia. Et rationem sub- dit ex fructu: quia curatio cessare facit peccata magna, hoc est, quia vtendo sapientia tua, pro- pter quā meruisti eleuari, eris curator, eris velut Medicus, adhibendo curam, vt cessent peccata, etsi nō omnia, tamē magna: politica enim guber- natio non tollit peccata omnia populi, sed pec- cata magna. De minimis enim nō curat Prætor.

Post sapientiam monasticam, tractat de politica.

EST ET MALVM, QVOD VIDI SVB SOLE, QVASI PER ERROREM EGREDIENS A FACIE PRINCIPIS. Vers. 5. Aduersùs sapientiam politicam vidisse se malum sub Sole narrat. Et quoniam peruersum, seu mō- struosum est malum hoc; ideò dicit, tanquàm errorem, qui egreditur à facie dominantis. Et ad literam assimilat hoc malum iis, quæ per erro- rem fiunt à Principibus, intendens dicere, quòd huiusmodi mala proficiscuntur à gubernatore

vniuersorum,

uniuersorum, tanquàm ea, quæ proficiscuntur à Principibus per errorem. Sicut enim non voluntariè fiunt, quæ fiunt per errorem, ita hæc proficiscuntur à Deo non voluntariè. Et verificatur sententia ista de voluntate antecedente, qua vult omnes homines saluos fieri, qua non probat multos malos Reges dicens: *Ipsi regnauerunt, & non ex me; Principes extiterunt, & ego nesciui.*

Quia profici-scuntur à Deo non voluntariè.

1. Timot. 2. Oseæ 8.

Vers. 6. POSITVM STVLTVM IN DIGNITATE SVBLIMI: ET DIVITES SEDERE DEORSVM. Sententia redditur: quamuis Hebraicè scribatur: *Data fuit stultitia in celsitudinibus multis, & diuites in humilitate sedebunt.* Ecce malum, quod tanquàm per errorem fit, videlicet, quòd stultitia eleuatur in diuersis statibus celsitudinum, dum dantur stultis huiusmodi status, & diuites sapientiæ, & virtutum sedebunt in humilitate, hoc est peruersum, hoc est monstrum in humanis statibus.

Vers. 7. VIDI SERVOS SVPER EQVOS: ET PRINCIPES AMBVLANTES SVPER TERRAM SICVT SERVOS. Frequens est hoc malum, & affine priori.

Vers. 8. QVI FODIT FOVEAM, INCIDIT IN EAM: ET QVI DISSIPAT SEPEM, MORDEBIT EVM COLVBER.

Vers. 9. QVI TRANSFERT LAPIDES, AFFLIGETVR IN EIS: ET QVI SCINDIT LIGNA, VVLNERABITVR AB EIS. Dictio interpretata, *transfert*, sonat, commouet. & dictio interpretata, *affligetur*, sonat, dolore afficietur: & dictio interpretata, *vulnerabitur*, sonat, *periclitabitur*. Non silet Ecclesiastes, sed, cùm dixisset, malum hoc proficisci à Deo, tanquàm per errorem, affert has quatuor parabolas ad insinuandum, quòd non per errorem Deus facit hæc mala, sed merita hominum esse illa, quæ occasionem præbent, vt hæc mala eueniant. Itaque Deus gubernando homines, prout ipsi merentur, suauiter disponit, vt stulti præsint. Merita autem hominum colliguntur ad quatuor genera, istis quatuor similitudinibus significata, maretur enim, qui fodit foueam ad hoc, vt alter cadat in eam, vt ipse incidat in illam: & hac similitudine notantur parantes aliis occultè casum, qui iusto Dei iudicio cadunt ab excelsis statibus. Dissipans quoque sepem concludentem agrum, seu hortum, excitat colubrum ad sui morsum, & quid aliud facit aliena claustra inuadens, nisi mereri, vt mordeatur morsu venenoso? Commouens quoque aceruum lapidum prouocat casum lapidis aduersus se: quemadmodum scindens ligna, periculo se exponit, vt lædatur vel ab exiliente frusto ligni, vel à securi. Per hæc enim insinuantur perturbantes congregationes stabilium, & scindentes vnitatem quiescentium. Huiusmodi enim sunt merita, quibus homines merentur, vt subiiciantur stultis.

Quatuor parabolæ, quod non fiunt ea, quæ dixit à Deo per errorem, vel voluntariè.

Merita hominum ad quatuor genera colliguntur.

Vers. 10. SI RETVSVM FVERIT FERRVM, ET HOC NON VT PRIVS, SED HEBETATVM FVERIT, MVLTO LABORE EXACVETVR: ET POST INDVSTRIAM SEQVETVR SAPIENTIA. Iuxta Hebræum habetur: *Si obscuratum est ferrum, & ipsius non faciem illustrauit: & fortitudo roborabit, & excellentia rectitudinis sapientiam.* Quanta est vis rectitudinis insinuat ex similitudine ferri obscurati rubigine, dicendo, quòd si ferreum instrumentum obscuratum fuerit rubigine, quamuis facies eius non illustretur, fortitudo tamen virium ferri roborabit ipsum instrumentum: vt intelligamus, quòd non ex fulgore superficiei, sed ex fortitudine roboratur instrumentum ferreum: similiter quoque modo sapientia non roboratur splendore gloriæ, sed excellentia rectitudinis. Et intendit per hanc parabolam insinuare, quòd non est mirum sapientes obscurari, & subiici stultis: quia carent robore rectitudinis. Rectitudo enim firmat sapientes. Et hinc intelligimus, quòd quatuor supradictæ parabolæ ad sapientum peccata referuntur. Hæc enim quinta similitudo aperit, quòd excellentia rectitudinis roborat sapientiam etiam obscuram: vt hinc quoque insinuetur, quòd sapientes resurgent ad excelsos status, quando excellenti rectitudine morum fuerint firmati.

Pulchra similitudo.

Vers. 11. SI MORDEAT SERPENS IN SILENTIO, NIHIL EO MINVS HABET, QVI OCCVLTE DETRAHIT. Iuxta Hebræum habetur: *Si mordebit serpens absque susurrio, & non excellentia habenti linguam.* Et est sensus, quòd morsus serpentis absque signo audibili, non superat morsum linguæ humanæ. Descripto siquidem malo viso sub Sole (videlicet, quòd stulti eleuati sunt in excelsos status,) intendit modò stultos pingere suis coloribus, inchoando à lingua, & dicendo, quòd lingua stultorum non superatur à morsu serpentis inauditi. Et quoniam detrahendo, & susurrando hominis lingua mordet famam, & amicitiam; ideò Interpres antiquus expositoris fungens officio introduxit detrahentem occultè.

Lingua stultorum.

Vers. 12. VERBA ORIS SAPIENTIS GRATIA: ET LABIA INSIPIENTIS PRÆCIPITABVNT EVM. Dictio interpretata, *præcipitabunt*, sonat, *destruent*. Probat, quod dixerat; videlicet, quòd morsus serpentis non superat humanam linguam: probat, inquam, ex disparitate inter verba sapientis, & verba stulti penes hoc quòd sapientis verba sunt gratia, (hoc est, sunt grata, & bona aliis;) stulti autem verba nocent etiam sibiipsi. Et propterea peiora sunt serpentino morsu, nocenti non serpenti, sed aliis.

Verborum stulti, & sapientis comparatio.

Vers. 13. INITIVM VERBORVM EIVS STVLTITIA: ET NOVISSIMVM ORIS ILLIVS ERROR PESSIMVS. Iuxta Hebræum habetur: *Initium verborum oris stultitia: & finis oris eius trica mala.* Sermo stulti incipit à stultitia, & terminatur ad tricas malitiæ, seu ad tricas malorum. Incipit à deficiente intellectu, & terminatur ad intricationes nociuas. Sæpè enim imprudentes Principes huiusmodi sermones proferunt in diuersis materiis.

Principium sermonis stultorum, & finis.

Vers. 14. STVLTVS VERBA MVLTIPLICAT: IGNORAT HOMO, QVID ANTE SE FVERIT: ET QVID POST SE FVTVRVM SIT, QVIS POTERIT INDICARE EI? Dictio interpretata, *ante se fuerit*, sonat, erit. Itaque legendum est, *quid erit*. Scribitur enim, cùm, quid eras, homine nesciente, tum quod erit hodie, cras, perendie, &c. tum quid erit post mortem suam, stultus multiplicat verba disputando de futuris, tanquàm multiplicatio sermonum faciat ipsum apparere sapientem.

Vers. 15. LABOR STVLTORVM AFFLIGET EOS, QVI NESCIVNT IN VRBEM PERGERE. Pariter quòd dictio interpretata, *affliget*, sonat, fatigabit: & præsenti temporis est dictio interpretata, *nesciunt*. Non solùm lingua stultorum mala, sed etiam labor eorum malus describitur, vtpote faciens laborare eum, qui nesciuit ire ad ciuitatem. Capitur enim Princeps, qui latebrosam facit viam ad ciuitatem, quasi in nomine ciuitatis. Huiusmodi enim labor stultitiæ attribuitur: quoniam viam ad ciuitatem decet esse patentem.

& nocivus est illis, qui huiusmodi latebras nesciendo, pergere volunt ad ciuitatem. Et in hoc vno labore intellige omnes similes labores stultorum indecentes & nociuos.

Vae tibi terra, cuius Rex tuus puer: et cuius Principes mane comedent. Prosequendo qualitatem stultorum Principum apostrophat ad terram, ad ciuitatem, seu regnum, dicens: *Vae tibi terra, cuius Rex est puer.* hoc est, subditus passionibus (quae perturbationes animi vocantur) tanquam puer: Rex enim, qui agitur

Vers. 16.

Rex puer quis sit.

passionibus animi, amore, odio, & aliis eiusmodi animi passionibus, puer est non aetate, sed animo & eius regimen est pessimum. Et propterea dicitur: *Vae tibi terra, cuius Rex est puer.* Et similes Regi describuntur Principes dicendo: *Et cuius Principes mane comedunt.* Ab intemperantia comedendi ante tempus, significatur studium Principum ad crapulam, quorum Deus venter est.

Beata terra, cuius Rex nobilis est, et cuius Principes vescuntur in tempore suo, ad reficiendum, et non ad luxuriam. Iuxta Hebraeum habetur: *Beata tu terra, cuius Rex tuus filius libertatum: & Principes tui in tempore comedent in fortitudine, & non in potatione.* E regione Regis pueri, collocatus Rex filius libertatum, hoc est, abundans libertate à passionibus animi. Subiici enim passionibus animi, magna, & multiplex est seruitus, vnde & Diogenes fertur dixisse Alexandro: *Tu es seruus seruorum meorum.* intendens tu es seruus passionum, quarum ego sum dominus. Quemadmodum itaque apud Hebraeos dicitur *filius mortis, filius iniquitatis,* &c. ita hic scribitur *filius libertatum,* qui plenè liber est à passionibus animi. Et meritò praedicatur beata terra, cuius Rex est filius libertatum. E regione quoque Principum mane comedentium describuntur Principes comedentes in tempore congruo ad comedendum, & adiungitur moderamen alterum: videlicet, ad fortitudinem, & non ad potationem. Non sat est comedere hora congrua, sed oportet qualitatem, quantitatémque cibi proportionatam esse fortitudini corporis seruandae, & non potationi: ordinatur enim comedere ad seruandum robur corporis: & non ideò comedendum est, vt vacemus potationibus. Intemperati enim comedunt ea, quae prouocant irritationem potus: & conuiuia celebrant ad potandum, non ad reficiendum corpus.

Vers. 17.

Vera libertas.

Diogenis dictum.

Qualitas & quantitas comedendi.

In pigritia humiliabitur contignatio: et in infirmitate manuum perstillabit domus. Sententia redditur, & ad infelicitatem ciuitatis, cuius Rex est puer, adiicitur pigritia, & humilitas manuum. Intemperatos [illegible] Principes, vt sequantur pigri ciues, quorum negligentia contignationes domorum [illegible] intemperantia enim parit pigritiam, & [illegible] manuum in operibus, ob [illegible] domus stillant, quae non stillarent, si manus [illegible] ad operandum.

Vers. 18.

In risu faciunt panem, et vinum, vt epulentur viuentes: et pecuniae obediunt omnia. Iuxta Hebraeum habetur: *Ad risum faciunt panem, & vinum laetificabit vitam, & argentum humiliabit omnia.* Ad descriptam terram beatam pertinent haec: videlicet, abundantia panis, & vini, & pecuniae. Par enim est, vt Rex optimus, & Principes temperati, gubernent ciuitatem, seu regnum in abundantia panis, & vini, & argenti: & abundantia quidem panis describitur per *facere panem* tempore siquidem penuriae panis faciunt homines panem moerori, moestis vultibus: eò panis non tollit tristitiam populi vultus, c panis. Cùm autem abundantia panis est, f[illegible] nis risui, hoc est, iucundo vultui po[illegible] Abundantia verò vini describitur ad laetificationem vitae, eò quòd cùm copia vini sup[illegible]eit, laetam vitam ducit Populus. Abundan[illegible] autem argenti describitur ex subiectione [illegible]nium: pecuniae enim inopia multis priuat, [illegible] emere oporteret: quò contrà pecuniae co[illegible] quasi domina subiicit omnia, emendo, donando, conducendo, construendo, &c.

Vers. 19.

Triplex abundantia in regno Principis temperati.

In cogitatione tua Regi non detrahas. Iuxta Hebraeum habetur: *Etiam in separatione tua Regem non maledices.* Siue Rex fuerit puer, siue filius libertatum, caue, ne maledicas Regem, non solùm quando es cum aliquo, sed etiam in separatione tua, hoc est, cùm separatus es ab aliis, & manes solus.

Vers. 20.

Et in secreto cubiculi tui, ne maledixeris diuiti. Sententia redditur, & propter Principes vtrobique descriptos post Regem adiecit hoc documentum.

Quia, et aues caeli portabunt vocem tuam, et qui habent pennas, annuntiabunt sententiam. Iuxta Hebraeum habetur: *Quia auis caeli portabit vocem, & habens alas annuntiabit verbum.* Et est sensus: quia sciendo, perinde ac si aues indicarent, quia scire dixisti. Incredibile esse quin sciatur, quod dixisti hoc, quòd aues indicabant maledicentiam tuam, non quòd putet aues indicaturas: sed, vt intelligas, nullum verbum, nullum locum [illegible] esse tecte.

CAPVT XI.

Mitte panem tuum super transeuntes aquas: quia post tempora multa inuenies illum. Iuxta Hebraeum habetur: *Mitte panem tuum super facies aquarum: quia in multitudine dierum inuenies eum.* Si annotata fuerit differentia verborum, (videlicet, *mitte,* & *da.* Hic enim versiculus incipit, *mitte:* sequens verò ad idem pertinens incipit, *da.*) apparebit, quòd *mittere* refertur ad distantes; *dare* verò ad praesentes: priùs monet de eleemosyna mittenda; deinde de eleemosyna danda. Et si rationem ordinis quaeris, scito, quòd cùm hactenus de bonis animi, quae subsunt naturali notitiae Ecclesiastes disputauerit, modò disserit de bonis animae reuelatis, inchoans ab eleemosyna. Dare enim eleemosynam propter Deum, ad reuelata animi bona spectat. Primum itaque mandatum est: *Mitte panem,* non alienum, sed *tuum, super facies aquarum,* super mari & flumina, vehendum ad distantes pauperes. Sic enim verificatur ad literam mandatum hoc: naues siquidem super facies aquarum feruntur. Fructum autem apponitur: *Quia in multitudine dierum inuenies eum.* Non dicit: Quia post multitudinem dierum, sed, *Quia in multitudine dierum.* Vita enim aeterna appellatur *multitudo dierum,* ad differentiam vitae praesentis, quae quasi momentanea est. Promittitur itaque panis missi pauperibus inueniendus in aeternitate, quod verificatur, quantum ad fructum, seu praemium eleemosynae.

Vers. 1.

Differentia inter mittere & dare eleemosynam.

Incipit disserere de bonis animae.

Fructus eleemosynae in multitudine dierum.

Vers. 2. DA PARTES SEPTEM, NEC NON ET OCTO. Iuxta Hebræum habetur: *Da partis septem, & etiam octo.* Et tam septē, quàm octo, est datiui casus: & propterea sensus literæ corrūpitur legendo, *partes septem in octo.* Alterum eleemosynæ mandatum ad pauperes præsentes refertur dicendo, da, non, mitte. Sed *da partem,* siue lege Moysi decretam, siue arbitrariā, *septem,* hoc est, certo numero pauperum: forte enim tunc temporis familiare erat Iudæis eleemosynam pascere pauperes septem, ob reuerētiam diuinarum actionum, quæ septem diebus describuntur à Moyse supputato Sabbatho quietis, sicut modò consueuerunt multi pascere pauperes duodecim in memoriam duodecim Apostolorum. Da itaque partem mensæ tuæ pauperibus septem, hoc est, decreto numero pauperum, & etiam octo, hoc est, & si alius superuenerit pauper, da etiam ei partem: ita quòd siue decretus numerus pauperum, siue aliquantò maior numerus affuerit, da partem ciborum, & potus illis.

QVIA IGNORAS, QVID FVTVRVM SIT MALI SVPER TERRAM. Ex ignotis periculis vitæ, sanitatis, & facultatum, rationem reddit huiusmodi eleemosynæ, vel quia eleemosyna vim habet seruandi à malis præsentis vitæ, iuxta consilium Danielis cap. 4. datum Nabuchodonosor, ad eruendum ab imminentibus malis. Et iuxta hunc sensum eleemosynæ promissum est præmium bonum futuræ vitæ, & nunc promittitur eruptio mali præsentis vitæ. Vel quia nescis, an facultates tuas perdes: & propterea debes eas in tutissimo loco reponere per eleemosynam: quodcunque enim superuenerit malum super terram, securus eris, quòd data in eleemosynam, nec tolli, nec amitti ullo modo possunt. Nam recondita sunt in cœlestibus thesauris iuxta verbum Laurentij: *Facultates, quas requiris, in cœlestes thesauros manus pauperum deportauerunt.*

Dan. 4. *Eleemosyna præmium bonū futuræ vitæ, & eruptio mali præsentis.*

Vers. 3. SI REPLETÆ FVERINT NVBES, IMBREM SVPER TERRAM EFFVNDENT. Parum refert, quòd dictio interpretata, *effundent,* [illegible]. Ad persuadendum vtrunque eleemosynæ modum affert parabolam ex nubibus, petens quasi gerundis, quòd cupiatur pluuiā super terram, vt bonis plenus opibus euacuet illas sup. pauperes.

SI CECIDERIT LIGNVM AD AVSTRVM, AVT AD AQVILONEM, IN QVOCVNQVE LOCO CECIDERIT, IBI ERIT. Sententia redditur & parabola iuxta ipse ad ignotum malu, quod [illegible] per terram. Nam quemadmodum arbor cadens, ibi erit, quò ceciderat: ita homo cadens à vita, in eo statu erit, in quo inuentus tunc fuerit. Tacitè per hoc persuadere largitionem eleemosynarum, vt in loco [illegible] inueniatur, cùm ceciderit à vita & per Austrum quidem, qui ad lucem cœlestem spectat, [illegible] status animæ bonus: per Aquilonem [illegible] [illegible] Solis, & Planetarum malus status significatur.

Quid Auster, quid Aquilo significat.

Vers. 4. QVI OBSERVAT VENTVM, NON SEMINAT: ET QVI CONSIDERAT NVBES, NON METET. Parabola hæc ad non differendum eleemosynas affertur. Prohibet enim consideratione [illegible], vt expectetur tempus, [illegible] expedit [illegible] impedimentum venti stulte [illegible] minare, & spectans ad nubes stulte omittit metere [illegible] spectans ad quælibet, quæ [illegible] possunt, informatus est ad [illegible] [illegible]. Sicut enim alienum ab arte seminandi, & metendi est spectare ad quemlibet ventum, & ad quaslibet nubes, ita alienum à misericordiæ prudentia est timere quoslibet euentus possibiles.

Vers. 5. QVOMODO IGNORAS, QVÆ SIT VIA SPIRITVS, ET QVA RATIONE COMPINGANTVR OSSA IN VENTRE PRÆGNANTIS: SIC NESCIS OPERA DEI, QVI FABRICATOR EST OMNIVM. Sententia redditur, quamuis nulla comparationis mentio in Hebræo fiat, sed scribatur: *Sicut ossa in ventre plena.* Et Deus nominatur Elohim. Ad tollendam sollicitudinem, & anxietatem, quam habet spectans ad quælibet ventum, & nubes, de futuro euentu dicit: Sicut nescis viam, qua spiritus viuificat semen, & sicut nescis modum, quo ossa (hoc est, corpus) formantur in ventre matris, ita nescies opus Elohim, qui tamen efficit omnia, quemadmodū ignoras opus Dei, [illegible] animā, cum formando corpus in matris ventre, ita quantumcunque spectes ad ventos, & nubes (& sic super cæteras) ignorabis euentum, quem facies Deus, procul dubio quia ipse est, qui efficit omnia.

Vers. 6. MANE SEMINA SEMEN TVVM, ET VESPERE NE CESSET MANVS TVA. Optimè infertur: quod ex parte sua est, quod prudentia atque humana sit velit vtroque tempore, videlicet, matutino & serotino, videlicet, seminare operibus misericordiæ salutem tuam.

QVIA NESCIS, QVID MAGIS ORIATVR, HOC, AVT ILLVD: ET SI VTRVNQVE SIMVL, MELIVS ERIT. Iuxta Hebræum habetur: *Quia nescis, quod diriges, an hoc, vel hoc, & si ambo sint vnum bona.* Ad parabolam seminis matutini, & serotini directè pertinet hæc ratio: quia nescis, an hoc matutinum, vel hoc serotinum Deus diriget ad fingem perfectam, an ambo diriget bona, tanquam vnum, hoc est, spiritualem via vnū perfectè fructificant. Et hæc quidem quoad parabolam vera sunt, quoad intentum verò de operibus misericordiæ verificantur, pro quanto nescimus, an prior, an posterior eleemosyna sit accepta Deo, vel an ambo simul concurrant ad opus gratum Deo.

Vers. 7. DVLCE LVMEN, ET DELECTABILE OCVLIS VIDERE SOLEM. Sententia redditur, quamuis Hebraicè habeatur: *Et dulcis lux, & bonum oculis videre Solem.* Completa monitione de eleemosyna, transit ad timorem diuini iudicij, quod est bonum aliud animi reuelatum: & eleemosyna quidem est bonum in exteriori opere; timor autem diuini iudicij est bonum in animo consistens. Prius autem tractat tempus iudicij futuri, deinde tempus discutiendum in iudicio, & declarat tempus iudicij fore post hanc vitam, consumendo mortalitatem vitæ præsentis, cum tempore post præsentem. Et ab hac vita incipiens ait, quòd lux Solem viuentis vitæ est dulcis, & bonū est videre Solem, per quæ significat, & prosperitatem præsentis vitæ esse dulcem hominibus, & integros sensus delectant sensibilia, sicut lux solaris delectat oculos benè dispositos esse bonos.

Vers. 8. SI ANNIS MVLTIS VIXERIT HOMO, ET IN HIS OMNIBVS LÆTATVS FVERIT, MEMINISSE DEBET TENEBROSI TEMPORIS, ET DIERVM MVLTORVM, QVI CVM VENERINT, VANITATIS ARGVENTVR PRÆTERITA. Legenda est hæc clausula iuxta Hebraicam veritatem, sic: *Quod si annos multos viuet homo, in omnibus illis lætabitur, & recordabitur dierum obscuritatis, quod multi erunt omne, quod venit vanitas.* Et est conti-

nuatio præcedentis sententiæ, ac si apertiùs diceretur, quamuis dulcis sit præsens vita, attamen homo, & multis annis, & semper in lætitia viuens, qui recordabitur dierum obscuritatis, (hoc est, post mortem,) quòd erunt multi, reputabit omne, quod occurrit in præsenti vita, esse vanitatem. Et eo enim, quòd depinxerat vitam præsentem luce, & Sole, consequens fuit, vt pingeret tempus post hanc vitam obscuritate, vtpotè priuatum luce, & Sole. De ipso autem obscuritatis tempore dicit, quòd dies illius erunt multi. Verè enim multò (imò incompatabiliter) plures sunt dies illi, quàm dies, quibus durat vita alicuius hominis: infinitum enim est tempus post mortem. Tempus autem vitæ cuiuscunque hominis [illegible] exiguum est. Illud itaque tempus dierum obscuritatis ad hoc descriptum est, vt intelligamus illud fore tempus iudicij diuini. Causæ verò in illo discutiendæ subiunguntur, dicendo:

Vitæ recordatio. Quare tempus post hanc vitam obscurum.

Vers. 9. LÆTARE IVVENIS IN ADOLESCENTIA TVA. Ironia est, vt subiunctum iudicium testatur.

ET IN BONO SIT COR TVVM IN DIEBVS IVVENTVTIS TVÆ, ET AMBVLA IN VIIS CORDIS TVI, ET IN INTVITV OCVLORVM TVORVM: ET SCITO, QVÒD PRO OMNIBVS HIS ADDVCET TE DEVS IN IVDICIVM. Sententia huius clausulæ clara est. & Deus nominatur Elohim Supremus, cùm sex vicibus præsulit gaudium præsentis vitæ bonis reliquis, nihil dixit de futuro iudicio Dei. Nunc autem ad declarandum, diuinum iudicium extendendum esse ad peccata iuuentutis, quæ videntur minima, proponit satisfactionem appetituum iuuenilium, subiungendo, quòd hæc sunt discutienda in iudicio Elohim.

Peccata iuuentutis ad iudicium.

Vers. 10. AVFER IRAM A CORDE TVO, ET AMOVE MALITIAM A CARNE TVA. Dixerat iuueni: Vade in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum. Contra hæc duo dicit modò duo: alterum spectat ad cor, videlicet, remoue iram, hoc est appetitum vindictæ, à corde tuo: alterum spectans ad concupiscentiam oculorum, videlicet, amoue malitiam à carne tua. Et dixit hæc, ne intelligeret damnari omnes iuuenum appetitus, sed à lege, vel recta ratione exorbitantes tantum, quia hæc duo peccatorum genera familiaria sunt adolescentibus, ac iuuenibus: tum, quia per hæc duo insinuantur peccata omnia, nam per malitiam carnis insinuantur peccata reliqua repugnantia rectitudini rationis naturali, per appetitum verò vindictæ insinuantur peccata reliqua diuina lege prohibita: scriptum est enim: Mea est vltio, &c.

Ira, concupiscentia familiaria peccata iuuenibus.

Deut. 32. ADOLESCENTIA ENIM, ET VOLVPTAS, VANA SVNT. Iuxta Hebræum habetur: Quia adolescentia, & iuuentus vanitas est. Peccata carnis præcipuè regnant in adolescentia: appetitus verò vindictæ præcipuè regnat in iuuentute. Et proptereà Ecclesiastes rationem abijciendi vtrunque peccati genus affert, ex eo, quòd, tam adolescentia, quàm iuuentus vanitas est, & pro nihilo habenda est.

CAPVT XII.

Vers. 1. MEMENTO CREATORIS TVI IN DIEBVS IVVENTVTIS TVÆ. Vltimum mandatum circa bona animi reuelatum est: Recordare Creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ. Mandauerat considerare iudicium in quo erit terminus, & finis humanarum actionum: mandat modò considerare principium beneficiorum, & benefactorem, & vtrunque mandatur iuueni, vt quisque in sua iuuentute [illegible] beneficia Creatoris, & iudicium eiusdem illud, ne sit ingratus, sed iugiter gratias agat Creatori suo: istud, vt timeat puniri, pro peccatis, & speret præmium pro bonis operibus. Neutrum autem reseruandum esse senectuti mandat, & meritò: quia quod moriturì agunt erga diuina, parum habet voluntarij. Si enim essent iuuenes, & frui possent mundo isto, adhuc alieni perseuerarent à diuinis: sed deserti à mundanis voluptatibus recurrunt ad Deum: quod est offerre Deo fæces.

[illegible]

ANTEQVAM VENIAT TEMPVS AFFLICTIONIS TVÆ. Sententia redditur, iuxta Hebræum tamen scribitur: Vsquequo non veniant dies mali. Et est genitiui casus, mali. Describit senectutem à sexdecim defectibus. Primus est dies mali, hoc est, dies continentes malum pœnæ: quemadmodum dies iuuentutis continent bonum satietatis, & roboris; ita per oppositum dies senectutis appellantur dies mali. Senectus enim ipsa morbus est incurabilis, & mortalis.

ET APPROPINQVENT ANNI, DE QVIBVS DICAS: NON MIHI PLACENT. Dictio interpretata, appropinquent, sonat, adueniant. Defectus secundus in tempore quoque consistit, relatiue ad displicentiam. Anni siquidem senectutis displicent hominibus, vtpote contristantes eum.

ANTEQVAM TENEBRESCANT SOL, ET LVMEN, ET LVNA ET STELLÆ. Sententia redditur. Defectus tertius attenditur penes defectum corporum cælestium: circulationes enim cælestes, sub quibus agitur vita hominis, sicut in iuuentute viuificant, & roborant hominem; ita in senectute ad declinationem properantes obscurantur homini. Planetæ siquidem omnes, & vniuersus influxus cæli per lumen significatus deficiunt vitæ hominis. Et proptereà obtenebrescere scribuntur.

Tertius.

ET REVERTANTVR NVBES POST PLVVIAM. Defectus quartus penes iugem catarrhum describitur. In iuuenibus enim post pluuiam catarrhi, fit serenitas in capite: in senibus autem post pluuiam catarrhi reuertuntur nubes ad iterum pluendum, propter debilitatem naturalis caloris ad consumendum vapores in corpore.

Quartus.

QVANDO COMMOVEBVNTVR CVSTODES DOMVS. Dictio interpretata, commouebuntur, sonat, tremescent. Defectus quintus penes partem rationalem attenditur. Memoria enim, vigilantia, & prouidentia appellantur custodes domus: quia verè officio custodiæ funguntur in homine. Et proptereà assimilantur custodibus domus. Et describuntur tremere, eò quòd in senibus partes istæ ad instar trementium componuntur ex motibus contrariis. Sicut enim tremor membri componitur ex motu animali, & ex motu elementari harmonis: ac etiam in sene aliquid sapientiæ rationis, & aliquid hebetudinis senilis, & ideò tremere describuntur. Vers. 3.

Quintus.

ET NVTABVNT VIRI FORTISSIMI. Iuxta Hebræum habetur: Et incuruabuntur homines fortitudinis. Defectus sextus penes corpora decrementi attenditur. Quemadmodum enim in adolescentia mouentur corpora motu augmenti: ita in senectute mouentur motu decrementi, & sic decrescunt, & incuruantur corpora hominum

Sextus.

rum quantuncunque robustorum; ita quòd nul-
lius fortitudo eximit ipsum ab huiusmodi malo.
Et otiosæ erunt molentes in minuto
numero. Sententia redditur, quamuis iuxta He-
bræum legatur: *Et cessabunt molæ: quia defece-
runt.* Defectus septimus penes dentes describi-
tur, dicendo, quòd cessabunt molæ, (hoc est,
dentes molares;) quia deficiunt in senibus.
Et tenebrescent videntes per fora-
mina. Dictio interpretata, *foramina*, parui refert,
an interpretetur, *fenestras*, aut aliud huiusmodi.
Octauus. Defectus enim octauus penes defectum sen-
suum describitur. Per foramina enim nasi, au-
rium, & oris, & oculorum exercentur sensus, qui
in senibus hebetes fiunt, & tenebrescere dicun-
tur, quando visali spiritu priuantur, qui ex parte
lucis se tenet.
Vers. 4 Et claudent ostia in platea, in hu-
militate vocis molentis. Iuxta Hebræum
habetur: *Et claudent ostia in platea, in humilitate*
Nonus. *vocis molæ.* Defectus nonus ex pectore senili
consideratur: ostia siquidem plateæ, ostia sunt
pectoris: vnde & Plato à latitudine pectoris
nuncupatus est Plato. Clauduntur itaque in sene
pectoris ostia, hoc est, arteriæ vocales. Et ad
hunc sensum insinuandum subiungitur meta-
phora molæ parum sonantis, eò quòd parum
molis parum mota: vox enim senis humiliatur:
exigua enim valdè est propter pulmonis molam,
parum aeris inspirantis, ac respiratoris: parum
enim mouetur quoad officium suum, & pro-
pterea deprimitur vox.
Decimus. Et consurgent ad vocem volucris.
Defectus decimus penes somnum describitur:
ex eo enim, quòd senex continuare somnum
non potest, vigilat ad vocem volucris, hoc est,
ad cantum galli.
Et obsurdescent omnes filiæ car-
minis. Iuxta Hebræum habetur: *Et humiliabun-*
Vndecimus. *tur omnes filiæ cantus.* Defectus vndecimus pe-
nes delectationem naturalem harmoniæ musi-
cæ describitur dicendo, quòd omnes filiæ can-
tus (hoc est, vniuersa genera musica, tam cantus,
quàm soni) humiliabuntur, deprimentur apud
senem, vtpote qui nullo eorum delectabitur.
Vers. 5. Excelsa quoque timebunt. Iuxta He-
bræum habetur: *Etiam ab excelso terrebuntur.*
Duodecimus. Defectus duodecimus penes cor pauidum de-
scribitur per terrorem ab excelso, vel ascensu:
terretur enim senex videns ascendendum sibi
esse ad locum excelsum, vel à casu alicuius rei
in excelso sitæ: terretur enim timens, ne cadat
super se.
Et formidabunt in via. Parui refert,
quòd Hebraice scribitur: *Et pauores in via.* De-
Decimus tertius. fectus decimustertius, est etiam timoris: iuuenes
enim secure incedunt, senes verò gradiuntur pa-
uidi in viis, tum ne impingant, tum ne occurrat
aliquid contristans.
Florebit amygdalus. Rectius legitur: *Et
reprobabitur amygdala.* Iuxta primam lectionem
describitur caput canum. Sicut enim arbor amy-
gdalæ florendo albescit: ita caput hominis in se-
nectute albescit canitie. Rectius autem defe-
Ponitur quid. 14. ctus decimusquartus ponitur abominatio cibi
mandendi. Et quemadmodum de obiecto audi-
tus dictum est, quòd humiliabuntur omnes fi-
liæ cantici: ita de obiecto gustus dicitur: Et de-
spicietur amygdala, hoc est, omnis cibus, quem
oportet mandi. Amygdala siquidem inter fru-
ctus salubres, difficilis est ad hoc, vt mandatur.
Et propterea omnis suauis cibus mandendus,
sub amygdala comprehenditur. Clarum est
enim, quòd senes reprobant mandenda.
Impinguabitur locusta. Iuxta He-
bræum habetur: *Et onerabitur nates.* Defectus Decimus quintus.
decimusquintus consistit in onere natium.
Tam graues siquidem habent nates, vt seden-
tes vix surgere possint senes.
Et dissipabitur capparis. Iuxta He-
bræum habetur: *Et frangetur appetitus.* Sextusde-
cimus enim defectus est, quòd appetitus cibi,
& potus deficit: & sic appropinquant morti. Decimussextus.
Propter quod subiungitur:
Quoniam ibit homo in domum æter-
nitatis suæ. Iuxta Hebræum habetur: *Quia
ambulans homo ad domum mundi sui.* Defectus
isti ideò comitantur senectutem, quia senectus
ipsa, est ambulatio hominis ad domum mundi
sui: tanquàm mundus iste non sit suus. Et verè
non suus est: vt tam parua mora hominis in hoc
mundo testatur. Mundus autem animarum se- Quid sit mundus hominis.
paratarum est mundus hominis, pro quanto ibi
in æternitate habitat: & homo quilibet secun-
dùm animam pergit ad domum meritorum suo-
rum in mundo illo.
Et circumibunt in platea plangen-
tes. Eunte homine per mortem in alterum mun-
dum, celebrantur exequiæ cum luctu in platea
ciuitatis, vel agi iuxta morem patriæ.
Antequam rumpatur funiculus ar-
genteus, et recurrat vitta aurea, et Vers. 6.
conteratur hydria super fontem, et
confringatur rota super cisternam.
Iuxta Hebræum habetur: *Vsquequò non dissolue-
tur funiculus argenti, & frangetur fons auri: &
rumpetur vrceus super fontem, & rumpetur rota ad
puteum?* Referuntur hæc quatuor ad ambulatio- Ex quatuor describitur mors.
nem hominis in alium mundum. Dixerat enim
describendo appropinquationem ad mortem,
quia homo ambulat ad domum mundi sui, de-
scribit consequenter ipsam mortem à quatuor.
Quorum primum est discatenatio funiculi ar-
gentei. Hebraica enim dictio sonat *dissolutio-
nem*, non qualemcunque; sed dissolutionem ca-
tenæ, ita quòd describitur funiculus argenteus
per modum catenæ, & significatur per eam col- Catena argentea, quid.
ligatio elementorum, & humorum, tanquàm ca-
tena: quoniam alter alterum tenet, quandiu ho-
mo viuit. In morte autem dissoluitur hæc cate-
na humorum. Et appellatur argentea relatiuè ad
animam, quæ secundo loco appellatur *fons auri*.
Nullum siquidem pretiosius metallum est ar-
gento post aurum: & post animam nihil pretio-
sius est in corpore, quàm colligatio propor-
tionatum humorum ad constituendum mixtum pro- Fons auri, quid.
tionatum animæ. Dissoluitur ergo in morte ca-
tena ista. & sic frangitur fons auri. Sic enim fran-
gitur vis animæ, quæ est fons aureus. Est enim
anima fons vitæ pretiosissimus. Tertium autem Fractio vrcei, quid.
ad mortem concinens est fractio vrcei super
fontem, hoc est, defectus cordis: cor enim est vel-
ut vrceus, quo hauritur aqua ex fonte, quoniam
cor est primum, quod ex fonte animæ haurit
aquam vitæ pro vniuerso corpore. Et in morte
quasi frangitur vrceus iste, dum deficit motus
cordis, qui præbet vitam toti corpori. Concurrit Fractio rotæ, quid.
quartò ad mortem expiratio, significata per con-
fractionem rotæ ad puteum: expirare siquidem,
& respirare assimilantur rotæ, eò quòd ad instar

 circularis

circularis motus fiunt ad puteum pulmonis, & in morte frangitur ista rota attrahendi, & emittendi aërem ad puteum pulmonis: quoniam deficit respiratio.

Vers.7. ET REVERTATUR PULVIS IN TERRAM SUAM, UNDE ERAT. Iuxta Hebræum habetur: *Et revertetur pulvis super terram, sicut fuit.* Corpus hominis appellatur pulvis: quia ex tenuissima terra constat. Et propterea reuertetur per resolutionem in terram, sicut prius fuit materialiter: fecit enim Deus corpus hominis de puluere terræ, vt dicitur Gen. 2.

Gen. 2. ET SPIRITUS REDEAT AD DEUM, QUI DEDIT ILLUM. Superius dixerat: *Quis scit, an spiritus hominis ascendat sursum?* modò verò distinguendo hominis partes in corpus, & spiritum dicit, corpus reuersurum in terram, & spiritum rediturum ad Elohim, qui dedit illum. Vbi clare vides, scribi immortalitatem animæ, & iudicem animæ, ad quem redit spiritus hominis; eundémque esse iudicem, & datorem spiritus. Certum est enim, quòd reditus iste non est per resolutionem (spiritus enim non resoluitur in Elohim,) sed per assistentiam in simili statu, hoc est, modo essendi coram Iudice: anima enim, cùm absoluitur à corpore, acquirit modum essendi similem spiritualibus substantiis: & proptereà dicitur redire ad assistendum Iudici, qui dederat illum. Et hoc annotabis contra affirmantes in veteri Testamento, nihil scribi de alia vita.

Animæ immortalitas.

Nota contra asserentes in veteri Testamento nihil de alia vita haberi.

Vers.8. VANITAS VANITATUM, DIXIT ECCLESIASTES ET OMNIA VANITAS. Legendum potius est, vt in principio libri huius: *Vanitas, vanitatum, dixit Coheleth, omnia vanitas.* Epilogus est sapientiæ Salomonis in diuersis libris, & sermonibus eius, inchoans à materia libri huius. Vniuersa enim disputatio istius libri describitur, quoad conclusionem dicendo: *Coheleth dixit in hac concione. Vanitas, vanitates, & omnia vanitas.* Distribuit autem dictio, *omnia*, non pro omnibus simpliciter, & absolutè; sed pro omnibus humanis, quatenus humana sunt: quod dico ad differentiam bonorum animi sectatorum, de quibus quoque tractatum est. Hæc enim non dicuntur vana. Reliqua intellige, vt in principio exposita sunt.

Bona supernaturalia non dicuntur vana.

Vers.9. CUMQUE ESSET SAPIENTISSIMUS ECCLESIASTES. Iuxta Hebræum habetur: *Et amplius, qui fuit Coheleth sapiens.* Hoc est, & ampliùs sapiens, qui fuit Coheleth. Ille mei enim, qui functus est officio concionantis, commendatur, quòd fuit ampliùs sapiens, quàm sapuerit in hac concione.

DOCUIT POPULUM, ET ENARRAVIT, QUÆ FECERAT. Iuxta Hebræum habetur: *Adhuc docuit scire populum, & auscultabit.* Ecce plùs sapientiæ, quoniam vltra concionem hanc docuit adhuc populum. Docuit autem eum tanta gratia, quod populus auscultabit; hoc est, perseuerat auscultando: futurum enim, *auscultabit*, refertur ad præteritum, *docuit*. Et est sermo de sapientia cognita populo, qualis est scientia morum, & domestica, & politica.

ET INVESTIGANS COMPOSUIT PARABOLAS MULTAS. Iuxta Hebræum habetur: *Et scrutabitur, aptauit parabolas multas.* Ecce materia libri Parabolarum. Tria millia enim Parabolarum scripsit, vt dicitur 3. Reg. 4.

Vers.10. QUÆSIVIT VERBA UTILIA, ET CONSCRIPSIT SERMONES RECTISSIMOS, AC VERITATE PLENOS. Iuxta Hebræum habetur: *Quæsiuit Coheleth ad inueniendum verba voluntatis: & scriptum rectitudinis, verba veritatis.* Commendatur labor Salomonis, quo laborauit inuestigando, ad hoc, vt inueniret tria hæc, videlicet, verba voluntatis, hoc est, verba desiderata; & scriptum rectitudinis, & demum sermones veritatis. Inuenire enim, quæ desiderantur sciri, & libros continentes rectitudinem agendorum, sperandorum, credendorum, diligendorum, ita quòd sermones omnes innitantur veritati, magnæ virtutis est.

VERBA SAPIENTUM, SICUT STIMULI. Vis sermonum, qui proferuntur à sapientibus aperitur ex similitudine stimuli, quo pungunt boues. Vtilitas enim quæsitorum ex hoc declaratur: pungunt enim aliorum animos sermones sapientum, & pungendo dirigunt ad [illegible] ctum, vt experientia testatur. Vers.11.

ET QUASI CLAVI IN ALTUM DEFIXI, QUÆ PER MAGISTRORUM CONSILIUM DATA SUNT A PASTORE UNO. Iuxta Hebræum habetur: *Et tanquam claui, plantati authores congregationum dati sunt à pastore uno.* Nota differentiam, imò excellentiam; verba namque sapientum assimilantur stimulis excitantibus: authores verò congregationum [illegible] sati, & dati à Pastore vno, assimilantur clauis firmissima penetrantibus cum fixione. Et quia clauum authorem congregationis commune est bonis, & malis (nam & authores sectarum, & hæresum congregant sequaces suos:) ideo apponit, *dati à Pastore uno.* Abraham enim primus congregationis author mediante circumcisione. Moyses author congregationis mediante lege. Iudices deinde vsque ad Samuelem, authores congregationum ad cultum vnius Dei à diuersis idololatris. Prophetæ deinde congregantes populum à malis moribus, &c. ad Deum omnes sunt dati ab vno Pastore, omnes sunt dati à Deo ad pascendum populum verbo diuino; omnes, quanuis diuersis viis, ad vnum, atque eundem summi Pastoris finem intenderunt. Non sic conueniunt Philosophi diuersarum sectarum authores, non sic conueniunt Hæresiarchæ, quia non sunt ab vno Pastore dati; sed à seipsis venerunt fures, & latrones, vt in Euangelio scribitur. Describuntur autem plantati quoad vitam, & mores; vt, scilicet, radicibus irreprehensibilis vitæ, & sanctorum morum firmentur, plantati in domo Domini. Necesse est enim, vt quorum vita despicitur, eorum quoque doctrina moralis contemnatur. Ioan. 10.

HIS AMPLIUS, FILI MI, NE REQUIRAS. Vers. 12. Patuit te fert, quòd Hebraicè affirmatiue scribitur, *Caue.* Ecce quorsum attulit de sapientibus datis ab vno Pastore. Nam pronomen, *his*, demonstrat antedictos. Et apostrophando ad filium, vel personam dilectam, mandat, vt caueat ampliùs his: hoc est, quod plus est istis, tanquam malos authores, tanquam malos libros propter quod subiungit:

FACIENDI PLURES LIBROS NULLUS EST FINIS. Curiositatem tollit videndi, quicquid scribitur ab aliis, eò quod infinita est huiusmodi curiositas: quia nullus est finis nouorum librorum. Et propterea determinandum est studium ad hos libros, qui dati sunt ab vno Pastore.

FREQUENSQUE MEDITATIO, CARNIS AFFLICTIO

nictio sit. Iuxta Hebræum habetur: *Et de-quinem multum, labor carnis.* Multitudo librorum oportet vt multitudinem contineat sermonum, nec est dubium affligi corpus, laborareque corporeas vires, adhibendo studium ad videndũ tot scripta, itaque quòd etiã ex parte breuitatis, ac minoris laboris monemur sistere intra libros sacros.

Vers. 13. FINIS LOQVENDI PARITER OMNES AVDIAMVS: DEVM TIME, ET MANDATA EIVS OBSERVA, HOC EST OMNIS HOMO. Iuxta Hebræum habetur: *Finis verbi omnis, auditus est.* Post longam concionem de bono hominis in hac vita, tandem finem sermonis infert: & dicit, ipsum finem esse auditum, ad differentiam finis euidente notitia cogniti. Quod enim scitur per auditum, & non per visum, cognoscitur fide, (fides enim ex auditu est;). & non cognoscitur per euidentiam principiorum: vt hinc intelligamus, quòd finis iste creditus est per reuelationem auditus. Et hoc consonat, tam suprà disputatis, quàm subiunctis: *Elohim time, & mandata eius custodi: quia hoc omnis homo.* Ecce bonum hominis in tota hominis vita consistens in duobus, altero intus; videlicet, time Elohim, Deum, Iudicem, & gubernatorem omnium: altero extrà, videlicet, custodi mandata eius, quæ Deus ipse scripsit in tabulis, quas dedit Moysi, quásve scripsit in cordibus hominum, partim reuelando, partim infundendo. Prima autem ratio affertur ex parte hominis, dicendo: *Quia hoc omnis homo.* Et pronomen, *hoc*, demonstrat vtrunque, scilicet, timere Deum, &

Monemur sistere intra sacros Codices.

Bonum hominis in tota eius vita, in duobus consistit.

obseruare præcepta eius. Et est sententia, quia omnia humana sunt vana. Hoc autem duntaxat diuinum est fixum, stabiléque bonum, in omni homine. Quia igitur hoc est præcipuum, ac summum bonum omnis hominis in tota vita eius, ratio dicitur: quia hoc est omnis homo.

CVNCTA, QVÆ FIVNT, ADDVCET DEVS IN IVDICIVM PRO OMNI CREATO, SIVE BONVM, SIVE MALVM SIT. Iuxta Hebræum habetur: Vers. 14.
Quia omne opus Elohim adducet in iudicium super omne occultum, si bonum, & si malum. Altera ratio ex parte summi Iudicis affertur, satis clara. Et hæc ratio est ratio prioris rationis: nam ideò hoc est omnis homo; quia Deus adducet in iudicium omne opus humanum, quantumcunque occultum: & discernet opus bonum ab opere malo iudicando, retribuens bonis bonum, & malis malum. Hinc enim clarè patet, quòd non est vanum, non caducum, non instabile & fluxum, timere Deum, & obseruare illius mandata: quoniam in hoc pendet bonum perpetuum hominis. Et sic finitur Ecclesiastes cum omnibus Salomonis, & Sapientiæ libris: Salomonis quidem, quia Parabolas exposuimus: & Canticum Canticorum iuxta germanum sensum fateor me non intelligere. Reliquos autem, qui vocantur libri Sapientiales, quoniam Hieronymus extra canonicos ad authoritatem fidei supputat, omittendos duximus, ad Prophetarum oracula properantes. Romæ die 23. Iunij. 1534. Anno autem ætatis meæ sexagesimosexto. Deo gratias. Amen.

ECCLE

ECCLESIASTES, SEV COHELETH, IN LAVDEM INTERPRETIS.

DVM vana obscuris reprobo mortalia verbis,
Sphingis eram vanis obrutus inuolucris:
Herculeis nodis vinctus, tricisque volutus
Gorgoniis, nulli, nec mihi notus eram.
Sed modò me mihi CAIETANVS *reddidit ille,*
Qui Phœbo lucem redderet ingenio.
Quæ priùs, & post, quæ tunc, & quæ sæcla futura
Splendida sunt radiis irradiata suis.
Is (fateor) nostræ illapsus præcordia sensus
Surripuit mentem, quicquid & intus erat.
Quin potiùs rapuit mihi me, cúmque vnicus essem
Iam dictus Sapiens, nunc erit alter ego.



D. D. THOMÆ

D. D. THOMÆ DE VIO CAIETANI, CARDINALIS S. SIXTI,

IN ESAIAM PROPHETAM COMMENTARII.

INTENTIO mea est exponere textum Esaiæ iuxta Hebraicam veritatem secundum sensum literalem, prout præcedentes libros veteris Testamenti exposui. Noui, quòd aggredior opus supra vires ingenij mei, & fateor aggressum temerarium, nisi innixum diuinæ gratiæ, cuius lumen spero affuturum ampliori largitate, quàm in præteritis affluerit. In quibus igitur ego defecero veritati germani sensus, rogo vt alij suppleant: *sumus enim alter alterius membra.*

Rom. 12. 5.

Vers. 1. VISIO ESAIÆ. Capitulum hoc primum est argumentum totius libri, & continet in vniuersum progressum meritorum Israel, ac peculiariter Ierusalem, punitionesque, necnon redemptionis in nouæ vitæ felicitatem, cum confusione pertinacium.

Argumentum, vel summa totius huius prophetiæ, in qua materia libri notatur.

FILII AMOS. Non solùm nomen proprium Authoris, sed etiam nomen patris scribitur iuxta antiquorum morem. Nec iste Amos est ille, qui numeratur inter duodecim Prophetas textus: tum, quia ille rusticus, iste nobilis: tum, quia diuersis characteribus apud Hebræos scribuntur.

Non est Authoris, sed pater Amos, non Amos, [illegible]

QVAM VIDIT SVPER IVDAM, ET IERVSALEM. Hinc apparet, quòd visio sumitur pro re visa. Ex eo enim, quòd dicitur visio, quam vidit, insinuatur visionis nomine visa res actu visionis, nec arctatur visio ad visionem talem, puta imaginariam, aut intellectualem, sed in genere, vt sonat, sumitur, nullam excludens visionis speciem. Nec distinguitur visio contra auditionem: (multa enim Esaias refert se audisse, & multa vidisse imaginariis, vel intellectualibus speciebus.) sed nominatur visio propter certitudinem: nam & audita, & visa cognoscebat euidenter à Deo reuelari: cognoscebat autem vi luminis prophetici infusi in mente eius. Et per hoc soluitur quæstio præsentis capituli, quare appellatur visio perceptio loquutionis diuinæ: non enim narrantur in hoc capitulo res spectatæ, sed quæ Dominus locutus est. Quamuis possit, & aliter hæc quæstio solui dicendo, quòd etiam sermones Dei intra latitudinem spectatorum comprehendi possint: quia Deus potest alloqui humanam mentem per modum scripturæ. Quemadmodum enim possum ego offerre oculis alterius scripturam spectandam, & sic alloqui illum per scripturam visam: multò magis potest Deus repræsentare humanæ menti sermonem diuinum per modum scripturæ, vt sic Propheta verè videat verba quæ Deus loquitur.

Quare visio pro auditione sumpta dicatur visio. Solutio quæstionis.

Quomodo sermones Dei spectari possunt.

SVPER IVDAM, ET IERVSALEM. Mentionem facit Iudæ, hoc est, Tribus Iudæ, & solius ciuitatis Ierusalem: quia principalis intentio libri est tractare mysterium Messiæ, cuius præcipua mysteria futura erant in Iudæa & Ierusalem: ibi enim nasciturus erat, ibi redempturus mundum, ibi resurrecturus ex mortuis, inde ascensurus in cælum, ibi primitiæ Spiritus sancti, & nouæ Ecclesiæ.

Cur summatim Iudæ & Ierusalem, & principaliter [illegible] mysterium Messiæ.

IN DIEBVS OZIÆ, IOATHAN, ACHAZ, ET EZECHIÆ, REGVM IVDA. Tempus visionis prophetiæ contentorum in hoc libro exprimitur valdè prolixum, videlicet, istorum quatuor Regum. Quorum successum habes in 4. Reg. cap. 15. & c. Et hinc habes, & quòd propheticus spiritus longo tempore affuit Esaiæ: & quòd argumentum est hoc totius libri. Visa enim contenta in toto libro comprehenduntur sub tempore istorum quatuor Regum. Et licèt Esaias peruenerit ad tempus Manasses Regis, qui successit Ezechiæ, non tamen meminit illius: quia nihil eorum in hoc libro vidit tempore Manasses, sed ante.

Tempus visionum.

AVDITE,

Vers. 2. AVDITE, CÆLI, ET AVRIBVS PERCIPE, TERRA: QVONIAM DOMINVS LOCVTVS EST. Dictio interpretata, *auribus percipe*, sonat, *audire ex propinquo quasi loquentem ad aurem*: & dictio interpretata, *Dominus*, nomen est tetragrammaton. Prolaturus in medium Esaias mysterium Messiæ instaurationis eorum, quæ sunt in cælis, & eorum, quæ sunt in terris, inuitat meritò cælos (hoc est, habitantes in cælis) tanquàm à nobis distantes ad audiendum: & terram (hoc est, habitantes in terra) tanquàm nobis propinquos ad porrigendum aures attentas. Et ratio redditur: quia Iehouah, hoc est, fons essendi) locutus est: debetur enim summo Deo, à quo est omnium esse, vt ab omnibus audiatur sermo eius.

Quare conuocat cælum & terram.

Causa formalis est ipsa nomen Iehouah, quo locutus est.

FILIOS ENVTRIVI, ET EXALTAVI, IPSI AVTEM SPREVERVNT ME. Dictio interpretata, *enutriui*, sonat, *grandiui*. Et dictio interpretata, *spreuerunt* sonat, *rebellarunt in me*. Ecce quid Deus locutus est: introducitur enim prima persona loquens Deus, commemorando beneficia collata populo Israel. Descensurus enim ad peccata Iudæ, & Ierusalem, incipit à peccato communi populi Israel, cuius vna pars continebatur in Iuda, & Ierusalem. Tria itaque beneficia communia populo Israel commemorat. Primum filiationis, adoptauit enim filium ex omnibus nationibus feceras sibi Deus populum Israel, vt scribitur Exodi 4. Secundum, quòd fecit eum grandem, & numero incredibili: nam ex vno homine infra ducentos, & paulò plures annos, numerati sunt supra vigesimum annum nati viri supra sexcenta millia: & meritò. Nam fecit eum coram Ægyptiis & nationibus aliis audientibus magnum valdè, præter hoc, quòd magnificauit eum lege diuina & allocutione ipsius Dei de cælo. Tertium est exaltatio in regnis Seon, & Og, successiuè in regnis Chenanæorum subiiciendo ei tot regna. Peccatum autem ingratitudinis subiungitur: *Et ipsi rebellauerunt in me*. Lege libros Moysi, & Iudicum, atque Regum, & inuenies infinities, rebelles contra Deum fuisse Israelitas, recedendo à cultu Dei ad cultum idolorum.

Tria beneficia communia populi Israel.

Exodi 4.

Peccatum ingratitudinis populi Israel.

Vers. 3. COGNOVIT BOS POSSESSOREM SVVM, ET ASINVS PRÆSEPE DOMINI SVI. Iuxta Hebræum habetur in numero plurali, *herorum eius*. Deinde immediatè sequitur:

ISRAEL NON COGNOVIT: POPVLVS MEVS NON INTELLEXIT. Interpres autem addidit pronomen. Manifestato crimine populi Israel, aperitur rebellionis causa; videlicet, non cognouisse Deum, nec intellexisse bonum proprium. Huiusmodi enim causæ significantur dicendo, Israelem deteriorem boue agnoscente possessorem suum, & asino agnoscente præsepe herorum eius. agnitio enim præsepis est agnitio boni proprij: inde enim pascitur asinus: agnitio autem possessoris, agnitionem gubernatoris sonat: & per hæc insinuatur stultior bestiis populus Israel, non agnoscendo Deum possessorem eius, nec agnoscendo terram promissionis, in qua, & ex qua pascebatur tanquàm præsepe domini sui: terra namque promissionis proprietas reseruata erat Deo, vt scribitur Leu. 25. & ipse Deus Deuter. 32. scribitur *possessor Israelis*. Ex hoc autem, quòd non nominatur Iuda, nec Ierusalem, sed Israel; manifestatur, quòd à communi peccato totius populi Israel inchoat; tum, quia communest; tum, quia peccata patrum visitanda erant in Iuda, & Ierusalem persequentibus Messiam, iuxta verbum Domini: *Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti*, &c.

Causa rebellionis, quæ.

Agnitio præsepis quid.

Populus stultior brutis.

Leuit. 25.

Deut. 32.

Matth. 23. [illegible]

Vers. 4. VÆ GENTI PECCATRICI, POPVLO GRAVI INIQVITATE, SEMINI NEQVAM, FILIIS SCELERATIS. Legendum *Semini malorum, filiis sceleratis*. Legendum *Filiis destructoribus*. Declarata rebellione, & causis eius, subiungitur pœna, & status populi puniendi: pœna quidem, dicendo, *Væ*, & hoc primum *Væ*, inter duo supra viginti *Væ* in hoc libro contenta. Significatur autem per huiusmodi *Væ*, malum pœnæ magnum valdè: non corrigendum, sed ad puniendum. Status autem populi, cui dicitur *Væ*, describitur, (vt vnico verbo dicatur,) status incorrigibilium, vt intelligamus differri *Væ* ad incorrigibilium statum, qui à multis conditionibus manifestatur, dicendo, *genti peccatrici*, contra rectam rationem, *populo graui*, non fortitudine, sed *iniquitate* contra iustitiam, & hæc in seipso: quoad posteros verò *semini malorum, filiis dissipatoribus* paternorum bonorum legis, & Prophetarum.

Pœna & status populi. [illegible]

DERELIQVERVNT DOMINVM, BLASPHEMAVERVNT SANCTVM ISRAEL: ABALIENATI SVNT RETRORSVM. Iuxta Hebræum habetur: *Dereliquerunt Iehouah: irritauerunt sanctum Israelis: retraxerunt retrorsum*. Post descriptionem incorrigibiles, describuntur eorum peccata explicantia rebellionem supradictã. Primum enim in rebellione contentum, fuit relinquere fontem essendi quoad cultum: secundò verò irritare eundem, quatenus erat sanctus Israelis; hoc est, quatenus mundus, ac celsus super omnia colebatur ab Israele. Irritare autem, colendo idola immunda: ac per hoc honorem debitum mundanti Israelem, exhibendo Diis immundissimis. Tertium est, retrahere retrorsum eundem Deum quoad beneficia. Meruerunt enim peccata eorum, vt Deus subtraheret beneficia eis collata, quod est ad instar retrahentis benefactorem efficere.

Declaratio peccatorum. [illegible]

Vers. 5. SVPER QVO PERCVTIAM VOS VLTRA ADDENTES PRÆVARICATIONEM? Iuxta Hebræum habetur: *Super quo percutiemini, adhuc addetis declinationem*. Declarata incorrigibilitate ex peccantibus, & peccatis; declarat eandem ex vanitate percussionum, ex hoc, scilicet, quòd percussiones sunt inutiles. Respondet enim tacitæ obiectioni, putà, castiget nos Deus, flagellet, percutiat, & emendabimus nos: respondet autem monstrando percussiones fore inutiles ad populi Israel correctionem, & primò monstrat hoc manifestando euentum deteriorẽ ex percussione, dicendo, *super quo percutiemini*, hoc est, super quacũque re percutiemini: *adhuc addetis declinationem*, efficiemini deteriores; addendo declinationem declinationi.

Declaratio incorrigibilitatis ex flagellis Dei.

OMNE CAPVT LANGVIDVM, ET OMNE COR MOERENS. Dictio interpretata, *mœrens*, sonat, *ad ægritudinem*.

Vers. 6. A PLANTA PEDIS VSQVE AD VERTICEM, NON EST IN EO SANITAS. Monstrat secũdò percussiones inutiles ex eo, quòd nõ remansit membrum percutiẽdum in populo ad instar corporis secundùm omnes sui partes ægroti, dicẽdo, *omne caput in populo languidũ*, & similiter *omne cor* (hoc est, omnis Sacerdos) ad ægritudinem moralẽ tendit. Pectus enim, & caput, quæ sunt principia motus, & sensus, comprehenduntur omnes instructores populi, de quo subiungitur: *A planta pedis vsque ad verticem, non est in eo sanitas*. Nulla ergo pars corporis

Magna incorrigibilitas, quando in vniuersa, & per vniuersa flagella flagellatur quis, nec resipuit. Cor & caput pro Sacerdotibus sumuntur.

corporis remanet percutienda, & hoc quoad adultos: quoad pueros verò subiungit:

VULNUS, ET LIVOR, ET PLAGA TUMENS. Monstrat enim percussiones fore prorsus inutiles, ex eo, quòd vtacilles medicinæ: eò quòd plagæ animorum eorum non sunt curatæ tempore congruo, sed mala per longas contraxere moras. Comprehendit autem per hæc tria, omnia mala animi peccatis malis exemplis: tum, quia ternarius numerus, est numerus perfectionis, comprehendit omnia, tum, quia partes animi peccantes sunt tres, rationalis, irascibilis, & concupiscibilis. Tria itaque plagarum genera, videlicet, vulnus profundum penetrans, & liuor in superficie cruentus, & plaga tumens cruorem attractum tegens. Necesse est, quòd dictio interpretata, tumens, lœsa, tenera, seu recens. Nam in idem redit sensus.

Tria plagarum genera animi mala significant. [illegible]

NON EST CIRCUMLIGATA, NEC CURATA MEDICAMINE, NEC FOTA OLEO. Particula ista iuxta Hebræum habetur: *Non fuerunt constricta, & non fuerunt fasciata, & non fuerunt lenita oleo.* Et intendit per hæc tria, omnia genera curationum, quæ debent adhiberi plagis animorum peccantium. Manifestat siquidem per hæc, quòd nullum est adhibitum remedium malis animorum, nec exhibitum moralem vsum: sed relicti sunt animi in malis moralibus, & propterea redditi sunt incurabiles, per percussiones qualescunque, sicut & maiores.

Genera curationum peccatorum animorum.

Vers. 7. TERRA VESTRA DESERTA: CIVITATES VESTRÆ SUCCENSÆ IGNI: REGIONEM VESTRAM CORAM VOBIS ALIENI DEVORANT, ET DESOLABITUR SICUT IN VASTITATE HOSTILI. Dictio interpretata, deserta, sonat, desolata: hæc dictio interpretata, regionem, sonat, terram. Vltima verò particula, videlicet, & desolabitur, &c. iuxta Hebræum habetur, *Et desolata, sicut euersio alienorum.* Tertiò declarat percussiones fore inutiles quoad facultates, eò quòd nulla res possessa remanet percutienda; sed ciuitates, ager, & opes omnes desolatæ sunt. Ad Israel in genere dicit, terra vestra desolata, vtpote sine habitatoribus: ciuitates vestræ succensæ igni, quoad ædificia: terram vestram, quoad agros eorum vobis alieni deuorant, & desolatio, quoad opes est sicut euersio, quæ fit ab alienis.

Flagella Dei quoad facultates similia.

Percussi hoc in quibusdam constitit.

Vers. 8. ET DERELINQUETUR FILIA SION UT VMBRACULUM IN VINEA, ET SICUT TUGURIUM IN CUCUMERARIO, SICUT CIVITAS, QUÆ VASTATUR. Dictio interpretata, quæ vastatur, sonat, defirmata. Filia Sion procul dubio est Hierusalem, proptereà quòd arx Sion, quæ erat ciuitas Dauidis, & habitatio Regia est, quasi eius filia à parente. Aperit itaque, quòd nec Hierusalem remanebit percutienda: quia etiam ipsa derelinquetur, sicut ciuitas destructa, sicut vmbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario. Et insinuatur per has similitudines, quòd Hierusalem derelinquenda est, sicut habitaculum vtile tantum ad tempus modicum, quemadmodum vmbraculum in vinea factum est pro solo tempore vuæ, & tugurium pro solo tempore cucumerum. Templum enim Ierosolymis institutum erat à Deo ad tempus vsque ad Messiam, hoc est, vsque ad Messiam: relinquendum deinde sicut tugurium, & sicut vmbraculum non amplius vtile, & sicut ciuitas destructa, vt rei probauit euentus. Hæc enim omnia impleta sunt successiuè vsque ad excidium Ierosolymitanum factum à Romanis.

Filia Sion quare Hierusalem.

Quod vmbraculi similitudine in tuguriis, & cucumerario.

Vers. 9. NISI DOMINUS EXERCITUUM RELIQUISSET NOBIS SEMEN, QUASI SODOMA FUISSEMUS, ET QUASI GOMORRHA SIMILES ESSEMUS. Iuxta Hebræum habetur. *Nisi Iehouah exercituum fecisset remanere nobis remanens: sicut paucum, sicut Sodoma fuissemus, Hamorrha assimilati fuissemus.* Moderatio diuinæ punitionis prædicitur, prophetando, quòd erat futurum tempore Messiæ, tanquam præteritum, dicendo, nisi fons essendi, à quo sunt omnes exercitus totius vniuersi, hoc est, omnes ordinate congregationes totius vniuersi, vt in principio Genesis declaratum est, fecisset remanere nobis Israëlitis, aliquos remanentes, sicut paucos: pauci enim ex Israëlitis remanserunt in vera Messiæ fide, in veritate legis, & Prophetarum: nisi, inquam, hac moderatione vsus fuisset Deus, fuissemus similes Sodomæ & Gomorrhæ, ex quibus nullus sermo est, sed omnes simul puniti. Et si annotaueris, quòd longè post futurum destructionem Hierusalem cum salute paucorum tanquam præteritam prædicit, apparebit, verè esse, quòd Esaias futura tanquam res gestas prophetat ex hoc, quòd prophetantur pauci remansuri. Perpendes, quòd non de dispersis Israëlitis est sermo: quoniam infinitus est multitudo eorum: sed (vt dictum est) de remanentibus Israëlitis in veritate legis, & Prophetarum in fide Messiæ. Isti enim pauci fuerunt inchoando ab Apostolis vsque in hodiernum diem.

Moderatio diuina vsitata.

Vers. 10. AUDITE VERBUM DOMINI. Nomen est tetragrammaton.

PRINCIPES SODOMORUM: AURIBUS PERCIPITE LEGEM DEI VESTRI, POPULUS GOMORRHÆ. Legendum est: *Elohe nostri.* Hactenus de Israel in communi habitus est sermo: modò ad Iudam, & Hierusalem specialiter dirigitur sermo de victimis, quoniam in solo regno Iudæ tempore etiam Oziæ offerebantur sacrificia Deo. Regnum enim appellatum regnum Israel separatum à regno Iudæ immolabat idolis. Nec ad contumeliam Esaias nominat eos, Principes Iuda, & Hierusalem in communi, *Principes Sodomæ*; & populum Iuda, & Hierusalem in communi *populum Gomorrhæ*; sed ad manifestandum qualitatem eorum, videlicet, incorrigibilitatem: ac si apertè dixisset: Audite, Principes, & populus incorrigibiles: quemadmodum Principes Sodomæ, & populus Gomorrhæ. Super perseuerante enim incorrigibilitate et iniquitate Principum, & populi Iudæ, fundatur vniuersa doctrina subiuncta de religione eorum inutili. Et quoniam nulla fit mentio peccati Iudæ, ac Hierusalem circa idololatriam, quod in dictis locis fuit ante primam destructionem Hierusalem, & templi, vt patet 4. Reg. & 2. Paralip. sed de aliis peccatis, quæ fuerunt in dictis locis, præcipuè in aduentu Messiæ: ideo intelligenda sunt hæc verba directa principaliter ad Principes, & populum Iuda, & Hierusalem futuros contra Messiam, quando nulla futura erat idololatria: sed confidentia in exteriori cultu diuini Dei. Audite, inquam, verbum fontis essendi, non meum, nec verba nouum: sed legem Elohe nostri, legislatoris, ac Iudicis nostri. Intendit enim declarare, quòd sacrificia, templum, & orationes incorrigibilium sunt inutilia secundum legem diuinam ad expiandum peccata: vt non confidant Iuda, & Hierusalem perseuerando in peccatis expiari ob seruantiis templi, sacrificiis, & orationibus.

4. Reg. 15.

2. Paral. 26.

Populus Israel, & Iuda, quare populus Gomorrhæ.

Incorrigibilitas [illegible]

Ratio, quare [illegible] Hierusalem de tempore Messiæ.

Ceremoniæ incorrigibilium inutiles.

Vers. 11. QUO MIHI MULTITUDO VICTIMARUM VESTRARUM, DICIT DOMINUS. Legendum est: *Dicit Iehouah.* Introducit Propheta summum

Deum, dicturum perseuerantibus in crimine: quò mihi multitudo sacrificiorum vestrorum: hoc est, quid confert mihi multitudo victimarum vestrarum? Quasi dicant, nihil. Victimæ enim impiorum non solùm inutiles sunt ad gloriam Dei, sed etiam abominabiles sunt Deo. Et verè nihil conferunt diuino nomini incorrigibilium sacrificia, quamuis in magna multitudine, sed nocent potiùs, eò quòd insinuant huiusmodi exteriores obseruantias, secundùm seipsas placere Deo, quod est falsum, nec congruunt diuini nominis gloriæ hominum mendacia.

Impiorum victimæ non solùm inutiles, sed abominabiles, non solùm non prosunt, sed obsunt.

PLENVS SVM. Hoc est, saturatus sum, vt Hebræa sonant. Ad instar saturati abhorrentis cibum loquitur Deus, significando inutilem sibi fore multitudinem victimarum, quemadmodum inutilis est saturato multitudo ciborum apposita. Nec per hanc similitudinem intelligas Deo quandoque placuisse paucas impiorum victimas, & tamen esse quasi saturatum: sed intellige similitudinem satuti allatam ad reprobandum multitudinem victimarum semper displicuisse vt saturo, vt non indigenti cibo.

HOLOCAVSTA ARIETVM, ET ADIPEM PINGVIVM, ET SANGVINEM VITVLORVM, ET AGNORVM, ET HIRCORVM NON VOLVI. Reprobata multitudine sacrificiorum, nunc reprobat ipsa sacrificia, & genera omnia quadrupedum, quæ immolabantur Deo, tanguntur, videlicet, bouinum, ouile, & caprinum. Rursus duo ex omnibus reseruata Deo, videlicet, adeps, & sanguis tanguntur: modorum autem sacrificandi tangitur supremus, videlicet, holocaustum: quæ omnia patent in Leuitico. Quòd autem dicit, non volui, non contrariatur legi diuinæ, in qua Deus voluit offerri sibi ista. Nam hic est sermo de sacrificiis, & holocaustis incorrigibilium: in lege autẽ de sacrificiis, & holocaustis iustorum, vel pœnitentium: & propterea nulla est contrarietas inter hæc Dei verba, & legem, imò hæc Dei verba declarant legem quoad hoc, quòd sacrificia, & holocausta non sunt secundùm seipsa grata Deo, sed ratione personarum iustarum, seu pœnitentium. Si enim secundum seipsa placerent Deo; tam oblata ab impiis, quàm iustis, grata essent Deo. Scriptum est autem in principio Genesis, quòd *Deus respexit ad Abel, & ad munera eius: & quòd non respexit ad Cain, & ad munera eius.*

Quomodo Deus velit, & non velit sacrificia.

Genes. 4.4 & 5.

Vers. 12. CVM VENIRETIS ANTE CONSPECTVM MEVM, QVIS QVÆSIVIT HÆC DE MANIBVS VESTRIS, VT AMBVLARETIS IN ATRIIS MEIS? Iuxta Hebræum habetur: *Quando venietis, vt conspiceremini coram me, quis quæsiuit hoc de manu vestra calcare atria mea?* Mandatum erat in lege, tum, vt ter in anno quilibet appareret coram Deo in templo eius: tum, vt nullus appareret coram Deo vacuus. Executiones istæ duæ tanguntur dicendo: *Quando venietis, vt conspiceremini coram me?* Hoc enim pertinet ad primum præceptum: *Quis quæsiuit hoc de manu vestra?* & in hoc tangitur alterum præceptum. Manus enim oblationem innuit. Quod autem subditur, *calcare atria mea*: ad vtrunque spectat: locus enim declaratur, in quo apparebant coram Deo non vacui: & dicendo: *Quis quæsiuit*, significat se Deum non quæsisse ab incorrigibilibus huiusmodi officia visitandi templum.

Exod. 23.17. & 34.23.

Vers. 13. NE OFFERATIS VLTRA SACRIFICIVM FRVSTRA. Iuxta Hebræum habetur: *Non addetis adducere munus falsitatis.* In Leuitico patet appellari munus florem farinæ, seu similam. Dictio autem interpretata, *falsitatis*, interpretatur ab aliis, *mendacij*, ab aliis, *vanitatis*. Et reprobatur ad literam oblatio similæ discordis à corde, & operibus offerentis; propterea enim appellatur *munus falsitatis*, seu mendacij, vel vanitatis, quia nihil prodest.

Leuit. 2.1.

INCENSVM ABOMINATIO EST MIHI. Reprobatur suffimentum ad instar thuris, quod incenditur euaporando, & significatur ad literam fumus thymiamatis.

NEOMENIAM, ET SABBATHVM, ET FESTIVITATES ALIAS NON FERAM. Iuxta Hebræum habetur: *Neomeniam, & Sabbathum vocare vocationem non potero, iniquitatem, & retentionem.* Et loco vltimarum dictionum vulgata editio habet.

IN IQVI SVNT COETVS VESTRI. In 23. cap. Leu. apparet, iuxta Hebraicam veritatem, festa Domini appellari *vocationes sanctitatis*, eò quòd erant conuocationes hominum ad sanctitatem ipsorum. Ad illud igitur nomen alludit Deus, dicendo: *Non potero vocare vocationem Neomeniam, & Sabbathum, & retentionem*, hoc est, festum conlectus, quod celebratur octauo die à primo die tabernaculorum. Ratio autem, quare non potest hæc festa appellare *vocationes sanctitatis*, infertur mutilo sermone dicendo, *iniquitatem*. Est sensus: Non potero vocare Neomeniam, Sabbathum, & retentionem, vocationem sanctitatis, sed iniquitatis, eò quòd iniquis animis, & operibus vestris replentur.

CALENDAS VESTRAS; ET SOLENNITATES VESTRAS ODIVIT ANIMA MEA. Idem significatur per Calendas, & Neomeniam, festum, videlicet, nouilunij. Metaphoricè quoque attribuitur Deo anima, sicut ira: ad instar enim hominis loquitur Deus hominibus. Vers. 14.

Metaphoricè Deus habet animã, sicut & iram, &c.

FACTA SVNT MIHI MOLESTA. Iuxta Hebræum habetur: *Fuerunt super me ad laborem.* Ad instar hominis laborantis sub onere graui dicit Deus: Fuerunt super me ad laborem.

LABORAVI SVSTINENS. Iuxta Hebræum habetur: *Lassatus sum portando.* Non solùm laboraui, sed vsque ad lassitudinem perueni sustinendo vestras solennitates: hoc est, ad instar hominis lassi me habui. Intolerabiles eorum solennitates per hæc insinuat.

ET CVM EXTENDERETIS MANVS VESTRAS, AVERTAM OCVLOS MEOS A VOBIS. Patui refert, quod dictio interpretata, *auertam*, sonat, *occultabo*. Demonstrata vanitate sacrificiorum, ad explanandum incorrigibiles, manifestat consequenter preces & supplicationes eorundem fore inutiles ad expiandum eos. Et quia consueuerant extendere manus versus cælum supplicando: ideò dicit: *Etiam extenderetis manus vestras, occultabo oculos meos à vobis*: oculos procul dubio misericordiæ, & gratiæ, ad instar hominis renuentis videre huiusmodi modum supplicandi. Vers. 15.

Preces incorrigibilium inutiles.

ET CVM MVLTIPLICAVERITIS ORATIONEM, NON EXAVDIAM. Sensus clarè redditur. Hebraicè tamen scribitur: *Etiam cum multiplicabitis orationem ego non audiens*, ad instar hominis nolentis audire multiplicatas preces loquitur.

MANVS ENIM VESTRÆ, SANGVINE PLENÆ SVNT. Ratio vanitatis orationum clarè redditur ex crimine homicidij, & multitudo huiusmodi peccati significatur describendo manus plenas sanguinis.

LAVAMINI, MVNDI ESTOTE. Postquam Deus declarauit, quòd nec sacrificiis, nec orationibus expiari possunt peccata eorum; consequenter Vers. 16.

Remedium in incorrigibilium in vtraque parte iustitiæ fundatum.

quenter docet remedium verum consistens in vtraque parte iustitiæ, videlicet, declinare à malo, & facere bonum: & inchoando à prima parte dicit: *Lauamini*, sic quòd sitis mundi. Metaphoricus est sermo sumptus à corporea ablutione, cuius terminum oportet esse munditiam: tanquàm lauatores peccatorum sordes emergite mundi corde. Et per hanc similitudinem pœnitentiam internam peccatorum omnium indicit, alioquin non emergeretis mundi. Et quoniam nulla humanæ actionis ablutio sufficit ad peccatoris munditiam, quæ sola Dei gratia fit, ideò remedium hoc intelligendum est, quantum est ex parte peccatoris. Est enim pœnitentia interna remedium vtile ad munditiam, pro quanto disponit peccatorem ad diuinam gratiam, perficientem actus pœnitentiæ nostræ. Est itaque sensus: Quantum est ex parte vestra lauate vos interna pœnitentia peccatorum omnium, sic vt sitis mundi corde.

Qualis debet esse munditia à peccatis.

AVFERTE MALVM COGITATIONVM VESTRARVM AB OCVLIS MEIS. Dictio interpretata, *cogitationum*, sonat, *operationum*. Qualis debeat esse munditia declarat dicendo, quòd non debet remanere malitia operum coram oculis Dei, qui intuetur penetralia cordis. Pœnitentiam ergo peccatorum ex intimo, & toto corde requirit, alioquin remaneret coram oculis Dei malitia operationum.

Ficta pœnitentia quæ sit.

QVIESCITE AGERE PERVERSE. Iuxta Hebræum habetur: *Prohibete malefacere*. Ficta est pœnitentia præteritorum peccatorum, nisi sit iuncta prohibitioni futurorum: & propterea adiungit: Prohibete à vobis malè facere.

Vers. 17. DISCITE BENEFACERE. Ecce altera iustitiæ pars. Assuetis enim malefacere indicitur primum bene agendi initium: *Discite benefacere*.

QVÆRITE IVDICIVM. Hoc est, diligenter inuestigate ius debitum cuicunque.

SVBVENITE OPPRESSO. Sententia redditur, quamuis potiùs significetur, dirigite. Species enim subuentionis est dirigere.

IVDICATE PVPILLO, DEFENDITE VIDVAM. Iustitiæ & misericordiæ opera miscet erga personas miserabiles: quia in iis præcipuè deficiebant; & quia difficilè hæc fiunt, vt raritas testatur.

Vers. 18. ET VENITE, ET ARGVITE ME, DICIT DOMINVS. Iuxta Hebræum habetur: *Nunc & disputabimus, dicet Iehouah*. Propositis vtilibus remediis ad expiandum peccata, introducitur à seipso Deus inuitaturus Principes, & populum ad disputandum super ipsius Dei, & ipsorum commercio.

SI FVERINT PECCATA VESTRA, VT COCCINVM; QVASI NIX DEALBABVNTVR. ET SI FVERINT RVBRA, QVASI VERMICVLVS, VELVT LANA ALBA ERVNT. Interpres addidit, *alba*. Inchoat disputare Deus cum Principibus, & populo à beneficio remissionis peccatorum, pro mutatione eorum ad pœnitentiam, & iustitiam. Est enim sensus: Facientibus vobis, quæ dixi, lauamini, &c. ego faciam quòd si fuerint peccata vestra, tanquàm coloris purpurei; dealbabuntur, tanquàm nix. Et si rubebunt, vt vermiculus, erunt, tanquàm lana. Et per colores coccineum, & vermicularem merita vindictæ significantur.

Albedo designat gloriam.

Clamant enim magis, vel minùs vindictam. Per albedinem verò niuis, & lanæ significantur gloria, maior, vel minor. Nam, quia diligentibus Deum, cooperantur in bonum omnia, Rom. 8. etiam ipsa peccata, ideò peccata, quæ merebantur vindictam, reddentur per diuinæ gratiæ largitatem materia gloriæ maioris, vel minoris in alia vita eisdem, qui commiserant peccata illa.

Vers. 19. SI VOLVERITIS, ET AVDIERITIS ME, BONA TERRÆ COMEDETIS. Superfluit pronomen, *me*. Prosequitur Deus disputationem adiungendo spiritualibus antedictis bona corporea terræ promissionis, manifestando vtrunque requisitum, videlicet, velle intus, & audire, hoc est, obedire extrà: & ambæ conditionales sunt veræ, quamuis neutrius tam antecedens, quàm consequens fuerit verificatum propter obstinationem Iudæorum.

Vers. 20. QVOD SI NOLVERITIS, ET ME AD IRACVNDIAM PROVOCAVERITIS, GLADIVS DEVORABIT VOS, QVIA OS DOMINI LOCVTVM EST. Iuxta Hebræum habetur: *Et si renueritis, & rebellabitis*. Ecce altera disputationis pars: dat enim eis optionem volendi, & obediendi, vel renuendi, & rebellandi: & præmia quidem obedientium proposita sunt; pœna autem rebellantium subiungitur dicendo: *Gladio deuorabimini: quia os Iehouah locutum est*. Sententia clara est:

Libertas arbitrij ex optione proposita manifestatur.

Vers. 21. QVOMODO FACTA EST MERETRIX? Iuxta Hebræum legendum est: *Quomodo fuit in meretricem ciuitas fidelis, plena iudicij?* Post allocutionem Principum, & populi Iuda, & Hierusalem in communi, descendit sermo ad tractandum in specie de ciuitate in Hierusalem: &, vt subiuncta insinuant, tractatur de peccatis Hierusalem tempore aduentus Messiæ. Dolentis, & admirantis Prophetæ verba sunt: *Quomodo fuit in meretricem?* Futura enim tanquam præterita describens lamentatur, quomodo versa est in meretricem *ciuitas fidelis, plena iudicij*. Officium enim meretricis est vendere vsum proprij corporis ad delectationem veneream: & Hierusalem venalis ob bonum delectabile describitur. Venale siquidem, vt ex libro Machabæorum patet, erat sacerdotium: & consequenter venale est iudicium. Ementes enim sacerdotium par fuit, vt venderent officia; & propterea ciuitas olim fidelis, fide, qua fiunt dicta, versa est in meretricem: venditione abigente iudicium, versa est ciuitas plena iudicij in meretricem, hoc est, ciuitatem venalem absque fide, & iudicio. Meretrix enim nulli seruat fidem, nulli ius dicit. Corruptam itaque ciuitatem describit in duabus politicis virtutibus, fide, scilicet, & iudicio.

Sermo specialis de Hierusalem.

Officium meretricis.

2. Mach. 4.

Fides, qua fiunt dicta.

Corruptio ciuitatis in duabus politicis virtutibus.

IVSTITIA HABITAVIT IN EA. Iuxta Hebræum habetur: *Iustitia dormiet in ea: & nunc homicidæ*. Describitur quies iustitiæ in Hierusalem per verbum futuri temporis, ad denotandam perseuerantiam. Itaque sic plena iudicij describitur, quòd iustitia perseueranter quiescebat in ea. & nunc quiescunt in ea homicidæ, violatores iustitiæ in supremo culmine bonorum, vita, videlicet, hominum. Verè quieuerunt homicidæ in Hierusalem tempore Messiæ, occidentes ipsum Messiam, & discipulos eius.

Vers. 22. ARGENTVM TVVM VERSVM EST IN SCORIAM, VINVM TVVM MIXTVM EST AQVA. Explanatur per has metaphoras infidelitas Hierusalem, dicendo iuxta Hebraicam veritatem: *Argentum tuum fuit in scorias*. Ecce infidelitas pro argento scoriæ, & pro vino mixto aqua, hoc est, pro eloquio diuino, (de quo scriptum est: *Elo-* quia

Argentum pro eloquio diuino.

Psal. 11. 7.

Matth. 15. 3. *quia Domini, argentum igne examinatum*, doctrina sordida. Irrita siquidem reddebant mandata Dei Iudæi tempore Messiæ propter traditiones hominum, vt in Euangelio patet. Et vinum bonæ spei, ac lætitiæ spiritualis, quod ex lege, & Prophetis propinatum erat, mixtum fuit aqua affectuum bonorum temporalium: vacantes enim temporalibus minuebant spem spiritualiũ.

Vers. 23. PRINCIPES TVI INFIDELES, SOCII FVRVM. Dictio interpretata, *infideles*, sonat, *rebelles*, seu, vt aliis placet, *declinantes*. Verè Principes Hierusalem, rebelles fuerunt diuinæ gratiæ monstratæ in operibus Messiæ: & socij fuerunt latronum, dicente Domino: *Vos autem fecistis illam speluncam latronum*.

Matth. 21. 13. OMNES DILIGVNT MVNERA, ET SEQVVNTVR RETRIBVTIONES, PVPILLO NON IVDICANT, ET CAVSA VIDVÆ NON INGREDITVR AD ILLOS. Sẽtẽtia clara est: & describitur per hæc corruptum iudiciũ in ciuitate olim plena iudicij.

Vers. 24. PROPTER HOC AIT DOMINVS DEVS EXERCITVVM, FORTIS ISRAEL. Iuxta Hebræum habetur: *Ideo dictum Domini Iehouah exercituum, fortis Israel*. Narratis peccatis Hierusalem, subiungitur punitio eius à summo Deo futura per Romanos. Nominatur autem Deus tribus nominibus, videlicet, *Dominus*, quia tanquàm Dominus vniuersorum vindictam hanc exercebit: *Iehouah exercituum*, quia dat esse exercitibus totius vniuersi: *Fortis Israelis*, quia ipse est fortitudo Israelis, hoc est, populi, qui verè est Israël, hoc est, in quo dominabitur Deus, hoc est, confidens in dominio Dei, tendens ad dominium Dei.

HEV EGO. Legendum est: *Væ consolabor de hostibus meis, & vlciscar de inimicis meis*. Verba sunt Dei non condolentis, sed prænunciantis malum ingens valdè aduersùs Hierosolymitas persecutores, & interfectores Messiæ. & hoc est secundum *Væ* in hoc libro scriptum: consolationem autem præbere vindictam manifestissimum est. Vnde & alibi describitur: *Lætabitur iustus, cum*

Psal. 57. 11. *viderit vindictam*. Ad instar siquidem hominis loquitur Deus. Et quod dixi, iam adimpletum vidimus per Principes Romanos, Vespasianum, & Titum, &c.

Vers. 25. ET CONVERTAM MANVM MEAM AD TE, ET EXCOQVAM AD PVRVM SCORIAM TVAM, ET CONTERAM OMNE STANNVM TVVM. Iuxta Hebræum habetur: *Et faciam reuerti manum super te, & purgabo sicut purificatorio scorias tuas, & faciam recedere omnia stanna tua*. Reductio manus super Hierusalem ad bonum ipsius pertinet; videlicet, ad purgandum argentum à scoriis, & mixtura stanni: purgandum autem, quemadmodum purgat purificatorium: alludit enim ad metaphoram superiùs dictam: *Argentum tuum factũ est*

Actorum 2. *ad scorias*. Et hoc ad literam adimpleuit Deus donando Spiritum sanctum, *dum complerentur dies Pentecostes*. Tunc enim purificauit in Hierusalem doctrinam Iudaïcam ab admixtione scoriarum, & stanni, & diuinum eloquium in sua puritate cognosci fecit. Spiritus enim sanctus purgauit discipulorum, & credentium mentes Iudæorum, sicut purgat purificatorium.

Vers. 26. ET RESTITVAM IVDICES TVOS, VT FVERVNT PRIVS. Legendum est: *Et restituam Iudices tuos sicut in principio; & consiliarios tuos, sicut in initio*. Verè per Spiritus sancti donum restituit Deus Iudices Hierusalem, videlicet, sicut in principio libertatis populi Moysen, & Iosue, & consiliarios Hierusalem, & discipulos alios, sicut in initio dati sunt consiliarij septuaginta tempore Moysi. Aduerte, prudens lector, quòd ordo inter hæc bona, & mala Hierusalem non attenditur secundùm executionem pœnarum, & gratiarum; sed secundùm merita Hierusalem, & gratiam diuinam: priùs enim meruerunt vindictam, deinde ante executionem vindictæ, gratia Spiritus sancti purgauit cunctos credentes, & instituit sanctos Apostolos, & discipulos alios loco priscorum Patrum.

POST HOC VOCABERIS CIVITAS IVSTI, VRBS FIDELIS. Sententia redditur; & interpres nomen sæpissimè mutat aduerbium in pronomen. Nam iuxta Hebræum habetur: *Post sic*. Dictio quoque interpretata, *iusti*, sonat, *iustitia*. Ciuitas Hierusalem, postquàm missus est Spiritus sanctus, distincta est in Iudæos fideles, & Iudæos incredulos. Et quia ciuitas illa electa erat à Deo in caput verè fidelium; ideò ipsa ratione multitudinis fidelium in ea appellatur ciuitas iustitiæ, ciuitas fidelis. Verè enim facta est ciuitas iustitiæ fidei in remissioné peccatorum, facta est ciuitas fidelis, vtpote absque omni mẽdacio, & fraude faciens dicta, vt patet in Actis Apostolorum.

Vers. 27. SION IVDICIO REDIMETVR. Mons Sion locus erat in Hierusalem celsus, electúsque pro arce, habitatione regia; & propterea continens pro contento ponitur, & appellatione *Sion* intelliguntur Iudæi electi, qui fuerunt præcipua pars Ecclesiæ. Et quamuis vniuersum genus humanum redimendum fuerat in iudicio passionis, & mortis Messiæ; hic tamen tractando de Hierusalem nõ exprimitur nisi Siõ, hoc est, pars prima electa ex Iudæis, quia in ea primùm apparuit effectus redẽptionis, vt patet in Actis Apost.

ET REDVCENT EAM IN IVSTITIA. Iuxta Hebræum habetur: *Et reuertentes eius in iustitia*. Lege Acta Apostolorum, & inuenies primo die Act. 2. 41. Pentecostes Iudæos reuertentes ad veram fidem in iustitia fidei: ita quòd ter mille animæ tunc reuersæ sunt.

Vers. 28. ET CONTERET SCELESTOS, ET PECCATORES SIMVL: ET QVI DERELIQVERVNT DOMINVM, CONSVMENTVR. Legendum iuxta Hebræum est: *Et fractio rebellium, & peccatorum simul: & relinquentes Iehouah consumentur*. Paulò superiùs dixerat Deus: *Vlciscar de inimicis meis*. modò vltionem ipsam prosequitur. Par enim fuit, vt prædicta Hierusalem quoad beneficia futura per Messiam describeret, & posteà partem rebellem, & peccatricem quoad pœnas pingeret. Verè autem simul secuta est fractio rebellium Messiæ; Pontificum, videlicet, ac Senatorum, & peccatorum imitantium Maiores. Et quia peccantes in Messiam in fontem essendi, ideò additur: *Et relinquentes Iehouah consumentur*. In excidio enim Hierosolymitano per Romanos facto impleta hæc sunt, propter quod subiungitur:

Vers. 29. CONFVNDENTVR ENIM AB IDOLIS, QVIBVS SACRIFICAVERVNT. ET ERVBESCETIS SVPER HORTIS, QVOS ELEGERATIS. Iuxta Hebræum habetur: *Quia pudore afficientur ab arboribus, quas desiderastis, & vituperabimini ab hortis, quos elegistis*. Nulla fit mentio idolorum; sed arborum, & hortorum. Frequenter autem in sacra Scriptura Principes significantur per arbores, & propterea Hierosolymitas confundendos prædicit à Romanis Principibus, quos desiderauerant, præponendo eos Messiæ, dum dicerent:

Non

Ioan.19.15. *Non habemus Regem nisi Cæsarem.* Ab ipsis ergo, quorum protectionis vmbram, & fructum damnationis Christi cupierunt, confundendi describuntur. Vituperādi autē ab hortis deliciarū, quas elegerunt, præferendo eas innocentiæ Messiæ, dum elegerunt occidere Christum innocentem, proferendo locum dignitatis propriæ: *Ne forte*
Ioan.11.48. *te veniant Romani, & tollant locum nostrum*, &c.

Vers.30. QVVM FVERITIS, VELVT QVERCVS DEFLVENTIBVS FOLIIS, ET VELVT HORTVS ABSQVE AQVA. Legendum est: *Quia eritis, sicut ela defluens foliis suis: & velut hortus, cui non aqua.* Ratio confusionis ab arboribus redditur; quia eritis, sicut arbor, quæ vocatur *ela*, defluens foliis: ab hortis verò, quia eritis, sicut hortus sine aqua. Et per similitudines prædicitur miseria Hierosolymitarum, tam in officiis, quàm in cōmoditatibus. Arbor enim defluens foliis destituta est omni decore, & hortus sine aqua nihil olerum præbet: destituti enim sunt per excidium prædictum Hierosolymitæ omni decore officiorum, & vniuersis non solùm deliciis, sed commoditatibus.

Vers.31. ET ERIT FORTITVDO VESTRA, VT FAVILLA STVPPÆ, ET OPVS VESTRVM QVASI SCINTILLA. Iuxta Hebræum habetur: *Et erit fortis in stuppam, & operator eius in fauillam.* Dictio interpretata, *stuppam*, sonat, vel *stuppam*, vel illud, quod excutitur ex lino viridi, cùm spatula percutitur. Prædicitur tam miserabilis Hierosolymæ conditio, quòd viri fortes eius, similes erunt stuppæ, & operarij eius similes erunt scintillæ, hoc est, corticillinis. Post priuationem enim bonorum prædicitur perpessio malorum.

ET SVCCENDETVR VTRVMQVE SIMVL: ET NON ERIT, QVI EXTINGVAT. Legendum esset: *Et ardebunt ambo ipsa pariter.* Alludit enim ad similitudinem allatam de scintilla, & stuppa: si enim simul scintilla, & stuppa, seu sordidum lini iunguntur, ardent. Et intendit per hoc, quòd fortes Hierusalem, & operarij eius simul ardebunt: & non erit, qui extinguat, quod potest ad literam intelligi de malis pœnæ, quæ, incurrerunt per illud excidium, & nullus erit extinguens: quia nunquam de captiuitate Romanorum euadent. At si referatur ad pœnam æternæ damnationis, nullus est error. Congruit enim
Esaiæ 66.24. argumenti finis, fini totius libri: *Vermis enim eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.*

CAPVT II.

Vers.1. VERBVM, QVOD VIDIT ESAIAS, FILIVS AMOS, SVPER IVDAM, ET HIERVSALEM. Titulus iste in nullo differt à titulo in principio libri, nisi in primo vocabulo, quia ibi scribitur, *visio*, hic autē scribitur, *verbum*. Et quemadmodū ibi sumitur *visio* pro re visa, ita hic sumitur verbum pro re, quæ verbo dicta est. Suffragaturque huic sensui Hebraica dictio, quæ licèt significet *verbum*: pluries tamen vsurpatur ad significandum rem. Repetitio autem tituli insinuat, quod diximus, videlicet, quòd hactenus scriptum est argumentum libri: hic autem incipit tractatus libri. Reliqua fiant exposita ibi.

Verbum pro re expressa verbo.

Incipit tractatus libri.

Vers.2. ET ERIT IN NOVISSIMIS DIEBVS. Manca est litera. Nam iuxta Hebræum habetur: *Et erit.* Et hic fit punctus. Prophetat enim, quod futurum est in genere, dicendo: *Et erit.* Deinde descendit ad futurum in specie, dicendo: *In nouissimis diebus præparatus mons.* Ecce defectus. Nam iuxta Hebræum legitur: *In fine dierum præparatus erit mons domus Iehouah, in vertice montium.* Itaque Interpres ademit semel verbum, *erit*: & quod immediatè subiungitur:

ET ELEVABITVR SVPER COLLES. Iuxta Hebræum habetur: *Eleuabit se præ collibus.* Ordo præposterus. Nam ordinis sensus est, quòd mons domus Iehouah eleuabit se super colles, & erit in vertice montium. Quemadmodum montes, & colles non sumuntur hic pro montibus, & collibus corporeis; sed metaphoricè: ita mons non sumitur pro monte corporeo, hoc est, pro monte Moria, in quo ædificatum est à Salomone corporeum templum Dei, sed sumitur mons metaphoricè pro excelso, & stabili, atque immobili fundamento veræ domus summi Dei. Et ad literam Messias appellatur mons continens, & fundans veram domum Dei, qui est fons essendi: Deus enim spiritus est, & spiritus rationalium mentium veram ipsius domum constituunt: Messias autem fundamentum est illud, de quo scribitur: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter illud, quod positum est, quod est Christus.* 1.Cor 3.11.

Messias veram domus Dei.

Ipse enim continet, & sustinet vniuersum corpus Ecclesiæ, viuificans Spiritu sancto suo illud. Ipse est mons præparatus, non ex improuiso consurgens; sed diuina prædestinatione ab æterno directus, & præparatus plenitudine omnis gratiæ. erit in capite montium, erit in capite Angelorum, vt Paulus posteà ad Colos. scripsit: ex gratia enim vnionis personalis in personam filij Dei super Angelos directus est. *Et eleuabit se super colles*, Moyē, scilicet Abraham, & reliquos Prophetas. Eleuabit autem se, factis miraculorū, & obedientiæ, vsque ad mortem Crucis. Eleuabit se resurrectione ex mortuis, ascensione in celū, & missione Spiritus sancti, quæ patrauit in Iuda, & Hierusalem. Significanter verò dicuntur hæc futura *in fine dierum*, intelligendo, per *finem dierum* non postremum diem mundi, (vt verba sonant) quum impossibile sit hæc subiuncta vnico die fieri; sed vltimum tempus salutis humanæ, vt intelligant Iudæi, post aduentum Messiæ non esse expectandum tempus aliud, quo Deus prouideat eis, aut mundo de alio Saluatore. Relatiuè enim ad salutem æternam humani generis appellatum est pluries in sacris Literis tempus Messiæ, *finis dierum*, vt patet Genes. 49. *Annunciabo vobis ventura nouissimis diebus.* &, *Nos sumus, in quos fines sæculorum deuenerunt.* Et primæ Ioan. 2. *Nouissima hora est.* Et tu, prudens lector, aduerte, quòd ex hoc, quòd liber iste incipit à Messia, insinuatur, quòd principalis intentio istius Prophetæ est tractare de Messia.

Quomodo Christus eleuauit se.

Nota, quòd apud Hebr. vbi Interpres, in nouissimo dierum, regulariter de tempore Messiæ intelligitur vnde concordes sunt Genesis 49. 1. 1.Cor.10.11. Ioan epist 1. cap. 2.

ET FLVENT AD EVM OMNES GENTES: ET IBVNT POPVLI MVLTI. Dictio interpretata, *fluet*, sonat, *ire*, seu *currere ad instar fluminis*. Prædicitur, quòd ad eum montē concurrēt ad instar fluminis gentes omnes, nulla excepta, hoc est, ex omnibus nationibus mundi. Et quia non est sensus, quòd gentes omnes integrè, sed ex qualibet gēte aliqui, ideò subiūgitur: *Et ibūt populi multi.* Prædicuntur enim, & ex qualibet gente aliqui singulares: & ex ipsis gētibus multi populi. Maximus itaque concursus ad Messiam prædicitur futurus; non Iudæorum, sed Ethnicorum: quod adimpletum videmus in Iesu confluere autem, & ire non corporeo gressu, sed mentis Vers. 3.

Quomodo omnes gentes ad Christ.

mentis actibus intellige Ridiculum est enim intelligere, quod multi populi corporali gressu ituri sint ad montem Moria.

ET DICET: VENITE, ASCENDAMVS AD MONTEM DOMINI, ET AD DOMVM DEI IACOB. Dictio interpretata, *Domini*, est tetragrammaton. Dictio interpretata, *Dei*, est *Elohe*. Nec in Hebraeo habetur coniunctio, *&*: sed legitur, *ad montem Iehouah, ad domum Elohe Iacob*. Non solum venturi, sed etiam inuitaturi se inuicem describuntur Ethnici: venite intellectu, atque affectu, & ascendamus fide, atque spe, ad montem, hoc est, ad celsitudinem Iehouah, qui dat esse omnibus: hoc est, ad Messiam, in quo verè est diuina celsitudo. Et quoniam idem est ire ad Christum, & ire ad veram domum Dei, qui colitur à Iacob. Nullus enim ingreditur veram Dei domum, nisi veniendo ad Christum. *Ego*, inquit ipse in Euangelio, *sum ostium, per quod oportet ingredi* domum Dei. quae est Ecclesia Dei [illegible], *columna & stabilimentum veritatis*, vt Paulus primae ad Timoth. 3. scribit.

Ioan. 10.

1. Timot. 3.

ET DOCEBIT NOS VIAS SVAS, ET AMBVLABIMVS IN SEMITIS EIVS. Ecce prima montis actio, docere vias ipsius montis, hoc est, vias Christianas, quibus itur ad perpetuam felicitatem; viae autem istae sunt opera virtutum, quorum praecipuum est charitas, & Ecclesiae Sacramenta. Haec enim docuit, & docet Christus. Fructus autem doctrinae subiungitur: *Et ambulabimus in semitis eius*, proficiemus in operibus virtutum, interpretemur Sacramenta.

QVIA DE SION EXIBIT LEX, ET VERBVM DOMINI DE HIERVSALEM. Dictio interpretata, *Domini*, est *Iehouah*. Nisi Messias [illegible] daturus non erat legem, nunquam [illegible] de Sion exibit lex. Haec est lex, quae [illegible] de monte Sina, sed de Sion egressa est. *Haec est lex noua scripta in cordibus* [illegible] Ieremiae cap. 31. [illegible] praedicitur ex Sion quia lex noua, quae est [illegible] gratia Spiritus sancti, egressa est ad vniuersum mundum ex Sion: vbi primum datus est Spiritus sanctus discipulis Christi, ex quibus propagatus est populus Christianus, & Spiritus sanctus aliis datus per impositionem manuum Apostolorum. Inde enim incepit promulgatio legis nouae, & verbum Domini (hoc est, Euangelium) de Hierusalem egreditur, quia inde diuisi sunt Christi discipuli ad euangelizandum vniuerso orbi. Significanter autem dicit, *exibit*, ad insinuandum, quòd initium, non permanentia, ibi esse: quod rei probauit euentus.

Ierem. 31.

Actuum 2.

Vers. 4

ET IVDICABIT GENTES, ET ARGVET POPVLOS MVLTOS. Vltra actionem doctrinae, & legem attribuit monti eidem iudicare inter gentes, & arguere populos multos. Dixerat, *confluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi*: ne putares, quòd omnes gentes ad eum confluentes, & populi multi ad eum euntes [illegible] quòd sufficit esse Christianum, [illegible], putando, dicit, quòd iudicabit inter gentes confluentes ad eum, & arguet populos multos euntes ad eum. Iudicat enim Christus inter Christianos discernendo eorum merita, & retribuendo secundum eorum opera: arguit quoque populos multos reprehendendo eorum vitia. Potest quoque tam iudicium, quàm increpatio referri ad diuersitatem inter confluentes, & non confluentes, inter venientes, & non venientes. Ad iudicium enim spectat, quòd *lux venit in mundum: & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem*: & ad increpationem spectat, quòd *si quis quiuis non receperit vos, etiam puluerem de pedibus vestris excutite in testimonium illis*.

Ioan. 3. 19.

Luc. 6. 11.

ET CONFLABVNT GLADIOS SVOS IN VOMERES, ET LANCEAS SVAS IN FALCES. ET NON LEVABIT GENS CONTRA GENTEM GLADIVM, NEC EXERCEBVNTVR VLTRA AD PRAELIA. Parui refert, quòd haec vltima particula iuxta Hebraeum habetur. *Et non discent amplius praelium*. Non esse sensum huius prophetiae, quòd in aduentu Messiae desinant bella omnia, ita quòd non erunt amplius arma bellica, manifestauit ipse Christus in Euangelio dicens: *Surget gens contra gentem, & regnum aduersus regnum*. Sed sensus prophetiae huius est, quòd populus Messiae non acquiretur, nec propagabitur, nec seruabitur armis bellicis. Et hoc verum esse patet, tum ex institutione Christi, tum ex ratione: ex institutione quidem Christi; quia non misit Apostolos ad acquirendum mundum armatos, sed tanquam oues inter lupos; & discipulis petentibus, *Domine, si percutimus in gladio?* reprehendit: *Conuerte gladium tuum in vaginam*, &c. Sed media ad acquirendum, propagandum, ac seruandum Christianum populum instituit doctrinam euangelicam, Sacramentáque, ac Spiritus sancti gratiam cum sua perpetua praesentia. *Ecce*, inquit, *ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem saeculi*. Ex ratione verò: quia arma bellica non suapte natura ordinantur ad subiectionem animorum, sed corporum, rerum, ac locorum. Populus autem Christianus, vt sic, adhaeret Christo fide, spe, & charitate, quae ad animum spectant liberum. Et propterea arma bellica non pertingunt ad propagandum, seu seruandum populum Christianum, quatenus Christianus est. Modus itaque, quo ad Messiam confluent gentes, & populi, quo propagabitur populus eius, quoue seruabitur, videlicet, sine armis bellicis, praedicitur à Propheta ad differentiam [illegible] populi electi à Deo ad terram promissionis. Ille enim armis bellicis acquisiuit terram promissionis, propagauit, ac seruauit [illegible] armis: longè dissimilis describitur futurus populus Messiae, videlicet, nec acquirendus armis bellicis, nec propagandus, nec seruandus armis bellicis. Nec ex istis intelligas, prohibita esse arma bellica Principibus Christianis: quoniam aliud est loqui de modo acquirendi, propagandi, & seruandi Christianitatem, & aliud est loqui de modo seruandi rempublicam, secundum rectum iudicium rationis naturalis, quae dictat, oportere quandoque bella suscipere ad tuendam rempub. Gratia enim non tollit naturam, sed perficit eam. Relatiuè itaque ad venientes ad Messiam, quatenus Messiae adhaerent, praedicit Propheta non fore opus armis bellicis: & hoc significat dicendo: *Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces*. Et similiter ad propagandum regnum Dei, quod Messias mundo intulit, non leuabit gens contra gentem gladium, & non discent amplius Christiani ad seruandum Christianitatem praeliari, quemadmodum oportuit discere praelium filios Israel, etiam post ingressum in terram promissionis, vt scribitur Iosue cap. 23.

Luc. 21. 10.

Secundum hunc enim sensum insultant Iudaei Christianis.

Luc. 22. 49.
Ioan. 18. 11.

Matth. 28.

Domvs

Vers. 5. DOMVS IACOB, VENITE, ET AMBVLEMVS IN LVMINE DEI NOSTRI. Iuxta Hebræum habetur pronomen, *nostri* & Deus nominatur, *Iehouah*. Inuitatio ista intelligitur facta à Sion. Apostoli enim primum inuitauerunt domum Iacob, prædicando primum Israëlitis, nec mutant Iudam, aut Hierusalem, sed vniuersam domum Iacob, quod fecisse testantur Acta Apostolorum. Et ne ad nouum Deum inuitari se credant, significanter dicitur: *Et ambulauerimus in lumine Iehouah fonti: esse.* vt per hoc intelligant, quod adhærere Messiæ per fidem, est ambulare in lumine summi Dei.

Vers. 6. PROIECISTI ENIM POPVLVM TVVM DOMVM IACOB. Litera ista potest dupliciter legi: vel, *Quia reliquisti populum tuum domum Iacob.* Et iuxta hanc lectionem apostrophat Propheta ad Deum, reddendo rationem, quare specialiter vaticinatur de inuitatione domus Iacob ad Messiam: & est tanquam, quia, Deus, reliquisti populum tuum appositè domum Iacob. Euentus enim testatus, quòd domus Iacob, quæ olim fuerat populus Dei, derelicta est à diuino lumine: & in hodiernum vsque diem non adhæret Messiæ. vel, *Quia reliquisti populum tuum domus Iacob.* Et iuxta hanc lectionem inuitantes reddunt rationem, quare specialiter inuitant domum Iacob: quia tu domus Iacob reliquisti populum tuum, reliquisti populum Messiæ tam expectatum à Prophetis. Populus enim Messiæ est verè populus tuus, vtpote in fide Patriarcharum, & Prophetarum genitus, altus, & propagatus.

Num. 11. QVIA REPLETI SVNT VT OLIM. Iuxta Hebræum habetur. *Quia repleti sunt præ Oriente.* Orientales abundant diuinatoribus per somnia, superstitiones, & astra: vnde & Balaam Orientalis erat: & apud Romanos diuinatores Chaldæi erant. Ratio itaque desertionis domus Iacob incipit reddi ex eo, quod repleta est diuinatoribus plusquàm Oriens.

ET AVGVRES HABVERVNT VT PHILISTIIM. Iuxta Hebræum habetur: *Et temporarios, sicut Palestini.* Replet dicuntur obseruatoribus temporum, quemadmodum Palæstini. Obseruatores temporum propriè appellantur illi, qui sine Mathematico nihil inchoant, ita quòd nec quidem cogitant. Talibus abundasse Palestinos hic dicitur, & eos imitatos fuisse Israëlitas.

Obseruatores temporum, qui nec cogitant quid, sine astrorum perpendiculo.

ET PVERIS ALIENIS ADHÆSERVNT. Iuxta Hebræum habetur: *Et in natis alienorum sibi sufficiunt.* vel, *abundauit.* Natos ex alienis appellant Hebræi eos omnes, qui ab alienigenis profecti sunt, & consequenter ad doctrinas & temporarios tertium locum, scientiæ seu disciplinæ extraneorum introductæ in domum Iacob insinuantur, dicendo, quòd satisfaciunt sibi in disciplinis natis ab extraneis paruipendentes doctrinam legis Mosaicæ. Et idem sensus redditur, si legatur, *abundauit*, quoniam significatur, quòd domus Iacob mouet quæstiones circa alienas disciplinas, paruipendendo mouere dubia circa ea, quæ sunt legis Moysi. Tale peccatum vtinam non inciperet Christianis paruipendentibus sacræ Scripturæ dubia, & extraneis studentibus.

Tale quidem tantum peccata hodie inuasserunt Christianos.

Vers. 7. ET REPLETA EST TERRA ARGENTO, ET AVRO: ET NON EST FINIS THESAVRORVM EIVS. Parui refert, quòd Hebraicè scribitur: *Et impleuit se terra eius argento, & auro. & non finis è thesauris.* Inter peccata domus Iacob supputatur non copia argenti, & auri, sed tum cupiditas, tum fiducia.

Auaritia ad thesaurizandum, & fiducia in thesauris culpabilis.

Auaritia enim ad thesaurizandum, & fiducia in thesauris culpatur: & auaritia ipsa manifestè est peccatum est: fiducia autem peccatum erat illi populo debenti confidere in Deo.

Vers. 8. ET REPLETA EST TERRA EIVS EQVIS, ET INNVMERABILES QVADRIGÆ EIVS. Iuxta Hebræum habetur, vt suprà: *Et impleuit se terra eius equis, & non finis curribus eius.* Et hoc culpabile proculdubiò fuit propter fiduciam in equis, & curribus, contra quam dicitur in Psal. *Hi in curribus, & hi in equis: nos autem in nomine Dei nostri inuocabimus*, &c. Psal. 19.

ET REPLETA EST TERRA EIVS IDOLIS: OPVS MANVVM SVARVM ADORAVERVNT, QVOD FECERVNT DIGITI EORVM. Legendum similiter est: *Et impleuit se terra eius idolis, operi manuũ suarum incuruabunt se, quod fecerunt digiti sui.* Consequens fuit, vt posthabita fiducia in Deo, & in thesauris, necnon equis, & curribus collocata, ruerent in idololatriam. Et ad detestationem criminis pertinet describere, quòd incuruauerunt se idolis factis manibus, & digitis diligentiùs consummatis. & similiter, quod subiungitur.

Vers. 9. ET INCVRVAVIT SE HOMO, ET HVMILIAVIT SE VIR. Detestabile siquidem est, quòd homo adoret, quod manibus propriis fecit: quia opus illud debet se totum factori eius: contrarium, peruersitas manifesta est.

NE ERGO DIMITTAS EIS. Iuxta Hebræum habetur: *Et non ignosces eis.* Apostrophat Propheta ad Deum, prophetando, quòd tu Deus non ignosces eis, hoc est, domui Iacob, quam dereliquisti sibiipsi in aduentu Messiæ. Vbi aduerte, quòd peccata domus Iacob hîc scripta, non sunt peccata commissa ab Israëlitis tempore aduentus Messiæ: quia tunc nulla legitur idololatria apud Hebræos, tunc non erant tot diuitiæ, nec tanta multitudo equorum, & curruum, quum essent subditi Romanis. Sed Propheta collegit patrum peccata, ex quibus meruerunt relinqui sibiipsis eorum filii. Deus enim secretis iudiciorum suorum rationibus punit non dando gratiam longè aliter quàm putemus. Vnde & de peccato adorationis vituli in deserto dixit Deus: *Ego autem visitabo peccatum eorum.* & nescimus quando. & in Euangelio Dominus dicit: *Veniet super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram*, &c. Non ignoscere itaque domui Iacob, est perseuerare relinquendo eam sibi ipsi, absque dono fidei in Messiam, quod impleri videmus hodie. Exod. 32. 34. Num. 14. 18. Matth. 23. 35.

Vers. 10. INGREDERE IN PETRAM, ET ABSCONDERE IN FOSSA HVMO A FACIE TIMORIS DOMINI: ET A GLORIA MAIESTATIS EIVS. Dictio interpretata, *Domini*, est *Iehouah*. Vltima verò particula, sonat: *Et à decore excellentiæ eius.* Propheta à desertione domus Iacob cum concursu gentium ad Messiam, descendit, tum monendo, tum prophetando modum, quo fiet concursus gentium ad Messiam. Superiùs enim exclusus est modus per arma bellica. Hic autem explicatur modus, quo fiet, videlicet, per timorem diuini iudicij imminentis per Messiam. Verba enim ista de ingressu, & absconsione in petris à facie timoris Dei, &c. in hoc capitulo scribuntur ter. & quoniam tertia vice accribuuntur proiicientibus idola; ideò sonant poenitentiam veram peccatorum conceptam à facie timoris Dei. Modum itaque concursus ad Messiam describit Propheta: primùm per modum monentis, & hortantis, alloquendo vniuersum

uersum genus eorum, qui conuertentur ad Messiam dicendo: *Ingredere*, seu, *veni*, (vtrunque enim sonat Hebraica dictio.) *in petram* fortitudinis & constantiæ, *& abscondere* quoad sordes peccatorum in puluere humilitatis. Istæ enim duæ virtutes fortitudinis, & humilitatis præcipuæ apparuerunt frequentissimo vsu in primitiua Ecclesia, vt patet legenti gesta Martyrum, & Prælatorum illius temporis: & quia initium earum fuit timor summi Dei. (*Initium enim sapientiæ, timor Domini.*) ideò additur, *à facie timoris Iehouah*, nouiter cogniti, quòd in alia vita retribuit vnicuique secundùm opera eius. Quòd autem adiungitur: *Et à decore celsitudinis eius*, perinde est, ac si dictum fuisset: Et à decore montis eius. Messiam enim, quem in principio capituli appellauerat *montem Iehouah*, modò clariùs appellat celsitudinem eius, id est, Iehouah: decor autem Messiæ felicitas est ipsius æterna: fortitudo siquidem, & humilitas venientium ad Christum ex duobus capitulis oriundæ prædicuntur, videlicet, ex timore fontis essendi, & ex decore humanitatis Christi. Prædicato enim iudicio diuino, & prædicata beatitudine Christi hominis, exarserunt animi ad pœnitentiam peccatorum suorum in humilitate, & fortitudine parati imitari Christum, parati etiam mori pro fide Christi.

Duæ uirtutes primitiuæ Ecclesiæ.

Prouer. 1. 7.

Messias cur appellatur decor & celsitudo Dei.

Vnde oriantur prædictæ duæ uirtutes.

Vers. 11. Ocvli svblimis hominis hvmiliati svnt, et incvrvabitvr altitvdo virorvm: exaltabitvr avtem Dominvs solvs in die illa. Legendum est: *Oculos celsitudinis hominis humiliauit; & humiliabit se superbia virorum, & roborabitur Iehouah solus ipse in die illo.* Ratio monitionis redditur ex futuro euentu: quia, videlicet, tunc cùm prædicabitur Messias, ipse humiliabit se superbia hominum, quod est dicere: præueniente interna gratia humiliante oculos altitudinis mentis humanæ, subsequentur effectus, quòd superbia hominum humiliabit se: oculi humanæ mentis secundùm illius celsitudinem dedignantur humiliare se ad credendum; sed exquirunt euidentiam: Deus autem per aduentum Messiæ humiliauit illos ad credendum; & sic superbiam hominum *in captiuitatem redegit, & intellectum in obsequium Christi.* Et quoniam adorando Christum non adoratur Deus alius, quàm ipse fons essendi; non enim sunt duo Dij, Christus, & Deus, qui dat esse rebus omnibus: ideò dicitur: *Et roborabitur* in mentibus, & cultu hominum, *Iehouah solus ipse in die illa.* Destruentur enim idola; & fons essendi solus Deus in Messia, & per Messiam agnoscetur, & coletur.

2. Cor. 10. 5.

Vers. 12. Qvia dies Domini exercitvvm. Nomen Domini est tetragrammaton, & datiui casus est; sed & sensus in idem redit.

Svper omnem svperbvm excelsvm. Deest coniunctio, *Et.* Deinde immediatè sequitur,

Et svper omnem elevatvm. Loco cuius interpres posuit arrogantem.

Et hvmiliabitvr. Legendum est: *Et humiliabit.* Rationem prædictorum reddit, quia dies Messiæ est dies ad gloriam fontis essendi: super quæcunque superba, & excelsa, & eleuata: ita quòd humiliabit ea cum effectu, & per hæc tria genera, videlicet, superbos, excelsos, & eleuatos, comprehendit omnem celsitudinem: superbus enim relatiuè ad alios, eò quòd super eat. Excelsus verò penes ipsam eminentiam; eleuatus autem penes terminum à quo in sublime erectus est, dicitur. Humiliabis autem sub iugo fidei.

Superbus, excelsus, &

Vers. 13. Et svper omnes cedros Libani svblimes, et elevatas, et svper omnes qvercvs Basan.

Vers. 14. Et svper omnes montes excelsos, et svper omnes colles elevatos.

Vers. 15. Et svper omnem tvrrim excelsam, et svper omnem mvrvm mvnitvm.

Vers. 16. Et svper omnes naves Tharsis. Per hæc quatuor, videlicet, arbores, montes, turres & naues intendit comprehendere præcipuas hominum gradus, & præcipua loca totius orbis: vt monstrentur omnes ad pœnitentiam sententiæ humiliandi, & relinquetur locus ex hoc, quòd dies Messiæ nullum relinquet locum præclarum, quem non humiliabit sub iugo fidei. Quòd autem dicitur in calce horum:

Et svper omne qvod visv pvlchrvm est. Iuxta Hebræum habetur: *Et super omnes picturas desiderij.* Res enim, quæ nauibus vehuntur, pulchræ & desideratæ ad ornatum significantur. Et appellantur picturæ, eò quòd, tanquàm si essent pictæ, miris artium operibus, apparent: vt videmus in aulæis, & aliis ornamentis, siue ex lana, aut lino, aut serico, aut auro constent. Per hæc enim significantur quæcunque ornamenta, & hoc est, vtentes ornamentis, humiliandas sub doctrina euangelica.

Vers. 17. Et incvrvabitvr omnis svblimitas hominvm, et hvmiliabitvr altitvdo virorvm. Iuxta Hebræum habetur: *Et incuruabitur sublimitatem hominis, & humiliabit altitudinem virorum.* Dictio interpretata, *virorum*, sonat, *virorum nobilium.* Quòd dixerat per similitudines, modò dicit per proprietatem verborum, extendendo ad homines communiter.

Vers. 18. Et exaltabitvr Dominvs solvs in die illa. Iuxta Hebræum habetur: *Et roborabitur Iehouah solus ipse in die illo.* Repetit, quod prophetauerat, ad hoc, vt intelligamus prophetiam esse omninò implendam, expone hæc vt supra.

Et idola penitvs conterentvr. Iuxta Hebræum habetur: *Et idola in vniuersum concidentur.* Plures diximus, Hebræam linguam non abhorrere discordiam in numero, & propterea cùm debuisset dici, *concidentur*, dictum est, *concidetur*, significando, quòd vnumquodque concidetur, vel quòd vna, eademque ratione fiet concisio omnium: homines quidem cuiusque conditionis dies Messiæ humiliabit, idola autem concidet: impletum enim hoc videmus, quoniam ab aduentu Iesu Christi iam exclusa est idololatria, & ex omni genere hominum humiliati sunt sub iugo fidei.

Vers. 19. Et introibvnt in spelvncas petrarvm, et in vоragines terræ a facie formidinis Domini, et a gloria maiestatis eivs, cvm svrrexerit percvtere terram. Particula ista reperitur est superioris: nec deficit ab illa, nisi quod illa est monitio, & scribitur in secunda persona: *Ingredere in petram*, &c. ista autem in tertia persona scribitur, quia prophetatur executio illius monitionis, dicendo de gentibus venientibus ad Messiam: *Et introibunt in speluncas petrarum, & in cauernas pulueris à facie formidinis Iehouah, & à decore celsitudinis eius, surgente ipso ad frangendam terram.* Lapone omnia vt supra. Surrexit autem Messias ad frangendam terram, quando misit Spiritum sanctum, & discipulos in mundum, ad frangendum salubri fractione homines terrenos ab affectibus, & opinionibus

opinionibus propriis, *verbum siquidem diuinum magis penetrat, quam quemcunque gladium acutum.*

Hebr. 4.12. Vers. 20. IN DIE ILLA PROIICIET HOMO IDOLA ARGENTI SVI, ET SIMVLACRA AVRI SVI, QVÆ FECERAT SIBI, VT ADORARET TALPAS, ET VESPERTILIONES. Iuxta Hebræum habetur: *In die illa proijciet homo idola auri sui, quæ fecit sibi ad incuruandum.* Hoc est, ad adorandum. Deinde in Textu Hebræo immediatè sequitur, quod Interpres omisit, videlicet, *Ad cauandum cauas, & ad vespertiliones.* Et dictio interpretata, *caueas,* sonat propriè *cauas*, seu *cauationes.* Translata autem dicitur ad significandum *talpas*, eo quòd sub terra cauata habitant. Et tu, lector, si ad verbum, *proijciet*, referes gerundium, *ad cauandum*, intelliges significari, quòd homo proiiciet idola aurea & argentea ad cauandum, hoc est, ad loca subterranea & ad loca vespertilionum: quorum primum fulcitur exemplo Iacob, qui recedens à
Gen. 35. Sichem fodit idola sub arbore. Si verò referes ad verbum, *fecit sibi*, intelliges significari, quòd homo fecerat sibi idola aurea, & argentea, ad extrahendum talpas de cauernis, & vespertiliones de latebris, in formam auream, & argenteam, vt adoraret; dementia enim hominum idololatrarum describitur: verùm pœnitentia vera prophetatur, dicendo: *Et proijciet homo*: significatur enim, quòd voluntariè homo proiiciet idola in die Messiæ.

Vers. 21. *Expositio efficacior Hebræorum Rabinis.* ET INGREDIETVR SCISSVRAS PETRARVM, ET IN CAVERNAS SAXORVM, A FACIE FORMIDINIS DOMINI, ET A GLORIA MAIESTATIS EIVS, CVM SVRREXERIT PERCVTERE TERRAM. Iuxta Hebræum legendum est, *Ad ingrediendum speluncas petrarum: & in cauernas saxorum: à facie fortitudinis Iehouah & à decore celsitudinis eius: surgente eo ad frangendum terram.* Ecce tertiò repetitur hic ingressus in petram, & clarè attribuitur proiicienti idola, vt intelligamus ingressum pœnitentium in fortitudine petræ, quæ est Christus. Sub protectione enim Christi & aliorum Martyrum venerunt ethnici abiicientes idola, &c.

CAPVT III.

Vers. 22. QVIESCITE ERGO AB HOMINE CVIVS SPIRITVS IN NARIBVS EIVS EST, QVIA EXCELSVS REPVTATVS EST IPSE. Iuxta Hebræum habetur: *Desinite vobis ab homine cuius anima in naribus eius, quia in quo æstimatur ipse?* Crediderim ego caput tertium hic inchoandum, tum quia nouæ materiæ initium est, tum quia manifestè subiungitur coniunctio *quia* pro principio capitis tertij in vulgata editione reddendo rationem huius monitionis. Manifestato igitur modo quo gentes confluent ad montem, qui Messias est, cum præmissa derelictione domus Iacob sibiipsi: consequenter manifestat Propheta modum quo Deus procedet ad puniendum Hierusalem & Iudam, postquam exierit de Sion lex & verbum Euangelicum de Hierusalem. Hoc enim supererat declarandum. Inchoat autem prohibendo fiduciam in homine, insinuans per hoc quòd huiusmodi fiducia regnabit in illis tempore Messiæ. Conuertit itaque sermonem ad Iudam & Hierusalem dicendo illis, definite vobis, ab homine procuidubio omni, cuius anima in naribus.

Gen. 2. Describit enim Propheta conditionem hominis, imitatus Moysem dicentem, quòd Deus inspirauit in nares hominis spiritum vitæ. Anima enim hominis in naribus describitur, quia aspirando & respirando reseruatur in corpore. Ratio autem cessandi à fiducia in homine subditur, quia in quo? quasi dicat in nullo reputatus est ipse homo. Experientia enim testatur nullius reputationis esse hominem.

Cap. III. Vers. 1. ECCE ENIM DOMINATOR DOMINVS EXERCITVVM AVFERET A HIERVSALEM, ET A IVDA VALIDVM ET FORTEM. Iuxta Hebræum habetur, *Quia ecce Dominator Iehouah exercituum removens à Hierusalem & à Iuda, fulcimentum & fulcimenta.* Liceat fingere vocabulum fulcimenti in fœminino genere, ad reddendam veritatem Textus Hebraici. Interpres enim antiquus reddidit, validum & fortem, cùm tamen in Textu Hebræo fulcimentum prius in masculino & deinde in fœminino genere scribatur. Et per hæc duo proponit omnia quibus innituntur homines, tum quoad vitam corporis, tum quoad vitam politicam remouenda à Iuda, & Hierusalem, ita quòd iste est modus quo procedetur ad destructionem Hierusalem & Iuda: & prius iste modus scribitur in genere, deinde per partes. Reddita itaque non confidendi in homine ratione ex parte hominis, quia nullius est reputationis, reddit modò rationem ex parte Dei, quia ecce tanquam in præsenti in die Messiæ Dominus vniuersorum Iehouah fons essendi dans esse exercitibus totius vniuersi, faciet remouere à Iuda & Hierusalem fulcimenta vitæ politicæ & vitæ corporeæ: maiora & minora fulcimenta quibus innitatur.
Modus quo procedit Deus in destructione Hierusalem. Quare non confidendum in homine.

OMNE ROBVR PANIS, ET OMNE ROBVR AQVÆ. Dictio interpretata robur, est illa met quæ sonat *Fulcimentum.* Sententia tamen clara est. Tollendum enim omnem cibum & omnem potum ad sustentandum homines opportunum prædicit.

Vers. 2. *Dei comminatio.* ET FORTEM ET VIRVM BELLATOREM. Interpres addidit coniunctionem &, prima vice. In Textu enim Hebraico comminatur hæc omnia. Et dictio interpretata fortem sonat potius potentem, ita quòd ista comminatio tollit viros belli tam excellentes, quàm electos pro idoneis ad bellum. Deinde immediatè sequitur absque coniunctione, alia comminatio, videlicet.

Quid dicant iudices & quid Prophetæ. IVDICEM ET PROPHETAM. Iudices enim dicunt ius populo: Prophetæ autem nunciant populo diuina.

ET ARIOLVM ET SENEM. Dictio interpretata ariolum, sonat *Diuinatorem.* Tollendi sunt senes experientia præteritorum coniectantes de futuris, & diuinatores prædicentes futura secundum artes diuinandi.

PRINCIPEM SVPER QVINQVAGINTA ET HONORABILEM VVLTV. Distributio officiorum tollenda prædicitur auferendo principes quinquagenarios, & distributio honorum auferendo eleuatos facie.

ET CONSILIARIVM ET SAPIENTEM DE ARCHITECTIS, ET PRVDENTEM ELOQVII MYSTICI. Iuxta Hebræum habetur, *Et consiliarium & sapientem artificum, & intelligentem semiprolatæ.* Vigentes consilio circa agenda, & sapientes dirigere fabros ad operandum, & vigentes ingenio ad penetrandum semidicta quorsum tendant, auferendi prædicuntur. Collige prudens lector quot

quot genera fulcientium ciuitatem tollentur, & perspicies non esse ciuitatem, sed ciuitatem deperditam [illegible], hominésque deteriores sublatis his omnibus. Nec caret quæstione quonam pacto inter

Quæstio

pœnas Iudæ & Hierusalem supputetur remotio [illegible] cum huiusmodi remotio sit beneficium, quia diuinatores superstitiosi sunt & incantationibus vacant. Solutio est, quòd quamuis absolutè hoc est beneficium, Hierosolymitanis tamen & Iudæis complectentibus diuinatores erat pœna, & propterea inter pœnas supputatur. Nec intelligas remotionem horum omnium pertinere [illegible] ad bonum Hierusalem & Iudæ, [illegible] viri bellicosi sed non ad bonum ciuitatis, & similiter intellige de consiliariis & aliis prædictis.

Solutio.

Vers. 4. Et dabo pueros principes eorum, et effeminati dominabuntur eis. Dictio interpretata effeminati, sonat *Paruuli*. Deus introducitur loquens & loco prædictorum qui ad bonum commune ordinantur, comminatur mala quæ sequentur ex priuatione prædictorum, primum autem [illegible] est, dabo pueros principes eorum pueros sensu, pueros moribus. Huiusmodi enim pueri etiam si ætate senes fuerint de regione [illegible] de quibus scribitur, cani sunt sensus hominis & ætas [illegible] vita immaculata. Hunc autem esse sensum germanum literæ patet [illegible] iuxta Hebraicam veritatem subiungitur: Et infantes pueri paruuli dominabuntur eis. Certum est enim quòd de infantibus sensu & moribus est sermo, & dicit vtrunque videlicet Deus pueros in principes, & sequitur [illegible], quod paruuli dominabuntur eis.

Vers. 5. Et corruet populus vir ad virum, et vnusquisque ad proximum suum. Tumultuabitur puer contra senem, et ignobilis contra nobilem. Dictio interpretata corruet, sonat *Vexabit* vel, *Opprimetur*. Sublimia enim actiuæ significationi fauere videntur. Nam iuxta Hebraicam veritatem subditur.

Vir in virum et vir in socium suum inualescent puer in senem, et vilipensus in honorabilem. Misera vexatio ac oppressio populi futura describitur, dum cuilibet licebit vexare quemlibet (& quod peius est puer inualescet aduersus senem absque vlla erubescentia, & vilior [illegible] aduersus honorabiles. Tolletur itaque pax populi, tolletur & honor maioribus debitus, confusa erunt omnia.

Vexatio oppressio.

Vers. 6. Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris sui et dicet: Paupertas nimia pro ratione redditur prædictæ confusionis. Describitur autem paupertas maxima singulorum ex parabola inquisiti nec inuenti inter eos, qui velit esse princeps inopia prohibente. Introducit itaque paupertatem tantam, quòd homo apprehendet fratrem suum domesticum, hoc est, ex gente patris sui. Sic enim sonant Hebræa, & describitur requisitus consanguineus, [illegible] requirentium ad excludendum suspicionem falsi [illegible]. interpres quoque addidit claritatis gratia illas duas dictiones, *& dicet*. Nam immediatè sequitur.

Vestimentum tibi, Princeps eris nobis. Vide magnitudinem paupertatis, requirunt in rectorem quia habet indumentum.

Ruina autem hæc sub manu tua. Dictio interpretata ruina, sonat *Offendiculum*. Vere offendiculum cuilibet præstabant in tanta vexatione descripta, & propterea requirunt principem qui prouideat huiusmodi offendiculis.

Respondebitque in die illa dicens. Dictio interpretata respondebit, sonat *Iurabit*. Ad insinuandum quòd dicet veritatem.


Non sum medicus. Iuxta Hebræum habetur, *Non ero obligator*. Negat enim futurum se in potestate retinendi alios, & rationem subdit.

Vers. 7. Et in domo mea non panis, nec indumentum: non ponetis me principem populi. Ecce inopia requisiti & renuentis principatum.

Vers. 8. Ruit enim Hierusalem, et Iuda concidit: quia lingua eorum, et adinuentiones eorum contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. Iuxta Hebræum habetur, *Quia impegit Hierusalem & Iuda cecidit, quia lingua eorum & opera eorum ad Iehouah ad faciendum auertere oculos honoris eius.* Ratio prædictarum pœnarum redditur lapsus Hierusalem ad instar cespitantis & casus Iudæ, & est sensus: Ideo video Deum puniturum Hierusalem & Iudam, tunc erit tempus lapsus & casus eorum. Quare autem erit tunc tempus cadendi subiungitur, quia lingua eorum & opera eorum verba & facta erunt aduersus Iehouah.

FINIS.

INDEX



INDEX
RERVM ET VERBORVM quæ in hoc Tertio Operum Cardinalis Caietani volumine continentur.

Index Rerum,

 Bonum.

Dauid

Index Rerum.

Ebrietas.

Gabaon.

Impij

Iudæo

Ex

Index Rerum,

Mensura

Index Rerum.

Nupta

P

Perfe

Præceps.

Pugna.

Index Rerum.

Sapientibus

Index Rerum,

Subftan

F I N I S.





